Ex libris R. ... P. Seraphini ... Provinciali

IOANNIS CARAMUEL THEOLOGIÆ MORALIS FVNDAMENTALIS

LIBER TERTIVS, DE SACRAMENTIS.

Complectens & ediſſerens fundamenta Moralia; Quibus vera Sacramentorum & Sacramentalium intelligentia, in genere & ſpecie ſubſtruitur & dilucidatur,

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVS.



LVGDVNI,
Ex Officina ANISSONIANA.

M. DC. LXXV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Pri Bibliotheca ... di Urbe

Vittorio Emanuele

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ET EXIMIO D.

P. RAYMVNDO CAPISVCCO,

APOSTOLICI PALATII

Magiſtro, &c. Domino & Amico ſuo Obſervandiſſimo D. Ioannes Caramuel Viglevanenſium Epiſcopus.

SVMO *calamum, vt toti Vrbis Romanæ Gloria, in vnâ Familiâ, aut etiam Perſonâ coruſcanti, totam Moralem* [a] *Theologiam (quaſi Homerum in Nuce) in vno Syntagmate emicantem conſecrem & inſcribam. Sumo, inquam, penicillum, vt obumbrem Capiſucciam Familiam, quæ Europam omnem, ne Orbem Terrarum dicam, natiuo ſplendore dilucidat. Siue enim oculos ad Firmamentum ſubrigam, ſeu ad Nubes conuertam, ſeu ſubmittam ad Maria, Domus Capiſuccææ Imagines expreſſas inuenio. Claret Cœlum nouis & antiquis Syderibus, quæ ita vnum Globum conſtituunt, vt per varias Conſtellationes diſtributa, etſi ſint mole æqualia, fallit viſum inæqualis* [æ] *diſtantia, à quâ ſortiuntur diuerſos magnitudinum Ordines. Nec aliter Domus hæc, quam ſuſpicio; claret nouis & antiquis Heroibus, qui in ſago fortiſſimi Martes, in togâ Mercurij prudentiſſimi fuerunt, armiſque & literis labantem, vt tulerunt tempora, Rempublicam ſuſtinuerunt & condecorarunt. Hi profectò vt Atlantes Cœli Romani gloriam humeris extulerunt; vt Hercules præbuerunt auxiliatrices manus. In hos Fortuna & Virtus velut in Mare Flumina, laudes, laureas, applauſus, glorias & triumphos deriuarunt, vt inde iterum deriuarentur; nam Fluuij in Mare fluunt, vt iterum fluant. Luna Terræ, ſplendorem receptum à* Sole

Qualis & quanta ſit Illuſtriſſima Domus Capiſuccorũ?

Vtrùm Stellæ Affixæ ſint æquales? Vtrùm inæqualis earũ ſit à Tellure diſtantia?

Eccl. 1. Omnia Flumina intrãt in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterũ fluant.

Sole communicat : gratæ tamen : quem enim in Plenilunio (Nouiterreo) luminosè & copiosè nanciſcitur, in Nouilunio (Pleniterreo) reſtituit [b] *vt innoteſcat omnibus Terræ & Lunæ cognatio : Sciamuſque ex hoc ſymbolo Capiſuccios à Romani Orbis Dominis (Maximis olim Imperatoribus , nunc Optimis & Summis Pontificibus) ita decus & ſplendorem recepiſſe , vt vtrumque aliis Nobiliſsimis ſtirpibus contractâ affinitate indulſerint , & indulgendo auxerint , & multiplicauerint. Bellum profectò Oceano indicunt non tributum perſoluunt , Anas , Tagus, Iber , Rhodanus , Padus, Tyber, Rhenus, Moſa, Danubius, Tigris, Euphrates, Nilus , vt alios Fluuios, non minores, ſed nobis minus notos, omittam, & Oceanus per venas ſubterraneas irrepens , ad fontes redit , redditque vndæ theſauros, quos ſuſceperat , & iterum in Fluuios diuiditur. Et eodem prorſus modo, Torrentes gloriæ, qui in Imperio Eccleſiaſtico à Maieſtatis promoventur verticibus , & Europam honorant , per Connubia legitima in Oceanum Capiſuccium exonerat : & inde iterum refluens , & in familias alias ſe immittens & commiſcens ; noua brachia conſtituit , & in Briareum vertit Capiſuccium decorem, vt quà Eccleſiaſticus centum calamos moueat , quibus aduerſus Schiſmaticos & Heterodoxos ſcribat ; & quà ſæcularis centum gladios ſtringat , quibus Infideles debellet. Et hìc profectò hærere placet , ſi quis enim* Mille trahens varios aduerſo Sole colores , *ſimulachrum Iridis contempletur , aut* Millibus ornatum Stellis ſpeculetur Aplanem , *aut in Genealogicâ Capiſuccorum Arbore , hinc millenas radices, inde millenos ramos meditetur, & interroget,* An, & qualem inæqualitatem præſeferant ? *Reſpondebo , æqualia eſſe Firmamenti* [æ] *omnia ſydera , obludique ob diſtantiæ varietatem oculos , cùm inæqualia apparent : Addam æquè eſſe lucida pigmenta vniuerſa Thaumantidos , etſi in curſu radiorum interdum oculi adlucinentur : Inferamque nobilitate & gloria vniuerſas Familias Capiſucciæ inſertas eſſe ſuppares ; Heroas , qui ſingulas illuſtrant , eſſe ſimiles ; omnes eas eſſe Optimas , hos omnes Maximos : & vniuerſos poſſe de Principatu & Primatu contendere ; inæqualitatem verò aut differentiam , ſi qua nobis appareat , in diſtantiâ conſiſtere ; priſcas enim (ſeu perſonas , ſeu gentes) comitatur obliuio ; & Avorum diuitias, diuiſio in Nepotibus minuit : ſed tamen apud prudentes, doctoſque Nobilitatis gloriam antiquitas, non verò fortunarum imminutio aut acceſsio metitur.*

An Luna ſplendorem à Sole : an etiam à Tellure recipiat ?

N. B. De Capiſucciæ Domûs gloriâ breuius ſcribo , cùm, quia Epiſtola Excurſus longiores non patitur ; tum , quia de illâ Alphonſus Ciacconius, Ferdinandus Vghellus , Caterinus Dauila, Famianus Strada, Gulielmus Dõdinus , Angelus Galluccius, aliique plures è primâ Claſſe Hiſtorici accuratè ſcripſerunt.

Fluuij Magni , qui æſtui ſubjacent *maris brachia* vocantur.

De Arcu Cœleſti.

De Cœlo ſydereo.

De Genealogia Capiſucciâ.

Quænam hodie Familia ſit nobilior in Statu Eccleſiaſtico.

Vnde menſuretur Nobilitas ?

D. Reuerendiſſimo P. Raymundo Capiſucco.

Inter alios , quos hæc Illuſtriſsima Domus progenuit , qui videlicet vixére virtuti , viuunt Famæ , viuent Gloriæ , debes recenſeri Raymunde , qui in ætate adhuc tenerâ diuitias & delicias contemnens , in Doctiſsimo Patrum Prædicatorum Ordine , Deo & Ec-

cleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ militare elegiſti. Te dudum, adhuc juuenem ſuſpexit Romanus Peripatus, & in Te S. Thomam Philoſophicis Ariſtotelis Dogmatis Theologicas Auguſtini ſententias ſubſtruentem, firmantem, & dilucidantem. In Evangelicis Declamationibus, quas ad Populum & Clerum etiamnum habes, puritatem verborum, elegantiam conceptuum, ſententiarumque ſublimitatem vniuerſi cum applauſu & admiratione commendant. Favore illas Summi Pontifices ſunt proſequuti; &, ne virtus præmio deſtitueretur, Te ſibi primùm in Congregatione Indicis à ſecretis, & ab examine Epiſcoporum ſeruire jubent; & denique quoniam iſtæ Coronæ Tuo adhuc erant multo minora Capite, Lauream Supremi Doctoratûs addunt, & Te Magiſtrum Palatij Apoſtolici nominant. Et Ego, quando Summi Eccleſiæ & Reipublicæ Principes, Te honoribus & muneribus cumulant, eorum prudentibus inſiſtendo veſtigiis, etiam meum Munus defero, & offero: nimirùm Quartum videlicet Theologiæ Fundamentalis Librum: & rationem aperiam, ſi digneris attendere.

S. Thomæ Doctrina Cõcluſiones à S. Auguſtino, & ab Ariſtotele Fundamẽta deſumit.

Innocentius X. olim Auditor Rotæ, quia erat Doctiſſimus Doctos ſẽper amauit & promouit.

Inter præcipuos Deos, quos irreligioſa admiſit Ethnicorũ Impietas, Solẽ adorauerunt Veteres, Imaginem loco Prototypi vſurpantes; Deus enim, aſſerẽte Platone, ſicut in ſpiritualium rerum Ordine Hominem, ſic in Materialium ſyſtemate Solem condidit ad Imaginem & ſimilitudinem ſui. Diuerſas eidem balbutiens Ethnicorum Theologia victimas conſecrabat: interdum diſſonas; non enim omnes nuncupatæ prærogatiuas hoſtiæ adtributis ſui Numinis attemperarunt. At Perſæ maturiori conſilio Equum dedicauerunt, accinentes in Hymno,

Cur Solem adorarint Gentiles?

An, & conſentaneas illi immolauerint victimas?

Veloci eſt velox victima Sacra Deo.

Hâc prauentus Hiſtoria, jam à pluribus annis ſuſpexi & colui Apoſtolici Palatij Magiſtrum: dignitatem profectò, quâ nobiliorem eminentioremque Orbis Literarius non habet; nam ſicut Imperator eſt Rex Regum, ſic & ille eſt Doctorum Doctor, necnon Magiſtrorum Magiſter.

Cur illi equum Perſæ, conſecrauerint?

Quanta Apoſtolici Magiſterij ſit Dignitas?

Eruditi Theologi verba illa Pauli Oportet Epiſcopum eſſe perfectum, *illuſtrantes, Perſonam ab ſtatu eruditè & prudenter diſpeſcunt, quod frequenter obſeruent, imperfectos homines fucari infulis, & perfectos per ſtatũ imperfectũ ſubrepere. At in ſtatu Magiſterij Supremi ceſſat hæc aliàs obſeruata querimonia; eſt enim Dignitas perfectiſſima, ad quam ab vſque initio ad noſtra hæc tempora non niſi doctiſſimos, & omni Virtutũ & Scientiarũ genere ornatiſſimos Viros, Apoſtolica circũſpectio promouit. Vel, qui dubitet, ab ipſo initio exordium ſumat, & vniuerſos ſimul, aut ſingulos in particulari conſideret, virtuteſq; cõdecoratas literis, & ſublimiores omnes ſciẽtias gratiis & ſplẽdoribus exornatas reperiet. Illis, Pater Reuerẽd. non vt ſucceſſor, ſed vt Hæres ſufficeris, quoniã prærogatiuas, quæ diſperſæ inter illos*

De perfectione Epiſcoporum.

Debet perfectio ſtatûs à Perſonæ perfectione diſtingui.

Quales ſẽper fuerunt Apoſtolici Palatij Magiſtri?

potuerunt ſingulos celeberrimos reddere, in Te congregata & vnita, coruſcant, vt in Sole, ſi Keplero crediderim, quanta in ſyderibus micat ſplendorum materia. Et quidem gloriam, quam ab Officio recipis, claritas Natalium exornat; vbi enim ad Te oculos, Pater Reuerendiſſime, ſubrigo, perſpicio ſtatim, Amaltheam Immortalem Excellentiſſimas in Auos, Parentes, & Cognatos Tuos Nobilitatis, affluentia diuitiarum & opum, munerum & dignitatum glorias, & tandem Eximias in voluntatem Tuam Virtutes & prærogatiuas, necnon ſublimes in Intellectum Tuum ſcientias & Facultates liberaliſsimo cornu effudiſſe: quas ſicut Luna Solis radios, ſic tu vniuerſis, quibus jus dicis, ſine inuidiâ communicas.

Et qualis Reuerend. P. Raymundus Capiſuccus?

Quo modo libri fiant? An addendo an auferendo perficiantur?

Hanc ego ob cauſam iam ab annis viginti aut ferè, vbi Te cognoui, ſuſpexi: & optaui illicò ſupra meæ Mentis [g] *vires, aliquod dedolare Munuſculum, quod Te dignum videretur, aut eſſet. Dedolare, inquam, non componere; nam vbi cæteri Scriptores debent Auctores dici, quòd inuenta ab Antiquis nouis Placitis augeant; qui accuratiùs ſcribunt, illa ipſa decircinant; quidquid enim præter examen poſitum, & creditum potiùs quam ſcitum, corruit ſtatim, vbi illud Diſquiſitio Dialectica periclitatur. In Aſtronomicis, quibus ſummè delector. Solem, ſyderum Choragum, Stellarumque omnium tam errantium quàm affixarum Ducem* [c] *aut Conductorem veriùs, aſſiduâ attentione ſuſpicio, & quò plus in eius cognitione proficio, eo magis mihi ſunt, quæ de Æthereis facibus ſcribuntur, ſuſpecta: vnde Syntagma edidi, illudque* [d] INTERIM *inſcribi volui, quod interloquutorias leges de Cæleſtibus proferat; obſeruandas profectò, donec veræ noſcantur. Nec aliter hodie in Theologicis, dum Te propter Excellentiam Officij, quo fungeris; & Eminentiam Scientiarum, quibus condecoraris; vt Firmamenti Scholaſtici Solem ſuſpicio & veneror, ad Scriptores (qui Olympi Literarij ſunt Sydera) contemplabundus tranſeo; & tametſi ſingulos, provt debeo, veneror, meminerim ſcriptum eſſe,* Et in Stellis ſuis reperit prauitatem. *Suſpicio equidem ſingulos; verùm enim verò, ſuſpecta eſt mihi ſuorum radiorum claritas; vbi enim plerique omnes Oculi eximio ſplendore expediuntur, plurimi adlucinantur.*

An Sol omnium Planetarum & Stellarum chorum ducat?

De Authoris libro, qui *Interim Aſtronomicum* inſcribitur.

In cœlo literario, vbi Apoſtolici Palatij Magiſter eſt Sol, Doctores cæteri, vt Stellæ ſcientiarum lumine cõdecorantur.

Subtilia ſcripta, non niſi ſubtili ſunt Mœcenati dedicanda.

Et quidem, ne obliterarentur ſuſpiciones hæ meæ & obliteratæ perirent, procellas imminentes deſpiciens, plena vela Tui Clariſſimi Nominis Fauonio expoſui; &, quia, vbi ad Te, ad Portum illas ſecurum & tranquillum deduxi; optaui prorſus, vt, ſi olim apud Perſas

Veloci velox victima Sacra Deo.

Hodie etiam apud Scholaſticos

Subtili

Subtili placeat victima acuta Viro.

Fortè adlucinor, vbi oculatiſſimus videri volo. Illa enim Ariſtotelis verba. Vnicuique delectabile eſt, quod amat. *Plutarchus hoc Scholio dilucidat.* Amator, albos Deorum filios appellat: nigris virilium nomen adtribuit. Amator enim hederæ inſtar, valet ſe quâvis arreptâ anſâ applicare. *At ſincerè fatebor pleraque omnia, quæ in hoc Libro exponuntur, cum ſpeciali delectatione à nobis relegi, ſtudioque accuratiſſimo conſiderari. Vnde, ſi à Candido Lectore notentur albo calculo, à Deo illa profluxiſſe fatebor, quæ ſunt laudem promerita, & glorabor in Domino, qui ſuæ Sapientiæ interdum radiis ingenia obtuſiora ſuffundit. Si nigro ab Invido; quæ diſplicuerint ei, virilia dixero, quoniam proteguntur à Viro, qui tuendi habet voluntatem & vires. Hederæ ſimilem eſſe Librum hunc aſſeuero; nam, ſi illa valet ſe quâvis arreptâ anſâ applicare, hic in rimas Receptorum Principiorum ſe inſinuans, & radices profundiores immittens, Conſequentias deducit, iterum iterumque noſtratibus Scholis inuiſas: hodie enim Academici ſuo morbo indulgent, & Conſequentiis inuident, quas non intelligunt.*

Ariſtoteles lib. 1. Ethic.
Plutarchus lib. de Aditione.

Omnes iudicant eſſe pulchra quæ amāt. Vnde bona & vnde mala proueniant.

De Hedera, an hic liber eius ferat Imaginem?

Communis Scholaſticorum infirmitas.

Eadem planta, quæ in Europâ globulos nonniſi inſulſos parturit, in Indiâ piper generat, & mutatione ſoli, quæ inermis erat, mordax fit & virilis: vt diſcam eumdem omninò Enſem, qui in Therſitæ manu erat impotens, ſi Achillis agitetur brachio, fulmineam efficaciam adſciſcere: vt diſcam, inquam, vbi venero ad rem, eadem omninò Lemmata, quæ ſine lege à Marſo poſita, nihil omninò videbantur inferre, à Perſio Dialectico Iure diſpoſita, inopinatas Conſequentias elicere, & eo mentem propellere, vt præbeat aſſenſum vel inuita.

An Hedera diſtinguatur à Pipere?

An ab enſe an verò à brachio vulneris magnitudo proueniat?

De Marſo & Perſio.

Quanta ſit vis Religioſæ Dialecticæ.

Ego autem, quia non ita puſillanimis ſum, vt patiar componi cum Marſo; nec volo cenſeri tam arrogans, vt mihi adrogem Ingenium Perſij; has ſecundo nunc calamo Relectiones ſcribo, à quibus ſim, ſi placeant; in quas ſim, ſi diſpliceant. Tuo illæ, Pater Reuerendiſſime, Tribunali ſe ſiſtunt; eaſque vel ſomniis, vel vigiliis ſententiâ definitiuâ adjudices, conſequuntur ſuum votum; cognoſcet enim Mundus, me bono publico natum, ſeu vigilem, ſeu ſomniem, inueniendæ Veritati ſtudere: & reſciam ego, quæ debeat retineri aut deleri. Quoniam à Te adprobata, exſuent ſuſpicionem erroris; nemo enim ea audebit refellere, quæ Te Fautorem, & Peraſpiſtem nanciſcuntur: & à Te reprobata, nulli moleſtiam ingerent; nam ego abreptâ ſpongiâ, vniuerſa illa expungam: Scio enim Te, tali candore & doctrinâ ſuffultum, vt nec velis, nec poſſis cæcutire in Iudicio; & ideò pertinacis eſſe Temeritatis aſſeram,

Cur Author ſcribat Palinœdias?

Cur ſiue approbētur, ſiue reprobentur, author conſequitur ſuū votum?

Multa hic Author proponit, & tamen nihil pertinaciter aut admittit aut reiicit.

ram,

Digitized by Google

ram , aut à Te approbatis diſſenſum , aut à Te reprobatis aſſenſum impertiri præſumere.

Hæc eſt mea , Pater Reuerendiſſime de Ingenij Tui ſinceritate & Dexteritate Cenſura : hoc eſt meum de hoc ipſo meo Libello Iudicium. Tuum exſpecto : Deumque imploro, vt Te Orbi Literario ſaluum incolumemque conſeruare dignetur multos annos.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

Complectens, & ediſſerens Fundamenta Moralia, quibus vera Sacramentorum intelligentia in genere & ſpecie ſubſtruitur & dilucidatur.

PROOEMIVM.

ALibi uberiùs (quia ex profeſſo) de hoc Divino argumento tractaturus, hæc pauca præmittere volui, ut in hoc Libro, ſi non omnia, quæ ornatus requireret; ſaltem omnia, quæ regimen Orthodoxæ conſcientiæ poſtulat, à Theophilo Lectore inveniantur. MMCMI.

Cur tã breviter de Sacramentis differamus?

Profectò agimus de argumento antiquiſſimo; habuerunt enim aliqua Sacramenta Priſci, tametſi hodie non innoteſcant omnia, quæ in Lege Naturali fuerunt. Quoniam ante diluvium fuiſſe Sacrificia ſcimus; & conceſſum fuiſſe divinitùs aliquod remedium contra peccatum originale, non dubitamus. Totam Veterem Legem fuiſſe figuram Novæ certum eſt: & ſiquis id in dubium vertere audeat, audiat Auguſtinum *lib. 22. contra Fauſt. cap. 6.* dicentem. *Qui ea, quæ non intelligunt, reprehendunt, lepram, vel ſcabiem, vel verrucas legis eſſe dicunt* [peccatorum imagines, & tamen negant Circumciſionem, Sacrificia, &c. eſſe] *promiſſivas figuras Sacramentorum, ſimiles ſunt hominibus, quibus diſplicent ea, quorum non capiunt utilitatem; velut, ſi ſurdus, videns moveri labia loquentium, tanquam ſuperfluos oris motus, deformeſque reprehenderet: vel, ſi quiſquam cæcus, laudata ſibi aliquâ domo, vellet palpando probare, quod dicitur, & parietum levitatem manu pertractans, in feneſtras corrueret, eaſque velut inconvenientes illi æqualitati redargueret, cauernaſque ruinoſas putaret.*

An aliquid neceſſarium, in hoc libro deſicias?
An in lege Naturæ fuerint Sacramenta?
An in lege Moſaicâ?
Superflua iudicât quæ neſciunt, ignorantes.

Sacramenta potuerunt aliter inſtitui: & illa, quæ Novæ Legis ſunt, ut nihil nunc de antiquioribus dicam, conſtant rebus & verbis, nec non intentione Miniſtri: & ſunt ſigna ſenſibilia inſenſibilis gratiæ, quam, ut Thomiſtæ putant, realiter, & ut Scotiſtæ ſtatuunt, moraliter in ſubjecto producunt. Ergo, ut bene Sacramenta intelligamus, debemus priùs tres percallere ſcientias quarum Prima de rebus, Secunda de verbis, & Tertia de intentione definiat. Ergo, ſi licuit olim Platoni ſuæ Scholæ inſcribere

NEMO HVC INGREDIATVR,
QVI GEOMETRIAM NESCIAT.

Sacramentalis Theologiæ Profeſſor Scholæ ſuæ hanc præfigat Epigraphen.

NEMO HVC INGREDIATVR,
QVI GRAMMATICAM SPECVLATIVAM,
ET PHILOSOPHIAM NATVRALEM NON SCIAT.

Non omnes, qui Hiſpanicè aut Italicè accuratè loquuntur, Gramma-

Quibuſnã rebus cõſtẽt Legis Chriſtianæ Sacramenta?
An, & quomodo conferant gratiã?
Quæ ſunt ante doctrinam de Sacramentis præcognoſcenda?
Platonicæ Academiæ Inſcriptio.
Scholæ Ethicæ Inſcriptio.

De Grãmaticâ ſpeculativâ.

ticam Hiſpanicam, aut Italicam ſciunt, adeóque neque omnes qui Latinè loquuntur (etſi verba caſtè & ornatè digerant) cenſendi ſunt Grammaticam percallere Latinam. Eſt enim ſupra Grammatici cothurnum,

An in illâ tota Philoſophia claudatur?

MMCMII. Grammaticæ Scholaſticæ intelligere difficultates: nam in ipſis tota interdum clauditur Philoſophia: ſæpe pendet à Logicâ, & tam perplexis Labyrinthis involvitur, ut niſi Ars Hieroglyphica, Ariadnæ vices ſubeat, & filum præbeat, non poſſimus aditum reperire. Quam ob rem,

Hieroglyphica.

An, ut diſcatur Ethicâ ſcientia alia requirantur?

cùm ſupernaturalis hæc materia præter multas ſcientias, etiam ſubtile ingenium, ut bene addiſcatur, requirat, ſtat exorbitare, ne delirare dicam, illos qui aſſerunt, *Ad intelligenda Moralia Naturale Iudicium* (*quod ipſi vocant* Prudentiale) *ſufficere.* Et conſtat, ne unam quidem in Sacramentali Theologiâ Controverſiam ſciri poſſe fundamentaliter, niſi præſciantur Facultates Practicæ & ſpeculativæ: & cognoſcatur, quibus hæc

Vnde proveniat, quòd Morales Quæſtiones interdum malè reſolvantur?

Reſolutio, & quibus etiam illa Fundamentis inſiſtat: ſi enim rem medullitùs examinavero, pronunciaturus ſum, pleraſque omnes Difficultates, quæ Sacramentorum efficaciam & valorem concernunt, difficiles & obſcuras videri, quod earumdem ſolutio è locis debitis rarò ſumatur. Sæpe, cùm Controverſiæ Sacramentales ventilantur, quæruntur Fundamenta Theologica, aut Philoſophica; & deberent Grammatica; quo-

Vnde ſumẽda ſint Reſolutiones Sacramentales?

An fere omnes ſumantur à Grãmaticâ?

MMCMIII. niam Sacramenta Rebus & verbis conſtant, illis ut materiâ, iſtis ut formâ, & quia multa dubitamus de Verbis, & multa de Rebus; Reſolutiones, ſi Res concernant, à Phyſicâ, ſi Verba à Grammaticâ deſumi debent: & quia ipſaſmet Res in Sacramentali Theologiâ, prout ſubſunt Verbis contemplamur, pleræque omnes Quæſtiones tandem pendere debent à notitiâ Grammaticæ. A notitiâ, inquam, non Practicâ,

Grammatica duplex: practica & ſpeculativa.

Etiam Cãpanella ſcripſit paucula de Grammaticâ ſpeculativâ.

Quid, & qualis ſit Grammatica ſpeculativa?

quam pueri in Scholis docentur, ſed ab Speculativa, quæ ſummè neceſſaria eſt, & in nullo publico Gymnaſio traditur. De Grammatica Speculativa ſcripſit olim librum eruditum Scotus, heri Scaliger alterum, quem de Cauſis linguæ Latinæ inſcribi voluit; at noſtri Theologi neutrum legunt, vix alios de hoc argumento lectione dignos habent, & ideò Grammaticam contemplativam neſciunt, & Aſſertiones certiſſimas implicant obſcuris & inutilibus difficultatibus. Grammatica Scholaſtica, ſcientia eſt ſubtilis, curioſa, neceſſaria: illam Curſui meo Philoſophico præmiſi; & in Curſu Ethico ad mores transfero, & nunc illam ad Sacramentales Veritates elimo, ut mutuo concurſu & ſplendore ſe dilucident; & mutuâ luce omnia clariora & notiora reddantur.

An deprimantur Sacramenta, cùm ex fũdamentis Grammaticis dilucidantur?

MMCMIV. Fortè cenſebit aliquis Sacramentorum deprimi Majeſtatem, cùm ad Grammaticas Speculationes reducuntur. At immeritò; nam Speculativa Grammatica, Ars eſt ſubtilis & ſublimis; & ideò facienda majoris, quia paucioribus nota. Hoc eſt meum de hujus ſcientiæ dignitate judicium. Quam ſi adhuc parvi pendas, non ideò evinces. Condonabo tenebras Sole eſſe lucidiores (hoc tu vis, cum contemplativæ Grammaticæ dignitatem contemnis) & ſic diſcurram. Summmæ eſt eruditionis res

An, & cur Dei Æternum Verbũ cum Verbis Humanis componatur?

ſummas exemplis obviis & notis illuſtrare: nihil enim in Mundo ſublimius Verbo æterno; nihil levius in Mundo Verbo Humano; & tamen ut Æternum Patres & Doctores intelligant & explicent, ad Humanum recurrunt, nec dicuntur deprimere Divinæ Perſonæ Majeſtatem. Facilitatem & claritatem ſolùm quærimus, qui ſcientias tradimus, & ut evidentiùs poſſimus, humanis Divina, terrenis cœleſtia, imis ſumma com-

Doctrina Methodus concernit claritatem & brevitatem.

ponimus & comparamus: & ideò, tametſi Sacramenra, ſumma ſint Chriſtianæ Religionis miſteria, & Grammaticæ tricæ, infima humanæ mentis lumina, ut claritati & facilitati conſulamus, his illa audemus explicare.

Cur adsũpſerim Fũdamenta Grammatica?

Hæc præmittere volui ut præoccuparem objectionem, quam jam ſubaudivi aliquando. Clariora aſſerta præmittunt Scholaſtici, ut obſcura dilucident: & quia Grammatica videntur clariſſima, illis utor, ut exponam Theologica, quæ ſunt ab omni ſenſu & ratione naturali ſejuncta.

ARTI

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

De Grammaticâ Sacramentali.

MMCMV.

Singula Sacramenta, ſunt miracula plena miraculis.

SACRAMENTA novæ Legis, Sunt eximia Omnipotentiæ Dei prodigia, & antequam illa conſideremus, placet ad Deum eorumdem Cauſam convertere oculos, & de illo nonnulla præmittere, intra terminos tamen Grammaticæ. Sed quid dicam? Omnia, quæ de Sacramentorum formis, & multa, quæ de materiis tradi poſſunt, & ſuis locis à nobis ſunt dilucidanda, ad Grammaticam pertinent Sacramentalem, ſed ediſſerentur ſuis in locis, ne perturbetur Ordo doctrinæ, quem elegi. Interim generales aliquas notitias præmiſſurus, ne, vel me novis laboribus implicem, vel te pluribus onerem, dabo Orationem à me ante annos multos habitam in Gymnaſio Grammaticæ: iuſſus enim de Deo eloqui, intra Grammaticæ limites continui calamum & dixi Sic.

Nulla eſt ſcientia à cuius fundamentis non poſſint cætera dilucidari.

GRammaticus & de Grammaticâ diſputaturus, cathedram Magiſterialem ſcando, & cùm pueris & iuvenibus me dicturum putabam; Senatum video, doctrinâ eximium, & multâ ætate venerabilem. Hæreo omninò, & quâ de re coram ſummis Theologis debeam eloqui, tametſi inveſtigo, non capio. Sed cur ultra crepidam Sutor, & ultra pallium Sartor? vos mihi poteſtis condeſcendere, ego concurrere vobiſcum nequeo. Ergo patienter ſuſtinete, ſi infra doctrinam veſtram peroravero, ſiquidem ſupra omnem expectationem me veſtrâ præſentiâ honoratis. Agam igitur de re Grammaticâ, & vobis relinquam Theologicas ſpeculationes. Sed non Irruit in me neſcio quis ſublimior ſpiritus, & ut percipio, iam ego theologicè audeo.

Magnetis vis.

An non vidiſtis ferrum mole iacêre ſuâ, inanimum immotumque? quod tamen, ubi Magnetis præſentiam miraculoſam ſapuit, ſe ſubrigit, & oculatior lynce polum reſpicit? Id nunc experior. Nihil inertius, moleſtius, ponderoſius Grammatico. Ego quidem, quia Grammaticus eram, cæcus eram, & pondere ignorantiæ reptabam: &, ſi more Hiſpano, *ferro & errori* idem nomen conveniat, ferrum eram, quoniam errorum labyrinthus, plenus tenebris & ignorantiis; at ubi adfuiſtis vos, virtutem Magneticam ſapui. Me eſtis hodie ſummo honore dignati; & Ego tanto favore allectus magneticâ virtute trahor. Mihi eſtis Magnetes ſelectiſſimi, Ego acus nautica, quæ veſtrâ præſentiâ animata, iam vivo, iam commoveor, iam circumſpicio omnia, iam verum punctum veritatis attingo. Audebo igitur; & veſtrâ præſentiâ elevatus potius quàm elatus, Deum mihi Grammaticè exponendum aſſumo.

Quales ſint Grammatici?

Yerro apud Hiſpanos ſignificat errore & ferrum.

Cur Acus Nautica Polum reſpiciat?

MMCMVI.

Orthographia Divina.

Quatuor formalitates, ex quibus noſtro intelligendi modo componitur Deus.

QVi DEVS Latine dicitur, Græcè dicitur Θεὸς, Hebraicè IEOVA: Syriacè *Morio*, & Chaldaicè *Maria*.

Res mira! Dei nomina in diverſis linguis omnia ſunt voces tetragrammatæ! In Linguis omnibus Dei proprium & ſubſtantiale nomen, quaternis ſcribitur literis. Sed cur? Quia Deus conſtituitur componitur formalitatibus: nimirùm Purè activâ, purè Paſſivâ, aliâ quæ ſit utrumque, aliâ quæ neutrum. Purè activa nominatur Paternitas; Purè paſſiva ſpiratio paſſiva; formalitas paſſiva & activa Filiatio eſt, quæ realiter ab Spiratione activâ non diſtinguitur, & tandem formalitas, quæ neutrum eſt, hoc eſt, nec activa nec paſſiva, nominatur Divinitas. Hanc veritatem, quæ Catholica & Orthodoxa eſt, cùm reſpectaret Abaylardus, Patrem *Omnipotentem* dixit, Filium *ſemipotentem*, & Spiritumſanctum *Nullipotentem*: Patrem videlicet Omnipotentem, quia generat producitque: Filium ſemipotentem, quia producit, non tamen generat: & Spiritum Sanctum Nullipotentem, quia neutrum facit. Peſſimè loquitur; quia voces à communi acceptione dependent, & omnium judicio *Omnipotentia* non Divinas proceſſiones, ſed creationem & creaturas concernit. Non enim Pater æternus dicitur *omnipotens*, quia Verbum generat, & Spiritum-Sanctum producit; ſed quia Mundum fecit ex nihilo, & poteſt infinitos producere; & in hoc identicè omnes tres perſonæ conveniunt: *quoniam omnipotens Pater, omnipotens Filius, & omnipotens Spiritus Sanctus: non tamen tres omnipotentes, ſed unus omnipotens.*

Purè activa, purè paſſiva? Utrumque: Neutrum.

Petrus Abaylardus optimè ſenſit, & peſſimè loquitur.

Quid ſit Omnipotentia?

Eſt tanta Orthographiæ habenda cura, ut eius in Religionem peccet aliquando neglectus, & multæ controverſiæ Eccleſiam & Rempublicam turbent, quæ conſiſtunt in unâ vel alterâ literâ: ὁμὸς eſt *idem*; ὅμοιος, ſeu ὁμοῖος *ſimilis*: unde Verbum Æternum Orthodoxi dicebant eſſe ὁμοούσιον, *coeſſentiale Patri, habens eandem eſſentiam, quam pater;* quod negabant Arriani, aſſerentes illud eſſe ὁμοιούσιον, hoc eſt, *habere eſſentiam ſimilem*. Ecce ſola Syllaba οι, Orthodoxos ab Hæreticis ſeparat: illis ſublata Cælos aperit: hos addita in infernum præcipitat. Propter illam unicam Syllabam plura Epiſcopi celebrarunt Concilia: & ſæpe militem conſcripſerunt & in campum duxerunt Principes, eandemque immenſis humani ſanguinis oceanis commacularunt. Non ergo eſt negligenda labii puritas, cùm ex unicâ Syllabâ abſurda tam magna aboriantur.

Quanta ſit habenda cura Orthographiæ?

De controverſiâ Catholicorum cum Arrianis.

ὁμός. ὅμοιος. ὁμοούσιος. ὁμοιούσιος.

Quanta ab unica Syllaba poſitione exoriantur?

Prætereà, Quæſtio illa, quam contra Beatæ Virginis gloriam Neſtoriani excitarunt, in unico ſolo conſiſtebat accentu. *An videlicet Virgo Maria* Θεότοκος, *an* Θεοτόκος *nominari deberet?* Quoniam Θεότοκος, ſi acuitur antepenultima, ſonat *à Deo natum*, & hoc epitheton naturaliter univerſis hominibus; & ſupernaturaliter omnibus juſtis convenit: Θεοτόκος autem, quia penultima acuitur, ſonat *Dei genitricem*. Et cur? Reſpondeat

MMCMVII.

De controverſiâ Catholicorum cum Neſtorianis.

Compoſita, ſi verbum in fine dictionis ſonatur, ut activè ſumantur acuunt penultimã: ut autem ſumantur paſſivè antepenultimam.

Theodorus Gaza, qui in Introductione Grammaticâ, editâ Baſileæ anno 1545. lib. 3. pag. 278. ſic inquit. [Καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ κτείνω σύνθετα παθητικὰ: ξιφόκτονος, λυκόκτονος, ἐνεργητικὰ δὲ παροξύνεται, ξιφοκτόνος, λυκοκτόνος ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ τρέφω, λαότροφος μὲν, λαοτρόφος δὲ παροξυτόνως. Præterea, quæ à κτείνω, occîdo, *compoſita paſſiva*, ut ξιφόκτονος, enſe occiſus, λυκόκτονος, à lupo occiſus. *(acuunt antepenultimam) activa autem acuunt penultimam*, ut ξιφοκτόνος, qui enſe occîdit, λυκοκτόνος, qui lupum occîdit. *Ad hunc etiam modum, & quæ à τρέφω*, nutrio, *ut* λαότροφος, à populo nutritus, *nam* λαοτρόφος, populum nutriens (*profertur*) *penacutè*.] Ergo Θεοτόκος, ſi antepenultimam acuat, paſſivè ſumitur, & ſignificat *partum à Deo*: ſi autem acuat penultimam, ſumi activè debebit, ut ſit *pariens Deum*.

Quanto ab unico accentu dependeant? Triũviratus quid ſit?

Cùm autem Neſtoriani duas in Chriſto perſonas ponerent, humanam & divinam, morali ſtrictæ amicitiæ vinculo copulatas, (ſicut enim Triumviratus tres viros realiter diſtinctos includit, & ex illis unum hominem myſticum & moralem componit: ſic in Chriſto Duumperſonatum conſtituebant, qui unam perſonam myſticam & moralem componeret; videlicet, *Semideumque Virum, ſemivirumque Deum*) id circo conſequenter

An Chriſtus duas perſonas includat?

dicebant Virginem hominis, non autem Dei fuiſſe matrem; & ideò illam θεοτόκον nominabant; at eſſe θεοτόκον negabant. Et, qui hiſtoriam Eccleſiaſticã legeris, & quanta à Neſtorianis Orbis Chriſtianus paſſus fuerit, recogites, ſcies omnia illa, quãta ſunt, ab unius apicis, ab unius accentûs ſolâ trãſpoſitione dimanaſſe. Et hac doctrinâ præventus, interrogas, *An Sacramentorum, de quibus diſſerimus valor, ab unius, aut alterius literæ mutatione dependeat?*

An Lingua Latina in calamo, an in ore habeat differentes dialectos?

Vt reſpondeam, agam de Euchariſtiâ in particulari; & ante reſponſionem monebo linguam Latinam hodie, tametſi ab omnibus eodem modo ſcribatur, aliter ab Hiſpanis, & aliter à Germanis, & aliter ab Italis, Gallis, Anglis, & aliis proferri; unde, quæ in calamo eſt eadem, in ore ſuas dialectos habet.

Quid Seſeare, & quid ceceare ſit ...

Aliqui in Hiſpaniâ populi proferunt *s* pro *ç* aut *z*, & *Seſeare* dicuntur: alii contrà *ç* aut *z* proferunt pro *s*, & hi *ceceant*. Omnes pro *m* proferunt *n* in fine: & *d* pro *t*. Aliquibus (ſed hoc vitio accenſetur) eſt difficilis *c* finalis prolatio, & dicunt *ke*. Sæpe pro *x* ponunt *s*: quia, cùm ſint aſſueti pronunciationi ſuaviſſimæ, duras literas efferre neſciunt. Et quid, ſi aliquis in Hiſpaniâ Parrochus non bene inſtructus male literas proferat, & dicturus,

... vocum ſignificatio, manebit Sacramentalis forma valor.

Hic eſt enim calix ſanguinis mei, ſuo vitio aut mori indulgens dicat, *Hike ez enim calix zanguinez mei*, &c? An validè conſecravit? an peccabit mortaliter Circa valorem annotato, nullam mutationem obeſſe Sacramenti valori, quæ ſignificationem, non deſtruat. Audi Sotum *diſt. 1. quaſt. 1. art. 8. in fin.* cujus verba *aurea* vocat Leander *part. 1. tract. 7. diſp. 9. q. 19. pag. 145. b.* inquit enim [ſunt autem pejores, quàm ſcrupuloſi & moroſi, qui putant, ſi pro *meum*, finali *m*, dicant *meun* per *n*, non conſecrare. Eſt enim derridẽdus ſcrupulus. Hiſpani enim ægrè proferimus *n* in fine. Imò, ſi pro *eſt*, velocitate linguæ dicatur *es*, nullus exſurgere debet ſcrupulus: quoniam *t* poſt *s*

Et hoc, etſi integra mutetur Syllaba.

in fine, difficilè enim Hiſpani proferunt: ex accommodatione etiam uſûs, ſervatur legitimus ſenſus, ſicut in balbutientibus:] Non ſolum una litera ſed una interdum Syllaba ſine jacturâ ſenſûs mutari poteſt. Gabriel *lect. 38. in Canon. circ. fin. fol. 67. liter.* O. [Aut ſubtrahitur aliqua Syllaba per ſyncopam, vel omittitur aliqua, ut dicendo, *Hoc eſt corpus me*, vel *Hoc eſt corpus meun*, quia per talem ſubtractionem non impeditur ſenſus, quin audiens capiat verum ſenſum ſermonis

An balbutientes poſſint adminiſtrare Sacramenta?

prolati; nec variatur forma; & fit conſecratio. [Conſonant Fagundez *prac. 3. lib. 2. c. 6. num. 31.* Henriquez *lib. 1. cap. 9. n. 8.* Diana *part. 2. tract. 17. reſol. 14.* & oppoſitum non eſt probabile. Et huc reduci poteſt forma illa baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine Patrias, & Filias, & Spiritus-ſancta*: quam, ſi ex imperitiâ, & non ex malâ ſit intentione prolata, eſſe validam Alexander III. *cap. ſiquis puerum* & Zacharias Papa. *cap. retulerunt. de conſecr.* declararunt. Quam ob rem balbutientes & blæſi, ſicut alios contractus inire, ſic poſſunt Sacramenta adminiſtrare. Ita Henriquez *lib. 1. cap. 9. num. 6.* & *lib. 2. cap. 9. num. 3.* Sotus *diſt. 1. quaſt. 1 art. 8.* & *diſt. 3. art. 5.* Sayrus *libr. 1. cap. 4. art. 4. & 5.*

Latinæ Sacramentorũ formæ proferri poſſunt licitè eo modo, quo à doctis proferuntur, in quacumque provincia.

Hæc valorem concernunt; videamus modò, An hæ mutationes poſſint fieri licitè. Illas mortalis culpæ accuſat Fagundez *præc. 3. lib. 2. cap. 6. num. 18.* venialis autem Pitigianus *in 4. diſtinct. 3. quaſt. 2. art. 4.* Diana *part. 5. tract. 41. reſol. 78.* Leander *part. 2. tract. 7 diſp. 9. quaſt. 20. pag. 146. a.* Sotus tamen nullum in huiuſmodi mutationibus peccatum reperit, & rationem aſſignat, *Quia Deus non eſt iſtarum minutiarum obſervator*. Sed hæc ratio non ſtat; quia minutiſſima opera, ſi bona ſint, obſervat, & coronat Deus: ergo, ſi mala, obſervabit, & puniet: unde ſcitè D. Ioanna de la Cerda, iam Carmelita excalceata, & vocata Tereſia de Spiritu Sancto, exclamabat, *Nella bilancia di Dio*

De Iudicio Divino.

ſi peſano i capelli, hoc eſt, *In Divina Iuſtitiæ librâ etiam capilli ponderantur*. Vide P. Eugenij de S. Ioſepho *lib. 11. de eius vitâ. cap. 5. pag. 101.* Ego tamen ſic rem intelligo. Hiſpanus, Italus, & quicumque alius, qui ſic formas Sacramentorum profert, ſicut in ſuâ patriâ, aut in quâcumque aliâ viri docti proferunt linguam Latinam, nullum peccatum committit: quia, ut dicebamus, Lingua hodie Latina habet in Europâ dialectos: nam vocem *ſigno* v. g. aliter Italus, & aliter Hiſpanus pronunciat: & finales, quas durè & obſcurè Germanus, alij leniter & clarè proferunt. Cæterùm, ſi aliquis ex induſtriâ ita verba formarum proferat, ſicut nullibi viri docti proferunt, male profectò proferet, & tametſi verba ſignificationem retineant, & Sacramentum ſit validum, ipſe peccabit venialiter.

DE DECLINATIONIBUS.

An teſtis declinari

Solemus declinare ſcopulos; & res, quas odio habemus, & ſumus pernicioſas experti. Cur igitur declinamus Deum? Poëta quidem junior.

Digitized by Google

O quanta eſt veterum dementia Grammaticorum
Qui declinandum propoſuère Deum!

MMCMVIII. *An Poëtæ ſint Grammatici?*

Invehitur contra Grammaticos, ac ſi Poëtæ non eſſent Grammatici, ut reliqui. Ago Grammaticè, peregrinas ſignificationes omitto, ad rem venio. *Declinatio*, ſi ſignificationi veræ intra terminos noſtræ facultatis ſtemus, *eſt variatio per caſus & numeros:* Deus igitur indeclinabilis eſt, quia cùm ſit unicus, numero caret: & cùm immutabilis ſit, caſui non ſubeſt. Ipſe igitur coram quo omne genu flectitur, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, deberet declinari ut *Genu*, quia nullo modo deberet declinari.

An in Deo ſint caſus? & quales?

Sic putaret Grammaticus Theologicarum rerum inſcius, at Theologus in Deo cognoſcit variationem & caſum; non intrinſecè, ſed extrinſecè, & connotativè. Deus, quà Deus ſolo Nominativo & vocativo gaudet, & in iſtis caſibus nullam variationem admittit, vocari enim & nominari idem eſt. At Deus Genitivus, Dativus, Accuſativus, Ablativus, homines reſpicit, & hæ denominationes in ipſis ſuos caſus & occaſus habent. Produxit nos Deus ex nihilo, & ſuâ nos gratiâ donat, & duplici nomine *Genitivus* vocatur, quod non ignorarunt omninò Ethnici, qui altaria *IOVI GENITIVO* erexunt.

Deus Genitivus.
MMCMIX. *An genuerit homines?*

Et quidem, tametſi omnes creaturas Deus produxit, ob ſpecialem rationem homines dicitur generare: Iuvat hiſtoria, quam *in Apophthegm.* Plutarchus & alij recenſent.

Alexandri modeſtia.

[Ingreſſus enim Alexander Iovis Ammonis templum, cùm *Iovis filius* à Sacrificulo nuncuparetur: reſpondit. *Nihil profectò mirum; nam Iuppiter omnium quidem naturâ pater eſt: ſed ex his optimos quoſque peculiariter ſuos facit.* Modeſtiſſimè Oraculum interpretatus eſt: nam per adulationem eum eſſe Iovis filium aſſerebat Sacerdos, innuens ſic eum è Iove natum, ſicut Hercules: ſed Alexander ſe ab adulatione ſubtraxit, falſus Iovem, Naturæ Authorem, omnium hominum parentem eſſe: ſed eos demum ſpeciali amore proſequi, & pro filiis agnoſcere, qui virtutibus & præclarè geſtis proximè ad Divinam perfectionem accederent.]

Hercules Iovis filius. Quos Deus peculiariter diligat?

Firmat hoc Virgilius, apud quem Iuppiter

Et Pater eſt hominum, Divumque æterna Poteſtas.

An ſit hominum Pater?

Quam ſententiam ab Ethniciſmo emaculatam *Actor.* 17.28. reponit Apoſtolus dicens. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν· ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ Θεοῦ, οὐκ ὀφείλομεν, &c. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus: ſicut & quidam eorum* (qui) *apud vos Poetarum dixerunt.* Ipſius enim & genus ſumus. *Genus ergo ſubſiſtentes Dei, non debemus,* &c.

An Deus dicatur à dando?

Vnde, quando mentis oculos ad Deum ſubrigimus, *præceptis ſalutaribus moniti, & Divinâ inſtitutione formati audemus dicere*, Pater noſter, *&c.* Dat nobis aſſiduos in hac vita favores, & hos eò dirigit, ut vitam in Cœlo concedat, & ideò *Deus* à dando dicitur, niſi enim *Dativus* eſſet, Deus non eſſet.

Deus Dativus,

Eſt Iudex vivorum & mortuorum, & ideò *Accuſativus* dicitur: quoniam in ejus tribunali ſapientia Infinita judicat, & accuſat. Dicitur præterea *Ablativus*, quia ſicut bonos à periculis eripit, ſic etiam improbos & impœnitentes, qui in ſuis peccatis pereunt, ſupernaturalibus donis ſpoliat, & rogis æternis addicit.

Accuſativus, Ablativus?

MMCMX. *De declinatione nominis Agnus in quâ multi errant.*

Hinc patet, quî debeat declinari nomen *Agnus*, in cujus variatione multi errant; quia volunt videri ſapientiores Patribus & Eccleſiâ. Duas hoc nomen ſignificationes habet; nam vel fœtum ovis ſignificat, vel Chriſtum; primâ acceptione declinatur ut *Dominus*, ſecundâ ut *Deus*; & ideò cùm fœtum ovis notat, habet in vocativo *Agne*, cùm Chriſtum *Agnus*: nam in eodem caſu *Dominus* habet *Domine*; & *Deus* non habet *Dee*; ſed *Deus*. Hinc iam Sacerdotem intelligo; ait in ſacro, *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, miſerere nobis.* Et peccaret in Divinam Grammaticam, mutaretque ſignificationem vocabuli, ſi diceret, *Agne Dei, qui tollis peccata Mundi, miſerere nobis.*

Duas habet ſignificationes, & aliter in unâ, & aliter in alterâ declinatur.

An, & quando in Vocativo habeat Agne?

Nec mirabitur, qui me videat de Nominis divini declinatione diſputare, cùm ſciamus & ipſos Ethnicos in divinorum Nominum declinatione diſſentire. Vt alia omittam, nomen *Iuppiter* in medium pono. Sed qualem Genitivum habet? *Huius Iuppitris* dixêre veteres; ſed corriguntur à Priſciano, qui *Iuppiter, Iuppiteris* cum incremento variari vult, ut *Celer, Celeris*, & tamen Iuniores iam dicimus *Iuppiter, Iovis.* Interim Lovanij Mercerus, Doctor eloquens, ſequebatur Priſcianum, & ſe nolle dicebat, propter unum ſceleratum hominem in Grammaticâ Regulas generales mutare.

Quod declinetur modo nomen Iuppiter?

MMCMXI. *Quid ſit Conjugatio?*

INflexio Verbi quæ per modos, tempora, & perſonas decurrit, *Conjugatio* vocatur: &, ſi volumus divinitùs agere, omnia Verba cùm dicuntur de Deo, tempore carent. Gregorius *cap.* 11. *Libri* 23. *Moralium*, dilucidat illud Hemiſtichium, *Semel loquitur Deus*, & ſic ait, *Liquet omnibus, quia Deo nec præteritum congruit nec futurum. Tanto ergo in eo, quodlibet tempus ponitur liberè, quanto nullum verè.* Conſonat S. Gregorio Nazianzeno Orat. 42. dicenti. *Deus ſemper erat, & eſt, & erit: vel (ut rectius loquar) ſemper eſt. Nam erat & erit, huius noſtri temporis fluxaque & caduca natura ſegmenta ſunt. Ille autem ſemper eſt, atque modo ſeipſum nominat, quum in monte Moiſi oraculum edit. Vniverſum enim eſſe in ſeipſo complectitur, quod nec principium habuit, nec finem habiturus eſt, quaſi pelagus quoddam eſſentiæ immenſum & interminatum, omnem tum temporis tum naturæ cogitationem ſuperans*, &c.

An Deus ſit in tempore?

Deus eſt velut infinitus Oceanus.

Aperiant igitur oculos Grammatici, quibus non pauci adhæreſcunt Theologi, qui mirabili hodie, ſed valde communi errore, Deo tempus æternum ſucceſſiuum adfingunt, nec volunt intelligere verba Boëtij dicentis, *Æternitatem, omnium rerum ſimultaneam & perfectam, poſſeſſionem eſſe.*

Quid ſit Æternitas?

Deus non moritur, moriuntur homines; & ideò tametſi verbum *Morior*, non habeat locum in Divinis, debet à Morali Theogo

Cur verbum Morior, non varietur, ut Orior?

conſiderari. Porro non variatur ut *Orior*; &, ſi Cauſam reſcire habeas, reſpondet Auguſtinus *lib.3. de Civit. Dei.* [Non importunè; neque incongruè arbitror dicere, etſi non humanâ induſtriâ, indicio fortaſſe divino, ut hoc verbum quod eſt *Moritur*, in Latinâ linguâ nec Grammatici declinare potuerint eâ regulâ, quâ cætera talia declinantur. Namque ab eo, quod eſt *Oritur*, fit verbum præteriti temporis *Ortus eſt*: & ſiqua ſimilia ſunt, quæ per præteriti temporis participia declinantur: ab eo verò quod eſt *Moritur*, ſi quæramus præteriti temporis verbum, reſponderi ſolet, *Mortuus eſt*, literâ *u* geminata. Sic enim dicitur *Mortuus*, quomodo *Fatuus*, *Arduus*, *Conſpicuus*, & ſiqua ſimilia, quæ non ſunt præteriti temporis, ſed quoniam nomina ſunt, ſine tempore declinantur. Illud verò quaſi declinetur, quod declinari non poteſt, poteſt, pro participio præteriti temporis ponitur nomen. Convenienter ergo factum eſt, ut quemadmodum id quod ſignificat, non poteſt agendo, ita ipſum verbum non poſſet loquendo declinari.

An vox Mortuus nō ſit participium, ſed nomen.

MMCMXII. *An in Divinis ſit generum & ſexuum diſtinctio? An mulier ſit homo imperfectus?*

DE Deo dicimus nomina abſtracta (*Divinitas*, *Deitas*, *Aſeitas* &c.) quæ ſunt multa, & omnia fœminina: dicitur nomen *Deus* maſculinum, & *Numen* neutrum. Sed cur tanta varietas generum? Reſpondebo, inter Ethnicorum errores ineptiorem non poſſe reperiri illo, qui ſexum diſtinguit, in Diis. Nam, ſi fœmina, eſt homo imperfectus, aſſerente Ariſtotele, Deæ erunt Dii imperfecti; & quia Divinitas eſt imperfectionum incapax, non poterit in Deabus reperiri Divinitas: &, quæ Divinitate carent, non ſunt Deæ. Sanè, ſi Philoſophus novam inſtitueret Grammaticam, in ſolo neutro Genere *Numen* diceret: at quia uti oportuit antiquâ & communi, ut Quæſtionem decidam, me juvabit Hieronymus. Ipſe enim *in cap.40.* Iſaiæ, inquirit, Cur Spiritus-Sanctus in tribus Mundi linguis principalioribus (Latinâ, Græcâ, Hebræâ) voce trigenere denominetur? A Latinis vocatur *Spiritus*, in gen. maſc. ab Hebræis רוח *Ruah*, in gen. fœmin. à Græcis Πνεῦμα in gen. neut. Dicit igitur: *Hebræi appellari genere fœminino aſſerunt (nec de hac re apud illos ulla dubitatio eſt) Spiritum Sanctum in linguâ ſuâ*, quod firmat verbis Pſalmi CII. nimirum, ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ; in quo loco *Animam interpretantur ancillam; & Dominam, Spiritum-Sanctum.* Addit Latinum uti nomine maſculino, Græcum neutro. Et Si inquiras, Cur ſic nominetur? Sanctus Doctor reſpondet. *Deus in tribus principalibus linguis, quibus titulus Dominicæ Crucis ſcriptus eſt, paſſim tribus generibus appellatur, ut ſciamus nullius eſſe generis.*

Cuius generis ſit Deus.

Cur in diverſis linguis habeat nomina generum diverſorum?

MMCMXIII. *De ſubſtantivo & Adjectivo. Nomina ſubſtantiva interdum à Theologis*

STando rigori Grammatico non dicimus nec dicere poſſumus, *tres in increatis eſſe Deos*, Sed *eſſe tres Perſonas divinas*; nam *Divinitas* ſubſtantivè ſumpta *Deus* eſt, & unicus, & iuxta Chriſtianam Grammaticam plurali carens. At *Divinitas*, aut potiùs *Deus*, ſi ſumatur adiectivè ſeu perſonaliter *Divinus* eſt, & dicitur de tribus Perſonis.

ſumuntur adiectivè.

Sicut Divinitas eſt communis omnibus tribus Perſonis, ſic duabus eſt activa Spiratio. Non ſunt tres Dij in Divinis, & tamen dantur tres divinæ Perſonæ; & pariformiter, non ſunt duo ſpiratores, & tamen duæ ſunt ſpirantes Perſonæ.

Sunt tres Divinæ Perſonæ, non tres Dij ſunt duæ Perſonæ ſpirantes, non tamen duo ſpiratores.

Hinc eſt Theologum magnâ circumſpectione indigere, ne dum Grammaticæ Priſciani nimis ſuperſtitioſè inſiſtit Gramaticæ Theologicæ eſſe ignarus dicatur. Nonnulla occurrunt in Patribus & priſci ævi Doctoribus, quæ ad limam & cenſuram Priſciani ſuſtineri non poſſent, quæ tamen ſtando Theologico Lexico ſunt vera. Nonnulla addo.

An Theologus poſſit ſemper Grāmatica rigorem ſervare?

Vox *Spiritus Sanctus*, ſi ſummatur propriè & perſonaliter, & per modum unius dictionis, ſignificat, tertiam perſonam Trinitatis: ſi ſumatur adiectivè, & per modum duarum dictionum, ſingulis Perſonis eſt communis. Auguſtinus *tom.3. lib.15. de Trinit. cap. 11. à medio*, & *lib.15. cap.19. circa fin.* audiri poterit, nam loquitur appoſitiſſimè: inquit enim, *Quia Spiritus Sanctus communis eſt ambobus* (Patri & Filio) id *vocatur ipſe propriè, quod ambo communiter: nam & Pater eſt ſpiritus, & Filius eſt ſpiritus: & Pater eſt ſanctus, & Filius eſt ſanctus.* Et hoc teſtimonium dilucidat D. Thomas 1. *part. quæſt. 36. art. 1. in corp.*

Significatio communis perſonaliſque.

An Spiritus-Sanctus ſit nomen commune?

Vox eadem *Spiritus-Sanctus* Grammaticè ſumpta eſt abſoluta, & tamen Theologicè ſumpta eſt relativa. D. Thomas articulo citato, ſic inquit: [Licèt hoc quod dico *Spiritus-Sanctus* relativè non dicatur, tamen pro relativo ponitur, in quantum eſt accommodatum ad ſignificandam perſonam ſolâ relatione ab aliis diſtinctam.]

Abſolutumne ſit, an relativum?

Vox eadem *Spiritus* ſumitur activè & paſſivè: & hoc Theologicè: Pater enim eſt ſpiritus, hoc eſt ſpirans: & Filius eodem modo: & Spiritus-Sanctus eſt ſpiritus, hoc eſt, ſpiratus: iuxta D. Thomam ibidem.

Sumitur Activè & Paſſivè.

Vox Paracletus ſumitur eſſentialiter, & perſonaliter.

Eadem varietas in voce *Paracletus* invenitur. ſumitur enim eſſentialiter & perſonaliter: abſolutè & relativè. Primo ſenſu eſt communis, & omnibus perſonis convenit: ſecundo eſt perſonalis, & ſoli competit Spiritui-Sancto.

Paracletus. *An omnes tres perſonæ ſint paracleta?*

MMCMXIV. *Author Auctor*, *Spirator*, nomina ſubſtantiva ſunt apud Grammaticos, ſed adiectiva apud Theologos: & hoc radio lucem habent verba D. Hilarij, qui *lib.1. de Trinitate non longè à fine*, ſic inquit. *Spiritus-Sanctus à Patre & Filio authoribus confitendus eſt.* Eodem illa, quæ teſte D. Thoma 1. *part. quæſt. 36. art. 4. in 7.* multorum ſunt: videlicet, *Pater & Filius ſunt duo ſpiratores.* Pro quorum intelligentiâ adnotato, quod Pater & Filius, non ſunt duo, ſed unicum principium Spiritûs-Sancti: ut docti ab Auguſtino *lib. 14. de Trin.* tenent omnes Theologi. Et dicito, quod illa nomina *Spirator*, *Author* ſumi poſſunt adiectivè & ſubſtantivè: ſi ſumantur ſubſtantivè falſa eſt illa Poſitio, *Pater & Filius ſunt duo Spiratores aut Authores*: cæterùm, ſi adiectivè, ſumantur, erit vera, quoniam Pater & Filius, tametſi unicum Principium ſint, nihilominùs ſunt duæ perſonæ per unam & eamdem voluntatem ſpirantes;

Subſtantiva & adiectiva.

An Pater & Filius ſint Authores Spiritus Sancti?

An ſint duo ſpiratores?

Eadem vox ſubſtantivè, & adiectivè ſumi.

Digitized by Google

rantes ; hoc eſt, producentes, & ſpirantes.

Παράκλητος. Conſolator.

Et hinc iterum ad vocem *Paracletus* redeo: quæ ſubſtantivè & adiectivè ſumi poteſt: eſt enim idem ac *Conſolator*: & apud Philonem, Gregorium, Damaſcenum, & alios invenitur,

Subſtantia in Divinis Perſonis non multiplicatur: nam eſt unica in omnibus.

ſi ſubſtantivè ſumatur, non eſt perſonæ tertiæ propria, ſed omnibus tribus communis, & tunc non multiplicatur in perſonis, quia ſicut *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus-Sanctus: & tamen non tres Omnipotentes, ſed unus Omnipotens*: ita etiam *Conſolator Pater, Conſolator Filius, & Conſolator Spiritus Sanctus: & tamen non tres Conſolatores, ſed unus Conſolator tantummodò*,

Proprietates & attributa Divina adiectivè ſumpta in Perſonis multiplicantur.

ſi ſumatur adjectivè eſt communis omnibus tribus perſonis, & in ipſis multiplicatur, *nam paracleta eſt perſona Patris, paracleta eſt perſona Filij, & paracleta eſt perſona Spiritûs-Sancti: & ideò ſunt tres perſonæ paracletæ.* Porrò Spiritum-Sanctum eſſe παράκλητον, *conſolatorem* ſcitur ab univerſis: & conſtat clarè ex verbis Chriſti dicentis.

Ioann. 14. 26.

ὁ δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα, τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα.

Spiritus-Sanctus eſt Paracletus.

At Paracletus Spiritus-Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ipſe docebit vos omnia, &c. Et quia Articulos non poteſt Latina lingua exprimere, eadem verba in Hiſpanâ reponam. *Pero el Conſolador, el Eſpiritu, el ſanto, el que imbiará el Padre en el nombre de mi, eſſe os enſeñará todas las coſas.*

Chriſtus eſt Paracletus. Ioann. 14. 16.

Præterea Verbum Æternum eſſe παράκλητον, & in ratione Parakleti alium ab Spiritu-Sancto, conſtat ex verbis, quæ paulò antè dixerat Dominus Noſter Ieſus-Chriſtus. Illa propono. Ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ μεθ᾽ ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας.

Filius eſt alius Paracletus ab Spiritu-Sancto, nempe alia Perſona conſolatrix.

Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in Æternum, ſpiritum Veritatis, &c. Notari jubet illud *alium* Bernardus; & infert, non fuiſſe dicturum Chriſtum, quòd Spiritus Sanctus erat *alius paracletus*, niſi & ipſe etiam eſſet *paracletus*, conſolator. Tandem Pater Æternus eſt παράκλητος: nam Corinthios alloquitur Paulus his verbis.

2. Corinth. 1. 3.
Pater Æternus eſt Paracletus.

Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν, καὶ Θεὸς πάσης παρακλήσεως, ὁ παρακαλῶν ἡμᾶς ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν, εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς παρακαλεῖν τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει, διὰ τῆς παρακλήσεως, ἧς παρακαλούμεθα αὐτοὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. Vulgatus *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſus Chriſti,*

Deus nos facit paracletos, ut & nos alios reddamus paracletos.

Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtrâ; ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui ſunt in omni preſſurâ per exhortationem, quâ exhortamur & ipſi à Deo. Et ad literam. *Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu-Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius paracleſeos: paracletizans nos in omni tribulatione noſtrâ: ad poſſe nos paracletizare eos, qui in omni preſſurâ, per paracleſim quâ paracletizamur ipſi à Deo.* Ecce omnes tres

Quo ſenſu eſſe paracletum ſit proprium Spiritus-Sancti?

perſonæ Divinæ ſunt Paracletæ: & ſunt tres Paracletæ; & nobis communicant paracleſim, ut ſimus & nos paracleti, & poſſimus alios reddere paracletos. Ergo hæc vox ut Spiritûs-Sancti ſit propria, ſumi debet perſonaliter & notionaliter.

MMCMXV. An ſemper Veteres fuerint rigoroſè loquuti?

Hæc dicta ſint, ut Veteres intelligamus; non autem, ut loquamur nos: ſumus enim in eruditiſſimo ſæculo: & quia jam omnia clariùs noſcimus, caſtè, hoc eſt, caſtigatè, debemus & loqui & ſcribere. Dixerint Veteres;

An loqui poſſimus ut illi?

Patrem eſſe cauſam Filij: Patrem & Spiritum-Sanctum duos eſſe ſpiratores: Perſonas differre ſubſtantiâ: Verbum ſumpſiſſe hominem; Gratiam eſſe naturalem, &c. nos dicemus, *Patrem eſſe principium Filij: Patrem & Filium duas eſſe Perſonas ſpirantes: Perſonas differre ſubſiſtentiâ: Verbum ſumpſiſſe humanitatem: Gratiam eſſe realem*: &c. Addemus primò. Veteres benè ſenſiſſe, tametſi aliter loquuti ſunt; habuerunt enim

Religio Catholica immutabilis eſt.

illam ipſam ſententiam, quam nos: Dogmata enim in Catholicâ Religione non mutantur. Addemus ſecundò, illos non fuiſſe malè loquutos, quia verborum defectu multa debuerunt dicere, quæ nos poſſumus exprimere aliter: (1) quia olim vox *cauſa*, & præcipuè apud Græcos latiùs patuit, quàm nunc. (2) quia nomen *ſpirator* ſumebant adjectivè, aut etiam participialiter, quo ſenſu dicitur in Evangelio,

Quid vox Spirator?

οἴδαμεν δὲ ὅτι ἁμαρτωλῶν ὁ Θεὸς οὐκ ἀκούει, *ſcimus, quia peccatores Deus non audit.*

Ioann. 9. 31.

Quæ verba non opponuntur Eccleſiæ inclamanti, *Peccatores; te rogamus, audi nos*, quoniam Evangelicus cæcus vocem ἁμαρτωλὸς, *peccator* ſumpſit participialiter, ut *peccantem*, videlicet, *eum qui in actuali peccato eſt*, ſignificet. Eccleſia verò ſubſtantivè, ut *eum, qui peccavit, & tamen reſipiſcit*, indigitet.

Quid vox Peccator?
An Eccleſia Evangelio opponatur?

(3) quia non conveniebant olim Scholaſtici in ſignificatione vocis *ſubſtantia*, multi enim illâ volebant intelligi *hypoſtaſim* & *ſubſiſtantiam*, unde aliqui loquebantur Catholicè & ſentiebant Hæreticè: & aliqui loquebantur Hæreticè & ſentiebant Catholicè,

Quid vox Cauſa ſignificet?
Quid vox ſubſtantia importet?

(4) quia interdum vocem *Homo* ſumebant pro abſtracto, ut eſſet idem ac *Humanitas*, unde Ambroſius & Auguſtinus in Hymno. *Tu ad liberandum, ſuſcepturus hominem* (humanitatem) *non horruiſti Virginis uterum.* Et hic obiter ſcias Ioannem Martinez, Doctorem & Cathedraticum S. Theologiæ, Compluti dictaſſe ſuis diſcipulis, *Verbum ſumpſiſſe hominem*, & Univerſitatem Concluſionem correxiſſe, & ſubſtituiſſe, *Verbum ſumpſiſſe humanitatem*: quod enim Ambroſio & Auguſtino olim licuit, nobis hodie non licet: tunc enim parum nota erat Abſtracti à Concreto diſtinctio, quæ tamen hoc oculatiſſimo ſæculo univerſis eſt nota,

Quid vox Homo?
An Verbum ſumpſerit hominem?

(5) quia φυσικὸς opponitur, vel voci ἠθικὸς, vel voci ὑπερφυσικὸς. Porrò vox *naturalis*, ſi *ſupernaturali* opponatur, non convenit Divinæ Gratiæ; eſt enim qualitas ſupernaturalis: at verò eadem vox, ſi opponatur *morali*, eſt idem ac *realis*, & tunc Gratiæ Divinæ convenit, quæ non eſt tantùm extrinſeca denominatio, aut moralitas ex Chriſti perfectione deſumpta, ut Hæretici ſtatuunt, ſed eſt qualitas realis, realiter animæ inhærens, ut Synodus Tridentina definiit. Et hoc ſenſu loquutus eſt Paulus, cùm dixit. ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς

Quid ſignificent voces φυσικὸς, & naturalis?
An Gratia homini ſit naturalis? An ſit entitas realis?
Ad Coloſſenſ. 2. 9.

Digitized by Google

An,& Quomodo Divinitas in Chriſto corporaliter ſit?

τῆς θεότητος σωματικῶς. *In ipſo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Hoc eſt, *realiter*: vel, ut aliqui ex Plutarcho exponunt, *more eorum, quæ corpora ſunt.* Ac ſi diceret. *Deus non eſt corporeus: eſt tamen in Chriſto Divinitas tam verè & realiter, quàm forma vera & reales in corporibus ſunt: nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.*

DE SYLLABARVM QVANTITATE.

MMCMXVI. *Multa interdum ab uno apice pendent.*

SI Proſodia ad Theologiam non pertinet, (quod multi affirmant hodie; qui ſupervacanea judicant, quæcumque adquiruntur labore) nec ad eandem pertinet diſcernere inter Catholicum & Hæreticum dogma. Vel ſi aliter ſentias accede. Duas poſitiones propono.

Sola interdum Syllabæ quantitas ſignificationem vocum mutat, & orthodoxã poſitionem in hæreticã vertit.

> *Gnatus idem eſt cum Patre æterno, non tamen idem.*
>
> *Gnatus idem Patri eſt, ac eſt ipſiſſimus idem.*

Duæ ſunt, & interrogo, An æquipollentes, an contradictoriæ, an diſparatæ potiùs ſint? An utraque orthodoxa? An utraque hæretica? An altera tantùm: & utra? Nullo ille modo poterit reſpondere, qui ſyllabarum quantitatem ignoret: nam *īdem*, primâ longâ, maſculini generis eſt *idem* verò primâ brevi, neutrîus. Virgilius Æneid.4.

An Idem primã corripiat? an producat?

> *Idem ambas ferro dolor, & eadem hora tuliſſet.*

Iuvenalis:

Quid importet, ſi corripiatur, aut producatur?

> *Si feciſſet idem caderet ſub Iudice morum.*

Ergo conſideratâ ſyllabarum quantite, ſic poſſunt illæ poſitiones exponi.

MMCMXVII. *Quomodo Vnus, & Vnum differant inter ſe?*

> *Porro unum Gnatus cum Patre eſt, non tamen unus.*
>
> *Eſt unum Gnatus, Patri eſt ipſiſſimus unus.*

E quibus prior eſt Catholica, & complectitur hæreſim Sabellianam poſterior: Oramus enim Spiritum-Sanctum, ut nos docuit Ambroſius

Perſonæ Divinæ ſunt unum, non una.

> *Nunc Sancte nobis Spiritus,*
> *Vnum Patri cum Filio,*
> *Dignare promptus ingeri*
> *Noſtro refuſus pectori.*

Vnum quidem Patri & Filio & Spiritus-Sanctus, non tamen unus: *idem* (hoc eſt, eadem ſubſtantialia) utrique eſt, non tamen *īdem* (hoc eſt, eadem perſona.) Nam primo in loco *idem* corripit primam ſyllabam, in ſecundo producit.

ARTICVLVS II.

De Matheſi Sacramentali. De Formæ & ſubjecti: necnon Agentis & Paſſi proportione.

MMCMXVIII. *An ſit neceſſaria Geometria?*

EX Grammaticâ per Matheſim ad Philoſophiam jubebat, ut videmus, Plato Philomuſos tranſire; nec putabat capacem, ut in Phyſicis eſſet diſcipulus, qui Mathemata doctus non eſſet. Profectò in Theologiâ multæ occurrunt Quæſtiones, in quibus de Proportione diſſeritur; in quibus Scriptores, Arithmeticæ & Geometriæ ignari cœcis oculis præcipitantur. Illa, quæ interrogat, *An Deus ab hominibus videri poteſt? An etiam à vivente ſenſibili?* duas partes continet: Et ad priorem aſſertivè reſpondemus Catholici, nam Beati in cœlo vident Deum, ut eſt in ſe. Ad poſteriorem, tametſi non concernat Fidem, fere omnes Doctores negativè reſpondent: &, ſi reſcire ab illis velis, Cur illud aſſerant, & iſtud negent, dicunt, Leonem, Equum, aut etiam Hominem corporeis oculis Deum videre non poſſe quoniam inter viſivam aut aliam quamcumque materialem potentiam, & Eſſentiam Divinam, quæ eſt infinita, nulla datur proportio. Si autem Armeni, qui D. Gregorio libr.8. *Moral. cap.18. & 39.* aſſerente negabant Deum ab Humano aut Angelico intellectu videri poſſe, contra argumentemur, dicantque, inter humanum intellectum & Deum ullam proportionẽ inveniri non poſſe, nam ille finitus, hic autem infinitus eſt: reſpondent, inter intellectum humanum & Deum non dari proportionem Arithmeticam, vi cujus eſſe æquales dicantur: at dari Geometricam, quæ inter inæquales invenitur: & in hac reſponſione, Arithmeticæ & Geometriæ abuti nominibus manifeſtè teſtantur.

De cognoſcibilitate Dei.

An inter Deum & creaturas detur proportio?

Armenorũ error.

Di proportione Arithmeticã & Geometricã.

Sanè hanc reſponſionem inefficacem eſſe, cognoſcunt bene aliqui Recentiores, qui illâ noluerunt uti: nam P. Amicus *tom. 1. diſp.9.ſect.3.* proportionem conſiderat, illamque non in Arithmeticam & Geometricam, ſed in eam, quæ Potentiarum, & eam, quæ Eſſentiarum eſt, dividit. Supponit tanquam certum inter Potentiam perceptivam & objectum perceptum proportionem requiri: nam *ſect.5. pag.81. à num. 123.* ſic ait. [Potentia cognitiva debet habere formalem proportionem cum actu cognitionis; eoque mediante cum objecto cognoſcibili, in eodem genere proximo vitæ. Implicat autem formalem proportionem à Deo extrinſecè ſuppleri re ipsâ immutatâ, nam proportio formalis, non diſtinguitur à re ipsâ, &c.] Et poſt pauca. [Imago non confert ſuum effectum formalem repræſentandi imaginatum, niſi ſubjecto idoneo & proportionato: ut patet de viſione, quæ poſita in lapide non faceret lapidem videntem; nullâ aliâ ratione, niſi quia lapis non eſt ſubjectum proportionatum in genere vitæ cum ipsâ viſione. Sicut nec auditio poſita in oculo redderet oculum audientem, quia oculus non eſt proportionatum ſubjectum in eodem genere pro-ximo

MMCMXIX. In Eſſentialem & Potentialem Proportionis diviſio.

Inter Potentiam actũque debet eſſe proportio.

Quando, & cur Imago rem imaginatam non repræſentet? An lapis, ſi haberet viſionem, videret? An oculus, ſi haberet auditionem, audiret?

Digitized by Google

ximo vitæ auditivæ cum ipſâ auditione. Sed Deus non poteſt repræſentari niſi per intellectionem, quæ eſt actus vitæ intellectricis. Ergo non poteſt effectum ſuum formalem repræſentandi Deum ut objectum intelligibile conferre potentiæ corporeæ, quia hoc non eſt in eodem genere vitæ intellectivæ cum ipſâ intellectione, &c.]

Quomodo Deus repræſentetur?

MMCMXX. Ex his Amicus colligit, potentiam implicare corpoream, quæ elevetur ad videndum Deum. Audiunt attentè Armeni, & hanc eandem doctrinam adſumunt, ut ſuum errorem ſtabiliant; inquiuntque. [Ex Amici ſententiâ & fundamentis ſequi, intellectum creatum elevari non poſſe ad videndum Deum propter improportionem: nam plus diſtat à Deo intellectus creatus, quàm potentia viſiva ab Angelo, aut à quocumque objecto ſpirituali creato.] Et ad hanc Armenorum inſtantiam *ibid. num.* 130. reſpondet Amicus his verbis. [Nego ſequelam. Ad probationem dico intellectum creatum plus diſtare à Deo actu puro, in ratione entis, & perfectionis eſſentialis, non in ratione potentiæ & objecti ſeu cognoſcentis & cognoſcibilis. Nam Deus ſub ratione cognoſcibilis aliquo modo continetur intra Spheram intellectus creati, cùm poſſit ipſum ſaltem abſtractivè cognoſcere: ſubſtantia ſpiritualis nullo pacto continetur intra Sphæram potentiæ corporeæ. Vnde nullo modo, neque intuitivè, neque abſtractivè poteſt illam cognoſcere. Porrò inter potentiam, & objectum non tam eſt attendenda proportio commenſurationis habitudinis ad terminum, quæ poteſt eſſe maior etiam inter entitates, quæ magis inter ſe diſtant in ratione entis, ut ſic. Ratio: hæc proportio non fundatur immediate in ipſâ entitate, ut ſic, ſed in certo quodam genere & gradu entis vitalis. Non repugnat autem, ut inter duas entitates plus diſtantes in ratione entis, ſit maior proportio in certo gradu vitæ, quàm ſit inter duas alias entitates magis convenientes in ratione entis, ut ſic.]

An inter Deum & intellectum creatum detur proportio?

N. B. *Amicus in hac reſponſione petit principium, & idem per idem reſolvis.*

Proportio commenſurationis. De Proportionis fundamento.

Vt rem intelligas, *Primo* Quantitatem à ſubſtantiâ diſtingue: diſtingue, inquam, realiter, aut formaliter: nam in eodem Entis genere, imò etiam in eâdem ſpecie (ut multis placet) poteſt Æqualitas & Inæqualitas inveniri; & per conſequens, poteſt reperiri proportio. Quoniam ſub *Animalis* genere ſunt diverſa Animalia, (Equi, Leones, Aquilæ, &c.) quæ inæqualem habere perfectionem cenſentur. Et ſub *Hominis* ſpecie, v. gr. Eſt differentia ſexuum, quæ inæqualitatem importare videtur: unde Oviedus & alij inter Marem & Fœminam conſtituunt differentiam ſpecificam inadæquatam. & ſunt etiam differentiæ individuales, quæ *Eccestates* dicuntur, & Pariſienſium opinione inæqualem perfectionem important.

An Quantitas ab Entitate diſtinguatur? An ſemper realiter?

An mas & fœmina diſtinguantur ſpecie?

An Eccestates ſint inæqualis perfectionis?

Secundò diſtingue à Naturâ Eſſentiam: Eſſentia enim dicitur ab eſſendo, Natura verò ab operando. Audire proderit D. Auguſtinum Redingum, Benedictinum Theologum, Virum certè doctiſſimum, qui *in part.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 2. *controv.* 2. *pag.* 54. *b.* Sic ait. [Differentia inter *Eſſentiam*, & *Naturam* in eo ponenda eſt, quod Eſſentia teſte Auguſtino 12. *de Ciuit. c.* 2. dicatur *ab eſſendo*, & ut ſic abſtrahat ab operatione, vel ejus principio, quæ formaliter importatur in Naturâ. Vnde S. Thomas 1. *part. quæſt.* 39. *a.* 2. *ad* 3. ait: *Natura deſignat principium actûs: Eſſentia ab eſſendo dicitur*, Quo ſenſu Diuus etiam Bonauentura *in* 3. *diſt.* 5. *a.* 2. *quæſt.* 1. *in fin.* inquit. *Eſſentiam conſiſtere, in quâdam abſtractione, nimirùm ab operatione, ſeu principio operandi, at naturam eſſe principium naturalium operationum*, adſtipulante Ariſtot. 2. *Phyſ. tex.* 3. & 5. *Metaph.* c. 4. nec non Ioanne Damaſceno *in ſuâ Philoſophiâ c.* 4.]

An Eſſentia & Natura diſtinguantur?

Eſſentia dicitur ab eſſendo: Natura verò ab operando.

MMCMXXI. Petis, Cur *Eſſentiam* ab eſſendo, & *Naturam* ab operando dici, aſſerant ſcriptores allati? Reſpondeo Etymon non bene percipi in linguâ Latinâ: tametſi enim *Eſſentiam* ab eſſendo dici univerſi percipiant; cur *Natura* ab operando dici poſſit, non ſtatim apparet.

Deciſionem Lingua Græca confirmat.

Reſpondeo hanc derivationem clariùs in linguâ Græcâ, quâ uſus fuit Ariſtoteles, conſpici: *Eſſentia* enim vocatur οὐσία, & Natura φύσις. Et ſicut verbum εἶναι, *eſſe*, habet Participium fœmininum οὖσα, *illa quæ eſt*, unde oritur οὐσία. *Eſſentia*: ſic verbum φύω, habet in futuro φύσω, & in præterito πέφυκα. Et à futuro illo φύσω vox φύσις, quæ eſt *Natura* deducitur quo nomine *Virtus operativa* intelligitur, unde apud Ariſtotelem, γάλακτος φύσις, *lactis vis*. πρὸς φύσις, *ignis, vis*. Et ſimilia leguntur.

οὐσία, & φύσις. φύω.

Hac doctrinâ præmiſſâ aſſero eſſe triplicem Proportionem. Eſſentiam, Naturalem, & Quantitativam. *Eſſentialem* appello, quæ inter Eſſentias reperitur: puta inter Intellectum rationalem, & Angelicum, nam uterque eſt ſpiritualis. Voco autem *Naturalem*, quæ inter Naturas, ſeu Principia operandi invenitur: puta inter intellectum & viſum (potentiam viſivam) nam uterque eſt potentia perceptiva, & virtus intentionaliter operandi. Et tandem *Quantitativam* dico, quæ inter Quantitates ſeu Magnitudines verſatur: puta inter duas lineas, duas ſuperficies, duo ſolida: immò inter duarum qualitatum intenſiones: aut etiam inter gradus perfectionum; quas duæ continent ſubſtantiales aut accidentales entitates.

Proportionis diviſio, & explicatio.

Proportio Eſſentialis.

Proportio Naturalis.

Proportio Quantitativa.

Vt has Proportiones dilucidem, addam pauculas conſiderationes. Vtor bilance, cupreâ, & explorare volo, quantum argentea hæc pelvis ponderet. Sunt mihi ferrea pondera (Hiſpan. *ſon de yerro las peſſas.*) Et tamen utendo illis, pelvis gravitatem cognoſcam. At aufers ferrea, & cuprea porrigis. An uti cupreis potero? In ipſis Eſſentiam à Quantitate diſtinguam: non eſt neceſſaria inter duas vel plures Vncias eſſentiæ aut naturæ proportio, ſed tamen neceſſaria eſt ponderis æqualitas: unde, ſi cuprea eiuſdem ſit ponderis ac ferrea, loco ferreæ ſervire poterit. Sicut metalla, etſi eſſentiâ, naturâ, immò etiam magnitudine differant, poſſunt in pondere, aut in aliâ re convenire, ſic Leo & Angelus ex. gr. tametſi eſſentiâ diverſiſſimi ſint, poterunt Analogiam in naturâ ſervare. *Leo eſt ſubſtantia materialis, ſubſiſtentiâ materiali ſubſtructa; quæ eſt*

Inter duas uncias, aut duas libras quæ æqualitas requiratur?

Proportio & Analogia inter Leonem & Angelum.

radicaliter obiectorum perceptiva: & habet materiales potentias, quæ actus producunt materiales. Inter Leonem & Angelum eſt certiſſima naturarum proportio; ſingulis enim realitatibus & formalitatibus materialibus, quæ inveniuntur in Leone, reſpondent aliæ in Angelo, Analogæ: partim ſimiles, & partim diverſæ: diverſæ ſanè, ſi eſſentias illorum conſiderem; nam Leo totaliter corporeus eſt, & Angelus totaliter ſpiritualis. ſimillimæ autem, ſi ad naturas convertam oculos, nam in virtute; potentiis & actibus ſunt Analogi. Quoniam *Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis, ſubſiſtentiâ ſpirituali ſubſtructa: quæ eſt radicaliter obiectorum perceptiva; & habet ſpirituales potentias, quæ producunt actus ſpirituales.* Ergo inter Radicem & Radicem, ſubſiſtentiam & ſubſiſtentiam, Potentiam & Potentiam ab ſpiritualitate & corporeitate præſcindendo, debet inveniri proportio: hoc eſt, ſimilitudo: quæ, ſi adæquata ſit, erit identitas quædam formalis.

Res Analogæ partim ſimiles, & partim diſſimiles ſunt.

Quid ſit Angelus.

MMCMXXII. *De infuſione Animæ rationalis.*

Hinc quæris primò, *An materia ſeminis in utero accidentibus materialibus & corporeis ita diſponi poſſit, ut Author naturæ teneatur infundere Animam Rationalem?*

Fundamentum Grammaticum.

Vt reſpondeam, præmittam aliquam doctrinam manifeſtam & notam: aptiora enim exempla ſunt, quæ notiora cenſentur. Attende: ſic enim diſcurro. [Duo ſunt characterum præcipua genera in linguâ Latinâ: aliæ enim ſunt minores, maiores aliæ, quæ vulgò capitales vocantur. Sum Typographus: & in meâ Officina nolo habere *aa* (Hiſpanicè *aes*) in Abecedario literarum minorum. Nec cauſam roges: ſum enim dominus, & *ſtat pro ratione voluntas.* Volo librum à me compoſitum typis mandare: incipio, & in ipſo nomen *Ferdinandus* occurrit. Quo illud typus exprimet modo, ſiquidem non habet *a* parvum? An illam vocalem omittet, & dicet *Ferdin*ndus*? minimè, nam cæteræ literæ poſtulant, ut ubi ponitur *, ponatur *a*. Ergo, ſiquidem non habeo in typo *a* parvum, & tamen A majuſculum habeo, alteri Analogum, illo utar, & illud nomen exprimam Scribendo *FerdinAndus*. Porrò illi concomitantes characteres, videlicet *Ferdin*ndus*, ut loco ſtellulæ ponatur *a* exiguus non autem ut ponatur magnus A. At hæc ipſa exigentia ex hypotheſi, quod *a* parvus non detur, magnum concernit: nam aliter nomen illud incompletum maneret, & non ſatisfieret exigentiæ, ſed potiùs ei fieret violentia; nam violentiam patitur appetitus, quando, quod requirit, negatur.] His præmiſſis ad Quæſtionem redeamus, & explicemus modum, quo corporea accidentia & diſpoſitiones materiales in embryone poſtulant, ut infundatur Anima immaterialis. Lege attentè ſequentia. [Duo ſunt Entium Syſtemata: quorum aliud Corporeas, & aliud ſpirituales continet Entitates. Materiæ primæ correſpondet quædam Potentia ſpiritualis Analoga: quam eſſe poſſibilem docuit olim Avicebron teſte D. Thomâ *de Ente & eſſent. cap. 5.* eandem ſententiam habuit poſtea Bonaventura *in 2. diſt. 3. art. 1. quæſt. 1. & 2.* Richardus *ibid. art. 1. quæſt. 2.* Aureolus *quæſt. 1. art. 3.* Alenſis *2. part. quæſt. 20. membr. 2. art. 2.* In eam inclinat Ruvius *quæſt. 1. art. 3.* affirmans neutram partem eſſe per ſe notam: ſed oppoſitam judicat probabiliorem. Et veniens ad materiales Formas, fortè illæ non ſunt plures: ſiquis enim irrationales animantes ſolis accidentibus characteriſticis diſtingui diceret, manifeſtè à nemine refelleretur. Interim, quia hoc noſtra non intereſt impræſentiarùm, Formas corporeas plures, & in ſingulis animalium ſpeciebus diverſas eſſe concedamus. Et addamus eſſe ſingulis formas Analogas in Syſtemate ſpirituali. Ergo ſicut Deus poteſt innumerabiles concedere Animalium Irrationalium ſpecies, etiam Rationalium poterit condere innumerabiles: nec enim maiorem difficultatem in uno reperio, quàm altero: nam argumenta, quæ videantur ſuadere poſſe quidem Rationalia Animalia figurâ, magnitudine, & aliis accidentibus diſtingui; non autem eſſentiâ & naturâ ita differre poſſe, ut multiplicentur ſpecie: id ipſum de Irrationalibus, ſi mutatâ materiâ obtorqueantur, probabunt. Singulæ ſubſtantiales formæ habent proprias diſpoſitiones à quibus juxta Naturæ decurſum exigantur. Ergo diſpoſitiones, quæ in embryone ſunt, quando ad ultimam perfectionem perveniunt, ſunt enim materiales ipſæ, non niſi talem materialem Animam poſtulabunt. &, ſi hæc infunderetur, exigentiæ diſpoſitionum ſatisfieret, & prodiret unum Animal irrationale. Hæc Anima materialis, quam illæ corporeæ diſpoſitiones exigunt, vocetur *a parvus*, ut ab aliis formis diſtinguatur. At Deus, Naturæ Author & Rector, decrevit nunquam producere formam *a*; & decrevit etiam conſervare naturæ curſum, formas ad exigentiam diſpoſitionum producendo. Quid ergo fiet? Formæ ſpirituales ſunt corporeis Analogæ adeóque ſicut formis materialibus *m*, *n*, *o*, &c. correſpondent formæ ſpirituales M, N. O. &c. Sic formæ *a* materiali correſpondebit A forma ſpiritualis. Ergo, quia materia prima informis manere non poteſt; & quia forma *a* materialis, quam Deus decrevit non producere, materiam illam informare non debet; & quia exigentiæ diſpoſitioni ſatisfieri debet; Creetur & infundatur forma A (anima rationalis) ipſi formæ *a* analoga, & ipsâ nobilior: ut materiam excellentiori modo informet, & conſtituat compoſitum, quod ſit Animal rationale.]

Quando in uno genere aliquis character deficit ſumi ſolet ex alio.

Parallelum Philoſophicum.

Entium ſyſtemata.

An ſubſtantia ſpiritualis ex actu & potentiâ componatur?

An animantes ſubſtantiali ſpecie diſtinguantur? An per ſolas formas characteriſticas differant?

An Deus alios homines poſſit producere, qui à nobis diſtinguantur ſpecie?

Diſpoſitiones in embryone poſtulant talem animam materialem & irrationalem.

Decrevit Deus nunquam producere formam illam materialem quam embryo in utero mulieris requirit.

Animam rationalem analogam illi producit.

Sicut inter formas ſubſtantiales (Materiales, & Spirituales) datur analogia & proportio: ita etiam inter potentias & habitus. Et hac proportione præmiſsâ, ſic diſcurro.

MMCMXXIII. *Qualis eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, ſi daretur?*

Si daretur Supernaturalis ſubſtantia, eſſet operativa realiter & intentionaliter. Ergo haberet potentias operativas; videlicet, reales & intentionales. Conſultò *ſi daretur* dixi: non enim illam quæſtionem volo ingredi, quæ inquirit, *An poſſibilis ſit ſupernaturalis ſubſtantia?* nam ſufficit mihi hæc duo ſupernaturalium Potentiarum genera eſſe poſſibilia. Ergo, ſicut Materiæ primæ loco formæ materialis *a*, infunditur forma ſpiritualis A: ſic Animæ rationali, quæ radicaliter eſt operativa,

An ſupernaturales qualitates ſubiectis naturalibus in eſſe poſſint?

operativa intentionaliter, loco intellectûs naturalis infundi poteſt intellectus ſupernaturalis, & Aquæ baptiſmali, quæ etiam radicaliter eſt operativa realiter, loco potentiæ naturalis productivæ infundi poteſt potentia aut virtus ſupernaturalis.

An & quomodo Materia prima elevata operetur?

Ergo, ſicut Materia prima, quæ per formam materialem, non niſi materialiter operaretur, per Animæ rationalis receptionem elevatur, ut ad actiones ſpirituales ſuo modo & capacitate concurrat: ſic rationalis Anima, quæ per intellectum naturalem, non

An & quomodo Anima elevata operetur?

niſi naturalater operaretur, intellctûs ſupernaturalis (Fidei, Luminis gloriæ, &c.) receptione elevatur, ut ad intellectiones ſupernatnrales ſuo modo concurrat: Ergo ſic ſimi-

An & quomodo Aqua?

militer etiam Aqua, quæ per frigiditatem & humectatem, quæ ſunt ejus naturales potentiæ, frigefaciendo, & humectando, non niſi naturaliter & materialiter operaretur, virtutis (potentiæ) ſupernaturalis receptione elevatur, ut ſupernaturaliter operetur, Gratiamque ſupernaturalem in Animâ baptizati producat. Hanc interim elevationem ita aquæ concedo, ut in ipsâ nihil aliud, quàm denominatio quædam extrinſeca ſit: & quia virtutes & elevationes conſtituuntur in formis; nos, agendo de Sacramentis, illas conſtituemus in verbis.

MMCMXXIV.

Hinc tranſeo ad Quæſtionem, quæ interrogat, *An Deus corporeis oculis videri poſſit?*

An Auguſtinus ſenſerit Deum corporeis oculis videri poſſe? An eſſe videndum de facto?

Noſter eruditiſſimus Dominus Auguſtinus Redingus *tom. 1. Theol. quæſt. 4. controv. 1. pag. 99. b.* ſic inquit. [Videtur S. Auguſtinus 22. *de Civit. Dei, cap.* 26. eius fuiſſe opinionis, quaſi beatorum oculi eſſent elevandi ad viſionem incorporalium. Ex quo facilis traheretur conſequentia ad probandum poſſe ſenſum corporalem à Divinâ potentiâ extra (*ego dicerem* ſupra) ſenſibilia & corporalia extrahi, atque adeo ad ipſum Deum videndum elevari, &c.] Sed conatur *ex eiuſdem lib. 22. capite* 29. Sanctum Patrem ad communem ſententiam reducere: at etiam ibi

An S. Pater præconceptam retinuerit ſententiam? an verò fuerit dubius, & varius?

Auguſtinus videtur priori ſententiæ inhærere, inquit enim. *Valde credibile eſt, ſic nos eſſe viſuros mundana tunc corpora, ut Deum præſentem & univerſa gubernantem per corpora, quæ geſtamus, clariſſimâ perſpicacitate videamus.* Recognovit hæc verba P. Franciſcus Amicus, *tom. 1. diſp. 9. ſect. 5. pag.* 80. *b.* & poſteà *pag* 82. *a. num.* 132. non dicit Auguſtinum negare Deum videri oculis corporeis, ſed ait [Ad confirmationem reſpondetur ibi Auguſtinum loqui tantùm diſputativè: ex quo ad ſummum colligitur (*& multum colligitur, ſi hoc colligitur*) in eâ re fuiſſe dubium. Cæterùm idem Auguſtinus 1. *de Trinit. cap. ultim.* expreſſe docet eſſentiam Dei eſſe ipſis oculis corporeis inviſibilem: ſic enim ſcribit: *Illa viſio Dei, quâ contemplabimur incommutabilem, atque humanis oculis inviſibilem Dei ſubſtantiam.*] Sed neque hic locus eſt clarus, potuit enim hìc loqui Auguſtinus de oculis non elevatis, & ſic priorem adhuc retinere ſententiam. Ergo fuiſſe Auguſtinum dubium, aut diverſis temporibus diverſas habuiſſe ſententias non oſtendit Amicus.

Quàm ſit certum oculis corporeis Deum videri non poſſe?

Et quid dicemus nos? D. Redingus paginâ ſequenti concludit eſſe de fide Deum, ſecundum legem ſaltem ordinariam eſſe inviſibilem oculis corporalibus & pro hac ſententia Suarium *lib. 2. de attrib Dei, cap. 6. n.* 4. & Franciſcum de Lugo *diſp. 1. de Deo uno. cap. 1. n.* 6. producit.

MMCMXXV.

Antropomorphitarũ, & Mahometanorum error.

Videretur mihi hanc Quæſtionem debere neceſſariò agitari inter illos, qui aut Deum corporeum eſſe dicunt, aut quomodo fiat viſio in oculis neſciunt. Olim Antropomorphitæ Deum corporeum eſſe, & figuram humanæ ſimilem habere delirarunt, & conſequenter eum eſſe viſibilem aſſeverabant.

Infinitum habere figuram non poteſt.

Illorum errorem, tametſi Philoſophiæ naturali contrarium [Quoniam infinitum caret termino: & corpus, ſi infinitum eſſet, non haberet figuram: nullâ enim ſuperficie clauderetur.] amplexus eſt Mahometus, qui in ſuo Alcorano Deum & Angelos oculis corporeis ſe ſæpe vidiſſe mentitur. Deus ergo videri non poteſt ab oculis non elevatis. *An poterit ab elevatis?* Iam dixi: qui ſciunt, quomodo viſio fiat, in hac materiâ dubitare non poſſunt.

Quomodò res videantur?

Porrò, ideò objectum perſpicitur, quia ipſum per radios immiſſos in fundo oculi ſuos colores depingit. Et hæc pictura eſt illa ipſa imago, quæ videtur; & in illâ, & per illam ipſummet objectum inſpicitur.

An objecta ipſa, an verò illorum imagines tãtùm videamus?

Si dicas hinc ſequi, nos non videre objecta, ſed tantummodo illorum imagines, negabo conſequentiam: nam hæc imago, cùm ſit omninò ſimilis ſuo objecto, intentionaliter eſt ipſum objectum; quia nihil habet diſſimilitudinis, ac propterea nihil habet, in quo diſtinguatur ab objecto.

An objectũ & imago ſint idẽ intẽtionaliter?

MMCMXXVI.

Fides, ſpes, Charitas, & Lumen gloria, tametſi vocentur Habitus, ſũt potentia & cur?

Confirmatur hæc doctrina: nam, ut conſtat ex dictis, Fides, Spes, & Charitas, & etiam Lumen gloriæ, tametſi impropriè nominentur habitus, ſunt potentiæ reverà, nam dant Animæ ſimpliciter poſſe; & ideò, nec debent, nec poſſunt in intellectu, & voluntate, ſed in ipsâmet Animâ quà intellectivâ & volitivâ collocari. Ergo à fortiori Fides, aut lumen Gloriæ, non poterit in oculis, aut in potentiâ viſivâ, ſed in Animâ collocari immediatè debebit.

De elevatione Animæ materialis.

Ergo hinc nova naſcitur Difficultas, videlicet, *An irrationalis Anima, quæ purè materialis eſt, poſſit elevari divinitus, non ſolùm ad intelligendum & eliciendum actus ſpirituales: ſed etiam ad eliciendum ſupernaturales, & ad videndum Deum.*

Non vult Author ſuã ſententiam exponere.

Hanc Ego controverſiam impræſentiarùm non reſolvam: ſed tamen proponam aliorum Doctorum opiniones, & interrogabo, quæ ab aliis reſolvi deſidero.

An Analogia & Proportio poſtulet, ut ſicut de Rationali Animâ, ſic etiam de Senſitivâ diſcurramus?

Reſpondent negativè S. Thomas, Cajetanus, Bañes, Nazarius, Gonet, Suarez, & Franciſcus de Lugo à D. Redingo *ubi ſupr.* citati. Eis ipſe adhæret, & ſic pronunciat. *Non eſt poſſibile per Dei potentiam abſolutam, ſenſum aliquem elevatione Dei ultra corporalia extendi ad videndum Deum.* Et quid, ſi aliquis diceret hanc Concluſionem eſſe ſimilem huic. *Non eſt poſſibile per Dei potentiam abſolutam, intellectum aliquem (humanum, vel Angelicum, nam uterque naturalis eſt) elevatione Dei (virtute ſupernaturali elevatum) ultra naturalia extendi,*

ad videndum Deum? At hæc eſt falſa: ergo & illa, ex quâ ſequitur.

MMCMXXVII. *P. Mutij Vitelleſchi, Societatis Ieſu Præpoſiti Generalis contra elevationem Animæ irrationalis Cenſura.*

Pro aſſerente ſententiâ citari ſolent Gregorius de Valentiâ *tom.* 1. *diſp.* 1. *quæſt.* 12. *punct.* 8. *in fin.* Arriaga *diſp.* 6. *ſect.* 5. Salas *in* 1. 2. *tract.* 2. *diſp.* 5. *num.* 5. & alij. Et contra eorum ſententiam ita fuit affectus Mutius Vitelleſchus, ut per Romanos Societatis Cenſores hoc Decretum ſeu Iudicium ediderit.

Hæ Propoſitiones deprimentes elevationem Gratiæ Divinæ & Gloriæ beatificæ ad bruta animantia, exponunt Chriſtianam ſpem ſummi Boni, Æternæque Beatitudinis ludibrio; atheis præſertim hominibus; & cum per ſe abſonum ſit amicitiam & adoptionem, quâ filij Dei nominamur & ſumus, Paradiſumque, quo Beati fruuntur, poſſe eſſe boum & aſinorum, ſi Deus illos elevet, ſicut elevat Beatos, cenſemus Propoſitiones illas cum ſtomacho reiiciendas, à noſtris Scholis, cujuſcumque demum Authoris ſint.

An, & quando pro Omnipotentiâ ſtandum ſit?

Pulchrè quidem & bene, ſi quæ dicit, demonſtraviſſet Vitelleſchus. Et quidem, quando agitur de Omnipotentiâ cum ſtomacho reiici ſolent opiniones, quæ limites & terminos Divinæ virtuti præſcribunt: nam eſt in poſſeſſione Omnipotentia, & impotentia non debet ante claram probationem admitti. Ego aliam ſimilem Cenſuram Vitelleſcho proponerem, & exſpectarem, ut ad eam reſponderet. Quid, ſi aliquis ſtatueret ſic?

An Cœlum, ſi peccatores admittat in ergaſtulum ſceleratorũ convertatur?

Hæ Propoſitiones deprimentes Iuſtitiam Divinam utpote Gratiam & Gloriam ad adulteros, qualis fuit David, latrones, qualis fuit Dimas; Eccleſiæ perſequutores, qualis fuit Paulus: infideles, qualis fuit Petrus; &c. exponunt Chriſtianam ſpem ſummi Boni æternæque Beatitudinis, & Virtutum exercitium ludibrio, atheis præſertim hominibus; cùm per ſe abſonum ſit amicitiam & adoptionem, quâ filij Dei nominamur & ſumus, Paradiſumque quo Beati fruuntur, poſſe eſſe adulterorum, latronum, inimicorum, infidelium, & ſceleratorum, ſi Deus illos convertat & elevet, ſicut elevat Beatos, Cenſemus ergo Propoſitiones illas cum ſtomacho reiiciendas à noſtris Scholis, cujuſcumque demum Authoris ſint.

Quomodo cœlum peccatoribus pateat?

Quomodo illud hi Authores ſubſtantiis ſenſitivis aperiant?

Et tu Amice Lector de hac ultimâ Cenſurâ quid dicis? Non eſſe abſonum, ut adulteris, latronibus, inimicis, infidelibus, & ſceleratis pateat æterna Beatitudo, ſi ipſi priùs per pœnitentiam fuerint juſtificati, & per juſtitiam ſe capaces Gloriæ æternæ reddiderint. Ergo & patere, ut Valentia, Arriaga, Salas, & alij reſpondeant, eſſe quidem abſonum, ut brutis æternæ Gloriæ conferatur felicitas, quamdiu ratione careant: at non videri abſonum, ſi priùs intellectu donentur, & poſteà intellectualium creaturarum juribus permittantur frui. Et quidem non repugnare intellectum ſpiritualem Animæ materiali videtur conſtare ex Revelatione S. Brigittæ: quærenti enim cur Deus negaverit rationem brutis, non reſpondetur, illam negatam fuiſſe, quia erat impoſſibile, ut eam ipſa reciperent, ſed quia ad utilitatem hominis expediebat, ut bruta ratione carerent.

S. Brigittæ revelatio.

MMCMXXVIII. Neutrius Opinionis, jam dixi, patronus, aut adverſarius eſſe volo: interim dialecticari lubet: & ſiquidem hi gradus vivendi poni poſſunt, *Vita realis, vita vegetativa, Vita ſenſitiva, Vita rationalis, & Vita ſupernaturalis*: ſcire vellem, An non bene ratiocinaretur, qui diceret.

Gradus vivendi.

Anima ſpiritualis, tametſi naturalis, & non ſupernaturalis ſubſtantia ſit per ſupernaturales qualitates elevata elicit actus ſupernaturales.

Anima humana poteſt elevari.

Ergo Anima ſenſitiva, tametſi materialis, & non ſpiritualis ſubſtantia ſit, per ſpirituales qualitates elevata eliciet actus ſpirituales. Hanc Conſequentiam admittit Magiſter & Iudex S. Brigittæ, interrogatus enim, *Cur Animantes non habeant intellectum rationalem ſicut homo?* non reſpondet, *Quia repugnat*, hæc enim fuiſſet reſponſio, ſi interrogatus fuiſſet, *Cur non habeat quatuor unitates Ternarius?* aut *Cur in Ellipſi lineæ à centro ad circumferentiam ductæ non ſint æquales?* ſed reſpondet, *Omnia, quæcumque creata ſunt, ad utilitatem hominis ſunt; aut ad neceſſitatem eius, & ſuſtentationem; aut ad informationem, & correptionem; aut ad conſolationem, & humiliationem, ſi ergo bruta haberent intellectum ſicut homo, eſſent utique homini in tribulationem: & potiùs nocerent, quàm prodeſſent. Ideò, ut omnia ſubiecta ſint homini, propter quem omnia facta ſunt, & ut omnia ipſum timeant, ipſe verò neminem niſi me Deum ſuum, propterea animalibus non eſt datus rationalis intellectus.* Ergo potuit dari. Ergo, ſi datus fuiſſet, elevaretur per illum materialis anima ut intelligeret immaterialiter: &, ſi ſemel ſpiritualiter ratiocinaretur, cur non iterum elevari poſſet, ut ſupernaturaliter operaretur?

An etiam ſenſitiva?

Cur intellectu careant amantes?

An illum habere potuerint?

Cur Deus creaverit Mundum, & cæterat

An materialis anima, ſi priùs ſpiritualiter elevaretur, poſſit poſteà elevari ſupernaturaliter?

Ergo Anima vegetativa, quæ eſſe forma intrinſeca à Peripateticis dicitur, tametſi non ſit ſenſitiva, per ſenſitivas qualitates & organa proportionata, &c. elevata eliciet actus ſenſitivos.

An ſimiliter Vegetativa poſſit elevari?

Ergo forma realis (ex. gr. forma lapidis) tametſi non ſit vegetativa ſubſtantia, per qualitates vegetativas & organa opportuna elevata, eliciet actus vegetativos.

An & forma realis.

Et ſimiliter doceri vellem, An, & cur male ratiocinaretur qui diceret.

Anima rationalis eſt ſubſtantia purè ſpiritualis, & tamen in corpore, affecta qualitatibus ſibi infranaturalibus (puta, potentiis ſenſitivis, quæ purè materiales ſunt) per organa proportionata elicit operationes infranaturales; materiales videlicet & ſenſitivas.

An Anima poſſit deprimi ad actus infranaturales?

Ergo Anima rationalis ſeparata, ſi has potentias ſenſitivas retinere dicatur, etſi organis materialibus careat, eas poterit materiales & ſenſitivas operationes elicere, quæ ſint ab organis independentes.

An in Animâ ſeparatâ potentia ſenſitiva remaneant?

Ergo de damnatis Angelis, qui ab igne in inferno torquentur, ita ſtatuere oportet, ut Orci pœnæ ad metaphoras non reducantur. Pœnarum infernalium veritas conſtat ex Patrum Latinorum conſenſu. Gregorius *lib.* 4. *Dialog. cap.* 29. ſatis clarè. *Incendium*, inquit, *non ſolùm videndo, ſed etiam experiendo patitur.* Auguſtinus 21. *de Civit. cap.* 10. dixerat. *Adhærebunt ſpiritus, licèt incorporei corporeis ignibus cruciandi; non, ut ignes ipſi,*

An Animæ & Dæmones reverà torqueantur?

quibus

Digitized by Google

An-ne mirabilibus modis?

quibus adhærebunt, eorum juncturâ inſpirentur, & animalia fiant; ſed miris, tamen veris modis adhærendo, accipiendo ex ignibus pœnam, non dando ignibus vitam. Hos modos, quos veros & miros ſcitè Auguſtinus vocat, ad duos reduco.

Sunt duo præcipuè.

Nam vel elevatur Ignis natura, ut ſupra morem operetur: vel deprimitur eſſentia Angeli, ut infra morem qualitates recipiat.

Elevatio Ignis.

ELEVATVR *profectò ignis cum ſupra ſuam naturam qualitate aliqua afficitur ſpirituali, qua connaturaliter in Spiritu producat qualitatem ſpiritualem ipſi Spiritui amaram & diſconvenientem.*

Angelica ſubſtantia depreſſio.

DEPRIMITVR *autem natura Angelica, cùm afficitur materiali potentia, quæ eſt inferioris ordinis: & tunc tametſi hanc materialem potentiam (ſenſitivam) infranaturaliter habeat; illa nihilominùs affecta connaturaliter patietur ab igne, & eliciet actus doloris, qui erunt ſibi infranaturales.* Hæc ultima conſequentiæ pars placuit Leſſio, Coninch, & aliis, qui ſenſus Animæ ſeparatæ relinquunt, ut ab igne corporeo torqueri poſſit: At ille 13. *perf. divin. num.* 218. & hic 3. *part. de Purgat.* Animæ, etiam rationali, potentias ſenſitivas identificant, & tranſitum intercidunt ad Dæmones, quibus potentiæ hujuſmodi non identificantur. Ergo meliùs tenetur conſequentiæ decurſus, ſi eſſe ab animâ & Angelo realiter diſtinctæ dicantur.

Subſtantia ſupernaturalis depreſſio.

Ergo, ſi daretur ſubſtantia ſupernaturalis & hac humano intellectu afficeretur, per hunc intellectum depreſſa intellectiones eliceret ordinis naturalis.

Lapidis intentionalis elevatio.

Ergo, ſi in lapide immediatè poneretur intellectio, non intelligeret: ſi autem lapidi infunderetur qualitas vegetativa. (vel quidquid de vegetativâ & ſenſitivâ ſit) intellectiva, & huic imponeretur intellectio, elevaretur lapis per potentiam, quæ daret ipſi ſimpliciter poſſe: & , ſi elevaretur , intelligeret.

Ignis infernalis Elevatio.

Ergo ignis materialis, qui unico ſolo gradu ab ſpiritu diſtat, unicâ elevatione indigebit, ut poſſit torquere Spiritus (Animas, Angelos) nimirùm qualitate aliqua ſpirituali, ordinis naturalis.

An reverà unus ſpiritus poſſit torquere alium?

Ergo hæc poſita in igne connaturaliter torquebit Spiritum: & poſita in Spiritu connaturaliter torquebit alium Spiritum ſicui applicaretur, non autem torqueret unum canem, aut lignum combureret. Ergo inferni ignis, duas potentias habet operativas; alteram ſibi connaturalem, & alteram ſupra ſuam naturam: nempe, ſpiritualem. Per priorem corpora adjacentia comburit. Si hanc aut auferret Deus, aut ejuſdem operationes ſuſpenderet, per poſteriorem (ſpiritualem) potentiam nec incenderet lignum, nec cani moleſtiam inferret.

MMCMXXIX

Aqua baptiſmalis elevatio.

Hinc patet quid debeamus dicere de Aquâ baptiſmali, & quod debeamus modo ejus elevationem exponere. Sanè in Sacramento Baptiſmi Aqua eſt materia remota; ablutio, proxima: & verba ſunt forma.

An in Sacramentis res, an potiùs verba eleventur?

Ergo Baptiſmus elevabitur ut Homo elevatur ad ſupernaturaliter operandum. Sed quando Homo elevatur, virtutes ſupernaturales non ponuntur in materiâ (in corpore,) ſed in formâ (in animâ.) Ergo, ut Baptiſmus ſupernaturaliter operetur, virtus illa ſupernaturalis, per quam elevatur, non debet collocari in materiâ (ablutione, vel aquâ) ſed in forma (hoc eſt, in verbis.)

An unica elevatio ſufficiat?

Prætereà inter verba, quæ purè materialia ſunt, & Gratiam, quæ eſt ſupernaturalis, plures interſunt gradus: ergo totidem elevationes requiruntur, ut illa poſſint ſupernaturaliter operari. Ergo, ut minimum, debebunt per ſpiritualitatem & ſupernaturalitatem verba elevari.

Dictorum cum dicendis connexio.

Dicebat aliquando Philoſophus, *Contrariorum eadem eſt ratio, & diſciplina.* Ergo poſtquam de rerum Proportionibus egimus, de Improportione & Contrarietate diſſeramus; & quia illius, quæ verſatur inter Peccatum, Gratiamque, eſt ſummè neceſſaria cognitio, illam breviter intra terminos Matheſeos exponamus.

MMCMXXX.

An, & cur Peccata Venialia non expellant Gratiam & Charitatem?

OPpoſitio inter mortiferum Peccatum & Gratiam univerſis eſt nota contraria ſunt, & ab eâdem Animâ mutuò ſe expellunt. Hanc Oppoſitionem eſſe moralem tantùm dicunt aliqui, conceduntque poſſe fieri divinitùs, ut coëxiſtant Peccatum & Gratia: quod negant alij Michaël Bayus coëxiſtentiam hanc de facto admittit: at ejus fuit ſententia à Pio V. anno 1567. & à Gregorio XIII. anno 1579. condemnata.

An moraliter tantùm, an ex naturâ ſui opponantur?

Hanc coëxiſtentiam Petrus Lorca ad unicum inſtans coarctat quæ ſententia à Ciſtertienſibus & aliis paſſim in Hiſpaniâ defenditur: P. Amicus *tom.* 3 *diſp.* 32. *ſect.* 1. *pag.* 413. *b. num.* 19. ſic inquit. [Pro quâ opinione citatur Lorca apud Suarez *lib.* 7. *de Gratiâ capi.* 19. *num.* 3. & ipſe hanc opinionem ante multos annos Neapoli à Viris doctis defenſam audivi.] Tota difficultas eſt in explicandâ Gratiæ & Peccati Venialis oppoſitione: nam ſi opponuntur, ſe expellent mutuò, quod Fides Orthodoxa non patitur.

An coëxiſtere poſſint? An Gratia Animam peccato veniali infectam emaculet?

D. Redingus *in* 1. 2. *quæſt.* 4. *art.* 2. *contr.* 4. *pag.* 115. interrogat, *An, & qualiter per Gratiam habitualem fieri poſſit culpæ venialis remiſſio?* Et hanc poſteà Concluſionem ſtatuit. *Gratia juſtificans non in vi oppoſitionis formalis, ſed eminentialis cuiuſdam virtutis, habet vim, tum mediatè & cauſaliter, tum immediatè ſe ipsâ expulſivam Peccati Venialis.* Non aſſentior: gratis enim aſſeritur illa eminentialis vis; nam eodem modo poſſet quis dicere, *Peccatum Veniale non vi oppoſitionis formalis, ſed eminentialis, habet vim expulſivam Gratiæ habitualis.* Et tamen per venialia peccata non expelli Gratiam de Fide eſt.

Venialia non expellunt Gratiam.

An omnia peccata ſint côtra Charitatem?

Porrò omnia peccata (tam mortalia, quàm venialia) eſſe contra Charitatem cum viris doctiſſimis teneo. Amicus *tom.* 3. *diſp.* 23. *ſect.* 2 *in fin. pag.* 242. *a.* [Sicut omnia bona opera reducuntur ad Charitatem Dei, & proximi, & ſui ipſius, juxta illud Matth. 22. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ.* Ita omnia peccata, aut ſunt contra Charitatem Dei aut proximi, aut ſui ipſius; aut contra media ad eam ſervandam neceſſaria, vel utilia.] Interim, quæ opponuntur mediis etiam ipſi fini oppoſita cenſenda ſunt.

An, quæ opponuntur Medio etiã Fini opponantur?

Sed pergit Amicus. [Quando peccata ſunt notabiliter, & quando leviter

læſiva Charitatis, conſulenda ratio, à quâ ut à proximâ Regulâ proponente & judicante hæc omnia pendent, &c.] Ergo mortalia graviter lædunt Charitatem, venialia leviter.

An venialia Gratiam remittant, & imminuant?

Cur autem, ſicut illa (mortalia) Gratiam expellunt, hæc (venialia) illam remittere non aſſeruntur? Frigus quod eſt in paſſo, calor levis remittit; & cùm venit ad ſummum i tenſionis gradum, expellit: ergo Gratiam, quæ eſt in Animâ, levia peccata remittent; & cùm vel hæc mortalia fiant, vel aliquod mortale ſuperveniat, Gratia expelletur. Quò

Iacob. 1. 15. reſpicere videtur S. Jacobus dicens: ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν· ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον. *Concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm fuerit conſummatum, generat mortem.*

MMCM. XXXI.

An ex Gratia remiſſione ſequeretur expulſio?

Communis doctrina aſſerit Gratiam & Charitatem per mortale expelli; at verò per veniale, nec remitti, nec minui. Et probatur [Quia per venialia non expelli Charitatem aut Gratiam de Fide eſt. At, ſi per illa remitteretur, aut imminueretur, tandem expelleretur. Ergo per illa nec remittitur, nec imminuitur.] Conſequentia eſt legitimâ: major de Fide: ſupereſt igitur, ut perſuadeatur minor. [Pone unum veniale peccatum remittendo aut excidendo Gratiæ centeſimam partem abradere: ergo quinquaginta dimidium Gratiæ; & centum totam omninò gratiam auferent.] Hæc ratio tam fortis viris multis eſt viſa, ut careret congruâ ſolutione credatur.

Diminutio per partes determinatas habet finem.

Cæterùm ſit noſtra PRIMA CONCLUSIO. *Si ſingula venialia peccata determinatam Gratiæ partem auferrent, illam tandem expellerent.* Demonſtratur, quia, ſi Petrus haberet 100. modulos gratiæ, & ſingula venialia auferrent unum, centum venialia auferrent omnes.

Per proportionales & indeterminatas non habet.

SECUNDA CONCLUSIO. *Si ſingula peccata venialia proportionalem Gratiæ partem (puta, centeſimam) auferant, nunquam totam Gratiam auferent.* Et nulla melior poterit eſſe probatio, quàm quæ à calculo ſequente exhibebitur.

A. 100 = 00
1 = 00

99 = 00
= 99

C. 98 = 01
= 9801

D. 97 = 0299
= 970299

E. 96 = 059601
= 96059601

F. 95 = 09900499. &c.

Notæ, quæ poſt lineolas = ponuntur, modulos integros à moduli partibus ſeparant.

An Theologi bene probent, gratiam non poſſe imminui?

Ecce numerus A. 100. centeſimâ parte decircinatus, relinquit B. 99. Porrò B. 99. centeſimâ parte imminutus dabit C. 98. $\frac{1}{100}$: Deinde numerus C. 98 $\frac{1}{100}$ ſi centeſimâ parte corripiatur, dabit D. 97 $\frac{299}{10000}$: & ſic in infinitum. Non ergo ideò eſt negandum, Gratiam remitti & imminui, ne fortè aliquando à magno venialium peccatorum numero poſſit expelli: quia, ſi ſecunda Concluſio admitteretur, etſi venialium peccatorum numerus in infinitum creſceret, etſi Gratiam ſingula remitterent & imminuerent, omnia ſimul nunquam illam expellerent. Alia igitur ratio eſt quærenda, ut Gratia nunquam imminui aut remitti dicatur.

Etiam in Quæſtione illâ, quæ de reviviſcentiâ meritorum diſputat, pendet à Matheſi Deciſio: nam defectu Arithmeticæ multa multi dixerunt, quæ à doctis non poſſunt admitti. MMCM. XXXII.

R. P. Mag. Franſſens, Ordinis Prædicatorum, in quo ingenium & erud tionem venerabar, in Theſib. propugnatis Viennæ die 9. Auguſti ann. 1649. ſequutus alios multos Thomiſtas, ſic rem expendit.

De reviviſcentiâ meritorum. An in iſtâ Arithmetica Æqualitas, an potiùs Geometrica ſervetur proportio?

Pœnitens quandoque reſurgit in maiori gratia quam prius habuerat, quandoque in æquali, quandoque verò in minori, & eadem eſt ratio de virtutibus quæ ex gratiâ conſequuntur, recuperat etiam dignitatem principalem, quâ nimirum connumerabatur inter filios Dei, ſecundariam autem ſcilicet innocentiam recuperare non poteſt. Omnia quoque merita per peccatum mortificata per pœnitentiam reviviſcunt, quoad præmium eſſentiale, non quidem neceſſario in eodem gradu in quo fuere ante peccatum, nec tamen ſolum quoad hoc, quod idem præmium eſſentiale quod alias daretur ſi merita non præceſſiſſent etiam detur horum intuitu, ſed quia illis correſpondet diſtinctus gradus gratiæ & gloriæ, iuxta quantitatem tamen diſpoſitionis per quam pœnitens reſurgit, unde ſi diſpoſitio illa fuerit ut duo, pœnitens recipiet duos gradus gratiæ & gloriæ, ob præſentem diſpoſitionem, & alios duos ob præcedentia merita.

Ecce ponit æqualitatem arithmeticam inter gratiam receptam ob diſpoſitionem præſentem & receptam ob præcedētia merita. Sed hæc arithmetica æqualitas omninò diſplicet, quia darentur duo caſus difficiles. Alter, in quo ob merita præcedentia reviviſceret gratia, quæ nunquam fuerat, vel ſaltem in maiori gradu, quàm fuerat. Alter, in quo non plus conferrent ad reviviſcentiam multa merita præcedentia, quàm pauca.

An reviviſcere dicantur merita, quæ nunquâ fuerunt?

Primus fuit propoſitus his verbis. [Habeant Petrus & Paulus gratiam æqualem, nempe ut tria; peccent mortaliter; poſtmodum Petrus ad ſe converſus habeat diſpoſitionem ut unum: ergo adquiret duos gradus gratiæ, alterum ob præſentem diſpoſitionem, & alterum ob præcedentia merita. Demum Paulus habeat diſpoſitionem ut quatuor: ergo adquiret octo gradus gratiæ, quatuor ob diſpoſitionem præſentem, & quatuor ob merita quæ reviviſcunt.] Omnia conceſſit Pater Franſſens; & interim videtur abſonum, quod merita ad gratiam ut tria reviviſcant ad gratiam ut quinque, tunc enim reviviſcerent duo gradus gratiæ (videlicet, quartus & quintus) qui priùs non fuerant.

Caſus

An maior meritorum reviviſcentia ad maiorem gratiam eſſe debeat?

Caſus ſecundus poteſt iſtis verbis proponi. [Habeat Ioannes gratiam ut tria, Fridericus ut quatuor; labantur in peccatum mortale; redeantque ad gratiam per æqualem diſpoſitionem, puta ut unum: uterque adquiret gratiam ut duo; nimirum unum gradum ob præſentem diſpoſitionem, & alterum ob merita quæ præceſſerunt.] At mihi videtur abſurdum, quod cæteris paribus non recipiat plus gratiæ Fridericus, quoniam maioris reviviſcentia meriti reliquis paribus poſtulat gratiam maiorem.

An in diſpoſitionibus dentur termini magnitudinis & parvitatis?

Hac doctrinâ poſitâ omnibus præmiſſis occurritur inconvenientibus, & ſingula ad verum ſalvantur.

Vt hæ duæ difficultates fugiantur, nec ſimus his abſurdis obnoxij, ſupponendum eſt *Primò*, dari in diſpoſitionibus terminos connaturales, quo homo tranſgredi non poteſt, hoc eſt, non ſolet. *Secundo*, gratiam, quæ datur ob diſpoſitionem præſentem eſſe æqualem arithmeticè diſpoſitionibus; at illam, quæ ob merita præcedentia confertur, eſſe prioribus meritis geometricè Analogam & proportionalem: puta ſi diſpoſitio maxima ſit ut 8. & ibi conſtituantur termini magnitudinis: & ſingulis diſpoſitionis gradibus octava pars meritorum præcedentium adnumeretur. Hinc facili negotio reſpondetur caſibus ſuperiùs poſitis. Nam iuxta hanc doctrinam formabitur tabella ſubſequens.

Perſona de quibus actum eſt.	*Merita præcedentia mortificata.*	*Diſpoſitio pœnitentis.*	*Gratia reſpondens diſpoſitioni.*	*Gratia reſpondens antiquis meritis.*	*Vtraque gratia ſimul ſumpta*
Petrus	3; 000,	1; 000,	1; 000,	0; 375,	1; 375,
Paulus	3; 000,	4; 000,	4; 000,	1; 500,	5; 500,
Ioannes	3; 000,	1; 000,	1; 000,	0; 375,	1; 375,
Fridericus	4; 000,	1; 000,	1; 000,	0; 500,	1; 500,

Poſita hac proportione geometricâ obviam itur inconvenienti primo; quia in Paulo nec reſurgunt, nec reviviſcunt gradus gratiæ, qui ante non fuerant; non enim illi intuitu præcedentium meritorum, quæ erant ut tria, conferetur gratia ut quatuor, ſed quatuor octantes prioris gratiæ: qui ſunt gradus & medius Obviam etiam itur inconvenienti ſecundo; nam Ioannes & Fridericus reſurgunt per æqualem diſpoſitionem ad inæqualem gratiam.

ARTICVLVS III.

De Dialectica Sacramentali.

MMCMXXXIII. *De Iure Naturali, Gentium, & Politico.*

PAVCA occurrunt, quæ vel non ſint tractata ſuperiùs, vel inferiùs non ſint accurratè tractanda. Dilucidata ſunt ſuperiùs, quæ ad Ius Naturale, Gentium, & Cæſareum ſpectant: & poſteà agendum eſt de Sacramentorum formis, in quibus Logica, aut etiam Dialectica tota relucet.

De Divina, ſeu Sacramentali.

Ego te baptizo, &c. *Signo te*, &c. *Ego te abſolvo*, &c. *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. & cæteræ ſunt propoſitiones categoricæ, habent ſuos terminos tam categorematicos, quàm ſyncategorematicos: ſuas copulas, aliæ ſunt rectæ, & aliæ obliquæ: aliæ ſunt categoricæ, aliæ hypotheticæ: & iam ſimiles Poſitiones expoſuimus ſuperiùs; & has ipſas inferiùs accuratè exponemus.

De terminis: *Propoſitionibus:* *Et argumentationibus.*

De argumentandi modo in Sacramentorum materiâ notare hoc volo; videlicet, *à paritate rationis* non bene argumentum deduci: nam in materiâ liberâ ponderationes illæ omnes, quæ *à pari*, *à maiori ad minus*, aut *à minori ad maius* dicuntur, claudicant; fuit enim Chriſtus liber, & Dominus potuitque Sacramentorum materias eligere quas vellet, & præſcribere formas, quas vellet.

Aliter argumentum eſt in materiâ contingenti vel liberâ: & aliter in neceſſariâ.

MMCMXXXIV. *De Vniverſalibus.*

REum univerſalitati intelligendæ multùm Sacramentum Euchariſtiæ favet: nam præter gratias & favores eximios, quos nobis Deus communicat, quibuſcum cæteri comparati vileſcunt, notitia philoſophica, quam inde haurire poſſumus, non eſt vilipendenda. Hîc multa addiſcunt Metaphyſici, multa Phyſici, multa Logici. Metaphyſici vident accidentia ſine ſubjecto: Phyſici converſionem non manente materiâ: Logici Ideam quamdam Vniverſalium, quam modò explicandam ſuſcipio.

Quantum proſit Sacramentum Euchariſtiæ?

An nobis explanat, quales ſint Naturæ cōmunes & univerſales?

Adoro igitur hoc Sacramentum, & alibi diſcurſurus theologicè, ſic philoſophor; ſic rem concipio. Chriſtus unus & idem omninò eſt; & eſt unus in multis hoſtiis, nec tamen cum ſui multiplicatione, ſed cum multiplicatione Sacramentorum; tota enim hoſtiarum conſecratarum differentia non ſumitur à Chriſto, ſed ab ſpeciebus. *Primò* enim Chriſtus videtur eſſe ſimilis rationi genericæ, cùm contrahitur ad eſſe Sacramentale per ſpecies panis & vini, quæ ſunt differentiæ, & taleitates, quæ diſtinguuntur plus quam numero. *Secundò* conceptus hoſtiæ conſecratæ reſpectu huius eſt illius hoſtiæ conſecratæ; ſicut etiam conceptus vini conſecrati reſpectu illius & alterius vini conſecrati, videtur ſimilis conceptui ſpecifico, cum ſuis individuis

Natura ſuperior multiplicat inferiora, at ipſa in illis manet una & immultiplicata.

Quid Genus ſit?

Quid ſit Species?

Digitized by Google

Nota bene hanc doctrinam: nam cùm agitur de multiplicatione ſæpe doctiſſimè allucinantur.

individuis collato. Vnde ſicut intelligo Chriſtum ſubſtantiam ſingularem ſine ſui multiplicatione eſſe totum in hoſtiâ, totum in calice, cur non potero concipere Animal, quod eſt ſubſtantia univerſalis, eſſe realiter vel formaliter (nam id modò non urgeo) totum in homine, & totum in bruto, ſine intrinſecâ multiplicatione? Sanè cùm dicimus, *Aliud animal eſt in homine, aliud in bruto*, male dicimus, nam in utroque eſt univocè unum & idem animal: & cùm dicimus *Aliud animal eſt homo, aliud eſt brutum*, bene dicimus, tunc enim non tam intelligimus animal præciſum & genericum, quam contractum: hæc enim poſitio, *Aliud animal eſt homo, aliud brutum*, æquivalet huic, *Aliud eſt animal rationale, aliud irrationale.* Sic etiam erraret, qui diceret, *Alius Chriſtus eſt in hoſtiâ, alius in calice*, non tamen erraret, qui diceret, *Hoſtia conſecrata non eſt calix conſecratus*, aut etiam. *Hæc Hoſtia conſecrata alia eſt ab illâ conſecratâ.* Quæ omnia oſtendunt univerſalitatem eſſe verum conceptum, nec à mentis fictione aut operatione pendentem, quoniam ante omnem fictionem, imò mentis conſiderationem habet Petrus & Paulus quòd ſint homines; non enim incipiunt convenire in ratione hominis, cùm incipiunt cognoſci; nec deſinunt convenire cùm deſinunt cognoſci; ſed reverà in hac ipſi ratione, cognoſcantur aut non cognoſcantur, conveniunt: Nam ſicut duæ hoſtiæ non incipiunt convenire in hoc quòd eſt habere Chriſtum, cùm incipiunt cognoſci, ſed in hoc ipſo conveniunt, ſive cognoſcantur, ſive non, ſic etiam ante omnem mentis operationem conveniunt individua in ratione ſpecificâ, & ſpecies in ratione genericâ. Dices hanc individuorum convenientiam non eſſe formalem, ſed fundamentalem. Et reſpondebo me audire mera verba. Dicam igitur hanc rationem fundamentalem ante omnem mentis fictionem aut operationem repertam, à me *univerſalem* dici, nec velle de nominibus vociferari: addam in duabus hoſtiis eumdem Chriſtum eſſe fundamentaliter ante operationem intellectûs, poſt eam eſſe formaliter, quia in tuo Lexico, eſſe in multis fundamentaliter eſt eſſe verè in multis, nec tamen ut in multis cognoſci, & eſſe in multis formaliter eſt eſſe in multis & in multis cognoſci. Et quidem, ſi loquamur ſincerè, cognoſci aut non cognoſci rerum accidens eſt, Ergo, ſicut Chriſtus ante mentis operationem eſt realiter in multis hoſtiis, & non tantùm fundamentaliter: ſic etiam poſſemus dicere Rationem hominis ante mentis operationem eſſe in Petro, Ioanne. Franciſco, &c. nimirùm, realiter aut formaliter, & non tantùm fundamentaliter. Sed hæc uberiùs alibi dilucidabo: & impræſentiarùm illa tetigiſſe ſufficiat: quia nec docere, nec diſcere volo qualiter Thomiſtæ, aut qualiter Scotiſtæ Naturas Communes, & Vniverſales concipiant: ſed qualis ipſa verè & realiter ſit; non enim fingis Petrum eſſe hominem, & non canem; adeoque ante omnem fictionem & mentis operationem habere Petrus debet, quòd ad ſpeciem humanam, & non ad caninam pertineat. Et quidem hæc Meditatio plurimum condocet ad intelligendum Vniverſalitatis conceptum: ſive enim Platonem ſive Scotum, ſive D. Thomam, ſive Ochamum ſequaris, doctrinâ præpoſitâ manuducêris.

Animal præciſum. — *Animal contractum.* — *An univerſalia ſint ante mentis operationem?* — *An Petrus & Paulus ante mentis operationem in hominis ratione conveniant?* — MMCMXXXV. *De unitate formali & fundamentali.* — *Cognoſci eſt rerum accidens.* — *An Vniverſalia fingantur?*

ARTICVLVS IV.

De Phyſica Sacramentali.

MMCMXXXVI. *Quid ſit Phyſica?*

Voco *Sacramentalem Phyſicam*, eam Facultatem, quæ totam doctrinam Phyſicorum ad Sacramenta reducit, & ex cognitione naturæ ad cognitionem Myſteriorum ſupernaturalium tranſit.

Ero hîc breviſſimus: quoniam pleraque omnia quæ tetigero, ſuis inferiùs locis dilucidabo: interim, ut ſcias, quid hoc pertineat ſpecialiter, paucula ſubſcripturus ſum.

De Pythagoræ Philoſophiâ.

Et hic obiter nota ſuas Philoſophicas Inſtitutiones potuiſſe Pythagoram vocare ἀκροάσεις φωνικάς; erant enim ἄγραφαι: quoniam nihil permittebat ſcribi, ſed jubebat diſcipulus, ut audirent & crederent; & quoties dubitarent, pro primo omnium reſolutionum Principio ſumerent αὐτὸς ἔφα, *Ipſe dixit.* Quod Pythagoras potuit, Ariſtoteles fecit, ſuamque Philoſophiam ἀκρόασιν φυσικὴν vocari voluit: quia, ut intelligeretur, non ſufficeret legi, ſed deberet audiri: unde invidæ querimoniæ Alexandri, reſpondit, *ſcripſi, quaſi non ſcripſiſſem.* Volebat enim Alexander, non tantùm in toto Mundo eſſe ſolus Monarcha, ſed etiam eſſe ſolus Philoſophus: & ideò contra Ariſtotelem, quòd evulgaſſet Phyſicam, quam poſſent univerſi addiſcere, conqueſtus eſt. Et affictam ſibi culpam emaculavit Ariſtoteles dicens, *ſe in illo Philoſophico libro doctrinam, non aperuiſſe, ſed clauſiſſe: & ideò vocaviſſe ἀκρόασιν, quia, niſi vivâ voce clavim præberet, manſurus eſſet ita clauſus & ſigillatus, ut à nemine poſſet intelligi.*

An fuerit ἄγραφος? — *De Phyſicâ Peripateticâ.* — *Alexander volebat, ut alij præter* — *Se ſcirent Philoſophiam.*

Si rem accuratè meditor, Philoſophia Sacramentalis Liber eſt ſigillatus, ille quem in Apocalyſi (revelatione) ſuâ vidit Ioannes, & nobis deſcripſit his verbis. Καὶ εἶδον ἐπὶ τὴν δεξιὰν τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου βιβλίον γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν, κατεσφραγισμένον σφραγῖσιν ἑπτά. *Et vidi in dexteram ſedentis ſupra thronum Librum ſcriptum intus & foris obſignatum ſigillis ſeptem.* Nam tametſi ſuperiùs *cap.* 5. hoc uſus fuerim Hieroglyphico, ut Canonici Iuris Regulas dilucidarem, eſt tanta in Apocalypſeos Imaginibus ſignificationum ubertas, & etiam hæc,

Apocal. 5. 1. *De Philoſophiâ Sacramentali.* — *Liber ſigillatus & clauſus quid ſignificet?*

quæ

Digitized by Google

Unde in illâ, & in ipso ultima Resolutio sumatur?

quæ Librum exprimit, poſſit huic Diſcurſui prodeſſe. Profectò Philoſophia ſacramentalis eſt liber clauſus, ἀκροάσεως φυσικῆς complectens. Indiget clavi, ut aperiatur: & ideò audiri potiùs debet, quàm legi. A ſupernaturali Fide pendet: & apud ipſum in controverſiis obſcuris ſumma & unica reſolutionis ratio eſt αὐτὸς ἔφα, *Ipſe dixit*. Quando enim de Sacramentorum formis & materiis diſſeritur, illa ſcimus & credimus, ἃ ὁ Θεὸς ἔφα, *quæ Deus dixit*, cætera omninò neſcimus. Et tametſi activa Dei revelatio ſit ſupernaturalis, auditio noſtra, à quâ Fides ſupernaturalis dependet, naturalis eſt, & ideò ἀκρόασις φυσικὴ nominatur: nam auribus vocem Magiſtri audimus, & & ſenſuum operationes corporeæ ſunt & naturales.

Primvs Physicorvm Liber.

MMCMXXXVII. *Scire quid ſit?*

VT rem ullam bene intelligat aliquis, debet illius cauſas cognoſcere, & omnes naturales partes & elementa penetrare: & hanc ob rem Ariſtoteles Naturæ Scientiam traditurus incepit à ſubſtantiæ partibus.

Principia quot? *Materia. Forma.*

Principia naturalia ſunt tria; Materia, Forma, & Privatio. Pars quæ eſt potentia & actum recipit & ab actu perficitur, vocatur *Materia*: actus ipſe dicitur *Forma*: Formæ abſentia *Privatio*. Duo priora ſunt intrinſeca: & poſterius cenſetur, extrinſecum opinione communi. Dicendum tamen eſt Privationem, quando ad terminum *ex quo* pertinet, eſſe extrinſecam: quando verò ad terminum *ad quem* eſſe intrinſecam: tenebras enim lucis privatio, finitum negatio infinitatatis tantum ulterioris quantitatis carentia, &c. cœcum, ſurdum, mortuum, &c. viſûs, auditûs, vitæ. &c. privatio neceſſariò conſtituit: quæ omnia, ſi voluiſſent obſervare Philoſophi, contraherent Reſolutionum vela, & non dicerent loquendo univerſaliter, Privationem eſſe ſemper Principium Compoſiti ſubſtantialis extrinſecum.

An Privatio, intrinſeca, an extrinſeca ſit?

PARALLELVM SACRAMENTALE. MMCMXXXVIII. *Quid requiratur, ut quis bene intelligat Sacramentorum materiam?*

VT quodcumque Sacramentum bene intelligas, debes illius omnes cauſas & omnes intrinſecas partes penetrare: & hanc ob rem in Sacramentorum expoſitione & dilucidatione Methodum Philoſophi ſervantes, incipiemus à partibus Sacramentorum.

Principia Sacramentalia tria ſunt; Materia, Forma & Privatio. Materia & forma ſunt interna principia, adeoque partes: & Privatio *ex quâ* eſt principium externum: Privatio verò *ad quam* internum eſt. Materia Sacramentalis conſiſtit in rebus: Forma Sacramentalis in verbis & abſentia verborum eſt Privatio. Res conſiderantur ut materia moralis quæ formam moraliter poteſt incipere, ut potentia, quæ poteſt perfici, & ad actum reduci: aqua enim remotè, & ablutio proximè (utar hoc exemplo in nam cæteræ materiæ ſunt analogæ) eſt indifferens ad multos uſus; & verbis perficitur & elevatur, ut producat (realiter, aut moraliter) gratiam. Hinc patet Materiã in Sacramentis eſſe duplicem: proximam & remotam. Remota eſt res illa, quâ Miniſter utitur, ſicut aqua in Baptiſmo, criſma in Confirmatione, &c. proxima eſt hujus materiæ uſus, ut ablutio in Baptiſmo, & unctio in Confirmatione, &c. Vt utriuſque Privationis (internæ & Externæ) differentiam cognoſcas, ad Baptiſmum oculos iterum convertamus. Non eſſe verborum, quæ à Miniſtro proferuntur, & ad formam ſpectant, ſunt Privatio *ex quâ*: carentia autem aliorum verborum, quæ poſſent formam invalidam reddere; eſt Privatio *ad quam*: quarum illa eſt externa & hæc interna. Vnde, ſi nominis Deiparæ, aut alicujus ſancti additio reddit formam Baptiſmi invalidam eſt intrinſecum attributum formæ validæ hujus additionis privatio: quod Eraſſus *part. 2. lib. 1. c. 3. n. 24.* pronunciat.

Materia, Forma, & Privatio. *Res in Sacramentis concipiuntur ut Materia, verba ut Forma.* *Materia duplex: proxima & remota.* *Privatio duplex: externa, & interna.* *An Forma Baptiſmi, ſi nomen alicuius Sancti addatur, ſit valida?*

Secvndvs Physicorvm Liber.

MMCMXXXIX. *Quid ſit natura? Quid ars? Cauſa quinque.*

NAtura eſt principium motûs & quietis in eo, quo eſt. Ars utitur, aut etiam perficit Naturam: & indicit certas & errori non obnoxias regulas. Cauſæ ſunt quinque Materialis, Formalis, Efficiens Finalis Exemplaris.

Materialis. Materialis recipiendo & ſuſtentando Formam cauſat Compoſitum intrinſecè.

Formalis. Formalis actuando & perficiendo Materiam cauſat Compoſitum intrinſecè.

Efficiens. Efficiens eſt cauſa realis extrinſeca dans effectui exiſtentiam.

Finalis. Finalis eſt cauſa intentionalis; cujus ita diriguntur operationes, ut illud in exſequutione ultimum ſit, quod fuerat primum in intentione.

Exemplaris. Exemplaris eſt cauſa etiam intentionalis, practica directiva, ut ſibi ſimilem effectum producat Artifex.

MMCMXL. PARALLELVM SACRAMENTALE.

IN Sacramentis conſiderare poſſumus entitatem Materiæ & Formæ ſpecificativè; rationem & denominationem Materiæ & Formæ reduplicativè; & virtutem Sacramentalem. Materia & Forma ſpecificativè conſideratæ, ſunt res & verba; quæ ſunt realitates quædam naturales & materiales: in eiſdem ratio Materiæ & Formæ ſunt denominationes morales, non enim in Baptiſmi Sacramento ablutio eſt verè & realiter materia: nec verba ſunt verè & realiter forma: ſed ita ſe habent, ac ſi illa eſſet materia, & hæc eſſent forma. Et ideò, quæ realiter nec materia, nec forma ſunt; virtualiter & moraliter has denominationes conſequuntur. quoniam Ens Morale, ſeu Virtuale, ut noſtra proponit Definitio, dicitur, *quod non eſt reverà quale dicitur, Prudentum tamen judicio & conſideratione ita ſe habet, ac ſi quale dicitur, eſſet* Virtus tandẽ Sacramentalis (ſive extrinſeca, ſive intrinſeca: ſive realis, ſive moralis ſit) non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis.

Sacramentorum materia & forma. Denominationes Morales. *Quid ſit Ens Morale aut Virtuale?* *Virtus ſupernaturalis.* *An Sacramentum ſit Ens artificiale?*

Cùm igitur Sacramenta non ſint compoſita naturalia, ſupereſt ut ſint (liceat ſic loqui) artificialia; in quibus Artificis Divini voluntas naturam perficit & exaltat.

Cauſæ Sacramentales etiam ſunt quinque. Materialis, Formalis, Efficiens Finalis Exemplaris

Cauſa Materialis. Res (ipſæ ſunt cauſa materialis) prout ſubſunt verbis, componunt Sacramentum intrinſecè.

Cauſa Formalis. Verba (ipſa ſunt cauſa formalis) prout concernunt & comitantur res, componunt Sacramentum intrinſecè.

MMCMXLI. *Cauſa efficiens duplex. Inſtitutrix, & Exſequutrix.* Cauſa, Efficiens Sacramentalis eſt, quæ dat Sacramento exiſtentiam. Et duplex eſt: Inſtitutrix, & Exſequutrix. Cauſa Inſtitutrix, Chriſtus Dominus eſt: ipſe enim ſanguine ſuo pretioſiſſimo theſauros Eccleſiæ ditavit, & ſeptem inſtituit ſupernaturalia morborum humanorum remedia, quæ Græci *Μυστήρια*, Latini *Sacramenta* nominamus. Exſequutrix cauſa pertinet ad Miniſtros, qui virtute Chriſti Sacramenta immediatè conficiunt; qui ſunt pro Sacramentorum diverſitate varij. *Miniſtri, quinam pro ſingulis ſint Sacramentis conſtituti?* Miniſter in Baptiſmo eſt quicumque homo: in Confirmatione eſt Miniſter Ordinarius Epiſcopus, extraordinarius quicumque Sacerdos. Miſſam validè celebrare non poteſt, qui Sacerdos non eſt: nec licitè, qui ſuſpenſioni aut alij ſimili cenſuræ ſubiaceat. Vt validè abſolvat, opus eſt ut ſit Sacerdos legitimè approbatus. *An Abbates Diaconatum & ſubdiaconatum conferant?* Extremam-Vnctionem confert Parrochus. Ordines minores omnes Abbates fere: Hypodiaconatum & Diaconatum aliqui Abbates Ciſtertienſes: Preſbyteratum ſoli Epiſcopi. *Præſentia Parrochi an eſſentialis ſit?* Matrimonij Miniſtri ſunt, qui contrahunt: præſentia Parochi & teſtium requiritur, ut conditio, ſine quâ, non. Sufficit ſi, quicumque alius Sacerdos ex Parrochi licentiâ compareat, matrimonialemque contractum ſuâ præſentiâ cohoneſtet.

Sacramentorum finis. Præter maiorem gloriam Dei, quæ eſt finis omnibus operationibus Criſti communis, habuit in Sacramentorum inſtitutione finem ſpecialem: videlicet lapſum hominem erigere, languidum nutrire, debilem firmare, fragili opitulari: & ut verbo omnia complectar, miſero & egeno favere. *Finis inſtitutionis.*

Finis exſecutionis. Finis ſpecialis Miniſtrorum debet eſſe ſingulorum Sacramentorum effectus: finis autem, ut diximus, in intentione primus, eſt ultimus in exſequutione.

Picturarum genera. In Pictorum tabulis tria genera delineationum reperimus: Adumbrationem, Prototypum, Ectypum. Ab Hiſpanis dicuntur *Boſquexo*, *Original*, & *Copia*. *Adumbratio.* Adumbratio eſt pictura rudi calamo facta, quam in ſolido priùs delineat Artifex, ut poſteà aliam nobiliorem conformet, quæ vocetur *Prototypus*. *Prototypus.* Copia autem eſt prototypi imitatio quædam, expreſſa Pictoris impotentioris manu. *Copia.*

Antiqua Sacramenta ſunt umbra. Hac doctrinâ præmiſsâ, aio, in Sacramentorum materiâ, reperiri Vmbras, Prototypum & Copias. Omnia enim veteris legis Sacramenta, umbræ ſunt Chriſtianorum: videtur enim Deus in ipſis levi quaſi manu adumbráſſe Sacramentorum novæ legis perfectionem & gloriam. *Nova legis Sacramenta ſunt nobiliora, faciliora, & potentiora.* Circumciſio Baptiſmi umbra erat: Sacrificia Pœnitentiæ, &c. & ut vides, noſtra Sacramenta illis ſunt faciliora, nobiliora, meliora. At verò omnia Sacramentalia ſunt, quidam Sacramentorum ectypi: & quia non fuerunt à Deo immediatè inſtituta, ſed ab Eccleſiâ ad inſtar Sacramentorum ordinata, Sacramentorum potentiam & perfectionem non attingunt; & ideo tametſi prototyporum perfectionem quodam modo imitentur, nullo modo adſequuntur. *Sacramentalia, quid ſint? An, & cur ſint minùs nobilia & minus potentia Sacramentis?*

Tertivs Physicorvm Liber.

MMCMXLII. *De infinito. Solus Deus eſt infinitus intrinſecè.* AGit Ariſtoteles de Infinito libro tertio: nos dum ſpeculativè Phyſicam traderemus, finita ab infinitis ſeparavimus; & modò eamdem practicè & moraliter recognoſcentes, etiam ſeiungimus, & volumine ſpeciali tractamus. Interim impræſentiarùm unicâ rem Concluſione expedîmus dicentes, *Creata omnia eſſe intrinſecùs finita, poſſe tamen infinita extrinſecè denominari, deſumptâ denominatione à Deo, quem ſub hac vel illâ conſideratione velut connotatum reſpiciunt.* *Poteſt creatura aliquando ab infinitate Dei extrinſecus denominari.*

Parallelon Sacramentale.

Quanam in Sacramentis ſint finita: & quo ſenſu? IN ſupernaturali iſtâ Philoſophiâ debemus Finitum ab Infinito ſegregare: nam Inſtitutor eſt Deus, ac propterea infinitus: ipſa autem Sacramentorum materiæ, formæ, & Miniſtri & effectus ſunt finita intrinſecùs & poſſunt infinita ab inſtitutore, qui illa præſcripſit, & à Dei majori gloriâ quam reſpiciunt, extrinſecùs denominari. In Euchariſtiæ Sacramento verba, (nam hæc eſſe forma dicuntur) finita ſunt intrinſecè conſiderata: at, quia corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu-Chriſti ſignificant, & ſub panis & vini accidentia conſtituunt; & quia corpus & ſanguis Chriſti ab hypoſtaſi valorem infinitum recipiunt, etiam verba à ſignificatione & effectu ſortiuntur extrinſecam infinitatem.

Qvartvs Physicorvm liber.

MMCMXLIII. *Locus.* LOcus eſt duplex; intriſecus, extrinſecuſque Extrinſecus, eſt ſuperficies corporis ambientis immobilis: intrinſecus eſt ſpatium prout tales aut tales diſtantias involvit.

Vacuum an ſit poſſibile? An dentur ſpatia imaginaria? Vacuum eſt locus, vacans corpore. An detur? poſſit-ne dari? & quâ virtute: humanâ, Angelicâ, Divina? Philoſophi certant, & adhuc ſub iudice lis eſt. Interim, quotquot Vacuum & imaginaria ſpatia extra cœlos admittunt, videntur dimenſione, realem Quantitatem concernere, velle ſponte ignorare.

Tempus. Tempus eſt aliquid reale (non enim illud fingimus) quod melius intelligimus, quàm explicamus. *Motus.* Illud motu metimur, motum tempore. Tempus eſſe numerum motûs ſecundum priùs & poſteriùs aſſerit Ariſtoteles: poſſetque dicere æquo *An tempus ſit numerus motûs?*

jure

Digitized by Google

jute Motum eſſe numerum temporis ſecundum prius & poſterius. Quoniam nec tempus nec Motus ſunt formaliter numeri, & concomitanter tam invenitur ratio numeri in Tempore, quàm in Motu.

Apoc. 10. 6
χρόνος, & καιρὸς differunt.
An & quomodo poſſit tempus non eſſe?

Græcus inter χρόνον & καιρὸν invenit diſtinctionem: nam ſupra χρόνον, quod ſignificat *tempus*, καιρὸς dicit opportunitatem; ut non quodcumque tempus, ſed tantùm morale, hoc eſt, aptum ad aliquid faciendum ſignificet. Hinc lux verbis Angeli dicentis, Χρόνος οὐκ ἔτι ἔσται. *Tempus non amplius erit.* Sed quo illud modo non erit? quo autem erit? Erit quidem realiter, & non erit virtualiter. Erit enim χρόνος, nam corpora non poteſt deſerere: at non erit ampliùs καιρὸς, nam tempus opportunum ad faciendam pœnitentiam non erit.

PARALLELUM SACRAMENTALE.
Locus Sacramentalis.

MMCMXLIV.
An viaticũ debeat dari in Eccleſiâ.

ETiam habetur ratio loci in Sacramentis; & niſi neceſſitas cogeret, omnia deberent celebrari in Eccleſiâ. Pro Baptiſmo in Parrochialibus templis ſunt fontes: pro celebrandis Miſſis: in omnibus Eccleſiis altaria: pro Sacramento Pœnitentiæ Confeſſionalia. Viaticum & Vnctio extrema in domibus privatis conferuntur: nam ægroti non poſſunt ad Eccleſiam accedere, & eorum infirmitati condeſcenditur: ſed non ubique: nam in India Hiſpani, irreverentias plorimas barbarorum experti, decentiorem rem indicant ægrotos in grabatis ad Eccleſiam, quàm ad eorum barbaras & irreligioſas caſas venerabile Sacramentum deferre. Nuptiæ poſſunt & ſolent in privatis ædibus celebrari: at in Eccleſiâ digniùs ſanctiúſque: & licet hoc Tridentina Synodus non præcipiat, illud edicunt plurimæ Provinciales.

An nuptiæ ibidem celebrari?

Quæſtiones de loco intrinſeco, non tam cætera Sacramenta, quam Euchariſtiam reſpiciunt; quoniam ſub ſpeciebus panis & vini verum corpus & ſanguis Chriſti Domini exiſtunt, modo mirabili: qui cùm potiùs ad ſpeculationem, quàm ad praxim pertineat, alibi à nobis tractabitur & examinabitur.

De loco intrinſeco.
De Chriſti ſub ſpeciebus exiſtentia.

Ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, nos monet Paulus: adeoque omnes, ne in vacuum Sacramenta recipiant. Eſt locus vacuus, qui caret corpore: gratia vacua, quæ caret effectu; quâ videlicet abutitur homo; aut non utitur: & Sacramentum vacuum, carens gratia: hoc vocatur *informe*, & eſt quod validè quidem confertur, at propter fictionem (hoc eſt peccatum actu impediens, non communicat gratiam: nam ſi Baptiſmus, cum actuali peccato ſuſciperetur, validè quidem ſuſciperetur; nec tamen, quouſque tolleretur fictio, daret gratiam.

Sacramentũ vacuum
Locus vacuus.
Gratia vacua.
Sacramentum informe.
Quid ſit fictio?

Et hic obiter notari volo multa nomina, quibus utuntur Ethici in hac materiâ, eſſe impropria: neſcio enim cur peccatum illud impediens vocari debeat *fictio*, & hoc nomine multos deceptos fuiſſe ſcio, & unum etiam in florentiſſimâ Vniverſitate exorbitare vidi, quòd hujus vocis Grammatico ſenſui conſtaret. Præterea impropriè dicitur *Sacramentum informe*, quod gratiam non confert: hoc enim non formâ, ſed effectu caret: nam in Baptiſmo ablutio eſt materia, verba ſunt forma, gratia, effectus.

Circa proprietatem verborum.
An Theologi impropriè loquantur?

Sua habent tempora Sacramenta determinata. Et ideò inter καιρὸν & χρόνον, cùm de uſu Sacramentorum agitur, Eccleſiæ providentia diſtinguit. Porrò Baptiſmus olim in ſenectutem differebatur, at hæc ipſa expectatio graviſſimis ſubjacebat, periculis. Et ideò jam eſt antiquata: & hoc prudentiſſimo ſæculo, non ad ſeptimum, duodecimum, trigeſimumve annum, quod Anabaptiſtæ faciunt receptio Baptiſmi differtur, ſed confertur etiam, hoc eſt, ubi primum καιρὸς, *tempus opportunum ſuccurrit*. Cætera Sacramenta ætatem in ſuſcipiente competentem requirunt: Alij infantes confirmant, alij tempus diſcretionis exſpectant. Pueri confiteri jubentur anno ſeptimo, Euchariſtiam poſt Confeſſionem quando capaces indicantur, recipient. Illis poſt ſeptimum ætatis annum adminiſtratur Extrema Vnctio, & prima tonſura, & tres minores Ordines poſſunt conferri. Vt quis Cenſuras incurrat, ut habeat obligationem communicandi, ut poſſit per verba de præſenti Matrimoniũ inire, requiritur annus pubertatis, qui in mari quartus decimus, & in fœmina duodecimus eſſe cenſetur. Ad jejunium obligat annus vigeſimus primus completus, ſexageſimus inceptus excuſat. Acolytatus 12. ad Hypodiaconatum 21. ad Diaconatum 22. ad Sacerdotium 25. & omnes inceptos requirunt. Epiſcopatus, & Cardinalatus ad trigeſimum differri debent. Præterea, nonnulla Sacramenta non celebrantur quocumque tempore, ſed à Pontifice determinato: Miſſæ enim leguntur ab aurorâ ad meridiem: Ordines conferuntur ſtatutis temporibus; & Matrimonia in Adventu & Quadrageſimâ celebrari non poſſunt.

Tempus Sacramentale.
Non omnis ætas eſt opportuna ut conferantur Sacramenta.
Nec omni anno die, nec omni diei horâ poſſunt omnia adminiſtrari Sacramenta.

QVINTVS PHYSICORVM LIBER.

MMCMXLV.
An Motus varias habeat ſpecies?
Sacramentum eſt duplex ſucceſſivum & permanens

IN eo agit Philoſophus de ſpeciebus & contrarietatibus motuum: & nos hîc non habebimus multa, quæ poſſimus ad mores convertere. Sciendum interim eſt, Euchariſtiæ Sacramentum eſſe permanens, cætera verò ſucceſſiva. Horum omnium materia in motu, forma in verbis, quæ etiam ſunt, ſucceſſiva, conſiſtunt. At Euchariſtiæ materia (ſpecies Sacramentales ſcilicet) permanens eſt; forma in fieri ſunt verba in facto eſſe, poteſt aut etiam debet hoc Sacramentum judicari biforme: nam ſicut Homo in Scoti ſcholâ habet duas formas: videlicet Corporeitatem, & Animam rationalem, ſic etiam Euchariſtia, quæ eſt Scotiſtarum homini ſimilis, duas habet moraliter formas. Ad primam pertinent verba moraliter perſeverantia, quod communiter dicitur: & ad ſecundam corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu-Chriſti, quod poſt Illuſtriſſimum D. Angelum Manrique, Sacræ Theologiæ Profeſſorem Primarium, & poſteà digniſſimum Pacis-Iuliæ Epiſcopum (vulgò *de Badajós*) docent multi Profeſſores Salmanticæ, ſub quibus hanc doctrinam ſcripſi, & plauſibiliter vidi defendi: Forma igitur in facto eſſe eſt duplex & permanens.

An Homo duas formas ſubſtantiales habeat?
An etiam Euchariſtia Sacramentum?

Multa occurrunt de motu ſpecierum, de motu Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ipſis: ſed quia purè ſpeculativa illa ſunt, nec morum formationem concernunt, alibi illuſtrabuntur, ubi de Sacramentis uberiùs, & accuratiùs diſputabimus.

SEXTUS PHYSICORUM LIBER.

MMCMXLVI. *De compoſitione Continui.*

DUplex eſt de Continuo ſententia: nam illud indiviſibilibus Zeno, illud Ariſtoteles partibus ſemper dividuis componi mordicùs aſſeverat. Zeno, & qui cum ipſo Continuum compoſuerunt atomis, non intellexerunt *atomorum* nomine Mathematica puncta: ut illis Ariſtoteles & alii affinxerunt; ſed intellexerunt corpuſcula, quæ licèt minutiſſima, trinam dimenſionem haberent. Et Iuniores, qui Continuum Geometricis punctis conſtituunt, falli convincuntur Geometricè, ut noſtra Matheſis Syntagmate I°. manifeſtè demonſtrat. *Duæ proponuntur Opiniones.* Hodie in Scholis alterutra ſententia defenditur, & neutra videtur repugnantiam involvere: vel des quæſo rationem aliquam demonſtrativam, ob quam non poſſit Deus duo creare corpora quorum alterum ſit in infinitum diviſibile, et alterum in omnes ſuas haſque finitas & indiviſibiles partes poſſit diſſolvi. *An utraque poſſibilis ſit? Quæ opinio convenientior Theologis ſit? An altera fuerit ab Eccleſiâ damnata?* Si agamus de corporibus quæ ſunt de facto: ſunt qui dicant Zenonem in Ioanne Huſio, Wicleffo, & aliis condemnatum: ſunt qui Ariſtotelem; ſunt qui neutrum. Propoſitio, quæ inter condemnatas legitur, eſt. *Continuum componi ex indiviſibilibus, eſt error.* Sed cujus ſunt illa verba, *eſt error*? Si Hæretici, Eccleſia Cenſuram condemnat; declaratque, non eſſe errorem aſſerere ex punctis Quantitatem conſtitui. Si ſunt Eccleſiæ: quomodo huic poſitioni & non aliis ſunt adſcriptæ Cenſuræ. Ergo veriſimilius eſt Wicleffum, Ioannem Huſium, & Hæreticos alios Doctorem aliquem Catholicum, qui Continuum componebat ex punctis, dixiſſe habuiſſe ſententiam erroneam & ſedem Apoſtolicam, ut ejus tutaretur honorem Hæreticorum damnaviſſe Cenſuram; nam illa continui compoſitio, etſi falſa ſit, contra Fidem & bonos mores nihil habet. *Sed eſto* (quia me non tangit) illa, quæ Continuum ex Mathematicis punctis componit, fuerit ab Eccleſia damnata: illam ſemper judicavi falſam & improbabilem; & ſit ſi volueris hæretica. Manent adhuc duæ: Ariſtotelica, quæ Continuum ex ſemper dividuis componit: & Zenonica, quæ ex corpuſculis, ſeu indiviſibilibus Phyſicis. Et pronuncio, quòd Zenoni (modo à nobis explicato) adhærentes, nos expedire poterimus à graviſſimis difficultatibus, quibus Ariſtotelis ſententia eſt obnoxia. Et quidem in Sacramentorum materiis multa ſunt, quæ aliter debeant exponi, ſi inſiſtamus huic viæ; & aliter omninò, ſi alteri. In Sacramentorum verò formis Ariſtotelis ſententia ſuſtineri non poterit; nam illæ componuntur verbis, verba ſyllabis ſyllaba literis: & literæ inſectiles ſunt. *Sacramentorũ formæ non niſi indiviſibilibus componi poſſunt.*

SEPTIMUS ET OCTAVUS PHYSICORUM LIBER.

MMCMXLVII. *An à motu poſſit cauſa prima probari?*

EX motu corporum ad primum Motorem Philoſophus aſcendit ſubtili ratiocinio, cui ſi multa addideris, poteris fortè demonſtrationis nomen indere, nam manendo in terminis, quibus uſus eſt Ariſtoteles, videtur telæ araneæ ſimillimum, hoc eſt, ſubtile, leve & debile.

An certius ab uſu Sacramentorum. At Sacramentorum cognitio faciliùs, ſecuriùs, & ſublimiùs nos perducet ad Deum. Si enim, qui ordinatur, ab altero ordinato ordinatur; vel dabitur proceſſus infinitus, vel tandem devenietur ad unum qui ordines contulerit, & non receperit: & iſte eſt Chriſtus divini hujus Sacramenti Inſtitutor, æternus Sacerdos & Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech. *Verùm, Qui ordinatur, ab altero ordinatur, Principium per ſe notum ſit?*

Omnia nos Sacramenta uniunt Deo: omnia gratiam ingenerant: primam Baptiſmus & Pœnitentia; nempe per ſe, nam per accidens etiam cætera primam dare dicuntur. Stat ergo ſine Sacramentis ad Deum homines venire non poſſe, Sacramentis adiutos ſecuriſſimè & faciliimè poſſe. *Sacramentorum uſus.*

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTIS.

MMCMXLVIII. *Sacramentorum neceſſitas & utilitas.*

QUANTO Dæmones niſu ſalutem humani generis impedire conentur, non narratione aut probatione indiget, ſed lachrymis, vel remedio ſolummodo: nam & lachrymæ, ſi debito modo fundantur, etiam remedio ſunt. Cùm ergo fortiſſima Dæmonum tela contra Sacramentorum uſum dirigantur, vel hinc licet colligere illorum neceſſitatem & utilitatem. *Quanto illa niſu Diabolus auferre & delere conetur?* Quo ergo tempore tenebrarum Monarcha tantam caliginem in Hæreticorum mentes evomit, ut è ſeptem Orthodoxæ Religionis myſteriis vix duo percipiant, opus eſt, ut univerſi Catholici, & præcipuè Eccleſiaſtici, acuamus viſum, & contra Hæreſeon caliginem armemus intellectuales oculos, ne vaporibus adulterinis excæcemur. Armantur & roborantur illi libris, & quia magnos pauci legere poſſunt, rari volunt, hunc parvum ſcribimus, ut omnibus poſſit prodeſſe.

Et

Digitized by Google

Quænam Hæretici Sacramenta rejiciant?

Et quidem hujus ſæculi Hæretici tollere videntur Sacramenta : nam Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & matrimonium apertè reijciunt, & cum Cœna ipſorum, quidquid ipſi delirent, Sacramentum non ſit, [nam eorum Prædicatores, nec Sacerdotes ſunt, nec conſecrandi habent poteſtatem & authoritatem,] tota eorumdem Sacramentalis Theologia ad ſolum Baptiſmum reducetur. Cùmque etiam audeant dicere illum non eſſe neceſſarium; &, ut neceſſarium dicatur quâcumque aqua (artificiali, & naturali) poſſe confici : nimirum realiter & moraliter : nempe realiter, ſi idem, qui *Ego te baptizo*,&c.ait, aquam infundat: moraliter ſi unus, verba pronunciet, & aquam miniſter aut alius infundat.

Prædicantes Sacerdotes non ſunt.

Quænam retineant? An ſemper apud ipſos Baptiſmus ſit validus?

DISPVTATIO I.

METETHICA.

De Sacramentis in genere.

Quid ſint Entia Moralia?

MMCMXLIX. MORALIA non ſunt Entia rationis, aut figmenta illudentis ingenij, ſed ſunt quædam Realium Entium ſimilitudines, & neceſſariæ quædam à Prudentibus inventæ hypotheſes. Succollat illa hoc univerſaliſſimum Protheorema, *Oportet ut de realibus realiter (ut de phyſicis phyſicè) ſic etiam de moralibus moraliter philoſophari.* Hoc ut intelligas, adnotato Philoſophos ultra Phyſicam conſtituiſſe Metaphyſicam ; cuius objectum eſt Syſtema Corporeum, nec enim Priſci Ethnici, ſicut nec hodie Mahometani, ſciunt aliquid de rebus ſpiritualibus.

Generaliſſimum Protheorema, quod ſcientias Morales ſuccollat.

Entis Prima Diviſio.

Prima Entis diviſio eſt in Syſtemata, ſeu attributa Syſtematica : qualia ſunt Corporeum, ſpirituale, ſupernaturale, Infinitum, &c. nec non Morale, Artificiale, &, ſi vis hoc addere, Chimœricum.

Quid ſit Syſtema?

Syſtema (ſi vox univerſim ſumatur) eſt aggregatum omnium Prædicamentorum poſſibilium ſub uno Ente eiuſdem denominationis. [*Omnium* dixi, non *decem* : non enim in omni Syſtemate Prædicamenta ſunt decem : quia ſublatis corporum, & rerum creatarum imperfectionibus, aliqua coïncidunt, ut ſtatim videbimus.

De numero Prædicamentorum.

De Materiali Syſtemate.

Syſtema Materiale eſt aggregatum omnium Prædicamentorum Materialium ſub uno Ente materiali. Prædicamenta in Syſtemate Materiali ſunt decem : I. ſubſtantia. II. Magnitudo, ſeu Quantitas. III. Qualitas. IV. Relatio. V. Actio. VI. Paſſio. VII. Duratio ſucceſſiva, cuius eſt Quando accidens. VIII. Collocatio, aut Vbicatio. IX. Situs. X. Habere. Reliqua Prædicamenta magis ſunt nota in Scholis Europæ : dicam tamen de hoc ultimo aliquid. Illud explicat Ariſtoteles dicens, ὅτι τὸ ἔχειν μὲν σημαίνει τὸ ὑποδεδέσθαι, τὸ ὡπλίσθαι. *Ceterùm Habere ſignificat, calceatum eſſe, armatum eſſe.* Et hoc eſt verum in Syſtemate Artificiali, non autem in Reali aut Naturali : nam in hoc Plantæ habent folia, & fructus, &c. Animantes, dentes, capillos, ſquamas, plumas, ungues, cornua, dentes, &c. in Artificiali veſtes & ornamenta. Manet ergo Ariſtotelem hoc Prædicamentum minimè intellexiſſe, illudque non bene hodie ab Ariſtoteleis dilucidati.

Prædicamenta Materialia.

Exponitur ultimum Prædicamentum.

De immateriali Syſtemate.

Syſtema ſpirituale eſt aggregatum omnium Prædicamentorum ſpiritualium ſub uno Ente ſpirituali. Cùm ſubſtantia ſpiritualis indiviſibilis ſit, eſt incapax Quantitatis à quâ partes recipiat ; & ſitûs, qui illas coordinet. Dantur Qualitates, Relationes, Actiones, & Paſſiones ſpirituales. Duratio eſt Æviterna ; partim ſucceſſiva, & partim permanens. Quà ſucceſſiva *Quando* ſibi proportionatum habet. Cùm ſpatium res corporea ſit : & imaginaria, non ſint vera, ſed imaginata tantummodò, ut Auguſtinus loquitur, multi Vbicationem ſpiritualem negant, aſſerentes Angelos ſe unientes corporibus ubicari per accidens. Habent Angeli ſpiritualiter dotes & prærogativas ſuæ naturæ congruas, quæ vel ab illorum eſſentiâ promanant, vel Deus illis conceſſit.

An ſpiritualia ſint indiviſibilia?

Quid ſint ſpatia imaginaria?

Quomodo ſint in loco Angeli?

De Syſtemate ſupernaturali.

Syſtema ſupernaturale eſt aggregatum omnium Prædicamentorum ſupernaturalium ſub uno Ente ſupernaturali. Entia ſupernaturalia ſunt ſpiritualia & indiviſibilia : Ergo Prædicamenta, quæ à ſpirituali excludebantur, etiam ab hoc Syſtemate debent excludi. In eo igitur nec Quantitas, nec ſitus, nec Vbi locum habent. De ſubſtantiâ eſt graviſſima quæſtio : multi enim tam ſeverè illam negant, ut contra aſſerentes ſcommata & cenſurarum effulminent : alij loquuntur mitiùs : & alij tandem ad inutilem λογομαχίαν totam controverſiam reducunt. Dari ſupernaturales Qualitates, Actiones, & Paſſiones, indubitatum eſt. Cur ſupernaturales Relationes admitti non poſſint, debeant-ve, non percipio. De ſupernaturali Duratione, quæ ſit diſtincta ab Ævo, nullam notitiam habeo, nullum conceptum formo. De Prædicamento *Habere* moveri poſſet Quæſtio, quæ merè nominalis ſit : aliud enim eſt id, quod habetur, eſſe ſupernaturale, & aliud haberi ſupernaturaliter. Porrò Charitas habitus (potentia veriùs ; dat enim ſimpliciter poſſe) ſupernaturalis eſt ; & à voluntate habetur ſupernaturaliter, non naturaliter : at Contritionis actus (eſt enim primariò amor Dei ſuper omnia; & ſecundariò deteſtatio peccati.) Chari-

An detur ſubſtantia ſupernaturalis?

Aliud eſt habere rem ſupernaturalem, & aliud habere ſupernaturaliter.

Quales ſint qui vocantur habitus ſupernaturales?

Quid ſit contritio?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tati ineſt connaturaliter.

De Infinito Syſtemate.

Syſtema Infinitum eſt aggregatum omnium Prædicamentorum Infinitorum, ſub uno Ente Infinito. Sanè Infinito Corpori, ſi daretur, multa Prædicamenta repugnarent.

An Infinitum ſi daretur, poſſet dividi?

Primò enim eſſet indiviſibile: Ergo non haberet Quantitatem: ſi hanc non, nec magnitudinem: & ſine magnitudine quomodo poſſet eſſe infinitum. Non poſſe dividi Infinitum demonſtratur clariſſimè, nam, ſi in duas partes divideretur: ſingulæ eſſent finitæ aut infinitæ. Non illud; quia ex duabus partibus finitis Totum Infinitum conformari non poteſt. Non hoc; quia jam daretur aliquid Infinito majus, (quia duo Infinita eſſent plus, quàm unum Infinitum) quod eſt contra conceptum Infiniti. Poſſet habere Qualitates, & has intenſas finitè aut infinitè. Et huc reſpicientes ſubtiliores Thomiſtæ, tametſi peccatum onerent infinitâ malitiâ, hanc docent eſſe gravem finitè: & hinc inæqualitatem peccatorum deſumunt, & alia aliis eſſe graviora, & digna majori pœnâ contra Stoicos ſtatuunt. Præterea, Corpus Infinitum, ſi daretur, deberet eſſe unicum: & ideò non poſſet numero multiplicari. Et, ſi non poſſent alia corpora, quæ reſpiceret, omni deberet Relatione carere: nam Relationis eſſentialis conceptus eſt *ad aliud*. Qualem alia Corpora, poſſet Durationem habere: immò etiam Quando. Actiones etiam, & Paſſiones immanentes exerceret; non tranſeuntes, nec enim poſſet in alia agere corpora, aut ab aliis pati. Cùm eſſet ubique, & omne ſpatium impleret, non poſſet habere Locum aut Vbicationem ſpecialem. Careret etiam Situ, centrum enim haberet ubique, & nullibi circumferentiam. Non poſſet indui veſtibus: immò nec habere illa naturalia ornamenta, quæ in Corporeo Syſtemate in Prædicamento *Habere* ponebamus. Et quidem tametſi Corpus Infinitum impoſſibile ſit, eſt utilis eius Meditatio: non enim juvat, ut Quæſtiones Naturales de Deo melius intelligamus. [a]

An infinita ſit in peccato malitia?

An & cur non ſint omnia peccata æqualia?

a] Hinc orta eſt illa celebris Dei definitio, quam Mercurius Triſmegiſtus tradidit: nimirū, *Deus eſt ſphæra intelligibilis cuius centrū ubique eſt & nullibi circumferentia.*

De Divino Syſtemate.

An, & quādo in eo omnia coïncidant?

Syſtema Infinitum Increatum eſt aggregatum omnium Prædicamentorum Infinitorum & Increatorum ſub uno Ente Infinito & Increato. In eo, quia omnia ſunt idem, ubi non obviat Relationis oppoſitio, Prædicamenta coïncidunt, & præſcindendo ab oppoſitione Relationum, invicem identificantur.

An Deus & Angeli in Prædicamēto ponantur?

Hinc patet, quid reſpondendum ſit interrogantibus, An Deus & Angeli in Prædicamento conſtituantur? nam Deus in Syſtemate Infinito Increato ponitur: non in Syſtematibus aliis: & Angeli habent etiam ſpeciale Syſtema, nam in ſpirituali poſſunt Angelicæ ſubſtantiæ nec non Angelica Accidentia collocari.

De Syſtemate Morali, ſeu Virtuali.

Syſtema Morale eſt aggregatum omnium Prædicamentorum Moralium ſub uno Ente Morali. P. Ioannes Eſcudero Ordinis Ciſtercienſis, S. Th. Doctor & Profeſſor Compluti, profundæ meditationis Vir, percepit, ſed non clarè, huius Syſtematis neceſſitatem: & ideò decem Ariſtotelis Prædicamentis addidit duo: quæ *Moralitatem*, & *Ens rationis* nominavit. At Moralitas (& idem dicito de Ente rationis, ſi illud detur) non continetur intra limites unius Prædicamenti, ſed omnia decem percurrit, & ideò habere debuit ſuum Syſtema, in quo omnia Moralia Prædicamenta collocentur. Paſſim enim occurrunt ſubſtantiæ, Materiæ, Formæ, &c. Morales. Quantitates, Magnitudines, Partes, Numeri, &c. Morales. Habitus, Diſpoſitiones, Potentiæ Impotentiæ, Figuræ, & aliæ Qualitates Morales. Sunt etiam Morales Relationes. Dantur etiam Tempus, Quando & ſimul Moralia. Et ſunt in utroque Iur notiſſimæ Actiones. Paſſiones, Creationes, & Depoſitiones Morales. Etiam Loca, ſituationes & Vbicationes Morales inveniuntur: & Habere latiùs in hoc Syſtemate patet, quàm in aliis.

An pro Moralitatibus ſufficiat unicū Prædicamentū?

N. B. Entis Moralis in genere ſumpti definitio ſit hæc.

Vocamus Ens Morale *aut virtuale, quod non eſt quale dicitur, prudentum autem exiſtimatione aut ſuppoſitione ita ſe habet, ac ſi quale dicitur, eſſet.* Ita generatio Civilis (Adoptio) non eſt revera generatio ut dicitur, at ex prudentium ſuppoſitione ita ſe habet ac ſi qualiter dicitur eſſet.

Porrò Moralia, quia adinſtar Realium concipiuntur, ideò adinſtar Realium explicantur. Ego Metethicam, quæ omnium Moralium Entium rationes cogitat & ediſſerit, tribus Tomis, quæ PANDOXIA inſcribuntur, copioſe tradidi. Et hanc ob rem impræſentiarùm omnia breviùs expediam; nam in ſingulis Sacramentis unam Metethicam Diſputationem præmittendo, dabo lucem ſupervenientibus difficultatibus. Et quia nunc de Sacramentis univerſim ſumptis diſſerimus, Analogam etiam Diſputationem præmittimus, & exornamus.

ENS SACRAMENTALE.

Quid Ens Sacramentale ſit?

EST conceptus latiſſimus & generaliſſimus: communis omnibus rebus Sacramentalibus; de quibus intrinſecè, extrinſecè-ve prædicatur. Eſt autem res Sacramentalis, quæ pertinet ad Sacramenta. Et quia hæc ut Entia completa Phyſica concipiuntur: habent ſuas Materias & Formas Sacramentales, ſua Sacramentalia Attributa, ſuas Operationes & effectus, &c. de quibus in ſpecie & accuratè diſputabimus.

An ſit univocum?

Petis, An iſte conceptus ſit univocus vel æquivocus? an fortè analogus? an ultimas differentias tranſcendens? Et reſpondeo præcocem eſſe iſtam quæſtionem, & pendêre à dicendis inferiùs: eo enim aut ſimili ſenſu, quo Ens reale dicitur Vnivocum poteſt etiam Ens Sacramentale: & quo illud jubetur formalitates univerſas tranſcendere in ſuo reali Syſtemate: eodē iſtud poſſet tranſcendere moralitates univerſas in Syſtemate Sacramentali.

SVBSTANTIA SACRAMENTALIS.

MMCML.

Quid ſit Sacramentū?

MVltas definitiones audio, non ſolùm in Scholâ Morali & Theologica: immò etiam in Philoſophicâ & Dialecticâ, ſi tamen examinentur accuratè, non omnes ſatisfacere videntur legibus præſcriptis à Logicâ. Ergo non erit mirum, ſi in Sacramentali materiâ ſuos nævos, quæ traduntur habeant, & debeant elimari, vel corrigi. Celebris eſt illa Definitio Auguſtini, *Sacramentum eſt viſibile ſignum inviſibilis gratiæ*, quam ad terminos

Digitized by Google

terminos clariores reducens, affirmo Sacramentum ſecundum ſubſtantiam ſuam conſideratum eſſe *Signum ſenſibile inſenſibilis gratiæ.* Sed cur dicitur *ſenſibile ſignum*? An dantur ſigna inſenſibilia? &, ſi omnia ſunt ſenſibilia, ſufficeret dicere *ſignum*. Poſſem omnia concedere, & permittere, ut adhuc corrigas communem definitionem Sacramenti. Sed, ne nova admittatur ſupra correctionem correctio, dico dari etiam ſigna inſenſibilia, quibus utantur Angeli, aut etiam homines intellectualiter: nam ipſoſmet conceptus, qui naturaliter objecta ſua ſignificant, poſſe etiam ſignificare ad placitum, eſt manifeſtum: nam, ſicut poſſum dicere, Volo, quod hæc vox *ſalve*, quoties à me audiatur, mihi ſignificet, *Memento mori*: ſic etiam poſſum dicere, Volo, ut quoties talis in mentem meam cogitatio ſubrepat, mihi ſignificet *Memento mori*. Sed de hoc argumento alibi uberiùs diſputabo.

An dentur ſigna inſenſibilia?

An actus mentis poſſint ad placitum ſignificare?

Potuit aliter Chriſtus Oeconomiam Sacramentalem inſtituere: at voluit talia in Eccleſiâ viſibili eſſe Sacramenta quæ conſtarent duobus: altero tanquam materiâ: altero tanquam formâ. Vbi obiter notare debes, Ens morale eſſe tanquam Ens phyſicum, & quæ ſunt tanquam materiæ & formæ phyſicæ, eſſe veras materias & formas morales.

Potuit Chriſtus alia & aliter Sacramenta inſtituere.

Sacramentorum partes & compoſitio.

MMCMLI. *Materia.*

Materia Sacramentalis id eſt, quod informatur & elevatur verbis ad effectum Sacramentalem: & quidquid illa ſit, debet eſſe ſenſibilis; nimirùm, aut per ſe; aut per connexum aliquod. Requiritur ad eſſentiam, ſubſtantiam & exiſtentiam Sacramenti: unde, ſi materia deficiat omninò, aut illegitima ponatur, confici Sacramentum non poterit.

An debeat eſſe ſenſibilis?

Determinavit Chriſtus Dominus Sacramentorum materias: at non omninò: reliquit enim adhuc hominibus determinanda. *Primò* enim de individuis rationibus nullam legem indixit: & hanc ob rem poterit quicumque Miniſter uti hac vel illâ aquâ, hoc vel illo oleo, hoc vel illo pane vel vino. *Secundò*, nec de ſpeciebus infimis ubique pronuntiavit: vinum enim album à rubro diſtingui ſpecie Reales Phyſici judicant, & tamen alterutrum ſufficere ad conſecrationem ſupponunt. *Tertiò*, nec omnia accidentia determinavit Chriſtus, ſed liberum reliquit homini, ut uteretur quantitate magnâ, vel parvâ (æquè enim particulam, quàm hoſtiam magnam conſecramus) quacumque qualitate (licet enim baptizare aquâ frigidâ, licet & calidâ) tempore etiam & loco qualicumque: nam quâcumque horâ & loco poſſumus confiteri, & veniam culparum impetrare. Scio aliqua hodie accidentia limitari: ſed hæc limitatio non eſt à Chriſto Domino, ſed ab Eccleſiâ, quæ ex juſtiſſimis cauſis locorum, temporum, &c. diſcretionem inſtituit, ut Sacramenta meliùs decentiùſque conficiantur: ubi notare oportet limitationes ab Eccleſiâ præſcriptas eſſe leges, & quà tales non requiri ad valorem: aliud eſt enim præcipere ut Parrochus & teſtes Matrimonij celebrationi interſint, & aliud reddere contrahentes incapaces, ut aliter poſſint Matrimonium inire: aliud præcipere, ne Sacerdos audiat confeſſiones, aliud non dare, aut auferre ſubditos, in quos juriſdictionem exerceat: quia enim contra merum præceptum operatur, rem facit validè, ſed illicitè: qui contra definitionem annullantem, invalidè.

An à Chriſto fuerit determinata?

De differentiis individualibus & ſpecificis.

An album rubrumque vinum diſtinguantur ſpecie?

De quantitate materia.

De ejuſdem qualitatibus.

An, & quomodo Eccleſia in Sacramentis circumſtantias limitaverit, & determinaverit?

Leges ſolent contractus illicitos reddere: an etiam dirimere?

[*Poſſemus dicere*, duo eſſe genera legum; aliaſque eſſe præceptivas, alias annullativas: & addere, præceptivas imponi hominibus, & peccare qui eas temerant: annullativas imponi objectis (contractibus, poteſtatibus, &c.) & definire, quomodo hic vel ille contractus validè debeat fieri; & decernere eſſe invalidum, ſi aliter fiat. Pono exemplum. Lex de non contrahendo matrimonio poſt votum ſimplex, eſt præceptiva: ne aliquis, ſi fortè votum ſimplex emiſerit, ducat uxorem, præcipit. Qui non obedit, peccat; ſed validè contrahit. At verò, lex de non contrahendo matrimonio poſt votum ſolenne, eſt annullativa, imponitur enim contractui: cui præſcribitur, ut invalidus ſit, ſi dirimente aliquo impedimento præpediatur. Sic ſimiliter lex de teſtamentis eſt annullativa (ſeu definitiva) nemini præcipit, ut teſtamentum faciat, aut omittat: ſed circumſtantias definit & præſcribit, ſub quibus debeat validè fieri: & ſi deſint, annullat. Poteſt etiam lex ſimul eſſe præceptiva, & annullativa; & tunc, qui illam violet, peccabit, & tamen nihil validè faciet, ut videre eſt in Presbytero, qui uxorem duxerit.]

Lex duplex: præceptiva, & annullativa. Illa perſonis, & hæc imponitur contractibus.

Vtraque dilucidatur.

An una & eadem lex poſſit ſimul eſſe præceptiva, & annullativa?

FORMA *Sacramentalis*, eſt ſubſtantialis in ſuo ordine, Sacramentumque conſtituens intrinſecè moraliter. Illam verba conſtituunt in cæteris Sacramentis: & in Matrimonio etiam nutus, quibus conſenſus intrinſecus ſignificatur.

Forma an ſit ſubſtantialis?

Verba non debent eſſe certa determinataque materialiter, ſed formaliter tantùm, hoc eſt, ſecundum ſignificationem certæ alicuius ſententiæ, quæ ex præſcripto Chriſti in unoquoque Sacramento per verba debet manifeſtari.

De determinatione verborum. *Ioannes Poteryus Theſ. 11.*

ACCIDENTIA SACRAMENTALIA.

MMCMLII. *De accidentibus Sacramentorum.*

LIcet Chriſtus Dominus accidentales formas non præſcripſerit, ſed nobis illarum diſcretionem commiſerit, non erit unicuique liberum ſub quibuſcumque accidentibus Sacramenta conficere. Multa præſcribit reverentia, multa devotio conſulit, multa præcipiunt Generalia Concilia, quæ eo debent ſervari modo, quo præcepta: in omnibus enim Sacramentis obices impedientes reperiuntur, & dirimentes in aliquibus, quorum haberi debet Summa ratio.

Impedimenta impedientia & dirimentia.

QVAN

Digitized by Google

QVANTITAS SACRAMENTALIS.

MMCMLIII. *De terminis magnitudinis & parvitatis? De pane infinito. De particulâ minimâ.*

DVplex eſt: continua & diſcreta. Illa conſiderari poteſt ex parte materiæ; poteſt ex parte formæ. Et, ſi interroges, *An Sacramentalis materia habeat terminos magnitudinis,& parvitatis?* hoc eſt, *An panis infinitus eſſet conſecrabilis? An ſaltem poſſet coqui tam magnus, qui conſecrationis eſſet incapax? An unum panis indiviſibile ad Euchariſtiam conficiendam ſufficiat?* Et, ſi non, *An dari poſſit particula ita parva, quæ eſſet inſenſibilis, & per conſequens inconſecrabilis?* Si hæc aut ſimilia interroges, dicam hæc omnia non ſpectare ad praxim, nec communem curſum rerum, ſed reſpicere abſolutam potentiam & miraculoſa prodigia: & ſufficere nobis ſcire nullam humanitùs deſignare poſſe partem tam magnam, aut tam parvam, quæ non ſit ſenſibilis, & poſſit eſſe Sacramenti materia.

Velecyus Theſ. 11. *Quid eſſentialiter requiratur in formâ?*

Ex parte formæ etiam eſt habenda conſideratio quantitatis. Sanè formæ Sacramentorum, ſi vel naturaliter, vel ex accommodatione, uſuque loquentium & audientium conſtiterint, etiamſi verba aliàs depravatè corruptéque pronunciata fuerint, aut illis adiectum, aut detractum fuerit, Sacramenta vera & valida prorſus erunt: quamquam aliquando non ſine peccato Miniſtri propter præceptum aut Eccleſiæ, aut decenciæ.

Cur Chriſtus pauca Sacramenta inſtituerit?

Veniendo ad Quantitatem Diſcretam, debemus ſcire ſub lege Iudæos gemuiſſe & occlamaſſe magno legum & myſteriorum onere preſſos, & interdum oppreſſos, & ideò Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, tanquam ſapientiſſimum Medicum pauca alexipharmaca inſtituiſſe, quæ ſufficerent morbis Animæ univerſis curandis. Auguſtinus *in lib. de ver.relig.* [Ab ipsâ Dei ſapientiâ homine adſumpto, à quo in libertatem vocati ſumus, pauca Sacramenta ſaluberrima conſtituta ſunt, quæ Societatem Chriſtiani Populi, hoc eſt ſub uno Deo liberæ multitudinis continerent. Sed quidam (N. B.) ipſam Religionem noſtram, quanquam manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis, Dei miſericordiâ, (puta, in libertate conſervatam) nolunt eſſe liberam, (ſed) ſervilibus premunt oneribus.] Et utinam illi *quidam*, de quibus Sanctus Pater agit, ſint pauci; nam cognoſco non paucos, qui præcepta ſine causâ multiplicant, & ſub talibus circumſtantiis peccata reſervant, ut nocere debeat reſervatio, & ſubditis non poſſit prodeſſe.

An liceat Prælatis gravem reddere Religionem, quam Chriſtus ſuavem & levem eſſe voluit?

An ſint ſeptem Sacramenta? An qui, vel plura, vel pauciora poneret, eſſet hæreticus? Quot ſint in Novâ Lege Sacramenta?

Sed quot ſunt hæc pauca Sacramenta? Reſpondet Synodus Tridentina seſſ. VII. *ſi quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non fuiſſe omnia à Ieſu-Chriſto, Domino noſtro, inſtituta: aut eſſe plura, vel pauciora quàm ſeptem: videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam-Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramentum: anathema ſit.* Profectò Baptiſmum, Confirmationem, Pœnitentiam, Communionem, Extremam-Vnctionem; nec non Ordinem, & Matrimonium. Hypodiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus ſunt Sacramenta; non tamen quatuor diverſa, ſed unum. Huc reſpiciens Calixtus, & alij ſuperintendentes Lutherani, qui deſiderabant Religionis concordiam, ut oſtenderent nos & illos idem docere & ſentire, ſed tantummodò verbis differre; contendebant, Sacramenta eſſe ſeptem, ut Catholici ſtatuunt, & illæſa Orthodoxâ doctrinâ eſſe etiam quatuor (Baptiſmum, Cœnam, Ordinem,& Matrimonium) ut Lutherus pronunciat: nam Confirmatio, & Extrema Vnctio, quæ eſt quædam ægroti confirmatio, ſunt quædam conſectaria Baptiſmi: Pœnitentia eſt ad Cœnam ſeu Euchariſtiam diſpoſitio: Ordo diverſas partes (Hypodiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum) complectitur. Et ſponſalia aperiunt Matrimonio viam. Quibus poſitis conabantur oſtendere aliter Lutheranos, & aliter Catholicos, loqui, ſed eodem modo ſentire. Deus det hoc eſſe verum: & ſub initium fortè fuiſſe verum crediderim: at hoc ævo ſenſim Lutherani in Calviniſmum ruunt, & hac viâ ad Atheiſmum facili negotio perveniunt.

Quot-nam Martinus Lutherus conceſſerit? An nobiſcũ in re conveniãt Lutherani, & tantum in modo loquẽdi diſſentiant?

Etiam in ſingulis Sacramentis Miniſtrorum numerus poteſt conſiderari. Solent multi unum & idem Sacramentum conficere: ſolet unus ſimul multis Sacramentum conferre. Poſſunt plures per modum unius unam & eamdem hoſtiam conſecrare: poteſt unus conſecrare etiam multas ſimul: & in ſingulis Sacramentis modò non mutentur formæ verba, debitâ proportione proceditur.

De Miniſtrorum numero in Sacramentorũ confectione.

QVALITAS SACRAMENTALIS.

MMCMLIV. *Qualitates præcipuæ.*

E Multis, quas diverſi Philoſophi enumerant, examinare & expendere placet Diſpoſitionem, Potentiam, & Impotentiam, & Formam.

Diſpoſitio.

Et quidem debitam animi ſingula Sacramenta diſpoſitionem requirunt: & magna videtur irreverentia adminiſtrare illa cum peccato mortali.

Impotentia.

Vt ſingula Sacramenta recipiant, nec omnes potentes, nec omnes impotentes ſunt: nam ut Miniſtri concurſus validus & legitimus ſit, requiruntur hæc quatuor.

Quæ requirantur, ut aliquis Miniſter legitimus ſit?

Primum, ut Miniſter Sacramenti divinitùs ſit inſtitutus: & ut ſit certa legitimaque poteſtas in Eccleſiâ Catholicâ; & hæc ipſa Miniſtro peculiari electionis, ordinationis, & miſſionis ritu ceremoniâque ab Epiſcopis Apoſtolorum Succeſſoribus collata ſit. Hoc de omnibus Sacramentis intellige Matrimonium nonnulli & Baptiſmum excipiunt: ſed neutrum omninò caret legibus: invalidum enim eſt in multis locis Clandeſtinum: & extra neceſſitatis articulum Baptiſmus non licitè ab omnibus poteſt conferri. Hinc patet præter Baptiſmum vix aliud Sacramentum Catholicos Prædicantes conficere; quia putè

An hodie habeant vera Sacramenta Heterodoxi? Qualis ſit apud illos Baptiſmus? Qualis Cœna?

Digitized by Google

purè humanitùs (ſeculariter, & hæreticè) inſtituti ſunt. Sed neque in Baptiſmo ſemper bene procedunt; nam aliquando Principes aquâ odoraceâ abluunt: & tali aquâ Principem Auriacum N. ſe præſente baptiſatum fuiſſe, Emanoel Portugalliæ Princeps, Antonij filius Bruxellis anno 1636. recenſuit. Cœna, quam ipſi tanti faciunt, cùm eareant veris Sacerdotibus, & Prædicantes careant intentione legitimâ, inanis cæremonia eſt.

An Miniſter debeat à ſuſcipiente diſtingui?

Secundum, Vt Miniſter ſit alius ab eo, qui Sacramentum ſuſcipit: excipe tamen Matrimonium & Euchariſtiam: in illo enim contrahentes ſunt Miniſtri; & hanc Miniſtri ipſi ſuſcipiunt.

An, & qualem intentionem habere debeat?

Tertium, ut Miniſter habeat aliquam, & peculiarem animi intentionem, ſive actualem & expreſſam ſive virtualem & implicitam, faciendi videlicet quæ inſtituit Chriſtus & expoſuit Eccleſia. Sed de hac intentione inferiùs, uberiùs diſputabo.

Verba dupliciter proferri poſſunt Sacramentaliter, & recitativè: & differentia declaratur.

Quartum, ut hanc ipſam intentionem non ad rem tantum extrinſecam ſed ad valorem & effectum extendat. Pono exemplum. Volo docere cæremonias Neomyſtam: poſſum id præſtare omni horâ, omni loco: etiam poſt prandium. Venio ad verba conſecrationis, & ea profero, ut ille diſcat, quomodo ipſa debeat proferre. An conſecravi? minimè: nam illa protuli recitativè: non conſecrativè: habui intentionem proferendi illa extrinſeca verba quæ inſtituit Chriſtus: non autem intentionem faciendi per illa, quod fit, quando conſecrativè dicuntur.

Sacramentorum accidentia.

Forma etiam extrinſecùs conſiderata, eas verborum & rituum accidentarias cæremonias complectitur, quibus Catholica Eccleſia in cujuſvis Sacramenti utitur adminiſtratione, vel ad eorum ſingularem ornatum, vel ad populi pietatem maiorem. Has ſine peccato nemo contemnere aut omittere, vel privatâ authoritate mutare poteſt.

Relatio Sacramentalis.

Quid ſit Relatio?

Est Relatio, quædam inter terminos habitudo, & primò concipitur inter ipſamet Sacramenta. Hæc ſi eo ordine, quo ſolent recipi conſiderentur, ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Matrimonium, Ordo & Extrema-Vnctio. Si ſequamur ordinem dignitatis, Euchariſtia (ſiquidem continet & exhibet Chriſtum re ipsâ & ſubſtantialiter præſentem) cæteris omnibus perfectior eſt. Et reliqua non facili negotio ad debitum ordinem reduces. Si oculos ad neceſſitatis ordinem convertamus, conſtitui debet primo loco Baptiſmus, ſecundo Pœnitentia, quæ eſt ſecunda poſt naufragium tabula, tertio Euchariſtia, &c.

Ordo inter Sacramẽta. *Ordo receptionis.* *Ordo dignitatis.* *Ordo neceſſitatis.*

Affinitas & conſanguinitas.

Relatio inter ipſas perſonas (nempe conſanguinitatis & affinitatis) in aliquibus Sacramentis conſideranda eſt: nam intra talem & talem gradum Matrimonium ex. gr. dirimit, &c.

Quando Sacramentale.

MMCMLV.

Quo tempore confici poſſint Sacramenta?

Omnia tempora, ſtando Inſtitutioni Divinæ ſunt apta: at ob maiorem reverentiam Eccleſia, quibus debeant fieri aliqua Sacramenta prudentiſſimè determinavit.

Materia & formæ coëxiſtentia.

An-ne ſimul debent coëxiſtere Materia & Forma Sacramenti? Debent ſaltem moraliter. Quam ob rem morula realis exigua interpoſita veritati Sacramenti non incommodat: ſecùs, ſi fuerit magna: magnam voco, quæ excludat ſimultatem moralem.

Actio Sacramentalis.

Sacramentorum inſtitutor.

Cauſa Efficiens Sacramentorum novæ legis eſt duplex: videlicet Inſtituens & Conficiens. Sane propriâ authoritate ſolus Deus, adeoque Chriſtus ut Deus poteſt inſtituere Sacramenta: & ea ſic ſolus inſtituit. Alienâ verò authoritate, ſeu per commiſſionem Chriſtus quà homo eorumdem Sacramentorum fuit Inſtitutor. At hîc, cùm magis eſſe lynceus volo, allucinor: nam Chriſtus quà homo, vel eſt humanitas ſola in abſtracto; vel eſt hic homo ſingularis, qui dicitur *Chriſtus*. Si primum dicatur, hoc ſenſu ſacramenta non conſtituit, nam actiones ſunt ſuppoſitorum, quoniam Abſtracta ſunt formæ totales, & non operantur *ut quod*, ſed *ut quo*. Si ſecundum dicatur, hic homo ſingularis, qui dicitur *Chriſtus*, ſumitur in Concreto; ergo dicit ſuppoſitum; ergo Hypoſtaſim Divinam includit: Ergo eſt Deus. Proprio ergo nomine & authoritate & non ex commiſſione in ſacramentorum inſtitutione proceſſit.

An Chriſtus proprio illa nomine inſtituerit? *Miniſtri.*

An ſint inſtrumentales cauſæ?

Sacramentorum divinitùs inſtitutorum cauſæ Conficientes ſunt homines, qui nullo impedimento dirimente ligati ſunt. Iſtæ cauſæ vocantur communiter *Inſtrumentales*.

An conficere Sacramentum & producere gratiam idem ſit? *An dentur, & quid ſit Sacramentũ informe?*

Et hîc obiter notandum eſt, aliud eſſe conficere Sacramentum, & aliud proproducere gratiam: illud enim à Miniſtro conficitur, & hæc ab ipſo Sacramento producitur: phyſicè vel moraliter, ſecundum diverſas opiniones. Accedit, dari Sacramenta informia, in quibus quando fiunt, producitur gratia.

Passio Sacramentalis.

MMCMLVI.

Actio & Paſſio ſunt analoga.

Sicut non omnes perſonæ poſſunt omnia Sacramenta conficere: ſic nec omnes poſſunt omnia ſuſcipere propter impedimenta, vel intrinſecùs, vel extrinſecùs, ſuccurrentia.

Primò enim Baptiſmus non confertur nolentibus; & an, & quando, & quomodo infidelium filiis ſit conferendus? diſputatur.

D Secundò

Secundò Pœnitentiæ incapaces ſunt, qui uſum rationis nondum habent. Eucharistia, quæ olim dabatur infantibus, hodie non datur.

Tertiò Religioſi, & ad Ordines majores promoti, non poſſunt matrimonium inire. Et ſunt alij, qui licèt illud inire poſſint, cum tali vel tali non poſſunt.

Quartò mulieres non poſſunt promoveri ad Ordines. Et hic obiter nota Preſbyteras & Diaconas de quibus multa legimus in hiſtoriis, non fuiſſe fœminas ad ordines promotas, ſed uxores aut coadjutrices Preſbyterorum, & Diaconorum.

Effectus Sacramentalis.

Quæ ſit gratia prima & ſecunda?

Quanã primam, & quanam ſecundam cōferant Sacramenta?

Quanam gratia auxilians.

Character, An poſt Baptiſmū cum fictione ſuſceptū Gratia à Charactere producatur?

Duplex eſt: Gratia, & Character. Omnia enim Sacramenta dant gratiam habitualem, quæ ſi nullam aliam in animâ reperiat, *prima* ſi aliam reperiat, *ſecunda* dicitur. Baptiſmus & Pœnitentia per ſe conferunt primam, & ſecundam aliquando per accidens: cætera Sacramenta conferunt per ſe ſecundam, & primam aliquando per accidens. Præter habitualem gratiam etiam auxiliantes Sacramentis debemus, quibus illa muniatur & augeatur. *Character* eſt quædam nota ſpiritualis & indelibilis, quæ animo inſcribitur, cùm ſuſcipitur Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo: vi cujus hæc Sacramenta iterari non poſſunt. An Character ſit forma, an forma proprietas diverſis in locis ingenioſiſſimè diſputat Cajetanus, ut explicet, quomodo poſt Baptiſmum cum fictione receptum, ſi recedat fictio, poſſit character, qui Animæ in eſt, gratiam ipſam producere. Sed de hoc nos in Pandoxio uberiùs diſſeremus.

Ubi Sacramentale.

An Sacramenta poſſint extra Eccleſiā licitè celebrari?

Loci deſignationem Chriſtus Dominus Eccleſiæ prudentiæ commiſit. Hæc conſideratis omnibus circumſtantiis, ut omnia Sacramenta conficiantur in Templo exoptare videtur: at diſpenſat interdum ob juſtas & legitimas cauſas: nam ægrotis ob impotentiam condeſcendit: etiam ſanis interdum, ſi inconvenientia aliàs in Templo poſſe ſuboriri dicantur.

Situs Sacramentalis.

MMCMLVII. Ceramonia. Quanã obſervanda ſint in Sacramento Pœnitentiæ?

Licèt in jure Divino nihil ſit de perſonarum ſitu, nihil de ſitu rerum: nihilominùs ad majorem decentiam & devotionem conducit, ut aut genuflexi aut ſtantes, & non ſedentes, recipiant Sacramenta. Vidi ſæpe in Belgio, Germaniâ, Hungariâ Confeſſarios genuflexos, Epiſcoporum, aut etiam Sacerdotum (imò aliquando Principum) confeſſiones audire: vidi inquam, tam Pœnitentem, quàm Confeſſarium genuflexos: & maximè mihi diſplicuit: ibi enim Pœnitens (ſit Princeps, Rex, aut Imperator: ſit Sacerdos, Epiſcopus, aut Summus Pontifex) agit perſonam rei: & Confeſſarius (etſi filius pauperrimi ruſtici ſit) agit perſonam Iudicis & Chriſti nomine ſententiam profert. Ergo ſedere debet, contra muneris dignitatem procedit, ſi genuflectat Præter Pœnitentiæ tribunal, in quo reum genuflectere, & Iudicem ſedere Eccleſiæ conſuetudo præcipit, alias, & alias Ceræmonias myſteriis plenas Eccleſia pro ſingulis Sacramentis inſtituit; quas contemnere aliquando ſit etiamen; negligere peccatum ſit: non tamen ſemper & ubique mortiferum, excuſat enim aut mediocris neceſſitas, aut levitas etiam materiæ.

An obligent ſub peccato mortali.

Habere Sacramentale.

De ornamētis Eccleſiaſticis. Cur illis utamur.

Eccleſia etiam prudentiſſimè inſtituit, ut ornamentis variis Miniſtri in Sacramentorum uſu & collatione uterentur: ſumus enim ſenſibiles; & ſicut ſenſibilibus ſignis inſtitutis divinitùs, quæ Sacramenta dicimus, gratiam conſequimur; ſic etiam apparatu ſenſibili ad devotionem excitamur.

DISPUTATIO II. PROOEMIALIS.

De Sacramentorum Materiis, Formis, & Circumſtantiis univerſim.

MMCMLVIII. Sacramenti definitio.

Definitiones, ſi bene ſint formatæ præſtant, ut definitæ rei materia & forma, exactiùs & clariùs cognoſcantur: & ideò impræſentiarùm Nos de Materiâ & Forma ſacramentorum in genere diſputaturi ad Definitionem recurremus illamque

illamque ſecundo ſcholio, aut etiam Commentario Illuſtrabimus, ut ejus notitiâ juvemur. Varias, ut dixi diſp. præced. Sacramenti univerſim ſumpti Definitiones apud Theologos diverſos lego, & inter ipſas communiorem admitto, & aſſero Sacramentum eſſe *ſignum ſenſibile inſenſibilis gratiæ.* In hac definitione ratio *ſigni* ſumitur loco generis, & ratio *ſenſibilis* loco differentiæ ſubalternæ. Et inſeto non omnia ſigna eſſe ſenſibilia: ſi enim non dantur inſenſibilia ſigna, fruſtra additur illud *ſenſibile*, & hæc definitio eſt ſimilis huic. *Homo eſt animal ſenſibile rationale.* Porrò dari ſigna inſenſibilia certum eſt, & à nobis in Logicâ ſcholaſticâ uberiùs & paulò ante breviter dilucidatum Ergo *ſignum ſenſibile* eſt genus proximum, & differentia conſtitutiva in *inſenſibili gratiâ* conſiſtit

Qualis ea ſit?

An dentur ſigna inſenſibilia?

Prima Sacramentorum Diviſio, illa in Sacramenta Novæ, & Veteris Legis partitur: & ſecunda, quam ſpecialiter reſpicimus, novæ Legis Sacramentum in ſeptem diverſas ſpecies. Et cur de Sacramentis, quæ ante legem fuerunt, non diſputamus? Quia tametſi aliqua fuiſſe eo etiam tempore non dubitemus, non habemus de illis ſufficientem notitiam, ut poſſimus eruditè diſſerere. S. Auguſtinus *lib. 5. contra Julian. capu. 1.* hac eâdem ignorantiâ præpediri fatetur, & ait. *Nec credendum eſt ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem in eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuiſſe paruulis ſuis: quamuis quid illud eſſe aliquâ neceſſariâ (ex) cauſâ ſcriptura latere voluit: Nam & Sacrificia eorum legimus, quibus utique ſanguis ille figurabatur, qui ſolus tollit peccata Mundi.* &c. At communis Theologorum Opinio aſſerit, parentes fideles infantes ſuos Deo offerendo expiationem culpæ originalis impetraſſe.] Et quidem multa profectò ſunt, quæ Sacramenta Novæ legis à Sacramentis Veteris diſtinguunt, quæ non iuuat diſquirere impræſentiarùm enim, hanc neceſſariſſimam materiam, non quidem ubertate ſpeculativâ, ſed practicâ brevitate tractamus: ſed ut nihil videamur omiſiſſe, ut exponat hanc Sacramentorum differentiam B. Auguſtino communi Magiſtro committemus. Ipſe in Pſalm. LXXIII. *Alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem* (gratiam) *alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Teſtamenti dant ſalutẽ, ſacramenta veteris Teſtamenti promiſerunt Salvatorem. Mutata ſunt Sacramenta; facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, fœliciora.* Interim, Veteris Legis Sacramenta, ſalutem & ſalvatorem promittentes gratiam dabant. Multum paucis verbis docemur. Hac enim breviſſimâ Auguſtinus periodo univerſos condemnat, qui ita novæ legis exponunt Sacramenta, ut difficiliora ſint antiquis.

Sacramentorum diuiſio, & diſtinctio.

An aliqua fuerint ante legem?

Quomodo tunc infantes emacularentur ab originali peccato?

Antiqua & nova Legis Sacramentorum differentia.

Ita debent exponi noua Sacramenta, ut non ſint graviora & difficiliora antiquis.

ARTICVLVS I.

An Sacramenta Novæ legis ſint mera ſigna ſenſibilia gratiæ inſenſibilis: an etiam ſint externæ quædam divini cultûs ceræmoniæ?

MMCMLIX. IN promotione ad Doctoralem laureã, ſub P. Gregorio de Valentiâ affirmativam partem propugnavit Georgius Prucherus, Ingolſtadij anno Domini 1589. quos hic nominare cogor, quia ante illos, nemo quem ſciam, diſtinctiùs iſtam Controverſiam tractavit. Citant pro ſe Angelicum Doctorem *3. p. rt. quaſt. 61.* & ratione hac utuntur.

Sententia aſſerens.

Quandoquidem naturâ ita comparatum eſſe videmus, ut ad earum rerum notitiam, quæ mente atque intelligentiâ comprehenſæ ſunt, niſi per ea, quæ aliquo ſenſu percipiuntur, nemini aſpirare liceat; rectè novæ legis Sacramenta Eccleſiæ filiis, à Deo ſunt propoſita, quæ nimirùm, ut vaſa quædam, medicamentum ſpirituale continerent, ad curandas infirmitates animorum noſtrorum, & præterea notæ quædam externæ eſſent Chriſtianæ Religionis: In Chriſti namque Paſſione (qui Sacramentorum eſt Inſtitutor) duo præſtita eſſe cognoſcere oportet: Nam & fuit nobis Redemptor, per quem ſalutem noſtram conſequimur; & Author Religionis noſtræ. Quare duo etiam ineſſe Sacramentis Eccleſiæ oportet, cùm à Chriſto Redemptore & Inſtitutore Religionis noſtræ, originem & efficaciam trahant; Non enim ſufficiebat, ut eſſent medicamenta & remedia noſtra, ad animarum ſalutem, vel recuperandam, vel tuendam: Sed & ſimul oportuit Religionis veræ cærœmonias eſſe & officia, quibus Deum purè, & religioſè colamus. Quod exemplo Evangelici Samaritani, *Lucæ 10. capite*, ſatis perſpicuum eſſe docet Sanctus Ambroſius, *lib. 5. de Sacramentis capit. 4.*

Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu.

Sacramenta & pharmacum & cultum continent.

Verùm me iudice, nihil hac ratione convincitur, ipſa enim ad Dialecticum rigorem reducta his terminis proponi poſſet. Nihil eſt in intellectu quin priùs fuerit in ſenſu (hoc eſt, Ad notitiam eorum, quæ mente percipiuntur, nõn niſi per ſenſuum notitias devenitur) At gratia ſolâ mente cognoſci poteſt

Chriſtus, Redemptor, & Religionis Author.

An præcedẽs diſcurſus ſit efficax?

Ad Dialecticam formam reducitur.

Digitized by Google

poteſt. Ergo ad ejus notitiam per ſenſibilia devenitur. Debuerunt igitur ſenſibilia inſtitui Sacramenta: nimirùm, quæ eſſent ſigna gratiæ & cæremoniæ religionis; nam Inſtitutor fuit ſimul Redemptor, & Chriſtianæ Religionis Author.

MMCMLX. *An omnia quæ in mente ſunt, fuerint in ſenſu?*

Sed multa reperio, quæ non videntur perſuadere, quod in Theſi proponitur. Illa enim Poſitio. *Ad earum rerum notitiam quæ mente atque intelligentiâ comprehenſa ſunt niſi per ea quæ aliquo ſenſu percipiuntur, nemini aſpirare licet*, vel ut breviùs & faciliùs ait Ariſtoteles, *Nihil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſu*, falſa eſt: imò evidentiſſimè falſa. Et inquiro à Valentiâ & Prucheto, An ego mente percipiam me eſſe? An habeam certitudinem hujus propoſitionis, *Ego ſum*? Reſpondeant aſſertivè opus eſt, & experiantur iſtud fulmen ſic inquam. [Eſt in meo intellectu certitudo hujus Aſſerti, *Ego ſum*. At nulla notitia ſenſitiva poteſt ad hanc ingenerandã certitudinem concurrere, ſed ſola mens. Ergo aliquam habeo notitiam à ſenſibus independentem. Probatur minor. Iſtæ enim conſequentiæ non ſunt ſecuræ, *Video, ergo ſum? Audio, ergo ſum; Deambulo, ergo ſum; Olfacio, ergo ſum; Guſto, comedo, bibo, loquor, dormio, ergo ſum.* Et iſta eſt bona & ſecura: *Cogito ergo ſum.* Ergo iſta conſequentia, *Certum eſt me eſſe*, à ſenſibus inferri non poteſt.

De veritate hujus Propoſitionis Ego ſum.

De ſecuritate hujus cõſequentiæ, ſentio, Ergo ſum.

De certitudine hujus, Cogito, Ergo ſum.

Illas, quæ à ſenſibus fuerunt deſumptæ, certas & neceſſarias conſequentias non eſſe, probo clariſſimè, & quia omnes ſunt ſimiles & æque fortes, hanc unicam, *Video, ergo ſum*, diſcutiendam aſſumo: quia de reliquis pariformiter debebimus philoſophari: & ſubſumo. At illud conſequens, ſi eſſet ſecurum & indubitatum antecedens, ſecurum, & indubitatum eſſet. At illud antecedens nec neceſſarium, nec omninò certum eſt. Ergo illud ipſum conſequens, prout ab hoc antecedente deducitur, neceſſarium non eſt: Non igitur hac viâ bene mea exiſtentia ſuadetur. Minorem probo. Nam non poteſt eſſe certior antecedente conſequentia, Ergo vi hujus ratiocinij *Omnis qui videt eſt, Ego video, Ergo ego ſum*, non poſſum certiùs conſequentiam cognoſcere, quàm præmiſſas. At minorem non judico mihi evidentem & certam: poſſet enim ſaltem divinitùs fieri, quòd ego putarem me videre, & tamen non viderem. Ergo, ſi mihi minor Metaphyſicè certa non eſt, conſequentia Metaphyſicè eſſe certa non poteſt. & tamen in iſto ſyllogiſmo, *Omnis qui cogitat eſt, Ego cogito, Ergo ego ſum*, omnimoda reperitur certitudo, claritas & neceſſitas; non enim poteſt Deus facere quod aliquis cogitet, nec tamen ſit, adeóque maior neceſſaria eſt. Nec poteſt Deus facere, quod ego putem me cogitare, nec tamen cogitem; quia putare, cogitare eſt. Et forma ſyllogiſtica eſt bona. Ergo habemus independenter à ſenſibus notitiam aliquam, quam per ſenſus habere non poſſumus. Ergo non fuit bene probatum Sacramenta eſſe aut debere eſſe ſenſibilia.

Renatus Carteſius inter alias Meditationes, quas ingenioſo ſcripſit calamo, in unâ hãc conſequentiam, Cogito, Ergo ſum, *accuratè perpẽdit: eámque uberiùs ego dilucido in earumdẽ Meditationum examine.*

Poteſt homo putare ſe videre, quin videat: non autem putare ſe cogitare, quin cogitet.

MMCMLXI.

Sed neque Sacramenta eſſe cæremonias probatur: nam, tametſi unus & idem Chriſtus ſit & Sacramentorum & Catholicæ Religionis Inſtitutor, potuit hanc, ſi voluiſſet inſtituere ſine cæremoniis externis, & illa ſine ſignis. Vel dicito, Cur non potuiſſet Deus, ſi voluiſſet, ſicut contritioni, dare etiam attritioni, aut fidei, aut cuicumque actui purè interno naturali aut ſupernaturali virtutem practicam (moralem aut phyſicam) producendi gratiam & animum juſtificandi? Et ſubjungito, Cur non poſſit Deus novam nunc Religionem inſtituere, in quâ nullo actu externo, ſed ſolâ mente & intriſeco amore collatur? Sanè omnia hæc ab Inſtitutione arbitraria dependent; liberè facta ſunt: nihil in eis contra rationem reperitur ſed & nihil ex neceſſitate inſtitutum. Adeóque cùm rationum momenta diſquirimus, rem difficilem facimus, quæ eſt omninò facilis & clara, ſi ad liberam inſtitutionem reducatur.

An Chriſtus potuerit Eccleſiam ſine Sacramentis inſtituere?

An cultum merè internum?

Ratio, ob quam hæc & non alia, ſic & non aliter inſtituit Sacramenta Chriſtus, debet ab eius liberâ voluntate deſumi.

Rationem quærimus, & aliam Valentia ſubjungit §. 2. ſic ait. [Longâ experientiâ edocti ſumus nullum populum unquam ſine cultu externo, in unam religionem coaleſcere potuiſſe, niſi ſub Sacrorum viſibilium participatione coadunetur, ut rectè meminit D. Auguſtinus *lib. 9. contra Fauſtum.* Ethnici quidem, per externum Sacrificiorum cultum, à falſis Diis ſuis, temporalia bona obtinebant: Hebræi, ſua quoque Sacramenta & Sacrificia habebant ex Inſtitutione Dei, quæ ſimul eſſent religionis cæremoniæ, & gratiæ ſigna, quibus nonnullas lepræ mundationes à Deo vero obtinebant, & ſub circumciſione per fidem Redemptoris futuri, purgationem originalis maculæ. Decuit itaque Chriſtum Salvatorem noſtrum, qui omnia ordinatiſſimè diſponit, & juxta convenientem cuique rationem, ea gubernat, hoc maximè erga Eccleſiam ſuam obſervaſſe, præcipuéque in hac parte, quæ ad cultum pertinent: Sacramenta inſtituiſſe, ut ſint Chriſtianiſſimi, veræque Religionis ſymbola, & Sanctæ Societatis vincula; ut teſtimonia noſtræ fidei, ejuſque certa declaratio; Vt non ſolùm fidem in animis noſtris excitent & exerceant, ſed etiam charitatem inflamment: Demum, ut humanæ mentis ſuperbiam edoment & comprimant, dum ſenſibilibus elementis, ſubjicere nos cogimur. Inſtituit igitur Salvator noſter in Eccleſiâ ſua, quam perfectiſſimam & inſtructiſſimam reddidit, ad omne opus bonum, illos cultus, qui maximè conveniunt conditioni & ſtatui eius: & inſtituit eos eo modo & ordine, quo maximè decebat.] Sed hæc omnia, ſi conjecturæ & congruentiæ dicantur, admitti quidem poſſunt; ſi rationes vocentur, explodi neceſſariò debebunt. Primò enim nationes fuerunt & ſunt quæ inviſibilem Deum, inviſibilem Eccleſiam, & non niſi cultum inviſibilem habuerunt olim aut forte etiamnum habent, quoniam illi hodie Hæretici qui *Independentes* dici volunt, Deum corde colunt, & niſi inconſequentiâ laborant, auferunt omnem cultum externum, unde corruit tota hujus diſcurſûs ſubſiſtentia. Quod ſi omnes Ethnicorum Religiones in cultu externo, imò etiam ipſamet Iudaica conſtiterit, poſſet novam nunc Deus, ut ab univerſis diſtingueret, conſtituere in cultu merè interno, ut eſſet omninò facilior. Vel

Religionis unitas à cultu externo & ſenſibili dependet.

Cultu externo Gentiles Deos colebant.

Cultu etiam externo Iudæi ſuã devotionẽ fovebant & conſervabant.

Externus Sacramentorum uſus, Religionem Chriſtianã manutenet, & fidelium devotionem promovet & intendit.

Humilitatẽ exercet.

Ratio diſtingui debet à congruẽtiâ: quæ enim eſt optima congruẽtia, erit clumbis ſi inter rationes debeat numerari.

An Hæretici, qui independẽtes audiunt, externas cæremonias admittant?

An poſſit inſtitui Religio, quæ habeat tãtummodo cultum internum?

Digitized by Google

Vel quî hoc non poſſe Deum facere dicat, impotentiam oſtendat,

MMCMLXII. Sanè vera Concluſionis ratio à liberâ Dei Inſtitutione deſumitur. Nam Sacramenta eſſe res ſenſibiles, certum eſt. Et quidem Sacramenta res ſenſibiles ſunt: non quòd aliter Chriſtus non potuit, ſed quia ſic voluit. Sunt etiam ſigna practica gratiæ inſenſibilis, eo ſenſu, quo cauſa eſt ſignum illativum effectûs: Sunt ſigna iterum, quia conſtituuntur verbis ad placitum ſignificativis. Et ſunt cæremoniæ cultuſque, quia ad Maiorem Dei gloriam ordinatur, & ſunt Religionis Chriſtianæ characteres. In Epiſtolâ ad Ianvarium 118 Auguſtinus. *Primò itaque tenere te volo, quod eſt huius diſputationis caput, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ipſe in Evangelio loquitur, levi nos iugo ſubdidiſſe, & ſarcina levi, Vnde Sacramentis, numero pauciſſimis, ſignificatione præſtantiſſimis, Societatem novi populi colligavit.* Vbi vides inſtitutionem ad Chriſti liberam voluntatem, non tamen ad rationem neceſſariam reduci. Vbi concomitanter percipis, eſſe contra Chriſti voluntatem, & S. Auguſtini expoſitionem, illas omnes doctrinas, quæ eſſe veræ non poſſunt, niſi fideles jugo gravi & ſarcinæ gravi ſubdidiſſe dicatur.

In Religione Catholicâ ſunt Sacramenta, quia Chriſtus voluit: ſunt etiam, quot, & qualia voluit.

In antiquâ erant plura & difficiliora.

An admittenda ſint ſevera illa Theologorum ſententia, quæ præjudicant illu Chriſti Domini verbu, Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.

ARTICVLVS II.

An Verba ſint de Sacramentorum eſſentiâ?

MMCMLXIII. Aliud eſt conſiderare hominem ut ſic, aliud ut Æthiopem; primo enim modo nigredo eius eſſentiam non ingreditur, quæ tamen excludi non poteſt ſecundo; nomine enim *Æthiops*, non quemcumque hominem intelligere ſolemus, ſed nigrum: eò enim vocis abuſus venit, ut hoc nomine non nationem, ſed colorem tantummodò ſignificemus. Idem dicendum eſt de Puero, & Sene; nam tametſi ætas non ſit de eſſentiâ hominis, impoſſibile eſt, ut Puerum, Adoleſcentem, vel Senem intelligas, præſcindendo ab ætate. Hæc veritas eſt manifeſta, quæ tamen ignoratur à multis, qui egregiè eſſentiam & ſubſtantiam confundunt. Sexaginta anni (pono hanc ætatem requiri ut aliquis dicatur Senex) non ſunt de ſubſtantiâ Senis, ſunt de eſſentiâ, quia ille ſubſtantialiter tantùm dicit corpus & animam, at verò accidentaliter ætatem; quæ tamen ætas neceſſariò (vel eſſentialiter) dicitur in prædicato, quando reduplicatur in ſubiecto: imò etiam quando ſimpliciter in ſubiecto dicitur, licèt non reduplicetur: aliud enim eſt dicere *Homo eſt niger*, aliudque dicere *Homo niger, eſt niger*; aut quod in idem recidit *Æthiops eſt niger*. Nam prima propoſitio eſſe falſa poteſt, at ſecunda & tertia non poſſunt: quam ob rem dicenda eſt illa accidentalis & contingens, & hæ eſſentiales & neceſſariæ.

Doctrina valdè neceſſaria.

Quid ſignificet Æthiops?

An nigredo ſit de eſſentiâ Æthiopis?

An de eſſentiâ Pueri, Iuvenis, aut Senis ſit ætas?

Eſſentia & ſubſtantia diſtinctio.

Nota id bene.

Forma eſſentialis in ſubſtantialem & Characteriſticam dividitur. Vtraque dilucidatur.

MMCMLXIV. Hinc oritur formarum Eſſentialium diviſio, in ſubſtantiale & charactericas. Forma enim eſſentialis ſubſtantialis eſt, quæ pertinet ad Prædicamentum ſubſtantiæ; ut Anima rationalis, quæ eſt forma eſſentialiter & ſubſtantialiter conſtituens hominem. Forma autem eſſentialis characterica eſt entitativè accidentaria, quæ tamen neceſſariò requiritur, ut tale Concretum conſtituatur ſic proceritas corporis eſt hominis accidens, & ad Quantitatem ſpectat: at verò ad Gigantis eſſentiam pertinet: Gigantem enim deſtruas, ſi notabilem proceritatem auferas.

Sacramenti duplex conſideratio.

Et his præmiſſis, ad Sacramenta deveniens, pronuncio illa dupliciter poſſe conſiderari; nimirùm ut Sacramenta, & ut Sacramenta verbalia. Primo ſenſu excludo verba ab illorum eſſentiâ, non ſecundò. Subſcribo Doctiſſimo Cardinali Lugoni, quî *diſp. 2. de Sacram. ſect. 1. num. 1. pag. 12.* inquirit. *Vtrùm Sacramenta nova Legis conſtent rebus & verbis?* & reſpondet, certum eſſe id non requiri ad eſſentiam Sacramenti in genere conſiderati: potuiſſet enim Deus talia nobis Sacramenta inſtituere, quæ non conſtarent rebus & verbis. Imò de Sacramentis legis antiquæ id pro comperto habere, ait, omnes fere Theologos quia in circumciſione nulla videtur fuiſſe verborum formula neceſſaria, quod de aliis Sacramentis illius legis videtur etiam dicendum; cùm non conſtet in eorum adminiſtratione fuiſſe aliqua verba præſcripta. Sic, & doctiſſimè diſcurrit Lugo, cuius mentem magnâ ex parte ſecuti, has Concluſiones proponemus.

Sacramenta veteris legis non conſtabant rebus & verbis.

Circumciſio ſine verbis celebrabatur.

Prima. *Potuit Deus inſtituere Sacramenta, quæ verbis non perficerentur.* Conſtat evidenter ex dictis: potuit enim non ſolùm in re ſenſibili ſine verbis, ſed in actu inſenſibili ponere rationem Sacramenti.

Verba non ſunt neceſſaria.

Secunda. *Antiquæ legis Sacramenta non verbis ſed rebus conſtabant.* Colligitur etiam ex dictis, qualia enim fuerint Veteris Legis Sacramenta à Sacrâ Scripturâ docemur non enim alios habemus libros, ex quibus id ſecurè colligamus. At in Sacrâ Scripturâ fuiſſe dicenda aliqua verba in Circumciſione aut Sacrificiis, non legitur. Nulla ergo dicebantur.

Ante Chriſti adventû Sacramenta ſine verbis conficiebantur.

Tertia. *Potuit Deus inſtituere Sacramenta, quæ verbis tantummodò perficerentur.* Sed hæc nec in Veteri, neque in Novâ Lege reperiuntur.

An eſſe potuerint Sacramenta, quæ ſolis verbis conſtarent?

Quarta. *Potuit talia inſtituere, quæ ſimul perficerentur rebus & verbis.* Patent omnia, quæ potentiam concernunt; nulla enim relucet repugnantia.

An quæ rebus & verbis?

Quinta. *Omnia novæ legis Sacramenta perficiuntur rebus & verbis: videlicet, rebus ut materiâ, verbis ut formâ.* Ita D. Thomas agens de Sacram. *art. 6.* cui Theologi univerſi ſubſcribunt: & probant ex Concilio Florentino, in quo poſt ſeſſionem ultimam

Sacramenta novæ legis conſtant rebus & verbis.

 extat

extat Decretum Eugenij ad Armenos, quod enumeratis omnibus ſeptem Sacramentis §. *Quinto Eccleſiaſticorum*, ſic inſit, *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur; videlicet rebus, tanquam materiâ; verbis, tanquam formâ; & perſonâ Miniſtri.* Nomine verborum, etiam nutus intellige pro Matrimonio; quia & iſti ibi verbis æquivalent, & eſſe virtualiter verba dicuntur.

An nutus ſint verba virtualiter?

MMCM. LXV.

Non omnia, quæ in Conciliis leguntur, ad Fidem pertinent.

Sed inquiris, An hæc quinta Concluſio ſit de Fide? Puto de fide eſſe Res, Verba, & Miniſtri intentionem requiri. At illas pertinere ad materiam, hæc ad formam putabit aliquis non eſſe de fide. Primò, quia non omnia quæ in Conciliis leguntur, ſunt de Fide: ſunt enim in illis Conſtitutiones, quæ regimen Eccleſiæ concernunt, & nihil omninò definiunt: ſunt etiam privatæ Patrum Orationes, quæ ad fidem non pertinent: ſunt etiam optimæ doctrinæ & expoſitiones, quas nemo ſine temeritate reiiciat. At hæc non proponit Eccleſia ut credenda de Fide. Quæ ergo in Conciliis ſunt neceſſario credenda? Canones, qui ſub anathemate proponuntur. Secundò, quia res eſſe Materiam, & verba Formam in nullâ Seſſione Concilij Florentini decernitur. Tertiò, quia Decreta à Canonibus debent diſtingui: & Decreta Pontificum quà talia non ſunt de fide. Conſultò dixi, *quà talia*; ſæpe enim aſſumunt doctrinam: quæ aliàs erat de fide; quod tamen hîc Eugenius non facit. Et oſtenditur, nam in Concilio Florentino aſſeritur in Extremæ-Vnctionis Sacramento ſeptem unctiones eſſe adhibendas, quæ verba ita crudè accepit Palacius, ut *diſt.23.pag.*480. aſſeruerit, omnes ſeptem de neceſſitate requiri. Negat hoc autem Leander *tract* 4. *diſp.*3. *queſt.* 19. *pag.* 85. *a.* & ait. [Nec obſtat quod Concilium Florentinum exprimat dictas ſeptem unctiones, quia non expreſſit illas, ut neceſſarias, ſed ut uſitatas ab aliquibus Eccleſiis.] & pro ſe ſuarum, Henriquez, Torreblancam, Sà, Valentiam, Ægidium, Bonacinam, Nugnum, Molfeſium, Reginaldum, Palaum, Dicaſtillum, & alios Doctores adlegat. Sed tamen nemini conſulerem, ut à communi Theologorum torrente, cùm Sacramenta, tractantur, deviaret; eſt enim hæc tam communis ſententia, ut ſi non expreſsè, ſaltem implicitè definita videatur nam in Tridentino Concilio multa ſunt, quæ niſi torqueantur, hanc communem Aſſertionem confirment. Nec contrà eſt Concilium Milevitanum, quod teſtibus Cardinale de Lugo *tom.de Sacram.diſp.*2.*num.*3. Auguſtino de Angelis *tract. de Concept. immacu. part.* 3. *art.* 6. *pag.* 220. & aliis, per verbum *Forma* non intelligit verba, quæ Florentinum eſſe formam & partem eſſentialem Sacramenti aſſeverat, ſed ritum & modum conferendi Baptiſmum per exorciſmum & exſufflationem. Nec contrà eſt Innocentius IV. *in cap. Presbyter.de Sacramentis non iterandis.* Nec contra eſt Auguſtinus *lib.* 1. *de peccatorum meritis & remiſſ.cap.*24. dum ait, *Quid de ipsâ formâ Sacramenti loquar? Vellem, aliquis iſtorum, qui contraria ſapiunt, mihi baptizandum parvulum offerret. Quid in illo agit exorciſmus meus, ſi in familia diaboli non tenetur?* & mox. *Falſam igitur, vel fallacem parvulis tradi Baptiſmi Formam, in quâ ſonaret, quod utique agi videretur, & tamen nulla fieret remiſſio peccatorum.* Similia habet *de nupt. & concup. ad Valer.lib.*1.*cap.* 20. & *epiſt.*105. *ad Sixtum.* Non ſunt hæc omnia contrà, dixi, nam ſunt duæ Formæ phyſicæ; ſubſtantialis & accidentalis: Qualitas enim in quatuor ſpecies dividitur: quæ ſunt Habitus & diſpoſitio: Potentia & impotentia: Paſſio & patibilis qualitas: nec non Forma & figura. Eſt autem Forma accidentalis, exterior partium diſpoſitio, in quâ rerum pulchritudo conſiſtit, ut ſtatuit Boëtius, quem ſequitur Albertus & alij. Vide Lalemandetum *in Logic. diſp.*6.*partit.*15.*columm.*293. & *in Metaph. diſp.* 10. *column.* 295. Cùm ergo, ſicut de Phyſicis, ſic etiam de Moralibus philoſophemur, opportebit duas in Sacramentis formas deſignare: alteram eſſentialem & intrinſecam, quæ Sacramentum conſtituat, & diſtinguat, & formæ Phyſicæ ſubſtantiali reſpondeat: alteram accidentalem, quæ Sacramentum non conſtituit, ſed ornet; & hæc continet ritus & ceræmonias, & reſpondet qualitati illi Phyſicæ, quæ *forma* vocatur, quo etiam ſenſu vox Græca Μορφὴ ſumitur, nam ſignificat extrinſecam vultûs ſpeciem: ut *μορφαὶ Θεῶν*, *Forma Deorum* apud Xen. & *μορφὴ ἐπῶν*, *venuſta & elegans orationis diſpoſitio* vocatur. Ergo, cùm Concilium Milevitanum, Innocentius IV. Auguſtinus, aut alij, exorciſmos, ceræmonias vocatunt *formas*, agebant de Sacramentorum accidentibus, & hoc nomine illam qualitatem, quam Peripatus *formam*, & *figuram* nominat, intellexerunt.

Quot Vnctiones in Sacramento extremæ-Vnctionis requirantur? An doctrina de materiâ & formâ Sacramentorum ſit expreſſè de Fide?

An implicitè & virtualiter ad Fidem ſpectet?

Quid Formæ nomine intelligat Milevitanum.

Quid Innocentius IV.

Quid Auguſtinus?

An exorciſmus ſit baptiſmatis forma?

Forma eſt duplex: ſubſtantialis & accidentalis?

Qualitatis ſpecies.

Quid accidentaria forma ſit?

An ſit in Sacramentis duplex forma: eſſentialis & accidentalis?

Etiam vox μορφὴ formam exteriorem & accidentalem ſignificat.

Satisfit objectioni.

Qualem potuerit Eccleſia authoritatem delegare?

ARTICVLVS III.

An Chriſtus verba in omnibus Sacramentis determinaverit?

MMCM-LXVI.

Qualia Sacramenta Chriſtus potuerit inſtituere?

VT certa ab incertis ſeparemus, conſiderantes abſolutam poteſtatem & libertatem Inſtitutoris, dicimus.

Primò, *Potuiſſe Chriſtum iubere, ut Sacramenta rebus & verbis conficerentur, & nihilominus relinquere prudentia Pontificis aut, Eccleſia, verba congruentia determinare. Addemuſque de rebus idem eſſe dicendum.* Quis ambigat?

Secundò, *Potuiſſe verba (aut etiam res) in genere determinare, & ulteriorem determinationem committere decreto Eccleſiæ.* Puta, ſi Euchariſtiam inſtituiſſet Chriſtus Dominus in cibo, & potu; non quidem in genere nec in

An potuerit conſtituere Sacramenta in genere?

Digitized by Google

in aliquâ cibi & potûs determinatâ ſpecie: ſed in aliquâ determinandâ ab Eccleſiâ Quod eſt evidens.

Chriſtus panem & vinum requirit genericè.

Sanè, ſi Deus res aut verba inſtituiſſet genericè, conficeretur Sacramentum quâlibet ſpecie contentâ; nam hodie, quia indeterminatè panem triticeum & vinum vitis requiſivit, conſecratio validè fit in azymo aut fermentato & in quâlibet panis triticei ſpecie, ſi triticum ſpecies habet: & in vino albo & rubro: Hiſpano, Italo, Græco, &c Quod ſi Chriſtus inſtituiſſet, ut in Euchariſtiâ aſſumeretur panis determinandus ab Eccleſiâ, & non alius, vinumque ab eâdem determinandum, & non aliud; & ſi tunc Eccleſia determinaret & decerneret panem azymum, & vinum rubrum; qui panem fermentatum aut vinum album aſſumeret, non conſecraret. Et patent omnia: quia ubi ſingula ſunt indifferentia ex naturâ rei, ſtat pro ratione voluntas Conditoris. Et quidem ſi ſingula Sacramenta conſiderem, in Matrimonio, ut video, valdè omnia genericè Chriſtus Dominus determinavit, quibuſcumque enim verbis aut nutibus conſenſus mutuus exprimatur, ſufficit ad valorem.

Potuit, non tamen fecit, Eccleſiæ ſuæ determinationem committere.

Eſt valdè generica forma Matrimonij.

De idiomate Sacramentali.

Tertiò *Potuiſſe Chriſtum Sacramentalia verba ad aliquod idioma alligare, ita ut qui alio uteretur, non conficeret Sacramentum.* Hoc certum eſt: at æque certum illa à Chriſto nulli idiomati fuiſſe alligata. *Addo potuiſſe Chriſtum verba determinare, & idioma Eccleſiæ voluntati committere, itaut Sacramentum conficeret, qui uteretur idiomate ab Eccleſia aſſignato; non tamen ille, qui alio uteretur idiomate.* Sed hoc ille modo Sacramenta inſtituere non voluit. Ergo in quocumque idiomate verba Sacramentalia dicantur, Sacramentum validè conficietur. *Validè*, inquam, ut enim conficiatur licitè, obediendum eſt præceptis Eccleſiæ, quæ Miſſam verbi gratiâ, iubet Latinè dici à nobis non Gallicè, non Belgicè, non Germanicè. Conſultò illud *à nobis* poſui quoniam Maronitis, Armenis, Æthiopibus, & aliis gentibus in propriis linguis conficere Miſſas &c. permittit.

Nulli Sacramenta Chriſtus adligavit idiomati.

Illa tali aut tali adligavit Eccleſia: at hæc præcepta valorem eorundem non tangunt.

Proponuntur duo adhuc modi, quibus potuit Dominus noſter Ieſus-Chriſtus Sacramenta inſtituere.

Quartò, *In iis, quæ Eccleſiæ prudentiæ committeret, potuiſſe Chriſtum procedere duplici modo nam potuit Eccleſiæ aut etiam ſoli Summo Pontifici, concedere poteſtatem determinandi materias & formas Sacramentorum, à ſe genericè determinatas, & ſimul poteſtatem mutandi & alterandi humanam omnem determinationem. Et potuit etiam concedere poteſtatem primam: & negare ſecundam.* Si illud priùs feciſſet in Sacramento Euchariſtiæ v.g. poſſet Eccleſia determinare, ut in vino rubro & linguâ Hiſpanicâ conficeretur Euchariſtia, & ſtante iſtâ determinatione, qui non uteretur vino rubro & linguâ Hiſpanicâ: non conſecraret: at poſſet Eccleſia diſponere, & decernere cras, ut conſecratio fieret in vino albo, & in linguâ Germanicâ. Cæterùm ſi Chriſtus, hoc poſterius feciſſet, poſſet quidem Eccleſia materiam & formam à Chriſto genericè inſtitutam, determinare ſpecificè, at ſemel determinatam mutare non poſſet Quod non videbitur mirum illi, qui vel ſecundum Inſtitutionis modum bene pependat; vel obſervet multos inferiores Antiſtites habere hodie de facto authoritatem limitatam; quoniam Rectores Pagnorum in Hiſpaniâ, habent ligandi, non verò ſolvendi poteſtatem; poſſunt reum in carceres mittere at ſemel incarceratum non poſſunt dimittere: nam poſſunt ſancire tale aut tale decretum, non verò illud revocare aut mutare. Ergo poſſet dari caſus, in quo Eccleſia poſſet materias & formas Sacrametorum inſtituere, & tamen non poſſet ſemel inſtitutas mutare, in quo caſu *Non poteſt mutare, Ergo non potuit inſtituere*, mala eſſet conſequentia.

Ponitur caſus in quo poſſit Eccleſia formas inſtituere, & mutare.

Ponitur alius, in quo inſtituere quidem poſſet, ſed non mutare.

An ſit bona conſequentia, Non poteſt mutare; Ergo non potuit inſtituere? Et hac doctrinâ fûdantur, quæ in fine articuli ſequentis dicemus.

ARTICVLVS III.

An in formis Sacramentorum detur duplex ſenſus; Concionatorius & Sacramentalis?

MMCMLXVII. HÆc Controverſia ignota fuit antiquis Chriſtianis, qui proferebant bono animo verba Sacramentalia, nec quærebant eiuſmodi ſubtilitates: at quia hodie plurimi Heterodoxi quærunt nodum in ſcirpo, placet unam aut alteram periodum ex Lugone ſubſcribere nam *lib. de Sacram. diſp.* 2. *ſect.* 4. *num.* 71. *pag.* 27. Sic ait. [His terminis explicant Hæretici noſtri temporis, qualia ſint verba Sacramentalia: dicunt enim, ea prout à nobis adhibentur, habere ſpeciem Magiæ, quatenus ſuper materiam proferuntur, ac ſi cum materiâ loqueremur; cùm reverà non debeant proferri, niſi ad inſtruendum populum, & ut intelligant, quid ipſo myſterio vel Sacramento ſignificetur. Concluſio certa & catholica eſt, *Verba illa eſſe verè conſecratoria, nec adhiberi per modum concionis, ſed tanquam habentia peculiarem efficaciam ad conſecrandam materiam & cauſandum effectum Sacramentalem.* De hac Concluſione, quia res eſt, quæ ad Controverſiſtas ſpectat, videri poteſt ultra alios Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de Sacram. in genere. cap.* 19 & 20. ubi latè & optimè eam probat. Valentia item in præſenti *diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 2. Et quidem dupliciter poteſt ab Hæreticis ille error aſſeri. Primò, ſi dicant concionatoria verba adhiberi debere; itaut ſine illis Sacramentum non ſubſiſtat. Secundò; ſi dicant adhiberi debere, ut ritè & debitè Sacramentum miniſtretur, non tamen requiri eſſentialiter ad valorem Sacramenti. Primo modo videntur loqui Calvinus & Beza apud Bellarminum & Valentiam

An hæc difficultas nova ſit, & à paucis annis excitata?

Quomodo ſint verba Conſecrationis proferenda?

An verba, quæ ſunt Sacramentorum forma, debeant concionatoriè recitari?

Hæreticorũ error dupliciter exponi poteſt.

Verba ſunt neceſſaria,

Digitized by Google

etiam in Hæreticorũ ſententiâ.

Valentiam *ubi ſupra*: ſecundo modo explicant alij Sectarij. Hoc ergo ſuppoſito contra primum modum facilè arguere poſſumus ad hominem, quia, ſi verba per modum concionis prolata requiruntur eſſentialiter ad valorem Sacramenti; iam ferè cum Catholicis conveniunt, & incidunt in eadem inconvenientia, quæ nobis opponebantur, ſcilicet

In quo conſiſtat Magia, & ſuperſtitio?

quod videamur magica verba adhibere; Magia enim non excuſabitur ex eo, quod verba illa ad alios dirigantur, ſi tamen adhibeantur ritu illo ſuperſtitioſo, tanquam eſſentialiter neceſſaria, & ut habentia vim & efficaciam

N. B. Non accuſat nos Magiæ & ſuperſtitionis Ioannes Calvinus, quòd effectum in Euchariſtiâ exſpectemus à Chriſto: tum, quia ille declarat illa conſecrationis verba nullum habere effectum præter dici, non enim panẽ & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti convertunt, ipſe enim negat realẽ Chriſti præſentiam in Sacramento altaris, tum etiam, quia accuſat nos, quod hoſtiæ loquamur & calici, ac ſi haberent illa aures, & nos exaudire deberent.

ad operandum effectum: imò frequenter peccatur peccato ſuperſtitionis & veneficij, ex eo quod ex pacto cum Dæmone oporteat alium talibus vel talibus verbis alloqui, quibus is ad amorem vel alium effectum inclinetur: ubi licèt illa verba proferantur per modum colloquij, quia tamen adhibentur per vim occultam, quam ex Dæmonis pacto habent ad effectum cauſandum pertinent ad Magiam, Ergo, ſi verba concionatoria adhibentur à Miniſtro, ut eſſentialiter requiſita ad effectum Sacramenti, & ut habentia vim infallibilem ex pacto & inſtitutione Dei ad operationem, non minùs habebunt ſpeciem Magiæ & ſuperſtitionis, quàm ſi adhiberentur ut conſecratoria: imò hoc ipſum eſt formaliſſimè eſſe verba conſecratoria, eſſe ſcilicet operatoria ſeu effectricia; ſi enim ipſa verba e.g. *Hoc eſt Corpus meum* prolata per modum concionis, habent vim infallibilem ponendi Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, quod ſine illis verbis nullo modo poneretur, iam illa verba erunt veriſſimè conſecratoria, cùm reverà, conſecrent panem ſeu ſpecies panis, & ex materiâ profanâ reddant illam ſacratam, quod eſt veriſſimè conſecrare: quod idem procedit de verbis aliorum Sacramentorum. Contradicunt ergo ſibi Hæretici requirentes eſſentialiter talia verba ad valorem Sacramenti, & ex aliâ parte negantes eſſe verba conſecratoria. Nec eſt multum cum illis contendendum, ſi ſolùm intenderent, quod illa verba proferantur tanquam verba, quæ ad alios dirigamus, & quibus alios alloquimur:

N. B. Vt contradictionem hanc oſtenderet, multa adducere deberet Lugo: nam Ioannes Calvinus Matrimonium dicit eſſe Civilẽ contractũ, & alia præter Baptiſmũ & Cœnam reiicit Sacramenta. In Cœnâ hæc contradictio, quam urget Lugo, non reperitur: nam ut paulò ante dicebam, verba Eu-

charistica ad Calvini ſententiam nullũ effectum habent: Ergo hæc tota Diſputatio debet ad Baptiſmi Sacramentũ contrahi: nã in illo fatetur gratiam ſuſcipienti conferri. At hanc ipſam exiſtimat eſſe extrinſecã quamdam denominationem à Chriſti Domini gratiâ deſumptam.

nam licet ad valorem Sacramenti non requiratur quod in actu ſecundo alij audiant, aut intelligant verba, poſſet tamen dici, quòd verba de ſe in actu primo dirigantur ad alios, & ita proferri, ut per ſe loquendo & humano modo poſſint ab aliis audiri & intelligi; ideò enim debent eſſe verba humana, & Idiomatis publici & humani, quia ſunt verba in ordine ad homines, ut conſtat ex formâ Sacramenti Baptiſmi & Pœnitentiæ, quibus loquimur cum baptizato & pœnitente, cùm dicimus, *Ego te baptizo*, &c. *Ego te abſolvo* &c. Quod clariùs appparet in Sacramento Matrimonij, ubi debent verba ab altero coniuge audiri & intelligi, tanquam ad ipſum directa: & in Sacramento Ordinis *Accipe poteſtatem*, &c. & ſic de aliis. Non ergo recitantur ſuper materiam, quaſi loquamur cum materiâ, ſed loquimur cum aliis qui adſunt, vel poſſunt adeſſe, ut ſanctificetur materia, atque adeò ex hoc capite, licèt proferrentur ad inſtruendos alios dum tamen haberent vim operandi & conſecrandi, nihil diceretur contra ritum & uſum Eccleſiæ Catholicæ, neque ex hoc capite eſſet multùm cum Hæreticis contendendum, nec vitiaretur valor Sacramenti, eò quòd proferrentur verba animo concionandi, & inſtruendi plebem, dum tamen ſimul adſit intentio efficax faciendi verum Sacramentum, & proferendi verba eo modo, qui ad valorem Sacramenti requiritur. Controverſia ergo debet eſſe cum illis Hæreticis, qui ita dicunt verba eſſe concionatoria, ut ſolùm proferantur ad inſtruendum plebem, atque adeò ſine illis poſſe ſtare valorem Sacramenti. Contra hos autem arguitur. PRIMÒ ex ſcripturâ, ex quâ adiunctâ ſimul Eccleſiæ traditione colligitur neceſſitas eſſentialis Verborum: nam in Sacramento Euchariſtiæ Chriſtus præcepit facere id quod ipſe fecit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, ipſe autem verbis Sacramentum conſecraverat dicens *Hoc eſt Corpus meum*. In Baptiſmo item præcepit illam formam *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*: quam formam debere eſſe per verba & voces univerſa Eccleſia ſemper tenuit, ſicut in Sacramento Pœnitentiæ & aliis. SECUNDÒ probatur ex Conciliis exigentibus verba tanquam neceſſaria ad valorem Sacramenti. Sufficiat Florentinum in dicto Decreto unionis, ubi id expreſsè definitur.]

Proponitur, & impugnatur eorũ error, qui verba non eſſe neceſſaria ad valorem Sacramenti aſſeverant.

MMCMLXVIII.

Sacramentorum Chriſtus materias & formas inſtituit.

Vt melius dicta capias, placet adhuc ſubſcribere verba eiuſdem Cardinalis Lugonis, qui *lib. de Sacram. diſp. 2. ſect. 7. num. 81. pag. 27.* ſic inquit. [Concluſio Catholica eſt, *Sacramenta legis novæ inſtituta eſſe à Chriſto, atque adeo materiam & formam eorum*; cum enim Sacramentum ſit complexum ex materiâ & formâ, non poteſt inſtitui aliquod complexum ad ſignificandam gratiam quin ſimul inſtituantur talis materia & talis forma ad ſignificandam gratiam; Et per conſequens Chriſtus inſtituens Sacramenta inſtituit & determinavit materiam eorum.] Et hæc ipſa Concluſio, ſi agamus de determinatione ad ſpeciem ultimam falſa eſt:

Sed quomodo? genericè-ne, an ſpecificè?

aliqua enim, ut vidimus, genericè Chriſtus requirit, & omnia potuit: ſed ſi agamus de determinatione ſubalternâ, hoc eſt, non ultimâ, vera videbitur: non tamen efficax eiuſdem probatio, quam ſubiungit, ait enim:

Hanc Veritatem Concilium Tridentinum definit.

[Concluſio habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. Can. 1.* his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta nova legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino inſtituta, aut eſſe plura aut pauciora, quàm ſeptem &c. Anathema ſit.* Et *ſeſſ. 21. cap. 2.* declarat in Eccleſiâ fuiſſe perpetuò poteſtatem, ut in Sacramentorum diſpenſatione, *ſalvâ illorum ſubſtantiâ*, ea ſtatueret vel mutaret, quæ magis expedire iudicaret. Vbi per illa verba, *Salvâ illorum ſubſtantiâ*, apertè indicatur, ſubſtantiam ipſam non fuiſſe relictam Eccleſiæ arbitrio, & diſpoſitioni, ſed fuiſſe ſtatutam & determinatam à Chriſto.]

Quid in Sacramentis mutare poſſit aut non poſſit Eccleſia?

Probatio Lugonis rejicitur, & ſententia tenetur.

Sed his ille verbis Concluſionem, aliàs veram, non probat: ait enim Concilium, Dominum noſtrum Sacramenta inſtituiſſe, & hoc eſſet verum etſi materiarum & formarum determinationem reliquiſſet Eccleſiæ: puta, ſi dixiſſet, exempli gratiâ, *In cibo & potu Euchariſtiæ Sacramentum inſtituo, quid autem debeas comedi quid autem bibi, Eccleſiæ iudicio*

Vide quæ diximus Art. præced. in fin.

indicio committo. Præterea locus ille adductus ex ſeſſ. 21. nil evincit: Quia tota Lugonis probatio eſt, *Eccleſia nihil poteſt mutare circa Sacramentorum ſubſtantiam, Ergo nihil potuit inſtituere circa eorumdem ſubſtantiam,* quam apertam appellat. quæ tamen tam clauſa eſt, ut non poſſit non rejici: eſt enim mala, ut paulò ante monſtravimus.

ARTICVLVS IV.

An Sacramentorum formæ debeant verificari Phyſicè; an ſatis ſit, ſi verificentur moraliter?

MMCMLXIX. *Quis ſit apud Hæreticos ſuperintendens?*

PRINCEPS N. Agæ-Comitis in Hollandiâ ex parentibus Heterodoxis naſcitur: & ut magnificentiùs baptizaretur, fuerunt omnia ita à Prædicante diſpoſita, ut non ſolùm Catholici, ſed etiam Hæretici ſcandalo percellerentur. Narro hiſtoriam. Sedebat in ſummo ſolio ſuperintendens (ſic Prædicantium vocant Principem, ne Epiſcopum Græco nomine appellent) tunc ſubminiſter traditum à mulieribus ſuſcepit infantem & abluit, & dum parvulus luget, & mulierculæ garritant, & Subminiſter aquam fundit, pronunciat ſuperintendens, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti.* Hæc hiſtoria excitavit ingenia, ut inquirerent, *An Sacramentorum formæ verificentur ſemper realiter; an verò ſatis ſit, ſi verificentur moraliter?* Et ratio interrogandi eſt, quia ſuperintendentis verba in ſenſu reali falſa ſunt, non enim ille realiter abluit infantem: in ſenſu autem morali vera ſunt, quæ enim alius nobis præcipientibus efficit, à nobis ſunt facta moraliter. Vt rem altiùs capiamus poterimus per ſingula Sacramenta diſcurrere.

Duplex operandi modus: alia enim realiter, & alia moraliter facimus.

Farit, ſed moraliter Princeps, quæ per Vicarium facit.

DE BAPTISMO.

MMCMLXX. *An Baptiſmi verba debeãt realiter verificari.*

VErba illa, *Ego te baptizo,* &c. poſſe moraliter tantum verificari, ſentiunt non pauci Calviniſtæ, ſed non moveor, quia non pauci etiam videntur ipſummet Baptiſmum parvi facere. Venio ad Catholicos, & quo illi modo philoſophentur, explico.

Caſus idem aliter à Dianâ reponitur.

Diana *part. 3. tractat. 4. de Sacram. Reſ. 11.* rurſuſque *part. 5. tractat. 3. reſol. 23.* hunc caſum decidendum proponit. [Erat mutus & mancus ſimul: & quia infantulus periclitabatur, cum mutus abluit, & mancus formam protulit; & poſteà quærebant, An parvulus fuerit baptizatus? [Putant communiter Doctores hunc baptiſmum fuiſſe invalidum, & infantem abſolutè & ſine conditione aliquâ rebaptizandum: quod eſt dicere verba in Sacramento Baptiſmi debere verificari phyſicè, neç confici Sacramentum, etſi verificentur moraliter. At Vincentius Fernadez de Herediâ non omninò putat eſſe certam opinionem communem, ſed hæret dubius, & *diſput. de Sacram. Baptiſm. p. 7. libr. 9.* ſic ait. [Quia nonnulli graves Doctores contrarium in hoc neceſſitatis conflictu ſentiunt, non dedecet in caſu propoſito ſub hac conditione interiùs conceptâ (ſi ita conferri Baptiſmus poteſt) applicare baptiſmum: meliùs enim eſt (ut ne ſolus in hoc caſu indicem) dubium baptiſmum, quàm omninò nullum accipere. Cæterùm, ſi infans ille mortis evaderet periculum, eſſet iterum ſub conditione baptizandus] Hæc Heredia. Sed Diana hanc ipſam opinionem hâc Cenſurâ perſtringit. [Hæc ſententia non videtur probabilis, cum Doctores communiter oppoſitum ſentiant.] At ego doceri à Dianâ volo *primò*, An in eiuſdem Lexico idem ſit *ſententiam non videri probabilem*, atque *videri non probabilem*, ſive quod idem eſt, *videri improbabilem*; in meo enim hæc duo differunt toto cœlo. *Secundò*, Vnde ſciat contrarium ſentiri à Doctoribus eſſe certum & evidens; omnes enim hodie ſentimus Virginem eſſe ſine culpâ conceptam, nec ideò contrarium nobis videtur improbabile, Ego interdum ſententias, quæ mihi non placent, admitto, quia illas negare non audeo. Et Diana, nonnulla, quæ in Siciliâ docuit, Romæ correxit, aut negavit. Ergo tametſi hæc conſequentia, *Petrus hanc ſententiam admittit, Ergo illam certam aut probabilem judicat,* bona ſit, hæc eſt mala, *Petrus hanc ſententiam admittit, Ergo eam certam judicat.* Ergo magnus ille Authorum numerus, qui pro contrariâ ſententiâ adducitur, hujus probabilitati non præjudicat; fortè enim omnes illi adhærent contrariæ, ut probabili. *Tertiò* An non debeat probabilitas rationalis ab authenticâ diſtingui? &, ſi debeat, cur deficiente authenticâ, non ſit ſaltem dicenda Herediæ opinio eſſe prædita probabilitate rationali? Quod eſt quærere, An Dian. habeat rationem aliquam firmam & evidentem, quâ poſſit demonſtrare Herediæ ſententiam eſſe falſam? *Quartò*, quia non eſt bona conſequentia, *Hæc ſententia eſt communis, Ergo oppoſita eſt improbabilis* dantur enim communes contra communes: & poterit eſſe communis, quæ ſit minùs probabilis. Aliâ igitur Logicâ uti debet Diana: nam dùm hac methodo dialecticatur, exclamare potero cum Leandro *par. 1. tractat. 2. quæſtion. 16. pagin. 45. b.* & dicere. [O bone Deus, ſi hæc eſſet efficax ratio, quot ipſe (Diana) opiniones improbabiles probat & approbat!] Conſentit Dianæ Dicaſtillus, *numer. 141.* & 181. ubi oppoſitum docet eſſe improbabile.

Nota illud melius.

Anne nullũ accipere eſt bonum?

Ibi illud melius adverſativè & non comparativè ponitur.

An ſint æquivalentes hæ propoſitiones. Non videtur probabile. Videtur non probabile. Videtur improbabile?

Non ſufficit ut Petrus aliquã ſententiam admittat, ut illam certã judicare dicatur.

Etſi authentica probabilitas deſit, ſufficit rationalis: imò, ſi hæc deficiat, altera in arenâ fundatur.

An ſit bona conſequentia, Hæc doctrina eſt communis: Ergo oppoſita eſt improbabilis.

Authores, qui volunt verba realiter verificari.

Portò Baptiſmi formam debere verificari realiter, docent communiter Theologi, ut Diana obſervat. Sic enim ſentit S. Thomas *quæſt.67. art.6. ad 3.* Ægidius *ibid. dub.1.* Scotus *diſt.6. quæſt.2.* Vaſquez *diſp.148. cap.4. num.25.* Hurtadus *diſp.2. diff.6.* Filliucius *tract.2. num.79* Archangelus *diſt.3. pag. 21. col.1.* Ludovicus de S. Ioan. *quæſt. de baptiſm. art. 4. dub.2. pagin.* 80 Henriquez *libr. 2. cap. 12. num. 1.* Sotus *diſt.4. art.4.* Ledeſma *part.4. quæſt.8. artic.6.* Victoria *quæſt. 17.* Angelus *verb. Baptiſmus 5. num. 6.* Suarius *diſp. 23. ſect.3.* Ochagavia *de Baptiſ. quæſt. 3. num. 6.* Bonacina *diſp.2. num.23.*

Authores, qui ſufficere aſſerunt moralem verificationem.

His tamen non obſtantibus Leander *loc. cit.* ait [Probabiliter reſpondeo poſſe, & licitè, & validè in tali caſu plures ſimul unum baptizare.] Sic Cajetanus *quæſt.67. art.7.* Marſilius *quæſt. 4. art. 3. dub. 11.* inclinat, Paludanus *diſt 6. quæſt. 2.* Hanc ſententiam dicunt eſſe probabilem Heredia *de baptiſm. part.5. dub. 9* & Chapeavilla apud Dianam *part.5 tract.1. reſol. 26.* Imò etiam Angelus, Sotus, & Henriquez *loc. cit* Fortè, & cæteri Authores ita oppoſitæ ſententiæ adhærent, ut hujus non præjudicent probabilitati: nam Suarius *loc. cit. verſ. Ad ultimam verò*, ſic ait. [Non nego tamen, ſi occurrerit talis neceſſitatis articulus, poſſe juxta aliam ſententiam conferri baptiſmum, quia melius eſt accipere baptiſmum dubium, & aliquo modo probabilem, quam omninò nullum.]

Quid in caſu neceſſitatu fieri debeat?

Sic diſcurrunt Authores, & Ego utramque partem eſſe puto probabilem, quia neutrius rationes ſunt firmæ.

An Miniſter debeat perſonam Chriſti repræſentare?

Illi, qui volunt Sacramentorum formas realiter verificari, baptiſmum à duobus collatum, ita, ut alter infundat aquam, & alter verba proferat, eſſe invalidum probant, *Primò*, quia in prædicto caſu verba non verificarentur. Sed cur non? nam verificarentur moraliter, ſed debent, inquiunt, verificari realiter. Reſpondeo, hoc ipſum eſſe, quod deberet probari. *Secundò*, quia Miniſter Baptiſmi debet repræſentare perſonam Chriſti, quæ eſt una: ergo debet eſſe unus. Sed reſpondere poterunt Adverſarij, primò non eſſe in caſu duos Miniſtros, ſed unicum; qui enim realiter loquitur, moraliter per alterum aquam infundit. Prætereà inferent tolli Matrimonium, nam in illo duo eſſe debent Miniſtri.

An, qui aquæ defluenti infantem ſubjiceret, validè baptizaret?

Qui autē tenent ſufficere moralem formarum verificationem, probant. *Primò*, quia, ſiquis aquæ defluenti ex tecto puerum ſubmittat validè baptizat, & tamen ipſe non infundit aquam in caſu, ſed verba profert Sed hoc ipſum non eſſe certum dico; nam à Franciſco de Raconis *tr.2. de Sacr. diſp.2. quæſt.3. art.1. pag.132.* & ab aliis negatur: & ab aliis non niſi probabiliter aſſeritur. Addo, eſſe diſparitatem etiam: quia, qui aquæ defluenti infantem ſubmittit, ſicut qui immergit, non moraliter, ſed realiter baptizat. *Secundò*, Quia

An formâ Græcorū poſituiet, ut qui illā profert, etiam infundat aquam?

forma, quâ Græci utuntur, etſi unus aquam fundat, & alter verba proferat, verificatur: tunc enim verum eſt dicere, *Baptizatur ſervus Chriſti*, &c. At hæc probatio eſt inefficax: nam circumſtantiæ conſignificantes apud Græcos; ut hæ duæ formæ *Ego baptizo te*, & *Tu baptizaris*, ſint æquivalentes, efficiunt: nam *baptizatur* ibi eſt ſecunda perſona, ut oſtendam inferiùs, & *à me*, quod ſubintelligitur, à circumſtantiis adjacentibus conſignificatur. *Tertiò*, quia, qui uteretur hac formâ, *Baptizet te Chriſtus*, &c. validè baptizaret. At hæc forma etiam in caſu verificaretur. Ergo. Majorem admittunt Sotus, Nuñus, quos ſequitur Ioannes de Cruce *quæſt.66. de Bapt. concl.3.* Sed neque hæc probatio eſt firma, nam eadem major à Vaſquez *diſp.142. num.27.* negatur.

An Baptiſmi forma eſſe poſſit deprecativa?

An, quæ aliquis facit per ſe, poſſit per alium facere?

Rationibus utrimque adhibitis conſideratis, ſic diſcurro. [Sunt duæ Generales Regulæ in Iure Canonico valde connexæ. Videlicet LXVII. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.* Et LXXII. *Qui facit per alios, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.* Hæ ſunt in poſſeſſione: ſunt nobis ad regimen morum præſcriptæ, & admiſſæ ab Eccleſiâ. Ergo, ſi poſteriori utamur, dicturi ſumus, *perinde eſſe, ſi ille, qui verba profert, infantem abluat per alium, ac ſi abluat per ſe ipſum* Ergo, quandiu non demonſtretur oppoſita, manebit hæc doctrina probabilis: & ex ipſâ oriuntur Concluſiones ſequentes.

Quid fieri poſſit extra caſum neceſſitatu.

Prima. *Qui extra neceſſitatis caſum verba proferret per ſe ipſum, & aquam funderet per alium, peccaret mortaliter.* Quia exponeret infantem æternæ damnationis periculo: eſt enim Charitatis præceptum, quod præcipit, ne cum proximi damno in Sacramentorum adminiſtratione utar opinione probabili. Ille igitur ſuperintendens, qui Principem illum Hagæ Comitis baptizavit, peccavit mortaliter.

Quid in neceſſitatu caſu debeat?

Secunda. *In caſu neceſſitatis peccaret mortaliter, qui mallet infantem mori ſine baptiſmo, quam modo tradicto baptizare.* Hanc bene probat Suarez, ad cujus mentem ſic diſcurro. Ille infans eſt in extremâ neceſſitate, & in æternæ damnationis periculo, Ergo teneor illi ſuccurrere, quantum poſſum. Ergo, ſi dare remedium certum poſſum, dare debeo: &, ſi non poſſum certum, ſed probabile tantùm, teneor dare probabile: nam melius eſt probabile habere, quàm nullum.

Quid poſt neceſſitatem.

Tertia. *Prædictus infans, ſi ſupervivat, debet ſaltem ſub conditione rebaptizari.* Patet: quia dubius aut probabilis baptiſmus relinquit animam in periculo. Ergo adhuc manet certum conferenti obligatio.

DE CONFIRMATIONE ET EXTREMA-VNCTIONE.

MMCMLXXI.

An poſſit tēpore alius poſſit ægrotū ungere, & alius verba proferre?

In Sacramētorum adminiſtratione, ne devies à communi ſententiâ.

SI in Baptiſmo poſſit Parrochus proferre verba, & Miniſter alius abluere infantem, poterit etiam in confirmatione idem fieri; puta, ſi Epiſcopus pronunciat formam debitam, & ungant confirmandos Miniſtri. Idem proportione ſervatâ poſſet in Extremâ-Vnctione practicari, ſufficeret enim ſi Parrochus verba proferret, & famulus aliquis ægrotum ungeret: qui modus ungendi (ſi eſſet probabilis) eſſet valde utilis

tempore

tempore peſtis. Interim, quia doctrina de Sacramentis eſt plena periculo, non eſt deſerenda via trita & communis, & ideò tu, quidquid de conſequentiis iſtis ſit, ne relinquas communem ſententiam in praxi.

De Poenitentia.

An peccata deleantur, an tegantur?

ABututur noſtræ ætatis hæretici, verſu illo Pſalmi, *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, & affirmant peccata non deleri, ſed tegi, adeo que illa verba *Ego te abſolvo*, non eſſe ſumenda in ſenſu rigoroſo, ſed in morali ſeu virtuali. Et quidem ſi vera eſſet Novatorum opinio, eſſet Confeſſarius ſimilis Medico, qui leproſum togâ nitidâ indueret, & ideò diceret, *Ego te ſano.* Non ſic contingit in Sacramento Pœnitentiæ, in quo peccata verè remittuntur & delentur, & verè peccator abſolvitur.

An alter poſſit confeſſionem audire & alter abſolutionē dare?

N. B. Eſt hîc Romæ vir bonus doctúſque, qui ſibi hunc caſum in Italiâ accidiſſe teſtatur. Etiam ſtupidi ſunt inter iſti Parrochi, vt hæc, & aliæ ſimiles hiſtoriolæ fidem minimè ſuperare credātur. Nec veritati præjudicat locorum diſtantia & diverſitas; quod enim in vno loco ſemel accidit, ſæpe & in multis iterum poteſt accidere.

Poſſet poni alius caſus in quo eſſet maior paritas cum præcedentibus. Quidam Vir doctus, dum Galleciam peragraret, ingreſſus Eccleſiam & volens confiteri, auditur à quopiam ſene Sacerdote; vult abſolvi: ille muſſat neſcio quæ verba, quæ non ſatisfaciunt pœnitenti. Turbatur iſte, & ſurgens accedit Parrochum, iuvenem & obeſum idiotam, & conqueritur. Vt eum inaudiit Parrochus, iraſcitur, advoeat Senem, & ſic inquit. [Curtu homuncio decrepite meam quotidie Eccleſiam turbas præſumptione & audacia? Cur te ingeris in alienum officium, quod ignoras. Non ego tibi abſolvendi facultatem conceſſi ſed audiendi tantummodò. Scias quid debeas facere, ſi dimitti non vis. Iterum dixi. Tu ſolùm confeſſiones excipe, & pœnitentes ad me abſolvendos remitte.] Audivit, & obſtupuit pœnitens, nec voluit amplius diſputare cum Parrocho, ſatius indicans monere Epiſcopum. Et quidem, ſi unus confeſſionem exciperet, & alter abſolveret, eſſet Sacramentum Pœnitentiæ ſimile Procerum Hollandorum Baptiſmo, ad quem crebrò concurrunt duo, alter abſoluendo infantem, & alter verba proferendo.

Aliter de Pœnitentiâ, & aliter de Sacramentis cæteris eſt philoſophandum.

Si Chriſtus voluiſſet in Sacramento Baptiſmi, Confirmationis, Extremæ-Vnctionis, &c. ablutionem, unctionem, &c. fieri ab altero & verba dici ab altero, ſubſiſterent Sacramenta ſine aliquo inconvenienti; at id in Sacramento Pœnitentiæ videtur non eſſe arbitrarium: ſi enim alter audiret peccata, & alter abſolveret, iſte ſecundus temerè indicaret: adeoque ne quis temerè ligaretur, aut abſolveretur, ut idem qui iudicaturus erat, etiam ipſe pœnitentem audiret, ſanctiſſimè inſtitutum eſt.

De Evcharistia.

MMCM. LXXII.

An verba Euchariſtica ſint vera moraliter?

HOdie hæreticos decipit Dœmon, & quia ſummæ ſunt gratiæ, quas nobis Euchariſtia impertitur, ſummo ille niſu conatur homines hoc divino Sacramento privare. Hanc ob rem ſuggerere occœpit conſecrationis verba non rigoroſè & realiter, ſed moraliter (hoc eſt, metaphoricè aut repræſentativè) eſſe accipienda. Et quidem, ſi Dœmonis (Lutheri, Iwinglij; & Calvini Magiſter fuit) eſſet vera ſententia, verba Euchariſtiæ ſic deberent intelligi. *Hoc eſt corpus meum metaphoricum*; aut ſi mavis, *Hac eſt metaphora & repræſentatio mei corporis.* Et poſteà. *Hic eſt calix metaphoricus mei ſanguinis metaphorici, qui pro vobis & pro multis effundetur metaphoricè in remiſſionem metaphoricam peccatorum metaphoricorum.* An-non in hac expoſitione ſaltem aliqua ſunt, quæ evidenter ſunt falſa? quidquid de cæteris ſit, calix non eſt metaphoricus, & peccata non ſunt metaphorica: quamobrem nec ſanguis debet metaphoricus dici, nec remiſſio videri, metaphorica.

Nota hoc bene.

An conſecrationis verba metaphoricè debeant intelligi?

De Ordine.

An alius tradere inſtrumēta, & alius proferre verba poſſit?

PRogredior & affirmo eum, qui ablutionis miniſtrum à miniſtro dictionis diſtinxerit, conſequentia doctrinæ debere in Ordinum collatione affirmare, poſſe ab vno inſtrumenta tradi, ab altero manus imponi, & ab alio formulas correſpondentes pronunciari. Sed quia claudicat antecedens, non poteſt conſequentia ſubſiſtere. Dicit Commentator. *Ab eo, quod eſt ad utrumlibet, nihil ſequitur, niſi priùs ad unum per aliquid determinetur.* Et quia ad utrumlibet ſunt Probabilia, nos videtur monere, ne nimiùm fidamus ſyllogiſmo, qui ex præmiſſis merè probabilibus conſequentiam deducit: interdum enim ſic modus colligendi claudicat. Modò hunc diſcurſum conſidera. *Si Sacerdos ad Caſtitatis obſervantiam tenetur, vel voto vel præcepto tenetur. Sed teneri, voto multi probabiliter negant. Et teneri præcepto multi etiam probabiliter negant. Ergo non teneri ad Caſtitatem probabile eſt.* Præmiſſæ ſtant, & tamen conſequentia non ſtat. Ergo cautè argumenteris in materiâ probabili, & vide, quæ de hoc arguendi modo Fundament. XI. tradidi.

Non ſemper, quæ ex probabilibus inferuntur, ſunt probabilia.

De Matrimonio.

An matrimonium poſſit per Vicarium iniri? an per Vicarium conſummari?

An Agar proprio, an Sara nomine cōceperit, & pepererit filium?

Cur Arabes Iſmaëlitæ & Agareni dici ſoleant? An debeant Saraceni vocari?

OMnes contractus aut ferè inîri poterunt per procuratorem; & quia Matrimonium contractus eſt, etiam per Vicarium inîri. Et in tali caſu, alius eſt qui conſenſum præbet, & alius qui ſponſæ abſenti ſponſi conſenſum inſinuat. Omnia hæc facilia ſunt: ſed maior eſt difficultas, cum quæritur, *An illud poſſit per procuratorem conſummari?* Et hæc pendet ab aliâ, quæ inquireret, *An poſſit quis per vicarium aut procuratorem reddere debitum?* nam Hebræi veteres videntur habuiſſe aſſerentem ſententiam, & loco ſui nonnunquam ancillas iuniores ſubſtituiſſe, ut per illas ipſæ, ut cauſæ morales proles ſuis maritis adquirerent. Legantur Sacræ Hiſtoriæ, & Iudæorum Patriarcharum præcipue. Et, ne omnes omittam, illam, quæ *Geneſ.* 16. habetur proponam. Hæc ibi lego. *Igitur Sacrari, uxor Abram, non genuerat liberos: ſed habens ancillam ægyptiam nomine Agar, dixit marito ſuo. Ecce concluſit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex*

Digitized by Google

illa ſuſcipiam filios. Cùmque ille adquieſceret deprecanti, &c. Nota illud *ſuſcipiam*, non dicit, *ſuſcipies*, vel *ſuſcipiet*, ſed *ſuſcipiam*, non ergo proprio ancilla nomine, ſed nomine Saræ debebat concipere & parere. Ad Agarem Angelus. *Ecce concepiſti*, ait, *& paries filium, vocabiſque nomen eius Iſmael*, &c. *Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum; & è regione univerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula*, &c. Ab Iſmaële proveniunt Arabes, qui ex patris nomine *Iſmaelitæ*, & ex matris nomine *Agareni* vocantur. At ipſi ſervilem denominationem rejiciunt, & volunt *Saraceni* appellari. Sed cur? Fuimus, inquiunt, ab Agare, ſed nomine Saræ concepti: nati ergo fuimus, non Agari, ſed Saræ; ergo *Saraceni* dici, & non *Agareni* debemus.

Potuit concedere Deus ut debitum in matrimonio per tertiam perſonam reddatur.

His præmiſſis, ad Quæſtionem reſpondeo, potuiſſe Deum concedere ut debitum per tertiam perſonam reddatur: at hanc obligationem hodie, quidquid de veterum matrimonio ſit, eſſe perſonalem, adeóque delegari non poſſe.

ARTICVLVS V.

An formarum Sacramentalium verba non ſolùm debeant eſſe vera, ſed etiam veracia?

Quomodo differăt veritas & veracitas.

MMCMLXXIII. ANTEQVAM quæſtionem ingrediamur, duæ voces nobis ſunt exponendæ: nimirùm *Veritas* & *Veracitas*, quorum illa opponitur Falſitati, iſta Mendacio. Eſt ergo propoſitio vera, quæ enunciat rem, ſicuti eſt: falſa, quæ enunciat rem, aliter quàm eſt, eſt autem propoſitio verax, quæ enunciat rem ſecundum mentem proferentis; mendax, quæ contra mentem. Rem exemplis illuſtro. Putas nivem eſſe albam, & ait, *Nix eſt nigra*: & profers verba falſa & mendacia; falſa, quia contra objectum; mendacia, quia contra intellectum; enuncias enim rem, non ſolùm aliter quàm eſt in ſe, ſed etiam aliter quàm intelligitur à te. Putat Anaxagoras nivem eſſe nigram, & ait *Nix eſt alba*: & profert verba vera, & mendacia: vera quia ſecundum rem; & mendacia quia contra dictamen. Si manente eodem intellectûs iudicio dixiſſet, *Nix eſt nigra*, protuliſſet verba quidem falſa, ſed veracia: falſa, quia contra objectum; veracia, quia ſecundum dictamen.

Aſſertio falſa & mendax.

Nivem eſſe nigram Anaxagoras aſſerit.

Vera & mendax.

Falſa & verax.

Tres diverſa proponūtur, & explicātur intentiones.

Hac doctrinâ præmiſsâ quæritur, *An formarum Sacramentorum verba, debeant tantum eſſe vera, hoc eſt, correſpondentia objecto; an etiam debeant eſſe veracia, hoc eſt, correſpondentia intentioni & dictamini?*

An Miniſtri requiratur intentio.

Intentionem & dictamen Miniſtri debemus neceſſariò in tres modos diſtinguere; nam, qui baptizat puerum (1) habet intentionem fundendi aquam & proferendi verba non quia ſic inſtituit Chriſtus, ſed ex aliâ causâ: vel (2) habet intentionem fundendi aquam, & dicendi illa verba, quæ inſtituit Chriſtus, & præſcribit Eccleſia: non tamen vult conficere Sacramentum, nec gratiam infanti conferre, vel habet intentionem & faciendi, & dicendi extrinſecùs, quæ Chriſtus inſtituit, & Eccleſiæ præſcribit; & vult per hos externos actus Sacramentum conficere & gratiam infanti conferre. Ecce tres habemus intentiones diverſas, & de illis debemus accuratè diſſerere.

Martin. Lutherus, Ioan. Calvinus, & alij noſtri temporis Novatores, apud Bellarminum *libr.1. cap.27.* & apud Becanum *cap.5. quæſt.3.* docent primam intentionem ſufficere. Citatur pro hac opinione Ambroſius Catherinus *in Opuſc. de intent. miniſtr.* ſed male, ut Lugo *diſp.8. num.14. pag.125.* & Granadus *tractat.5. diſput.4. ſect.1. oſtendunt.*

An ſufficiat intentio faciendi, quod facit Eccleſia?

Secundam illam intentionem ſufficere aſſerunt ſcriptores graviſſimi, & inter alios, Catherinus *loc. cit.* Paludanus *in 4. diſt. 6. quæſt.2. art.3.* Bartholomæus ab Angelis Dominicanus *in exam. Confeſſ. de Sacram. in comm. dial. 31.* qui citat D. Thomam *in 4. diſt.24.quæſt.1.art.1.quæſtiunc.3.* Viguerium. Eamdem ſententiam docet Sylveſter *verb. Baptiſm.3. quæſt.12.* & *6.num.3.* Zauardus *in direct.Confeſſ.part.1.de Sacram. Baptiſ.cap.4. in fin.* Quod ipſum ut ait Diana *part.3. tract.4.reſol.17.* docere debebit à fortiori Angelus *verb. Baptiſm. 1. num. 12.* & Alenſis, apud Filliucium *tom.1.tract.1. cap.7. num.80.* Et hanc ſententiam noviſſime docuit Ioannes Marius Gallus *in ſumm. Theolog. diſp. 1. de Sacram.quæſt.6.* & *7.* Pro hac opinione, quam mordicùs tuebatur, ſcripſit Epiſcopus D. Auguſtinus de Bellis, amicus meus ſingulariſſimus, ſed morte præventus librum non edidit. Omnium horum Authorum ratio eſt, quia eſſet nimis durum omninò, ſi noſtra ſalutis remedia ab alterius hominis voluntate penderent; ita ut improbitate alienâ aliquis condemnari deberet. Et, ut hanc ſecundam Opinionem intelligas, *non velle conficere Sacramentum* ab eo quod eſt *velle non conficere* debes diſtinguere. Eum enim, qui poſitivè non vult Sacramentum conficere, invalidè illud adminiſtrare, certum eſt. Ergo ne hinc inferet aliquis, meam ſalutem ab alienâ voluntate pendêre? Bartholomæus ab Angelis negabit conſequentiam; ſic enim inquit. [Vbi Miniſter ex malitiâ in Baptiſmo vel in Pœnitentiâ vel alio Sacramento falleret, non habendo intentionem faciendi, quod Eccleſia facit, ſed tantùm irrideret hominem, & hæc ſua malitia non eſſet nota (nimirùm, ſuſcipienti Sacramentum) Deus, qui facienti, quod in ſe eſt non deficit in neceſſariis, nec

Sententia negans probatur.

N. B. *Aliud eſt quærere, an Sacramenta, etſi Miniſtro deſiciat voluntas, ſint va-*

alligavit

Digitized by Google

lida? & aliud, aſſerere eſſe inualida & quærere, An Deus per alia media ſuſcipienti ſuccurrat?

alligavit virtutem ſuam Sacramentis, ſuâ infinitâ bonitate ſuppleret: non quoad characterem, ſed quoad gratiam.] Ita ille.

MMCMLXXIV.

Quinã Authores ſecundam opinionem eſſe falſam affirment?

Sed opinio, contraria communis eſt: & præcedentem eſſe falſam iudicant S. Thomas *quæſt.* 64. *art.* 10. Suarius *diſp.* 13. *ſect.* 2. Vaſquez *diſp.* 138. Granadus *tract.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 1. Lugo *diſp.* 8. *ſect.* 2. Hurtadus *diſp.* 4. *diff.* 4. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. §. 3. *num.* 6. Homo bonus de Bonis *in exam. Eccl. part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 10. Naldus *in Summ. verb. Sacram. num.* 10. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 1. *c.* 7. *n.* 80. Sylvius *in* 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 2. *ad* 4. *arg.* Vincentius Fernandez de Heredia *in diſp. mixt. de Sacram in gen. part.* 9. *dub. unic. num.* 17. Suarez & alij multi.

Quinam erroneam, & temerariam?

Eamdem, ut erroneam, & temerariam reiicit Cabrera *de Sacram. quæſt.* 64. *art.* 8. *diſp.* 1. §. 65. & 66. Sed quo iure erroneam vocare, aut temerariam poſſunt, illuſtrium Doctorum authoritate fultam, & nullâ ratione manifeſtâ expugnatam?

Quinam tandem hæreticam? Quid condemnet, & quid adſtruat Tridentinum Concilium.

Eamdem etiam ut hæreticam reiicit Diana *part.* 3. *tract.* 4. *de Sacr. Reſol.* 17. ubi ſic inquit. [Quod Deus ſuppleat defectum Miniſtri in tali caſu, non fundatur ullâ lege, promiſſione, aut neceſſariâ ratione; & intentionem Miniſtri neceſſariò requiri & de fide] Sed videamus cur ſit de fide: &, an ipſamet Concilij Tridentini litera militet contra Dianam? *ſeſſ.* 7. *num.* 11. Definitur hic Canon; *ſiquis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, aut conferunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, Anathema ſit.* Reſumit eamdem doctrinam *ſeſſ.* 14. *cap.* 16. quæ exſtabat priùs in Concilio Florentino *in decreto fidei.* Et hunc Canonem dilucidè commentantur Suarius *tom.* 3. *diſput.* 13. *ſect.* 2. Bellarminus *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 27. & 28. Vaſquez *diſp.* 138. *cap.* 2. Quintadueñas *tom.* 1. *tract. de bapt. ſingul.* 1.

Alij autem tantùm abſunt, ut ſecundam ſententiam eſſe hæreticam judicent, ut illam potiùs exiſtimant verbis Concilij manifeſtè proponi. Attende. Per hæc Concilij verba, primam illam ſententiam, quæ erat Lutheri & Calvini, nec volebat facere quod faciebat Eccleſia, damnari indubitatum eſt. Rejectâ ergo illâ prima, ſecunda & tertia in iudicio adhuc manent. Nota in verbis Concilij illud *ſaltem*, ergo eſt aliqua ulterior intentio, quam non petit Concilium; & hæc eſt, quam poſtulat tertia ſententia, ultra quam non datur alia intentio, de quâ illud *ſaltem* poſſit verificari. Præterea nota illud verbum *facit.* Non ergo poſtulat Concilium in Miniſtro intentionem faciendi, quod intendit Eccleſia, ſed faciendi, quod facit.

Valentia, & alterã ſententia

Hæ ſunt pia virorum Sanctorum

Quando Miniſter vult non conficere Sacramentum, ut certum ſuppoſuit, & ſuppono, ab illo Sacramentum non fieri. An-ne Deus defectum ſupplere dignatur? Bartholomæus ab Angelis, ut vidiſti, aſſerebat: cui Valentia aſſentitur, dum ait [Probabiliter arbitrantur Theologi Deum Infantibus ſupplere defectum Miniſtri, quando hic malitioſè ſubtrahit intentionem: & in adultis eumdem defectum Miniſtri ſuppleri per devotionem & fidem ipſius ſuſcipientis, Deo etiam peculiariter ad id cooperante, ſiquis in devotione deſit. Quamquam illud de Infantibus non ſecundum legem ordinariam, ſed ſecundum privilegium aliquod accipi debet.] Sic ille in Theſibus. Non explicat, quamnam intentionem ad valorem Sacramenti requirat, ſed explicat, quid faciat Deus quando Sacramentum fuit invalidum.

deſideria; quæ ſicut reiici non debent, non poſſunt ſufficienter probari.

MMCMLXXV.

Communis Theologorũ opinio.

Solvitur ratio oppoſita.

N. B.

Fruſtra urgetur illud axioma, cuiuſcumque illud ſit, Faciẽti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.

Cùm tanta Divina ſit miſericordia, ut etiã illis qui nolunt facere quod in ſe eſt, gratias ſemper ſufficientes cõcedat.

Debet diſtingui gratia auxiliãs, quæ per diſpoſitionis aut operationis modũ eſt à gratiã Sacramentali, quæ eſt habitus & ad iuſtificationem ſufficient.

Profectò ſuum deſiderium Valentia, & alij oſtendunt, quicum Ego deſiderarem opinionem illorum non ſolùm eſſe probabilem, ſed eſſe veram: at Deus eſt abſolutus Princeps, & potuit ſic vel aliter Sacramenta inſtituere; & hodie eſt communis opinio quæ Valentiæ & Bartholomæo ab Angelis contradicit. Deſideria Valentiæ nihil probant, Bartholomæi ratio videtur ſolutione indigere. [Facienti, quod in ſe eſt, ait, Deus non denegat gratiam; At Pater, qui bonâ fide ponit in manus mali miniſtri filium ſuum baptizandum: & adultus, qui bonâ fide ad pedes perfidi Sacerdotis provolvitur, facit quod in ſe eſt: Ergo adquirit gratiam.] Vt ergo hanc diſſolvam rationem, duo occurrunt, *alteram*, æquè probari hominem iuſtificari cum Confeſſarius non habet intentionem, faciendi quod facit Eccleſia, ac quando caret poteſtate, ac etiam quando non eſt Sacerdos: quia in his tribus caſibus pœnitens æquè facit quod in ſe eſt, & facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. Argumentum igitur Bartholomæi nimium probare intendit: & quia nimium probaret, nihil probat. *Alterum* poſſe Deum facienti quod in ſe eſt aliter concedere ſuam gratiam, videlicet, vel non permittẽdo, ut in perfidum miniſtrum incidat: &, ſi hoc permittat, eum ad actum aliquem charitatis ſupernaturalis excitando; vel ſi baptizatus ſit, indulgendo, quod iterum devotè confiteatur, aut gratiam primam adquirat aliorum Sacramentorum virtute.

An omnia Sacramẽta per accidens conferant primam gratiam.

MMCMLXXVI.

Obiectio fortis.

An Sacramenta nova ſint faciliora, & ſecuriora antiquis?

An Circumciſionis valor à Miniſtri intentione pendeat?

An Baptiſmus de neceſſitate medij ſit?

Remedia peccati originalis.

Omiſit Bartholomæus ab Angelis & Valentia aliam rationem, quæ videretur multò fortior. Sic poſſet alteruter argumentari. [Sacramenta ſunt privilegia homini conceſſa divinitùs: Homo ergo melioris conditionis eſt poſt inſtitutionem Sacramentorum, quàm anteà erat, nam ut S. Auguſtinus *in pſalmum* 83. ſcitè docet, *Sacramenta Novæ Legis, ſunt pauciora, ſalubriora & faciliora.* Sed in Lege Naturali non indigebat Pater fide intentione alienâ, ut liberaret ab originali filium; & in Iudaicâ non pendebat Circumciſionis valor à Miniſtri intentione: nec Sacrificia pro peccatis erant invalida ob perfidiam Miniſtri. Ergo in lege gratiæ non debemus in Sacramentorum valore ab intentione Miniſtrorum pendere, vel aliàs erimus multò peioris conditionis quàm anteà.]

Hoc ſanè argumentum nimium etiam probat; æquè enim ipſum baptiſmum auferret, ſi termini diſponerentur ſic. [Sumus melioris conditionis hodie, quàm in lege naturali eramus; melioris quàm fœminæ in Moſaycâ: at omnes infantes in illâ, & fœmellæ in iſta à peccato originali liberabantur ſolâ parentum fide, aut etiam oratione, ſi velis. Ergo baptiſmus noſtræ legis ad melius eſt, & non

Digitized by Google

ex neceſſitate : Ergo infans Chriſtianorum filius, qui aut in ventre opprimitur ; aut natus, quocumque modo ſine Baptiſmo moritur in fide parentum ſalvatur. Aut ſi hodie aliquid extrinſecum requiritur, ut infans ab originali liberetur, peioris conditionis ſumus, quàm eramus in lege naturali aut Moſaycâ.]

MMCMLXXVII. *Illa ſolutio non erit bona.* Vellem audire aliquam claram ſolutionem. *Dices.* [A Cajetano omnia hæc concedi] Sed reſpondeo hæc ipſa in ultima Editione fuiſſe expuncta. *Addes.* [Argumentum quod nimium probat, nihil probat : at hoc nimium probat, Ergo nihil. Et probas minorem. Quia Chriſtianis obiectio iſta proponitur: apud quos dicere Baptiſmum non eſſe neceſſarium, ſed ad melius, nimium eſt.] Sed nondum quieſcit animus; quoniam dum eſſem Lovanij utebar Campanellæ opuſculis in quarto, quibus hic Pragæ careo, & in fine unius erant Cenſuræ Clarorum Virorum, quæ condemnabant hanc propoſitionem, *An opinio ex improbabili ad probabilē tranſire poſſit?* *Baptiſmus, non eſt infanti Catholicorum filio neceſſarius, ſed ad melius* inter quos quidam Lugo (an Eminentiſſimus? non recordor) eam dicebat eſſe improbabilem, & temerariam, non verò hæreticam. Et quidem propoſitio, quæ hæretica non eſt tametſi heri temeraria & improbabilis fuerit, ſi hodie nacta ſit rationem novam, cui evidens non detur ſolutio, hodie erit probabilis.

Reſolutio. His ergo non obſtantibus dico primò *ad Sacramenti valorem Miniſtri intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, requiri.* Dico ſecundò *hoc non negari à Bartholomæo ab Angelis nec ab aliquo erudito Theologo.* Aliud enim eſt dicere hoſtiam conſecrari à miniſtro, qui ſine intentione verba profert; aut etiam matrimoniū validè contrahi à diſſentientibus, qui verbis externis conſenſum internum mentiuntur : & aliud toto cœlo diverſum, Deum, *Nota ſingula bene.* eſſe miſericordiæ Patrem, & facientes, quod in ipſis eſt, non deſerere, adeoque recipienti bonâ fide hoſtiam non conſecratam è manu perfidi Sacerdotis, daturum favorem aliquem extra Sacramentalem, quo iuvetur : & ei qui vel invalidè baptizatus, aut abſolutus eſt, daturum extra Sacramentalis gratiæ auxilium, vi cuius actum contritionis eliciat. Et in hoc nullum ego inconveniens reperio: tam enim altè & generoſè de Dei miſericordiâ confido, ut non ſolùm exiſtimem ab eo dari extra Sacramentalis gratiæ auxilia facientibus quod in ſe eſt, ſed etiam rebellibus, & peccatoribus, nolentibus facere, quod in ſe eſt : ſæpe enim quando actualiter peccant, *Quanta ſit miſericordia Dei.* tanguntur, monentur & divinitùs illuminantur; tanta eſt enim Conditoris clementia, ut gratias addat gratiis, & ut liberalitatis ſuæ manum aperiat, nec præterita nec futura noſtra merita exſpectet. Et hoc eſt quod Bartholomæus, Valentia, & cæteri affirmare videntur.

Hac doctrinâ præmiſsâ requiri Miniſtri intentionem ſic probo [Illam, ut paulò antè expoſuimus requiri olim Florentinum, & nuper Tridentinum definiit. Ergo requiritur.] MMCMLXXVIII. *Ratio efficax.* Et ante Concilium Florentinum, eo videlicet tempore, quo nondum prodierant Canones de hac Veritate, ſic ego fuiſſem argumentatus. [Impoſſibile eſt in re tanti momenti totam Eccleſiam & Scholam errare : ſed hodie *Tota Eccleſia in re magni momenti errare nō poteſt.* omnes docent Miniſtri intentionem non iam ad melius, ſed ex neceſſitate requiri : ergo requiritur.] Hæc arguendi forma eſt fortiſſima; & interdum ad articulum fidei ſufficiens, puta, ſi tota Eccleſia, rem non ſolùm eſſe certam affirmet, ſed eſſe revelatam à Deo. Huc enim pertinent illa omnia, quæ de Apoſtolicâ Traditione dicuntur.

Obiectionum ſolutio. Obiectiones illæ, quæ in dubium ponebant, An ſimus melioris conditionis Chriſtiani, quàm fuerunt in lege naturali, &c. veteres homines; non urgent. Sumus enim melioris conditionis omninò, non quidem in ſingulis diſtributivè, ſed in omnibus copulativè; nam licèt Chriſtiana Religio habeat *Cùm de duabus rebus diſputatur, Vtra ſit melior? poteſt contingere, ut quæ in cæteris alteram ſuperat, & reverà melior eſt, in aliquâ circumſtantiâ vincatur.* aliqua gravamina, quibus carebat Naturalis (homines enim ante legem ſcriptam non tenebantur ieiunio, auditione miſſæ, lectione Canonici officij, &c. Sanctificare dies: adeoque nec baptizari, nec confiteri, &c. quod nos facimus, & debemus) habet nihilominùs ſanguinis Divini theſauros, ſeptem Sacramenta, & plurima Sacramentalia, quibus Religio Naturalis carebat.

ARTICVLVS VII.

An Neomyſtæ, quando celebrant cum Epiſcopo, dicant verba conſecrationis recitativè, an verò, etiam conſecrativè?

MMCMLXXIX. *Duplex ſententia.* HÆc quæſtio pendet à præcedente, & Analogia poſtulat, ut hic tractetur. Communis & vera ſententia eſt, quæ docet eos conſecrativè Sanctiſſima illa verba proferre : nondum enim legerim, qui contrariam ſententiam teneret ; ſolummodò apud Layman reperio aliquos hanc illi ſententiam propoſuiſſe, quoniam *in Theologia Moral. lib.5.tract.2.cap.7 num.5.* poſtquam retulerat communem Theologorum doctrinam monentium Neomyſtas, ne Epiſcopum in prolatione Euchariſticæ Conſecrationis præveniant, ſubſcribit : [Mihi verò magis placet cautio Doctorum monentium, ut novi Sacerdotes ſervent generalem intentionem proferendi verba ſecundum voluntatem Eccleſiæ; *Monentur Neomyſtæ, ut habeant intentionem conſecrandi.* quia non deſunt, qui exiſtiment, illos verba conſecrationis non dicere formaliter, & cum intentione conſecrandi, ſed tantùm recitativè & materialiter, in ſignum poteſtatis ſibi conceſſæ. In quam ſententiam valde probabilem *Suarez tom. 3. diſp. 61. ſect. 4.* propendit Richardus & Suarez. Hæc ille;

Vide

An utraque probabilis ſit

Vide Caietanum *in* 3.*part. quæſt.* 82. Henriquez *lib.* 8.*cap.* 18. *num.* 2. & alios. Hanc ſententiam probabilem putat Diana *part.* 3. *tract.*4.*reſ.*50.ait enim. [Notentur hæc,quia multos ſcrupulos ſedabunt.] Cùm tamen ſedare ſcrupulos non poterit ſententia, niſi ut minimum probabilis ſit. At tu, ne diſcede à communi.

ARTICVLVS VIII.

Quid ſit dicere verba formaliter? *quid* illa dicere materialiter? *& quomodo differant? Quid ſit* dicere verba ſpeculativè, *& quid* practicè?

MMCMLXXX.

Generalis doctrina.

HAnc quæſtionem excitant periodi Laymanis, quas produxi: ait enim verba conſecrationis dici à Neomyſtis materialiter & non formaliter. Expoſuit ipſe mentem ſuam, & doctè, & inde doctrinam aliquam generalem diduco. Sic rem expedio.

Quid ſit verba proferre materialiter: & quid formaliter?

Dicere verba materialiter eſt dicere verba ſine intentione aliquid per illa ſignificandi. Dicere autem formaliter eſt dicere cum intentione aliquid per illa ſignificandi. Præterea *verba dicere ſpeculativè, eſt illa proferre ſine intentione aliquid per illa operandi. Dicere autem practicè, eſt illa proferre cum intentione per illa aliquid operandi.*

Applicatur profeſſioni Monaſticæ.

Hinc patet Religioſum, qui iuxta formam conſuetam ſolennem profeſſionem linguâ emiſit, ſed ſine intentione promittendi, aut potiùs cum intentione non promittendi, cenſendum eſſe verba illa profeſſionis materialiter & ſpeculativè pronunciaſſe, non verò formaliter & practicè:

Quandam requirantur in ſolenni profeſſione, ut ſit valida?

Profeſſio enim ſolennis, ut ſit valida, præter conditiones, *ſine quibus non*, (quales ſunt annus integer novitiatûs, ætas annorum ſedecim, & aliæ quæ ſunt inſtitutæ ab Eccleſiâ) conſtat

Quænam ſit eius materia & forma?

eſſentialiter materiâ & formâ. Eius materia eſt, quidquid linguâ profertur: forma intentio (non quidem ſatisfaciendi, ſed promittendi: quod conſultò adnoto, ſunt enim

An intentionem ſatisfaciendi ad valorem requirat?

multi Viri docti, qui in hoc allucinantur. Ergo verba, quæ in profeſſione ſolenni ſine intentione promittendi proferuntur, ſignificatione carent, (nam, ſi haberent, promitterent) ergo non niſi, materialiter & recitativè pronunciantur: & quia materia informis non eſt operativa, & verba ſine intentione ſunt informia, conſequens eſt, ut quæ materialiter proferuntur, non practicè, hoc eſt, operativè aut affirmativè, ſed ſpeculativè proferantur.

Formis Sacramentorũ hæc doctrina applicatur.

Hinc ad Sacramenta tranſeamus. Dico Sacramentales formas *proferri formaliter, practicè, & operativè*, quando cum intentione ſignificandi objecta, quæ dictiones important, & producendi effectus, ad quos ſunt illa Sacramenta inſtituta. Addo, proferri *formaliter ſpeculativè*, quando cum intentione ſignificandi, non autem operandi effectum aliquem Sacramentalem. Et tandem ſubjungo, *illas proferri materialiter, & recitativè*, quando ſine intentione aliquid ſignificandi, aut quod in idem recidit, cum intentione aliud, vel alio nomine aut tempore ſignificandi, ut nobis contingit, cùm in Evangelio & Paulo conſecrationis verba legimus, non enim illa pronunciando Sacramentum conficimus, aut Euchariſticas ſpecies conſecramus: tunc enim verba illa hiſtoricè fuiſſe à Chriſto dicta, legimus: non autem illa dicimus ut Sacerdotes, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.

N. B. Dici materialiter importat ſyllabarũ pronunciationẽ. Dici formaliter ſignificationẽ. Hæ enim dictiones conſtituuntur formaliter. Dici practicè Sacramentalẽ operationem. Ergo. Dici ſpeculativè aut operationem negat, aut ab illâ præſcindit.

Monitum Morale.

Obiicis. Hæc doctrina omnium aut ferè eſt, eaque vera; ſed eſt expoſita graviſſimis inconvenientibus, nam, ſi bene ſemel intelligatur, poterunt omnia aut fere, mendacia ex

An hæc doctrina excuſet univerſa mendacia.

cuſari & defendi, quod dicta materialiter ſit, non formaliter; ſpeculativè & recitativè, non practicè & affirmativè.

Improbi rebus optimis abuti ſolent.

Reſpondeo primò, nihil eſſe in mundo quo malitia non poſſit & ſoleat abuti? Ipſis Bibliis abutuntur Hæretici: & ipsâ Dei miſericordiâ peccatores. Tu interim ita proficias, ut ſcias, quid tibi aut proximo nocere poſſit.

Aliud eſt exponere, quomodo mẽdaciũ fiat, & aliud illud à peccato excuſare.

Reſpondeo ſecundò, me huc uſque expoſuiſſe, quid ſit verba materialiter ſumi, non autem dixiſſe aut inſinuaſſe poſſe licitè à loquente cum proximo materialiter ſumi: commune enim humanæ Societatis vinculum poſtulat, ut homines inter ſe colloquantur. Et collocutionis fidelitas & ſinceritas ut eodem ſenſu dicantur quo ſunt ab audiente accipienda, requirit. Ergo, qui in colloquio verba materialiter ſumeret mentiretur: & per conſequens neceſſariò peccaret.

ARTI

ARTICVLVS IX.

Qualem Neomyſta debeat intentionem habere quando cum Epiſcopo miſſam celebrat? An præcurrere poſſit, aut ſubſequi?

MMCMLXXXI. CONSECRATIONIS die Preſbyteros celebrare cum Epiſcopo, omnes ſciunt. Cum ipſo totum Canonem, & ipſam formam Euchariſticam dicere, omnes vident, omnes audiunt. Cæterùm non omnes ſciunt, quo ſoleant illi modo proferre conſecrationis verba, & quâ intentione debeant in re tantâ procedere. Laymam *in Theol. Moral. lib. 5. tract. 1. cap. 7. num. 5.* Sic ait. [Curandum eſt illi (ſupradicto ſcilicet Sacerdoti) ut non poſt alios verba conſecrationis finiat; nam, ſi alius quiſpiam abſolutam conſecrandi intentionem habens, ante alios ipſumque principalem ſacrificantem Epiſcopum verba conſecrationis finiat, ſolus is conſecrabit. Quod incommodum, ut evitetur, monent Doctores, celebrantes oportere habere intentionem conditionatam, videlicet conſecrandi, ſi ſimul cum Epiſcopo verba conſecrationis abſolvant, non autem ſi præveniant.] Ita ille; cui ſubſcribit Diana *part. 3. tract. 4. reſ. 10.*

An ſi Neomyſta præcurrat, ſolus celebret.

Non placet hoc.

MMCMLXXXII. Sed, ubi ſint illi Doctores, neſcio; nec locos in eorum libris Layman opportunos aſſignat: Ergo Doctoribus Layman opinionem accenſet, quam ab illis affirmari deſiderat. Præterea, hæc ipſa intentio, quam monere aſſeruntur Doctores, habet inconvenientia maxima; & inter alia, quòd ex eam habentibus alius conſecraret panem tantùm, alius vinum tantùm, alius utrumque, aliud neutrum: & tamen certum eſt, non poſſe licitè unam ſpeciem ſine aliâ conſecrari. Ergo, ſi horum Doctorum vellemus veſtigiis inſiſtere, monere deberemus Neomyſtas, ut tantiſper intentionem mutarent; volentes ſcilicet, primò verba compronunciare cum Epiſcopo, non præveniendo aut remorando, ad hoc enim adhiberi debet diligentia ſufficiens: volentes ſecundò non conſecrare, ſi forte in panis conſecratione præcurrerint: volentes tertiò non conſecrare calicem etſi formam æquo labio cum Epiſcopo dicant, ſi fortè panem non conſecrarunt: eſt enim contra inſtitutionem Chriſti calicem tantùm conſecrare: volentes quarto conſecrare calicem etſi in formæ conſecratione Epiſcopum prævenire contingat, ſi fortè panem conſecrarunt, ne aliàs panem tantùm conſecraſſe dicantur. Sed hæc omnia difficillima ſunt, & quia ſupra Grammaticum cothurnum, alibi uberiùs retractanda. Interim, ſincerum Lectorem interrogo, An omnes, qui ad Sacerdotium promoventur, capaces ſint, ut has ipſas ſubtilitates intelligant? &, ſi fortè aliqui indicentur capaces, An leges, quæ omnibus attemperari debent, cenſendæ ſint tot præpediri conditionibus & formalitatibus?

Stando Laymani ſententiâ, circumſtantias corrigimus.

Non licet alteram ſpeciem ſine alterâ conſecrare.

Omnia ex hypotheſi vera, ſed difficilia.

Pauci & rari Neomyſtæ iſta intelligent.

Vt omnia ceſſent inconvenientia, ad fundamentum debebo & radicem venire. Quæram igitur, *An Sacramenta ſint cauſæ phyſicæ, an morales?* Si phyſicæ, cur non poſſint cauſare poſtquam ſint, ſiquidem in Thomiſtarum doctrina baptiſmus cum fictione ſuſceptus cauſat phyſicè gratiam, non ſtatim, ſed poſteà recedente fictione? Cur ergo non poſſemus aliquid ſimile invenire, ratione cuius diceremus, Neomyſtas phyſico influxu ad Euchariſtiam conficiendam concurrere, ſeu præcurrant Epiſcopum, ſeu ſequantur; & tamen tunc effectum poni, cùm Epiſcopus ultimam ſyllabam pronunciat? Si Sacramenta dicantur eſſe Cauſæ Morales, liberiùs poterimus philoſophari: nam res præteritæ & futuræ habent interdum effectus exiſtentes de facto: & ſimultas realis à morali diſtinguitur: quoniam illa conſiſtit in indiviſibili, & hæc latitudinem habet. Sicut enim parum pro nihilo reputatur, ſic ſimiliter, quæ loco & tempore parum diſtant, ſimul eſſe cenſentur. Et hanc ob rem poſſet aliquis dicere Neomyſtas, etſi non abſolvant ſimul, ſed alij ante Epiſcopum, & alij poſt, omnes & ſingulos conficere Sacramentum moraliter, eo nimirum inſtanti, quo ultimus, quicumque ille fuerit, abſolvit.

An Agens operari poſſit, cùm non eſt?

An Baptiſmus recedente fictione producat gratiã?

An cauſæ Morales operentur quãdo phyſicè abſunt, ſi interim exiſtant moraliter.

ARTICVLVS X.

An, ſi Miniſter poſt actionem ſtatim proferat formam, aut etiam poſt prolationem formæ ſtatim adhibeat materiam, conferat Sacramentum validè?

MMCMLXXXIII. HÆc quæſtio de Baptiſmo ſolet excitari à Doctoribus, & quia multis Sacramentis ipſa communis eſt, debet ſpecialiùs reponi. QVÆRO PRIMÒ, An validè baptizaverit Parrochus, qui poſt ablutionem, ſtatim pronuntiavit formam. QVÆRO SECVNDÒ, An, ſi Epiſcopus priùs unxit frontem per modum crucis, & poſteà invocaverit

De Baptiſmo.

Confirmatione.

vocaverit Sanctiſſimam Trinitatem, utens verbis conſuetis, verè confirmaverit? QVÆRO TERTIO, An ſi Parrochus priùs unxerit ſenſum ægroti, & poſteà pronuntiaverit formam unctioni illi correſpondentem, verè contulerit Extremam-Vnctionem?

Extrema-Vnctione.

QVÆRO QVARTO, Quid dicendum ſit, ſi omnes ſenſus priùs unxerit, & ſtatim omnes ſimul formas integrales pronunciet; aut ſaltem dixerit, *Per iſtam ſanctam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum peccaviſti*? Et veniendo ad Sacramentum Ordinis,

Altera difficultas.

QVÆRO QVINTO, An Epiſcopus, qui priùs materiam debitam tradiderit, & poſteà formam debitam pronuntiaverit, Ordinis Sacramentum contulerit? Et agens de Pœnitentiâ,

De Ordine.

QVÆRO SEXTO, An ſi Confeſſio doloroſa præcedat, & abſolutio ſtatim ſubſequatur, pœnitens maneat abſolutus? Et

De Pœnitentiâ.

QVÆRO SEPTIMO, An, ſi immediatè poſt copulam exhibeantur ſigna conſenſus ad matrimonium ſufficientia, dicendum ſit Matrimonium conſumatum? Et ne nihil maneat inconcuſſum,

De Matrimonio.

QVÆRO OCTAVO, At ſi poſtquam panem aut vinum ſumpſerit in manus Sacerdos, Deus materias iſtas amoveret, & tamen Sacerdos formam conſecrationis proferret, manerent illæ conſecratæ?

De Euchariſtiâ.

Et QVÆRO NONO An eodem modo de Sacramento Pœnitentiæ philoſophandum ſit, an ſi præſens confiteretur, & ſtatim eſſet abſens, poſſet ſtatim licitè & validè abſolvi?

De Abſolutione.

Et QVÆRO DECIMO, Quid dicendum ſit, ſi ſuſcipiens aliquod Sacramentum, dum ponitur materia ſit vivus, & dum forma ſtatim pronunciatur, mortuus? Et tandem QVÆRO VNDECIMO, An eodem pyiloſophandum modo ſit, ſi priùs ponatur forma, & materia ſubſequatur ſtatim?

De Mortuo.

MMCM-LXXXIV *An hæ ſint quæſtiones Theologicæ.*

HÆC DVBIA videntur neceſſariò connexa, & quæ debeant ſimul examinari. ERGO RESPONDEO ad ſingula quæſtionem hanc non eſſe Theologicam, ſed purè Grammaticam: quia ſi verba ſtatim poſt actionem prolata in omnibus his caſibus verificantur, validè omnia fiunt? ſi non verificantur, invalidè: &, ſi alicubi verificantur, alicubi, non, conficietur validè Sacramentum, ubi verificantur, & invalidè ubi non verificantur: quam ob rem quærere, *An in talibus caſibus conferatur validè Sacramentum?* eſt quærere, *An in eiſdem caſibus Sacramentorum forma verificentur?* Quod non à Theologo, ſed à Grammatico definiri debebit? *His poſitis reſpondeo.*

Vt Sacramenta conferantur validè, debent illorum forma verificari.

Ad primum.

Duplex ſententia.

DVas eſſe opiniones Authorum, etiam illuſtrium. Negant enim Scotus *in 4. diſtinction. 6. quæſtion. 2. articul. 2.* Richardus *diſt. 5. articul. 4. quæſtion. 2.* Cajetanus *tom. 1. opuſc. tractat. 26. de collat. Ordin.* Navarrus *capit. 22. numer. 7.* Zambranus *de caſib. occurrentib. temp. mort. caput. 1. dub. 2. d. 2.* quorum ſententiam probabilem judicat Diana *part. 3. tractat. 4. de Sacr. reſol. 6.* quia contrariam vocat probabiliorem. Valere ejuſmodi Baptiſmum aſſerit Diana citans Henriquez *de Sacram. in gener. capit. 9. numer. 10.* Villalobos *in Summâ tom. 1. tractat. 4. diffic. 2. numer. 6.* Layman *in Theolog. Moral. lib. 5. tractat. 2. capit. 7. numer. 5.* qui adducit Victoriam & Suarez; Subſcripſit etiam huic ſententiæ Vincentius Fernandez de Heredia, *in diſp. de Sacram. in gener. p. 6. dub. 2. numer. 8.* & poſt eum etiam alij. Et ratio prioris opinionis poteſt ad hæc verba reduci. [Verba Sacramentorum id efficiunt & præſtant, quod verè ſignificant: Niſi autem phyſicè illa concurrant & ablutio, falſa illa erunt: Ergo niſi ſimul phyſicè concurrant verba & ablutio invalidum fiet Sacramentum. Probatur minor, quia ſi temporis momento A ego infantem abluo, & temporis momento B dico, *Ego te baptizo*, falſum dico: non enim illum, cùm formam profero, abluo, ſed ablui.] Hæc eſt Scoti, hæc eorum diſcipulorum & aſſeclarum ratio, ad quam Adverſarii reſpondent, negando minorem, putant enim ad verificationem propoſitionum in rebus moralibus & politicis non requiri ſimultatem metaphyſicam & rigoroſam; ſed ſufficere civilem & moralem. Et idcircò ut ſuam ſententiam ſtabiliant, hac utuntur ratione. [Verba Sacramentorum id efficiunt & præſtant, quod verè ſignificant. Atqui ad verificationem ſignificationis non requiritur ſimultas phyſica, ſed moralis omninò ſufficit: Ergo etſi ablutio & verborum prolatio non ſint ſimul phyſicè & realiter, modò ſint ſimul moraliter, validè conferetur Baptiſmus.]

Nota illud, quia, ut ſciās, quomodo in Moralibus debeas dialecticari: hæc enim eſt comparationis ratio, ut ſi alteri extremo competat comparativum, utrique cōpetere debeat Poſitivum.

Ratio pro negativa.

Alia eſt ſimultas phyſica, alia moralis.

MMCM. LXXXV. *An moralis ſufficiat?*

Hæc doctrina generalis eſt, & quæ cætera dubia poſſit diſſolvere, & ideò volo illam illuſtrare verba Henriquez iam citati ponendo. [In conficiendis Sacramentis, ait, generaliter requiritur quædam coniunctio, quia forma non actuat materiam niſi ſibi aliqualiter coniunctam & præſentem, idque maximè curandum eſt in Sacramento Baptiſmi, ſine quo nihil prodeſt aliorum Sacramentorum receptio; & in Sacramento Ordinis Sacerdotalis, ſine quo nihil confert Abſolutio, vel Conſecratio Euchariſtiæ; ut dum quis aquâ tangitur, vel dum tangit aut acceptat vaſa ſacra, qui Sacerdotio inſtituitur, debet Miniſter proferre ſaltem partem aliquam verborum formæ: ſi tamen finitâ ablutione profert ſtatim formam, vel finitâ formâ ablueret, cenſeretur ſimul moraliter, neque eſt repetendus baptiſmus.] Ita ille. In cuius verbis noto modum illum loquendi, *Forma non actuat materiam, niſi ſibi aliqualiter coniunctam & præſentem*; debere corrigi; meliùs enim, veriùs, & Scholaſtico rigori accommodatiùs diceretur formam non actuare materiam niſi verè & omninò coniunctam & præſentem, nimirùm coniunctione & præſentiâ proportionatâ: forma enim phyſica requirit coniunctionem & præſentiam phyſicam: & forma moralis con-

An ſatis ſit, ſi materia & forma coexiſtāt quoad partem?

Sententia Henriquezij quoad verba, & modum loquendi corrigitur.

junctionem & præſentiam phyſicam vel moralem. Conſonat citatus Layman, qui affirmat ad valorem Sacramenti ſufficere, ſi moraliter concurrunt actio miniſtri & proxima materia: videlicet ablutio, unctio, &c. & addit *videri incredibile, ut Chriſtus Sacramenta, ad moralem hominum uſum inſtituta, rigori metaphyſico voluerit adſtringere.*

Nota hoc bene.

Sic Authores diſcentrunt: & meo judicio prima ſententia eſt ſecurior, & in praxi tenenda: at ſecunda eſt omninò probabilior & clarior, & quæ videatur ſola eſſe in Academiis, ubi veritas amatur defendenda. At, tametſi fere ſit certa & evidens, non eſt cur nos in re tanti momenti periculo tanto exponamus: quid enim fieret infanti juxta ſecundam baptizato, ſi illa fortè ſit falſa? nam baptizatum juxta primam, omnes verè baptizatum dicemus.

Probabilior non ſemper eſt ſecurior ſententia: ergo hic in praxi teneatur minus probabilis.

NOTA.

MMCMLXXXVI

Quantam moram tolerer, ſimultas Moralis?

SEd ſtatim inquiris, Quid ſignificet illud *ſtatim*, quod in titulo quæſtionis propoſuimus? Et, quia ut fundamentum adſumebamus illam Propoſitionem, *Quæ parum diſtant, ſimul eſſe cenſentur*, interrogas, Quid ſignificet illud *parum*? quod eſt inveſtigare, *Quantum tempus interlabi poſſit inter materiam formamque, quin dicantur ſeparata moraliter?*

Porrò conſiderandæ ſunt circumſtantiæ univerſæ, nam in rebus Politicis *ſtatim* terminos habet valdè latos: quod enim tempus in hac materiâ, & ſub talibus circumſtantiis eſt parvulum & pro nullo cenſeri debet; in aliâ materiâ, & ſub diverſis circumſtantiis erit magnum. Et quidem hoc dubium, eſt illud ipſiſſimum, quod dum eſſem Madriti, Angliæ Orator Excellentiſſimo D. Hevenhillero, Cæſareo Oratori propoſuit: quia cùm neſcio quam expeditionem per multas ſeptimanas urgeret, & Miniſtri Regij *que luego la deſpacharian*, frequenter dicerent, nec tamen quidquam facerent, moræ impatiens interrogare occœpit, quanto tempori reſponderet apud Hiſpanos unum *luego* (hoc eſt, unum *ſtatim*) vel, ut ipſe dicebat, *Querria ſaber quanto tiempo es un luego en Eſpaña.* Interim ſimultas, quæ in rebus Civilibus latè ſe expandit, in ſacramentalibus ſtrictiſſimè ſumitur, ut clarè ex dicendis conſtabit. Sanè ad coëxiſtentiam Layman. *lib. 5. tractat. 2. capit. 7. numer. 5.* docet *primò*, ſatis eſſe, ſi forma & materia Sacramenti coëxiſtant moraliter. *Secundò*, illa, ait, coëxiſtere moraliter, quæ ſecundum humanum loquendi & agendi modum majorem coëxiſtentiam non poſtulant. *Tertiò*, hanc coëxiſtentiam exponi debere communibus & civilibus exemplis, & proponit hoc. Quia nimirùm verè dicit, *Ego bibo*, qui poculum manu capit, & ſtatim illud eſt ori applicaturus.

Tempus, quod in unâ re erit breve nullũ, in aliâ cenſebitur magnum.

Quantum importet unum, luego (unum, ſtatim) in Hiſpaniâ?

Coëxiſtentia Politica & moralis.

An in linguâ Latina ſit Μέλλων μετ' ὀλίγον. Futurũ paulò pòſt.

Sed his omnibus poſitis aut propoſitis adhuc manet difficultas, ut ante: illud enim quod *primo* loco dicitur, nomine coëxiſtentiæ moralem intelligi poſſe, à doctiſſimis Viris, ut paulò antè dicebamus, negatur. Illud quod *ſecundo* ponitur, me non inſtruit, nam illicò de humano loquendi & agendi modo dubitabo. Illud, quod *tertio* non ſatisfacit, nam illud *Ego bibo*, non eſt Præſentis temporis, ſed illius quod Græcè Μέλλων μετ' ὀλίγον, *Futurum paulo pòſt* vocatur. Adhuc igitur manet priſtina difficultas, & explicare oportet.

Quantum temporis realis intercedere poſſit inter formam materiamque, ne dicatur tolli coëxiſtentia moralis? Puto ego *primò* formam moraliter coëxſtituram materiæ, ſi antequam abſolvatur ablutio, unctio, &c. formæ prolatio incipiat. *Puto ſecundò* formam moraliter etiam coëxſtituram, ſi immediatè poſt materiæ deſitionem exiſtat: eo nimirùm caſu, quo inter deſitionem unius & inceptionem alterius nullum ſit intervallum. *Puto tertiò*, (& hinc cum inconſequentiæ ſcrupulo, & erroris formidine progrediar) illas etiam coëxſtituras moraliter, ſi inter ipſas ſit tempus aliquod realiter imperceptibile. Et tandem *Puto quarto* adhuc eas moraliter coëxſtituras, ſi inter ipſas fluxerit temporis mora, quæ tametſi ſit perceptibilis phyſicè, nihilominus nulla moraliter.

Quid ad moralem coëxiſtentiã ſufficiat?

Coëxiſtẽtia partialis.

Exiſtentia immediata.

Parum pro nihilo reputatur.

Tempus nullum moraliter.

Sed neque ſic rem expoſui adæquatè, adhuc enim inquiris, *Quantum ſit illud tempus reale & phyſicum, perceptibile & ſenſibile phyſicè, quod debeat, vel poſſit dici imperceptibile & nullum moraliter?* Dicam; Quod prudentum judicio reputetur eſſe quidem aliquid phyſicè, ſed nullum moraliter. Sic me docuerunt loqui multi, ſed quia hæc ipſa reſponſio doctrinalis non eſt, nihil ab illis ego didici, & nihil te doceo, qui deſideras hoc ipſum cognoſcere, quod non dico, videlicet, quantulum erit illud tempus reale & phyſicum, quod prudentum judicio, moraliter nullum dicatur? Periculoſum eſt, ſi experientiæ credidero, in materiis ejuſmodi ſententiam ferre; ſunt, qui omnia ignorant, & tamen malunt hærere in tenebris, quàm doctiores audire. Sed quia ejuſmodi homines Vincentius Fernandez de Heredia non meratur, eum producamus; inquit enim. [Qui baptizatur poteſt ablui in totum ante inchoatam formam, quinimò interpoſita brevi morulâ, exempli gratiâ, in quâ poſſit, ut ita dicam, oratio Dominica recitari, adjici poteſt forma baptiſmi, & vice versâ. Quæ doctrina communis eſt Sacramentis Confirmationis, Ordinis, Extremæ-Unctionis, &c.] Ita ille *de Sacrament. in gener. part 6. dub. 2. num. 8.* Sed hæc ſententia, ait Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 6.* Videtur nimis laxa, ac proinde non admittenda. Ecce hanc rejicit & nullam reponit, & cur eam rejiciat non exponit. Ergo Dianæ conſentio, & ſi rationem poſtules, ad illud *videtur* recurram; nam illa ſunt ſimul moraliter, quæ prudentum judicio eſſe ſimul videntur: & illa non ſunt ſimul moraliter, quæ non eſſe ſimul videntur.

MMCMLXXXVII.

Quantum illud ſit?

An ſit doctrinalis reſponſio, quæ ſententem remittit ad prudentum judicium?

An tempus, quo unum Pater noſter diceretur ſit parum realiter & nihil moraliter cenſeri poſſit?

An ſententia rejici poſſint ſine causâ?

Quo ad praxim *Primò* tu ita rem agas, ut quantum fieri poſſit, materia & forma phyſicâ coëxiſtentiâ non careant. *Secundò*, ſi inter materiam, formamque Bapiſmi intercceſſerit mora

An & quomodo rebaptizari debeat, qui probabiliter ſit baptizatus?

Digitized by Google

mora, quantam Oratio Dominica recitanda requireret, infantem cura rebaptizari, ſaltem ſub conditione, nam cùm probabilis ſententia ſit, quæ realem ſimultatem requirit, Baptiſmus in quo materia, & forma habuerunt Moralem ſimultatem non eſt certus; & exponere infantem æternæ damnationis periculo eſſet ſumma temeritas.

Ad ſecundum.

MMCMLXXXVIII. *De Confirmatione.*

An in hoc Sacramento uti poſſimus libere opinionum probabilitate?

An nullum præceptum ſit de Confirmatione recipiendâ?

RESpondeo circa coëxiſtentiam unctionis & prolationis formæ in Confirmationis Sacramento, eodem modo philoſophandum eſſe, ac propterea dicendum omnes petere coëxiſtentiam: at circa exiſtentiæ qualitatem differre: alij enim realem & phyſicam coëxiſtentiam requirunt, & alij ſunt morali coëxiſtentiâ contenti. In hoc Sacramento, cùm nec de medij, nec de præcepti neceſſitate ſit, non eſt illud periculum, quod in Baptiſmo inveniebamus: adeoque audebo dicere poſſe juxta probabilem quamcumque opinionem conferri: & ſemel receptum probabiliter, non eſſe cur ſub conditione reiteretur: nullum enim exſtat præceptum de recipienda Confirmatione. Vide Leandrum *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 6. & 7.

Ad tertium.

De Extrema-Unctione.

An poſſit cum probabilitate adminiſtrari?

An poſſit negligi ſine peccato.

EOdem modo de Extrema-Unctione philoſophandum eſt; ſi enim priùs ungatur ſenſus, & ſtatim partialis forma pronuntietur, erit probabile ægrorum Extremæ-Unctionis Sacramentum recepiſſe; & illud non recepiſſe erit etiam probabile. Hoc etiam Sacramentum Fidelium devotioni relinquitur, & quia nullum, eſt Divinum aut Eccleſiaſticum de ejus receptione præceptum, omitti poterit ſine veniali. Ita Suarez *diſp.* 44. *ſect.* 1. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 10. *diff.* 5. *n.* 1. Ergo à fortiori in illius adminiſtratione poteris uti quâcumque opinione probabili.

Ad quartum.

ETiam in quarto caſu utrumque probabiliter aſſeri poterit; quia unicam unctionem ſufficere ad Sacramenti ſubſtantiam, valorem, & eſſentiam, cæteraſque ad integritatem requiri, probabile eſt.

Ad quintum.

MMCMLXXXIX. *De Ordine.*

An circa valorem Ordinum uti poſſimus Opinione probabili?

HAnc doctrinam etiam Ordinum collationi accommodo; & ſecundum duas probabiles opiniones in eâ procedo, & ſic diſcurro. In Ordinum minorum (ſint Sacramenta; aut non) & in Hypodiaconatûs & diaconatûs collatione licitum eſt uti quâcumque opinione probabili; nam ex hoc uſu nullum damnum, aut periculum imminet. Cæterùm, in Sacerdotum & Epiſcoporum conſecratione oppinionem ſecuram eligere tenemur ſub peccato mortali: quia turbaretur Eccleſia, & animæ æternæ damnationis periculo exponerentur, ſi, vel Sacerdotes probabiles Fidelium confeſſiones exciperent: vel Epiſcopi probabiles alios Epiſcopos aut Sacerdotes conſecrarent.

Ad ſextum.

De Pœnitentiâ.

An, & qualiter, confeſſio & abſolutio coëxiſtant?

An in octo dierum interuallũ morali ſimultati præjudicet?

EX Pœnitentiæ Sacramento ſumi argumentum pro Confeſſionis & Abſolutionis coëxiſtentiâ morali, aſſeveras: & probas quia ſolet dari Abſolutio antequam abſolvatur confeſſio. Imò ſæpe inter confeſſionem & abſolutionem longum tempus phyſicum intercedit; quia in diverſis rebus diverſa temporis quantitas cenſetur eſſe magna vel nulla. Sed quantum? Quantumcumque ais; & te bene reſpondiſſe ſic ſuades. Confeſſus eſt Antonius, qui habebat domi proximam occaſionem peccandi; & dimittitur à Confeſſario dicente: è domo tuâ perſonam hanc, vel illam expelle; fac hoc, vel illud, tantam tali quantitatem reſtitue, &c. & cùm hæc præſtiteris, reverraris, & abſolutionem obtinebis. Antonius octo dies impendit, ut omnia hæc præſtet; redit, non habet novum peccatum, & ideò non facit novam Confeſſionem, ſed virtute prioris abſolvitur. Ergo inter Confeſſionem, Abſolutionemque interponuntur octo dies. Ergo octo dierum mora non tollit ſimultatem moralem.

Quamdiu ſiunt, quæ ad Abſolutionem requiruntur, Confeſſio continuatur.

Se peccaviſſe fatetur, qui abſolvi poſtulat.

Hæc omnia certa & manifeſta judicas; & tamen ego aſſero, te adlucinari: nam in caſu, nullum eſt inter Confeſſionem, & Abſolutionem intervallum, nam coëxiſtunt realiter: quod ſic oſtendo. Confeſſio Antonij interrupta non fuit: nam per illos octo dies quodammodo continuatur. Et cùm Antonius ad Confeſſarium revertitur, ſe omnia quæ Confeſſarius juſſerat, impleviſſe aſſerit, & Abſolutionem implorat, dolorem, quem habet de peccatis jam confeſſis, inſinuat, & tacitè iterum confitetur. Quoniam petere Abſolutionem ut ſic, eſt confiteri ut ſic. Et, qui petit à me ut à peccatis mihi confeſſis abſolvatur, illa iterum tacitè confitetur. Et, ſi illa confitetur, Confeſſio & Abſolutio erunt ſimul.

Ad ſeptimum.

De Matrimonio.

An poſſit ante conſenſum cõſummari?

NOn implicabimur Tridentini Decretis; quia ubi matrimonium clandeſtinum valet, ſtat caſus: & ubi Tridentinum ſtat, Matrimonium clandeſtinum non valet: Et ubi requiruntur teſtes, Caſus poſſet ita proponi, ut illi adhibeantur ſtatim poſt copulam. Stando itaque conſequentiæ doctrinæ debet dici matrimonium conſummatum, ſi præcedat conſenſus, & ſequatur copula: tunc enim datur coëxiſtentia: quoniam ſemel adhibitus perſeverat conſenſus: moraliter in communi & realiter in meâ ſententiâ. Tota ergo dificultas in caſu eſt, quo præceſſerit copula, quæ habet finem: & non dicitur realiter, imò nec moraliter perſeverare. Quam ob rem, ſi conſenſus ſtatim ſubſequatur, ita ut videatur coëxiſtere moraliter, dicemus ad matrimonium conſummatum pertinere ex hypotheſi quod vera ſit eorum opinio,

Digitized by Google

An conſummari poſſit priùs, & iniri poſteriùs?

nio, qui inter materiam & formam Sacramentorum ſunt contenti coëxiſtentia morali.

Ad octavum.

De Euchariſtiâ.

An ſimultas moralis ſufficiat?

DIfficultatem, ut exiſtimo, paterentur Henriquez Villalobos, Laymam, Victoria, Suarez & Heredia, & tamen deberent in hoc caſu conſecrationem admittere; nam licèt panis vinumque ſint abſentia, ſunt tamen præſentia moraliter. Forte hìc magis arrideret Scotiſtarum opinio negativa. Sed, ſi ſemel dicatur coëxiſtentia moralis ſufficere, etiam dicentur materia & forma in hoc caſu moraliter coëxtitiſſe: & verum fuiſſe Sacramentum confectum.

Sunt omnia Sacramenta tranſeuntia præter Euchariſtiam.

De præſentia loci.

De coëxiſtentiâ.

Dum Authores citati ab hac difficultate ſe expediunt, tu me ſequere, & ſic diſcurre. Omnia præter Euchariſtiam Sacramenta ſunt Entia ſucceſſiva; tranſeunt, non permanent: Euchariſtia autem eſt Sacramentum permanens; & ideò inter materiam formamque, (ſpecies, verba) coëxiſtentiam loci, temporis, & ſignificationis requirit. Forma hoſtiæ concipitur his verbis. *Hoc eſt corpus meum*, forma calicis iſtis, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Ergo, ſi pronomen conſiderem, phyſicam poſtulabo præſentiam, nec enim pronomina *hoc* & *hic*, me exiſtente in Eccleſia, verificari poterunt de pane & vino, quæ in penuario ſervantur. Verbum *eſt* coëxiſtentiam importat, & realem quidem: nam, cùm panis & vini accidentia ante verborum prolationem exſtiterint, & etiam poſt illam perſeverent: verbis realiter coëxiſtere neceſſariò debebunt.

An converſio, & ut Catholici loquimur, tranſſubſtãtiatio in cõſecratione, an verò in ſumptione fiat?

Præter loci, & temporis, quas expoſui, etiam ſignificationis coëxiſtentiam requiro: ut non ſolùm ſint ſpecies, quando ſunt verba, ſed & ſub illis ſit corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu-Chriſti, quando poſtulat ſignificatio. Et hinc patet errare Martinum Lutherum, qui converſionem non quando verba pronunciantur, ſed quando panis & vinum ſumuntur, fieri exiſtimat. Quoniam, ut eſſet vera hæc ſententia, deberent formæ proferri his verbis. *Hoc non eſt nunc, ſed cras aut perinde, videlicet, quando ſumatur, erit corpus meum, Hic non eſt nunc calix ſanguinis mei, erit tamen: videlicet, quando ſumatur.* Et, quid, ſi nunquam ſumatur? Dicet Lutherus, *Nunquam erit.* Videtur tam manifeſtum fuiſſe hunc Hæreſiarchæ errorem, ut non ſit, cur in ejus impugnatione progrediamur.

Ad nonum & decimum.

MMCM. XC.

De conſequentiâ doctrina.

De abſentia, & mortui abſolutione.

NOn ſcirem in his caſibus negare præſentiam & coëxiſtentiam moralem; nam in uno & altero caſu reverà datur. Videant Ergo Theologi, qui ſolam Moralem requirunt, quo debeant modo hos duos Caſus reſolvere. Quoniam, ſi Moralis præſentia & coëxiſtentia dicatur ad valorem Sacramentorum ſufficere, debebit admitti in caſibus iiſdem Sacramentum. Sed hoc ipſum, quod neceſſariò ex ſuppoſitione deducitur abſolutè loquendo magnas patitur difficultates. Dic ergo tu illum qui fuit tibi confeſſus, ſi immediate transferatur ad Indiam à te abſolvi non poſſe: nam tunc verba non verificarentur: non enim poſſes dicere *Ego te abſolvo*. ſed *Ego illum abſolvo.* Et ad alterum Caſum tranſeundo dico illum qui mortuus eſt non eſſe, adeoque de illo ſimiliter illa verba, *Ego te abſolvo*, non verificari.

Ad undecimum.

An aliter, ſi materia præcedat formam, & aliter ſi forma materiã philoſophandum ſit

SIcut dicuntur coëxiſtere moraliter materia & forma, ſi illa præcedat, & iſta ſubſequatur ſtatim; ſic etiam dicentur coëxiſtere, ſi præcedat forma & ſtatim ſubſequatur materia: quam ob rem qui ſunt morali coëxiſtentiâ contenti, an materia præcedat, an potiùs ſequatur, non curabunt. Hæc doctrina firmat Reſolutionem ad ſeptimum, quam dedimus, & Herediæ iam citati authoritas, qui ait: [Qui baptizatur poteſt ablui in totum ante inchoatam formam, & vice verſâ.] At nos, qui in ſimultate Morali, in quâ realiter materia præcedit, nonnullas limitationes neceſſariò poſuimus, eaſdem, aut etiam alias ſimiles in ſimultate Morali, in quâ realiter præcedit forma, neceſſariò ponemus.

ARTICVLVS XI.

Quid ſignificet nomen Fictio *in Lexico Sacramentali?*

MMCM-XCI.

An fictio ſit impedimentum dirimens?

Fictio duplicem ſignificationem habet.

SÆPE occurrit hoc nomen, & ut alibi notaviſſe me memini, erravit graviſſimè Salmanticæ olim, nonnemo Iuris peritus, qui illud ſumebat in civili acceptione. Docuerat iſte, eum qui ſine animo ſuſcipiendi baptiſmum, imò cum animo decipiendi Baptiſtam, ablueretur, ſuſcepturum verè Sacramentum, & characterem, quia legerat in Authoribus, quod fictio in Baptiſmo opponitur effectui Sacramenti, hoc eſt, gratiæ, non verò valori Sacramenti. Ne igitur meus Lector in eiuſmodi æquivocationem labatur, ſcire debet vocem *Fictio*, poſſe ſumi dupliciter, civiliter & Sacramentaliter. Fictio civilis eſt deceptio, adeoque ille cum fictione civili ad laticem divinum accedit, qui mentiendo & fingendo ſe velle baptizari, & hìc Sacramentum non recipit, illud enim non confertur invito. Fictio autem Sacramentalis eſt peccatum mortale actuale

Digitized by Google

Vtra Baptiſmum dirimat? vtra Gratiã impediat?

actuale, vel non retractatum, & qui cum tali peccato (quod aut actuale eſt aut actuali ſimillimum) baptizatur, ſuſcipit quidem Sacramentum & characterem, non autem gratiam Sacramentalem. Pono exemplum. Titius habet amaſiam, quam non vult relinquere, & tamen vult fieri Chriſtianus; baptizatur impœnitens: & dicimus validè baptizari & characterem baptiſmalem recipere: gratiam verò quæ eſſe ſolet effectus Sacramenti, propter fictionem (peccatum, in quo hæret) non recipere: & addimus, baptiſmum indignè ſuſcipiendo novum peccatum commiſiſſe.

An ſit iſta doctrina generalis?

Recedente Fictione recipitur Gratia in Baptiſmo:

De fictione communiter agunt Theologi, cùm de Sacramento Baptiſmi, ſed hanc doctrinam multi ad omnia Sacramenta extendunt. Vnde Diana *part. 4. tract. 4. de Sacram. reſ.* 15. interrogat, *An omnia Sacramenta, An ſolus Baptiſmus habeat effectum recedente fictione?*

An etiam in Confirmatione? An in Ordine?

An in Pœnitentiâ?

Qui Sacramentis moralem gratiam producendi virtutẽ, & qui realem acceſſent, aliter, & aliter debent philoſophari.

Sunt qui hoc privilegium uni & ſoli Baptiſmi Sacramento concedant. Ita Sotus *in 3. diſt. 6. quaſt. 1. art. 8.* Sed rationes videntur eſſe multis aliis Sacramentis communes. Sylvius *in 4 quaſt. 69 art.* 10. ad Sacramenta Confirmationis & Ordinis hanc doctrinam extendit, & citat Canum, Sylveſtrum, Paludanum, Gabrielem alioſque. Caietanus *tom. 2. opuſc. tract. 5. quaſt.* 5 & quotquot admittunt confeſſionem informem, hanc doctrinam poſſunt ad Pœnitentiæ Sacramentum extendere; cæterùm pauci ſunt, qui illam in omnibus Sacramentis admittant: &, ut rem fatear, ſi Sacramenta gratiam moraliter dicantur producere, in opinione, quæ omnibus Sacramentis iſtud privilegium concedit, ego difficultatem non invenio: nam difficultas eos concernit, qui Sacramentis realem efficientiam adtribuunt: & quia inter iſtos Dianam (fuit enim Thomiſta) numerare debemus, audiri poterit, nam loco citato ſic inquit [Alij abſolutè docent omnia Sacramenta, ſi cum fictione ſuſcipiantur, illâ poſteà recedente conferre ſuum effectum gratiæ ſanctificantis; & ego hanc ſententiam cum Cabrerâ *de Sacram. quaſt. 69. art. 10. diſp. 4. num.* 9. libenter amplector; quia multum extollit & amplificat dignitatem Sacramentorum, licèt Villalobos *in ſummâ tom. 1. tract. 7.*

An in omnibus Sacramentis?

difficult. 13. num. 1. & Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 63. ſect. 8* negativam ſententiam doceant, quoad Sacramentum Euchariſtiæ: ſed unuſquiſque ait Cabrera, eligat quam maluerit.]

Modus examinandi, an effectus, qui ab uno Sacramento provenit, ab aliis provenire poſſit.

Ego putarem rem non eſſe ita obſcuram, ut debeamus ad conjecturas, & mera placita Theologorũ recurrere: nam poſſumus diſcurrere ſic. [In Baptiſmi Sacramento recedente fictione Gratia recipitur. Ergo examinandum eſt cur hoc ita in illo Sacramento accidat. Si hæc ratio ſit in illo Sacramento ſingularis, & in nullo alio reperiatur, etiam hoc privilegium recipiendi gratiam recedente fictione erit in Baptiſmo ſingulare, & in nullo alio Sacramento invenietur. Cæterùm, ſi illa ratio ſit omnibus, vel aliquibus Sacramentis communis, hoc etiam privilegium illis omnibus, aut illis aliquibus conveniet. Sed quæ eſt illa ratio, ob quam Baptiſmus recedente fictione confert gratiam? Caietanus iterum iterumque hanc Quæſtionem exponit, & licèt aliter & aliter diſcurrat, tamen eandem Concluſionem ſtatuit utrobique & affirmat, Baptiſmum characterem producere, & per characterem gratiam: & hanc ob rem, quando Baptiſmus cum fictione ſuſcipitur, & gratiæ productio impeditur, exſpectandum eſſe, quouſque recedat fictio: tunc enim, non baptiſmus immediatè, hic enim tunc non exiſtit; ſed character, qui eſt animæ impreſſus, in Baptiſmi virtute, cuius vices gerit, gratiam producet.

An gratia in Baptiſmo à charactere proveniat?

Quænam Sacramenta imprimant characterẽ?

Hac doctrinâ præmiſſâ dicendum eſt Sacramenta illa, quæ characterem imprimunt (videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem) conferre gratiam recedente fictione: eam Pœnitentiam, Matrimonium, & Extremam-Vnctionem non conferre. Et de Euchariſtiâ cum fictione ſuſceptâ ſic inquam. Manet realiter in ſtomacho indignè ſuſcipientis Dominus noſter Ieſus-Chriſtus: & manet aliquandiu, quoniam ſpecies longiuſculo tempore ſolent perſeverare. Ergo, ſi in ſumptione non recepit gratiam Franciſcus ob fictionem, ſi hæc recedat antequam ſpecies corrumpantur, ibi adhuc eſt Chriſtus, cauſa potentior charactere Baptiſmi; ipſe ergo gratiam Euchariſticam conferet.

Quid dicendum ſit de Euchariſtiâ.

ARTICVLVS XII.

An in formis Sacramentorum dentur verba accidentalia & ſubſtantialia? Et, An illa priora omitti poſſint ſine reatu mortali?

MMCMXCII.

Reſo u 10. Omittere unam particulam accidentariam non eſt mortale.

PVLCHRA ſunt Cabreræ verba, quæ citat Diana *part. 2. tract. 17. (quæ eſt Miſcellaneus 1.) reſol.* 14. ait enim [Quando mutatio & ſecundum rei veritatem, & ſecundum æſtimationem ipſius Miniſtri accidentaliter ſe habet ad formam Sacramenti, nec tollit eius veritatem, tunc Miniſter peccabit tantùm venialiter propter levitatem, materiæ immutatæ vel additæ.] Et hìc obiter nota, doctè Cabreram veritatem ab æſtimatione diſtinguere: nam, qui omittit particulam accidentalem, quam ipſe putat accidentalem, conficit Sacramentum, ſed peccat venialiter. Qui autem omittit eſſentialem, quam

An contemptus in materia parvâ ſit ſemper peccatum mortale?

Digitized by Google

quam ſcit eſſe eſſentialem, non conficit Sacramentum, & peccat mortaliter. Qui verò omittit eſſentialem, quam probabiliter putat eſſe accidentalem, non conficit Sacramentum, peccat tamen venialiter, non mortaliter, nam à mortali illum probabilitas eximit. Qui denique omittit accidentalem putans ſe omittere ſubſtantialem, peccat mortaliter ob actum voluntatis improbæ: & licèt verba prolata ad valorem Sacramenti ſufficerent, ipſe Sacramentum non conficit; quia qui omittit verba, quæ eſſentialia & neceſſariò requiſita exiſtimat, intentionem conficiendi Sacramentum non habet.

Addit Cabrera [Immò crediderim, quod etiamſi id faciat ex contemptu, non peccabit mortaliter, dummodò contemptus divinæ Legis determinatus ad materiam peccati venialis ſolùm eſt culpa venialis. Et Soto exiſtimat hoc eſſe probabile.] Hæc Cabrera 3. *part. de Sacram. quæſt. 60. art. 8. diſp. 2. num. 2.* quam doctrinam illuſtrat exemplo illius, qui in conſecratione panis aut calicis particulam *enim* omitteret: eum enim putat tantummodò peccaturum venialiter.

ARTICVLVS XIII.

An formæ Sacramentorum ſint alicui linguæ alligatæ?

MMCMXCIII. *Poteſt Princeps deſignare ſolennitates, ſine quibus ſint contractus invalidi. Poteſt iubere, ut tali linguâ & non alia ineantur. Et hoc ipsū inſtituit Mahometus de facto.*

SACRAMENTA omnia ſunt inſtituta à Chriſto Domino, qui potuit ita illa ad linguam aliquam determinatam obligare, ut in aliâ quâcumque fierent invalidè. Cur enim Deo auderet aliquis negare authoritatem, quam Principes interdum uſurpant? Sæpe enim cōſtituunt, ut tali aut tali idiomate omnia inſtrumenta publica conficiantur, aliàs ipſo facto eſſe nulla, & omni virtute & valore carere. Eſt authoritas penes Rempublicam, ut niſi coram tot teſtibus fiat, & in chartâ ſigillatâ ſcribatur, &c. contractus invalidus ſit: cur ergo non poſſet inſtitui, omnes in linguâ maternâ debere iniri, & invalidos eſſe, quotquot in linguâ peregrinâ ineantur. Hinc patet, ſi abuſus ab uſu diſtinguatur (nam ipſi, ut externos decipiant hac lege utuntur) non eſſe condemnandum Mahometum, quòd omnes contractus ſub nullitatis pœna Arabicè conſcribi juſſerit.

Reſolutio. Stat ergo potuiſſe Chriſtum Dominum inſtituere, ut tali Sacramenta linguâ, & non aliâ conficerentur. Cùm autem nullam Chriſtus linguam determinarit, dicam, quâcumque linguâ aut idiomate poſſe Sacramenta conferri, ſi valorem ſpectem. An tamen licitè poſſint in quâcumque: eſſe quæſtionem, quæ petit conſiderationem ſpecialem.

De Baptiſmo agens Diana *part. 2. tract. 15. reſ. 46. §. Nota.* Sic ait. [Nota verò quod non ſolùm obſtetrices & laici poſſunt baptizare ſine ullo peccato in linguâ vernaculâ; ſed Sacerdotes peccant ſolùm venialiter proferendo formam baptiſmi in linguâ vulgari. Sic Nugnus *in tertiâ parte. tom. 1. quæſt. 60. art. 8. diff. 3.* & Bonacina *de Sacram. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 4. n. 17.*] *An poſſit conferri Baptiſmus in linguâ vernaculâ?*

An-ne etiam peccabit venialiter Epiſcopus, qui Confirmationem aut Ordines conferat in vernaculâ linguâ? An venialiter tantùm Sacerdos, qui Miſſam celebraverit in linguâ vulgari: aut etiam eadem linguâ abſolutionem dederit, Extremam-Vnctionem adminiſtrarit, aut Matrimonij teſtis fuerit? An valebit rationis paritas à baptiſmo deducta? Vſus & praxis negabit conſequentiam: hærebit ratio, & faciliùs adhibebit quàm cohibebit conſenſum in re obſcurâ. Tu praxim ſequere. *An Confirmatio & Ordo? An cætera?*

ARTICVLVS XIV.

De Voce, quâ quis uti debet in adminiſtratione Sacramentorum: an Activâ; an Paſſivâ?

MMCMXCIV. *Quid apud Grammaticos ſit vox?*

QVID ſit Vox apud Grammaticos, & quotuplex nota res eſt, vides omnia Sacramenta confici verbis activis, & interrogas, An poſſint confici paſſivis? Quod eſt petere, An hæc verba, *Ego te baptizo*, &c. *Signo te*, &c. *Ego te abſolvo*, &c. *Indulgeat tibi Deus*, &c. *Accipe poteſtatem*, &c. *Accipio te in meam*, &c. poſſint illæſo Sacramento tranſire in hæc, *Tu baptizaris à me*, &c. *Tu ſignaris à me*, &c. *Tu abſolveris à me*, &c. *Indulgeatur tibi à Deo*, &c. *Accipiatur à te poteſtas*, &c. *Acciperis à me in meam*, &c.

Cum ſint æquipollentia, cur debeat aliquis negare aut dubitare in re manifeſtâ non video: maxime cùm Eccleſia Græca utatur voce paſſivâ in adminiſtratione Baptiſmi. Vide Dianam *part. 3. tract. 4. reſ. 27. §. Notandum.* *Reſolutio.*

Sed occurrit difficultas ſpecialis in voce paſſivâ, ſi agamus de pronomine: nam ſicut verba activa, *Baptizo*, *Signo*, *Confirmo*, *Abſolvo*, &c. imbibunt pronomen, *Ego*, ita verba *Baptizaris*, *Signaris*, *Confirmaris*, *Abſolveris*, imbibunt pronomen *Tu*. Cùm igitur in his Sacramentis ſint duæ perſonæ, altera *An pronomen debeat ſemper exprimi? An utraque perſona: prima nimirùm, & ſecunda?*

Digitized by Google

altera quæ illud conficit, altera quæ illud ſuſcipit, quæritur, An debeat utraque exprimi? Et ut rem meliùs capias, ponamus te agere in linguâ hebræâ, in quâ præſens caret perſonis. Monui perſonam ſuſcipientem non eſſe neceſſariò exprimendam, ſi vera eſt Paludani Doctoris Lovanienſis opinio, quam in Diſputatione publicâ me præſente defendit; aſſerebat enim in Sacramento Pœnitentiæ formam eſſe ſufficientem *Abſolvo*, & putabo eâdem probabilitate aut improbabilitate, quâ alterum pronomen omittitur, poſſe & alterum: nam Græcus dicit *Baptizatur*, (hoc eſt, *Baptizaris*) non autem *Baptizatur a me*. Quam ob rem, ſi hæc eſt forma ſufficiens *Abſolvo*, etiam erit *Abſolveris*. Et ſi eſt neceſſarium dicere activè, *Abſolvo te*, erit neceſſarium dicere paſſivè, *Abſolveris à me*. Et ſic in aliis Sacramentis proportione ſervatâ: nam perſonas ipſas linguâ tacente exprimunt circumſtantiæ adiacentes, quæ cenſentur eſſe conſignificantes.

Paludani ſententia: & quæ ex illâ ſequantur?

Græcorum in Baptiſmo forma.

Conſignificantes circumſtantiæ.

Praxis diſtinguitur ab ſpeculatione.

Dices, eſſe periculoſas omnes ſententias, quæ in ſacramentorum materiis & formis deſignandis à communi diſcedunt: & ideò damnari omnes debere, aut ſaltem ſupprimi.

Omnia nego: nam debemus praxim ab ſpeculatione diſtinguere: in ſpeculatione nullum eſt omninò periculum, & ſine proximorum iniuriâ in gymnaſio & ſcholâ jam juxta unam, & jam juxta alteram ſententiam diſputamus. At quando venitur ad praxim, & agitur de ſalute proximi, viam inimus ſecutam, etſi minùs probabilis ſit, ne periculo proximum exponamus.

Vbi agitur de ſalute proximi iuxta ſecuram ſententiam debemus Sacramēta adminiſtrare.

ARTICVLVS XV.

De Modo, quo debeamus uti in collatione Sacramentorum. An Indicativo? An Imperativo? An Subiunctivo?

MMCMXCV. IN aliis utimur Indicativo, in aliis Imperativo & in aliis Subiunctivo.

De Indicativo.

Quæritur primò. An liceat omnia per indicativum conferre? nempe dicendo: *Ego te baptizo*, &c. *Signo te*, &c... *Confirmo*, *Ego te abſolvo*, &c. *Hoc eſt*, &c. *Hic eſt*, &c. *Vngo te... indulget Deus*, &c. *Accipis poteſtatem*, &c. *Accipio te in meam*, &c.

De Imperativo.

Quæritur ſecundò, An liceat Sacramenta omnia per Imperativum conferre? videlicet dicendo, *Baptizare*, *Signare....Confirmare*, &c. *Abſolvere*, &c. *Hoc eſto*, &c. *Hic eſto*, &c. *Indulgeto Deus*, &c. *Accipe poteſtatem*, &c. *Accipe me in tuum*, &c. Et, ne moveatur quæſtio de ſubordinatione, An videlicet creaturæ poſſint imperare Creatori? Modus Deprecativus ab Imperativo diſtinguatur, & tunc interrogetur, An Sacramentorum formæ eſſent validæ, ſi per Deprecativum exprimerentur?

De Subiunctivo.

Quæritur tertiò, An liceat eadem ad tempus ſubiunctivum transferre? nimirùm dicendo, *Baptizeris*, &c. *Signeris....Confirmeris*, &c. *Abſolvaris*, &c. *Hoc ſit Corpus meum. Hic ſit calix*, &c. *Indulgeat tibi Deus*, &c. *Accipias poteſtatem.* &c. *Accipias me in tuum*, &c.

An Imperativus ſubiunctivo æquipolleat?

Reſpondeo primò, ea, quæ per Imperativum dicuntur, poſſe per præſens ſubiunctivi; & contrà. Quia hæc tempora ſunt æquipollentia. Ergo pro, *Accipe poteſtatem*, poſſem dicere, *Accipias poteſtatem*, & pro, *Indulgeat tibi Deus*, poſſem ponere *Indulgeto tibi Deus*, &c.

An etiam Indicativo?

Reſpondeo ſecundò, Indicativum nec Imperativo, nec Subiunctivo æquivalere. Quod videtur tam certum, ut non indigeat probatione.

MMCMXCVI. Reſpondeo tertiò Sacramentorum formas non eſſe ideas naturales, ſed formulas artificiales, ab Inſtitutoris voluntate pendentes: quam ob rem, ſi Chriſtus, quocumque modo (Indicativo Imperativo, aut Subiunctivo) eſſe contentus voluit, valebit Sacramentum quocumque: non autem quocumque, ſi noluit Sed quo Chriſtus modo Sacramenti conferri voluit? Si agamus de Baptiſmo, affirmant multi non eodem illum modo à Græcis & Latinis conferri: nam *Ego te baptizo*, &c. ait Latinus: & *Baptizetur ſervus Chriſti*, &c. Græcus. Sed allucinari, qui ſic loquuntur inferiùs demonſtraturus ſum, Græci enim dicũt, *Baptizatur*, &c. adeoque ipſi, ſicut Latini, utuntur Indicativo. Si agatur de confirmatione, quæri poſſet, An ubi Latinus ait, *Signo te*, ... *Confirmo*, &c. poſſet Græcus dicere, *Signetur ſervus Chriſti* .... *Confirmetur*, &c. Reſpondet Nugnus *in 3. part. tom. 1. quæſt 72. art. 4. diffic. 1.* confirmationem eiuſmodi poſſe conferri validè, non tamen licitè; hic modus baptizandi conceſſus eſt Græcis, non tamen is modus confirmandi. At hæc Reſponſio Nugni in arenâ fundatur, & ideò non poteſt ſubſiſtere: non enim conceſſum unquam Græcis fuit, ut per ſubjunctivi verbum baptizarent, nec unquam per ſubjunctivi verbum baptizarunt, aut baptizant. quoniam Βαπτίζεται, *Baptizatur* dicunt, non autem βαπτίζοιτο, aut βαπτίζηται, *baptizetur*, ut putarunt nonnulli. Si agamus de Extrema-Vnctione, dicendum eſt formam communem eſſe deprecativam, & per ſubiunctivum efferri. An-ne poſſet per indicativum? Aſſerit Martinus Becanus *de Sacram. cap. 27.* qui ſic ait [Quæres, an neceſſe ſit formam huius Sacramenti eſſe deprecatoriam? Multi affirmant, quia primò Iacobus dicit, *Orent ſuper eum*. Secundò, Forma Romana eſt deprecatoria. Alij negant: primò, quia forma Ambroſiana & Veneta non eſt deprecatoria; & tamen eſt ſufficiens. Secundò, quia ex illis verbis, *Baptizantes eos*, &c. colligit Eccleſia hanc

Valor pendet à volũtate Chriſti. De Baptiſmo.

De Confirmatione.

De Extremâ-Vnctione.

Forma Ambroſiana & Veneta differt à Romanâ: ſunt autem validæ. Ergo argumentum quod hinc deducitur, eſt fortiſſimum.

hanc formam; *Ego te baptizo.* Ergo ſimiliter ex illis, *Vngentes illum*, poteſt colligi hæc forma, *Ego te ungo.* Tertiò, quia in Sacramento Confirmationis, ſufficiens hæc eſt forma, *Conſigno te chriſmate.* Ergo ſimiliter in hoc Sacramento, *Vngo te oleo.* Quartò, quia Sacramentalis forma, etiamſi per modum indicativi proferatur, ſolet à Sanctis Patribus vocari *Oratio*; quo pacto Leo Papa & alij multi abſolutionem Sacramentalem vocant *Orationem Sacerdotis.* Ergo quamvis in hoc Sacramento proferatur forma per modum indicativi ſufficiens erit ad illud Iacobi ſalvandum.] Ita Becanus, & de Suario & Filliucio ſic inquit Diana *part. 3. tract. 4. reſ. 175.* [Hanc ſententiam eſſe probabilem docent Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 40. ſect. 3. num. 7.* & Filliucius *tom. 1. tract. 1. cap. 40. num. 80* nam contrariam, quam ipſi tenent, vocant probabiliorem.]

An Abſolutio ſit oratio?

An Probabilioritas unius Opinionis inferat Oppoſitæ Probabilitatem?

Notent modum inferendi, qui diligunt Moralem Dialecticam. His tamen non obſtantibus non poſſe hoc Sacramentum tradi per indicativum alij mordicùs docent, & exiſtimant per indicativum traditam, eſſe evidenter invalidam, & debere reiterari ſine conditione. Ita Nugnus *in Addit. ad 3. part. quæſt. 33. art. 6.* Coninch. *de Sacram. diſp. 9. dub. 4. num. 14.* Ledeſma *in Summ. tom. 1. de Sacr. extr. unct. cap. 1. concl. 2.* Sylvius *in addit. ad 3. part. quæſt. 29. art. 7.* & alij communiter. Et eorum omnium ratio unica eſt, & è Grammaticæ fonte deſumpta, Quia duæ formæ non poſſunt eſſe inſtitutæ pro eodem Sacramento, niſi ſint æquivalentes, ſaltem in ſenſu: ſi ergo forma deprecativa ſufficiens eſt: indicativa eſt inſufficiens; quia non habet æquivalentem ſenſum. Dicere Chriſtum diſpenſaſſe poteſt quilibet; ſed deberet ſuam ſententiam probare.

An Indicativum & Imperativum ſint æquipollentia?

An unum & idem Sacramentum habere poſſit duas formas?

ARTICVLVS XVI.

De Perſonâ, quâ debemus uti, cùm Sacramenta conficimus?

MMCMXCVII.

Perſonarum mutatio. Pro primâ ſing. ponitur tertia ſing. & prima plur. Pro ſecundâ ſingul. ponitur tertia ſing. & ſecunda plur.

SOlet poni tertia ſingularis loco primæ, ut ſi ego dicerem, *De hac re nihil ſcripſit Caramuel*: nam Auguſtinus ſimili utitur phraſi cùm ait, *De hac re dubitat Auguſtinus.* Etiam loco primæ ſingularis ponitur prima pluralis, & hoc modo Principes & Prælati in Decretis loquuntur, & interdum homines, particulares. In Privilegio Theologiæ Fundamentali conceſſo. *Alexander. Papa VII.* &c. *Exponi nobis propterea humiliter ſupplicari facit*, &c. *Nos igitur*, &c. *concedimus, & indulgemus*, &c. Et Arias Montanus, tametſi privatus Doctor, in Præfatione ad Novi Teſtamenti Interpretationem, *Quum nihil in nobis ſit, quod Chriſtianæ Reipublicæ iam diu non conſecraverimus*, &c. *duximus*, &c. *appellamus*, *didicerimus*, &c. Et hoc etiam modo pleriquæ ſcriptores loquuntur.

Præterea tertia ſing. & ſecunda plural. loco ſecundæ ſing. poni ſolet, ut, cùm dicimus, *Petre, facias hoc. Petre faciat hoc. Domine Petre faciat veſtra Dominatio hoc. Vos Petre faciatis hoc.*

Hac doctrina præmiſſâ quæritur, An validè baptizaret utens tertiâ perſonâ loco primæ, & dicens, *Baptizat te N. in nomine Patris, & Filij & Spiritus-Sancti*? An utens tertia loco ſecundæ, dicens. *Baptizatur hic infans in nomine Patris, &c.*

An hæ mutationes in Sacramentis locum habeant?

De Baptiſmo.

Reſpondeo utrumque baptiſmum valere, ſi illæ formæ æquivaleant huic, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Et non valere, ſi non æquivaleant: quam ob rem accerſiri iubeo Grammaticum, qui de æquivalentiâ, aut diſcrimine iudicet, & quamdiu non veniat doctior, qui hoc (diſcrimen) oſtendat, has formas validas eſſe pronuntio.

De Confirmatione.

Aſſeris contra me eſſe Nugnum, qui *in 3. part. tom. 2. quæſt. 72. art. 4. diff. 1.* ait, quòd licèt non ſit neceſſarium exprimere perſonam Miniſtri formaliter, exprimenda eſt tamen virtualiter; unde peccare mortaliter indicat illum, qui confirmaret his verbis, *Conſignetur ſervus Chriſti*, &c. quod probat ex uſu univerſali totius Eccleſiæ, tam Græcæ, quàm Latinæ; nam licet Græcis conceſſa fuerit facultas baptizandi in tertiâ perſonâ, dicendo, *Baptizetur ſervus Chriſti*, &c. non eſt conceſſa ſimilis facultas in Confirmatione.

De formâ, quâ uti dicuntur Græci.

Reſpondeo primò, me magni Nugnum facere, ſed non tanti, ut debeam ab eius ore dependere, & dicere, *Αὐτὸς ἔφα. Ipſe dixit.*

Reſpondeo ſecundò, nihil eſſe in Nugno, quod meæ doctrinæ adverſetur. At non eſſe neceſſarium exprimere Miniſtri perſonam formaliter, eſſe autem neceſſarium ut exprimatur virtualiter: & hoc eſt dicere, non eſſe neceſſarium ut perſona exprimatur verbis, ſed requiri quod explicetur ſaltem à circunſtantiis ſignificantibus.

Reſpondeo tertiò ex dictis, decipi Nugnum cùm exiſtimat formam Baptiſmi apud Græcos eſſe, *Baptizetur ſervus Chriſti*, ipſi enim dicunt Βαπτίζεται, *Baptizatur.*

Reſpondeo quartò, eum, qui confirmaret his verbis, *Conſignetur ſervus Chriſti*, &c. invalidam formam prolaturum, & peccaturum mortaliter: & utrumque cum Nugno.

Hinc ad alia Sacramenta tranſitur, & conſequentiâ doctrinæ compellente dicendum eſt, has formulas eſſe æquipollentes, *Ego te ſigno, ... Et Confirmo* &c. *Te ſignat N. & Confirmat*, &c. *A me ſignatur, ... & Confirmatur iſte puer*, &c. & hanc ob rem omnes has formulas eſſe validas; at primam tantummodò licitam. Idem dicendum eſt de his, *Ego te abſolvo*, &c. *Abſolvit N.* &c. *Ego abſolvo Dominationem veſtram*, &c. *Veſtra Dominatio*

De Pœnitentia.

De Extrema-Vnctione.

Digitized by Google

De Ordine

Dominatio abſolvitur à me, &c. Et Hiſpanicè, *Yo le abſuelvo*, ibi enim *le* eſt idem ac *te*. ſic etiam, *Indulgeat ei* (*veſtra Dominationi*, *vobis*, &c. hoc eſt, *tibi*) *quidquid*, &c. & ſimiliter. *Accipe* (*accipias*, *accipiat*) *poteſtatem*, &c. & tandem *Accipio te in meam*, &c. *Hanc fœminam in ſuam accipit N.* &c. *Hæc fœmina in ſuam accipitur à N.* &c. Hæc omnia ſequi aſſero ex præcedenti doctrinâ; nam hæ formæ ſunt æquipolentes inter ſe.

De matrimonio.

ARTICVLVS XVII.

De Numero, quo debemus uti, cùm conficimus Sacramenta. An-ne ſingulari ſemper, an etiam aliquando plurali?

MMCMXCVIII. *Quæſtio explicatur: & duplex ſenſus, quē poteſt habere, edifferitur.*

BIFARIAM poteſt hæc Concluſio intelligi; nimirùm Primò; An poſſint plures perſonæ ad conficiendum vel recipiendum Sacramentum activè aut paſſivè concurrere? Secundò, An una perſona poſſit ſignificari pluraliter, ut ſi dicturus, *Ego te abſolvo*, diceret, *Nos vos abſolvimus*, aut etiam dicturus. *Ego te baptizo*. diceret, *Nos vos baptizamus*.

Reſolvitur Quæſtio juxta alterum ſenſum.

Qui ſecundo modo, uteretur plurali, uteretur dialecto Latinâ politicâ, & non mutaret ſenſum verborum, & hanc ob rem validè conferret Sacramentum: Ita Bonaventura *in 4. diſt 5.* Angelus *verbo Baptiſmus*, *numer. 4.* Armilla *numer. 12.* Sylveſter, *Baptiſm. 1. quæſtion. 11.* Lublinus *1. part. ſummulæ*, *verb. Baptiſmus*, *num. 1.* Bonacina. Bellarminus *cap. 3. de Baptiſm.* Reginaldus *num. 14. & 15.* Suarez, Bartholomæus ab Angelo, & alii quos ſequitur Baunius *de Baptiſm. quæſt. 2. diſt. 1. pag. 47.* quibus tandem adhæret Leander *tom. 1. tractat. 2. diſp. 3. quæſt. 4. pag. 12. b.* Hinc patet, non eſſe audiendos Vivaldum, Victoriam, Vegam, Sotum, Ledeſmam, Henriquez, Rodriquez, Ludovicum de S. Ioan, quatenus negant privatum Sacerdotem, qui diceret, *Nos te baptizamus*, &c. validè baptizare; nam *Nos* non ſolùm à Prælatis, ſed etiam à privatis ita ſumitur, ut ſit idem ac *Ego*.

Qui autem pro *Ego* diceret *Nos*, aut pro *Te* diceret *Vos*, procederet profectò illicitè, ex eo, quòd diſcedat ab uſu communi à ſæculis multis recepto. An & ipſe peccaret mortaliter? Peccaret, ſi cenſeretur legem aut conſuetudinem temerare in re gravi: Et, quia ſic Archangelus *diſtinct. 3. pagin. 15. column. 1.* cenſet eum mortalis peccati incriminatur. At Leander *loc. cit.* prudentiſſimè ait. *Mihi tamen id durum videtur.* Et ego aſſentior Leandro: & noto obiter, poſſe interdum contingere, ut concurrant circumſtantiæ aggravantes aut mutantes ſpeciem, quæ poſtulent ponderationem ſpecialem.

Nos in illo caſu idem ſignificat, ac Ego.

Qui primo modo in maiores difficultates incurreret, & poſſet has duas controverſias excitare. PRIMAM, An unus poſſit baptizare, confirmare, abſolvere, ungere, ordinare, &c. multos ſimul utens formâ plurali, & dicens, *Ego vos baptizo*, &c. *Signo vos*, &c. *Abſolvo vos*, &c. *Indulgeat vobis Deus*, &c. *Accipite Spiritum-Sanctum*, &c. An poſſit conſecrare plures hoſtias ſimul? An etiam ſimul plures calices? An multas ducere in uxores, &c. SECVNDAM, An duo poſſint unam aut eandem aquam fundendo, aut fortè diverſam, & formam proferendo, in plurali, ita ut uterque dicat, *Nos te baptizamus*; aut ſinguli. *Ego te baptizo*: unum & eundem, infantem baptizare? An duo Epiſcopi poſſint unum & eundem confirmare aut ordinare? An duo Presbyteri unum & eundem pœnitentem abſoluere? unam & eandem miſſam dicere, unam & eandem hoſtiam, aut etiam unum & eundem calicem conſecrare? unum & eundem ægrotum ungere? An duo cœlibes poſſint unam & eandem uxorem ſimul ducere?

An unus poſſit multos ſimul idem Sacramentū conferre?

An plures poſſint uni idem ſacramentum cōferre?

MMCMXCIX. *An multi poſſint ſimul ſub unâ verborum formulâ baptizari?*

AD primam reſpondeo *poſſe unum pluribus ſimul Sacramentum conferre*: & PRIMO tempore neceſſitatis poteſt aliquis plures baptizare dicendo, *Ego vos baptizo*, quoniam *Baptizo vos*, eſt idem ac *Baptizo te, & Baptizo te*, &c. ut docet D. Thomas *q. 66. art. 5. ad 4.* Conſonant Vaſq. *diſp. 148. cap. 7. num. 50.* Henriq. *lib. 1. cap. 7. num. 5.* & *lib. 2. cap. 12. num. 1.* Sotus *diſt 4. quæſt. unic. art. 4.* Bonacina *diſp. 2. quæſt. 2. punct. 4. n. 21.* & apud eum Angelus, Sylveſter, Tabiena & alij. Adhærent Dicaſtillus *diſp. 1. dub. 6. n. 136.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 4. n. 16.* Diana *part. 9 tract. 6. reſol. 10.* Eſtius *in 4. diſp. 3. §. 6.* & Leander *tom. 1. tract. 2. diſp. 4. quæſt. 12. pag. 44. b.* Et probant ex actib. Apoſt. nam Petrus, cùm ſingulatim non poſſet, unicâ aſperſione plures baptizavit. Et caſum valde particularem proponit Eſtius dicens. [poteſt autem dici, *Ego vos baptizo*, &c. ſi ob aliquam neceſſitatem plures ſimul baptizandi veniant; quomodo baptizati leguntur Infantuli cujuſdam Comitiſſæ Batayiæ, tot numero, quot ſunt dies in anno; quos omnes uno partu effuderat, ut eſt in Annalibus Hollandiæ.] Addit Leander. [Ita hic Author: ſed caſus ab eo narratus, adeò mirabilis, ut vix credibilis.] At eſt Belgis, & eis qui in Belgio habitarunt, notiſſimus: nam cùm fœmina pauper, quæ duos ſimul pepeerat, eleemoſynam peteret à Comitiſſâ, hæc adulterii miſeram incriminatur, quaſi non poſſet fœmina niſi à pluribus viris plures concipere. Injuſtè afflicta pauper imprecata eſt Comitiſſæ, ut tot pareret filios, quot eſſent dies in anno: Fuit à Deo exaudita: & Comitiſſa concepit

An id fecerit Petrus?

Caſus rarus, qui accidit in Hollandia.

Vna fœmina unico partu 365. infantes peperit.

Quàm fuerint magni?

Quomodo baptizati, & ſepulti? concepit & peperit infantes 365. Sardinam ſinguli longitudine æquabant: & in pelvi æneâ poſiti ſunt ſimul baptizapti, & in eadem pelvi citò mortui, & ſepulti. Pelvis hodie exſtat, & oſtenditur: & Portugalliæ Princeps Emanoël ſe illam habuiſſe in manibus mihi ſub annum 1636. aſſeverabat.

An ſit peccatum plures ſimul ſub eadem formâ baptizare? Sed quid, ſi non eſſet periculum? Eum, qui ſic baptizaret, peccaturum mortaliter cum Scoto in 4. *diſt.6. quæſt.2.§. Reſpondeo*, Gabriel *ibid. quæſt.1. art.1. concl.7.* Ægidius *quæſt. 67. art. 6. dub.2. num. 51.* Fillincius *tract. 2. num. 53.* Vaſquez *in quæſt.67. diſput.* 148. *cap.7.* Hurtadus *diſp. 2. diff* 7. Ochagavia *de baptiſm.quæſt.*13.*num.*18. Palaus *punct.9. num.*15. & quod mireris Diana *part.9. tract.6. reſol.*10. & alij Doctores affirmant. Eſt autem nimis ſevera hæc Reſolutio, & ideò aſſero nonniſi venialiter peccare, qui ſine contemptu aut ſcandalo plures ſimul baptizet. Sic Dicaſtillus *diſp.1.dubit.6. num.* 138. Trullench. *num.* 16. Sotus *diſt.5. art.4.* Henriquez *libr.1. cap.30. num.1.* Valentia *diſp. 4. quæſt.3. punct.2.* Reginaldus *cap.30. num.49.* Vivaldus *cap. de abſol.num.* 15. Aureolus *in 4. diſt.3. quæſt.* 2. quorum ſententiam probabilem judicant Bonacina *diſp.2. quæſt.2. punct.4. num.* 21. Leander *ubi ſupr.quæſt.13. pag.45. a.*& alij.

An tunc unum, an verò plura Sacramenta conficerent? Sed quot erunt materiæ, quot formæ; & quot Sacramenta, cùm unus plures abluit dicendo, *Ego vos baptizo*, &c. *Reſpondeo primò* eſſe plura ſubjecta; &, ſi individuatio accidentium à ſubjecto ſumatur, ex hoc capite erunt plura Sacramenta. *Reſpondeo ſecundò*, eſſe plures materias, tam proximas, quàm remotas; nam gutta aquæ, quâ aſpergitur unus, non tangitur, nec tingitur alius; adeoque diverſæ aquæ diverſa erit ablutio. Ergo tantùm manet difficultas in formæ examine.

An ſingularis numerus ſit pluralis, & contrà? Aſſero reperiri interdum nonnullos terminos Grammaticè ſingulares, qui Philoſophicè plurales ſunt; & contrà. Iſti enim *Neuter, Vterque, alter*, &c. *Nullus, Omnis, Aliquis*, &c. numeri ſunt ſingulares apud Grammaticos, & tamen apud Philoſophos æquipollent his, *Nec hic, nec ille. Et hic, & ille, Hic vel ille? vel ille*, &c. qui ſingulares dici nequeunt. E contrà hæc nomina *Athenæ, Pariſij, Bruxellæ, Burgi*, &c. ſunt numeri pluralis Grammaticè, & tamen Philoſophicè tam ſingularia ſunt, quàm hæc *Roma, Madritum, Toletum, Lugdunum, Londinum*, & *Amſtelodamum*.

Quid importet Pluralis, & cur ponatur? Hinc patet Numerum pluralem compendij gratia poni, ſed plura ſignificare; unde hæc Propoſitio *Petrus & Paulus currunt*, eſt *Petrus currit, & Paulus currit*: & hæc *Nos duo currimus*, eſt, *Ego curro, & tu curris*. Ergo hæc, *Ego vos baptizo*, erit *Ego te baptizo, & ego te baptizo*.

In propoſitione plurali multæ ſingulares includuntur. Ergo, quando plurimos S. Petrus per aſperſionem baptizavit, in hac reali propoſitione, *Ego vos baptizo*, &c. tot vicibus hæc *Ego te baptizo*, virtualiter incluſa fuit, quot fuerunt homines baptizati adeoque in unâ formâ reali, erant totidem formæ virtuales. Et hoc poteſt demonſtrari, ut exiſtimo. Attende. Validè baptizo quatuor infantes dicens, *Ego baptizo vos quatuor*. Ergo hæc forma eſt vera: & quia ſinguli manent baptizati, de ſingulis debet verificari. At tota non verificatur de ſingulis: ergo virtualiter diſſolvitur in quatuor, quarum prima de primo, ſecunda de ſecundo, &c. verificetur. Et hæc doctrina pro dilucidatione aliorum Sacramentorum etiam ſervire poterit.

MMM.

An poſſent plures ſimul confirmari? SECVNDO, in Sacramento Confirmationis validè diceret Epiſcopus, *Signo vos*, &c. ſi plures ungeret: & tot tunc eſſent formæ virtuales, quot confirmati.

An dari poſſit neceſſitas confirmandi? An tempore neceſſitatis licitè Epiſcopus plures ſub unâ formâ confirmaret? Licitè, ſi talis ſuccurrere poſſit neceſſitas; at hanc non dari ſuaderi videretur ex ipſius Sacramenti naturâ; nam cùm neceſſarium non ſit, omitti poterit, vel differri. At hîc oportet inter ſubditum & Epiſcopum diſtinguere; quia tametſi nemo illud teneatur recipere, tenetur ex officio Epiſcopus illud adminiſtrare: &, ſi eſſet numeroſus populus, & non poſſet Epiſcopus redire (puta, ſi viæ ab infidelibus præcluderentur) poſſet ſub unâ formâ plures ſignare & confirmare.

An multi ſimul aliquando abſolvantur? TERTIO, in Sacramento Pœnitentiæ hæc doctrina clariùs verificatur: quoniam in naufragio, & conflictu, quando eſt in morâ periculum, ſub hac formâ, *Ego vos abſolvo*, multitudo hominum ſolet abſolvi.

An conſecrentur multæ hoſtiæ? QVARTO, quotidie Sacerdotes plures hoſtias conſecrant ſub hac formâ *Hoc eſt corpus meum*. Et quia manent ſingulæ conſecratæ, illud *Hoc* virtualiter ſingulas debet ſignificare.

An multi calices? Sed inquiris, *An ſicut plures hoſtias, ſic etiam poſſet quis validè conſecrare plures calices?* Non petis, *Vtrùm licitè?* quia cùm hoc ſit contra morem Eccleſiæ, certum eſt non poſſe fieri ſine peccato: ſed petis tantùm, *Vtrùm validè?*

Calix duplici poteſt modo conſecrari. Reſpondeo duobus modis formam calicis poſſe proferri: videlicet, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, & *Hic eſt ſanguis meus*. Et exiſtimo, priora verba non poſſe de pluribus calicibus verificari: poſſe autem poſteriora, ſicut de pluribus hoſtiis, *Hoc eſt corpus meum*, verificatur.

An poſſit extrema-Vnctio ſub unâ formulâ multis adminiſtrari? QVINTO, videtur difficile, aut moraliter impoſſibile, ut caſus contingat, & ita circumſtantiæ diſponantur, ut poſſint multi ſimul Extremam-Vnctionem recipere: ſed ſi talis caſus detur, ſicut de Confirmatione philoſophator.

An poſſint plures ſimul ſub unâ formâ ordinari? SEXTO, apud Græcos tam paucæ ſunt cæremoniæ in collatione Ordinum, ut poſſimus concedere poſſe duos ſaltem ſub eadem verborum formâ ordinari; nam manus impoſitio duos poterit ſimul, & plures ſucceſſivè tangere; & verbum *Accipe* in *Accipite* converti poteſt.

De Matrimonio. SEPTIMO, ſi Vir poſſet plures uxores ſimul habere, etiam eas poſſet ſimul ducere, & eodem verborum tenore utrumque explicare conſenſum. Et hodie idem Parrochus, & iidem teſtes pluribus poſſunt ſimul Matrimoniis intereſſe.

Ad

Digitized by Google

MMMI.

An plures poſſint unû baptizare?

AD Secundam reſpondeo, *poſſe plures ſimul unî & eidem unum & idem Sacramentum conferre.* Et PRIMÒ in Baptiſmo: ſed eſt neceſſarium videre, *An tunc plures debeant dicere* Nos; *an ſinguli debeant dicere*, Ego? Reſpondeo duos, ſi eandem aquam infundant, aut puerum immergant, & alteruter dicat *Ego te baptizo*, eſſe baptiſmum validum. Ita S. Thomas *quæſt.* 67. *art.* 7 cui conſonant omnes Doctores. Vide Filliucium *tract.* 2. *cap.* 4. *quæſt.* 4. Vaſquez *diſput* 148. *capit.* 1. & 6. Suarium *diſput* 23. *ſect.* 3. Bonacinam *diſput.* 1. *quæſtion.* 2 *punct.* 4. *num.* 21. Valentiam *diſput.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 2. Et quid, ſi alteruter dixerit *Nos*? Reſpondeo vocem *Nos* etſi Grammaticè pluralis ſit, ſumptam Civiliter eſſe æquivocam, & utrumque numerum ſignificare. Si ſumatur pro *Ego*, (nam multi, non ſolùm Epiſcopi & Principes, ſed & homines privati ſic loquuntur) Sacramentum eſt validum, ut teſtatur S. Thomas *quæſt.* 66. *art.* 5. & *quæſt.* 67. *art.* 7. Victoria *quæſt.* 17. Vivaldus *capit.* 3. *num.* 7. Villalobos *de Bapt. diff.* 5. *numer.* 5 Adde Granadum *tom.* 5. *tract.* 2. *diſp.* 3. *num.* 7 qui D. Bonaventuram, Sotum, Sylveſtrum & Henriquez allegat. Et quid, ſi *Nos* ſumatur pluraliter? Sanè, quando duo baptizant infantem, & ſinguli dicunt *Nos baptizamus.* Et loquuntur pluraliter, aut pereunt omnia, quæ à Logicis dicuntur de ſignificatione pluralis, aut ſenſus eſt, *Ego te baptizo, & meus ſocius te baptizat.* Et qui loqueretur ſic baptizaret; ergo & qui dicebat, *Nos te baptizamus.* Ergo hæc forma, *Nos te baptizamus* defendi poteſt; nam aſſeritur à Cajetano *quæſt.* 67. *art.* 7. Paludano *in* 4. *diſt.* 3. *quæſtion.* 2. Durando & Richardo *diſt.* 3. *quæſt* 3. Valentiâ *quæſt.* 2. *punct.* 2. & probabilis cenſetur à Leandro *part.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 3. *quæſt.* 6. *pag.* 32. *b* Conſultò eamdem aquam & eamdem ablutionem poſtulavi; nam multiplicarentur Sacramenta, ſi multiplicarentur materiæ.

An ſinguli Ego, an verò Nos dicturi ſint?

Vox Nos ſingulariter & pluraliter poteſt ſumi.

Quid importet propoſitio pluralis?

An Epiſcopus calamo aut aliquo inſtrumento ungere poſſit confirmandos?

SECVNDO, ſi unctio poſſit fieri aliquo inſtrumento etiam eadem unctio fieri à pluribus poterit. Illud prius eſt valde probabile, & ut tale aſſertum à Leandro *part.* 1 *tract.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 12. in quâ pro ſe citat Herediam, Hurtadum, Henriquez, Vivaldum, Suarez, Filliucium, Peſantium, Dianam, & Quintanaduenas. Ergo Confirmatio poterit à pluribus ſimul celebrari. Dicet unuſquiſque *ſigno te*, &c. *confirmo te*, vel *ſignamus te*, &c. *confirmamus te*, &c. & ſicut de Baptiſmo procedemus in harum formarum cenſurâ.

An unum plures poſſint abſolvere?

TERTIO, ſi quis pluribus confiteatur, à pluribus ſimul poſſe abſolvi, certum eſt. Singuli dicent, *Ego te abſolvo* vel *Nos te abſolvimus*, juxta præcedentem doctrinam.

An multi dicere poſſint unam miſſam.

QVARTO, Neomyſtæ cum Epiſcopo, tametſi plures ſint, omnes nihilominùs, & ſinguli eumdem panem in corpus Chriſti, & idem vinum in ſanguinem Chriſti convertunt. In formâ nulla poteſt eſſe varietas; ſive miſſa ab uno, ſive à multis dicatur. Præter diem, in quâ conſecrantur Sacerdotes, (tunc enim omnes Neomyſtæ cum Epiſcopo unam & eamdem miſſam celebrant) nulla eſt alia in Eccleſiâ Latinâ, in quâ duo vel plures Sacerdotes ſimul unam & eamdem miſſam efficiant: at apud Græcos, ut multi ſimul celebrent, conducit ad ſolennitatem: unde in Mengrellâ (D. Archangelo in ſuâ hiſtoriâ aſſerente) in diebus feſtivis plures Sacerdotes concurrunt, & ſimul eamdem Miſſam concinunt in eodem altari.

Iberorum mos.

An Extrema-Vnctio à pluribus conferri poſſit?

QVINTO, Extrema-Vnctio etiam à pluribus ſimul conferri poteſt. Nam, vel omnes unctiones conſtituunt unam formam, ita, ut non quævis unctio conferat gratiam, ſed in fine ultimæ conferatur: vel hoc Sacramentum habet diverſas formas partiales, ſecundum diverſas opiniones. Alterutrum dicatur, ſtat Concluſio. Et *primo:* quia, ſi habet diverſas formas partiales, non repugnat à pluribus confici, dum enim unus Sacerdos ungit viſum & formam opportunam profert, poſſet alius auditum, alius odoratum ſub formis opportunis ungere. Ita S. Thomas *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2 *ad* 3. quem Suarius *diſp.* 43. *ſect.* 2. Ochagavia *tract.* 8. *num.* 5. Nugnus *quæſtion.* 31. *art.* 3 Filliucius *num.* 94. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 4. & *capit.* 13. *numer.* 3. Granadus *diſp.* 8. *num.* 7. Leander *part.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 4. *quæſt.* 7. *pagin.* 88. *a.* Ludovicus *in parvâ ſumm pag.* 69. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 88. Reginaldus *libr.* 28. *num.* 62 Archangelus *diſt.* 23. *pagin.* 275. *b.* & alij Doctores ſequuntur: unde hæc hodie in ſcholâ ſententia judicatur communis. *Secundò*, ſi omnes unctiones ad unicam materiam pertineant, & non ſint ſeparabiles, adhuc poteſt ſtare Reſolutio, ſi non eſſe de neceſſitate Sacramenti, quod unctiones fiant manu ipsâ immediatâ Sacerdotis dicatur. Ita Leander qui *tract* 4. *diſp.* 2. *quæſt* 16. *pag.* 79. *b* ait [Reſpondeo ergo non eſſe de neceſſitate Sacramenti. Conſtat ex dictis *tract. de Confirm. diſp* 3 *quæſt.* 12. & tenent utriuſque ſententiæ Doctores *ibid.* citati & ſtatim citandi] Ergo, ſi unctiones calamo, aut alio quocumque inſtrumento fiant, poterunt ſimul à pluribus Sacerdotibus fieri.

An dū unus ungit unum ſenſum, poſſit alius ſenſum alium ungere?

An calamo aut bacillo poſſit ægrotus ungi?

An plures Epiſcopi unû Sacerdotem, aut Epiſcopû poſſint, aut debeant conſecrare?

SEXTO, poſtulat conſequentia doctrinæ, ut eundem Ordinem à pluribus Epiſcopis eidem perſonæ poſſe dari dicamus: quia non eſt major ratio hujus Sacramenti ac aliorum. Sed hic obiter nota poſſe in Sacerdotis conſecratione plures Epiſcopos concurrere; at in Epiſcopi conſecratione plures debere; tres enim requiruntur.

SEPTIMO in Matrimonio uterque eſt Miniſter; & ſic uterque concurrit tam ad Sacramentum, quod ſponſus, quàm ad illud, quod ſponſa recipit.

Digitized by Google

ARTICVLVS XVIII.

An Materiæ & Formæ Sacramentorum quæ in Eccleſiâ Latinâ, ab his quæ ſunt in Græcâ diſtinguantur?

MMM.II. *Rationes pro parte affirmativâ.*

ASSERVNT nonnulli Canoniſtæ, qui Innocentium IV. *in capit.1. de Baptiſm.* Felinum *in cap. quæ in Eccleſiarum, de Conſtit.* & paucolos alios ſequuntur. Et ratio pro his præcipua ſumitur, tum ex Sacramento Baptiſmi, quod eſt aliorum omnium janua: ubi enim per indicativum activæ dicit Latinus, *Ego te baptizo*, &c. per optativum paſſivæ ait Græcus, *Baptizetur ſervus Chriſti*, &c. Et quis dubitet has duas verborum formulas toto cœlo differre? Præterea, Græci per impoſitionem manuum Ordines conferunt, cùm tamen apud Latinos plurimæ ſint materiæ & formæ partiales, quæ ex communi Theologorum ſententiâ ad Sacramenti valorem requiruntur.

Reſolvitur pro negativâ.

At vera & ſola tenenda ſententia eſt, quæ docet, *Vnam Eccleſiam Chriſtum Dominum inſtituiſſe, non duas: ac per conſequens, tam Sacramentorum materias, quàm formas, apud Græcos & Latinos eaſdem eſſe.*

Pontifices interdum loquuntur ut Doctores privati, & tunc non ſunt neceſſariò audiendi.

Nec urget Innocentij authoritas, nam Pontifex poteſt & ſolet loqui duobus modis, nempe *ut qui*, ut principalis cauſa, & etiam *ut quo*, ut cauſa inſtrumentalis. Quando loquitur *ut qui*, loquitur ut Doctor privatus, & verba ipsius ab ejus doctrinâ pendebunt: quando autem loquitur *ut quo*, & ut lingua Spiritus-Sancti, loquitur ex cathedrâ & errare non poteſt. Et ad Innocentium veniendo, eum ibi fuiſſe loquutum ut Doctorem, & in ſuo ſenſu abundaſſe dicemus; non enim volumus ejus verba obtorquere, tametſi poſſemus, nam eſt materia hæc gravis, & debet tractari ſincerè.

De Græcorũ Baptiſmo.

Nec urget, quod de Græcorum Baptiſmo dicitur; ipſis enim imponitur, quod ipſi non faciunt: non enim *Baptizetur*, ſed *Baptizatur* dicunt, ut paulò antè monui, & inferiùs evidenter oſtendam.

Sacramenta Græca à Latinis differunt ſicut tacitum & expreſſum.

Nec urget, quòd de Sacramento Ordinis additur; quæ enim implicitè apud Græcos ſignificantur, illæsâ ſubſtantiâ apud Latinos reponuntur expreſsè.

Vnicam Eccleſiam & non duas inſtituit Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Hanc meam ſententiam propugnat eruditiſſimus P. Leander de Sanctiſſ. Sacram. *part.1. tract.1. diſp.1. quæſt.12. pagin.3. b.* cujus verba, quia mihi ſummopere placent, hic ſubjungo. [Certiſſimè reſpondeo eamdem materiam & formam pro toto orbe aſſignaſſe. Quia Chriſtus Dominus unicam inſtituit Eccleſiam: Ergo pro totâ illâ, unicam debuit inſtitutionem facere Sacramentorum. Vnde, & Eccleſia Græca validè ordinaret Presbyteros per traditionem panis, & vini, & validè conſecraret in pane azimo: in quo conſecrat Latina: & validè baptizaret ſub eâ formâ, quâ Latina, & è contrà, Eccleſia Latina validè ordinaret Præsbyteros per manuum impoſitionem, &c. Sic Ochagavia, *quæſt.4. num.3.* Vaſquez *diſp.129. capit.5. numer.49.* Gaſpar Hurtado *diſput.1. diffic.13.* & apud eos omnes Theologi.]

Latinus validè uteretur ritu Græco, & Græcus Latino.

Et hæc doctrina eſt apud me tam certa, ut oppoſitam non poſſim patienter audire.

FVNDAMENTVM LXIV.

De Sacramento Baptiſmi.

MMM-III. *Materia duplex: remota & proxima.*

MATERIA Baptiſmi duplex eſt, remota, & proxima: illa eſt aqua, hæc ablutio: ſed quæ aqua? Elementaris. An-ne odoracea, pluvia, artificialiſve ſufficiet? an-ne baptizari quis poterit juſculo, ſucco herbarum? an-ne nive, glacie, aqua è ſale reſoluta? Reſpondeo hanc quæſtionem exercere Theologos, & tamen Theologicam non eſſe; ſed partim Grammaticam, & partim Philoſophicam.

Qualis eſſe aqua debeat?

Quid baptizare ſit

Primò enim reſcire à Grammaticis debet, quid ſit *Baptizare*, & *Abluere:* nam puto, rem eſſe debere liquidam, qua quis abluatur. An ad ablutionem quæcumque liquida materia ſufficiet? Videretur juſculo, aut atramento res potius maculari, quàm lavari. Secundò reſcire à Philoſophis, an-ne aqua odoracea, pluvia, &c nivalis, glacialis, &c ſpecie differat à naturali? ſi differunt, rejici debent; ſi non differunt, admitti poſſunt.

Forma

Ego clauditur in voce baptizo. Quæ verba eſſentialia dicantur? De pronomine Te. An poſſit baptiſmus reiterari? De prapoſitione. In. Miniſter baptiſmi. An, & quando pagani & heretici poſſint infantem baptizare? Eius intentio.

Forma eſt. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti.* An-ne omnia hæc verba ſunt eſſentialia? Minimè, Poteſt enim reiici illud *Ego*, quia clauditur in voce *Baptizo.* Vocem *Te* debebit accidentalem etiam dicere Paludanus, & quotquot cum ipſo docent in Pœnitentiæ Sacramento ſufficere, ſi dicas, *Abſoluo*, pro *Ego te abſoluo.* Illud *In* redundare videtur, & poſſe apud Latinos expungi ſine detrimento ſententiæ. Conſulto apud Latinos dico, nam apud Hebræos, Hiſpanos, Italos, Gallos, &c. non poſſet, carent enim declinationibus, & indigent præpoſitionibus, vt caſus conſtituant, & diſtinguant. Puto etiam neutrum, & ad formæ eſſentiam pertinere. Subiectum eſt Homo non baptizatus: nam hoc Sacramentum reiterari non poteſt: Cùm neceſſitas poſtulat, poſſent baptizare multi ſub hac forma. *Ego vos baptizo, &c.*

Miniſter eſt Homo rationis compos, & à Baptizando diſtinctus: quamobrem in caſu neceſſitatis quicunque (nimirum, fœmina, puer, vir, hæreticus, Iudæus, Paganus) poterit hoc Sacramentum adminiſtrare, modò habeat ſinceram intentionem faciendi, quod facit Eccleſia.

MMMIV. *Βαπτισμὸς. Βάπτω Βαπτίζω. Baptiſmus unde dicatur? Eſt triplex: videlicet Flaminis, Sanguinis, & Fluminis.*

BAPTISMVS Græca vox eſt, nempe ὁ Βαπτισμὸς: & à verbo Βάπτω, ſeu Βαπτίζω. Quod *immergo* ſignificat. Et eſt triplex, *Flaminis, Sanguinis, & Fluminis.* Et conſideratus ut ſic, à Dionyſio *l. l. de Eccleſ. Hierarch. cap.* 2. definitur & dilucidatur his verbis. *Baptiſmus eſt quoddam principium Sanctiſſimorum mandatorum, Sacrorum actionum, & aliorum Divinorum eloquiorum ad ſuſceptivam opportunitatem formans noſtros animales habitus ad ſuſcepta quietis anagogen iter noſtrum faciens, Sacra & diviniſſima noſtra regenerationis traditio.* Vel aliter, ſi Damaſceno 4. *ſent* & D.Thomæ *i* 4. *diſtinct.* 4. *queſt.* 1. *art.* 1. adhærere velimus, *Baptiſmus eſt, per quem primitias ſpiritûs accipimus, & principium alterius vita, ut ſit nobis regeneratio, & ſigillum, & cuſtodia, & illuminatio.* Et Sanè primitias ſpiritus per Baptiſmum accipimus, quia prima omnium gratia illa eſt, quæ peccatum delet originale: & quia mortuam animam in vivam convertit meritò dicitur *Regeneratio*, & quia agnum ab hœdis ſecernit, eſt *ſigillum*: & quia aſſiduam protectionem impetrat, nominatur *cuſtodia*, & tandem, quia Fidei lumen infundit, *illuminatio* nuncupatur.

An ſit neceſſarius Baptiſmus?

Sanè Baptiſmum univerſim ſumptum eſſe ad ſalutem neceſſarium teſtatur S. Auguſtinus *de nuc. Baptiſm.* [& habetur *de conſecr. diſt.* 4.] his verbis. *Regenerante autem* [a] *carne tantummodò contrahitur peccatum originale, regenerante autem Spiritu Sancto, non ſolùm originalium, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum.* Et mox. *Quiſquis ex concupiſcentiâ carnis & lege peccati & mortis carnaliter generatur, regenerari ſpiritualiter habet opus, ut non ſolùm ad regnum Dei perducatur, ſed etiam à damnatione peccati liberetur. Sicut enim per primum hominem in peccato & morte naſcuntur, ſic etiam per Chriſtum in iuſtitiâ & vitâ aternâ per baptiſmum renaſcuntur*, &c. Ergo aliquid de his tribus Baptiſmi generibus dicamus in particulari.

a] *Forte Sanctus Pater* Generante carne, *& non regenerante ſcripſit.*

ARTICVLVS I.

De Baptiſmo Flaminis.

MMMV. *De Baptiſmi Flaminis antiquitate.*

An, & quomodo Adamus, & Eva fuerint baptizati? An B. Virgo fuerit baptizata.

EST antiquiſſimus, & ante Chriſtum multos adultos, & infidelium filios præcipuè, à peccato eripuit, & ad Sanctorum chorum tranſtulit. In rigore loquendo etiam Adamo & Evæ convenire cenſetur: nam, ſi Deipara, quæ originali & actuali culpâ caruit, per baptiſmum fluminis gratiam peccati expulſivam recepit, cur non dicemus Adamum, Evamque licèt originali caruerint, quia peccato actuali inquinabantur, baptiſmo flaminis emaculatos fuiſſe, & à Dœmonis captivitate liberatos.

De Ioannis baptiſmo, an fuerit Sacramentum?

Et talis ille baptiſmus, de quo *Luca* 3. 3. Καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Et venit* (Ioannes) *in omnem circa regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentia in remiſſionem peccatorum.* Ioannis enim baptiſmus non erat Sacramentum, neque ex opere operato homines juſtificabat, ſed erat baptiſmus pœnitentiæ (contritionis, doloris (& continebat duos actus) videlicet contritionem internam, & ablutionem externam) quorum prior animam juſtificabat: poſterior verò, nec producebat gratiam, nec mundabat animam; ſed abluendo & emaculando corpus, quid tunc pœnitentia interior operabatur in animâ, & quid poſteà baptiſmus inſtituendus à Chriſto operaturus erat, ſignificabat. Ergo Ioannis baptiſmus, non erat fluminis, ſed flaminis; & ſiquis à Ioanne ſine flamine (actu Contritionis) fuerit baptizatus, ille non fuit iuſtificatus, ſed peccata, quibus gravabatur, retinuit. Audi S. Auguſtinum, qui *in Enchiridio.* [& habetur *de Conſecr. diſt.* 4. *cap.*

Fuerit-ne Fluminis, an Flaminis,

Cur Chriſtus fuerit baptizatus?

Non regenerabantur] ſic inquit. *Non regenerabantur vel renaſcebantur baptiſmo Ioannis, ſed quodam præcurſorio illius miniſterio, qui dicebat*, Parate viam Domino Chriſto, *in quo ſolo renaſci poterant, qui parabantur. Huius enim baptiſma eſt, non in aquâ tantùm, ut fuit Ioannis, verùm etiam in Spiritu-Sancto, ut de illo regeneraretur. Qui regenerationem non cognovit*, (nempe D.N.Ieſus-Chriſtus) *in aquâ baptizari voluit, non, ut eius iniquitas dilueretur, ſed humanitas commendaretur. Ita baptiſma in eo nihil habuit, quod ablueret, ſicut mors nihil invênit, quod puniret.*

An ne bonus latro Sanguinis baptiſmum ſuſceperit?

An-ne huc pertinere debebit boni latronis juſtificatio? Negat S.Cyprianus, qui eum ſanguinis baptiſmo emaculatum fuiſſe affirmat. *Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem*, ait Auguſtinus, *de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt*, Hodie mecum eris in paradiſo, *B.Cyprianus non leve documentum adſumpſit. Quod etiam atque etiam conſiderans invenio non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti id, quod in Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere: ſed & fidem confeſſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Neque etiam latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum, Neque, quia credidit, paſſus eſt, ſed dum pateretur, credidit. Quantum itaque valeat, etiam ſine viſibili Sacramento baptiſmi, quod ait Apoſtolus*, Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *in illo latrone declaratum eſt*. Ita Auguſtinus *lib. 4. de unic. baptiſm.* [& habetur *de conſecr. diſt. 4. c. baptiſmi.* [Ecce primò, tametſi baptiſmus ſanguinis ad juſtificationem ſufficiat, non hoc bene probat Cyprianus, boni latronis paſſionem in exemplum adducens, quoniam hic, non ſanguinis, ſed flaminis baptiſmo ablutus eſt: licèt enim ſanguinem fuderit, non illum pro Chriſto, ſed, ut ſua crimina expiarentur, profudit. Quod autem ipſe flaminis baptiſmum ſubierit, patet, quia credidit, quia ſperavit; dixit enim, *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*:: patet quia ſua ſcelera confitebatur & exſecrabatur increpans alterum latronem & dicens, *Neque times tu Deum; quod in eâdem damnatione es. Et nos quidem juſtè; digna enim eorum, quæ fecimus, recipimus: hic verò nihil mali egit.* Vnde meruit audire, *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.* Ecce ſecundò, Baptiſmus Flaminis non habet hodie locum, ubi Baptiſmus Fluminis haberi poteſt: hoc enim important illa verba, *ſi fortè ad celebrandum*, &c. Cùm autem realiter haberi non poteſt, haberi in voto dicitur; quia, ſi poſſet ſuſcipi, ſuſciperetur.

An baptiſmus Sanguinis ſufficiat ad ſalutem æternam?

An, ut Baptiſmus Flaminis iuſtificet debeat includere Fluminis Baptiſmum in voto?

Lucæ 23. 41.42.

Vt igitur doctrinam de baptiſmo flaminis intelligamus Concluſiones nonnullas ſubiiciemus. Sit ergo.

MMM-VI.

An Baptiſmus flaminis imprimat characterem?

PRIMA. *Baptiſmus flaminis non imprimit characterem.* Corollarium *Ergo poterit pluries iterari.* Aliter. *Ergo poſſunt homines flamine rebaptizari.* Demonſtratur Concluſio: quia ille in Fidei, Spei, & Charitatis actibus conſiſtit: qui pluries effici poſſunt & debent. Primum ad Iuſtificationem actum eſſe Fidei, *quo credit peccator Deum poſſe iuſtificare ſe per gratiam*, & ſecundum ſpei, *quo ſperat talem ſe gratiam mediante peccatorum deteſtatione & dolore conſequuturum eſſe*, nos docet Tridentinum Concilium *ſeſſ 6. c. 6.* & *ſeſſ. 14. cap. 4.* Spem concomitatur Timor, ex eiſdem enim fundamentis procedit; qui enim ex Fide ſcit, eſſe veram illam Athanaſij doctrinam, *Omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem: &, qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum.* Debet ignem æternum neceſſariò timêre, vitam æternam ſperare. Et tametſi ob retributionis ſpem multi cum Rege Prophetâ Pſalm. 118. dicant, *Inclinavimus cor ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem*, eſt tam corrupta natura voluntatis humanæ, ut plures terrore regantur, & cum Iſaiâ dicant, *A timore tuo Domine concepimus, & quaſi parturivimus, ac peperimus ſpiritum ſalutis.*

Ordo actuum in iuſtificatione.

An potiùs timore homines, quàm ſpe & amore regantur?

Caini infidelitas & deſperatio.

MMM-VII.

Ex timore ſervili ad filialem adſcenditur.

Præter hos actus, quos nemo negare poterit, alios intervenire certum eſt: nam S. Thomas *3. part. quæſt. 85. art.* 5. ſex enumerat; quos in gratiam tanti Doctoris recenſebo. *Primus* eſt actus Fidei: non enim juſtificari poterit, qui decredit Deum pœnitentiâ placari, unde longe aberat à conſequendâ veniâ Cainus dicens *Maior eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, vel ut ex Hebræo alij transferunt, *Maius eſt peccare meum, quàm tuum parcere*, hoc eſt, *Maior eſt mea culpa, quàm tua miſericordia. Secundus* actus Timoris ſervilis, orti ex debito pœnæ æternæ, quo homo movetur ad procurandum ſalutem. *Tertius* eſt actus Spei, quo, motus à peccatorum deteſtatione & pœnitentiâ, à Deo ſperat indulgentiam & veniam. *Quartus* eſt actus contritionis ex motivo Charitatis. *Quintus* eſt actus Timoris filialis, quo pœnitens poſt receptionem gratiæ propter reverentiam Deo debitam omnia peccata deteſtatur, & vitæ prioris emendationem proponit, efficaciterque intendit non offendere eum, à quo in filium miſericorditer eſt adoptatus. Et *Sextus* eſt gaudium de veniâ obtentâ. Circa ſecundum actum qui Timoris eſt, notare oportet, mihi non videri ſervilem, quia tribus modis poteſt peccator ex timore procedere: primò, ſi dicat, *Ego propter timorem, quem mihi æternæ inferni pœnæ incutiunt, abſtinebo à peccatis, illa autem, ſi non eſſet infernus, committerem*: ſecundò, ſi dicat, *Ego ob inferni timorem ab omni peccato abſtinebo.* Et tamen non cogitet, quid faceret, ſi inferni ſupplicia non eſſent: tertiò, ſi dicat, *Ego, tametſi nolim eſſe meæ ſalutis prodigus, nec velim in æternum perire, nihilominus ſi Deus nullas peccatoribus pœnas infligeret, adhuc ipſum amarem, adhuc ipſi ſummâ devotione obedirem.* Primus actus eſt Timoris ſervilis, & quia eſt peccaminoſus, non poteſt animam ad juſtificationem diſponere. Ergo de illo non loquitur Angelicus Doctor. Secundus eſt Timoris filialis imperfecti, qui vocatur *Attritio*: quem conſulit S. Benedictus ſuis Monachis: ait enim, *Præparanda ſunt corda & corpora noſtra ſanctæ præceptorum obedientiæ militatura: & quod minus habet in nobis natura*

Triſariam poſſumus timere Deū. Timor ſervilis.

Attritio.

Contritio.

S. Benedictus in Reg. Prol.

Digitized by Google

N. B. Lutherani & Calviniſtæ, quos ſequitur Cornelius Ianſenius, quando Attritionem damnant, illam cum ſervili timore confundunt.

natura poſſibile, rogemus Dominum, ut gratiæ ſuæ iubeat nobis adiutorium miniſtrari. Et, ſi fugientes gehennæ pœnas ad vitam perpetuam volumus pervenire, dum adhuc vacat & in hoc corpore ſumus, & hæc omnia per hanc lucis uſuram poſſumus implere currendum & agendum eſt modò, quod in perpetuum nobis expediat. Ecce fugere velle gehennæ pœnas? inter adjutorium Dei, & vitam perpetuam Sanctus Pater conſtituit, ut ſciamus illam voluntatem eſſe bonam, & Deum in illâ cooperari & concurrere, & per illam diſponi Animam, ut per perfectam Charitatem & Gratiam ad æternam perveniat. Tertius actus eſt Timoris filialis perfecti, qui vocatur *Contritio.*

MMMVIII.

Amor in perfectum & imperfectum dividitur.

S. Benedictus in Reg. cap. 5.

Timori perfecto & imperfecto duplex etiam Amor (perfectus & imperfectus) correſpondet: quos his paucis verbis S. Benedictus proponit. *Primus Humilitatis gradus eſt Obedientia ſine mora. Hæc convenit his, qui nihil ſibi Chriſto charius aliquid exiſtimant: propter ſervitium ſanctum, quod profeſſi ſunt, ſeu proper metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ.* &c. Sanè illi, qui nihil charius habent Chriſto, Deum amant ſuper omnia: imperfectè, ſi propter timorem gehennæ, aut ſpem vitæ æternæ: perfectè, ſi nullius præmij conſequendi, aut ſupplicij fugiendi intuitu, ſed propter ſervitium Sanctum, quod profeſſi ſunt,

Cur homo contritus dicatur?

SECVNDA. *Dicitur* Homo contritus, *quaſi* Homo cor (ſecundum cor) *tritus*, &c. S. Thomas *in 4. diſtinct. 17. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 1. in corpore*, quia ſicut de Realibus, ſic etiam de Moralibus philoſophatur, ut Theologicam Contritionem exponat, analogiam à reali unius lapidis, aut alius corporis phyſici contritione deſumit.

Quid ſit dolor?

Et, quia aſſerente Ariſtotele dolor corporeus eſt diviſio continui, dolor cordis erit cordis diviſio, ſive tritio.

An non peccandi propoſitum, & admiſſorum peccatorum dolor ab actu amoris diſtinguatur?

TERTIA. *Contritio eſt dolor deteſtans peccatum commiſſum ex motivo Charitatis (ex Amore Dei ſuper omnia) proveniens; cum non peccandi propoſito.* Impoſſibile eſt, ut quis ſeriò amet aliquem, & non doleat ſe illum offendiſſe, & impoſterum nunquam eum offendere ſtatuat. Amor & Odium, ut meus Hercules Logicus perſuaſit, non ſunt duo actus, ſed unicus: eodem enim actu, quo amo Petrum, deſidero ut omnia illi bene accidant, & deſidero quod nihil ipſi male accidat.

An odium & amor realiter ſint idem actus?

Ergo eodem actu, quo ego amo Deum, ut ſint omnia quæ ipſi ſunt grata, & ut non ſint quæ ipſi ſunt ingrata deſidero. Ergo peccata, Deo enim diſplicent, odio habeo, & à nemine committi deſidero. Et Contritio præter odium & deteſtationem peccati ut ſic: dolorem dicit de peccato commiſſo.

Odium-ne peccati, an dolorem dicat contritio formaliter?

Sed in utro conſiſtit formaliter? in dolore-ne, an in odio peccati? Perez *diſp. 3. de Pœnit. ſect. 2. num. 7.* formaliſſimam odij rationem in odio & deteſtatione conſiſtere. Requeſcenius *in 1. 2. S. Thomæ lib. 4. diſp. 37. ſect. 1. n. 5. pag. 617. b.* eandem formaliſſimam rationem in dolore conſtituit. Et Ego aſſentior Requeſenio; nam Contritio eſt tale odium, peccati, non enim omne peccati odium eſt Contritio, nam Deus, Angeli & Beati omnia peccata odio habent, deteſtantur, nec tamen habere contritionem dicuntur.

Sancti & Angeli odio habent & deteſtantur peccata, & tamen contritionem non habent.

Ergo ſiquidem Contritio eſt tale odium peccati, dicet pro materiali odium commune Angelis & Pœnitentibus: & pro formali dicet rationem illam, per quam conſtituitur in eſſe talis odij, & ab odio Angelorum & Beatorum, nam Pœnitentes peccata à nobis commiſſa ſpecialiter deteſtamur, & reſpectu utrorumque eſt dolor: nam tametſi Beati peccata à ſe commiſſa deteſtentur, non tamen eſt hæc deteſtatio cum dolore, angore, & animi afflictione conjuncta.

Qualis eſſe debeat attritio, quæ eſt ad Pœnitentiæ Sacramentum ſufficiens?

Et hinc patet non eſſe audiendos Vegam *in Tridentinum lib. 13. cap. 25.* & Perezium *diſp. 7. de Pœnit ſect. 1. num. 3.* aſſerentes, deteſtationem peccati commiſſi, cui ne concomitanter quidem adſit dolor, eſſe attritionem ad Pœnitentiæ Sacramentum ſufficientem. *Primò:* Quia non videtur poſſibile, ut quis deteſtetur infamiam, v. g. & ſe eſſe infamem ſciat, & ſe eſſe infamem non doleat. Ergo ſi Petrus deteſtatur peccatum ut graviſſimum malum, & ſe in peccato eſſe ſcit, ſe eſſe in tam miſero ſtatu neceſſariò dolebit. *Secundò:* Quia, ſi per impoſſibile peccata propria poſſet quis deteſtari & nullum dolorem habere, hæc ipſa deteſtatio vocari non poſſet *Attritio*, nam hæc, ſicut Contritio, dicit dolorem pro formali.

MMMIX.

An Contritio ſit actus conditionatus?

QVARTA. *Contritio eſt actus abſolutus & non conditionatus.* Ita Vaſquez *in 1. 2. diſp. 42. cap. 4. & diſp. 43. cap. 3. & tom. 1.* in 3. part. *diſp. 73. num. 6.* contra Suarium *diſp. 3. ſect. 3.* Coninck *diſp. 1. dub. 2.* & alios.

An actus voluntatis eſſe poſſint conditionati?

An actus ſenſuum?

Hanc habet opinionem Vaſquez, quia exiſtimat actum voluntatis non poſſe eſſe conditionatum: & probat paritate à ſenſibus externis deſumptâ: quia ſicut viſus & auditus non dicit *vidi, videbo, viderem*, aut *audivi, audiam, audirem*; ſed *video*, & *audio*: ſic nec voluntas dicit *volui, volam, vellem*, ſed *volo.*

Conditio, aut ſe tenet ex parte actûs aut ex parte objecti.

Ego autem DICO PRIMÒ, hos actus *volui, volam, vellem*, &c. non eſſe voluntatis; ſunt enim intellectûs, ut bene Vaſquez obſervavit. DICO SECVNDÒ conditionem bifariam poſſe ſumi: videlicet, ex parte actûs, & ex parte objecti. Ex parte actûs, ut ſi dicas, *Ego vellem dare Petro 100. aureos, ſi mereretur.* Ex parte objecti, *Ego volo Ioanni dare in uxorem meam ſororem, ſi ſit nobilis.* DICO TERTIÒ, illum actum, *Ego vellem*, eſſe intellectûs: hunc verò, *Ego volo*, &c. eſſe voluntatis, & tamen eſt conditionatus. Vaſquez ergo ut veram doctrinam probet, falſum fundamentum adſumit. Lugo *diſp. 25. de Incarnat. à num. 14.* ut actus voluntatis eſſe poſſe objectivè conditionatos ſuadeat, Vaſquezij fundamentum diruit hanc inter voluntatem & ſenſus externos (viſum, auditum, &c.) differentiam ponendo: quòd illi tendant in objectum ut eſt à parte rei, voluntas verò in objectum prout eſt propoſitum ab intellectu.

Senſus attingunt objecta ut ſunt in ſe, voluntas autem ut proponuntur ab intellectu.

Cùm autem objecta ſecundum ſe abſoluta, & non conditionata ſint, viſus, auditus, &c. objectum conditionatum non attingent:

Digitized by Google

attingent : & cùm conditiones inſenſibiles ſint , ſenſus eas corporei non percipient : cæterùm , quia intellectus , & poteſt objecta conditionata & ipſas conditiones proponere, etiam voluntas poterit objecta conditionata, & ipſaſmet conditiones pertingere. Objecta conditionata , ut in exemplo illo poſito , *Ego volo Ioanni.* &c. Ipſaſmet conditiones , ut ſiquis dicat , *Volo , ut in contractu talis aut talis inferatur conditio.*

MMM-X. *Quid ſit odiſſe?*

Sed obiicies. Odio habere aliquid , eſt nolle exiſtentiam illius rei , quæ odio habetur. Sed Contritio eſt odium peccati præteriti : Ergo Pœnitens contritus vult peccata quæ commiſit , non fuiſſe commiſſa , non fuiſſe præterita. At imprudentia , aut etiam ſtultitia eſt velle illa non fuiſſe , quæ fuerunt præterita, nam *Ad præteritum non eſt potentia.* Ergo Contritio non eſt odium peccati commiſſi.

An poſſimus velle rem non fuiſſe?

Requeſenius *in 1.2. lib.4. diſp. 37. ſect. 1. pag. 618. a. num.* 8. conatur Objectionem diluere , & ſic inquit. [Ajo voluntatem non velle conflatum præteritionis peccati cum negatione præteritionis, ſed negationem peccati præteriti ſecundum ſe poſſibilem, ſub hac tamen conditione impoſſibili : nimirùm *ſi eſſet poſſibilis in me potentia ad faciendum quod non præteriiſſet peccatum , quod abſolutè poterat non eſſe* ; quare hic actus deteſtationis eſt quidem efficax , non tamen abſolutus ſed conditionatus , utpotè non excludens abſolutè peccatum , ut præteritum , ſed ſolùm conditionatè , hoc eſt ex ſuppoſitione, quòd poſſit purificari ea conditio , ſeu poteſtas faciendi, quod non fuerit poſitum tale peccatum , ob quam rationem explicatur per verbum *nollem* , non verò per verbum *nolo* eo quia non eſt in meâ poteſtate facere , quòd non præceſſerit peccatum iam actu poſitum , ac præmiſſum in ſtatu abſoluto, ſub qua conditione ſupponitur à pœnitentiâ. Nec contradicit Axioma intelligendum , tum de potentiâ activâ , vel paſſivâ , vel etiam de potentiâ intentionali , quoad voluntatem abſolutam, quam ipſe pariter nego , non verò quoad efficacem , & conditionatam.] ſic Requeſenius.

An conditionatum ſit odium de peccato præterito?

Exponitur illud Axioma , Ad præteritum non eſt potentia.

MMM-XI. *An Deus habeat potentiam ad præteritum?*

Admittit illam Propoſitionem , *Ad præteritum non eſt potentia.* Requeſenius , quæ tametſi in Ariſtotele ſit falſa , in ipſo eſt vera: nam Ariſtoteles agit de Deo , ipſe de hominibus : & licèt Deo potentia ad præteritum concedi debeat , hominibus debet negari. Et in hoc Viri doctiſſimi paſſim adlucinantur. Addit objectum Contritionis non eſſe conflatum præteritionis peccati cum negatione præteritionis. Et quis de hoc dubitet ? nam ſunt duo termini contradictorij. Iubet actum Contritionis eſſe conditionatum formaliter, & aſſerit non eſſe *nolo* ; ſed *nollem* , ita ut totus ille actus ſit , *ſi eſſet poſſibilis in me potentia ad faciendum quod non præteriiſſet peccatum, quod præteriit, nollem illud præteriiſſe* : clariùs, *ſi eſſet poſſibilis in me potentia ad faciendum quod peccata , quæ commiſi , non fuiſſent commiſſa , vellem me nullum commiſiſſe.* At in paucis his verbis non paucas adlucinationes reperio. (1) Ad operandum non ſufficiunt potentiæ & virtutes poſſibiles ſed requiruntur exiſtentes. Sequentem Syllogiſmum conſidera. Dicit cæcus. *Si eſſet poſſibilis in me potentia viſiva , vellem videre. At nunc eſt poſſibilis. Ergo nunc volo videre.* Conſequentia eſt temeraria : nam temerarium eſt velle videre actu per potentiam viſivam poſſibilem. Ergo corrigo actum à Requeſenio propoſitum , & ſic inquam. *Si eſſet in me potentia ad faciendum quod peccata commiſſa non fuiſſent commiſſa, vellem me nullum commiſiſſe.* (2) Ille actus *vellem* , aut *nollem* non eſt voluntatis , ſed intellectus cognoſcentis , quid voluntas ſub illâ conditione impoſſibili faceret. At Requeſenius actum voluntatis erat expoſiturus : ergo tota hæc explicatio pertinet ad difficultatem præſentem. Probavi Maiorem paulo antè §. *Hanc habet.* Ex Vaſquezio , & modò illam firmo. In hoc temporis momento hos ego actus elicio. *Heri legi; Cras legam ; ſi haberem Virgilium , illum legerem ; Nudius tertius audivi ; Perendie audiam ; Si aliquis loqueretur , audirem : Volui ire Romam ; Volam ire Pariſios ; ſi non præpedirer negotiis , vellem ire Lovanium* , &c. & actus omnes iſti ſunt intellectûs, & nullus inter ipſos elicitur à voluntate : nam voluntas tantummodò dicit *Volo.* Ergo in actu contritionis dicit , *Volo non fuiſſe peccatum* . Sed inſtat Requeſenius *pag.* 618. num. 8. [ſtultitia & imprudentia quædam eſt velle , quod non fuerit peccatum, cùm ad præteritum non detur potentia.] Reſpondeo (1) hunc actum Requeſenium judicare poſſibilem : ſi enim impoſſibilem eſſe ſentiret , non eſſet cur eum ſtultum & imprudentem nominaret. Reſpondeo (2) actum , quo voluntas rem impoſſibilem amet , eſſe poſſibilem : & hunc eundem actum eſſe imprudentem , ſi ſit de impoſſibilitate cognitâ , & liberè circa illam verſetur. Cæterùm , ſi vel impoſſibilitas non cognoſcatur, vel actus ſit neceſſarius elicitur illæſâ prudentiâ. Et quia in actu contritionis in ſenſu compoſito eſt neceſſaria peccati deteſtatio, etſi cognoſcatur impoſſibilitas, non eſt, cur imprudentiæ accuſetur. Vt hanc doctrinam bene intelligas in contritionis actu *fieri, eſſe* , & *ineſſe* conſidera. Eſt mihi liberum hunc actum elicere aut non elicere : At ex ſuppoſitione quod eliceam , non eſt mihi liberum quòd non ſit ; & ex ſuppoſitione, quòd ſit , non eſt mihi liberum , quòd non inſit. Sit ſimiliter liberum eſt mihi amare Deum , aut non amare ſuper omnia. At ex ſuppoſitione , quòd amarem Deum ſuper omnia , & peccatorum recorder , neceſſario debeo illa deteſtari ; ita ut componi nequeat, aut peccatorum complacentia aut deteſtationis omiſſio cum actu Charitatis divinæ & peccatorum cognitione : nam , ſi Petro peccati cognitio non occurrat , illud expreſsè & formaliter non deteſtabitur , quia voluntas non fertur in incognitum.

An dolor de peccatis commiſſis ſit conditionatus?

Potentiæ poſſibiles non ſuffi it ad operandum.

Actus vellē, nollem intellectûs ſunt , non voluntatis.

Iſte actus. Volo non fuiſſe peccatum, *eſt poſſibilis?*

Ex actu libere poſſunt neceſſariò ſequi alij actus : & hi non erunt neceſſarij abſolutè, ſed in ſenſu compoſito.

MMM-XII. *Quid ſit* Sure *in Scholaſticâ Grammaticâ?*

Et Ego dico ſecundò *voluntatem in contritionis actu primario tendere per modum amoris in Deum : & ſecundariò in non fuiſſe, non eſſe , & non fore peccati :* vel ut Grammaticus Scholaſticus loquitur , *in non fure peccati.* Quia amat Deum ſuper omnia , & eodem actu odio habet omnia , quæ fuerint contra Deum ; nam Amor , Odiumque non ſunt

Digitized by Google

ſunt duo actus diſtincti, ſed unus actus. S. Thomas *in 2. diſt. 42. quaſt. 2. art. 1. in corp.* appoſitiſſimè. *Malum non habet eſſe, niſi ut privatio boni: ita non fugitur, niſi in quantum diligitur bonum: & ideò fuga mali reducitur ad deſiderium boni ſicuti in cauſam primam.* Odij & Amoris connexionem neceſſariam admittit: tu eam eſſe identitatem affirma. Hæc Humana Voluntas, quia vult peccatum *non eſſe*: actu non peccat, ſed actum Charitatis actu elicit. Quia vult illud *non fore*, quantum eſt ex ſe proponit illud impedire: adeoque habet propoſitum non peccandi, nec permittendi aliquem peccare, cui poſſit prudenter obſiſtere. Et quia vult peccatum *non fuiſſe*. Et hoc facere nequit, triſtatur, torquetur, affligitur.

Multi actus, qui videntur diverſi, in contritione identificantur.

Hinc patet, *Amare Deum ſuper omnia, Deteſtari peccata. Odio habere præterita, Habere de futuro non peccandi propoſitum,* &c. non eſſe plures actus diſtinctos realiter, ſed unicum realiter, à diverſis obiecti partibus diverſimodè denominatum.

Appretiatio ab intenſione in Contritione diſtinguitur.

QUINTA. *Contritio eſt ſumma peccati deteſtatio: ſumma videlicet appretiativè, non intenſivè*, nam de eſſentiâ contritionis eſt, ut amet non eſſe peccati ſuper omnia: Tunc enim Petrus elicit actum perfectæ contritionis, cùm ita odio habet peccatum, ut ſi ſibi omnia mundi bona darentur, ut unum mortale committeret; aut omnia mundi mala infligerentur, ſi non committeret; illud nihilominus non committeret. Quòd autem hoc odium magis aut minùs intenſum ſit, non eſt de eſſentiâ contritionis. Ita omnes Theologi: & clariùs Requeſenius *in 1. 2. lib. 4 diſp. 37. ſect. 1. pag. 619 b.* inquit enim [Intuitu huius majoris adhæſionis ac firmitatis rectè Coninch *diſp. 2. de virt. pœnit. dub. 7. num. 66.* intenſionem appellat *perfectionem accidentalem actûs, ab eo ſeparabilem, & variabilem*: appretiationem verò *perfectionem ſubſtantialem & invariabilem.*] Vt autem Concluſionem certam probet, valde incerta & improbabilia fundamenta aſſumit, inquit enim [Id ſatis comprobat pœnitentia Sanctorum: videlicet Paulæ, Sanctiſſimæ viduæ, quæ ut habet S. Hieronymus apud Becanum *cap. 35. quaſt. 2.* ſine culpâ doluit intenſiùs de morte filij, quàm de ſuis peccatis: tum Davidis, plus deflentis mortem Abſalonis, ac filij recens nati ex adulterio, quàm peccatum adulterij & homicidij ſaltem initio converſionis, in quâ ſolùm dixiſſe legimus, *Peccavi Domino.*] Et quis quæſo Requeſenio revelavit doctrinam, quam adſumit. Fortè Paula intenſiùs doluit de peccatis, quàm de morte filij: & plus etiam David de peccatis, quam de morte utriuſque filij. Nec oppoſitum ex illis verbis *Peccavi Domino* rectè colligitur; nam, ſi intenſiſſimum habuiſſet dolorem, etiam tunc dixiſſet *Peccavi.*

Prior debet eſſe ſumma, non poſterior.

An David, & Paula intenſius doluerint de morte filiorum, quàm de peccatis?

MMMXIII. DIGRESSIO. De Supernaturalitate. An in inten-

HIc communiter Theologi refellunt ſententiam Scoti, *in 4. diſt. 14. quaſt. 2. art. 2.* aſſerentis *determinatam intenſionem & durationem in actu contritionis requiri:* &c. ut video, illum minimè tangunt, ubi putant aut aſſerunt ſe victoriam indeptos. Et, ut hoc clarè videas, ſupponamus (nam Scotiſtæ differunt inter ſe) Philomuſum eſſe Sectatorem Scoti, & ad eius mentem, *ſupernaturalitatem eſſe intenſionem gradu octavo maiorem* ſtatuere, nam effectus ſupernaturalis eſt, qui vires naturæ ſuperat: & quia nullum agens naturale habet formam intenſiorem gradu octavo, nulla naturaliter poterit nonum gradum in ſubjectò producere. Vnde patet Supernaturale ad Naturale comparari, ut Novenarius ad inferiores numeros, hoc eſt, ut Excedens ad Exceſſum: quod expreſsè nos docet S. Thomas *3. contr. gent. cap. 54 in ſol ad. 1.* aſſerens, *Divinam ſubſtantiam non ſic eſſe extra facultatem intellectûs creati, quaſi aliquid omninò extraneum ab ipſo, ſicut eſt ſonus à viſu, vel ſubſtantia immaterialis à ſenſu: nam ipſa Divina ſubſtantia eſt primum intelligibile, & totius intellectualis cognitionis principium, ſed eſſe extra facultatem intellectûs creati, ſicut excedens virtutem eius: ſicut excellentia ſenſibilia (N.B.) ſunt extra facultatem ſenſuum.* At illa dicuntur excellentia propter exceſſum intenſionis: Ergo ideò Divina ſubſtantia extra intellectûs creati facultatem eſſe dicitur, quia per lumen intellectûs, etſi intendatur ut 8. videri non poteſt, ſed ſolùm videri poteſt à lumine intenſo ut 9. vel ut 10. &c. Et ad hunc intenſionis gradum illud naturaliter elevari non poteſt. Firmat hanc doctrinam Philomuſus adducens hoc experimentum. Stellas Firmamenti, quas per ſex claſſes diverſas diſtribuerunt Aſtronomi nudis oculis intueri poſſumus. At ſunt alii ſtellarum ordines, qui fugiunt nudos oculos, fortè, quia multò ſunt remotiores, & tamen eorum ſtellas oculis teleſcopio armatis intuemur. Et hæ, ut diſtinguantur ab aliis, ὑπέραςρα vocentur. Et hoc ipſum conſiderans & perpendens prædictus Philomuſus, ait *Eſt viſibile in potentiâ viſivâ dupliciter; Vno modo connaturaliter reſpectu eorum quæ connaturale acumen non excedunt; nempe eorum, quæ per connaturalem oculorum virtutem videre poteſt, Alio modo reſpectu eorum, quæ per nudam virtutem connaturalem videre non poteſt, ſed per virtutem ſuperadditam, quæ connaturalem elevet, intendat, & perficiat. Eſt enim Viſus noſter in potentiâ naturali reſpectu quorumdam viſibilium (puta, ſtellarum, quæ nudis oculis videri ſolent,)* &c. *Eſt autem impoſſibile, ut ὑπέραςρα videantur per hoc quod Viſus noſter connaturaliter reducatur in actum. Conſequitur igitur ὑπέραςρα videri per hoc quod potentia viſiva à ſublimiore agente (tubo optico) adjuta, acuatur, intendatur, & hoc modo reducatur ad actum.* Sic placuit Philomuſo, ad Scoti mentem, ut putabat, diſcurrere; modò videamus, an-ne lato ungue differat à S. Thoma, qui *Opuſ. 2. cap. 105.* ſic inquit. *Eſt aliquid in potentiâ dupliciter. Vno modo naturaliter reſpectu eorum, quæ per agens naturale reduci poſſunt in actum. Alio modo reſpectu eorum, quæ reduci non poſſunt in actum per agens naturale, ſed per aliud agens. Eſt enim intellectus noſter in potentia naturali reſpectu quorumdam intelligibilium, quæ ſcilicet reduci poſſunt in actum per intellectum agentem? qui eſt principium innatum nobis ut per ipſum efficiamur intelligentes actu. Eſt autem impoſſibile Vltimum*

ſione quæ vires naturæ ſuperet, ſit conſtituenda?

Quid ſit ſupernaturalitas? An in intenſione ſupernaturali conſiſtat? & quænam intenſio ſupernaturalis vocetur?

An Supernaturale ad Naturale ſe habebat, ſicut excedens ad exceſſum?

Cur ſubſtantia Divina inviſibilis ſit?

MMMXIV.

De Firmamenti ſtellis Alia videntur nudis oculis, & alia teleſcopio armatis.

De aſtris & hyperaſtris. Quomodo diſtinguantur inter ſe?

Hæc Philomuſi verba cum his, quæ ex D. Thomâ adducemus ſtatim conferantur.

De oculis nudis, & tubo optico armatis.

Agens dupliciter operatur: naturaliter, & ſupernaturaliter.

Quæ Mens humana naturaliter, &

Digitized by Google

quæ ſupernaturaliter intelligere poteſt.

Vltimum Finem conſequi per hoc quod intellectus noſter ſic reducatur in actu. Conſequitur igitur Vltimum Finem in hoc quod intellectus fiat in actu ab aliquo ſublimiore agente.

MMMXV.

An in inſtanti actuũ ſupernaturalitas acquiri poſſit?

Sic aſſerit, & ſic exponit Philomuſus conceptum ſupernaturalitatis, & affirmat illam, *ut vidimus in ſupernaturali intenſione conſiſtere: in tanta, quantam non poſſunt agentia naturalia producere.* Et poſteà ulteriùs progrediens docet, *nullam cauſam in primo inſtanti omnem intenſionem effectui ſuo communicare*: nam ignis in primo inſtanti non liquefacit ferrum aut alia metalla, ſed indiget tempore, ut paſſi calorem ad tantum aut tantum gradum intenſionis perducat. Et ſtatim inferet Philomuſus, *intellectus & voluntatis actus indigere tempore, ut ad nonum, decimum aut ſupernaturalem alium gradum intenſionis perveniant.* Hac ſententiâ, quam non approbo, poſitâ Scotus Philomuſi non tangitur ab Adverſariis. Nam Requeſenius, qui aliorum ratiocinia congeſſit, nil evincit.

Nulla in primo inſtanti cauſa effectui omnẽ ſuam intenſionem communicat.

Dolor, niſi gradũ octavum intenſionis ſuperet, non eſt contritio.

Argumentatur primò; quia quælibet intenſio ac duratio, etiam ſimultanea eſt ſufficiens, ut homo dicatur perfectè conteri in quantum excludit perfectè peccatum, convertens pleniſſimè hominem ad Deum cum totali averſione à bono creato. Ergo. Et negat antecedens Philomuſus; nam contradicit ſuæ Reſolutioni: dolor enim, qui non eſt intenſior gradu octavo, non eſt contritio.

Dolor, ut ad gradum contritionis perveniat tempus impendit: ſed cùm primum eſt côtritio gratiam conſequitur.

Argumentatur ſecundò *ex Iſaia 30.* dicente. *Ad vocem clamoris tui; ſtatim ut audieris reſpondebit.* Reſpondet, nihil dicere Iſaiam contra ſe Philomuſus: nomine enim *clamoris*, ut bene Adverſarij exponunt, actum contritionis intelligit: at non dicit quamcumque in hoc actu, ut ſit ſupernaturalis, intenſionem ſufficere: nec hunc ait actum motu inſtantaneo fieri; ſed poſt illum, quomodocumque factus fuerit, ſtatim Divinam reſponſionem accedere.

MMMXVI.

An nomine temporis debeamus intelligere inſtans?

Argumentatur tertiò *ex Ezechiele 33.* inquit enim, *In quacumque die ingemuerit peccator peccatum ſuum, non recordabor amplius*, & rurſus. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit.* Reſpondet Philomuſus hinc poſſe fieri argumentum contrarium, quia dies non eſt inſtans: & qui diem & non inſtans poſuit, actum contritionis, non in inſtanti fieri inſinuat. Requeſenius. [Tempus definitum pro indefinito (Propheta) uſurpat, perinde ac diceret *in quocumque inſtanti ac momento.*] Et quis non rideat. Quæritur, An actus fiat in tempore an in inſtanti. Propheta uſurpat tempus; & nomine temporis Requeſenius inſtans interpretatur.

In Deo nec menſura nec tempora ponenda ſunt.

Argumentatur quartò ex S. Leone, qui *Epiſt. 91.* ſcribit *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire: apud quem (Deum) nullas patitur veniæ moras converſio: dicente Dei Spiritu Per prophetam, Cùm converſus ingemueris, ſalvus eris.* & ſe non in Deo, ſed in homine, menſuras, tempora, & moras ponere aſſerit Philomuſus.

Argumentatur quintò, ex Chryſoſtomo, cujus verba *in cap. talis, de pœnit. diſtinct. 3.* referuntur: inquit enim. *Quantulamque & quamlibet brevi tempore non deſpiciet pœnitentiam.* Ergo non requiritur tempus determinatum. Reſpondet Philomuſus (1) ex hoc teſtimonio probari contritionem in actu inſtantaneo non conſiſtere. Reſpondet (2) ſe non petere tempus in quo actus contritionis duret; ſed tempus, ut dolor de peccatis ad perfectionem actûs ſupernaturalis perveniat: nam licèt longum interdum requiratur, ut dolor ad nonum gradum ſurgat; eo inſtanti, quo hunc gradum intenſionis adquirit, eſt perfecta contritio, & animam à peccatis emaculat.

Eo inſtanti, quo dolor fit côtritio, acquirit gratiam, & peccatum expellit.

Argumentatur ſextò *ex cap. ſi preſcribitur. 26. quæſt. 6.* ibi enim Iulius I. Summus Pontifex ait. *Dominus, non ſolùm temporis, ſed momenti inſpector eſt, ſicut latro unius momenti pœnitentiâ meruit eſſe in paradiſo.* Ecce tempus contraponit momento. Ergo momenti nomine inſtans & non tempus intelligit. Reſpondet Philomuſus (1) momentum eſſe breve tempus, non enim pœnitentia boni latronis fuit inſtantanea, etſi non fuerit longi temporis. Addit (2) etſi *momenti* nomine intelligatur *inſtans*, ſemper diſtinguendam eſſe durationem doloris naturalis & ſupernaturalis: nam debet amor durare tempore, ut ad nonum gradum intenſionis perveniat & ſit ſupernaturalis: at nonus intenſionis gradus in primo inſtanti durationis juſtificat.

An inſtantanea fuerit pœnitentia latronis?

Quid momenti nomine intelligatur?

MMMXVII.

Vt infundatur gratia ſola requiritur contritio, multa autẽ requiruntur, ut dolor ſit vera contritio.

Argumentatur ſeptimò. Scripturæ ſolùm exigunt ad veram pœnitentiam, ut ſit dolor ſuper omnia: At quævis contritio, quantumvis inſtantanea, ac minimæ intenſionis, eſt dolor ſuper omnia perfectiſſimè, anteponens Deum omni bono creato: Ergo quævis contritio, etſi inſtantanea, & minimæ intenſionis, ſufficit ad juſtificationem. Reſpondet Philomuſus concedendo Majorem: quoniam ad veram pœnitentiam ſufficit ut ſit dolor ſuper omnia: ut autem ſit ſuper omnia, nonum gradum intentionis requirit: & tempus poſtulat, ut ad nonum gradum intenſionis perveniat. Negat autem minorem, quia dolor intenſus ut 4. verb. grat. eſt naturalis: & niſi ſuperet octavum intenſionis gradum, non erit dolor ſupra omnes dolores naturales poſſibiles.

An etiam Fides, Spes, & charitas, ut ſint ſupernaturales determinatam intenſionem & tempus requirant?

Argumentatur octavo. Eodem modo præcipit Deus Contritionem, quo Fidem, Spem, & Charitatem. Sed in Fide, Spe, & Charitate nulla intenſio, & nullum tempus determinatè requiritur. Ergo nulla, & nullum in Contritione poſtulatur. Reſpondet Philomuſus concedendo majorem, & minorem negando: quoniam Fides, Spes, & Charitas infra nonum intenſionis gradum ſunt habitus & actus naturales; & tunc tantummodò naturam ſuperant, cùm ad nonum aut ulteriùs adſcendunt. Ex quibus infert, eum, qui in gradibus remiſſis credit, ſperat, amat, nec ſuper omnia credibilia (revelatas propoſitiones) credere; nec ſuper omnia ſperabilia beatitudinem promiſſam ſperare: nec ſuper omnia amabilia Deum amare.

Hæc

Digitized by Google

Quid tandè ſupernaturalitas verà ſit?

Hæc omnia dixerò, ut Philomuſi cognoſcatur ſententia; quam voca *opinationem*, ſi volueris: eam non admitto, ſed ajo, ſicut ſupra materialem eſt alius rerum ordo analogus, ſed realiter diſtinctus, videlicet ſpiritualis; qui *ſupernaturalis* dici poteſt; ſic ſimiliter ſupra ſpiritualem eſſe alium rerum ordinem nobiliorem, utrique analogum, qui *ſuperſpiritualis* dici poteſt, & hic eſt, qui *ſupernaturalis* vocatur. Et addo, ad hunc ſupernaturalium rerum ordinem actum contritionis ſpectare, & ſubjungo, voluntatem hominis naturalem, niſi auxilio ſupernaturali elevetur, non poſſe actùm contritionis elicere.

MMMXVIII. *Volũtas triplex: actualis, virtualis, & habitualis.*

SEXTA. *Contritio formalis & actualis eſt diſpoſitio ſufficiens & requiſita ad juſtificationem, ſeu peccatorum remiſſionem.* Vt Concluſionem intelligas in mentem revocare debes diſtinctionem, quæ in Actualem, Virtualem & Habitualem dividit Voluntatem. Nullus profectò fuit, qui aſſeruerit habitualem contritionem ad juſtificationem ſufficere: & ſolùm quæſtio moveri poteſt, de virtuali. Quia, ut multa validè fiant, dicunt Theologi virtualem voluntatem ſufficere, & licèt nulla res gravior quàm conſecratio in miſſâ, ſunt tamen omnes virtuali intentione contenti: ideò nonnulli, ut doctrinæ conſequentiam ſervarent, aſſeruerunt, contritionem virtualem ad juſtificationem ſufficere. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 4. *ſect.* 1. *num.* 13. hanc ſibi olim placuiſſe opinionem teſtatur. Illam alij cenſurâ gravi inurunt: & quia illam à cenſurâ vindicat Lugo *diſp.* 5. *de pœnit. ſect.* 1. *num.* 4. oportet ſcire aliud ipſum & aliud cæteros intelligere nomine voluntatis virtualis: unde tametſi hæc propoſitio, *Contritio virtualis ſufficit ad juſtificationem*, vera, aut probabilis ſit, ſi contritionis virtualis nomen eo accipiatur ſenſu, quo illud uſurpat Lugo, non ideò ſequitur eandem propoſitionem non eſſe improbabilem, & gravi cenſura inurendam, ſi nomen juxta communem acceptionem ſumatur. Imò audeream dicere, virtualem contritionem, qualem vulgò admittunt, impoſſibilem eſſe: &, ſi poſſibilis diceretur, ad juſtificationem non ſufficere. Attende.

Virtualis ad conſecrationem ſufficit.

An Contritio virtualis ad juſtificationem ſufficiat?

An Voluntas virtualis, qualem vulgò definiunt, ſit poſſibilis?

MMMXIX. *Quomodo Voluntas actualis ab habituali & virtuali diſtinguatur?*

Voluntatem actualem à virtuali diſtinguit Requeſenius *in* 1. 2. *libr.* 2. *diſput.* 13. *ſection.* 3 *pag.* 314. *a. num* 25. dicens. [Reſtat explicandum Voluntarium Virtuale & Formale. Hoc dicitur actus in ſe ipſo phyſicè durans, illud eſt idem Actus non in ſe exiſtens, ſed virtualiter perſeverans. Verùm gravis difficultas eſt in explicando, quidnam requiratur, ut voluntas formalis, quæ phyſicè præceſſit, & non exiſtit, dicatur virtualiter exiſtere, eo vel maximè quod non ſufficit ad hanc virtualem perſeverantiam carentia retractationis, ſiquidem hæc facit actum habitualiter non virtualiter permanentem, uti requiritur ad meritum ac demeritum. Ergo ex hac doctrina contritio formalis erit, quæ actu exiſtit: habitualis, quæ exiſtit, & non fuit retractata: ſed quid Virtualis? quæ non exiſtit actu, ſed manet in effectu. Sed, in quo effectu? Porrò, ſi hoc modo debeat virtualis explicari contritio, dicetur nunc virtualis, quæ priùs erat formalis. Ergo, quando fuit actualis, juſtificavit animam: & modò quando non eſt, nihil facit. Cæterùm, ſi fuiſſe actu, & poſteà hominem mortaliter peccaviſſe dicamus, illa jam nec erit virtualis, nec habitualis, quoniam per peccatum retractata & receſa, non habet cur pergat ulteriùs.

Contritio virtualis non eſt, quã fuit ſubſequutũ peccatum.

Quid ſit Contritio virtualis opinione Lugonis?

Dixi in opinione Lugi non eſſe abſonam illam ſententiam, quæ erat contenta contritione virtuali: quia hæc in ejus opinione eſt actus Charitatis, actu exiſtens, ſed tam remiſſus, ut non in ſe, ſed in effectu percipiatur. Vnde, ſi eſt contritio verè exiſtens, ipſa animam juſtificabit.

Contritio & Dilectio ſũt unus actus.

Nos contritionem à dilectione non diſtinguimus. quia eodem actu, quo amo Petrum, volo ipſi omnia bona quæ poteſt habere: &, quia carere malis etiam bonum eſt, volo non eſſe mala, quæ illi nocerent: & hoc eſt odio habere mala. Qui autem Amorem & Contritionem diſtinguunt, varias opiniones ſectantur. Aliqui apud Lugonem contritioni ſine dilectione deberi juſtificationem, non autem dilectioni ſine contritione. Sed quomodo habebit contritionem qui dilectione careat? quomodo deteſtabitur peccatum propter Deum ſummè dilectum, qui Deum non diligit? Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 4. *ſect.* 2. & *diſput.* 9. *ſection.* 1. & *libr.* 8. *de gratiâ, capit.* 20. vult contritionem ad dilectionem requiri, excepto caſu inculpabilis oblivionis, qui enim nullius peccati recordaretur, & tamen actum charitatis eliceret, etſi non doleret de peccatis, nihilominùs juſtificaretur. Valentia *in* 1. 2. *quæſtion.* 3. *punct.* 2. cui adhæret Lugo, exiſtimat, alterutram (contritionem, aut dilectionem) ſufficere, quia perfectio unius in aliâ continetur æquivalenter aut virtualiter. Ergo facilius eſſet dicere, unum alteri identificari.

An, & quã do ſine dolore peccatorum poſſit aliquis juſtificari?

An ſit poſſibilis caſus in quo peccator convertatur ad Deum, & nullius peccati in particulari recordetur?

Impoſſibile eſt, ut actu quis conteratur, quin actu Deum diligat ſuper omnia: at interrogas, An amare Deum poſſit, quin conteratur? Reſpondeo actum charitatis primariò Deum ſuper omnia amare, ſecundariò omnia quæ ad maiorem gloriam Dei conducunt inter quæ non eſſe peccata numerantur. Si occurrant aliqua peccata in particulari: & ſi tantùm occurrant in communi, illa deteſtabitur in communi. At peccatori, qui convertitur ad Deum, ſemper peccata, & à ſe commiſſa, ſi non omnia, ſaltem aliqua, ſemper occurrunt in particulari.

MMMXX. *An poſt cõtritionem gratia immediatè ſequatur?*

SEPTIMA. *Cùm primùm elicitur actus contritionis, infunditur gratia.* Ita omnes, excepto Franciſco Sylvio, Doctore Duaceno, qui *in quæſtion.* 5. *Supplem. S. Thomæ, artic.* 1. docet contritionem habere adnexam remiſſionem peccatorum; non tamen ſtatim, ſed ante mortem, modò non ponatur obex novi peccati. Hanc Sylvij ſententiam inquit Vaſquez *tom.* 2. in

in 3. part. diſput. 152. num. 3. eſſe contra doctrinam omnium Catholicorum: & ideò erroneam illam vocat Coninch. *tom. 1. de Sacram. quæſt. 68. art. 2. dub. 3.* cui Requeſenius *in 1. 2. libr. 4. diſp. 37. ſect. 5. pag. 632. b.* adhæret.

An omnia Sacramenta debeant recipi in gratia?

An omnibus debeat Confeſſio præmitti?

Vi hujus ſeptimæ Concluſionis tametſi omnia Sacramenta debeant recipi in gratia, non jubent Theologi, ut ante ſingula, ſi Euchariſtiam excipias, quis confiteatur; ſed dicunt, aut debere ritè confiteri, aut actum perfectæ contritionis elicere. Ergo ſupponunt, gratiam ſtatim per contritionem infundi: nam per gratiam, quam ante mortem recipiet, non diſponitur homo, ut hic & nunc matrimonium, aut aliud Sacramentum recipiat. Et agendo etiam de Euchariſtiâ *ſeſſ. 13. cap. 7.* Sacerdoti permittit Tridentinum, ut urgente neceſſitate, ſi habere non poſſit Confeſſarium, eliciat actum contritionis & celebret. At non poteſt permittere, ut celebret in peccato mortali. Ergo ſciebant Patres ſtatim gratiam per actum contritionis acquiri.

MMMXXI. *Quæſtiones examinandæ proponuntur.*

RESOLVAMVS alias minùs neceſſarias Quæſtiones, quarum deciſio conducere poſſit ad ornatum. SIT PIMA. *An Contritio inferat gratiam moraliter, an realiter ex naturâ rei.* SECVNDA, *An actus perfectæ contritionis ab habitu Charitatis proveniat?* Quod eſt quærere, *An ultima diſpoſitio procedat à formâ ſubſtantiali?*

Quanta, & qualis ſit inter contritionem & gratiã ſubſequentem connexio?

RESPONDEO ad primam, utramque eſſe opinionem probabilem, Plerique enim Scotiſtæ, quos ſequuntur Ripalda *lib. 6. diſput. ult. ſect. 34.* Perez *diſput. 8. de pœnit. ſect. 2. num. 5.* & alij inter contritionem & gratiæ infuſionem nullam neceſſitatem ortam ex rei natura admittunt: concedunt tamen connexionem infallibilem, inſiſtentem promiſſioni Divinæ, nam *Deuter. capit. 4.* dicitur, *Cùm quæſieris Deum tuum, invenies eum, ſi ex toto corde quæſieris eum,* & in Prophetis, & Evangelio, &c. ſimiles paſſim promiſſiones leguntur. Oppoſita ſententia eſt omnium Thomiſtarum, necnon Sforziæ Pallavicini *lib. 7. de virtut. panit. capit. 21. à numer. 224.* & aliorum, qui inter contritionem & gratiam ponunt connexionem ex naturâ rei, & aſſerunt contritionem reſpectu juſtificantis gratiæ eſſe diſpoſitionem phyſicam.

An actus contritionis ab habitu Charitatis proveniat?

RESPONDEO ad ſecundum, vix audiri extra D. Thomæ pædiam provenire ultimam diſpoſitionem à formâ; & ideò PP. Franciſcani & Ieſuitæ paſſim negant à juſtificantis gratiæ habitu actum contritionis procedere. Ita Requeſenius *in 1. 2. libr. 4. diſput. 37. ſect. 6. pagin. 635. à numer. 75.* qui Albertinum, Coninch, Lugonem, Suarium, Ericem, Oviedum, Hurtadum, & alios adlegat. Vnde ergo Authores hi actum contritionis provenire aſſeverant? Sunt duæ ſententiæ: prior admittit elevationem voluntatis intrinſecam, extrinſecam verò poſterior.

MMMXXII. *An voluntas elevata intrinſecè eliciat contritionis actum?*

Illam habent Valentia *tom. 1. diſput. 1. quæſtion. 12. punct. 3. §. Nec tamen eſt*, Nazarius & Lorca apud Hurtadum *in 2. 2. diſput. 126. ſect. 1. §. 3.* Lugo *diſp. 17. de Fide, ſect. 4. num. 76.* & alij. Et hi Theologi aſſerunt eſſe duo genera qualitatum, aliæ enim ſunt permanentes & aliæ tranſeuntes, quam diſtinctionem alij ad ſubſtantiam extendunt; dicentes in generatione hominis embryoni animam vegetativam & poſtreà ſenſitivam, & tandem rationalem infundi: illaſque eſſe viales (ſic loquuntur) & ſolam ultimam eſſe permanentem. Ex hoc ipſi fundamento inferunt, actum contritionis fieri per auxilium inhærens ex naturâ ſuâ fluens, ac durans pro inſtanti aut tempore, quo actus efficitur. Et hanc doctrinam ad omnes actus ſupernaturales extendunt, unde Cardinalis *loc. cit.* ait. [Auxilia actualia, quæ Chriſtus communicat Hæreticis, ad credendum, vel omnibus fidelibus peccatoribus ad amandum, aut eliciendum aliquem actum ſupernaturalem alicujus Virtutis, præſtire idem, quod præſtat habitus Fidei, ſi exiſteret; & efficere Hæreticum potentem credere in inſtanti in quo infunditur, ſicuti ſi habitum ipſum retineret.

Anima ſeu formæ viales, quæ ſint?

Qualitates fluentes, & non permanentes an dentur?

An voluntas elevetur extrinſecè?

Poſteriorem ſententiam habet Hurtadus *in 2. 2. diſp. 127. §. 1.* Suarez *lib. 3. de auxiliis, cap. 4. num. 14.* & *tom. 2. de gratiâ lib. 3. cap 1. num. 12* & *libr. 5. cap 18. & 19.* Maratius *diſp. 4. de gratia, ſect. 2.* & Requeſenius *in 1. 2. lib. 4. diſp. 37. ſect. 7. pag. 643 b.* qui hanc ſententiam ex Hurtado adtribuit S. Thomæ *in 3. part. quæſt. 85. art. 6.* & Cajetano *ibid.* aſſerentibus actum pœnitentiæ produci abſque habitu pœnitentiæ infuſæ. At hinc inferre non poſſunt quæ prætendunt: non enim dicit, S. Doctor actum pœnitentiæ abſque habitu & diſpoſitione pœnitentiæ produci. Vnde, cùm inter habitum intrinſecum & auxilium extrinſecum detur medium, videlicet diſpoſitio intrinſeca, ſive auxilium inhærens per modum tranſeuntis infuſum, non erit bona conſequentia, *Non fit per habitum inhærentem, ergo per auxilium extrinſecum.* Amplectitur poſteriorem hanc opinionem *diſp. 6. de Incarn. n. 49.* Cardinalis de Lugo, tametſi in Tractatu *de Fide*, ut paulo antè vidimus, auxilia eſſe formas intrinſecas confeſſus ſit. Vt extrinſeca auxilia intelligas dabit equus opportunum exemplum, qui ſolus tormentum bellicum trahere nequit: & tamen illud trahet, ſi aliorum auxilium accedat: & tamen hæc omnia auxilia primo equo ſunt extrinſeca.

Quid ſentiat S. Thom.

Equum reſpectu alterius equi, ut trahant tormentum, eſt auxilium extrinſecũ.

MMMXXIII. *An ultima diſpoſitio proveniat à formâ?*

Et veniendo ad Angelici Doctoris ſcholam, dicendum eſt univerſim ultimam diſpoſitionem à ſubſtantiali formâ, & in particulari contritionem ab habitu Charitatis procedere. Ita communiter Thomiſtæ, quos Vaſquez *in 1. 2. diſp. 121.* Valentia *diſp. 8. quæſt. 3. punct. 4. §. 2.* & alii non pauci ſequuntur. Fateor hanc eſſe opinionem difficilem, & eſſe obſcura, quæ de mutuâ cauſalitate dicuntur, interim ſummâ cum facilitate defendetur, ſi in compoſito inter potentiam & actum duplicem unionem ponamus. Charitas enim bifariam poteſt conſiderari: & ut à Deo provenit, & ut à voluntate ſuſcipitur. Infuſa niſi liberè recipiatur, nec permanet, nec juſtificat. Vnde, ſi infunditur in inſtanti A. in inſtanti A. unietur, & elevabit voluntatem

An duæ requirantur uniones, ut duo extrema uniantur?

tem

Digitized by Google

An debeat in Charitate infuſio & receptio diſtingui.

tem ut poſſit ſupernaturaliter operari. Si voluntas non operetur in inſtanti A. Charitas illa non erit habitus permanens, ſed diſpoſitio tranſiens. Cæterùm, ſi voluntas operetur in inſtanti A eliciet actum Charitatis aut Contritionis in inſtanti A. Hic eſt ultima diſpoſitio, quâ poſitâ voluntas recipit Charitatem in inſtanti illo A: quia cauſa realis, niſi obſit aliquid extrinſecum, habet vires ex naturâ rei, ut in inſtanti in quo eſt, poſſit operari.

Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis gratiæ infuſio, eſt autem volentis gratiæ ſuſceptio.

Infuſionem gratiæ hic dicendi modus ab ipſâ receptione diſtinguit. Sed & Auguſtinus *lib. de ſpirit. Et liter. cap.* 34. ſimiliter diſtinguit; inquit enim. *Miſericordia Dei prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab eâ diſſentire, noſtræ voluntatis eſt.* Adde Anſelmum, qui *in cap. 6. Matth.* ſic inſit. *In Paulo videtur cogens Dei voluntas, ſed non eſt; quia licèt ſit percuſſus, tamen voluntate erat liberâ, ut reſiſteret, ſi vellet* Et iterum *ibid.* illud *Fiat voluntas tua.* dilucidans. Docet aliquando contingere, ut Deus per miſericordiam velit de aliquo pravo, quod ſit juſtus, & conferat illi gratiam; & tamen quia (non eſt idem conferri à Deo, & ab homine recipi) ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat. Millena poſſem teſtimonia producere, ſed ſatis erit unum adhuc aut alterum ex Concilio Trid. proponere. *ſeſſ. can.* 4. ſic definit. *ſiquis dixerit liberum hominis arbitrium.... Deo excitanti atque vocanti....non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit*: & poſteà *cap.* 5 ſic inquit. *Tangente Deo cor hominis per Spiritus-Sancti illuminationem* (tangit cum gratiam infundit, quæ per unionem, quæ in ipſâ eſt, ad voluntatem terminatur) *homo inſpirationem illam recipiens* (non recipere poteſt: & receptam) *abiicere poteſt.* In hac contritione Flaminis Baptiſmus ſitus eſt. S. Thomas *in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 3. quæſt. 2. in argum. ſed contra.* ſic ratiocinatur. *Salus hominis cùm ſit de maximis bonis, non poteſt homini invito auferri: ſed in poteſtate hominis eſt, impedire alium ne baptizetur baptiſmo aquæ. Ergo ſine baptiſmo aquæ per ſolam fidem & contritionem poteſt eſſe ſalvus.* Et hæc fides & contritio, quæ æquivalet baptiſmo aquæ, eſt quæ *Flaminis Baptiſmus* nominatur.

Quid ſit Baptiſmus flaminis?

MMMXXIV. De adultis baptizatis, qui actualia peccata commiſerunt poſſumus ſimiliter ratiocinari. *Salus hominis, cùm ſit de maximis bonis, non poteſt homini invito auferri, ſed in poteſtate hominis eſt impedire alium, ne habeat Confeſſarium, ad cuius pedes provolutus conſcientiam ſuam expiet. Ergo ſine Confeſſione vocali, per ſolam fidem & contritionem, poteſt eſſe ſalvus.* Et tunc contritio, quæ Sacramento Pœnitentiæ æquivalet, *Pœnitentia Virtus*, ſeu *Pœnitentia Flaminis* vocari poterit. An etiam *Baptiſmus*? Sanè in vocum acceptione impropriâ maxima eſt latitudō, & viam ſimilitudo & analogia intrinſeca aut extrinſeca aperit, ut exſurgat metaphorica denominatio. Et, ſi ſolennis profeſſio à multis *Baptiſmus alter* nominatur, cur non etiam actus perfectæ contritionis *Baptiſmus Flaminis* vocari poterit? ſunt enim multi loci in Sacrâ paginâ in quibus pœnitentia & actualium peccatorum emaculatio, ablutio ſeu baptiſmus dicitur, metaphorâ deſumptâ ab aquis. Aliquas ſubſcribamus.

Quæ ſit confeſſio flaminis?

Eſt magna latitudo in metaphoris.

An Pœnitētia quæ actualia peccata delet, poſſit Baptiſmus nominari?

> *Et convertit me ad portam domûs, & ecce aquæ egrediebantur ſubter limen domûs ad orientem.*

Ezech. 47.

> *Et ſanabuntur, & vivent omnia, ad quæ venerit torrens.*

Ibid.

> *Lavi te aquâ, & emundavi ſanguinem tuum ex te.*

Ezech. 16.

> *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris, & ab Idolis veſtris mundabo vos.*

Ibid. 36.

Ecce agit de Idololatriâ, & aliis peccatis actualibus.

> *Omnis anima vivens, quæ ſerpit, quocumque venerit torrens, vivet.*

Ibid. 47.

> *Fons egredietur de domo Domini, & irrigabit torrentem ſpinarum.*

Ioël 3.

> *Erit fons patens domui David, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatorũ & menſtruatæ.*

Zach. 13.

Baptizabantur ab eo (Ioanne) *in Iordane, confitentes peccata ſua.* Matth 3. At illi erant circumciſi: ergo de ſolâ actualium peccatorum ablutione agebatur: unde ait. *Ego baptizo vos aquâ in pœnitentiam.* &c. ibid.

De vocibus, ſi de re conſtet, non eſt diſputandum.

> *Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & mari.*

1. Corinth. 10.

Agit de filiis Iſraël, hominibus jam circumciſis.

Cùm igitur rem bene intelligamus, & latiſſimè excurrant metaphoræ, non inſtituam tecum λογομαχίαν, ſed permittam ut etiam in Baptizatis Contritionem voces *Flaminis Baptiſmum*, ſi volueris.

ARTICVLVS II.

De Baptiſmo Sanguinis.

Quid ſit Martyriũ?

MMMXXV. Martyrium Græca vox, eſt: nam Μαρτύριον *teſtimonium* ſignificat, & Μάρτυρ *teſtem.* Et hodie *Martyrij* nomine intelligitur mors ob odium Fidei, aut eorum, quæ ad Fidem reducuntur, illata, & voluntariè ſuſcepta: & aſſerimus hanc habere

 privilegia

Non regenerabantur] ſic inquit. *Non regenerabantur vel renaſcebantur baptiſmo Ioannis, ſed quodam præcurſorio illius miniſterio, qui dicebat*, Parate viam Domino Chriſto, *in quo ſolo renaſci poterant, qui parabantur. Huius enim baptiſma eſt, non in aquâ tantùm, ut fuit Ioannis, verùm etiam in Spiritu-Sancto, ut de illo regeneraretur. Qui regenerationem non cognovit*, (nempe D.N.Ieſus-Chriſtus) *in aquâ baptizari voluit, non, ut eius iniquitas dilueretur, ſed humanitas commendaretur. Ita baptiſma in eo nihil habuit, quod ablueret, ſicut mors nihil invênit, quod puniret.*

Cur Chriſtus fuerit baptizatus?

An ne bonus latro Sanguinis baptiſmum ſuſceperit?

An-ne huc pertinere debebit boni latronis juſtificatio? Negat S.Cyprianus, qui eum ſanguinis baptiſmo emaculatum fuiſſe affirmat. *Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem*, ait Auguſtinus, *de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt*, Hodie mecum eris in paradiſo, *B.Cyprianus non leve documentum adſumpſit. Quod etiam atque etiam conſiderans invenio non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti id, quod in Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere: ſed & fidem confeſſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Neque etiam latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum, Neque, quia credidit, paſſus eſt, ſed dum pateretur, credidit. Quantum itaque valeat, etiam ſine viſibili Sacramento baptiſmi, quod ait Apoſtolus*, Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *in illo latrone declaratum eſt.* Ita Auguſtinus *lib. 4. de unic. baptiſm.* [& habetur *de conſecr. diſt. 4. c. baptiſmi.* [Ecce primò, tametſi baptiſmus ſanguinis ad juſtificationem ſufficiat, non hoc benè probat Cyprianus, boni latronis paſſionem in exemplum adducens, quoniam hic, non ſanguinis, ſed flaminis baptiſmo ablutus eſt: licèt enim ſanguinem fuderit, non illum pro Chriſto, ſed, ut ſua crimina expiarentur, profudit. Quod autem ipſe flaminis baptiſmum ſubierit, patet, quia credidit, quia ſperavit; dixit enim, *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*: : patet quia ſua ſcelera confitebatur & execrabatur increpans alterum latronem & dicens, *Neque times tu Deum; quod in eâdem damnatione es. Et nos quidem juſtè; digna enim eorum, quæ fecimus, recipimus: hic verò nihil mali egit.* Vnde meruit audire, *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.* Ecce ſecundò, Baptiſmus Flaminis non habet hodie locum, ubi Baptiſmus Fluminis haberi poteſt: hoc enim important illa verba, *ſi fortè ad celebrandum*, &c. Cùm autem realiter haberi non poteſt, haberi in voto dicitur; quia, ſi poſſet ſuſcipi, ſuſciperetur.

An baptiſmus Sanguinis ſufficiat ad ſalutem æternam?

An, ut Baptiſmus Flaminis juſtificet debeat includere Fluminis Baptiſmum in voto?

Lucæ 23. 41.42.

Vt igitur doctrinam de baptiſmo flaminis intelligamus Concluſiones nonnullas ſubiiciemus. Sit ergo.

MMMVI.

An Baptiſmus flaminis imprimat characterem?

PRIMA. *Baptiſmus flaminis non imprimit characterem.* Corollarium *Ergo poterit pluries iterari.* Aliter. *Ergo poſſunt homines flamine rebaptizari.* Demonſtratur Concluſio: quia ille in Fidei, Spei, & Charitatis actibus conſiſtit: qui pluries effici poſſunt & debent. Primum ad Iuſtificationem actum eſſe Fidei, *quo credit peccator Deum poſſe iuſtificare ſe per gratiam*, & ſecundum ſpei, *quo ſperat talem ſe gratiam mediante peccatorum deteſtatione & dolore conſequuturum eſſe*, nos docet Tridentinum Concilium *ſeſſ. 6. c. 6. & ſeſſ. 14. cap. 4.* Spem concomitatur Timor, ex eiſdem enim fundamentis procedit; qui enim ex Fide ſcit, eſſe veram illam Athanaſij doctrinam, *Omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem: &, qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum.* Debet ignem æternum neceſſariò timêre, vitam æternam ſperare. Et tametſi ob retributionis ſpem multi cum Rege Prophetâ Pſalm. 118. dicant, *Inclinavimus cor ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*, eſt tam corrupta natura voluntatis humanæ, ut plures terrore regantur, & cum Iſaiâ dicant, *A timore tuo Domine concepimus, & quaſi parturivimus, ac peperimus ſpiritum ſalutis.*

Ordo actuū in iuſtificatione.

An potiùs timore homines, quàm ſpe & amore regantur?

Caini infidelitas & deſperatio.

MMMVII.

Ex timore ſervili ad filialem adſcenditur.

Præter hos actus, quos nemo negare poterit, alios intervenire certum eſt: nam S. Thomas 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 5. ſex enumerat; quos in gratiam tanti Doctoris recenſebo. *Primus* eſt actus Fidei: non enim juſtificari poterit, qui decredit Deum pœnitenti à placari, unde longè aberat à conſequendâ veniâ Cainus dicens *Maior eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, vel ut ex Hebræo alij transferunt, *Maius eſt peccare meum, quàm tuum parcere*, hoc eſt, *Maior eſt mea culpa, quàm tua miſericordia. Secundus* actus Timoris ſervilis, orti ex debito pœnæ æternæ, quo homo movetur ad procurandam ſalutem. *Tertius* eſt actus Spei, quo, medii à peccatorum deteſtatione & pœnitentiâ, à Deo ſperat indulgentiam & veniam. *Quartus* eſt actus contritionis ex motivo Charitatis. *Quintus* eſt actus Timoris filialis, quo pœnitens poſt receptionem gratiæ propter reverentiam Deo debitam omnia peccata deteſtatur, & vitæ prioris emendationem proponit, efficaciterque intendit non offendere eum, à quo in filium miſericorditer eſt adoptatus. Et *Sextus* eſt gaudium de veniâ obtentâ. Circa ſecundum actum qui Timoris eſt, notare oportet, mihi non videri ſervilem, quia tribus modis poteſt peccator ex timore procedere: primò, ſi dicat, *Ego propter timorem, quem mihi æternæ inferni pœnæ incutiunt, abſtinebo à peccatis, illa autem, ſi non eſſet infernus, committerem*: ſecundò, ſi dicat, *Ego ob inferni timorem ab omni peccato abſtinebo.* Et tamen non cogitet, quid faceret, ſi inferni ſupplicia non eſſent: tertiò, ſi dicat, *Ego, tametſi nolim eſſe meæ ſalutis prodigus, nec velim in æternum perire, nihilominus ſi Deus nullas peccatoribus pœnas infligeret, adhuc ipſum amarem, adhuc ipſi ſummâ devotione obedirem.* Primus actus eſt Timoris ſervilis, & quia eſt peccaminoſus, non poteſt animam ad juſtificationem diſponere. Ergo de illo non loquitur Angelicus Doctor. Secundus eſt Timoris filialis imperfecti, qui vocatur *Attritio*: quem conſulit S. Benedictus ſuis Monachis: ait enim. *Præparanda ſunt corda & corpora noſtra ſanctæ præceptorum obedientiæ militatura: & quod minus habet in nobis natura*

Trifariam poſſumus timere Deū. Timor ſervilis.

Attritio.

Contritio.

S. Benedictus in Reg. trol.

Digitized by Google

N. B. Lutherani & Calviniſtæ, quos ſequitur Cornelius Ianſenius, quando Attritionem damnant, illam cum ſervili timore confundunt.

natura poſſibile, rogemus Dominum, ut gratiæ ſuæ iubeat nobis adiutorium miniſtrari. Et, ſi fugientes gehennæ pœnas ad vitam perpetuam volumus pervenire, dum adhuc vacat & in hoc corpore ſumus, & hæc omnia per hanc lucis uſuram poſſumus implere currendum & agendum eſt modò, quod in perpetuum nobis expediat. Ecce fugere velle gehennæ pœnas? inter adjutorium Dei, & vitam perpetuam Sanctus Pater conſtituit, ut ſciamus illam voluntatem eſſe bonam, & Deum in illâ cooperari & concurrere, & per illam diſponi Animam, ut per perfectam Charitatem & Gratiam ad æternam perveniat. Tertius actus eſt Timoris filialis perfecti, qui vocatur *Contritio.*

MMMVIII.
Amor in perfectum & imperfectum dividitur.
S. Benedictus in Reg. cap. 5.

Timori perfecto & imperfecto duplex etiam Amor (perfectus & imperfectus) correſpondet: quos his paucis verbis S. Benedictus proponit. *Primus Humilitatis gradus eſt Obedientia ſine mora. Hæc convenit his, qui nihil ſibi Chriſto charius aliquid exiſtimant: propter ſervitium ſanctum, quod profeſſi ſunt, ſeu proper metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ.* &c. Sanè illi, qui nihil charius habent Chriſto, Deum amant ſuper omnia: imperfectè, ſi propter timorem gehennæ, aut ſpem vitæ æternæ: perfectè, ſi nullius præmij conſequendi, aut ſupplicij fugiendi intuitu, ſed propter ſervitium Sanctum, quod profeſſi ſunt,

Cur homo contritus dicatur?

SECVNDA. *Dicitur* Homo contritus, *quaſi* Homo cor (ſecundum cor) *tritus*, &c. S. Thomas *in 4. diſtinct. 17. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 1. in corpore*, quia ſicut de Realibus, ſic etiam de Moralibus philoſophatur, ut Theologicam Contritionem exponat, analogiam à reali unius lapidis, aut alius corporis phyſici contritione deſumit.

Quid ſit dolor?

Et, quia aſſerente Ariſtotele dolor corporeus eſt diviſio continui, dolor cordis erit cordis diviſio, ſive tritio.

An non peccandi propoſitum, & admiſſorum peccatorum dolor ab actu amoris diſtinguatur?

TERTIA. *Contritio eſt dolor deteſtans peccatum commiſſum ex motivo Charitatis (ex Amore Dei ſuper omnia) proveniens, cum non peccandi propoſito.* Impoſſibile eſt, ut quis ſeriò amet aliquem, & non doleat ſe illum offendiſſe, & impoſterum nunquam eum offendere ſtatuat. Amor & Odium, ut meus Hercules Logicus perſuaſit, non ſunt duo actus, ſed unicus: eodem enim actu, quo amo Petrum, deſidero ut omnia illi bene accidant, & deſidero quod nihil ipſi male accidat. Ergo eodem actu, quo ego amo Deum, ut ſint omnia quæ ipſi ſunt grata, & ut non ſint quæ ipſi ſunt ingrata deſidero. Ergo peccata, Deo enim diſplicent, odio habeo, & à nemine committi deſidero. Et Contritio præter odium & deteſtationem peccati ut ſic: dolorem dicit de peccato commiſſo.

An odium & amor realiter ſint idem actus?

Odium-ne peccati, an dolorem dicat contritio formaliter?

Sed in utro conſiſtit formaliter? in doloreneꝰ an in odio peccati? Perez *diſp. 3. de Pœnit. sect. 2. num. 7.* formaliſſimam odij rationem in odio & deteſtatione conſiſtere. Requeſenius *in 1. 2. S. Thomæ lib. 4. diſp. 37. sect. 1. n. 5. pag. 617. b.* eandem formaliſſimam rationem in dolore conſtituit. Et Ego aſſentior Requeſenio; nam Contritio eſt tale odium, peccati, non enim omne peccati odium eſt Contritio, nam Deus, Angeli & Beati omnia peccata odio habent, deteſtantur, nec tamen habere contritionem dicuntur. Ergo ſiquidem Contritio eſt tale odium peccati, dicet pro materiali odium commune Angelis & Pœnitentibus: & pro formali dicet rationem illam, per quam conſtituitur in eſſe talis odij, & ab odio Angelorum & Beatorum, nam Pœnitentes peccata à nobis commiſſa specialiter deteſtamur, & reſpectu utrorumque eſt dolor: nam tametſi Beati peccata à ſe commiſſa deteſtentur, non tamen eſt hæc deteſtatio cum dolore, angore, & animi afflictione conjuncta.

Sancti & Angeli odio habent & deteſtantur peccata, & tamen contritionem non habent.

Et hinc patet non eſſe audiendos Vegam *in Tridentinum lib. 13. cap. 25.* & Perezium *diſp. 7. de Pœnit sect. 1. num. 3.* aſſerentes, deteſtationem peccati commiſſi, cui ne concomitanter quidem adſit dolor, eſſe attritionem ad Pœnitentiæ Sacramentum ſufficientem.

Qualis eſſe debeat attritio, quæ eſt ad Pœnitentiæ Sacramentum ſufficiens?

Primò: Quia non videtur poſſibile, ut quis deteſtetur infamiam, v. g. & ſe eſſe infamem ſciat, & ſe eſſe infamem non doleat. Ergo, ſi Petrus deteſtatur peccatum ut graviſſimum malum, & ſe in peccato eſſe ſcit, ſe eſſe in tam miſero ſtatu neceſſariò dolebit. *Secundò*: Quia, ſi per impoſſibile peccata propria poſſet quis deteſtari & nullum dolorem habere, hæc ipſa deteſtatio vocari non poſſet *Attritio*, nam hæc, ſicut Contritio, dicit dolorem pro formali.

MMMIX.
An Contritio ſit actus conditionatus?

QVARTA. *Contritio eſt actus abſolutus & non conditionatus.* Ita Vaſquez *in 1. 2. diſp. 42. cap. 4. & diſp. 43. cap. 3. & tom. 1.* in 3. part. *diſp. 73. num. 6.* contra Suarium *diſp. 5. sect. 3.* Coninck *diſp. 1. dub. 2.* & alios.

An actus voluntatis eſſe poſſint conditionati?

An actus ſenſuum?

Hanc habet opinionem Vaſquez, quia exiſtimat actum voluntatis non poſſe eſſe conditionatum: & probat paritate à ſenſibus externis deſumptâ: quia ſicut viſus & auditus non dicit *vidi, videbo, viderem*, aut *audivi, audiam, audirem*; ſed *video*, & *audio*: ſic nec voluntas dicit *volui, volam, vellem*, ſed *volo*.

Conditio, aut ſe tenet ex parte actûs aut ex parte objecti.

Ego autem DICO PRIMÒ, hos actus *volui, volam, vellem*, &c. non eſſe voluntatis; ſunt enim intellectûs, ut bene Vaſquez obſervavit. DICO SECVNDÒ conditionem bifariam poſſe ſumi: videlicet, ex parte actûs, & ex parte objecti. Ex parte actûs, ut ſi dicas, *Ego vellem dare Petro* 100. *aureos, ſi mereretur.* Ex parte objecti, *Ego volo Ioanni dare in uxorem meam ſororem, ſi ſit nobilis.* DICO TERTIÒ, illum actum, *Ego vellem*, eſſe intellectûs: hunc verò, *Ego volo*, &c. eſſe voluntatis, & tamen eſt conditionatus. Vaſquez ergo ut veram doctrinam probet, falſum fundamentum adſumit. Lugo *diſp. 25. de Incarnat. à num. 14.* ut actus voluntatis eſſe poſſe objectivè conditionatos ſuadeat, Vaſquezij fundamentum diruit hanc inter voluntatem & ſenſus externos (viſum, auditum, &c.) differentiam ponendo: quòd illi tendant in objectum ut eſt à parte rei, voluntas verò in objectum prout eſt propoſitum ab intellectu. Cùm autem objecta ſecundum ſe abſoluta, & non conditionata ſint, viſus, auditus, &c. objectum conditionatum non attingent;

Senſus attingunt objecta ut ſunt in ſe, voluntas autem ut proponuntur ab intellectu.

Digitized by Google

attingent: & cùm conditiones inſenſibiles ſint, ſenſus eas corporei non percipient: cæterùm, quia intellectus, & poteſt objecta conditionata & ipſas conditiones proponere, etiam voluntas poterit objecta conditionata, & ipſaſmet conditiones pertingere. Objecta conditionata, ut in exemplo illo poſito, *Ego volo Ioanni.* &c. Ipſaſmet conditiones, ut ſiquis dicat, *Volo, ut in contractu talis aut talis inſeratur conditio.*

MMM-X.

Quid ſit odiſſe?

Sed obiicies. Odio habere aliquid, eſt nolle exiſtentiam illius rei, quæ odio habetur. Sed Contritio eſt odium peccati præteriti: Ergo Pœnitens contritus vult peccata quæ commiſit, non fuiſſe commiſſa, non fuiſſe præterita. At imprudentia, aut etiam ſtultitia eſt velle illa non fuiſſe, quæ fuerunt præterita, nam *Ad præteritum non eſt potentia.* Ergo Contritio non eſt odium peccati commiſſi.

An poſſimus velle rem non fuiſſe?

Requeſenius *in 1.2. lib.4. diſp. 37. ſect. 1. pag. 618. a. num.* 8. conatur Objectionem diluere, & ſic inquit. [Ajo voluntatem non velle conflatum præteritionis peccati cum negatione præteritionis, ſed negationem peccati præteriti ſecundum ſe poſſibilem, ſub hac tamen conditione impoſſibili: nimirùm *ſi eſſet poſſibilis in me potentia ad faciendum quod non præteriiſſet peccatum, quod abſolutè poterat non eſſe*; quare hic actus deteſtationis eſt quidem efficax, non tamen abſolutus ſed conditionatus, utpotè non excludens abſolutè peccatum, ut præteritum, ſed ſolùm conditionatè, hoc eſt ex ſuppoſitione, quòd poſſit purificari ea conditio, ſeu poteſtas faciendi, quod non fuerit poſitum tale peccatum, ob quam rationem explicatur per verbum *nollem*, non verò per verbum *nolo* eo quia non eſt in meâ poteſtate facere, quòd non præceſſerit peccatum iam actu poſitum, ac præiuſum in ſtatu abſoluto, ſub qua conditione ſupponitur à pœnitentiâ. Nec contradicit Axioma intelligendum, tum de potentiâ activâ, vel paſſivâ, vel etiam de potentiâ intentionali, quoad voluntatem abſolutam, quam ipſe pariter nego, non verò quoad efficacem, & conditionatam.] ſic Requeſenius.

An conditionatum ſit odium de peccato præterito?

Exponitur illud Axioma, Ad præteritum non eſt potentia.

MMM-XI.

An Deus habeat potentiam ad præteritum?

Admittit illam Propoſitionem, *Ad præteritum non eſt potentia.* Requeſenius, quæ tametſi in Ariſtotele ſit falſa, in ipſo eſt vera: nam Ariſtoteles agit de Deo, ipſe de hominibus: & licèt Deo potentia ad præteritum concedi debeat, hominibus debet negari. Et in hoc Viri doctiſſimi paſſim adlucinantur. Addit objectum Contritionis non eſſe conflatum præteritionis peccati cum negatione præteritionis. Et quis de hoc dubitet? nam ſunt duo termini contradictorij. Iubet actum Contritionis eſſe conditionatum formaliter, & aſſerit non eſſe *nolo*; ſed *nollem*, ita ut totus ille actus ſit, *ſi eſſet poſſibilis in me potentia ad faciendum quod non præteriiſſet peccatum, quod præteriit, nollem illud præteriiſſe*: clariùs, *ſi eſſet poſſibilis in me potentia ad faciendum quod peccata, quæ commiſi, non fuiſſent commiſſa, vellem me nullum commiſiſſe.* At in paucis his verbis non paucas adlucinationes reperio. (1) Ad operandum non ſufficiunt potentiæ & virtutes poſſibiles ſed requiruntur exiſtentes. Sequentem Syllogiſmum conſidera. Dicit cæcus. *Si eſſet poſſibilis in me potentia viſiva, vellem videre. At nunc eſt poſſibilis. Ergo nunc volo videre.* Conſequentia eſt temeraria: nam temerarium eſt velle videre actu per potentiam viſivam poſſibilem. Ergo corrigo actum à Requeſenio propoſitum, & ſic inquam. *Si eſſet in me potentia ad faciendum quod peccata commiſſa non fuiſſent commiſſa, vellem me nullum commiſiſſe.* (2) Ille actus *vellem*, aut *nollem* non eſt voluntatis, ſed intellectus cognoſcentis, quid voluntas ſub illâ conditione impoſſibili faceret. At Requeſenius actum voluntatis erat expoſiturus: ergo tota hæc explicatio pertinet ad difficultatem præſentem. Probavi Maiorem paulo antè §. *Hanc habet.* Ex Vaſquezio, & modò illam firmo. In hoc temporis momento hos ego actus elicio. *Heri legi; Cras legam; ſi haberem Virgilium, illum legerem; Nudius tertius audivi; Perindie audiam; Si aliquis loqueretur, audirem: Volui ire Romam; Volam ire Pariſios; ſi non præpedirer negotiis, vellem ire Lovanium*, &c. & actus omnes iſti ſunt intellectûs, & nullus inter ipſos elicitur à voluntate: nam voluntas tantummodò dicit *Volo.* Ergo in actu contritionis dicit, *Volo non fuiſſe peccatum.* Sed inſtat Requeſenius *pag.* 618. num. 8. [ſtultitia & imprudentia quædam eſt velle, quod non fuerit peccatum, cùm ad præteritum non detur potentia.] Reſpondeo (1) hunc actum Requeſenium judicare poſſibilem: ſi enim impoſſibilem eſſe ſentiret, non eſſet cur eum ſtultum & imprudentem nominaret. Reſpondeo (2) actum, quo voluntas rem impoſſibilem amet, eſſe poſſibilem: & hunc eundem actum eſſe imprudentem, ſi ſit de impoſſibilitate cognitâ, & liberè circa illam verſetur. Cæterùm, ſi vel impoſſibilitas non cognoſcatur, vel actus ſit neceſſarius elicitur illæſâ prudentiâ. Et quia in actu contritionis in ſenſu compoſito eſt neceſſaria peccati deteſtatio, etſi cognoſcatur impoſſibilitas, non eſt, cur imprudentiæ accuſetur. Vt hanc doctrinam bene intelligas in contritionis actu *fieri, eſſe*, & *ineſſe* conſidera. Eſt mihi liberum hunc actum elicere aut non elicere: At ex ſuppoſitione quod eliceam, non eſt mihi liberum quòd non ſit; & ex ſuppoſitione, quòd ſit, non eſt mihi liberum, quòd non inſit. Sit ſimiliter liberum eſt mihi amare Deum, aut non amare ſuper omnia. At ex ſuppoſitione, quòd amarem Deum ſuper omnia, & peccatorum recorder, neceſſario debeo illa deteſtari: ita ut componi nequeat, aut peccatorum complacentia aut deteſtationis omiſſio cum actu Charitatis divinæ & peccatorum cognitione: nam, ſi Petro peccati cognitio non occurrat, illud expreſsè & formaliter non deteſtabitur, qua voluntas non fertur in incognitum.

An dolor de peccatis commiſſis ſit conditionatus?

Potentiæ poſſibiles non ſuſſiciunt ad operandum.

Actus vellem, nollem intellectûs ſunt, non voluntatis.

Iſte actus, Volo non fuiſſe peccatum, *eſt poſſibilis?*

Ex actu liberè poſſunt neceſſariò ſequi aliqui actus: & hi non erunt neceſſarij abſolutè, ſed in ſenſu compoſito.

MMM-XII.

Quid ſit Sive *in Scholaſticâ Grammaticâ?*

Et Ego dico ſecundò *voluntatem in contritionis actu primariò tendere per modum amoris in Deum: & ſecundariò in non fuiſſe, non eſſe, & non fore peccati*: vel ut Grammaticus Scholaſticus loquitur, *in non ſive peccati.* Quia amat Deum ſuper omnia, & eodem actu odio habet omnia, quæ fuerint contra Deum: nam Amor, Odiumque non ſunt

ſunt duo actus diſtincti, ſed unus actus. S. Thomas *in 2. diſt. 42. quæſt. 2. art. 1. in corp.* appoſitiſſimè. *Malum non habet eſſe, niſi ut privatio boni: ita non fugitur, niſi in quantum diligitur bonum: & ideò fuga mali reducitur ad deſiderium boni ſicuti in cauſam primam.* Odij & Amoris connexionem neceſſariam admittit: tu eam eſſe idemtitatem affirma. Hæc Humana Voluntas, quia vult peccatum *non eſſe*: actu non peccat, ſed actum Charitatis actu elicit. Quia vult illud *non fore*, quantum eſt ex ſe proponit illud impedire: adeoque habet propoſitum non peccandi, nec permittendi aliquem peccare, cui poſſit prudenter obſiſtere. Et quia vult peccatum *non fuiſſe*. Et hoc facere nequit, triſtatur, torquetur, affligitur.

Multi actus, qui videntur diverſi, in cõtritione idẽtificantur.

Hinc patet, *Amare Deum ſuper omnia, Deteſtari peccata. Odio habere præterita, Habere de futuro non peccandi propoſitum,* &c. non eſſe plures actus diſtinctos realiter, ſed unicum realiter, à diverſis obiecti partibus diverſimodè denominatum.

Appretiatio ab intenſione in Cõtritione diſtinguitur.

QVINTA. *Contritio eſt ſumma peccati deteſtatio: ſumma videlicet appretiativè, non intenſivè*, nam de eſſentiâ contritionis eſt, ut amet non eſſe peccati ſuper omnia: Tunc enim Petrus elicit actum perfectæ contritionis, cùm ita odio habet peccatum, ut ſi ſibi omnia mundi bona darentur, ut unum mortale committeret; aut omnia mundi mala infligerentur, ſi non committeret; illud nihilominus non committeret. Quòd autem hoc odium magis aut minùs intenſum ſit, non eſt de eſſentia contritionis. Ita omnes Theologi: & clariùs Requeſenius *in 1. 2. lib. 4. diſp. 37. ſect. 1. pag. 619 b.* inquit enim [Intuitu huius majoris adhæſionis ac firmitatis rectè Coninch *diſp. 2. de virt. pænit. dub. 7. num. 66.* intenſionem appellat *perfectionem accidentalem actûs, ab eo ſeparabilem, & variabilem*: appretiationem verò *perfectionem ſubſtantialem & invariabilem*] Vt autem Concluſionem certam probet, valde incerta & improbabilia fundamenta aſſumit, inquit enim [Id ſatis comprobat pœnitentia Sanctorum: videlicet Paulæ, Sanctiſſimæ viduæ, quæ ut habet S. Hieronymus apud Becanum *cap. 35. quæſt. 2.* ſine culpâ doluit intenſiùs de morte filij, quàm de ſuis peccatis: tum Davidis, plus deflentis mortem Abſalonis, ac filij recens nati ex adulterio, quàm peccatum adulterij & homicidij ſaltem initio converſionis, in quâ ſolùm dixiſſe legimus, *Peccavi Domino.*] Et quis quæſo Requeſenio revelavit doctrinam, quam adſumit. Fortè Paula intenſiùs doluit de peccatis, quàm de morte filij: & plus etiam David de peccatis, quam de morte utriuſque filij. Nec oppoſitum ex illis verbis *Peccavi Domino* rectè colligitur; nam, ſi intenſiſſimum habuiſſet dolorem, etiam tunc dixiſſet *Peccavi.*

Prior debet eſſe ſumma, non poſterior.

An David, & Paula intenſiùs doluerint de morte filiorum, quàm de peccatis?

MMMXIII. DIGRESSIO. De Supernaturalitate. An in intenſione quæ vires naturæ ſuperet, ſit conſtituenda?

HIc communiter Theologi refellunt ſententiam Scoti, *in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 2.* aſſerentis *determinatam intenſionem & durationem in actu contritionis requiri*: &, ut video, illum minimè tangunt, ubi putant aut aſſerunt ſe victoriam indeptos. Et, ut hoc clarè videas, ſupponamus (nam Scotiſtæ differunt inter ſe) Philomuſum eſſe Sectatorem Scoti, & ad eius mentem, *ſupernaturalitatem eſſe intenſionem gradu octavo maiorem* ſtatuere, nam effectus ſupernaturalis eſt, qui vires naturæ ſuperat: & quia nullum agens naturale habet formam intenſiorem gradu octavo, nulla naturaliter poterit nonum gradum in ſubjectò producere. Vnde patet Supernaturale ad Naturale comparari, ut Novenarius ad inferiores numeros, hoc eſt, ut Excedens ad Exceſſum: quod expreſsè nos docet S. Thomas *3. contr. gent. cap. 54 in ſol. ad. 1.* aſſerens, *Divinam ſubſtantiam non ſic eſſe extra facultatem intellectûs creati, quaſi aliquid omninò extraneum ab ipſo, ſicut eſt ſonus à viſu, vel ſubſtantia immaterialis à ſenſu: nam ipſa Divina ſubſtantia eſt primum intelligibile, & totius intellectualis cognitionis principium, ſed eſſe extra facultatem intellectûs creati, ſicut excedens virtutem eius: ſicut excellentia ſenſibilia* (N.B.) *ſunt extra facultatem ſenſuum.* At illa dicuntur excellentia propter exceſſum intenſionis: Ergo ideò Divina ſubſtantia extra intellectûs creati facultatem eſſe dicitur, quia per lumen intellectûs, etſi intendatur ut 8. videri non poteſt, ſed ſolùm videri poteſt à lumine intenſo ut 9. vel ut 10. &c. Et ad hunc intenſionis gradum illud naturaliter elevari non poteſt. Firmat hanc doctrinam Philomuſus adducens hoc experimentum. Stellas Firmamenti, quas per ſex claſſes diverſas diſtribuerunt Aſtronomi nudis oculis intueri poſſumus. At ſunt alii ſtellarum ordines, qui fugiunt nudos oculos, fortè, quia multò ſunt remotiores, & tamen eorum ſtellas oculis teleſcopio armatis intuemur. Et hæ, ut diſtinguantur ab aliis, ὑπέραστρα vocentur. Et hoc ipſum conſiderans & perpendens prædictus Philomuſus, ait *Eſt viſibile in potentiâ viſivâ dupliciter; Vno modo connaturaliter reſpectu eorum quæ connaturale acumen non excedunt; nempe eorum, quæ per connaturalem oculorum virtutem videre poteſt, Alio modo reſpectu eorum, quæ per nudam virtutem connaturalem videre non poteſt, ſed per virtutem ſuperadditam, quæ connaturalem elevet, intendat, & perficiat. Eſt enim Viſus noſter in potentiâ naturali reſpectu quorumdam viſibilium (puta, ſtellarum, quæ nudis oculis videri ſolent.)* &c. *Eſt autem impoſſibile, ut ὑπέραστρα videantur per hoc quod Viſus noſter connaturaliter reducatur in actum. Conſequitur igitur ὑπέραστρα videri per hoc quod potentia viſiva à ſublimiore agente (tubo optico) adjuta, acuatur, intendatur, & hoc modo reducatur ad actum.* Sic placuit Philomuſo, ad Scoti mentem, ut putabat, diſcurrere; modò videamus, an-ne lato ungue differat à S. Thoma, qui *Opuſ. 2. cap. 103.* ſic inquit. *Eſt aliquid in potentiâ dupliciter. Vno modo naturaliter reſpectu eorum, quæ per agens naturale reduci poſſunt in actum. Alio modo reſpectu eorum, quæ reduci non poſſunt in actum per agens naturale, ſed per aliud agens. Eſt enim intellectus noſter in potentia naturali reſpectu quorumdam intelligibilium, quæ ſcilicet reduci poſſunt in actum per intellectum agentem? qui eſt principium innatum nobis ut per ipſum efficiamur intelligentes actu. Eſt autem impoſſibile*

Quid ſit ſupernaturalitas?

An in intẽſione ſupernaturali cõſiſtat? & quænam intenſio ſupernaturalis vocetur?

An Supernaturale ad Naturale ſe habebat, ſicut excedens ad exceſſum?

Cur ſubſtantia Divina invifibilis ſit?

MMMXIV. *De Firmamenti ſtellis Alia videntur nudis oculis, & alia teleſcopio armatis.*

De aſtris & hyperaſtris. Quomodo diſtinguantur inter ſe?

Hæc Philomuſi verba cum his, quæ ex D. Thomâ adducemus ſtatim conferantur.

De oculis nudis, & tubo optico armatis.

Agens dupliciter operatur: naturaliter, & ſupernaturaliter.

Quæ Mens humana naturaliter, &

qua ſupernaturaliter intelligere poteſt.

Vltimum Finem conſequi per hoc quod intellectus noſter ſic reducatur in actu. Conſequitur igitur Vltimum Finem in hoc quod intellectus fiat in actu ab aliquo ſublimiore agente.

MMMXV.

An in inſtanti actuũ ſupernaturalitas acquiri poſſit?

Nulla in primo inſtanti cauſa effectui omnẽ ſuam intenſionem communicat

Sic aſſerit, & ſic exponit Philomuſus conceptum ſupernaturalitatis, & affirmat *illam, ut videmus in ſupernaturali intenſione conſiſtere: in tanta, quantam non poſſunt agentia naturalia producere.* Et poſteà ulteriùs progrediens docet, *nullam cauſam in primo inſtanti omnem intenſionem effectui ſuo communicare*: nam ignis in primo inſtanti non liquefacit ferrum aut alia metalla, ſed indiget tempore, ut paſſi calorem ad tantum aut tantum gradum intenſionis perducat. Et ſtatim infert Philomuſus, *intellectûs & voluntatis actus indigere tempore, ut ad nonum, decimum aut ſupernaturalem alium gradum intenſionis perveniant.* Hac ſententiâ, quam non approbo, poſitâ Scotus Philomuſi non tangitur ab Adverſariis. Nam Requeſenius, qui aliorum ratiocinia congeſſit, nîl evincit.

Dolor, niſi gradũ octavum intenſionis ſuperet, non eſt contritio.

Argumentatur primò; quia quælibet intenſio ac duratio, etiam ſimultanea eſt ſufficiens, ut homo dicatur perfectè conteri in quantum excludit perfectè peccatum, convertens pleniſſimè hominem ad Deum cum totali averſione à bono creato. Ergo. Et negat antecedens Philomuſus; nam contradicit ſuæ Reſolutioni: dolor enim, qui non eſt intenſior gradu octavo, non eſt contritio.

Dolor, ut ad gradum cõtritionis perveniat tempus impendit: ſed cùm primùm eſt cõtritio gratiam conſequitur.

Argumentatur ſecundò *ex Iſaia* 30. dicente. *Ad vocem clamoris tui; ſtatim ut audierit reſpondebit.* Reſpondet, nihil dicere Iſaiam contra ſe Philomuſus: nomine enim *clamoris*, ut bene Adverſarij exponunt, actum contritionis intelligit: at non dicit quamcumque in hoc actu, ut ſit ſupernaturalis, intenſionem ſufficere: nec hunc ait actum motu inſtantaneo fieri; ſed poſt illum, quomodocumque factus fuerit, ſtatim Divinam reſponſionem accedere.

MMMXVI.

An nomine tẽporis debeamus intelligere inſtans?

Argumentatur tertiò *ex Ezechiele* 33. inquit enim, *In quacumque die ingemuerit peccator peccatum ſuum, non recordabor amplius*, & rurſus. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit.* Reſpondet Philomuſus hinc poſſe fieri argumentum contrarium, quia dies non eſt inſtans: & qui diem & non inſtans poſuit, actum contritionis, non in inſtanti fieri inſinuat. Requeſenius. [Tempus definitum pro indefinito (Propheta) uſurpat, perinde ac diceret *in quocumque inſtanti ac momento.*] Et quis non rideat. Quæritur, An actus fiat in tempore an in inſtanti. Propheta uſurpat tempus; & nomine temporis Requeſenius inſtans interpretatur.

In Deo nec menſura nec tempora ponenda ſunt.

Argumentatur quartò ex S. Leone, qui *Epiſt.*91. ſcribit. *Miſericordia Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire: apud quem (Deum) nullas patitur veniæ moras converſio: dicente Dei Spiritu Per prophetam, Cùm converſus ingemueris, ſalvus eris.* & ſe non in Deo, ſed in homine, menſuras, tempora, & moras ponere aſſerit Philomuſus.

Eo inſtanti, quo dolor fit cõtritio, acquirit gratiam, & peccatum expellit.

Argumentatur quintò, ex Chryſoſtomo, cujus verba *in cap. talis, de pœnit. diſtinct.* 3. referuntur: inquit enim. *Quantulamque & quamlibet brevi tempore non deſpiciet pœnitentiam.* Ergo non requiritur tempus determinatum. Reſpondet Philomuſus (1) ex hoc teſtimonio probari contritionem in actu inſtantaneo non conſiſtere. Reſpondet (2) ſe non petere tempus in quo actus contritionis duret; ſed tempus, ut dolor de peccatis ad perfectionem actûs ſupernaturalis perveniat: nam licèt longum interdum requiratur, ut dolor ad nonum gradum ſurgat; eo inſtanti, quo hunc gradum intenſionis adquirit, eſt perfecta contritio, & animam à peccatis emaculat.

An inſtantanea fuerit pœnitentia latronis?

Argumentatur ſextò *ex cap. ſi praſcribitur.* 26. *quæſt.* 6. ibi enim Iulius I. Summus Pontifex ait. *Dominus, non ſolùm temporis, ſed momenti inſpector eſt, ſicut latro unius momenti pœnitentiâ meruit eſſe in paradiſo.* Ecce tempus contraponit momento. Ergo momenti nomine inſtans & non tempus intelligit. Reſpondet Philomuſus (1) momentum eſſe breve tempus, non enim pœnitentia boni latronis fuit inſtantanea, etſi non fuerit longi temporis. Addit (2) etſi *momenti* nomine intelligatur *inſtans*, ſemper diſtinguendam eſſe durationem doloris naturalis & ſupernaturalis: nam debet amor durare tempore, ut ad nonum gradum intenſionis perveniat & ſit ſupernaturalis: at nonus intenſionis gradus in primo inſtanti durationis juſtificat.

Quid momento nomine intelligatur?

MMMXVII.

Vt infundatur gratia ſola requiritur contritio, multa autẽ requiruntur, ut dolor ſit vera contritio.

Argumentatur ſeptimò. Scripturæ ſolùm exigunt ad veram pœnitentiam, ut ſit dolor ſuper omnia: At quævis contritio, quantumvis inſtantanea, ac minimæ intenſionis, eſt dolor ſuper omnia perfectiſſimè, anteponens Deum omni bono creato: Ergo quævis contritio, etſi inſtantanea, & minimæ intenſionis, ſufficit ad juſtificationem. Reſpondet Philomuſus concedendo Majorem: quoniam ad veram pœnitentiam ſufficit ut ſit dolor ſuper omnia: ut autem ſit ſuper omnia, nonum gradum intentionis requirit: & tempus poſtulat, ut ad nonum gradum intenſionis perveniat. Negat autem minorem, quia dolor intenſus ut 4. verb.grat. eſt naturalis: & niſi ſuperet octavum intenſionis gradum, non erit dolor ſupra omnes dolores naturales poſſibiles.

An etiam Fides, Spes, & charitas, ut ſint ſupernaturales determinatam intenſionem & tempus requirant?

Argumentatur octavo. Eodem modo præcipit Deus Contritionem, quo Fidem, Spem, & Charitatem. Sed in Fide, Spe, & Charitate nulla intenſio, & nullum tempus determinatè requiritur. Ergo nulla, & nullum in Contritione poſtulatur. Reſpondet Philomuſus concedendo majorem, & minorem negando: quoniam Fides, Spes, & Charitas infra nonum intenſionis gradum ſunt habitus & actus naturales; & tunc tantummodò naturam ſuperant, cùm ad nonum aut ulteriùs adſcendunt. Ex quibus infert, eum, qui in gradibus remiſſis credit, ſperat, amat, nec ſuper omnia credibilia (revelatas propoſitiones) credere; nec ſuper omnia ſperabilia beatitudinem promiſſam ſperare: nec ſuper omnia amabilia Deum amare.

Hæc

Digitized by Google

Quid tandè ſupernaturalitas reverà ſit?

Hæc omnia dixerò, ut Philomuſi cognoſcatur ſententia; quam voca *opinationem*, ſi volueris: eam non admitto, ſed ajo, ſicut ſupra materialem eſt alius rerum ordo analogus, ſed realiter diſtinctus, videlicet ſpiritualis; qui *ſupernaturalis* dici poteſt; ſic ſimiliter ſupra ſpiritualem eſſe alium rerum ordinem nobiliorem utrique analogum, qui *ſuperſpiritualis* dici poteſt, & hic eſt, qui *ſupernaturalis* vocatur. Et addo, ad hunc ſupernaturalium rerum ordinem actum contritionis ſpectare, & ſubjungo, voluntatem hominis naturalem, niſi auxilio ſupernaturali elevetur, non poſſe actum contritionis elicere.

MMM-XVIII. *Volũtas triplex: actualis, virtualis, & habitualis.*

SEXTA. *Contritio formalis & actualis eſt diſpoſitio ſufficiens & requiſita ad juſtificationem, ſeu peccatorum remiſſionem.* Vt Concluſionem intelligas in mentem revocare debes diſtinctionem, quæ in Actualem, Virtualem & Habitualem dividit Voluntatem. Nullus profectò fuit, qui aſſeruerit habitualem contritionem ad juſtificationem ſufficere: & ſolùm quæſtio moveri poteſt, de virtuali. Quia, ut multa validè fiant, dicunt Theologi virtualem voluntatem ſufficere, & licèt nulla res gravior quàm conſecratio in miſſâ, ſunt tamen omnes virtuali intentione contenti: ideò nonnulli, ut doctrinæ conſequentiam ſervarent, aſſeruerunt, contritionem virtualem ad juſtificationem ſufficere. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 4. ſect. 2. num. 13.* hanc ſibi olim placuiſſe opinionem teſtatur. Illam alij cenſurâ gravi inurunt: & quia illam à cenſurâ vindicat Lugo *diſp. 5. de pœnit. ſect. 1. num. 4.* oportet ſcire aliud ipſum & aliud cæteros intelligere nomine voluntatis virtualis: unde tametſi hæc propoſitio, *Contritio virtualis ſufficit ad juſtificationem*, vera, aut probabilis ſit, ſi contritionis virtualis nomen eo accipiatur ſenſu, quo illud uſurpat Lugo, non ideò ſequitur eandem propoſitionem non eſſe improbabilem, & gravi cenſura inurendam, ſi nomen juxta communem acceptionem ſumatur. Imò auderem dicere, virtualem contritionem, qualem vulgò admittunt, impoſſibilem eſſe: &, ſi poſſibilis diceretur, ad juſtificationem non ſufficere. Attende.

Virtualis ad conſecrationem ſufficit.

An Contritio virtualis ad juſtificationem ſufficiat?

An Voluntas virtualis, qualem vulgò definiunt, ſit poſſibilis?

MMM-XIX. *Quomodo Voluntas actualis ab habituali & virtuali diſtinguatur?*

Voluntatem actualem à virtuali diſtinguit Requeſenius *in 1. 2. libr. 2. diſput. 13. ſection. 3 pag. 114. a. num 25.* dicens. [Reſtat explicandum Voluntarium Virtuale & Formale. Hoc dicitur actus in ſe ipſo phyſicè durans, illud eſt idem Actus non in ſe exiſtens, ſed virtualiter perſeverans. Verùm gravis difficultas eſt in explicando, quidnam requiratur, ut voluntas formalis, quæ phyſicè præceſſit, & non exiſtit, dicatur virtualiter exiſtere, eo vel maximè quod non ſufficit ad hanc virtualem perſeverantiam carentia retractationis, ſiquidem hæc facit actum habitualiter non virtualiter permanentem, uti requiritur ad meritum ac demeritum. Ergo ex hac doctrina contritio formalis erit, quæ actu exiſtit: habitualis, quæ exiſtit, & non fuit retractata: ſed quid Virtualis? quæ non exiſtit actu, ſed manet in effectu. Sed, in quo effectu? Porrò, ſi hoc modo debeat virtualis explicari contritio, dicetur nunc virtualis, quæ priùs erat formalis. Ergo, quando fuit actualis, juſtificavit animam: & modò quando non eſt, nihil facit. Cæterùm, ſi fuiſſe actu, & poſteà hominem mortaliter peccaviſſe dicamus, illa jam nec erit virtualis, nec habitualis, quoniam per peccatum retractata & reciſa, non habet cur pergat ulteriùs.

Contritio virtualis non eſt, quã fuit ſubſequutũ peccatum.

Quid ſit Contritio virtualis opinione Lugonis?

Dixi in opinione Lugi non eſſe abſonam illam ſententiam, quæ erat contenta contritione virtuali: quia hæc in ejus opinione eſt actus Charitatis, actu exiſtens, ſed tam remiſſus, ut non in ſe, ſed in effectu percipiatur. Vnde, ſi eſt contritio verè exiſtens, ipſa animam juſtificabit.

Contritio & Dilectio sũt unus actus.

Nos contritionem à dilectione non diſtinguimus. quia eodem actu, quo amo Petrum, volo ipſi omnia bona quæ poteſt habere: &, quia carere malis etiam bonum eſt, volo non eſſe mala, quæ illi nocerent: & hoc eſt odio habere mala. Qui autem Amorem & Contritionem diſtinguunt, varias opiniones ſectantur. Aliqui apud Lugonem contritioni ſine dilectione deberi juſtificationem, non autem dilectioni ſine contritione. Sed quomodo habebit contritionem qui dilectione careat? quomodo deteſtabitur peccatum propter Deum ſummè dilectum, qui Deum non diligit? Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 4. ſect. 2.* & *diſput. 9. ſection. 1.* & *libr. 8. de gratiâ, capit. 20.* vult contritionem ad dilectionem requiri, excepto caſu inculpabilis oblivionis, qui enim nullius peccati recordaretur, & tamen actum charitatis eliceret, etſi non doleret de peccatis, nihilominùs juſtificaretur. Valentia *in 1. 2. quæſtion. 3. punct. 2.* cui adhæret Lugo, exiſtimat, alterutram (contritionem, aut dilectionem) ſufficere, quia perfectio unius in aliâ continetur æquivalenter aut virtualiter. Ergo facilius eſſet dicere, unum alteri identificari.

An, & quãdo ſine dolore peccatorum poſſit aliquis juſtificari?

An ſit poſſibilis caſus in quo peccator convertatur ad Deum, & nullius peccati in particulari recordetur?

Impoſſibile eſt, ut actu quis conteratur, quin actu Deum diligat ſuper omnia: at interrogas, An amare Deum poſſit, quin conteratur? Reſpondeo actum charitatis primariò Deum ſuper omnia amare, ſecundariò omnia quæ ad maiorem gloriam Dei conducunt inter quæ non eſſe peccata numerantur. Si occurrant aliqua peccata in particulari: & ſi tantùm occurrant in communi, illa deteſtabitur in communi. At peccatori, qui convertitur ad Deum, ſemper peccata, & à ſe commiſſa, ſi non omnia, ſaltem aliqua, ſemper occurrunt in particulari.

MMM-XX. *An poſt contritionem gratia immediatè ſequatur?*

SEPTIMA. *Cùm primùm elicitur actus contritionis, infunditur gratia.* Ita omnes, excepto Franciſco Sylvio, Doctore Duaceno, qui *in quæſtion. 5. Supplem. S. Thomæ, artic. 1.* docet contritionem habere adnexam remiſſionem peccatorum; non tamen ſtatim, ſed ante mortem, modò non ponatur obex novi peccati. Hanc Sylvij ſententiam inquit Vaſquez *tom. 2.*

Digitized by Google

in 3. *part. diſput.* 152. *num.* 3. eſſe contra doctrinam omnium Catholicorum : & ideò erroneam illam vocat Coninch. *tom.* 1. *de Sacram. quæſt.* 68. *art.* 2. *dub.* 3. cui Requeſenius *in* 1.2. *libr.* 4. *diſp.* 37. *ſect.* 5. *pag.* 632. *b.* adhæret.

An omnia Sacramenta debeant recipi in gratiâ?

An omnibus debeat Confeſſio præmitti?

Vi hujus ſeptimæ Concluſionis tametſi omnia Sacramenta debeant recipi in gratia, non jubent Theologi, ut ante ſingula, ſi Euchariſtiam excipias, quis confiteatur ; ſed dicunt, aut debere ritè confiteri, aut actum perfectæ contritionis elicere. Ergo ſupponunt, gratiam ſtatim per contritionem infundi : nam per gratiam, quam ante mortem recipiet, non diſponitur homo, ut hic & nunc matrimonium, aut aliud Sacramentum recipiat. Et agendo etiam de Euchariſtiâ *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. Sacerdoti permittit Tridentinum, ut urgente neceſſitate, ſi habere non poſſit Confeſſarium, eliciat actum contritionis & celebret. At non poteſt permittere, ut celebret in peccato mortali. Ergo ſciebant Patres ſtatim gratiam per actum contritionis adquiri.

MMMXXI.
Quæſtiones examinandæ proponuntur.

RESOLVAMVS alias minùs neceſſarias Quæſtiones, quarum deciſio conducere poſſit ad ornatum. SIT PIMA. *An Contritio inferat gratiam moraliter, an realiter ex naturâ rei.* SECVNDA, *An actus perfectæ contritionis ab habitu Charitatis proveniat?* Quod eſt quærere, *An ultima diſpoſitio procedat à formâ ſubſtantiali?*

Quanta, & qualis ſit inter contritionem & gratiæ ſubſequentem connexio?

RESPONDEO ad primam, utramque eſſe opinionem probabilem, Plerique enim Scotiſtæ, quos ſequuntur Ripalda *lib.* 6. *diſput. ult. ſect.* 34. Perez *diſput.* 8. *de pænit. ſect.* 2. *num.* 5. & alij inter contritionem & gratiæ infuſionem nullam neceſſitatem ortam ex rei natura admittunt : concedunt tamen connexionem infallibilem, inſiſtentem promiſſioni Divinæ, nam *Deuter. capit.* 4. dicitur, *Cùm quæſieris Deum tuum, invenies eum, ſi ex toto corde quæſieris eum,* & in Prophetis, & Evangelio, &c. ſimiles paſſim promiſſiones leguntur. Oppoſita ſententia eſt omnium Thomiſtarum, necnon Sforziæ Pallavicini *lib.* 7. *de virtut. pænit. capit.* 21. *à numer.* 224. & aliorum, qui inter contritionem & gratiam ponunt connexionem ex naturâ rei, & aſſerunt contritionem reſpectu juſtificantis gratiæ eſſe diſpoſitionem phyſicam.

An actus contritionis ab habitu Charitatis proveniat?

RESPONDEO ad ſecundum, vix audiri extra D. Thomæ pædiam provenire ultimam diſpoſitionem à formâ ; & ideò PP. Franciſcani & Ieſuitæ paſſim negant à juſtificantis gratiæ habitu actum contritionis procedere. Ita Requeſenius *in* 1.2. *libr.* 4. *diſput.* 37. *ſect.* 6. *pagin.* 635. *à numer.* 75. qui Albertinum, Coninch, Lugonem, Suarium, Ericem, Oviedum, Hurtadum, & alios adlegat. Vnde ergo Authores hi actum contritionis provenire aſſeverant? Sunt duæ ſententiæ : prior admittit elevationem voluntatis intrinſecam, extrinſecam verò poſterior.

MMMXXII.
An voluntas ele-
vata intrinſecè eliciat contritionis actum?

Illam habent Valentia *tom.* 1. *diſput.* 1. *quæſtion.* 12. *punct.* 3. §. *Nec tamen eſt*, Nazarius & Lorca apud Hurtadum *in* 2.2. *diſput.* 126. *ſect.* 1. §. 3. Lugo *diſp.* 17. *de Fide, ſect.* 4. *num.* 76. & alij. Et hi Theologi aſſerunt eſſe duo genera qualitatum, aliæ enim ſunt permanentes & aliæ tranſeuntes, quam diſtinctionem alij ad ſubſtantiam extendunt ; dicentes in generatione hominis embryoni animam vegetativam, & poſteà ſenſitivam, & tandem rationalem infundi : illaſque eſſe viales (ſic loquuntur) & ſolam ultimam eſſe permanentem. Ex hoc ipſi fundamento inferunt, actum contritionis fieri per auxilium inhærens ex naturâ ſuâ fluens, ac durans pro inſtanti aut tempore, quo actus efficitur. Et hanc doctrinam ad omnes actus ſupernaturales extendunt, unde Cardinalis *loc. cit.* ait. [Auxilia actualia, quæ Chriſtus communicat Hæreticis, ad credendum, vel omnibus fidelibus peccatoribus ad amandum, aut eliciendum aliquem actum ſupernaturalem alicujus Virtutis, præſtare idem, quod præſtat habitus Fidei, ſi exiſteret ; & efficere Hæreticum potentem credere in inſtanti in quo infunditur, ſicuti ſi habitum ipſum retineret.

Anima ſeu formæ viales, quæ ſint?

Qualitates fluentes, & non permanentes an dentur?

An voluntas eleuetur extrinſecè?

Poſteriorem ſententiam habet Hurtadus *in* 2.2. *diſp.* 127. §. 2. Suarez *lib.* 3. *de auxiliis*, *cap.* 4. *num.* 14. & *tom.* 2. *de gratiâ lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 12 & *libr.* 5. *cap* 18. & 19. Maratius *diſp.* 4. *de gratia ſect.* 2. & Requeſenius *in* 1.2. *lib.* 4. *diſp.* 37. *ſect.* 7. *pag.* 643 *b.* qui hanc ſententiam ex Hurtado adtribuit S Thomæ *in* 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 6. & Cajetano *ibid.* aſſerentibus actum pœnitentiæ produci abſque habitu pœnitentiæ infuſæ. At hinc inferre non poſſunt quæ prætendunt : non enim dicit, S. Doctor actum pœnitentiæ abſque habitu & diſpoſitione pœnitentiæ produci. Vnde, cùm inter habitum intrinſecum & auxilium extrinſecum detur medium, videlicet diſpoſitio intrinſeca, ſive auxilium inhærens per modum tranſeuntis infuſum, non erit bona conſequentia, *Non fit per habitum inhærentem, ergo per auxilium extrinſecum.* Amplectitur poſteriorem hanc opinionem *diſp.* 6. *de Incarn. n.* 49. Cardinalis de Lugo, tametſi in Tractatu *de Fide*, ut paulo antè vidimus, auxilia eſſe formas intrinſecas confeſſus ſit. Vt extrinſeca auxilia intelligas dabit equus opportunum exemplum, qui ſolus tormentum bellicum trahere nequit : & tamen illud trahet, ſi aliorum auxilium accedat : & tamen hæc omnia auxilia primo equo ſunt extrinſeca.

Quid ſenſiat S. Thom.

Equus reſpectu alterius equi, cum trahunt tormentum eſt auxilium extrinſecū.

MMMXXIII.
An ultima diſpoſitio proveniat à formâ?

Et veniendo ad Angelici Doctoris ſcholam, dicendum eſt univerſim ultimam diſpoſitionem à ſubſtantiali formâ, & in particulari contritionem ab habitu Charitatis procedere. Ita communiter Thomiſtæ, quos Vaſquez *in* 1.2. *diſp.* 121. Valentia *diſp.* 8. *quæſt.* 3. *punct.* 4. §. 2. & alii non pauci ſequuntur. Fateor hanc eſſe opinionem difficilem, & eſſe obſcura, quæ de mutrâ cauſalitate dicuntur, interim ſummâ cum facilitate defendetur, ſi in compoſito inter potentiam & actum duplicem unionem ponamus. Charitas enim bifariam poteſt conſiderari : & ut à Deo provenit, & ut à voluntate ſuſcipitur. Infuſa niſi liberè recipiatur, nec permanet, nec juſtificat. Vnde, ſi infunditur in inſtanti A. in inſtanti A. unietur, & elevabit voluntatem

An duæ requirantur uniones, ut duo extrema uniantur?

tem

Digitized by Google

An debeat in Charitate infuſio & receptio diſtingui.

tem ut poſſit ſupernaturaliter operari. Si voluntas non operetur in inſtanti A. Charitas illa non erit habitus permanens, ſed diſpoſitio tranſiens. Cæterùm, ſi voluntas operetur in inſtanti A eliciet actum Charitatis aut Contritionis in inſtanti A. Hic eſt ultima diſpoſitio, quâ poſitâ voluntas recipit Charitatem in inſtanti illo A: quia cauſa realis, niſi obſit aliquid extrinſecum, habet vires ex naturâ rei, ut in inſtanti in quo eſt, poſſit operari.

Non eſt volentis, neque currẽtis, ſed Dei miſerẽtis gratia infuſio, eſt autem volentis gratiæ ſuſceptio.

Infuſionem gratiæ hic dicendi modus ab ipſâ receptione diſtinguit. Sed & Auguſtinus *lib. de ſpirit. Et liter. cap.* 34. ſimiliter diſtinguit; inquit enim. *Miſericordia Dei prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab eâ diſſentire, noſtra voluntatis eſt.* Adde Anſelmum, qui *in cap. 6. Matth.* ſic inſit. *In Paulo videtur cogens Dei voluntas, ſed non eſt; quia licèt ſit percuſſus, tamen voluntate erat liberâ, ut reſiſteret, ſi vellet* Et iterum *ibid.* illud *Fiat voluntas tua*, dilucidans. Docet aliquando contingere, ut Deus per miſericordiam velit de aliquo pravo, quod ſit juſtus, & conferat illi gratiam; & tamen quia (non eſt idem conferri à Deo, & ab homine recipi) ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat. Millena poſſem teſtimonia producere, ſed ſatis erit unum adhuc aut alterum ex Concilio Trid. proponere. *ſeſſ. can.* 4. ſic definit. *ſiquis dixerit liberum hominis arbitrium.... Deo excitanti atque vocanti....non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit*: & poſteà *cap.* 5. ſic inquit. *Tangente Deo cor hominis per Spiritus-Sancti illuminationem* (tangit cum gratiam infundit, quæ per unionem, quæ in ipſâ eſt, ad voluntatem terminatur) *homo inſpirationem illam recipiens* (non recipere poteſt: & receptam) *abiicere poteſt.* In hac contritione Flaminis Baptiſmus ſitus eſt. S. Thomas *in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 3. quæſt. 2. in argum. ſed contra.* ſic ratiocinatur. *Salus hominis cùm ſit de maximis bonis, non poteſt homini invito auferri: ſed in poteſtate hominis eſt, impedire alium ne baptizetur baptiſmo aquæ. Ergo ſine baptiſmo aquæ per ſolam fidem & contritionem poteſt eſſe ſalvus.* Et hæc fides & contritio, quæ æquivalet baptiſmo aquæ, eſt quæ *Flaminis Baptiſmus* nominatur.

Quid ſit Baptiſmus flaminis?

MMMXXIV. De adultis baptizatis, qui actualia peccata commiſerunt poſſumus ſimiliter ratiocinari. *Salus hominis, cùm ſit de maximis bonis, non poteſt homini invito auferri, ſed in poteſtate hominis eſt impedire alium, ne habeat Confeſſarium, ad cuius pedes provolutus conſcientiam ſuam expiet. Ergo ſine Confeſſione vocali, per ſolam fidem & contritionem, poteſt eſſe ſalvus.* Et tunc contritio, quæ Sacramento Pœnitentiæ æquivalet, *Pœnitentia Virtus*, ſeu *Pœnitentia Flaminis* vocari poterit. An etiam *Baptiſmus*? Sanè in vocum acceptione impropriâ maxima eſt latitudô, & viam ſimilitudo & analogia intrinſeca aut extrinſeca aperit, ut exſurgat metaphorica denominatio. Et, ſi ſolennis profeſſio à multis *Baptiſmus alter* nominatur, cur non etiam actus perfectæ contritionis *Baptiſmus Flaminis* vocari poterit? ſunt enim multi loci in Sacrâ paginâ in quibus pœnitentia & actualium peccatorum emaculatio, ablutio ſeu baptiſmus dicitur, metaphorâ deſumptâ ab aquis. Aliquas ſubſcribamus.

Quæ ſit confeſſio flaminis?

Eſt magna latitudo in metaphoris.

An Pœnitẽtia quæ actualia peccata delet, poſſit Baptiſmus nominari?

> *Et convertit me ad portam domûs, & ecce aqua egrediebantur ſubter limen domûs ad orientem.*

Ezech. 47.

> *Et ſanabuntur, & vivent omnia, ad quæ venerit torrens.*

Ibid.

> *Lavi te aquâ, & emundavi ſanguinem tuum ex te.*

Ezech. 16.

> *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris, & ab Idolis veſtris mundabo vos.*

Ibid. 36.

Ecce agit de Idololatriâ, & aliis peccatis actualibus.

> *Omnis anima vivens, quæ ſerpit, quocunque venerit torrens, vivet.*

Ibid. 47.

> *Fons egredietur de domo Domini, & irrigabit torrentem ſpinarum.*

Ioël 3.

> *Erit fons patens domui David, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoru & menſtruatæ.*

Zach. 13.

Baptizabantur ab eo (Ioanne) *in Iordane, confitentes peccata ſua.* Matth 3. At illi erant circumciſi: ergo de ſolâ actualium peccatorum ablutione agebatur: unde ait. *Ego baptizo vos aquâ in pœnitentiam.* &c. ibid.

De vocibus, ſi de re conſtit, non eſt diſputandum.

> *Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & mari.*

1. Corinth. 10.

Agit de filiis Iſraël, hominibus jam circumciſis.

Cùm igitur rem bene intelligamus, & latiſſimè excurrant metaphoræ, non inſtituam tecum λογομαχίαν, ſed permittam ut etiam in Baptizatis Contritionem voces *Flaminis Baptiſmum*, ſi volueris.

ARTICVLVS II.

De Baptiſmo Sanguinis.

Quid ſit Martyrium?

MMMXXV. MARTYRIUM Græca vox, eſt: nam Μαρτύριον teſtimonium ſignificat, & Μάρτυρ teſtem. Et hodie *Martyrij* nomine intelligitur mors ob odium Fidei, aut eorum, quæ ad Fidem reducuntur, illata, & voluntariè ſuſcepta: & aſſerimus hanc habere

 priuilegia

Digitized by Google

Baptiſmus ſanguinis, quid ſit? Chryſoſtomus *ſerm. in Iuventinum & Maximum.*

privilegia ſpecialia, & debere vocari *Baptiſmum ſanguinis*. Conceſſa eſſe Martyrio privilegia ſpecialia conſtat Primò ex naturâ rei, ſanguis enim pro Chriſto fuſus, clamat ad Deum & gloriam impetrat, *ſicut enim milites vulnera, quæ in prælis ſibi inflicta, Regi monſtrantes fidenter loquuntur: ita & illi* (Martyres) *manibus abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæcumque voluerint apud Regem Cælorum impetrare poſſunt.* Quia, cùm gratitudo virtus ſit præſtantiſſima, impoſſibile eſt, ut candidiſſimus Dei Agnus ingratitudinis maculâ dedecoretur. Illis ergo qui vitam immolarunt ſuo nomini, vitam alteram in Empyreo concedet. Doctrinâ hanc multa Sacræ Paginæ teſtimonia confirmant, nam. *Matth.* 10. & 16. legitur. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Hoc eſt, *dabo vitam æternam.* Martyrio ergo æterna beatitudo promittitur: unde *Marc.* 8. multò clariùs. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet eam.* Sed quomodo ſalvam faciet eam, ſi fortè eſt in peccato mortali: peccatum enim grave ideò *mortale* dicitur, quod hominem præcipitet in mortem æternam? ſalvam profectò faciet eam, quia ſanguis pro Chriſti honore fuſus animam à peccatis emaculat. *Libr.* 13. *de Civit. Dei cap.* 7. Auguſtinus. *Quid pretioſius*, inquit, *quàm mors, per quam fit ut delicta omnia remittantur?* Præctereà Martyrium eſſe Baptiſmum ſanguinis conſtat ex Clemente Romano *lib.* 5. *Conſtitution. Apoſtolic. cap.* 7. dicente. *Qui Martyrium conſequi meruit, gaudeat in Domino, quòd tantam coronam eſt adeptus, & quamvis catechumenus, lætus diſcedat: paſſio enim, quam pro Chriſto ſuſtinet, cedet in veriorem baptiſmum, quoniam ipſe reverà commoritur Chriſto, alij in figurâ.* Notas illud verbum *veriorem*, quoniam magnâ dilucidatione & ponderatione dignum eſt, hominem veriùs ſanguine baptizari, quàm aquâ. Interim, quidquid de comparativo illo ſit, Baptiſmus habet efficaciam à paſſione D. N. Ieſu-Chriſti, quam Sacramentaliter repræſentat: unde Apoſtolus Coloſſenſibus ait. *Conſepulti ei* (Chriſto) *in baptiſmo, in quo reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis*, &c. Martyrium autem ſive Baptiſmus ſanguinis paſſioni Chriſti realiter, & non ſolùm per repræſentationem conformatur. Ita S. Thomas *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 3. *art.* 3. *quæſt.* 3. *in corp.* & iterum *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 2. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 3. ſummam Martyrij & Baptiſmi connexionem probat S. Auguſtinus *lib.* 13. *de Civi. Dei cap.* 8. his verbis. [Qui dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu-Sancto, non intrabit regnum Dei*, idem dixit. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, &c.]

Cur gravia peccata nominentur mortalia?

An Baptiſmi *nomen veriùs Baptiſmo ſanguinis, quàm Baptiſmo fluminis conveniat?*

Ad Coloſſ. 2.

Magna utriuſque ſimilitudo & connexio.

MMMXXVI.

A quibus & à quibus virtutibus Martyrium proveniat?

Martyrium quatuor Virtutum actus eſt, nam Cauſa illud Imperans eſt Charitas; Effectrix illud eliciens principaliter eſt Foritudo; Cooperans eſt Patientia: & Cauſa Finalis eſt Fides. Ita S Thomas *in* 2. 2. *q.* 124. *art.* 1. qui poſteà *art.* 3. ait, *Martyrium eſt actus maximæ perfectionis, non quidem ſecundum ſe, ſed ut imperatur à Charitate, & ut eam oſtendit.* Et poſteà *art.* 4. ſubiungit *mortem eſſe de ratione Martyrij.* Ego autem hîc Martyrium quintupliciter conſiderabo: Primò, ſecundum ſe; deinde ſecundum effectus, quos habet; tertiò ſecundum libertatem, quam requirit; quartò ſecundum diſpoſitiones, quas poſtulat; & tandem ſecundum Motivum ſeu Finem.

SECT. I. De Martyrio ſecundum ſe.

An neceſſarium ſit, ut mortem ſubeat Martyr?

NOn poſtulat Martyrij eſſentia, ut de facto ſequatur mors, ſed quod perpeſſus homo ſit id ex quo infallibiliter ſequeretur mors ſtando curſui ſecundarum cauſarum. Vnde, ſi fortè Deus miraculosè vitam alicuius conſervet, erit martyr adhuc; ne dicatur illi miraculum præjudicare: &, ſi pluries ille patiatur, & pluries in vivis miraculosè conſervetur, pluries Martyrij coronam, aut plures Martyrij coronas conſequetur. Et S. Thomas, *in* 4. *diſt* 49. *quæſt.* 5. *artic* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad* 7. ut hæc meliùs intelligentur, duo advertit. *Primum eſt, eum, qui vulnus lethale non accepit, & tamen exinde mortem incurrat, quam non incurrit, niſi præſuppoſito vulnere accepto in odium fidei per Chriſtum adhuc eſſe Martyrem & Martyrij laureolam mereri, quia vulnus per Chriſtum ſuſceptum eſt ei plena occaſio mortis. Secundum verò eum, qui vulnera non mortalia ſuſcepit & adhuc detentus in carcere moriatur, adhuc conſequi laureolam, unde & quorumdam Sanctorum Martyria in Eccleſiâ celebrantur, qui in carcere mortui ſunt, aliquibus verberibus longè ante ſuſceptis ſicut patet de Marcello Papâ, quapropter non ſolùm mors per Chriſtum ſuſcepta ſufficit ad Martyrium, & ut Martyr efficiatur, merens laureolam, ſed qualiſcumque afflictio propter Chriſtum illata, dummodò continuetur uſque ad mortem, ſiue mors inde ſequatur, ſiue non, ſecus verò, ſi non continuetur uſque ad mortem, ſicut patet de Syluestro, de quo non ſolemnizat Eccleſia ſicut de martyre, quia in pace vitam finiuit, quamuis prius aliquas paſſiones ſuſtinuerit*, hæc Diuus Thomas.

Quid, ſi vulnus lethale ſit, & miraculosè curetur?

Quid, ſi lethale non ſit & quia impediuntur remedia, ſit lethale?

An S. Marcellus fuerit Martyr?

Quid dicendum ſit de S. Sylveſtro?

MMMXXVII.

An S. Ioannes Evangeliſta fuerit Martyr?

Hinc petit primò, An S Ioannes Evangeliſta fuerit Martyr? Reſpondeo affirmative: nam ante Portam Latinam ob Chriſti confeſſionem in ferventis olei dolium immiſſus eſt. Et moriturus erat, niſi fuiſſet miraculosè præſervatus. Porrò, ſi miraculum non interveniſſet fuiſſet Martyr: at Deus non ideò patravit miraculum, ut eius gloriam imminueret: Eſt igitur adhuc Martyr non obſtante miraculo. De hoc S. Ioannis martyrio agit Tertullianus *de præſcriptionib.* Euſebius *de præparatione Evang. lib.* 3. *cap.* 7. Expreſsè illum *Martyrem* appellat Polycrates apud Euſebium *lib.* 3. *cap.* 25. de eo enim ſcripſit, *Qui denique Martyr & Doctor fuit.* Subſcribunt univerſi Iuniores. Vide Franciſcum Mariam Florentinium *in Martyrol. pag.* 137.

An & fuerit Διμαρτυρ, bis Martyr?

Petis ſecundò, An S. Ioannes dici poſſit *Διμαρτυρ, Bis Martyr?* Et ratio dubitandi eſt, quia Epheſi Ariſtodemus, Ethnicus Pontifex, venenum præſentiſſimum, quod jam duos occiderat propinavit S Ioanni dicens. *Audi Ioannes, aut recede ab iſtâ doctrinâ, quâ à Deorum culturâ revocaſti populum,*

aut

S. Ioanni venenum propinatur.

aut accipe & bibe. &c. Ioannes autem orauit Deum, totum ſemetipſum ornavit ſigno Crucis, & bibit, omne, quod erat in calice, &c. *Attendentes autem populi Ioannem per tres horas vultum habere hilarem & nulla penitùs ſigna palloris, aut trepidationem habentem clamare cœperunt, Vnus eſt Deus verus, quem colit Ioannes.* &c. Dedi Melliti verba: quæ apud cit. Florentinium *pag.* 135. leguntur.

Fidelium prærogatiua.

Sanè inter σημεῖα, quibus Fideles ſuos inſignare dignatus eſt, hoc apud Marcum. 16. 18. lego. Κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψει. *Et, ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Et S. Ioannem quidem innoxiè venenum hauſiſſe ſuadet antiqua & præſcripta traditio: probant veteres ſtatuæ & imagines, ſemper enim cum calice in manu & ſerpente ſupra calicem repræſentatur. Et hoc ſpectat ſolennis benedictio vini, quæ in utrâque Germaniâ ex antiquo Rituali celebratur. Auguſtinus *in Soliloquiis* ait, *Pro tuâ dulcedine guſtandâ veneni poculum Ioannes potavit.* Et Iſidorus *de Patrib. noui Teſtam.* non ſolum narrat Ioannem lethiferum hauſtum ſine periculo bibiſſe, ſed quod per eiuſdem veneni poculi vim proſtratos ad vitam revocaverit. Et hodie Romæ in Eccleſiâ ante portam Latinam ſervatur calicem hunc, in quo Epheſi venenum Sancto Apoſtolo propinatum fuit, Severanus *in monumentis ſeptem Eccleſ. Rom. Vrb. pag.* 465. teſtatur. [Ex Papiâ narrat Euſebius Barſabam cognomento Iuſtum bibiſſe etiam venenum, & illæſum manſiſſe: & S. Gregorius ſcyphum in quo venenum S. Benedicto propinabatur, ad Crucis ſignum fractum fuiſſe]

Alij, quos Deus à veneni vi miraculosè præſervavit.

Hinc ad principalem Quæſtionem rediens aſſero, S. Ioannem eſſe Διμάρτυρα: bis obiiſſe Martyrium: Romæ enim fervens oleum eum occidiſſet, & venenum Epheſi, niſi ipſum miraculosè Deus à morte præſervaſſet.

SECTIO II.
De Martyrij effectibus.

An ex opere operato gratiam cõferat?

MMMXXVIII.

Baptiſmus ex opere operato gratiam confert. Ita S. Thom. *in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. in corp. & ad 1. & 2.* Et clariùs *quæſtiunc. 4. in corp.* comparat enim Baptiſmum aquæ cum Baptiſmo ſanguinis, & ſic inquit. *Vterque Baptiſmus habet efficaciam delendi peccata ex opere operato à paſſione Chriſti ſecundum quod ei conformat, licèt Baptiſmus aquæ ei conformet Sacramentali ſignificatione, Baptiſmus autem ſanguinis realiter.* Conſonant Soarius *tom. 3. in 3. part. diſp. 29. ſect. 3. §. ex quo ulteriùs* Coninch. *quæſt. 66. de Sacram. art. 12. dub. 1. num. 124.* Leſſius *lib. 3. de Iuſtit. cap. 1. dub. 5. à num. 54.* Requeſenius *in 1. 2. lib. 4. diſp. 37. ſect. 9. pag. 650. a.* Probatur ex verbis illis Clementis Papæ, dicentis, *Martyrium patientis cedere veriorem Baptiſmum.* At Baptiſmus verus (qui eſt fluminis) confert gratiam ex opere operato. Ergo etiam verior. Confirmatur. Martyres ſtatim ad cœlum tranſvolant, & pœnas Purgatorij non ſubeunt, unde Innocentius III. *cap. cum Marthæ de celebrat. Miſſar. §. tertio loc.* aſſerit, *iniuriam irrogare Martyri, qui pro illo orat.* At hoc non poſſet eſſe verum, ſi ex opere operantis gratiam conferret. Ergo illam ex opere operato confert. Probatur minor. Quia, ſi quis propter peccata atrocia eſſet graviſſimis pœnis obnoxius, & remiſſiſſimo voluntatis actu deſideraret martyrium, & dormiens occideretur: non poſſet hæc paſſio tantatum ſolutionem pœnarum ex intrinſeco pretio mereri: ergo à Chriſti ſanguine Martyrium habet, quòd à Purgatorij pœnis liberet. Hac ratione utitur S. Thomas *in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. ad 2.* ait enim. *Licèt illa Martyrij pœna in ſe conſiderata non ſit ſufficiens ad liberandum ab omni pœna peccati, tamen relata ad cauſam Paſſionis accipit efficaciam à Paſſione Chriſti, cui aliquis per talem pœnam conformatur; & ex hoc ab omni pœna abſolvere poteſt.*

An Martyres, qui Purgatoriũ ingrediantur, immediatè ad empyreum adſcendant?

Fundendo ſuũ ſanguinem Martyr pro pœnis omnium peccatorum ſatisfacit.

An, & cur, & quando Martyrium in gratiâ confirmet?

Petis, An per Martyrium Sancti confirmentur in gratiâ. Aſſerunt Damaſcenus *lib. 4. de Fide Orthodox. cap. 10.* D. Thomas *in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. in corp.* Requeſenius *in 1. 2. lib. 4. diſp. 37. ſect. 9. pag. 650. a.* Et multi Iuniores Theologi aſſerentes in eo eſſe ſanguinem præſtantiorem aquâ: quòd baptizati poſſint peccare, & ſæpe poſt baptiſmum peccent, cùm tamen Martyres peccare ampliùs non poſſint. Aſſentitur Iacobus Billius, & probat, quia per Martyrium Sancti moriuntur in Domino, & qui in Domino mortui confirmantur in gratiâ, & ampliùs peccare non poſſunt. Minùs rectam ait eſſe hanc interpretationem Requeſenius, vult enim, etſi ſupervivat, Martyrem peccare non poſſe, & S. Thomam *in 4. diſt. 49. quæſt. 5. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 7.* at Ægidius Coninch. *tom. de Sacram quæſt 66. art. 12. dub. 3. n. 160.* hanc in gratiâ confirmationem certam non eſſe exiſtimat. Illi aſſentior: nam ſicut piè credo quidquid Martyrium poſſit glorioſius reddere; unde hæc ipſa confirmatio ſolidè probetur, non video.

MMMXXIX.
SECTIO III.
De libertate requiſitâ ad Martyrium.

An pueri, qui nondum ad vſum rationis pervenerũt poſſint eſſe Martyres?

Martyrium eſt actus Virtutis Fortitudinis: & in adultis à libero arbitrio imperatur: in infantibus nec reperitur libertas, nec exigitur, quia teſte S. Thomâ *in 2. 2. quæſt. 124. art. 1. in corp.* & *ad 1.* effuſio ſanguinis vices gerit Baptiſmatis. Ergo ſicut infans incapax proprij conſenſûs iuſtificatur per Baptiſmum aquæ, ita etiam per Baptiſmum ſanguinis juſtificabitur. Porrò S. Thomas *in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 3. ad 1.* ſic concludit. [*Vnde de Martyribus dicitur Apocalypſ. 7.* Laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. *Et ideò pueri quamvis liberum arbitrium non habeant, ſi occidantur pro Chriſto in ſuo ſanguine baptizati ſalvantur.*] Cujus doctam ſententiam probare poſſimus ex Auguſtino, qui *lib. 3. de liber. arbitr. cap. 23.* aſſerit, parvulos innocentes ſolenniter coli ab Eccleſia, non quòd per circumciſionem fuerint juſtificati, ſed quòd fuerint trucidati. Et ratio eſt; quia omnes coluntur, nec tamen omnes erant circumciſi: cùm, quia aliqui fuerint qui nondum ad octavum diem perveniſſent: tum, quia, & non pauci fuerint Gentilium filij, & cum cæteris debuerint mori. Conſonat Leander *part. 1. tr. 3. diſp 2. quæſt. 7.* dicens [maximè credibile eſſe multos ex infantibus Iudæorum ante octavum diem occiſos fuiſſe.] *Obiicis*, amorem parentum

Digitized by Google

parentum erga liberos eſſe magnum;& , olim in diſcrimine ſimili , quando infantes occidi præceperat Pharao , *Exod.*1.3.Moyſes ſervatus fuit tribus menſibus . potuiſſe etiam tempore Herodis octo illis diebus abſcondi : & , ſi hoc dicatur,nullus infans ſine circumciſione occiſus eſt. Reſpondeo non videri impoſſibile aliquos ultra octavum diem ſervatos fuiſſe, at nullum ante octavum diem occiſum fuiſſe, non videtur credibile. Quidquid ſit , non illos ob gratiam in circumciſione receptam, ſed ob Martyrium illos Romana Eccleſia celebrat , inquit enim *Deus , cujus hodierna die præconium innocentes Martyres,non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt* , &c. Et hanc doctrinam non eſſe novam , ſed ab Apoſtolicâ traditione deſcendere , tradit D. Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 124. Vaſquez *diſp.*151.Hurtadus *diſp.* 1. *diff.* 20. & 21. Suarius *diſ.*29.*ſect.*1. Ægidius *quæſt.* 66. *art.* 12. Bonacina *diſp.*2. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 8. Vnde patet erraſſe Alenſem *in* 4. *part.quæſt.*21. *membr.*5.*art.*1. Armacanum *de quæſt. Armenor.lib.*8.*cap.*37. & Adrianum *in* 4 *quæſt.ult. de bapt. ad* 3. & ſi qui alij ſunt, qui infantes ſanguine poſſe baptizari negarunt : negaturos etiam poſſe adultos dicendo illos non propter ſanguinem, ſed propter contritionem (ſeu baptiſmum flaminis) juſtificari.

An omnes infantes fuerint circumciſi, An non aliqui fuerint Gentilium filij ? An non aliqui Iudæorũ filij ante octavum diem occiſi ſint?

Non ſolùm ut Sancti, ſed etiam ut Martyres celebrãtur ab Eccleſiâ Orthodoxâ.

An qui dormiens occiditur , ſit Martyr?

Hinc collige , eum , qui eſt paratus ſubire martyrium , puta ſi ſit in carcere propter Chriſtianam Fidem, aut extra carcerem mori pro Chriſti Religione deſideret, ſi neſciens aut dormiens in odium Fidei occidatur , eſſe verè & propriè Martyrem. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad.* 3.

An, & cur milites non ſint Martyres?

Hinc etiam collige , non ſolùm eum , qui non vult ſubire Martyrium , ſed etiam qui nihil omninò cogitat de Martyrio , etſi in odium Dei occidatur , non eſſe Martyrem. Ita Caietanus *in* 2.2.*quæſt.*124.*art.*2.§.*Et per hæc patet* Vnde milites non eſſe Martyres optimè aſſerit Leſſius *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 36. quia tametſi in bello Religionis , quale eſt, quod contra infideles pro defendendo aut propagando Evangelio ſuſcipitur , aliquis in odium Chriſti occidatur , non eſt Martyr; nam invitus occiditur: non enim dant nomen militiæ milites , ut propter Chriſtum occidant, ſed ut occidant.

SECTIO IV.
De Martyrij diſpoſitione.
De impedimento ad gratiam.
MMMXXX.

ILli, qui actu vult graviter peccare, non prodeſſe Martyrium , certum eſt : ait enim S. Paulus. *Si tradidero corpus meum , ita ut ardeam,Charitatem autem non habuero , nihil mihi prodeſt* Cujus verba dilucidantur verbis Doctoris Angelici,qui 3.*part.quæſt.*87.*art.*1. *ad* 2. & *in* 4.*diſt.*16.*quæſt.*2.*art.*2. *quæſtiunc.* 2.*ad* 3 ſic inquit. *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta vim obtinet Baptiſmi , ut dictum eſt ſupra* diſt. 4.quæſt.& art.3.quæſtiunc.3. *& ideò purgat ab omni veniali & mortali , niſi actualiter voluntatem renitentem invenerit.* Et quid ſit voluntatem renitentem habere *in* 2. 2. *quæſt.* 124. *art.* 2. §. *Et per hæc patet*,explicat Cajetanus ; nam ſiquis vellet pati martyrium , & tamen nollet ab amaſiâ diſcere (nam in his duabus voluntatibus nulla contradictio percipitur) hic , ſi in Fidei odium occideretur, eſſet Martyr , & tamen in æternum periret: nam , ait S. Thomas *quodl.* 4. *quæſt.*10.*art.*1. ſine Charitate poſſe hominem ſuſtinere Martyrium.

An ſine Charitate poſſit aliquis pati Martyrium.

An,& quantus dolor de peccatis admiſſis requiratur?

Sed requiritur-ne aliqua poſitiva diſpoſitio, ut quis per Martyrium juſtificetur ? Vega *lib.*6.*in Trident.ſeſſ.*6.*cap.*36.*&* 37. exiſtimat voluntatem acceptandi mortem pro Chriſto ex motivo honeſto & ſupernaturali impetrare ſufficienter peccatori adulto juſtificationem, quamvis ſciat ſe eſſe in peccato. Hæc autem ſententia videtur impoſſibilis : quo enim modo poterit quis amare Deum ſuper omnia *Maiorem enim Charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et ſcire ſe eſſe in peccato , & illud actu non deteſtari , & perfectum aut imperfectum actum contritionis elicere ? Et quidem , ſicut præcedens ſententia , ſi poſſibilis ſit , eſſet nimis laxa , ſic etiam ſententia S. Bonaventuræ *in* 4. *diſt.*4 2. *part. diſt.art.*1. quæ contritionem perfectam poſtulat , nimis ſtricta videtur. Tu ſequere Concluſiones ſequentes.

An,& quãdo debeat baptiſmus aut confeſſio præcedere?

Prima. *Adultus non baptizatus , ſi poſſit, debet baptizari ante Martyrium : & ,ſi fuerit baptizatus , & labe peccati mortalis inquinetur, debet , ſi poſſit , confiteri , antequam ſuſcipiat Martyrium.* Et eſt tam vera hæc doctrina , ut S. Thomas *lect.* 1. *in cap.* 6. *Epiſt.ad Hebræos* aſſeruerit , Martyrem non baptizatum , ſi divinitùs reſuſcitaretur , baptizari debere : Et ratio eſt , quia datur Divinum de Baptiſmo recipiendo præceptum : & non eſt diſpenſatio Martyrium. Quando Catechumenus Martyrium ſubit cum deſiderio recipiendi baptiſmum, dicitur habere baptiſmum in voto. An-ne hoc deſiderium cenſetur neceſſarium omninò ? Leander *part.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 2. *q.* 17. poſtquam egerat de infantibus aſſerit [idem dicendum eſſe de adultis , qui morte pro Chriſto perpeſſâ abſque baptiſmo in re vel in voto è vitâ diſcedunt. Candidus *diſquiſ.*16.*art.*1. *dub.*3. & alij communiter.] At ego tametſi Martyrio virtutem quantam Leander , concedam , caſum impoſſibilem judico , in quo adultus ſine baptiſmo in voto coronetur Martyrio : quomodo enim catechumenus aut alius Chriſtianam Religionem velle poterit , & non ſcire , aut ſaltem implicitè velle baptiſmum. Dicendum ergo eſt , vix eſſe poſſibilem caſum , in quo quis adultus Martyrium pro Chriſto patiatur , & baptiſmum expreſsè non deſideret : addendumque eſſe impoſſibilem prorſus , in quo Martyrium ſubeat , & tamen nequidem implicitè baptiſmum indipiſci deſideret.

Baptiſmus in voto,quid ſit?

An ſine Baptiſmo in voto poſſit aliquis ſuſtinere Martyrium?

MMMXXXI.
De Martyrio ob gloriam humanam tolerato?

Secunda. *Martyrium,quod non ex Charitate ab adulto ſuſcipitur,nihil prodeſt. Apoſto.*1.Corinth. 13. 3. Καὶ ἐὰν παραδῶ τὸ σῶμά μου ἵνα καυθήσωμαι, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδὲν ὠφελοῦμαι · *Et , ſi tradam corpus meū , ut ardeam , Charitatem verò non habeam , nihil iuvor.* Quò reſpiciens S Hieronymus *in Epiſt. ad Galat.* ſic ait. *Vide quantum bonum eſt Charitas ; ſi ita Martyrium fecerimus , ut noſtras velimus ab omnibus reliquias honorari ; & , ſi opinionem vulgi ſectantes intrepide ſanguinem fuderimus , & ſubſtantiam noſtram uſque ad*

mendicitatem

Digitized by Google

mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium; quàm pœna debetur; & perfidiæ magis tormenta ſunt, quàm corona victoriæ. Vt hanc doctrinam intelligas, adnotato, adultum, qui Martyrium ſuſcipit, vel eſſe in gratiâ, vel in peccato mortali. Si eſt in gratiâ, vana illa gloria, vi cujus ſuas reliquias honorari, & apud vulgus opinionem ſanctitatis deſiderat, ut plurimum erit culpa venialis (nam, ſi mortalis eſſet, gratiam expelleret) & tunc Martyrium propter amorem Charitatis conſervandæ ſuſcipitur, & coronam meretur; quoniam venialis culpa, ſicut non opponitur Gratiæ exiſtentiæ, ſic nec ejus increſcentis obſiſtit. Si eſt in peccato mortali, & illa vana gloria tanta ſit, ut culpam lethalem incurrat, expedita res eſt: nam in crimine actuali peribit, & in æternum condemnabitur. Cæterùm ſi illa vana gloria venialis tantùm culpa ſit, illud Martyrium primariò ex Charitate ſuſcipietur, & erit utilis. Sicut enim peccator, qui dolet de culpis amiſſis, & ut ad Dei gratiam redeat, ritè confitetur, & legitimè abſolvitur, licèt, quod humanum eſt, ex frequentione Sacramenti levis vanæ-gloriæ occaſionem accipiat, nam veniale peccatum, etſi actuale ſit, non eſt impedimentum dirimens confeſſionem: & ſicut adultus, qui aliàs bene diſpoſitus Baptiſmum ſuſcipit, recipiet characterem & gratiam, licèt habeat intentionem leve proferendi mendacium: ſic ſimiliter adultus qui aliàs ritè diſpoſitus ob veræ Fidei confeſſionem Martyrium tolerat, profuſione ſui ſanguinis à mortalibus emaculabitur, etſi levi aliquâ vanâ fruiſcatur.

Si Martyr ſit in gratiâ.

Si ſit in peccato mortali.

Pœnitentiæ Sacramentum ſuſceptum cum veniali juſtificat.

Et idem de Baptiſmo dicendum eſt.

Et hic obiter contra noſtri temporis Hæreticos obſerva, fuiſſe S. Hieronymi tempore Sanctorum honoratas reliquias; erraręque Novatores, cùm nos novitatis accuſant, quod Cælitum reliquias veneremur.

An olim in primitivâ Eccleſiâ fuerint Sanctorũ reliquiæ honoratæ?

Tertia. *A tritio (ſeu Contritio imperfecta ſi Martyr vel illam eſſe contritionem exiſtimet, vel putet eam cognitam ſufficere, accedente Martyrio juſtificat.* Patet: quia non eſt cur majorem diſpoſitionem in Martyrio, quàm in Baptiſmo poſtulemus. Ita Coninch *de Sacrament. quæſtio. 66. articul. 12. dub. 3 num. 160.* Leſſius *libr. 3. cap. 1. num. 48.* & probatur ex Cypriano dicente, *Numquid poterit vis Baptiſmi eſſe major aut potior, quàm confeſſio & paſſio?* & ex Proſpero, qui *libr. ſent.* ſic inquit. *Qui non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti Confeſſione moriuntur, tantùm eis valet ad abluenda peccata, quantum ſi abluerentur fonte baptiſmatis.* Sed dices teſtimonia, non tam probare æqualem Baptiſmũ Martyriumque diſpoſitionem requirere, quàm æquales effectus habere. Reſpondeo hic ſatis clarè ab æqualitate effectuum ad æqualitatem diſpoſitionum argumentati Leſſium, cujus ego rationem ad hanc formam reduco. Si contritio perfecta cum Martyrio requireretur, nunquam illud primam conferret gratiam. At communi Patrum ſententia aſſerit, primam gratiam per Martyrium conferri. Ad illud ergo contritio perfecta non requiritur. Probatur minor, quia omnes non minùs omnem culpam deleri per Martyrium, quàm per Baptiſmum aſſeverant.

An Attritio cum Martyrio ad juſtificationem ſufficiat?

SECTIO V. De Fine Martyrii. MMMXXXII.

Martyrem non pœna, ſed cauſa facit aſſerit *in enarrat. in Pſalm. 34.* Hipponenſis Epiſcopus. Et ideò neceſſarium eſt ut cauſam & rationem, ob quam quis occiditur, conſideremus.

Qui moriuntur ob alicujus Virtutis defenſionem ordinando illam ad majorem gloriam Dei per actum ſupernaturalem, ſunt Martyres. Peto motivum ſupernaturale: nam, ſi Petrus nollet Fidem negare, ne infamiam incurreret, aut ne filios exutos patrimonio relinqueret, non propter Deũ ſed propter rationes naturales Fidem Orthodoxam defenderet & vitam poneret, Martyribus acceſeri non poſſet.

An debeat eſſe ſupernaturalis?

Qui ob virtutem aliquam ad Dei gloriam ſupernaturali intentione ordinatam occiduntur, meritò ob confeſſionem Veræ Fidei Martyrium ſubire dicuntur, quia Fides docet colendas eſſe virtutes, & nullum admittendum peccatum. Porrò cauſam honeſtam in Martyrio reduci ad cauſam Fidei aſſerunt D. Thomas *in 2. 2. quæſt. 124. art. 5. ad 1.* Leſſ. *lib. 3. cap. 1. dub. 3. num. 28. & 29.* Requeſenius *in 1. 2. lib. 4. diſp. 17. ſect. 9. à pag. 649. b. n. 127.* & Doctor. communiter. Confirmat hanc doctrinam S. Ioannes Baptiſta cui obtruncatum fuit caput ob defenſionem caſtitatis. Interim poteſt dici Ioannem ob Fidei confeſſionem fuiſſe plexum; mori enim debuit quia dicebat, Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui adulteram*: quæ propoſitio de Fide eſt.

An, qui propter virtutem aliam occiduntur, occidi propter Fidem dicendi ſint?

Hæretici in alios Hæreticos ſæviunt, & ſicut bella de Religione, ſic etiam in tribunalibus ſententias ferunt: nam & Calvinus condemnavit Servetum, & alii alios. Pone Antonium, Theologum Lutheranum, veniſſe in Aſiam, & à Schiſmaticis, ritui Græco adhærentibus, quòd Spiritum-Sanctum, diceret, ab utroque (Patre & Filio) procedere, damnatum & combuſtum eſſe. Eſt-ne inſcribendus albo Martyrum? Videretur, quod ſic: quia illa propoſitio ob cujus cõfeſſionem occiditur, de Fide eſt. Reſpondeo tamen non eſſe Martyrem & probo ſic. Tria requiruntur ad verum Martyrium, ut ſuperiùs docuimus, videlicet, mortem voluntariò ſuſcipi, ob Fidem ſupernaturalem admitti, nullum obicem poni. At Antonius in duobus poſterioribus deficit: tametſi enim mortem voluntariò ſuſcipiat, ſupernaturali Fide caret, & impedimento præpeditur Sanè Antonio, etſi haberet veram & ſupernaturalem Fidem de illâ propoſitione, *Spiritus-Sanctus ab utroque procedit* non poſſe prodeſſe Martyrium, demonſtratur clariſſimè; nam eſt in actuali peccato, & ponit impedimentum gratiæ: nam actu eſt paratus multas alias aſſertiones hæreticas & ab Eccleſiâ condemnatas, aſſertas à Luthero, defendere: & hoc peccatum mortale ſufficit, ut charitatem non poſſit recipere, ac debeat cum S. Paulo dicere, *ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero*, mors pro Veritatis Chriſtianæ confeſſione ſuſcepta) *nihil mihi prodeſt.* Ita D. Thomas *in 4. diſt. 16. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 3.* & *in 3. part. quæſt. 87. art. 1. ad 2.* Sic placuit ex ſuppoſitione, aliàs falsâ, diſcurrere: interim Antonium carere verâ Fide certum eſt, nam illa indefectibilis eſt, & unum Articulum aſſerere, & alterum negare non poteſt. Veritatibus ergo, quas nobiſcum confitentur Hæretici, ex

An Hæretici occiſi propter aliquã veritatem Catholicam ſint Martyres?

Etſi haberent veram fidem illa nõ prodeſſet Martyrium, ponunt enim impedimentum.

Qui unum articulum Fidei concedit, & alios negat, non eſt vera Fides.

I humanâ

Digitized by Google

humanâ credulitate (interdum, urbanitate, aut etiam ambitione) aſſentiuntur; quia videlicet ſic à Luthero, Calvino, aut aliis fuerunt Hæreſiarchis inſtructi; non autem, quia ſic Spiritus-Sanctus fuit per Eccleſiam loquutus. Et Antonius, quia æquè hanc veritatem, quàm ſuæ ſectæ errores credit; ſicut pro defenſione hujus propoſitionis, *Spiritus-Sanctus procedit ab utroque*, patitur, ſic etiam pro hac, *Non datur Sacramentum Pœnitentiæ*, aut pro aliâ ſimili mortem ſubiret. Ita S. Cyprianus *Epiſt.*52: & 73. *ad Jubanum*, & S. Auguſtinus *libr.*1. *de Baptiſ. cap.* 11. & *libr.*2. *cap.* 16.

Cur Hæreticorum Martyrium Falſa Confeſſio nominetur?

[Et hîc obiter nota aliud eſſe mentiri & aliud falſum dicere: nam poteſt aliquis mentiri etiam cùm vera dicit, ſi illa aſſerat, quæ eſſe falſa opinatur. Et ideò meritò Hæreticorum S. Cyprianus *Epiſt.*73. fidem, *falſam confeſſionem* appellat: quia cùm fidei aſſenſus à motivis proveniat, omnis propoſitio, quam credimus alicujus ſyllogiſmi eſt Concluſio, & in ipsâ conſequens & conſequentia debet conſiderari: poteſt enim contingere, illud eſſe verum, & hanc malam; aut ſi bonam, ex falſis motivis deductam. Sequentem ſyllogiſmum conſidera.

An articuli Fidei in Hæreticorũ ore ſint propoſitiones temerariæ?

Quidquid Martinus Lutherus docuit, eſt credendum.

At ipſe docuit, Non dari Sacramentum pœnitentiæ, *& etiam*, Spiritum-Sanctum ab utroque procedere.

Ergo hæ propoſitiones, Non datur Sacramentum Pœnitentiæ, *necnon*, Spiritus-Sanctus ab utroque procedit, *ſunt credendæ.*

An detur, & quid ſit extrinſeca falſitas? An, & quomodo una & eadem propoſitio poſſit eſſe ſimul falſa & vera?

Ajo utrinſque confeſſionem falſam eſſe: nam illa aſſertio, *Non datur ſacramentum Pænitentiæ* eſt in ſe ipsâ falſa: & illa, *Spiritus Sanctus ab utroque procedit.* Tametſi in ſe ſit vera, cum præmiſſis collata, eſt temeraria: non enim eſt ſufficiens motivum, ut aſſeratur, fuiſſe à Luthero traditam; & ideò, etſi ſit vera quà conſequens, eſt falſa quà conſequentia, non propriâ & intrinſecâ, ſed falſitate præmiſſarum extrinſecâ.]

An reus, capite condẽnatus, cui indulgetur venia, ſi Fidem deſerat, & tamẽ mavult mori, quàm Fidem negare, ſit Martyr?

MMMXXXIII. Addamus adhuc alium caſum, ut præcedentem doctrinam meliùs intelligamus. Crucinaci in Palatinatu inferiori Fridericus, homo Catholicus, in ſubitaneâ rixâ Iſidorum occiderat, & à Iudicibus capite condemnatur. At Princeps (eſt enim Calviniſta) quia crimen carebat circumſtantiis atrocibus, & ex infortunio potiùs, quàm ex deliberatâ malitiâ videbatur admiſſum, pœnam, ſi abjuret Religionem Catholicam, & amplectatur reformatam, reo condonat. At Fridericus conſtans in confeſſione veræ Fidei, mavult mori, quàm Religionem Orthodoxam deſerere: & ideò progreditur viâ ordinariâ Iuſtitia, & illo plectitur. Et quæritur, An Fridericus fuerit Martyr? Videretur, quòd ſic: nam moritur propter Religionem Catholicam; ſi enim eſſe vellet hæreticus, non moreretur. Reſpondeo autem illum, non propter Fidem, ſed propter homicidium plexum fuiſſe. Et oſtendo. Fuit plexus ob cauſam, ob quam fuit condemnatus; at non ob Fidem, ſed ob homicidium condemnatus fuit: ergo non ob Fidem, ſed ob homicidium fuit plexus. Ita Requeſenius, qui *in* 1.2.*diſp.*37.*ſect.*9.*pag.*649.*a.n.*126. doctè ait [Non eſt cenſendus Martyr, quamvis reſpuat libertatem profitendo Fidem, ut rectè docet Lugo *diſp.*22.*de juſt.ſect.*7.*n.*185. eò quia occiſio eſt propter delictum, non propter Religionem, vel odium Fidei.

Et quid, ſi Fidem neget? An-ne Eccleſiaſticas cenſuras incurret.

Eſto in eo caſu Fidem negans, ut mortem evadat non incurrat pœnas Hæreticorum, quia lex Eccleſiaſtica non obligat ſic operantem ex gravi metu, ut habet Lugo, cum Sanchez *lib.*1. *in Decalog.c.*7.*n.*18.*& lib.*4. *c.*3.*n.*19.] Nos autem, licèt Martyrij lauream Friderico negemus, negare illi nolumus aliam negatæ ſupparem (ordinis inferioris, ſed ſimilem) eſt enim eximiæ fortitudinis coronam recepturus, quocumque illa nomine ſignificetur.

An, qui vulneravit alium graviter, ſi hic ex ignorantiâ aut negligentiâ Chirurgi moriatur, ſiat irregularis?

[Addam Caſum huic ſimilem. Ioannem graviter vulneravit Theodorus. Ille, ſi idoneum chirurgum nactus fuiſſet, recuraretur; at incidit in inexperti manus, & deficientibus opportunis remediis, tandem obiit. Et quæritur. An Theodorus homicidii ſit reus, & in irregularitatem inciderit? Conſequentia doctrinæ poſtulat, ut interrogando reſpondeamus, Siquidem obiit Ioannes, cur obiit? non-ne ex vulnere? à quo illud habuit? non-ne à Theodoro. Ergo mortis cauſa eſt vulnus: & vulneris author, adeoque etiam mortis Theodorus. Stando igitur rigori Dialecticæ Theodorus homicida, & irregularis eſt: ſed tamen non judico improbabilem ſententiam, quæ ut Theodorum liberet, irregularitatem in Chirurgum exonerat.]

An, qui dolet, ſe illud feciſſe propter quod patitur Martyrium, ſit Martyr.

Claudam ſectionem hanc alium Caſum proponens, qui videtur dilucidatione indigere. Petrus, mercator Luſitanus in Perſiâ, ſuadebat Selino, viro nobili, ut admitteret Religionem Chriſtianam: reſciunt Mahometani Iudices, & capite Petrum condemnant. Et Petrus doleo, inquit, me hoc feciſſe; ſi prævidiſſem tantum imminere periculum, minimè de Selini converſione cogitaſſem. Sed pergit Iudicum infidelium ſeveritas, & ſententia obtinet exſequutionem. Et quæritur, An Petrus dicendus ſit Martyr? Videretur, quòd non: quia invitus moritur, & vellet ſe non feciſſe actum illum Virtutis, propter quem condemnatur. Nihilominùs tamen eum Martyrem eſſe pronuncio. nam ſuadendo Selino ut Chriſtianam Religionem ſuſciperet, fecit rem bonam: & tametſi hodie angatur & doleat, non aſſerit rem malam feciſſe, ſed dolet ſe dediſſe occaſionem, ob quam debeat ſubire Martyrum: at cùm jam in tribunali ſit, non vult exſecrari rem factam, ſed mavult mori, quàm eſſe malam Catholicam Religionem aſſerete. Ita Requeſenius, qui *in* 1.2.*diſſ.*37.*ſect.*9 *pag* 649. *b. n.*127. ex Leſſio *lib.*3.*cap.*1.*dub.*3.*n.*28.*&* 29. aſſerit. [mortem ſuſceptam propter bonum opus jam factum, cedere in Martyrium, quia Martyr ita eam acceptat, ut malit potiùs mori. quàm factum improbare. Unde nolens improbare, quod Fides docet non eſſe improbandum, patitur pro Fide nec eſt contra rationem Martyrii, ſi doleat illud opus bonum feciſſe (dummodò ad id [a] ex præcepto non tenebatur) propter incommoda perlata, ſi tamen perſiſtat in eo, quòd malit mortem oppetere; quam improbare opus bonum jam factum; in quâ animi conſtantiâ ſitum eſt teſtimonium Veritatis Fidei, pro cujus defenſione mors ſuſtinetur.]

a] Hunc ego ob cauſam Petrum mercatorem & non miſſionariũ eſſe volui, nam miſſionarii Chriſtianã Religionem propagare ex officio tenentur.

ARTI

ARTICVLVS III.

De Baptiſmo Fluminis.

MMMXXXIV. *Præceptum de ſuſcitiēdo Baptiſmo eſt generale. Obſtringit in utero ſāctificatos.*

AD Gratiæ legem ſpecialiter pertinet, & de ejus ſuſceptione eſt tam univerſale præceptum, à D.N.Ieſu-Chriſto impoſitum, ut etiam in matris utero ſanctificatos comprehendat. Ita Scotus *diſt.4.quæſt.6.* Henriq. *lib.2. cap.5. num.3.* Sylveſter, *verb. Baptiſmus, 4. num.1.* Fillincius *num.129.* Bonacina *diſp.2. quæſt.2. punct 2. num.9.* Archangelus *diſt.5 pag.52.b.* Dicaſtill.*tr.2.diſp.1.dub.10.in fin.* Et hoc tenentur neceſſariò concedere, qui Deiparam, quæ fuit ſine labe concepta, aſſerunt fuiſſe baptizatam, ut ſtatim videbimus.

Baptiſmus Circumciſionem ſuccedit.

Succeſſit Circumciſioni ad quam etiam ſanctificati in utero matris tenebantur: quoniam Ioannem Baptiſtam fuiſſe in utero ſanctificatum colligunt Patres & Theologi ex illis verbis Lucæ 1. 41. Καὶ ἐγένετο ὡς ἤκουσεν ἡ Ἐλισάβετ τὸν ἀσπασμὸν τῆς Μαρίας, ἐσκίρτησε τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς· καὶ ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου ἡ Ἐλισάβετ. *Et factum eſt, ut audivit Eliſabeth ſalutationem Mariæ, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth:* Nam *exultare* videtur cognitionem innuere; Et, ſi mater erat plena Spiritu-Sancto, conſequentia favoris poſtulat, ut etiam infans impleretur. Ecce Ioannes in utero fuit ſanctificatus: natus fuit Lucæ cap. 1. verſ.57. verſ. autem 59. Καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ ἦλθον περιτεμεῖν τὸ παιδίον. *Et factum eſt in octavo die, venerunt circumcidere puerum, &c.* Et, cur non debuiſſet circumcidi Ioannes ſiquidem circumciſus fuit D.N.Ieſus-Chriſtus?

In matris utero ſanctificatur S. Ioannes.

Et tamen circumciditur.

Cur in utero ſanctificati adhuc debeant baptizari?

Sunt & aliæ graviſſimæ præter præceptum cauſæ, ob quas, etiam in utero ſanctificati, tenentur Baptiſmi Sacramentum recipere: nam ut *tract.2. diſp.2.quæſtion.18. pag.24.b.* Leander aſſerit, deberent illi aquâ Sacramentali dilui, [non, ut per ipſam ob originali mundentur, cum jam mundati exiſtant; ſed ut ſic fiant capaces aliorum Sacramentorum, quorum janua eſt Baptiſmus: &, ut characterem, per quem ab infidelibus diſtinguantur, accipiant: & denique ad obediendum Chriſto Domino, à quo præceptum de Baptiſmo omnibus datum eſt, & ab omnibus eſt adimplendum.]

Baptiſmus omnium eſt Sacramentorum janua

MMMXXXV. *Sacramentorum formæ debent verificari. An Baptiſmi formâ de animâ ſanctâ poſſit verificari?*

Sed contra ſic argumentaris. Ita debent Sacramenta conferri, ut formarum verba verificentur. At forma Baptiſmi non verificaretur, ſi conferretur ſanctificato ante nativitatem, illi igitur conferri non poteſt. Probatur minor: nam *Ego te baptizo*, eſt. *Ego te lavo: Ego te purgo. Ego te emaculo.* Ergo hæc verborum formula ſordes præſupponit & maculas, adeóque de puriſſimâ animâ, in quâ nullum eſſet peccatum, nullo modo verificaretur. Hoc argumento utuntur aliqui, ut probent Beatam Virginem habuiſſe peccatum originale: dicunt enim Virginem fuiſſe baptizatam, & baptizari non poſſe qui illo peccato careat. Et hoc probant: quia Auguſtinus contra Pelagianos ſæpe argumentatur hoc modo. *Baptizantur: Habebant igitur originale.* Et Auguſtinum bene Argumentari ſupponentes, duo inferunt, Alterum, B. Virginem originale contraxiſſe peccatum: fuit enim baptizata: alterum, ſanctificatos in utero non eſſe capaces baptiſmi.

An B. Virginis Conceptio fuerit ſancta?

An & ejus Nativitas?

An ex ejus baptiſmo eſſe natam in peccato inferatur?

Reſpondeo primò ex Deiparæ potiùs baptiſmo argumentum pro noſtrâ Concluſione deduci: licèt enim probabilis ſit ſententia, quæ dicit, fuiſſe in culpâ conceptam; non tamen eſt probabilis, quæ aſſereret, non fuiſſe ante baptiſmum imò ante Nativitatem ſanctificatam unde ſic argumentor. Beata Virgo ante baptiſmum jam erat gratiâ plena, & carebat peccato originali: & tamen ſuſcepit baptiſmum: ergo, qui caret peccato originali, poteſt baptizari. Quid ergo, ſi non emaculationem, Deipara à baptiſmo recepit? Don. Auguſtinus ab Angelis *in Tract. Theologic. de immacul. part.3. art.6. pag.*218 *n.7.* [Magnus Albertus *in Mariali. cap.72.* docet B. Virginem ſuſcepiſſe per baptiſmum Characteris impreſſionem, virtutum exercitationem, & gratiæ augmentationem. Et ſimiliter docet, non celebrari feſtum baptiſmi B. Virginis, ſicuti celebratur feſtum Purificationis, quia Baptiſmus datus eſt in medicinam peccatorum, quæ non fuerunt in B. Virgine. Bene ergo componuntur Præſervatio à peccatis & Baptiſmus in B. Virgine.]

Quid B. Virgo à baptiſmo receperit?

Cur ejus Baptiſmus non celebretur in Eccleſiâ?

Verba formæ duplicem habēt ſignificationem: Grammaticam Theologicamque. Sacramenta conferunt ſemper gratiam expulſivam peccati: expellētem non ſemper.

Reſpondeo ſecundò, illa verba *Ego te baptizo*, habere duas ſignificationes: alteram Grammaticam, & alteram Theologicam, ſeu Sacramentalem. Grammaticè ſignificant, *Ego te lavo:* Theologicè, *Ego confero tibi gratiam expulſivam peccati originalis.* Attende; & expulſivam, ab expellente diſtingue non eſt de eſſentiâ gratiæ, quæ in Baptiſmo confertur, ut peccatum originale expellat, ſed ut expellere poſſit: expellet autem de facto, ſi reperiat; &, ſi non reperiat, non expellet. Et, ut hoc demonſtretur, non neceſſarium ad Deiparam ſine labe conceptam, aut ad ſanctificatos recurrere: proſtant enim exempla in adultis certiſſima: Nam (1) S.Ioannes Baptiſta, ut probabiliſſima tenet Illuſtrium Theologorum opinio, fuit à Chriſto Domino baptizatus: & tamen, quando baptizababatur, non habebat peccatum originale: quia de fide, aut fere de fide eſt fuiſſe in utero ſanctificatum: & certum eſt ante baptiſmum fuiſſe, ſanctum, & gratiâ juſtificante præditum. (2) Apoſtoli, ut communis nos docet opinio, fuerunt à Chriſto baptizati: at non habebant originariam culpam: nam hanc in ipſis circumciſio deleverat. Baptizari ergo potuerunt, qui ſunt in gratiâ. (3) Baptiſmus Circumciſionis loco eſt inſtitutus; nam illa in lege veteri auferebat culpam originalem. At multi fuerunt circumciſi, qui erant in gratiâ, & carebant originali peccato. Ergo. Probatur minor: nam

Multi catechumeni ante baptiſmū ſunt in gratiâ

MMMXXXVI. *An baptizatus fuerit S. Ioannes. An fuerit in utero ſāctificatus? An Apoſtoli fuerint baptizati?*

Peccatum originale Circumciſio aliquando non abſtulit

ante Circumciſionem Abraham per fidem & Hieremias & Ioannes Baptiſta in utero ſanctificati ſunt. (4) Cathecumenus, jamjam diſpoſitus ad ſuſcipiendum baptiſmum, ſi ob Fidem Chriſti lethale vulnus accipiat & non ſtatim moriatur, ſed baptizetur, Martyribus eſt accenſendus:& quia per Martyrium gratiam accepit, non emaculatur ab originali, cùm aquâ Sacramentali abluitur. Lege Sanctarum Luciæ & Cæciliæ hiſtorias, & Vegam *lib.6. in Trident. cap. 37.* Præterea (5) Ambroſius, S. Martinus, & alii antequam baptiſmum acciperent, jam per actum Amoris Dei, erant in gratiâ: gratiam igitur in baptiſmo receperunt; non, quæ originariam culpam de facto expelleret, ſed quæ poſſet expellere: & expelleret, ſi reperiret.

Martyrium non in vulnere occidēte, ſed in lethali, ſufficiente ut inferat mortem conſiſtit.

Multi catechumeni ante baptiſmū ſunt in gratiâ.

Non ſemper Sacramētalis Abſolutio delet & expellit peccata mortalia.

Confirmat hanc doctrinam Sacramentalis abſolutio: nam, qui eſt in gratiâ, confiteri poteſt, & ſolet antiquas culpas, & tamen audit Confeſſarium dicentem. *Ego te abſolvo à peccatis tuis.* Ergo hæc verba non ſignificant, *Ego tibi confero gratiam actualia peccata expellentem:* ſed *expulſivam.* Videlicet, *quæ poteſt expellere: & de facto expelleret, ſi reperiret.*

M M M-XXXVII.

Nec ſemper Extrema-Vnctio venialia.

Confirmat iterum Extremæ-Vnctionis Sacramentum, quod exiſtentibus in gratiâ plerumque confertur, & tametſi ſit inſtitutum ad delenda venialia, ut Div. Auguſtinus de Angelis *loc. cit. pag.* 217. *num.*6. ſupponit; tamen fuit collatum Deiparæ, quam caruiſſe venialibus de Fide eſt. Immaculatam autem Virginem Extremam-Vnctionem ſuſcepiſſe S. Antoninus *in 3. part. ſumm. titul.* 14. *c.*8. §. 3. Albertus Magnus *in Mariali cap.*74. & alij Veteres & Iuniores teſtantur.

An B. Virgo ſuſceperit Extremam-Vnctionem?

An fuerit confeſſa? An potuerit Sacramentaliter abſolvi?

Inferes. Beata Virgo fuit baptizata, & Extremam-Vnctionem ſuſcepit: Ergo & abſolvi potuit. Probas conſequentiam. Sacramentum Baptiſmi fuit inſtitutum contra peccatum originale: & tamen illud ſuſcepit Deipara, etſi peccatum originale non haberet: quia tametſi gratiam expellentem peccatum originale non potuerit recipere: expulſivam recipere potuit, & de facto recepit. Præterea, Sacramentum Extremæ-Vnctionis fuit inſtitutum ut medecina peccatorum venialium; & tamen illud etiam ſuſcepit Deipara, etſi nullum unquam veniale commiſerit: quia tametſi gratiam delentem peccata venialia non potuerit recipere, deletivam (quæ deleret, ſi reperiret) potuit recipere, & defacto recepit. Ergo ſimili modo de Pœnitentiæ Sacramento philoſophandum eſt. Debemus ergo dicere, B. Virginem potuiſſe recipere, aut etiam recepiſſe de facto hoc Sacramentum: quia tametſi inſtitutum ſit, ut peccati mortalis remedium: B. Virgo licèt nullum commiſerit, potuit abſolvi: nam illa verba, *Ego te abſolvo à peccatis tuis*, Theologicè intellecta ſignificant, *Ego tibi confero gratiam habentem virtutem expellendi mortalia, quæ illa de facto expelleret ſi reperiret.* Potuit ergo Virgo Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipere.

An ex aliis Sacramentis ad Confeſſionem fluat argumentatio.

M M M-XXXVIII.

Reſpondetur negativè.

Reſpondeo illationem negando: &, ut me bene negare oſtendam, aſſero Sacramentalia verba debere verificari. Ex quo colligo primò, non poſſe Virum in gratiâ conſtitutum Baptiſmi Sacramentum ſuſcipere, ſi de eſſentiâ Baptiſmi eſſet, quòd confiteri deberet, & dicere, *Me accuſo de originali, quod habeo:* nam hæc confeſſio eſſet mendax. Colligo ſecundò, non potuiſſe B. Virginem Extremam-Vnctionem ſuſcipere, ſi de eſſentiâ hujus Sacramenti eſſet, quod confiteretur & diceret, *Accuſo me de peccatis venialibus, quæ habeo.* Colligo tertiò, non poſſe hominem in gratiâ conſtitutum Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipere, ſi Confeſſio illa, quæ eſſentialiter in hoc Sacramento requiritur, proferri deberet per hæc verba, *Me accuſo de tali & tali peccato mortali, quæ actu habeo.* Et aſſero ideò Viros ſanctos poſſe centies confiteri juventutis peccata, quia Confeſſionis verba ſunt, *Me accuſo, quod tale peccatum commiſerim.* Et hoc, etſi illud ſit deletum, poteſt pluries dici, & ſemper *me illud commiſiſſe* erit verum.

In quo conſiſtat diſparitas?

Etiam poſt abſolutionē eſt verùm peccatorem commiſiſſe peccata.

Et veniendo ad B. Virginem dico Primò, illam non potuiſſe Pœnitentiæ Sacramentum recipere: & impotentiam non in Abſolutione, ſed in Confeſſione reperio: quoniam illa verba *Ego te abſolvo à peccatis tuis*, ſicut illa *Ego te baptizo.* Et illa, quæ fortiora videntur, *Indulgeat tibi Deus, quidquid peccati*, &c. de gratiâ peccati expulſivâ poſſent verificari: at, quo modo B. Virgo potuerit inſtituere Confeſſionem non video. Quid enim diceret? *Peccavi?* Eſſet falſa Confeſſio: non enim peccaverat. An-ne conditionatè confiteretur? Huic Confeſſioni, *ſi peccavi, me accuſo*, reſpondet hæc Abſolutio, *ſi peccaſti, te abſolvo*, quæ eſſet ſimiliter conditionata, & nihil poneret in re, niſi purificaretur conditio. Accidit B. Virginem non potuiſſe Confeſſionem facere conditionatè: nam Ego nec poſſum conditionatè confiteri, quæ ſcio certò me non commiſiſſe: & Deipara certò ſciebat, ſe nullam culpam actualem commiſiſſe. Ergo confiteri non poterat conditionatè.

Cur B. Virgo nō potuerit Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipere?

Confeſſioni conditionatæ non poteſt abſolutio abſoluta concedi.

An Deipara potuerit cōditionatè cōfiteri?

M M M-XXXIX.

An peſſimus culpā agnoſcere, ubi non eſt?

Quis fuerit Deiparæ Confeſſarius?

Dices. *Bonarum mentium eſt, culpam agnoſcere: ubi culpa non eſt.* Sic enim habet S. Gregorius, cui paſſim Viri Religioſi aſſentiuntur. At Deipara fuit bonæ mentis Virgo. Ergo potuit culpam agnoſcere, ubi non erat. Ergo ſine mendacio, peccata, quæ non commiſerat, poterat confiteri. Hanc rationem tam fortem judicavit Albertus Magnus, ut *in Mariali cap.*69. conceſſerit B. Virginem fuiſſe confeſſam: & S. Ioannem Evangeliſtam Confeſſarium habuiſſe, unde *cap.*70. ſubjungit: quòd tantam per Confeſſionem gratiam accepit, quantam nunquam de condigno meruerat; vel quantam omnis creatura mereri poſſet, licèt ipſa de congruo meruerit.

S. Gregorius Papa, fuit Monachus Benedictinus.

An ſubditus debeat ſequi Superioris ſententiam?

Non adquieſco: nec verba S. Gregorij, quo ſenſu uſurpat Albertus, recipio: ſed illa expono. Erat S. Gregorius Monachus Benedictinus, & hoc Morale Dogma in Sancta Religione didicerat. Non permittit S. Benedictus, ut ſubditus obvertat contra ſuperiorem cornua, & ſuam ſententiam anteponat Superioris ſententiæ. Hoc in multis locis, aſſerit dabo præcipuos. Capite III. ad conſilium Fratribus: & ait: *ſic autem dant fratres conſilium cum omni humilitatis ſubjectione ut non præſumant procaciter defendere, quod eis*

viſum

Digitized by Google

An Abbas debeat conſtare Monachorum conſilio?

S. Benedict in Regula cap. 3. 65, 68. 69. 71.

viſum fuerit, ſed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut quod ſalubrius iudicaverit eſſe, ei cuncti obediant. Capite LXV. mentem Præpoſiti ſubiicit ſuperioris dictamini, jubetque, ut Abbatis judicio ſubſcribat, unde ait, *Suſcitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, diſſenſiones, exordinationes; & dum contraria ſibi invicem Abbas, Præpoſitusque ſentiunt, & ipſorum neceſſe eſt ſub hac diſſenſione animas periclitari*

An Prior teneatur habere opinionem Abbatis?

Capite LXIX. jubet, nequis, alterum, etſi fratrem, aut amicum tueri aut defendere præſumat: *quia exinde graviſſima occaſio ſcandalorum oriri poteſt. Quod ſiquis hæc trangreſſus fuerit,* inquit, *acrius coërceatur.*

Quem Abbas condemnat, nemo poteſt defendere.

Ergo, quia Abbatis eſt examinare, an peccaverit ſubditus? contra ſubordinationem Monaſticam eſſet permittere, ut quem Abbas condemnat, abſolveret privata temeritas.

MMMXL.

An de ſe ipſo poſſit Monachus habere privatam ſententiam: an adhærere potiùs debeat ſententiæ Abbatis?

Et Capite LXVIII ita ſingulorum judicia ſubmittit ſuperioris ſententiæ ut, ne quidem de propriarum virium menſurâ opinionem permittat Monacho, ſed in hoc ipſo ſubiiciat Abbatis judicio. Addamus ipſa verba Si cui, ait Sanctus Pater, *aliqua fortè gravia, aut impoſſibilia iniunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine & obedientiâ. Quod ſi omninò virium ſuarum viderit pondus excedere, impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt, patienter & opportunè ſuggerat; non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo.*

An poſſint Monacho præcipi impoſſibilia?

Et quid ſi in priori ſententiâ non obſtantibus rationibus, quas inferior propoſuit, ſuperior perſiſtat, & rem fieri adhuc jubeat? *Sciat Iunior ita ſibi expedire: & ex charitate Dei confidens de adiutorio Dei obediat.* Hoc eſt. *Expedit Iuniori, ut ſubſcribat ſuperioris ſententiæ: & ideò in Deo confidat, & obediat.* Hos omnes locos produxi, ut videat Lector quantâ S. Benedictus providentiâ contentiones à ſuis monaſteriis proſcribat.

Quales opiniones Monachi habere debeant?

Non ſolùm vult, ut ſinguli propriam voluntatem Abbatis voluntati ſubiiciant, ſed jubet ut proprium intellectum Abbatis intellectui ſubmittant. Conſulti reſpondeant, quod ſentiunt: quod, ſi aliter ſentiat Abbas, huius debet prævalere judicium: ſi te non habere vires, ut aliquid facias exiſtimes, & tamen Abbas præcipiat, & te poſſe facere dicat, eius ſententiæ aſſentiri teneris. Si tuum conſanguineum aut amicum corripiat, quem tu innocentem judicas, non licet tibi illum tueri, ſed putare, debes Abbatem, cuius judicium intereſt, ſingula bene examinaſſe, & ideò debes Abbatis judicium tuo præferre. Et quid, ſi te corrigat, & tu te non peccaviſſe exiſtimes?

Quid facere Monachus debeat, cum corrigitur de culpâ, quàm exiſtimat ſe nõ admiſiſſe?

Huc ingreditur S. Gregorij Monitum. *Fatere culpam: bonarum enim mentium eſt culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt.* Et ſic Capite LXXI. præcipit S. Benedictus inquit enim. *Siquis contentioſus reperitur, corripiatur. Siquis autem Frater pro quàvis minimâ cauſâ ab Abbate, vel à quocumque Priore ſuo corripiatur quolibet modo, vel ſi leviter ſenſerit animum Prioris cuiuſcumque contra ſe iratum vel commotum, quamvis modicè*. Quid faciet? ſi ſe putat eſſe innocentem, nonne poterit ſuam innocentiam probare, & errare ſuperiorem oſtendere? Minimè. Quid ergo? Abbatis ſententiæ ſuum judicium ſubmittat, ſe peccaviſſe credat, *& mox, ſine morâ, tamdiu proſtratus in terrâ ante pedes eius jaceat ſatisfaciens, uſque dum benedictione ſanetur illa commotio.*

Quantum interſit, ut Monaſterio hæc doctrina obſervetur?

Et, ne putet aliquis agi de nihilo, aut de re parvi momenti in hoc Capite, ſubjungit, *ſi quis contempſerit facere, aut corporali vindictæ ſubiaceat; aut, ſi contumax fuerit, de Monaſterio expellatur.*

Quomodo in cauſis regularibus, quomodo in criminalibus procedere debeat ſuperior?

Ergo in rebus Regularibus (de his enim in locis productis agit Sanctus Pater; non de Criminalibus, nam in his debet reus audiri, & intra terminos Veritatis & Iuſtitiæ defendi, & ſecundum adlegata & probata judicari) cùm vix ad venialem culpam veniant, & veniales culpæ nec honorem lædant, nec ubique vitari poſſint, quando inferior corrigitur à ſuperiori etiam de re quam ipſe putat ſe bene feciſſe, vi huius legis debet formare hoc dictamen. *Ego putarem hanc actionem exactè correſpondere Regulæ, at quia meus in illâ ſuperior defectum reperit, eius ſententiæ ſubſcribo, malam iudico, eſſe defectuoſam fateor, proſtratus veniam deprecor, & me impoſterum cautiùs eſſe proceſſurum propono.*

Quomodo ſubditus, ſi regulariter condemnetur?

Vbi ergo per locum intrinſecum culpam non video, per locum extrinſecum, me Abbatis prudenti iudicio ſubmittens, culpam agnoſco. Et, ſi fortè habeo meæ innocentiæ evidentiam, & ideò mei ſuperioris non poſſum aſſentiri dictamini, tamen poſſum impoſitam pœnitentiam ſubire; &, ſi non pœnam (hæc enim culpæ eſt correlativa) admittere pœnalitatem.

Concluſio.

Hinc patet S. Gregorij verba ad mentem & Regulam S. Benedicti explicata, non habere locum in Deiparâ. non enim ab altero corrigebatur cuius deberet ſe iudicio & cenſuræ ſubmittere.

An Pœnitẽs in Sacramẽtali Confeſſione poſſit culpã agnoſcere, ubi culpa non eſt?

Sed, etſi à ſuperiore illa corriperetur, non poſſet in Sacramentali Confeſſione ſententiâ ſuperioris ſubſcribere, & ad illius mentem confiteri Nam Confeſſio Sacramentalis iuxta propriam & non alienam mentem debet fieri: &, quidquid Albertus Magnus dicat, non licet pœnitenti ibi culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt.

NOTA.

Quid ſit Baptiſmus Fluminis?

MMMXLI.

Definitio prima intrinſecas partes exponens.

MAGISTER ſententiarum *in 4. diſt. 3.* dicit Baptiſmum eſſe ablutionem hominis exteriorem, factam ſub formâ verborum à Chriſto præſcriptâ. Amat rigorem in Logicâ Doctor eruditiſſimus, & quia Definitio eſſentialis per cauſas exhibetur intrinſecas (formaliter, per Genus & Differentiam: phyſice & realiter per Materiam & Formam) expreſſit Ablutionem & Verba, nam illa ad Baptiſmi Materiam, hæc autem ad Formam pertinent.

Secunda effectus à baptiſmo provenientes ediſſerens.

S. Thomas *in 4. ſent. diſt. 4. quæſt. 1. art. 1.* ſequutus Damaſcenum ait Baptiſmum eſſe per quem primitias ſpiritus accepimus, & principium alterius vitæ, ut ſit nobis regeneratio & ſigillum, & cuſtodia & illuminatio. Sicut à

priori procedebat Magiſter, ſic S. Thomas à poſteriori procedit, ſunt enim multa, quæ benè in ſuis effectibus noſcuntur, & ab illis præſcindendo explicari non poſſunt: nam ab effectibus & accidentibus præſcindendo, quis mihi Equi & Leonis differentiam exponat.

D. Totus, Theologus Benedictinus, in ſuo Ariſtotele perſuadere conatur, illam ſolam definitionem eſſe bonam, quæ procedit per omnia genera Cauſarum. Eius doctrinam in ſpeculatione univerſi reiiciunt, & tamen illam multi exercent in praxi: & inter alios Scotus, dum Baptiſmum definit. Ipſe enim *in 4. ſent. di. 3. quæſt.* 1. docet Baptiſmum eſſe ablutionem hominis aliqualiter conſentientis, factam ab alio in aquâ, ſimul verba certa cum intentione debitâ proferente, ſignificantem efficaciter ex inſtitutione divinâ ablutionem animæ à peccato. Bene perpende verba ſingula, & in ipſis omnia Cauſarum genera manifeſtè reperies. Cauſæ hodie apud Phyſicos ſunt, Materialis, Formalis, Efficiens, Exemplaris, Finalis. Et quidem Materiam remotam dat tibi *illud* verbum *in aquâ*, proximam illud *ablutionem*: Formam dat tibi illud *verba certa*: Cauſam Efficientem principalem exhibet illud *ex inſtitutione Divinâ*: Inſtrumentalem illud *factam ab alio*: Effectum illud *ablutionem Animæ à peccato*: concernit Finem illud *ex intentione debitâ*; nam ſicut electio ad media, ſic pertinet ad Finem intentio: & tandem Cauſa Exemplaris in verbo *ſignificantem* relucet: nam ſigna naturalia & artificialia ſuo modo ad Imagines & Cauſam Exemplarem reducuntur.

Tertia per omnia genera cauſarũ procedens.

Quænam Cauſæ à Philoſophis differantur?

Materia. *Forma.* *Efficiens.* *Finis.* *Exemplar.*

Alij loquuntur aliter, at in re conſentiunt, ſequuntur enim Auguſtinum qui homil 80. Sic inquit, *Detrahe verbum ab aqua, quid erit niſi aqua? Accedat verbum ad elementum, & fiet Sacramentum. Vnde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud eſt virtus manens.* Habetur 1. *quæſt.* 1. *Detrahe.*

Nota ſingula verba.

Videtur S. Auguſtinus virtutem realem Sacramentis concedere.

MMMXLII. Non multum ab Auguſtino & nobis abeſt Hugo *de Sacram. lib. 6. part. 9. 1. 2.* nam hanc Definitionem proponit. *Sacramentum*, inquit, *eſt materiale elementum, extrinſecus oculis* (ſenſibus) *ſuppoſitum, ex inſtitutione figurans, & ſimilitudinem repræſentans, ex ſanctificatione aliquam gratiam inviſibilem conferens.* Vox *elementum* ſumitur latè, & ſignificat idem, quod *res*, aut *principium intrinſecum*; unde literæ, quia ſunt partes, in quas ultima fit reſolutio orationis *Elementa* vocantur. Et accipitur ab Hugone eodem omninò ſenſu quo ab Auguſtino, qui *tract.* 80. *in Ioann.* dixit. *Accedat verbum ad elementum* (nempe, *ad rem*) *& fit Sacramentum: etiam ipſum tanquam viſibile verbum.* Et ex his verbis conſtat *viſibile*, ut paulò antè monuimus, apud Auguſtinum pro *ſenſibili* ſumi: verba enim non videntur, ſed audiuntur. Et illa *ex inſtitutione figurans*, demonſtrant, & Sacramenta habuiſſe Inſtitutorem, & ab illius voluntate ſignificationem ſuſcepiſſe.

Elementum eſt res, aut principium intrinſecũ.

Cur literæ vocentur elementa?

Viſibile ponitur pro ſenſibili.

Sed cur Sacramenta inſtituit Dominus noſter Ieſus-Chriſtus? Reſpondent multi ingenioſè & devotè; ſed quia Patriarchæ Laurentij Iuſtiniani eſt devotio erudita, exſcribam *ex c. p.* 19. *libri de diſcip. & perfect. Monaſt.* aliquas lineas, quæ Quæſtionem decidunt, & poſſunt Lectorem inſtituere: ſic enim ait. [Conſueverunt laborantes in agris & in vineis poſt ſudores operis, meridiani æſtus ardorem declinare, umbras petere, atque virentia prata eligere: quatenus in ipſorum planitie, & amœnitate reſidentes feſſo corpori iucundiùs cibaria adminiſtrent. Habent etiam naturæ hoc proprium, ut poſt ſedatas tempeſtates poſt ſulcata per tempus prolixum æquora: quærant portum, ſolicitè perluſtrent littora, in quibus deſcendant, navem religent, vela reſarciant, atque quidquid vetuſtate corruptum, aut procellis diſſipatum eſt reſtaurent, quatenus iterum flante proſpero vento marinis ſe fluctibus tradant. Campi Ductores quoque & exercituum Principes adverſus hoſtes viſibiles dimicare, diſponunt, tentoria, & quædam ſpecialia deputant loca: in quibus pro reſumendis viribus, pro ſupplendis neceſſitatibus, ſeu medendi causâ, accedere valeant bellatores. Sic quippe Dux noſter, ſic ſpiritualium militum inuictiſſimus Rex Chriſtus, certantibus in hoc ſpirituali & inuiſibili ſtadio militantis Eccleſiæ ſpiritualia quædam ordinauit munita præſidia ad quæ pugnantes confugiant: ut in illis reſumptis viribus, vel fotis vulneribus, iterum in campum redeant acriùs bellaturi. Hæc nempè tutiſſima & inexpugnabilia loca à Domino Ieſu eius parata militibus, ad reſocillanda corda, & ad detegenda animæ vulnera ſpiritualia ſunt Sacramenta. Per hæc namque datur requies, debilibus robur, formidoloſis audacia, & ſemel proſtratis fiducia dimicandi.]

Cur Chriſtus Sacramenta inſtituerit?

Similitudo deſumpta è re Ruſticâ, *è Nauticâ,* *è Militari:*

An Sacramenta ſint munimenta animæ?

An ſint tutiſſima?

DISPVTATIO. METETHICA.

De Sacramento Baptiſmi.

MMMXLIII. BAPTISMVS ianua eſt per quam in Eccleſiam ingredimur: eſt Sacramentum primum, & Circumciſioni correſpondet: conferetque gratiam, quam illa ſignificabat, aut impetrabat alio modo: nam Sacramenta novæ Legis eſſe antiquis nobiliora,

Cum Circumciſione comparatur.

biliora, efficaciora, & faciliora, certum eſt.

Ens Baptiſmale.

Quid ſit ens baptiſmale? SI omnia, quæ ad hoc Sacramentum ſpectant (intrinſecè & extrinſecè ſubſtantialiter & accidentaliter) ad unam communem conſiderationem reducantur, habebimus Entis Baptiſmalis conceptum, qui ſummum huius Syſtematis apicem teneat, & in decem Baptiſmalia Prædicamenta dividatur.

Svbstantia Baptismalis.

Quid Baptiſmus? SSacramentum ut ſic, eſt ſenſibile ſignum inſenſibilis gratiæ: ergo tale Sacramentum erit tale ſignum & talis gratia. Ergo Baptiſmus erit Ablutio facta competentibus verbis, gratiam ſub ratione regenerationis ſpiritalis animorum ſignificans.

Eius materia. Materia intrinſeca ex quâ conſtat hoc ſignum, duplex eſt, remota & proxima. Remota eſt aqua vera & naturalis. Vnde, ſi poſt baptiſmum de aquæ veritate dubitetur, dedebit ſub conditione infans iterum rebaptizari. *Certa & dubia.* Si ſit periculum in morâ, & non habeas niſi aquam dubiam, quâ poſſis infanti periclitanti ſuccurrere: eumque ſub conditione (*ſi hæc materia eſt legitima* (aquâ dubiâ baptiza; & cùm aquam veram habueris, ſub conditione (*ſi non es baptizatus*, &c.) Sacramentum reitera: meliùs enim eſt dubiam materiam adhibere, quam nullam. Probabilem aut dubiam materiam adhibere debes in periculo, & hoc ſub peccato mortali. Ratio eſt, quia infans in caſu, eſt in extremâ neceſſitate & in æternum periturus, niſi baptizetur. Ergo illum debes juvare quantum potes. Ergo, ſi habes materiam certam, illam adhibere teneris: ſi certam non habeas, probabilem adhibe; &, ſi ne quidem probabilem habeas, dubiâ utere: præſtat enim, ut dicebamus, infantem probabile aut dubium, quàm nullum omninò recipere baptiſma, Lublinus *verb. Baptiſmus. num.* 11. [ſi dubitatur de aquâ, an vera ſit, & baptizandus in periculo exiſteret, nec alia certior ad manum poſſet haberi, debet cum eâ baptizari ſub conditione tamen huiuſmodi *S. hæc eſt materia ſufficiens.* Poſteà talis, ſi ſupervivat, debet rebaptizari ſub conditione, *ſi non es baptizatus. Ego te baptizo.*] Conſonant Zambranus *cap.*1. *de Baptiſm. dub.* 1. Reginaldus *lib.* 27. *num.* 13. Hurtadus *diſp.* 1. *de Bapt. diff.* 2. Palaus *de Baptiſm. punct.* 3. *num.* 5. Diana *tract.*6 *reſol.*33. & alij. *Proxima & remota.* Materia proxima eſt ipſa ablutio exterior corporis: & aqua debet tangere caput, ut Baptiſmus nulli ſubiaceat opinioni.

Quænam ſit forma huius Sacramenti? Forma ſubſtantialis, quâ ablutio fieri ſolet hæc eſt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus-Sancti.* Manebit integra quoad ſenſum, & ſi auferatur aliqua particula, quæ judicetur eſſe accidentalis, ut inferiùs videbimus.

De Forma Baptiſmi apud Græcos. *An ſit, quæ dicitur? & An ſit valida?*

PEtis, An valide baptizent Græci dicendo, *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti?* MMMXLIV. *Proponitur forma Græcorum. An ſit valida?*

Affirmat Hurtadus *diſp.*1 *diff.*8. & probat, quoniam Eugenius IV. in ſuo Decreto Fidei, quamvis tradat ut ſufficientem hanc Græcorum formam, *Baptizetur talis ſervus Chriſti, in nomine Patris*, &c. non tamen hanc, *Baptizatur in nomine Patris*, &c. niſi addendo, *Baptizatur manibus meis* Et pro hac Hurtadi ſententiâ Leander de Sanctiſſimo Sacramento *part.*1. *tr* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 48. *pag.*41. *b.* Suar. *diſp.* 11. *ſect.* 2. & Bonacinam *diſp.* 2. *quæſt.*2. *punct.*4. *num.*3. & 10. adducit, additque illam eſſe communem.

Dubitationes ſuccurrentes. Ego interim duobus pungebar ſcrupulis. (1) An verum ſit Græcos uti illâ formâ? (2) An bene exſcripta ſint verba quæ ex Eugenij Decreto, citantur? Dubium primum oriebatur ex magnâ differentiâ, quæ inter *Ego te baptizo*, & *Baptizetur* intercedit: ſecundum ex illâ, quæ inter *Baptizetur* & *Baptizatur* invenitur: potiùs enim ſuſpicarer Eugenium approbaſſe formam *Baptizatur* & formam *Baptizetur* rejeciſſe; nam illa Latinæ eſt ſimilior: Latina enim continet præſens indicativi.

An in Eugenij decreto baptizetur, an potiùs baptizatur legendũ ſit? Vt ſecundus expungatur ſcrupulus (incipiamus ab ipſo) verba Decreti formalia proponamus. *Non tamen negamus*, inquit Pontifex, *quin & per illa verba* Baptizetur talis ſervus Chriſti in nomine Patris, &c *vel* Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, &c. *Verum perficiatur baptiſma*, &c. Vbi autem dicitur in textu *Baptizetur*, habetur in margine *Baptizatur.* Erat ergo male illud verbum in protocolo expreſſum, & Exſcriptor, cùm neſciret, quæ eſſet germana verbi lectio, alteram in corpore, & alteram poſuit in margine. At poſtularet ratio ut *Baptizatur* poneretur in textu: & nihil, aut fortè *Baptizetur*, adderetur in margine.

Vera forma, quâ utuntur Græci. Vt expungatur alter ſcrupulus & hunc bene fuiſſe expunctum demonſtremus ad Rituale Græcorum recurramus. Vtor libello, qui inſcribitur, Σύνοψις τῶν Θείων καὶ ἱερῶν τῆς Ἐκκλησίας Μυστηρίων. *Compendium Divinorum & Sacrorum Myſteriorum (Sacramentorum (Eccleſiæ* Et fuit editus Romæ typis & expenſis Sacræ Congr. de prop. Fide. anno 1633. In eo igitur *pag.* 18. hæc forma legitur. Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ὁ δεῖνα, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. ἀμήν. *Baptizatur ſervus Dei, talis, in nomine Patris, & Filij, & Sancti-Spiritus. Amen.* *Latina lingua articulos non poteſt exprimere.* Quam formam, quia multos articulos habet quos Lingua Latina non exprimit, reponam Hiſpanicè, & dicam. *Bautizaſe el* ſieruo *del Dios, el tal (fulano) en el nombre del Padre, y del Hijo, y del Santo Eſpiritu. Amen.* *An Βαπτίζεται baptizetur, ad Indicativum pertineat?* Illa profectò vox Βαπτίζεται, Indicativi eſt non Optativi, aut ſubiunctivi: nam ſicut Τύπτω *Verbero*, quod Græcæ verborum Inflexiones reſpiciunt, facit τύπτεται. εἴθε τύπτοιτο. ἐὰν τύπτηται. *Verberatur*,

minam

utinam verberetur, *ſi verberetur*: ſic verbum Βαπτίζω, *baptizo* debet facere, βαπτίζεται. εἴθε βαπτίζοιτο· ἐὰν βαπτίζηται *Baptizatur*, *utinam baptizetur*. *Si baptizetur*. Nec ego ſum ſolus, aut primus, qui Græcum Rituale recognovi. Græcos enim *baptizatur* & non *baptizetur*, dicere, Lugo *de Sacramentis in gener. diſp. num.* 4. Filliucius *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 42. & alij Viri docti teſtantur.

M M M-XLV. *An utraque forma baptizatur, & baptizetur ſit valida?*

Dicit Leander *loc. cit.* [Ex Eugenio ergo utroque modo ex dictis pronunciatur forma. Ergo quovis modo pronuncietur, validè conficietur baptiſma: Sic Eſtius *in* 4. *diſt.* 3 §. 3. *pag.* 39. Vazo *diſp.* 142. *cap.* 2. *num.* 19.] At ego reſpondeo ex Eugenij Decreto non colligi utramque formam (*baptizetur* & *baptizatur*) eſſe validam: nam, quando altera lectio ponitur in textu, altera in margine, non aſſeritur, quòd utraque ſit vera, ſed quod neſciatur de utrâ Eugenius loquatur. Ex dictis autem conſtat *baptizatur*, & non *baptizetur* Græcos dicere: manet ergo formam illam *baptizetur*, &c. nec uſurpari à Græcis, nec ab Eugenio approbari.

Cujuſnam perſonæ βαπτίζεται. ſeu baptizatur ſit?

Porrò illud *baptizatur*, non eſt tertiæ, ſed ſecundæ perſonæ? nec id in dubium poteſt vertere, qui Politicam reſciat Grammaticam, quoniam *Ego Petrus dico*, & *Nos Petrus dicimus*: pertinent ad primam perſonam ſingularis: & *Petre facias hoc*, & *Petre faciatis hoc*, & *Domine Petre faciat hoc*, pertinent ad ſecundam perſonam ſingularis. Ergo idem eſt *baptizatur*, ac *baptizaris*. Ergo ſicut Latinus dicit *Ego te baptizo*, poſſet dicere, *Tu baptizaris à me*.

An particula à me debeat addi?

Sed ait, in Græcorum formâ illud *à me* deſiderari. An ideò reiicienda? Vazo *loc. cit.* [ſiquis diceret, *Baptizaris in nomine Patris*, &c. vel *Baptizatur ſervus Chriſti in nomine Patris*, &c. Verum eſſet Sacramentum, quia in formâ denotatur actio Miniſtri, eſt enim ſenſus, *baptizaris à me*, hoc ipſo additur, *in nomine Patris*, &c. nec tota actio in Deum refertur, ut patet; & ideò hanc formam approbavit Eugenius IV. in illo Decreto Fidei citato, &c.] Ergo dicendum eſt, etiam in Sacramentorum formis concomitantes conſignificare circumſtantias: & ſicut in Abſolutione illud *Te* poſſe omitti Lovanij docebat P. Paludanus, ſic poſſe illud *à me* à Græcis in formâ baptiſmi intermitti. Et ratio eſt, quia in Sacramentorum formis manet valor, etſi mutetur verborum entitas, modò maneat ſignificatio: at, ſive illud *à me* dicatur, ſive non, ſi de facto baptizem, eadem manet ſignificatio, ergo: & Sacramenti valor, & ſi omittatur.

An conſignificantes circumſtãtiæ in Sacramentis locum habeant?

De Formâ Baptiſmi apud Dalmatas. *An ſit valida?*

M M M-XLVI. *Proponitur Dalmatarum forma.*

Dicendo, *Ego te Chriſtizo in nomine Patris*, &c. Dalmatæ baptizare dicuntur. Diana *part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 92. Cotonius *in ſumm. verb. Baptiſmus*, *num.* 28. An ne hæc verborum formula eſt ſufficiens, ut aliquis remaneat baptizatus?

Quid Chriſtaſo apud Hiſpanos ſit

Deberet examinari, quid apud illos populos *Chriſtizare* ſignificet? non enim ex Latinæ, aut alius linguæ proprietate Dalmatæ ſunt judicandi. Exorbitant ſignificationes, cùm ſententiæ ad verbum ex unâ linguâ transferuntur in aliam: quoniam, ne diſcedamus ab hoc verbo *Chriſtizo*, in noſtrâ linguâ Hiſpanicâ *Chriſtaſo* eſt quidam Crucifixus magnus, nam bene dicimus *Pedro eſcribió un libraſo*, hoc eſt, *Petrus librum magnum ſcripſit*, at tunc deſpectu non caret vocabulum. Eſt etiam *Chriſtaſo*, ictus inflictus cum Crucifixo; unde quædam olim perſona, quæ in morbo delirabat, apprehenſo Crucifixo adſtantes me præſente percuſſit, hæc verba *Chriſtaſos no duelen*, (hoc eſt, *plagæ, quæ cum Crucifixo infliguntur, non inferunt dolorem*) ingeminans: quam hiſtoriolam narro, ut lepos animum Lectoris recreet, & vocis proprietatem inſinuet. Et huc uſque vox *Chriſtizo* non videtur habere ſignificationem, quæ ad Baptiſmatis valorem conducat.

Quid libraſot

An Chriſtizo, & Chriſtifico, ſeu Chriſtianũ reddo idem ſit?

An-ne *Chriſtizo* idem eſt, ac *Chriſtifico*, hoc eſt, *Chriſti ſimilem facio*, *Chriſtianum reddo*? ſi hanc ſignificationem verbum hoc diceretur habere, inniti poſſet verbis Pauli *ad Rom.* 8. 29. dicentis. οὓς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit* (fieri) *conformes imaginis filij ſui, adeſſe eum* (Hiſp. *para sêr el*) *primogenitum in multis fratribus*. Interim, quia hæc Euchariſtiæ forma, *Ego hunc panem converto in corpus Chriſti*, *Ego hoc vinum converto in ſanguinem Chriſti*, non videtur ſufficiens, ideò has in Baptiſmo, *Ego te Chriſtianum facio*, *Te Chriſtiformem reddo*, &c, ſi hoc ſenſu accipiatur *chriſtizo*, etiam hanc, *Ego te chriſtizo*, &c. inſufficientes & inutiles cenſeo.

De formâ Ego hunc panem converto in corpus Chriſti,

Quid importent verba in ἴζω apud Græcos?

At verba in ἴζω apud Græcos plerumque ſunt imitativa, unde Philoſophi Platonicam eloquentiam in Philone admirantes exclamant, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. *Aut Plato philoniZat, aut Philo platonizat.* Ergo χριστίζειν hoc ſenſu, erit *facere, quod Chriſtus fecit*, *ſeu quod Chriſtus inſtituit.* Et actuali ablutione accedente, ἐγὼ χριστίζω σὲ, &c. *Ego chriſtiZo te*, &c. erit, *Ego te abluo ſicut inſtituit Chriſtus*, &c. Et hoc ſenſu valida & legitima eſt hæc forma Baptiſmi. Et quia eos hoc ſenſu loqui exiſtimo, hanc formam, quâ utuntur Dalmatæ, eſſe validam cum Dianâ & Cotonio aſſevero. Et, ſi petas An hoc illi ſenſu vocem accipiant? Reſpondeo primò, *Poſſe*: nam verba à placito populi ſignificationem recipiunt. Reſpondeo ſecundò, *Velle*: nam volunt eo ſenſu vocem ſumere, qui ſufficiat ad valorem Baptiſmi. Reſpondeo tertiò, *Facere*: quia, ut vox hac vel illâ ſignificatione recipiatur, cùm potentia adſit, nihil præter populi voluntatem requiritur.

Verum ſignificatio à populi voluntate dependet.

De Formâ Baptiſmi apud Chaldæos. *An præteritum tempus ſignificet?* & *An ſit valida?*

Aſſerunt Chaldæos dicere, *Baptizatus eſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti.* M M M-XLVII.

Forma, quâ Chaldæi utuntur, valida.

Sancti. Amen. Et hanc formam eſſe validam aſſerit Diana, negat Nazarius: & tú meam ſententiam interrogas: Et quidem hac uti Chaldæos formâ, *aſſerunt*, inquam, non *aſſero*: nam Maronitæ, qui Chaldæi ſunt, noſtrâ utuntur Formâ, ut ſtatim dicemus.

Rationes, quæ contra Chaldææ formæ valorem adducuntur.

Porrò videretur invalida, Primo, quia utitur tertiâ perſonâ, cùm ſecundâ deberet: forma enim Latina eſt *Ego te baptizo*, non *Ego illum baptizo.* Ergo in paſſivâ erit, *Tu baptizaris à me.* Et non, *Ille baptizatur à me.* Secundo, quia non exprimit perſonam baptizantem, quam apud nos importat illud *Ego* Tertio, quia in activa, *Ego te baptizo*, & non *Ego te baptizavi* dicitur, ergo in paſſiva, *Tu baptizaris*, & non *Tu baptizatus es* dici debet, ſit.

Conclusio, *Formula, quâ Chaldæi utuntur, eſt valida.* Et eſt ſententia cõmunis.

Multa, quæ ad tertiam perſonam pertinere videntur, ad ſecundam in Grammaticâ Civili pertineat.

Nec obſunt, quæ objiciebantur contrà. Ad primum enim dico, has Propoſitiones, *Ego amo Dominationem veſtram*, *Veſtra Dominatio amatur à me.* Grammaticè non differre ab his, *Ego amo te, Tu amaris à me*, adeoque voces *Tu*, & *Dominatio veſtra*, idem Grammaticè ſignificare. Ergo *Dominatio veſtra*, eſt ſecunda perſona. Addo tamen differre Politicè; quia *Tu* ſecundam perſonam ſine veneratione, & interdum cum deſpectu ſignificat: & *Dominatio veſtra* (& idem de his vocibus *Veſtra Excellentia*, *Veſtra Majeſtas*, &c dicito) eandem ſecundam perſonam cum cultu & veneratione repræſentat. Quam ob rem hæ Propoſitiones *Veſtra Sanctitas concedit. Veſtra Eminentia faciat. Veſtra Illuſtriſſima Dominatio permittat.* &c. *Veſtra Sacra Caſarea Maieſtas me protegat. Veſtra Catholica Maieſtas me tueatur. Veſtra Celſitudo (Excellentia, Dominatio, &c.) mea negotia promoveat*, &c. æquivalent his. *Tu, qui es Pontifex Summus, concede. Tu, qui es Cardinalis, fac. Tu, qui es Epiſcopus, permitte*, &c. *Tu qui es Imperator, me protege. Tu, qui es Rex Hiſpaniæ, me tuere. Tu, qui es Princeps ſupremus (Dux Marchio, Comes, &c.) mea negotia promove*, &c. Ergo, quando famulo, vel familiari dico, *Veniat huc*, de verba his reſpondentia *Tu quem aliqualiter honorare volo, veni huc.* Ergo eſt error in Civili Grammatica, aſſerere, Græcos, cùm dicunt, *Baptizatur*, & Chaldæos, cùm dicunt, *Baptizatus eſt*, ponere in tertiâ perſonâ illum qui baptizatur.

Græci & Chaldæi tertiâ perſonâ in formâ baptiſmi non utuntur.

M M M-XLVIII.

Circumſtantia conſignificante.

Ad secundum jam dixi Græcorum formulam exponendo, perſonam baptizantem per conſignificantes circunſtantias ſatis clarè explicari.

Latini carent participio præſenti in paſſivâ.

Ad tertium ajo Paſſivam vocem Participio præſentis in linguâ Latinâ carere, & ideò Latinos Theologos in hujus formæ examine adlucinari. Ergo Chaldæorum (aut etiam Hebræorum: nam hæ duæ linguæ ſunt affines forma, ita debet exponi, ut Græce ſit, βαπτιζόμενός ἐστι. *Eſt, qui baptizatur.* Hebræi enim in *Cal* & *Pihel* habent duo Participia; *Benoni* activum, & *Pahul* Paſſivum, quæ temporis præſentis, ſunt. Nam à Radice טבל, tabal, *baptizavit*, in Cal

De Benoni & Pahul Participiis Hebraïs.

educunt, טובל, tobel, *baptizans, qui baptizat*, טבול, tabul, *qui baptizatur*: & in *Niphal* נטבל, nitbal, *qui baptizatur*: & poſteà in *Pihel* מטבל, metabel, *baptizans, qui baptizat*: & tandem in Pual טבל, tubal, *qui baptizatur.* Et ut hæc ipſa meliùs intelligas, periodos pauculas ex S. Ioannis Evangelio proponam:

N. B: Grammatica Scholaſtica in omni tempore habet Participia in activâ & paſſivâ: inquit enim Amant, amans, amatus. Amabant. amabans, amabatus. Amaverunt, amaverans, amaveratus. Amaverant amaverans, amaveratus, &c.

(1) Τί οὖν βαπτίζεις, εἰ σὺ οὐκ εἶ ὁ χριστός; (2) Ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι. (3) ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων. (4) Ἐγὼ ἐν τῷ ὕδατι βαπτίζων. (5) ἀλλ' ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν. (6) οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Ioannis cap. 1.

Vulgatus. (1) *Quid ergo baptizas, ſi non es Chriſtus? (2) Ego baptizo in aquâ (3) Ubi erat Ioannes baptizans. (4) Ego in aquâ baptizans. (5) Sed, qui miſit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit. (6) Ipſe eſt, qui baptizat in Spiritu-Sancto.*

M M M-XLIX.

An, & quomodo Græca Participia debeant Latinè reddi? An diſſolvenda ſint? an per Latina Participia explicanda?

Participia Græca, quibus Latinus caret, Vulgatus diſſolvit, ut tempus eorum exprimat; Arias verò Montanus loco illorum ponit Participia Latina, ut ſciamus eſſe Participium in Græco. In his S. Ioannis Baptiſtæ verbis. ὁ πέμψας με βαπτίζειν. vox πέμψας conſideretur. Impoſſibile eſt, ut participii ratio, & temporis ratio Latinè uno verbo exprimatur: & ideò Vulgatus ſcribens, *qui miſit* tempus expreſſit, at rationem Participii omiſit. Et Arias Montanus *mittens* dicens, ut rationem participii exprimat, in tempore Lectorem decipit.

De Danielis hebdomadis.

De Iona Romani Rabbini converſione.

An, qui illas legerit & ad ratiocinia reduxerit, & Hebræam perfidiam adhuc retineat, ex ignorantiâ poſſit aliquam excuſationem prætendere.

Ioannem Baptiſtam Ionam, Iudæorum filium, Danielis hebdomades ad Fidem Chriſtianam converterunt. Cognovi, & amavi bonum ſenem; & quia non erit inutilis aut ingrata hęc parentheſis, nonnihil de ejus converſione narrabo. Erat Romæ inter Rabbinos primus, nam eum elegantia morum, & eruditio commendabant. Incidit in Danielem; & incepit hebdomadum numerum ad rationem redigere, & reperit jam eſſe completum. Diffidens ſibi, Rabbinos alios rogat, cur non impletæ illæ dicendæ ſint? At illi nil omninò reſpondent, quod ſatisfaciat. Examinat Commentatores, & apud nullum reperit, quod quærebat. Ad Venetos excurrit: & ibi meras tenebras reperit, Audit eſſe doctiſſimos Rabbinos Conſtantinopolitanos. Se itineri accingit: Conſtantinopolim adnavigat: Rabbinos conſulit, & eos videt ſpontaneâ ignorantiâ deludi. Tranſit per Cairum, & ubicumque erat aliquis Rabbinus celeber hæret, ſi fortè ſententiæ eorumdem congruam expoſitionem reperiret. Romam revertitur. Et quia videbat hebdomades à Daniele præſcriptas, quomodocumque exponantur, à multis ſæculis jam fuiſſe impletas, noluit ampliùs Spiritu-Sancto ſe vocanti reſiſtere, ſed Orthodoxam Religionem amplectens, anno Domini M.DC.XXV. Romæ fuit baptizatus.] Hic itaque, ut Eccleſiæ ſerviret, & Iudæos ad Chriſtianam Religionem adliceret, quia erat in Sacra Scriptura verſatus, & in Idiomate Sancto eruditus & eloquens, quatuor Chriſti Evangelia Hebraicè reddidit, in lucem Emiſit Romæ. ann. 166[illegible]. Videamus ergo, quomodo ipſe periodos præcedentes expreſſerit.

Digitized by Google

M M M-L.

Aqua מים *Mim in linguâ Hebrâ ſingulari & plurali caret.*

(1) *Quid ergo baptizas, ſi non es Chriſtus?* Ionas: למה אתה טובל אם אין-אתה המשיח: Lama atha tobel im ein-atha hamaſciah. *Ad quid tu baptizans, ſi non tu Meſſias.* Ecce Participium ponitur pro Præſenti, & Verbum ſubſtantivum, non ponitur, ſed ſubintelligitur.

(2) *Ego baptizo in aquâ,* אני טובל במים. Ani tobel bamain. *Ego baptizans in aquis:* Ecce iterum Participium ponitur pro præſenti. *Aqua* in Hebræo eſt מים. *main* dualis numeri: nam caret ſingulari & plurali.

(3) *Vbi erat Ioannes baptizans.* שם יוחנן טובל. Sciam Iohanam tobel. *Vbi Ioannes baptizans.*

Apud Hebræos Participium ponitur pro Præſenti & ſubſtantivum non exprimitur, ſed ſubauditur.

(4) *Ego in aquâ baptizans.* ואטבול במים, Vaetbol bamaim. *Et baptizato in aquis.*

(5) *Sed qui miſit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit,* כי־אם אשר שלחני לטבול במים, הוא אמר לי, Ki-im aſcier ſcielahani litbol bamaim, hu amar li. *Sed, qui miſit me ad baptizare, ipſe dixit mihi.*

(6) *Ipſe eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* זה הטובל ברוח הקדש. Ze hatobel beruah haqodeſ. *Ipſe baptizans in Spiritu ſanctitatis.*

Subſtantivi Genitivum æquivalet adiectivo: vt Corona auri, *pro* corona aureâ: *ſic* Spiritus Sanctitatis *pro* Spiritu Sancto.

Addamus modò hunc etiam locum, Matthæ. 28. 19. Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* (Arias Mont. *in nomen*) *Patris, & Filij, & Sancti Spiritûs.* לכן לכו ולמדו כל־הגוים וטבלו אתם בשם־האב והבן והרוח הקדוש: Laken lecu, ue lamedu cal-hagoimue tabelu otham beſciem haab, uehaben, ue-haruah haqados. *Idcircò ite, & baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.*

Baptiſmi forma in lingua Hebræa.

Ex his ergo locis deducitur forma Sacramenti Baptiſmi in linguâ Hebræâ debere pronunciari his verbis, אני טובל לך בשם האב והבן והרוח הקודש. Ani tobel leka beſciem haab, uchaben, ucharuah haqados. *Ego baptizans te in nomine Patris, & Filij & Spiritûs Sancti.*

Quanam ſit forma, qua Chaldæi vtuntur?

Maronitæ, qui Chaldæi ſunt, hodie hac formâ baptiſmum conferunt.

אנא מעמד אנא לך פלן בשם אבא וברא ורוחא דקודשא · אמין. Vtuntur Syri alio characterũ genere, ſed tot & eiuſdem valoris literas numerant, quot Hebræi. Non habent proprias vocales, & ideò libentiùs vocalibus Græcis vtuntur, quàm punctis. Et hanc ob rem præſtabit Græcis literis, quàm Latinis, huius ſententiæ prolationem exprimere. Illam ſic lego.

Quas vocales ſcripſerit.

Ἐνὸ μααμιδὸ λεκφλον βεσμ' ἀβὸ ναβρὸ δχυδσ'. ἀμὴν. ש & ע, non poſſunt noſtris aut Græcis literis ſignificare: & ideò poſui ſimiles: nempe ε pro ש; & ά pro ע. & iuſſi. vt א olaph in tenuem ſpiritum converteretur. Senſus verborum eſt.

An à Latinis differant?

Ego baptizo te talem (Hiſp. *fulano*) *in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. Amen.*

Non ergo Chaldæi aliâ formâ vtuntur, quàm nos. Nec patiar, vt quis dicat me decipi: nam à Maronitis, qui hîc Romæ ſunt, hanc formam, quam poſui, characteribus Syris exaratam recepi.

De Formâ Baptiſmi apud Latinos.

Quid hæ voces Baptizo, Baptiſmus, Baptiſterium, *& alia ſimiles ſignificent?*

M M M-LI.

Βαπτισμὸς. Βαπτισμός. Βάπτισμα.

APud Ambroſium Calepinum *Baptiſmum*, vel *Baptiſmus*, vel *Baptiſma* (nam tribus his modis effertur, eſt *Tinctio*: apud alios *Ablutio*, Greg. [*Baptiſma* Græco eloquio dicitur quod Latinè *Tinctio*, quia ibi homo ſpiritu gratiæ in melius immutatur, & longè aliud quàm erat, efficitur. Primum enim fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipſa Tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum.] Plinius Iunior ad Apollinarem: [Cella frigidaria, in quâ Baptiſterium amplum atque opacum:] & hoc non quidem ad tingendum, ſed ad lavandum.

Nota illud in melius: Originale peccatũ eſt animæ macula.

Baptiſterium.

Non debent parva & levia contemni, ſine quibus non poſſunt adquiri res magna.

Hæc Grammatica ſunt, & viderentur levia, aut inutilia fortè, ſed ex illis oritur ſolutio maximæ difficultatis.

An vna gutta aquæ ſufficiat?

An poſſit digitò aquâ tincto baptizare.

Quærit Diana *part. 3. tract. 4. de Sacram. reſ. 5.* An quæcumque aquæ guttula, tametſi minima, ad Baptiſmum ſufficiat? Et vnam vel duas guttas non ſufficere ait Zambran. *in deciſione caſuum occurr. temp. mort. cap. 1. dub. 4.* vbi Valentiam, Suarium, & alios allegat. Conſonat Reginald. *tom. 2. lib. 27. cap. 3. num. 15.* Bonacina *de Sacram. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 3. num. 18.* & alij. His videtur adhærere Diana qui *loco citato*, ſic inquit. [Dicendum eſt igitur illam quantitatem aquæ eſſe ad Baptiſmum ſufficientem, quæ poteſt contingere corpus, & ſucceſſiuè fluere per partem corporis, quod facere poteſt exigua quantitas aquæ: Vnde rectè Paulus Comitol. *in Reſp. mor. lib. 1. quæſt. 12,* & poſt illum Filliuc. *tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 34.* aſſerunt, verum fuiſſe Baptiſmum, quem contulit quædam mulier moribundo infanti, baptizando illum ſigno crucis, impreſſo in fronte digito aquâ madefacto.] Ecce non multum aquæ Authores iſti ad Baptiſmum requirunt, at vnica illi gutta contenti non ſunt. Contrariam tamen ſententiam tuentur Vaſquez *in 3. p. tom. 2. diſp. 147. c. 4. n. 32.* & Henriq. *lib. 2. c. 21. n. 4.* & alij, qui exiſtimant ad Baptiſmi valorem, vel minimam guttulam ſufficere.

N. B. Videntur multi Authores *guttæ* nomine intelligere aliquam indiviſibilẽ, cùm tamen & aliquæ guttæ *magnæ* dicantur, quod multum liquoris contineant. Virgil. Georg. 2. *Scilicet & grandes ibũt per vimina guttæ.* Et Æneid. 3. *Vellitur huic atro liquuntur ſanguine guttæ, & terram tabo maculant.* Guttæ igitur, tantæ ſunt, vt liquefieri poſſint, & maculam inferre ſenſibilem.

Hæc quæſtio videretur alicui valdè Theologica, alij merè Philoſophica, nec aliunde reſoluenda, quàm ex illa Phyſica, quæ inquirit, *An detur termini magnitudinis & parvitatis in elementis?* cùm tamen ſit merè Grammatica. Et non à D. Thom. ſed ab Ambroſ. Calepin. dependens. Nam, ſi baptizare ſit abluere, vna indiviſibilis particula ad Baptiſmum non ſufficit: & ſi ſit tingere, vel minima guttula ſufficit, etſi per alias partes corporis ſucceſſivè non defluat. At, quia Chriſtiani Baptiſmi imago fuit Baptiſmus Ioannis, qui in Iordane fiebat, putarem baptizare non eſſe tingere, ſed abluere, atque adeò pluſquam vnam parvulam guttam requiri, niſi fortè dicamus continuum componi ex partibus ſemper diviſibilibus: & addendo, non dari in aqua terminos parvitatis, inferamus

M M M-LII.

De magnitudinis & parvitatis terminis.

An baptizare ſit potiùs abluere, quàm tingere? Reſolutio.

De Compoſitione continui.

mus

Digitized by Google

ramus guttam vel minimam ſucceſſivè adhærere & fluere, & fluendo lavare. Sed

An ablutio debeat eſſe ſenſibilis?

non quieſco aut adquieſco: quoniam Baptiſmus eſſe debet ſenſibilis, nec ſub ſenſum aut viſûs, aut tactûs caderet, ſi nimis eſſet parvua aquæ gutta, etſi realiter divideretur, & quodammodo flueret. Nec contra hoc militat Aſperſorius Baptiſmus, quem Diana *part.3. tract.4. reſ.11.* & alij validum eſſe affirmant, cùm enim aſperſione plures baptizantur tanta aqua circumfunditur, quanta videtur ſufficiens, ut ſinguli ſenſibiliter poſſint lavari. Quodſi aliquis guttâ contentus

Quid ſit gutta?

fuit, iſte aut nomine guttæ partem aliquam aquæ ſenſibilem & diviſibilem intellexit: & ſenſibilem quidem, tametſi Baptiſmum non eſſe ablutionem, ſed tinctionem putaverit.

Quid Aquæ *nomen in Baptiſmi Sacramento ſignificet?*

MMMLIII.

Aqua, unde dicatur?

AQVA nomen eſt notum, & illi rei dicitur convenire, *à quâ omnia*: inde enim nomen *Aqua* traxit. Fortè non omnia naturalia ab aquâ proveniunt. Fortè illa non eſt

An aqua ſit primum elementum?

primum elementum, ſed ab aliis componitur (quid ſcio?) natura eſt abſtruſa, & obſcura, & multa (ne omnia dicam, aut ferè) etiam à doctis naturalia ignorantur. At in ſupernaturalium rerum ordine meritò nomen *Aqua* retinet, *à quâ omnia*, cætera enim Sacramenta præſupponunt Baptiſmum, & iſte conficitur

Omnia Sacramenta à Baptiſmo dependent.

aquâ. Vnde, cùm quæritur, An in utero ſanctificatus debeat baptizari, communiter reſpondent Theologi, baptizari debere: &, ſi rationem quæram, reſpondent, ideò illum eſſe baptizandum, quia aliàs eſſet incapax, ut cætera Sacramenta reciperet.

Quali ille aquâ conficiatur.

Sed quâ ille aquâ? hoc enim nomen variè ſumitur, & poſſemus inquirere, An poſſint Infantes baptizari quâcumque aquâ? An potiùs aliquâ determinatâ? an aquâ marinâ, fluviali, puteali, fontali, pluviali? an glaciali aut nivali? an æquè coctâ, ac crudâ? an re-

Diverſa aquarum genera proponuntur, & de ſingulis dubitatur.

ſolutâ ex ſale? an quæ oritur ex denſatis vaporibus? & effluit è muris humidis? An rore? an juſculo? an lixivio? an vitium aut arborum gemmantium lachrymis? An aquâ roſeaceâ, aut odoraceâ? Et quia nix, grando, glacies ex aqua fiunt, & in aquam reſolvuntur, poſſemus etiam quærere, An baptizari infantes poſſint non reſoluta nive, glacie, aut grandine?

MMMLIV.

Reſolutio.

Reſpondeo certum eſſe aquam debere eſſe naturalem, ſeu elementarem, ut vocant? certum aquam marinam, putealem, fluvialem, fontalem, etiam ſi vena ſit ſulphurea, glacialem, nivalem, roralem, vaporalem, ſive ſit frigida, ſive calida eſſe naturalem. Certum

Quid in hac Quæſtione certum ſit?

eſt glaciem, grandinem, nivem, quandiu non reſolvantur non eſſe aquam: videtur tamen impoſſibile poſſe aliquem glacie, grandine aut nive conſpergi, quin aliquæ particulæ reſolvantur. Certum eſt vinum, oleum, mel. &c. non eſſe aquam. An autem aqua roſacea ſit

Quid incertum?

aqua, eſt incertum: multi tamen aſſerunt non eſſe aquam: nam Leander, qui libenter probabiles opiniones admittit, interroganti, *An aqua deſtillata ex floribus, ut roſacea, &c. ſit apta materia Baptiſmi?* reſpondet rotundè, *Non eſſe.* Et producit Archange-

An aqua roſacea, differat, aut non differat à fluviali neſcitur.

lum *diſtinct.3. pag.27.* dicentem. [Non poteſt celebrari Baptiſmus in cerviſiâ, & cæteris hujuſmodi liquoribus potabilibus, cùm certum ſit eos alias ſpecies eſſe ab aqua. Pariter in aqua roſacea, aliiſque herbarum ſuccis minimè fieri poteſt; ſicut neque in alchymicis aquis, cùm omnes non ſint veræ aquæ, quamvis cum addito *roſacea*, &c. propter apparentiam *aqua* nomen eis ab Arte tribuatur.] Adhæret huic ſententiæ Paſqualigus *deciſ.77.* qui Peſantium, Nugnum & alios DD. adlegat. At nemo hucuſque demonſtravit aquam roſaceam & aquam fontis ſpecie convenire, aut differre: ergo, ut minimùm, an ſit materia conveniens, dubium eſt.

An aqua quæ ex ſale extrahitur, ſit materia ſufficiens?

Aquam ex ſale reſolutam eſſe materiam ſufficientem, negant Angelus, Sylveſter, Ægidius, Aureolus, Lublinus, Laymam, & Paulus. Pro negativa Tabiena citatur ab Henriquez, & benè: à Caſtro Palao Bonacina, ſed malè. Affirmativam partem probabiliorem eſſe exiſtimat Leander *part.1. tractat.2. quæſt.5. pag.26.* & pro ſe Sotum, Ochagaviam, Henriquez, Armillam, Vivaldum, Tabienam, Bonacinam, Poſſevinum, Ant. Fernandez Monte, Dianam Filliucium, Trullenchium, Dicaſtillum, Candidum & Hurtadum adducit: & firma

Vnde fiat ſal?

ratione perſuadet: ſi enim ſal efficitur ex aqua marina vel puteali Solis fervore congelata: hoc reſolutum & liquefactum in priorem naturam redibit. An aqua marina eſt materia ad Baptiſmum ſufficiens. Ergo reſoluta ex ſale.

MMMLV.

De utraque opinione Theologorū Iudicium.

Et hic obiter obſerva quàm varii ſint hominum ſenſus. Affirmativa hæc ſententia à Leandro probabilior & communis vocatur: utramque eſſe probabilem aſſerit Paſqualigus: & Ægidius aſſerit ſibi videri aſſerentem improbabilem. Ægidius igitur habebat demonſtrationem Phyſicam, qua inſtitueretur, aut temerè judicavit.

De aqua, in quam glacies, nix, aut gelu reſolvitur.

Aquam ex nive, glacie, gelu aut rore cæli reſoluta, inſufficientem eſſe auſi ſunt dicere Marſius, & alii. At certa & indubitata ſententia eſt contraria. Nam, ſi ſubſtantia aquæ eſſentialiter alteratur, cùm in glaciem rigeſcit, idem de vino dici debet. Ergo, ſi vinum conſecratum congeletur, deſinit eſſe conſecratus, quod eſt abſurdum.

An ipſamet glacies, aut nix ſit ſufficiens materia?

Quæritur, An glacie, nive, aut gelu aliquis poſſit baptizari? negant S. Thomas, Victoria, Angelus, Diana. Bonacina, Chamerota, Molfeſius, Nugnus, Rodriquez, Sotus, Sylveſter Archangelus, Angelus, Vivaldus, Filliucius, Petrus de Ledeſma, Armilla, Reginaldus Ægidius, Reginaldus, & alii. Et ego

Nix & glacies, ſi à corpore calido tangantur, diſſolvuntur.

hæreo, quoniam non video, cur hi Authores voluerint ſententiæ negativæ adhærere: nam vel agunt de glacie, nive, aut gelu in aquam diſſolutis, vel de non diſſolutis: ſi de diſſolutis, illa aqua erit naturalis: ſi de non diſſolutis, caſus eſt impoſſibilis; nequit enim contingere ut glacie, nive, aut gelu tangatur caro viva,

adeoque calida, & non diſſolvatur, quantum ſit ſufficiens, ut tingatur. Interim ſi frigus tantùm eſſe dicatur, ut nulla liquefiat particula; puta, ſi chryſtallus: quæ aqua glaciata jam fixa à multis creditur, adhibeatur, nullum fiat Sacramentum.

An Cryſtallus ſit aqua congelata?

De aquâ, quæ ſtillat à vitibus.

Aquam, quæ deſtillat ex vite eſſe materiam aptam aſſerit Ioannes de Cruce *part.2. de bapt. quæſt. 1. dub.1. conc.2.* & alii: probabilem hanc eſſe ſententiam exiſtimant Paſqualigus, Dicaſtillus, &c. Contrarium tenent Henriquez, Fillincius Ægidius, Vivaldus, Bartholomæus de Ledeſma, Gabriel, Candidus, Diana, Moure, Zenardus, Reginaldus, Bonacina, Trullenchius, Leander, & alii. Sanè in caſu neceſſitatis, non ſolùm potes, ſed & teneris hac aquâ uti, quia melior eſt probabilis baptiſmus, quam nullus. Ita Paſqualigus, Diana, Trullenchius, Dicaſtillus, & alii. Interim tota ratio negativæ ſententiæ duo ſupponit; alterum, hanc aquam eſſe ſuccum: & alterum, ſuccum differre ſpecie ab aquâ. Sumus in multis præjudiciis hauſtis à Peripato, & ex tripode loquimur, ac ſi Ariſtoteles non potuiſſet errare. Cùm res ſit ſummi momenti, gemmantium vitium lachrymis extra neceſſitatis caſum non utaris, ob extrinſecam ſententiæ oppoſitæ probabilitatem: Dic tamen, te exſpectare, ut Ariſtotelei probent aquam cum in ſuccum convertitur, non ſolùm colore & ſapore, ſed etiam ſpecie ſubſtantiali mutari. Et dato, quòd ſucci ab aquâ diſtinguantur ſpecie, adhuc tenentur oſtendere Ariſtotelei arborum lachrymas non eſſe aquam ſuperfluam; quæ, quia hauſta eſt à terrâ, & converti nondum in ſuccum potuit, egeritur nondum mutata.

Quid in caſu neceſſitatis fieri debeat?

Non ſufficit Ariſtoteles, ut pronuncietur in re gravi.

An ſuccus ſit aqua?

An arborũ lachrymæ ſint ſucci?

M M M-LVI.

De lexivio, brodio, juſculo, &c.

De lexivio, brodio, carnium jure etiam interrogas. His liquoribus poſſe aliquem baptizari negant Aureolus, Graffius, Molfeſius. Paſqualigus.; & alii. Sed cur? Quia hæc aqua non eſt apta ad lavandum, cùm potiùs polluat, ait Paſqualigus. Et, ſi hæc ratio eſſet congrua, nec aquâ turbidâ aliquem baptizare; nam & hæc potiùs pollueret, quàm emacularet. Reſpondeo brodium, quod vocant, aut jus carnium, non debere cum lexivio confundi; nam ſunt res toto cœlo diverſæ. Pinguedo liquida noneſt materia ad baptiſmum ſufficiens. In carnium juſculo aqua & pinguedo commiſcentur; &, ſi Ariſtoteleis creditur, poſſunt in tertiam ſubſtantiam converti. Si in juſculo jam non ſit aqua, ceſſat quæſtio: ſi ſit aqua & pinguedo eſt periculum, ne fortè ſola pinguedo tingat, & aqua baptizandum non tangat. Leander *part.1. tract.2. diſp.2. quæſt.9. pag.27.a.* jus carnium eſſe materiam aptam docet, ſi non ſit ita ſpiſſum, ut ibi eſſe aqua dubitetur: & S. Thomam, Sotum, Sylveſtrum, Ægidium, Hurtadum, Poſſevinum, Vegam, Vivaldum, Angelum, Yribarnem, Ludovicum de San Iuan, Lublinum, Bartholomæum de Ledeſma, Vaſquez, Angles, Granadum, Candidum, ſummam Theologicam, Bonacinam, Villalobos, Becanum, Reginaldum, Baunium, Paſqualigum, Trullenchium, Dicaſtillum, & Geſualdum adlegat. Interim, illud verbum *dubitetur* non placet: nam, ſi dubium ſit an ſit ibi vera aqua, dubium erit, an ſit ibi materia apta, &, ſi de primo ſit probabilitas aut certitudo, erit ſimiliter probabilitas aut certitudo de ſecundo. Sed & poteſt eſſe certitudo quod ibi ſit vera aqua, & ſummum in uſu periculum: nam, ſi parum aquæ quis in vas olei infunderet, tametſi certò ſciret ibi eſſe aquam, non poſſet hac uti materiâ: tum quia non eſſet hæc aqua civilis, tum, quia ſe exponeret periculo, oleo & non aquâ baptizandi.

Non eſt apta materia pinguedo liquida.

An aqua tali pinguedini immixta admitti poſſit?

Nulla in praxi eſt probabilis ſententia admittenda cum periculo.

M M M-LVII.

Quid ſit lexivium?

An materia ſufficiens?

Volui lexivium à juſculo carnium diſtinguere; nam in lexivio quidquid liquidum eſt, aqua eſt: cineres enim non liqueſcunt, ſed aquam tingunt, & tinctæ diverſas qualitates illæſâ ſubſtantiâ communicant. Quam ob rem Scriptores, qui juſculum eſſe materiam ſufficientem admittunt; à fortiori debebunt lexivium admittere.

Non ſunt tot rerum ſpecies, quot putantur.

Aquam, quæ in ollæ tegumento colligitur, eſſe veram aquam negat Trullenchius *libr.2. cap.1. dub.3. num.3.* Sed cur? Quia non eſt vera aqua. At hoc ipſum deberet oſtendere; quia à Moure *part.1. cap 11.§.2. num.3.* & à Dianâ *part.3. tract. 4. reſol.5.* & ab aliis viris doctis negatur. Qui hanc doctrinam ad aquam, quæ ex parietibus & lapidibus fluit, etiam extendunt. Interim, ſi ſine Ariſtotele rerum naturam meditaremur, nollemus tot ſubſtantiales ſpecies ſine fundamento legitimo multiplicare.

De cerevisiâ An ſit materia ad baptiſmum ſufficiens?

Petit Leander *diſp. 2. cit. quæſt. 12.* An cerevisia, ptiſana, lac, urina, ſaliva, ſudor, lachrymæ & hujuſmodi ſint materia debita aut ſufficiens Baptiſmi? Et ego neſcio, Cur interrogent, An hujuſmodi res ſint materia debita? non enim eſſe debitam, indubitatum eſt. Puto etiam male cerevisiam & ptiſanam cum liquoribus aliis confundi: nam de cerevisiâ & ptiſanâ, ſicut de lixivio eſt philoſophandum. Ex farinâ & aquâ fit cerevisia; &, quia farina illâ viâ non convertitur in liquorem, quidquid in cerevisiâ liquidum eſt, aqua eſt: adeoque de magis aut minùs forti cerevisiâ, ſicut de aquâ magis aut minùs turbidâ philoſophabimur. Putarem, in cerevisiâ nunquam aquam corrumpi & transformari ſubſtantialiter: cæterùm, ſi levi decoctione illa fiat, poſſe in Baptiſmo ſervire docent Sylvius, Ægidius, Angelus, Valentia, Candidus, Hurtadus, Archangelus, Becanus, & ut Leander ait, etiam omnes. Et idem dicito de Ptiſanâ.

De ptiſanâ.

Veniendo ad corporis humores, non eſſe illos ſufficientem materiam communiter docent Theologi ex doctrinâ Ariſtotelis, qui copioſo cornu numeroſam ſubſtantialium formarum multitudinem in rerum naturam profundit Profectò phlegmata & lachrymæ *in cap. in quadam, de celebratione Miſſarum*, ab hoc ſancto miniſterio excluduntur: ſaliva etiam *in cap. pen. de Baptiſm.* Et rationis paritas contra urinam, lac & ſudorem argumentum deducit. Hanc Leander ſententia certiſſimam vocat, unde patet oppoſitam judicare improbabilem: *tom. 1. tractat.2. diſput.2. quæſtion.12. pag.27. b.* ait. *Oppoſitum omninò reſpondeo*, &c. & in Indice *Lac certiſſimum eſt non eſſe materiam*

De phlegmate, lachrymis, & ſalivâ.

De urinâ.

Digitized by Google

teriam Baptiſmi. Vrina. Certiſſimum eſt non eſſe materiam, &c. Huic doctrinæ aſſentiuntur D. Thomas *quæſt. 66. art.4.* Sotus, Ledeſma, Tabiena, quos citat & ſequitur Henriquez *lib.2.cap.6. num.2* Binsfeldius *in ſuo Enchiridio part,1. tract. de Baptiſm.§.1.* Et eius Additionator Franciſcus Sylvius *ibid.* accedunt Bonacina, Vivaldus. Angelus, Ægidius, & Valentia. Ego quidem ſicut Peripateticæ doctrinæ probabilitati derogare non volo, ſic nec cenſeri certam patiar: nam aſſerunt communiter Patres & Theologi (nempe, Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophilactus, Eutymius, &c. S. Thomas, Angelus, Sylveſter, Candidus, Sotus, Vivaldus, Leander, Archangelus) *ex cap. in quâdam, de celebrat. miſſarum*, aquam, quæ egreſſa eſt ex latere Chriſti fuiſſe veram, & aptam, ut ex ipsâ conficeretur Baptiſmus. Porrò, ſi diceretur illa aqua fuiſſe ibi miraculosè creata, concederetur ſine causâ prodigium, & illa non eſſe vera corporis crucifixi pars. Ergo doctrinæ ſuavitas miraculum, ſi admittendum ſit, in ſolo modo admittit, & in corpore humano veram aquam reperiri fatetur. Ergo, ſi in ſanguine aqua vera invenitur, illam in ſalivâ, lachrymis, phlegmate, ſudore, &c non inveniri, non eſt ita certum, ut prudens dubitari non poſſit.

E corpore Chriſti profluxit vera aqua.

MMMLVIII. Sed quid in caſu neceſſitatis? Quot quot docent hos humores eſſe materiam dubiam, neceſſariò affirmabunt poſſe & debere in caſu neceſſitatis ſervire. Ægidius *quæſt. 66. dub.1. num. 24.* ſic inquit [De ſputo autem ſudore, & ſimilibus humoribus, non videtur id poſſe dici *ob cap.penult.de Bapt* ubi Pontifex negat abſolute pro Chriſtianis habendos, qui in neceſſitate ſputo baptizati ſunt. Hoc etiam certum eſt, tam hac, quam illa materia baptizatos, ſaltem ſub conditione rebaptizandos, ſi poſteà fieri poſſit: quia ut minimum eſt materia dubia.] Subſcribit Bannius, & Palaus, à quibus non abeſt Dicaſtillus.

An humores, qui in humano corpore ſunt aquæ ſimiles, ſint materia dubia?

Leander oppoſitum omninò reſolvit, & Ægidium immeritò dubitare pronuntiat. Et probat, Quia expreſsè eſt hoc prohibitum *in cap.penult.de Baptiſm.* Sed hinc eſſet illicitum, non autem evidenter invalidum Baptiſmum illum deduceretur. Non enim ſemper Sacri Canones & Pontificiæ leges, ſunt de rebus manifeſtis & certis, ſed in ſententiis probabilibus, eas inhibent, quæ in praxi aut periculoſæ, aut minùs opportunæ videntur; eaſque eligunt, quæ periculo carent. Quam ob rem omnia, quæ interdicuntur in Iure Canonico, ſunt certò illicita, non autem omnia certò invalida. Quam ob rem Tu donec demonſtrationem Leander afferat, dubita: & ut in cæteris dubiis procede. Sed, quia Leander Authorum delectari nominibus, & Fundamenta non curare, illa ſubiiciam ex quibus debeat præſens controverſia decidi. Sic inquam.

An omnia certò illicita, aut etiã certò invalida ſint, quæ in Iure Pontificio leguntur?

Homo eſt corpus mixtum. Sed quia eſt mixtio? An-ne partium interpoſitio: an verò in tertiam ſubſtantiam converſio? An-ne ita in homine miſcentur elementa ut grana hordei & tritici: in quorum nullo mutatur natura, ſed tantùm confunditur ordo? Hanc aliis verbis Quæſtionem Recentiores proponunt: interrogant enim, An elementa ſecundum ſuas formas eſſentiales maneant in mixto: an formæ priores in aliam tertiam convertantur? Priorem illam ſententiam, (nempe, Elementorum formas verè & realiter manere in mixto) ante Ariſtotelem erat in Schola communis. Eam habuerunt Anaxagoras, Empedocles, Plato, & alij. Illam *ad text.64.* reponit Philoponus: quem ſequitur Fernelius *lib 2. Phyſiolog. cap. 6* & cum eo paſſim Medici, ut enim morbi, & eorum curæ intelligantur, eſt aptiſſima. Sed nec diſplicet Theologis, nam eam docet Albertus Magnus *lib. de gener. tract. 6. cap. 5.* & *3. de Cœlo. tract. 2. cap.1. & 8.* Conſentiunt aliqui Peripatetici, qui in expoſitione *cap. 10. lib. 1. de generat.* Eam tuentur: & *in 2. ſent. diſt.15. & 30.* nec non *in 1. part. quæſt.76. art.4.* ex Ariſtoteleis fundamentis diſcurrunt. Patres ferè fuere Platonici: & S. Bernardus *tom. 2. ſerm. 71. in Cantic. num.3* de viventibus diſſerens. *Secundum hoc cùm deſinunt vivificare, ſimul vivere ceſſant, ſed non eſſe, ſolvuntur pariter & diſſolvuntur, tanquam non alligata tantùm ſed colligata, neque enim unum ſimplex eſt quæque harum, ſed ex pluribus conſtans, & propterea non redigitur in nihilum, ſed diſſilit in partes, ut & ad ſuum quodque recurrat principium verbi causâ, aer ad aerem, ignis ad ignem, & reliqua in hunc modum*, &c. Ergo ex hypotheſi (probabiliſſima; & ut vidiſti, à doctiſſimis viris recepta) quòd in corpore humano (mixtum enim eſt) verè & realiter aqua vera inveniatur, ſi hæc in lachrymis, ſaliva, ſudore, &c. non eſt, ubi quærenda ſit, nos poterunt adverſarij docere.

An homo ſit corpus mixtum?

Quid mixtio ſit, & quomodo fiat?

An elementa formaliter maneãt in mixto?

An corpus humanum poſt mortem in elementa convertatur?

MMMLIX. Etſi aqua naturalis diſtingui ſpecie ab artificiali dicatur, non ſemper eſt artificialis, quæ extrahitur artificialiter. Quærit Leander, *tom.1. tract.2. diſp. 2. quæſt 16. pag. 18* An aqua per artem ex vino limphato, vel ex brodio ſpiſſo extracta, ſit ſufficiens materia Baptiſmi? & reſpondet, eſſe; quia verè eſt aqua naturalis, ſicut & eſt aqua depurata ex luto denſo. Et pro hac ſententia D. Thomam, *quæſt 66. art 4. ad 2.* Sotum, Ledeſmam, Henriquez, Vivaldum, Ochagaviam, Hurtadum, Vaſquez, Bonacinam, Reginaldum, Poſſevinum, Ægidium, & alios adlegat. Quæritque Archangelus *in 4. diſt 3. pag.27.* an aqua expreſſa ex pane calido aut ignis potentia deſtillata ſit materia ſufficiens. Et negat: non enim eſt certum, ut ait Sotus, eam eſſe veram aquam. Et Archangelo Leander aſſentiri videtur. Subiumo Per Sotum, Archangelumque non eſt certum illam materiam eſſe veram. Ergo non eſt certum eamdem materiam veram aquam non eſſe.

De aqua naturali & artificiali. An ſemper ſit artificialis, quæ extrahitur artificialiter?

At Ego ad Leandrum redeo, & exiſtimo, rationem ab eo productam firmam eſſe. Certum eſt enim aquam ex luto extractam eſſe naturalem & veram: at incertum an quæ ex vino limphato aut brodio craſſo extrahitur, ſit vera. Porrò ex ipſo vino puro aqua extrahitur, quam eſſe veram negant Peripatetici: nam extracta per filtrum eſt debilis, & vocatur vinoſitas: & diſtillata per ignem, eſt vehemens, & Hiſpanicè vocatur, *agua*

De aquâ ex vino limphato deducta.

An aqua in vi:um convertatur?

ardiente: & alterutram eſſe veram aquam communiter negant Philoſophi. Ergo, quando ex limphato vino aqua extrahitur, eſt inquirendum priùs, An in illo ſit aqua: nam valde communis eſt ſententia, quæ docet aquam vino immixtam, in vnum converti: &, ſi in limphato vino nulla ſit aqua, nulla extrahetur: ergo ille liquor aquæ ſimilis, qui inde extraheretur, aut mera vinoſitas, aut ardens aqua. Cæterùm, ſi in vino limphato ſit vera aqua, quod etiam multi aſſirmant, æquè ipſa, ac vinoſitas aut aqua ardens arte poterunt extrahi. Ergo, aut aqua ſic extracta non erit naturalis, aut ſaltem erit ex naturali commixta. Ergo inſufficiens, ut ſtatim videbimus. In brodio ſpiſſo ſunt duo liquores, aqua & pinguedo. Et quid ſcimus, an in tertiam ſubſtantiam ignis efficaciâ tranſiverint? Ergo liquor, qui à brodio ſpiſſo extrahitur, tametſi aquæ ſimillimus, aut non eſt naturalis aqua, aut eſt quid ex naturali & non naturali commixtum: ac proptereà non poteſt in Baptiſmo ſervire. Eodem modo de aquâ ex pane extracta philoſophari poterimus. Ergo ab his ſemper materiis abſtinere debemus.

An in juſculo aqua & pinguedo in tertiam ſubſtantiam convertantur?

Dubiæ erant materiæ propoſitæ ex duplici capite: nam dubitabatur, an fuerit aqua in aliam ſubſtantiam converſa? & ex ſuppoſitione, quòd converſa non fuerit, an immixta alij liquori ſit materia ſufficiens? &, ut dilucidetur hoc Dubium, interrogas, *An naturalis aqua cum alio liquore mixta, ſit ſufficiens materia?* Leander *loc. cit. quæſt.* 17. reſpondet, quòd ſi aqua naturalis mixta ſit cum alio liquore in tantâ quantitate, ut ita admixta non poſſit ampliùs denominari aqua naturalis, tunc non erit apta materia: ſecùs, ſi miſceatur cum parvâ quantitate alterius liquoris. Quia, cùm ſit in parvâ quantitate admixta, non deſinit eſſe aqua naturalis ſecundum ſubſtantiam: & citat Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. S. Thomam *quæſt. 66. art.* 4. Angelum, Richardum, Angles, Filliucium, Bonacinam, Molfeſium, & alios.

An aqua vera cum alio liquore mixta, ſit materia ad baptiſmum ſufficiens?

MMMLX.

An parvus liquor in copioſum injectus in copioſi ſubſtantiâ convertatur?

Ego autem in hac materiâ ſic diſcurro. In opinione Peripateticorum, qui exiſtimant copioſum liquorem in ſuam ſubſtantiam alterius liquoris parvam quantitatem convertere, ceſſat Quæſtio, & vera eſt S. Thomæ, qui Ariſtoteli adhæret, opinio. Interim, ſi mixtio ſine converſione fieri poſſit, & ſicut grana hordei cum granis piperis, ſic etiam guttæ aquæ, cum olei guttis immiſceantur, quæ parũ olei habeat, validè abluetur infans, quia licèt aquâ & oleo tangeretur, baptizari cenſeretur ab aquâ. Interim, ſi Baptiſmus per aſperſionem fieret, uti tali aquâ expoſitum ſummo eſſet periculo; quoniam diviſâ in guttas, alios pura aqua, & alios purum oleum tangeret. Et hanc ob rem, qui tangerentur oleo, non baptizarentur: & cùm non poſſemus diſtinguere tinctos oleo à cæteris, qui fuerunt tincti aquâ; de ſingulis dubitaretur. Sed quid, ſi in multo oleo eſſet parum aquæ? Eſſet-ne materia ad baptiſmi valorem ſufficiens? Non eſſe aſſerit communis opinio illam in oleum eſſe verſam ſupponens. Sed quid, ſi non fuerit converſa? ſi infans, dum baptizatur, etſi contingatur magnâ olei copiâ, nihilominùs tactus ſit aquâ verâ, poſſet aliquis fortè aquæ ipſammet naturam reſpicere, & aſſerere, ſi ex parte intentionis, aut aliunde non obſit, validum baptiſmum illum fuiſſe: poſſet alius cum Leandro dicere, illam non poſſe denominari aquam, nec eſſe aquam ſenſibilem, qualis materia Sacramentorum debet eſſe: & inferre, baptiſmum illum fuiſſe invalidum. Ergo omnia ſunt dubia, & in praxi abſolutè vitanda.

Quid, ſi non convertatur?

Quid, ſi infans tangatur aliquâ particulâ aquæ veræ?

An peccatum mortale ſit, uti aquâ ſordidâ?

Eſſe mortale uti aquâ ſordida & immunda aſſerit Leander *tom. 1. tract. 2. diſp. 1. quæſt.* 18. & Henriquez, Ægidium, Valentiam, Sotum, Ludovicum de S. Iuan, Villalobos, Scotum Zambranum, Lublinum adlegat. At hi Authores loquuntur de aqua ita ſordida, ut dubium ſit, an ſit vera aqua, & ad baptiſmum ſufficiat.

An, & uti aquâ non benedictâ?

Reginaldus, Hurtadus, Palaus, & Diana aſſerunt eſſe peccatum mortale uti aquâ non benedicta, quæ in fonte baptiſmali ſervatur; at hoc Quintanadueñas *ſing.* 22. non admittit: ſed probat non eſſe mortale baptizare ſine aqua benedicta, etiam in Baptiſmo ſolenni. Et Sanè Calviniſtis, imò etiam Lutheranis, condole vel ex hoc capite, omnes enim aquâ non benedicta, & multi apud ipſos aquâ artificiali baptizantur; quam eſſe materiam incertam dicunt, qui moderatiſſimè loquuntur; eſſe certò inſufficientem cæteri. Aquam interdum non realiter per ſe ipſos, ſed moraliter per Miniſtros fundunt: quod Catholica non admittit ſinceritas. Ergo Hæreticos ſic baptizatos non eſſe certò Chriſtianos certò conſtat aut ſaltem non conſtat certò illos eſſe Chriſtianos.

De Hæreticorum baptiſmo?

An omitti aliqua dictio poſſit in forma Baptiſmi?

MMMLXI.

Quæſtio proponitur.

Forma complectitur hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti: Amen* & quæritur, An omnes ita ſint eſſentiales, ut nulla omninò omitti poſſit?

De particulâ Ego.

Reſpondeo primò, illam voculam *Ego* imbibi in verbo *baptizo*, atque ideò non eſſe eſſentialem. Eſt contra aliquos, quorum meminit Abbas *in cap. ſiquis. de baptiſm.* & Aureolus *diſt. 3. quæſt.* 2. Illam tamen nos docent Innocentius III. *in cap. 1. de Baptiſmo, & cap. retulerunt. de conſecr. diſt.* 4. S. Thomas *quæſt. 66. art. 5.* & cum eis omnes Doctores.

De particulâ Te.

Reſpondeo ſecundò tam poſſe omitti particulam *Te* in Latinorum Baptiſmo, quam particulam *à me* in Baptiſmo Græcorum. Ergo, ſi apud hos perſonam agentem circumſtantiæ concomitantes conſignificant, apud nos eædem patientem poterunt ſignificare. Confirmatur. Tam poteſt omitti particula *Te* in baptiſmo, quàm in abſolutione; unde videretur rationis paritas poſtulare, ut vel utrobique poſſit omitti, vel neutrubi. Vnde, ſi ſemel diceretur eſſe probabilis ſententia Paludani docentis in abſolutione ſubintelligi illud *Te* propter præſentiam rei, nec debere neceſſariò exprimi: poſſet dici etiam in Baptiſmo ſubintelligi alterum *Te* propter præſentiam perſonæ quæ abluitur:

An in abſolutione pronomen Te poſſit omitti?

Abſolutio in Baptiſmo eſt ſenſibilis: at abſolutio in Pœnitentia Sacramento inſenſibilis.

tur: imò clariùs in Baptiſmo, quàm in Pœnitentiâ; quia hic homo ſenſibiliter abluitur, & ibi non abſolvitur ſenſibiliter. Verùm enim verò, ne in re tam gravi uni Authori, licèt docto, contra omnes adhæreamus, quouſque res à Theologis meliùs examinetur, illud *Te* neceſſarium dicamus. Hæc neceſſitas colligitur ex verbis Chriſti *Math. ult.* aſſeritur *in cap. debitum. de bapt.* traditur à S. Thomâ *quæſt. 66. art. 5.* Hanc ſententiam eſſe certam & omnium Doctorum ait Leander *tract. 2. de bapt. diſp. 3. quæſt. 7.* monet tamen, & bene, partic. *Te* omitti, ſi ponatur alia, per quam determinetur baptizandus, quidquid contradicat Alexander *in 4. part. q. 8. membr. 3. art. 3. §. 2.* nam ſicut Græcus dicit, *Baptizatur ſervus Chriſti*, &c. poſſet alius activè dicere, *Ego baptizo ſervum Chriſti*, &c.

De particulâ, In.

An verbum baptizo *omitti poſſit?*

Reſpondeo tertiò, illud verbum, *baptizo* omitti non poſſe: hoc eſt non valere Baptiſmum, ſi conferretur ſub his verbis *In nomine Patris & Filij & Spiritûs-Sancti.* Et hìc monendi ſunt Epiſcopi: nam decipi poſſunt in Obſtetricum examine: quoniam interrogatæ, Quomodo baptizent? reſpondent, ſe in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti baptizare: & interim latêre poteſt error eſſentialis ſub his verbis: nam Pragæ Infantem N. Viri Nobiliſſimi filium, baptizavit Obſtetrix, aquam effundendo, & dicendo, *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti:* & fortè alios ſub eâdem formâ baptizaverat. Pronunciavi Baptiſmum eſſe invalidum, & juſſi à Parrocho infantem baptizari.

Quantâ cautela ſint examinandæ obſtetrices?

An illius verbi bapti-zo *neceſſitas ex Evangelio colligatur?*

Sed inſtas Baptiſmum iſtum fuiſſe validum, nam fuit juxta præſcriptum Chriſti, qui *Matth. ult.* ſic inquit *Euntes in mundum univerſum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus-Sancti.* Ecce *baptizantes*, ait, non *dicentes*. At, cùm aquam infundit, baptizat: Ergo non eſt neceſſarium dicere, *Ego te baptizo:* ſed ſufficit hoc ipſum facere.

Sacramentorum formæ non ſunt in nudo Evangelio quærendæ, ſed in Evangelio ab Eccleſia explicato.

Reſpondeo formas Sacramentorum fuiſſe à Chriſto inſtitutas, & Apoſtolis traditas: & per Apoſtolos ad nos tranſmiſſas traditione continuâ. At ex traditione Apoſtolic., quam expreſſam in Conciliis habemus. Miniſter, *Ego te baptizo* debet dicere. Ergo, ſi illud verbum, *baptizo* intermittatur, tametſi infans in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs-Sancti baptizetur, erit Sacramentum invalidum.

De particulâ, In.

Reſpondeo quartò contra Reginaldum *tom. 2. lib. 24. cap. 1. num. 30.* Comitolum *Reſponſ. moral. lib. 1. quæſt. 9. num. 5.* Toletum *lib. 2. cap. 19. num. 5. & cap. 10. num. 2.* Bartholomæum ab Angelis *in Exam. Confeſſ. Dial. 2. §. 115.* Angelum *verb. baptiſm. 2. num. 6.* Waldenſem penes ipſum, Sylveſtrum *verb. baptiſm. 1. num. 6.* Aſtenſem *1. part. ſumm. lib. 4. titul. de bapt.* Navarrum *cap. 22. num. 5.* Scotum *diſtinct. 3. quæſt. unic. art. 5.* Vivaldum *cap. 3. num. 11.* Ioann. Majorem *in 4. diſt. 2. §. Iam. viſo.* Baunium *tract. de Bapt. quæſt. 10.* Et aſſero illam particulam *In* non eſſe neceſſariam. Subſcribo Dianæ *part. 2. tract. 15. reſol. 47.* Henriquez *in ſumm. lib. 2. cap. 8. num. 6.* Bonacinæ *de Sacram. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 4. num. 16.* Ægidio Coninch *de Sacram. tom. 1. quæſt. 2. art. 2.* Filliucio *num. 63.* Hurtado *de baptiſm. diſp. 1. diff. 7.* Candido *diſquiſ. 16. art. 4. dub. 5. pag. 84.* Sayro *de Sacram. lib. 1. cap. 4. art. 4.* Vaſquez *diſp. 52. num. 30.* Leandro *tract. 2. de bapt. diſp. 3. quæſt. 11.* Chamerotæ, Dicaſtillo, Trullenchio, & aliis.

An ſit de forma ſubſtantiâ?

Vt hanc probet Concluſionem Diana, duas rationes adducit. PRIMA EST: Nam relictâ particulâ *In* non deſtruitur ſenſus formæ. Ergo illa eſt accidentalis. Patet antecedens, quia idem omninò eſt dicere *In nomine Patris* ac *Nomine Patris.* SECVNDA, quia videtur illud *In* per Hebraiſmum adiungi, eo nimirùm modo, quo dicimus, *Credo in Deum, Cano in cithara*; ubi Latinus potiùs diceret, *Credo Deum, Cano cithara.* MMMLXII.

An mutetur ſenſus, ſi omittatur?

Particula In *pertinet ad Hebraiſmum.*

Rationem ſecundam amplector; nam ſtando Hebraiſmo, (aut Syriſmo potiùs; nam Chriſtus, non hebræa Linguâ, ſed Syriaca fuit uſus) illud *In* redundat, & nihil omninò ſignificat, vel ſi aliquid, tantummodò Syros hoc modo loqui, ubi nos ſine præpoſitione loqueremur. Sed rationem primam reiicio; nam, ſi ſemel dicatur illud *In* debere accipi iuxta Latiniſmum, has duas præpoſitiones *Ego te baptizo in nomine Patris, &c. nec non Ego te baptizo nomine Patris, &c.* non puto æquipollentes eſſe: quoniam in nomine Ieſu Dæmones genuflectunt, nec tamen nomine Ieſu illa flectunt, ſed ſuo proprio: ipſi enim ſunt, qui perſonaliter tenentur (hoc eſt, nomine proprio) Chriſti nomini reverentiam facere. In nomine Dei nos dormimus, ſurgimus, quieſcimus, ambulamus, ieiunamus, comedimus; quæ tamen proprio nomine facimus, & non nomine Dei, cuius perſonam in eiuſmodi actibus non repræſentamus: at Dei nomine baptizamus, abſolvimus, & conſecramus; unde bene hac formulâ impenditur Abſolutionis forma: nimirùm, *Authoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, Apoſtolorum Petri & Pauli, & Ordinis mihi commiſſa Ego te abſolvo, &c. in nomine Patris, &c.* A Chriſto enim in Sacerdotio conceditur abſolvendi poteſtas; ſolus enim Deus poteſt peccata remittere, & Confeſſarius, cùm Abſolutionem impertitur, non ſuo ſed Dei nomine loquitur, & peccata remittit. At Petro & eius ſucceſſoribus Pontificibus & Epiſcopis habemus oves, in quas exercere iuriſdictionem valeamus. A Paulo doctrinam. A Superioribus noſtræ Religionis licentiam; nam ſine ſcientia erraremus in Sacramentali iudicio; & ſine licentia conficeremus Sacramentum validè, ſed illicitè; & ſine ovibus non haberemus perſonas, circa quas Sacramentale judicium exercere poſſemus.

Aliud eſt nomine, & aliud in nomine agere.

Quæſunt hìc Authores, An omittere illam particulam *In* ſit peccatum mortale? ſi eſſet certum ſine illa cõfici Sacramentum, ego ſubſcriberem Authoribus, qui eſſe veniale admittunt: interim quamdiu incertũ eſt an ſine illa forma Sacramentũ ſubſiſtat, omittentem peccati mortalis condemno.

Communis abſolutionis formula.

Chriſti nomine procedit Confeſſarius.

Quænam requirãtur, ut licitè & validè Sacerdos poſſit confeſſiones audire?

Stet ergo illud *In* ad idiotiſmum pertinere, & ſi Cirrceronianè loqui velimus, poſſe omitti; & ſi ſcripturariè, retineri. Cùm autem ita debeat fieri tranſlatio, ut quantum fieri poſſit ipſimet textui correſpondeat, puto vel invito Cicerone *in nomine Patris* dicendum; ita tamen ut illud *in*, non ad labium Ciceronis, ſed ad ſenſum Sacræ Scripturæ recipiatur, & dicatur nihil aliud *In nomine* quàm *Nomine* ſignificare. Et quidem in linguâ Latina admittuntur omnium partium MMMLXIII.

Aliter Cicero & aliter loquitur Sacra Pagina.

Omittunt crebrò præpoſitiones, qui loquenter loquuntur.

Orationis

ſit eſſentialis defectus: nam ſaltem peccatum mortale non erit eas, omittere, ſi ſemel ſupponamus non eſſe de eſſentiâ.] At non poſſumus prudenter ſupponere eſſe certam noſtram ſententiam, ſed eſſe probabilem, aut etiam probabiliorem ut ait Leander. Ergo non poſſumus prudenter negare oppoſitam eſſe probabilem. Summam ergo injuriam irrogaret infanti, qui conferendo Sacramentum probabile, eum exponeret æternæ damnationis periculo. Ergo peccaret mortaliter.

De particulâ, Amen. An ſit de eſſentiâ Formæ Sacramentalis?

Reſpondeo ſextò, particulam, *Amen*, videri potiùs pertinere ad populum, & reſponſionem, quàm ad formam: & ideò omitti poſſe ſine ullo peccato: nam in veteri Eccleſia, non Solùm in Baptiſmo, ſed etiam in Conſecratione populus reſpondebat, cujus verba & proteſtationem ad formam Conſecrationis non pertinuiſſe manifeſtum eſt. Eſt communis. Eam habet Leander *tract. 2. de Baptiſm. diſput. 3. quæſtion. 31.* ubi citat Filliucium, Henriquez, Ægidium Bonacinam, Baunium, Dicaſtillum, &c.

Sententia communis.

An oppoſita probabilis ſit?

Petis, An-ne oppoſita ſententia ſit probabilis? Aſſerit Leander, noſtram enim longè probabiliorem; adeoque non eſſe certam, affirmat: & agens de contraria ſic ait [latè probat & ſequitur (illam) Vivaldus *capit. 3. num. 23. & ſequentib.* licèt in fine ſe ipſum corrigat.] At ego nec rationes lego, nec Authores reperio, qui poſſint ad probabilitatem ſufficere: & ideò dico opinionem, quæ aſſerit vocem *Amen* ad valorem neceſſariò requiri, improbabilem eſſe.

An forma Baptiſmi, ſi barbare proferatur ſit valida?

MMMLXVI.

Vvinfridus qualis?

VVinfridus, qui & Bonifacius dictus, Vir pius doctus, & magnus, in Anglia cum magna pietatis opinione florebat. Et quià Viri docti æmulis, carere non ſolent, ab Eccleſia ſua pellitur, Romamque iturus, & coram Apoſtolico cauſam dicturus, ubi navim conſcendit, flante Favonio vectus, in Friſia honorificè à Barris, & eorum Rege Abdgillo ſuſcipitur, & Chriſtum prædicat, anno 704. aſſerente Miræo. Romam profectus à Gregorio II. prædicandi Germanis ſuſcepit poteſtatem. Poſt Abdgilli mortem, anno 719. in Friſiam rediit, ſedit cum Willebrordo Trajectenſi Pontifice tribus annis; cui ut aſſerunt multi, ſucceſſit. Sed, quia Miſſionarii Apoſtolici munus, & prædicationis neceſſitas cum reſidentia componi non poterat, à Gregorio III. anno 732. incertæ ſedis Archiepiſcopus, & Legatus Apoſtolicus denominatur. Anno 742. Ratiſbonæ ſynodum celebravit, cui Carolomannus interfuit: & alteram anno 743. Leptinis. Anno 745. creatur à Zacharia Moguntinus Archiepiſcopus: nempe in locum depoſiti, qui erat de homicidio convictus. Tandem,

An duo poſſint ſimul eſſe in eâdem ſede Epiſcopi?

Archiepiſcopus Moguntinus deponitur ob homicidium.

Martyrio Vvinfridus coronatur.

quia ſpeciali amore Barros proſequebatur, ut illos in Fide confirmaret, anno 755. in Friſiam rediit; & quia mutatis Principibus erant inverſa omnia, occiditur, & ſuo ſanguine coronam Martyrii promeruit.

Multos infantes juſſerat rebaptizari.

Hic Winfridus dum Moguntiæ ſederet, ut didicit, quemdam Parrochum idiomatis Latini imperitum, male prolatis verbis plurimos baptizaſſe, ut infantibus illis conſuleret, juſſit omnes rebaptizari. Diſplicuit aliquibus novitas, & illum deferunt apud Summum Pontificem; hic, ut eum reprehendat, ſcripſit Epiſtolam, quæ tametſi apud Aventinum *Annal. Bojor. libr. 3* Baronium, Voſſium, & Geſſelium ad annum 744. legatur, debui illam neceſſariò ſubjicere. [Reverendiſſimo ac Sanctiſſimo fratri Bonifacio Coëpiſcopo, Zaccharias ſervus Servorum Dei. Vigilius & Sidonius viri Religioſi, apud Bojoariorum provinciam degentes, ſuis apud nos literis uſi ſunt, per quas intimaverunt, quod tua Reverenda Fraternitas injungeret Chriſtianos denuò baptizare? Quod audientes, nimis fuimus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, ſi habetur, ut dictum eſt, Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem provinciâ Sacerdos, qui Latinam Linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, neſcius Latini eloquij, infringens linguam diceret: *Baptizo te, in nomine Patria, & Filia, & Spiritua-Sancta*, & per hoc tua Reverenda fraternitas conſideravit rebaptizare; ſed ſanctiſſime frater, ſi ille, qui baptizavit, non errorem aut hæreſim introducens, ſed pro ſolâ ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, ut ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, ut denuò baptizentur. Quia quod tua benè compertum habet ſancta fraternitas, quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti, nullo modo rebaptizari, ſed per ſolam manûs impoſitionem purgari debeat.] Cenſet igitur, ut vides, Zaccharias Papa Romanus, ut loquitur Voſſius, ſermonis barbarie non mutari veritatem baptiſmi, ſed mutatione formulæ ſecundum rem ipſam.

Reprehenſus fuit à ſummo Pontifice.

Zacharias Papa Vvinfridum ſanctiſſimum fratrem appellat.

Senſum non mutant ſolæciſmi.

Baptiſmus habitus ab Hæreticis eſt validus.

QVANTIAS BAPTISMALIS.

MMMLXVII.

De aqua ad Baptiſmum requiſita magnitudine.

SEd quantum Aquæ ad Sacramenti veritatem requiritur? quantum ut aliquis ſecundum moralem & uſitatum loquendi modum verè dicatur ablui. Verè abluitur, qui guttâ tangitur, quæ per caput prorepit: & quidem etiam minutiſſima, frangi & extendi poteſt. Sanè, ſi baptizari, tangi ſit, adhuc guttula mimo ſufficiet.

Baptizari, tingi, ablui.

De immerſione.

Sanè per immerſionem (unam, binam, vel ternam) alii per aſperſionem baptizantur: at ille modus ordinariè adhiberi debebit, qui fuerit cuique Eccleſiæ Diœceſanæ conformis.

Digitized by Google

An multi ſimul poſſint baptizari?

Tempore neceſſitatis poſſet aliquis multos unicâ aſperſione baptizare dicens, *Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti.* At eo caſu curandum eſſet, ne aliquis maneret intinctus: ſi enim aliquis aquâ non fuiſſet tactus, non reciperet Sacramentum.

Baptiſmus aquæ, ſanguinis & flaminis.

Præter Baptiſmum fluminis, ut ſub initium expoſuimus, reperitur baptiſmus flaminis, & Baptiſmus ſanguinis. Et quidem, tametſi Baptiſmus ſaltem in voto neceſſitate medij neceſſarius ſit, nihilominùs Baptiſmus aquæ omninò neceſſariùs non eſt, fieri enim poteſt, ut qui aquâ non potuit baptizari, per alia media ſalutem æternam conſequatur. Baptizatur enim lachrymarum profluvio & Charitatis flammis, qui amat Deum ſuper omnia: & baptizatur proprio ſanguine, qui illum pro Chriſto & Fide Orthodoxâ profudit.

Quantus effundi ſanguis debeat, ut aliquis illo baptizari dicatur?

Hic conſequentiam doctrinæ poſtulare videtur, ut examinemus, quantus ſanguis, aut quanta Charitas requiratur, ut ſanguinis & flaminis Baptiſmi ſint validi? Reſpondeo, in hoc nomine *Baptiſmus ſanguinis*, ſumi vocem *ſanguis* pro morte; illi enim hoc baptiſmo baptizantur, qui in odium Fidei occiduntur, etſi ſtrangulentur, & nullam ſanguinis guttam effundant. Ergo non eſt, cur quæratur, quantus effundi ſanguis debeat, ſiquidem poteſt nullus effundi. Addo nos jam ſuperiùs Scoti rejeciſſe ſententiam, quæ in fluminis Baptiſmo intenſionem determinatam Charitatis & Contritionis poſtulabat, & aſſeruiſſe perfectam Contritionem, etſi remiſſa ſit, ſufficere ad juſtificationem.

Quàm intěnſus dolor eſſe debeat, ut vocetur cõtritio & baptiſmus flaminis animam abluat?

QVALITAS BAPTISMALIS.

MMMLXVIII. *Voluntas recipiendi baptiſmum.*

REquiruntur nonnullæ: aliquas recenſebo. *Primò* voluntas & intentio recipiendi baptiſmum: qualis in aliis Sacramentis: debet eſſe propria in adultis: aliena aut interpretativa in infantibus. Amentes, licèt phyſicè ſenes, moraliter infantes ſunt. Sed quibus erit propria hæc voluntas, quæ infantibus aliena eſt? Parentum vel Tutorum; aut ſaltem Chriſti & Eccleſiæ, ex cuius videlicet voto & poteſtate parvuli baptizari jubentur. Leander *tractat.* 2. *diſput.* 5. *quæſtion.* 19. doctè ait [Chriſtus Dominus, & eius Eccleſia, & intentionem & diſpoſitionem ſupplent. Idemque omninò dicendum eſt de adultis amentibus perpetuò à nativitate, non habentibus lucida intervalla.] Et citat D. Thomam, *quæſtion.* 68. *articul.* 12. & etiam Henriquez, Vaſquez, Suarez, Archangelum, Palaum, Trullenchium: & aſſerit eſſe opinionem communem. Et voluntas, quæ in adultis requiritur, qualis erit? libera. Quid ſi metu, qui in conſtantem virum caderet, aliquis baptiſmum reciperet? Si vis conſenſum liberum extorqueret, baptiſmum validum fore pronuncio. Si vis libertatem phyſicam tolleret, invalidum. *Secundò* adulti, ut licitè Sacramentum recipiant, debent eſſe bene diſpoſiti: erunt, ſi elicuerint actus doloris & pœnitentiæ veræ, habentque propoſitum vitandi omnia peccata gravia in poſterum ut autem ſint bene diſpoſiti, non requiritur contritio perfecta, ſed ſufficit imperfecta, ſeu attritio, modò ſit ſupernaturalis. Ita Magiſter *in* 4. *diſtinction.* 4. quem ſequitur Nugnus, Ioannes de Cruce, Henriquez, Filliucius, Bonacina, Suarius, Vaſquez, Hurtadus, Petrus de Ledeſma, Candidus, Diana, & alii. Hanc ſententiam Leander longè probabiliorem appellat: nam Sotus, Canus, Pitigianus, Ledeſma, & alii aſſerunt naturalem attritionem, habitam ex viribus naturæ, & ex motivo naturali, ſufficere. *Tertiò*, ut ſint adulti ſufficienter inſtructi antequam divinum hoc Sacramentum ſuſcipiant; idque Iure Divino & naturali. At in caſu neceſſitatis extremæ etiam minùs inſtructi ad Baptiſmum admittendi ſunt.

Suffi it aliena in infantibus. Sed quorum eſt propria quæ reſpectu infantiũ aliena dicitur?

Debet eſſe propria in adultis.

Et ad valorem ſufficit phyſica libertas, quãta requiritur ad peccatum committendum mortale.

Inſtructio. Eſſe debet loco, tempori, & perſonis proportionata.

Vt infidelium parvuli licitè baptizentur conſenſus alterutrius parentis, Tutoris aut avi paterni mortuo patre licèt mater ſuperſit. Duos caſus excipimus I. ſi illi parvuli ſint in præſenti mortis periculo conſtituti. II. ſi iure belli capti, à curâ parentum ſint abrepti. Ille caſus excipitur propter voluntatem virtualem, quam moraliter parentes habent reſpectu filiorum, quorum baptiſmum permittere debent: & præcipuè, quia ceſſant pericula in articulo mortis. Hanc me docent ſententiam Vaſquez, Ægidius, Filliucius, Hurtadus Diana, Candidus, Bonacina, Palaus, Archangelus, & alij. Excipitur ſecundus caſus, propter ſervitutem, vi cuius captivus ſervatori debet neceſſariò ſubeſſe: unde & *Servus* dicitur. Ita D. Thomas *quæſtion.* 68. *articul.* 1. Sotus, Cajetanus, Durandus, Hurtadus Candidus, Baunius Suarez, Vaſquez, Turrianus, Diana, Filliucius, & alii. Oppoſitam ſententiam Leander vocat æquè probabilem, & pro illâ Diana & Hurtadus D. Thomam, Cajetanum, Sotum, & Capreolum adlegant. Et hîc obiter nota, Iudæos non eſſe ſervos Principis, qui illos in ſuâ civitate habitare permittit, *cap.* *etſi Iudæos de Iudæis*, & *Saracenis.* Sic Sotus, Vaſquez, Hurtadus Bonacina contra Cajetanum & Durandum. Nihilominùs ſi invitis parentibus aut tutoribus, etiam extra iſtos caſus, conferretur, validus eſſet baptiſmus. Ita Henriquez, Vaſquez, Reginaldus, Ægidius, Nugnus, Bonacina, Suarez, Hurtadus, Baunius, & alii.

An infidelium ſiiq invitis parentib. poſſint baptizari?

Quid de articulo mortis dicendũ ſit?

Quid de ſeruorũ filiis?

An Iudæi, Principis, à quo tolerantur, ſint ſervi?

Relatio Baptiſmalis.

MMMLXIX. *Conſanguinitas ſpiritualis.*

INter omnes Relationes notiſſimæ illæ, quæ conſanguinitatem concernunt: ejuſmodi ſunt Paternitas, Maternitas, Filiatio, Fraternitas, &c. iſtis ſimiles ſunt, quæ à baptiſmo exoriuntur, & conſtituunt cognationem ſpiritualem. Vi cujus nec baptizatus, nec ejuſdem parentes cum baptizante vel patrino, validè poſſunt copulari.

Quando Baptiſmale.

An poſſit Baptiſmus differri?

ERrant Hæretici qui ad baptiſmi ſuſceptionem ætatem fortem & uſum rationis requirunt: errant, qui ad ſeptimum, ad duodecimum aut etiam trigeſimum annum hoc Sacramentum differunt: errant, qui infantes ſomniant in ſuſceptione baptiſmi ſupernaturalem Fidei actum elicere: eſt enim tam neceſſarium hoc Sacramentum, ut nec Chriſtus, nec Eccleſia illud voluerit alicui tempori illigare. Erant veteres in hac materiâ neſcio quo præjudicio deluſi, nam multi in vitæ finem differebant baptiſmum. De Conſtantino queritur. Initio ſuæ converſionis fuiſſe baptizatum cum Dianâ *part.9. tract.6. reſ.2.* affirmo: ſcio tamen Cajetanum ex hiſtoriâ antiquâ aliter ſtatuere: interim ſuos ipſe filios non curavit baptizari in infantiâ: ergo non erat omninò alienus ab illo præjudicio. Cotonius *in ſumm. verb. Baptiſm. num. 5.* ſic ait [Parentes tenentur ſuos filios infantes quàm primùm baptizare. Ita omnes Doctores. Sed illud *quàm primùm* Henriquez *lib.2. cap.4. num.2.* & alii explicant arbitrio boni viri attentis circumſtantiis, Et Eccleſiarum conſuetudine. Sotus verò *in 4. diſt.5. queſt. unic. art.3* intra duodecim dies poſt partum, quando illos poſſunt in Eccleſiam ferre, & mergere. Sed in Synodo Panormitanâ *part.2. cap 1. num.2.* impoſita eſt excommunicatio baptizare negligentibus ante nonum diem Diana *part. 3. tract 1. reſol 8.*] dixerat *num.1* [Parentes non debent dilatare ultra menſem ad baptizandum pueros.]

Quanta ſit huius Sacramenti neceſſitas?

Verum alicui tempori ſit illigatū? An debeat differri in articulum mortis? An infantes debeant baptizari quàm primùm?

Vt adultos divinis his undis lavemus, Fidem requirimus: at infantes divinitùs illuminari, & actu credere Lutherus dixit, at ipſimet hodie Lutherani decredunt. Licet eos baptizare cujuſcunque diei quâcumque horâ. Interim die Veneris Sancto Eccleſia ſpecialiter orat pro Catechumenis præcipitque ut poſtridie poſt benedictionem fontis ante feſtivitatem miſſæ magnâ ſolennitate baptizentur.

De ſolenni Catechumenorum baptiſmo.

MMMLXIX. *b.* *An temerè Veteres baptiſmum in articulum mortis diſtulerint? Quando ſit baptizatus Conſtantinus?*

Nota. Quàm periculoſa fuerit hæc Chriſtianorum veterum opinatio, etſi multis exemplis probari poſſit, ob oculos tantùm Conſtantinum, & ejus filios propoſiturus ſum. Anno Chriſti 336. moritur Conſtantinus. Si ſub ſuæ converſionis initium fuit Romæ à Sylveſtro baptizatus, ſalva res eſt: & S. Hieronymus *in ſuo Chronico* hæc habet. *Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus in Arianum dogma declinat.* Similia habet Iſidorus *in Chronico*, & Theodoretus *libr. 1. cap. 32.* Baronius hanc conſequentiam, *Conſtantinus in articulo mortis ab Ariano Epiſcopo baptizatus eſt, Ergo Arianus obiit.* examinat: & in eâ bene inferri conſequens aſſerit; ſed antecedens falſum eſſe pronunciat. Obiit tandem:& tres filios Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem, ex Fauſtâ Maximiani Imperatoris filiâ ſuſceptos, reliquit, inter eos diviſo toto Imperio, Conſtantinus ſocii impatiens Conſtanti fratri bellum movet, & apud Aquilejam ann. 340. occiditur. Conſtans à Maxentio prope Pyrinæos in caſtro Helenæ occiditur ann. 350. Socrates *libr. 2. cap. 20.* Sozomenus *libr. 4. cap. 1.* Conſtantius cum adverſus Iulianum cum exercitu advolaret Mopſucrenis prope Tarſum obiit ann. 361 Sed quando hi fuerunt baptizati? Laborabant ipſi illius ætatis præjudicio: & , ne in Purgatorium ingrederentur, Baptiſmum differebant in articulum mortis: At Conſtantinus & Conſtans ferro occiſi, non habuerunt tempus, ut baptizarentur; & Conſtantius, tametſi à Gregorio Nazianzeno laudatus, jam moribundus ab Euzojo, Epiſcopo Ariano baptizatur: quòd forſan alius Epiſcopus non adeſſet, & indignum tum cenſeretur à Sacerdote ſimplici Imperatorem baptizari. Et quidem horum hiſtoria ſufficeret, ut clarè vir ſincerus intelligat, quanto periculo Baptiſmus in vitæ finem differatur. Hæc dilatio non erat tunc præſcripta, ſed tolerata ab Eccleſiâ; quæ non eſt dicenda mutari quoad ſubſtantiam, cùm nova decreta promulgat, quoniam, ut S. Gregorius Magnus ferè ait, *Regulæ Sanctorum Patrum* (permiſſivæ, indictivæ) *pro tempore, loco, perſonâ, & negotio: neceſſitate inſtante traditæ ſunt. Ergo etiam pro tempore, loco, &c. inſtante* (ſimili) *neceſſitate mutari poſſunt & debent.* Quæ verba apud Gratianum *diſtinct. 29. reg. 1.* & *diſtinct. 30. illud.* Et apud Tinamonum Geſſelium *in Hiſtor. Sacrament. ad ann. 314. pagin. 394. §. Gratianus*, reperientur.

Baronius diſſentit à Hieronymo.

Obiit Conſtantinus, Imperiúmque inter filios partitur.

An ipſi baptizati fuerunt?

Cur illo aevo baptiſmus differebatur?

N. B. Baronius Nazianzenū reprehendit, quòd ausus fuerit Conſtantium dilaudare.

An ſine ullâ intentione nota mutatis temporibus & circumſtantiis poſſint Canones & Leges mutari.

Actio Baptiſmalis.

MMMLXX. *Miniſter ordinarius & extraordinarius.*

CAuſa efficiens Principalis eſt Deus: nam Deus erat, qui Sacramenta inſtituit: & Deus eſt, cujus virtute illa operantur. Inſtrumentalis autem cauſa, Miniſter eſt: & hic triplex: ordinarius & ex officio, Extraordinarius, & ex commiſſione extra neceſſitatem: Extraordinarius iterum, Sed inferioris ordinis, quia in ſolo caſu neceſſitatis.

Ordinarius eſt Epiſcopus, Parrochus, Sacerdos.

Ad primam Miniſtrorum claſſem pertinent Epiſcopi, Parrochi, & Sacerdotes: quibus Eccleſia præcipit, ne in Epiſcopatu, aut Parrochiâ alterius, ſine licentiâ hoc Sacramentum adminiſtrent.

Qui ex ipſorum licentiâ.

Ad Secundam pertinent Diaconi; qui baptizare poſſunt ex Parrochi conſcientiâ & conſenſu.

Pelecyus Theſ. 58.

Ad tertiam ſpectant omnes homines, cujuſcumque ſexûs, ordinis, conditionis, & religionis. Si verò extra caſum neceſſitatis laici

Digitized by Google

laicici baptizare præſumant, peccant mortaliter: &, ſi ſolenniter baptiſmum conferant (niſi fortè ignorantiâ excuſentur) peccant mortaliter, & irregularitatem incurrunt.

Miniſtrorũ ordo.

Ratio & decentia poſtulabat, quod jam Eccleſia lege canonicâ decrevit, nimirum, ne mulier præſente viro, ne laicus præſente clerico, nec clericus minùs dignus digniore præſente baptizet. Fallit hæc generalis regula, ſi vir neſciat formam, & fœmina ſciat: fallit, ſi infans in ipſo partu periclitetur, nam intra matris femora moribundus decentiùs baptizabitur ab obſtetrice aut quâcumque aliâ fœminâ, quàm à Porrocho, aut quocumque alio Clerico.

Servandus eſt, niſi ſuccurrãt cauſa, ob quas hic ordo debeat neceſſariò alterari.

MMMLXXI.

Patrini. Quot futuri ſint?

Miniſter, qui baptiſmum confert, conſideratur ut cauſa ſecunda moralis: utiturque Subminiſtris (uno videlicet; aut uno & unâ; non pluribus, niſi contraria conſuetudo obtineat) quos *Patrinos* vocant: qui tametſi ad veritatem & valorem Sacramenti non cooperentur, ad aliquas circunſtantias concurrunt. Eorum officium eſt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipere; & poſteà tanquam nutricij quidam ſpirituales eumdem in ſanâ fide, cathechiſmo & moribus Chriſtianis inſtituere. Qui hoc admiſere onus, audiant S. Auguſtinum: illos enim monet his verbis. *Vos ante omnia, tam mulieres, quàm viros, qui filios in baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis Fideiuſſores apud Deum exſtitiſſe pro illis, quos viſi eſtis ex ſacro fonte ſuſcipere: ideoque ſemper eos admonete, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, Charitatem teneant. Ante omnia ſymbolum, & Orationem Dominicam & vos ipſi tenete; & illis, quos ſuſcepiſtis de ſacro fonte, oſtendite.* Ita Sanctus Pater, *in ſerm. poſt. paſcha*, *qui incipit*, *Hodiernadies.* & habetur *de conſ. diſt.*4. *cap. Vos ante.* Sed quod id onere? Si Parentes aut alij cognati non faciant, id præſtare tenentur ſub mortali. Ergo (1) ut eſſent Patrini, qui Chriſtianam doctrinam neſciunt, S. Auguſtinus non admitteret. Ergo (2) qui minorennium Tutores debere ſub mortali adminiſtrare fideliter bona commiſſa ſciunt, hanc gravem obligationem Patrinis, qui ſunt Tutores conſcientiæ, non negabunt.

Quid debeant facere?

An, quàdo, & ſub quo onere teneãtur ſuos clientes inſtituere in doctrinâ Chriſtianâ?

Passio Baptismalis.

MMMLXXI. *b.*

Qui ſint huius Sacramenti capaces?

Oſtenditur illos impetè facere, qui rebaptizare conantur.

Auguſtinus lib. 2. de unic. baptiſm. & *habetur.* Cõs. diſt. 4.

Oſtenditur.

De Pœnis rebaptizantium.

De illo, qui ſub conditione rebaptizat.

POſſunt validè ſuſcipere baptiſmum omnes & ſoli homines non baptizati cuiuſcumque ſint ſexûs, conditionis, ætatis-ve. At extra neceſſitatis caſum peccatum eſt mortale eum ab infideli ſuſcipere. Semel baptizatus non eſt ſubjectum aptum ad ſuſcipiendum baptiſmum. Baptizatus, qui ſcienter iterum baptizaretur, incurreret irregularitatem, ex delicto juxta *can. eos*, *quos. de conſecr. diſt.*4. & eandem irregularitatem incurreret, qui ſcienter aliquem rebaptizaret, *can.* 2. *de Apoſt.* &, ſi Iuri Cæſareo ſubſit, incurreret pœnam mortis ex *leg.* 2. *C. ne ſanctum baptiſm. iteretur.* Petis. *An iſtas pœnas incurrat, qui aliquem, quem baptizatum eſſe ſcit, ſub conditione rebaptizat?* Præpoſitus *in* 3. *part quæſt* 66. *art.*9. *dub.*3. *num.*103. illum, & irregularitatem, & mortis pœnam incurrere, ait: nam conditio ponitur in fraudem legis, ad vitandam pœnam, & debet haberi pro non poſita; & illa exterior actio videtur fieri animo hæretico opinante baptiſmum validum repeti poſſe. Vide Dianam *part.*3. *addit.*2. *reſol.*10. Interim has pœnas illum non incurrere, aſſerunt Nugnus *in* 3. *part. quæſt.*66. *art.*9. *concl* 6. Diana 3. *part. tract.*4. *reſol.*9. & alii; nam hic abſolutè non baptizat: licèt enim verbis conditionem adhibeat, mente nullam conditionem ponit, & ſic nullam habet intentionem baptizandi. Putarem idem eſſe dicendum de baptizante ſub conditione non baptizatum: qui enim eum baptizat, quem non eſſe baptizatum ſcit, etſi conditionem linguâ proferat, habet intentionem abſolutam baptizandi. Adeoque ſicut hunc Villalobos *tom.* 1. *tract.*3. *diff.*7. *num.*2. & Diana *part.* 3. *addit.* 2. §. *Non reticeam.* Sic ego alium aſſeram peccatum veniale committere.

Rem, quam certò ſcio eſſe, aut certò ſcio non eſſe, linguâ poſſum ſub conditione affirmare, mente non poſſum.

Qualiter peccet, qui conditionem linguâ ponit quam mente non poteſt.

Qui non eſt certò baptizatus, baptizari debet, etſi probabiliter ſit baptizatus.

In dubio, aut probabilitate debet homo baptizari, ne ſe exponat æternæ damnationis periculo. Ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 66. *art.*9. *ad* 4. Bizozerus *de Sacram. part.*2. *cap.*7. *num.* 18. & alij. An ſub conditione? Tam in dubio, quàm in probabilitate poteſt poni conditio: at in dubio debet. Propoſitio enim probabilis poteſt abſolutè aſſeri; nam ego nulla adhibita conditione Immaculatæ Deiparæ Conceptioni cultum defero, tametſi illa probabilis ſit, & non certa. Ergo omnes caſus, qui ſolent proponi, ad unicum caput reducuntur, videlicet, *fuiſſe Tertium baptizatum, aut certum, aut incertum eſt.*

N. B. Cenſendus eſt certò baptizatus, quando baptiſmus eſt in poſſeſſione, & nulla gravis ratio in contrariũ occurrit.

Quando debeat adhiberi conditio.

Effectus Baptismalis.

MMMLXXII.

Gratia remiſſiva.

An, & quando baptiſmus conferat per accidens ſecundam gratiam?

PRimus eſt gratia omnium peccatorum remiſſiva, & omnium pœnarum propter peccata debitarum condonativa: & hanc ob rem baptiſmus meritò dicitur regeneratio, quia eſt quædam ſpiritualis novæ vitæ adquiſitio. Conſultò dixi *remiſſivam* & non *remittentem*, quia ſæpe contritio præcedit, & Baptiſmus jam reperit gratiam: & ideò non invenit peccata, quæ remittat.

Character. Sacramẽta, quæ characterem imprimunt, non reiterãtur.

Secundus eſt character, quo diſtinguimur ab iis, qui Chriſtiani non ſunt: quo etiam diſponimur ad recipienda auxilia efficaciora gratiæ, quibus poſſimus Deum ſanctè colere, & reliqua ſacramenta recipere. Hinc oritur Baptiſmum reiterari non poſſe; Sacramenta enim, quæ characterem imprimunt, non reiterantur.

An Baptiſmus fuerit pro Circumciſione ſuffectus?

Dices. Baptiſmus ſucceſſit Circumciſioni. At hæc, nec characterem imprimebat, nec erat iterationis incapax. Ergo ſimiliter Baptiſmus, nec characterem imprimet, nec habebit, cur nequeat iterari. Probas minorem ex *Ioſue* 5. 2. ibi enim legimus. Eo tempore ait Dominus ad Ioſue. *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël.*

N. B. Si ſimilia in omnibus eſſent ſimilia, non jam eſſent ſimilia, ſed idẽ.

Reſpondeo primò ex Circumciſione ad Baptiſmum in multis ſimilitudinem, non autem in omnibus obſervari: nam in illa nulla erant verba, quæ vicem formæ ſubirent, & illa, quæ in forma Baptiſmi ponuntur, ſunt eſſentialia.

Reſpondeo

Digitized by Google

An Iudai cùm pervenerunt ad terram promiſſionis iterum circumciſi fuerint?

Reſpondeo ſecundò, Circumciſionem, moralem aut realem impreſſiſſe characterem, & non potuiſſe reiterari. Ad inſtantiam ex Sacrâ Scripturâ deſumptam reſpondet Sacer Textus nullum fuiſſe recircumciſum, ſed illam fuiſſe ſecundam ſolennitatem Circumciſionis. Audi Hiſtoriographum. *Hac autem cauſa eſt*, inquit, *ſecunda Circumciſionis. Omnis populus, qui egreſſus eſt de Ægypto generis maſculini, univerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto per longiſſimos via circuitus, qui omnes circumciſi erant. Populus autem, qui natus eſt in deſerto per quadraginta annos itineris latiſſima ſolitudinis incircumciſus fuit, donec conſumerentur, qui non audierant vocem Domini, & quibus ante iuraverat, ut non oſtenderet eis terram lacte & melle manantem. Horum filij in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt à Ioſue; quia ſicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in viâ aliquis circumciderat, Poſtquam autem omnes circumciſi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorum loco donec ſanarentur.*

An, & cur, omnes, qui ex Ægypto egreſſi, in eremo perierint.

MMMLXXIII. *Subordinatio. Omnes baptizati ſubijciuntur Eccleſia.*

Tertius eſt ſubiectio hominis baptizati Iuriſdictioni Eccleſiaſticæ: unde ſit ut eum Eccleſia poſſit tanquam membrum tractare, in officio continere, punire, & coërcere: quod ante baptiſmum non poterat.

VBI BAPTISMALE.

MMMLXXIV. *Quæſtio proponitur & explicatur?*

QVando quæritur, *Vbinam debeat infans baptizari?* duplicem ſenſum habere poteſt Quæſtio: nam vel agitur de loco in quo debeat celebrari baptiſmus: vel de corporis parte quæ debet in baptiſmo Lavari.

Vbi debeat celebrari baptiſmus?

Primæ Quæſtionis diſſolutio eſt facillima: nam regulariter in fonte Patrochialis Eccleſiæ ſunt baptizandi infantes: interim gravi ratione ſuccurrente poterunt baptizari domi, aut alibi.

An infans Regis filius in ventre matris poſſit ſolenniter coronari?

Secunda Quæſtio eſt multò difficilior, & plurimis dubiis agitatur.

Infantem in utero matris exiſtentem poſſe coronari & inaugurari putant Politici: nam Sabur non aliter ſuſcepit lauream. Patricides. *Anno quinto Imperij eius* (Aurelij) *mortuus eſt* Hormos, *filius* Norſa, *Rex Perſarum, nullo relicto filio, qui ſuccederet ipſius loco. Erat autem mulier ex coniugibus eius gravida, & interrogaverunt eam quidam, Neſcis, utrum puerum geſtes, an puellam? Illa verò reſpondit. Sentio moveri embryonem in latere dextero cum adlevatione uteri, id quod indicium eſt, fore puellum. Gaviſi igitur impoſuerunt ventri illius mulieris coronam. Cumque puerum genuiſſet* (peperiſſet) *nomen illi dederunt* Sabur, *cognomen verò* Dul-aKtaph, *propterea quod quotieſcumque Regem vicit, ex Regibus, ei humerum luxavit.* Sic Patricides *pag.* 109. qui Arabicè ſcripſit: omiſi textum ipſum Arabicum, ne Typographis eſſem moleſtus: illum apud Hottingerum *in Hiſtoriâ Orient. lib.* 1 *cap.* 3 *pag* 163 invenies. Et aliquid ſimile ex Hebræorum monumentis refert Schikhardus *in Taar.*

An, & unde gravida ſcire poſſit, ſe maſculū aut fæmellam portare?

Moritur Hormos Perſarū Rex Eius filius Sabur in ventre matris coronatur.

Ioannes in Ventre matris ſanctificatur.

An in matris utero exiſtens & clauſus poſſit baptizari?

Hunc Aulicorum morem ſequuti aliqui Chriſtiani, dicunt S. Eliſabetham ſuffuſam fuiſſe Spiritu-Sancto, qui ad Ioannem tranſiens illum exiſtentem adhuc in utero ſantificavit. Ergo, inferunt, poterit matris venter baptizari, & clauſus in illo infans ſanctificationem recipiet. Ita Gloſſa ab Henriquez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. citata. Hanc autem Gloſſam ſeu Opinationem eſſe plus quam falſam aſſerit Dicaſtillus *diſp.* 1. *dub.* 3. *num.* 59.

MMMLXXV. *Quid dicendum, ſi aquâ poſſit pretingi?*

Doctori Angelico *quæſt.* 68. *art.* 11. Soto, Ledeſmæ, Gabrieli, Valentiæ, Vivaldo, Candido, Bonacinæ, Archangelo, Victoriæ, Reginaldo, & communi doctrinæ conſentiens.

Sed quid, ſi reverà poſſet aqua immitti, quæ infantem in utero adhuc exiſtentem pertingeret? An ne ille validè baptizaretur? Negat Vega 1. *part. ſumm. cap.* 33. *caſ.* 18. & probat, *Porque aun no avia nacido en el Mundo, y por tanto no puede tornar a nacer a la Igleſia.* Negant etiam Comitolus, Filliucius, Ochagavia, Lublinus, & alij. At ſententiam oppoſitam probabiliorem cenſet Leander *tom.* 1 *tract.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 21. *pag.* 29. *a.* & pro eâ Archangelum, Victoriam, Valentiam, Vivaldum, Gabrielem, Reginaldum & alios Doctores adducit. Hinc à fortiori colligitur baptiſmum eſſe validum, ſi antequam totus egrediatur ex ventre matris baptizetur in capite. Sic D. Thomas Sotus, Bonacina, Diana, Candidus, Molfeſius, Dicaſtillus, & omnes communiter.

Quid, ſi antequam totus naſcatur, baptizetur?

An baptiſmus ſupra ſecundinas factus, ſit validus.

Infantem involutum ſecundinâ, ita ut aqua ad eum non perveniat, validè baptizari, affirmant Angelus Aureolus, Sylveſter, Hurtadus, Armilla, Ægidius, Ochagavia, Vaſquez, Roſella, Lublinus, Palaus, Trullench, Dicaſtillus, Reginaldus & alij. Horum ſententiam probabilem judicant Layman & Valentia: minùs probabilem Leander, &c. Negat S. Thomas *quæſt.* 68. *art.* 11. cui Sotus, Henriquez, Valentia, Bonacina, Filliucius, Poſſevinus Baunius Zambranus, Candidus, Palaus, & alij ſubſcribunt.

An validus ſit ſi pes aut manus abluatur?

An valeat baptiſmus, ſi ſolus pes, aut fuerit ablutus? Dividuntur Authores. Valere docuerunt Innocentius Paludanus, Panormitanus, Vaſquez, Durandus, Ochagavia, Henriquez, Hurtadus, Filliucius, Navarrus, Victoria, Lublinus, & alij. Non valere aſſeruerunt Sotus, Valentia, Suarez Cañedus, Villalobos, Bonacina, qui non bene citat Valentiam. Armilla, Granadus, Torreblanca, Molfeſius, Palaus, & alij.

An, cuius manus, vel pes, & non caput abluitur aquâ, debeat rebaptizari?

Qui baptizatus fuit in pectore, vel ſcapulis poterit-ne ſub conditione rebaptizari? Negant Vaſquez *quæſt.* 68 *art.* 11. Suarius *diſp.* 20. *ſect.* 2. Petrus Cañedus *cap.* 2. *de Baptiſm.* quia conſtanter putant non minus ratum & firmum eſſe hunc baptiſmum, ac factum in capite. Interim S. Thomas quæſt 68. art. 11. ad 4. oppoſitum decidit dicens. *Si puer propter periculum baptizetur in capite, non eſt iterum baptizandus ſub conditione: ſi verò in quâ quacumque aliâ parte baptizetur, iterum ſub conditione eſt baptizandus.* Ex hac S. Thomæ authoritate infert Leander æquè probabiliter poſſe. At ego cum Sancio, Torreblancâ, qui D. Antoninum, Durandum, Paludanum, Ægidium Bonacinam & alios allegat, debere infero: non enim per-

Digitized by Google

mitti poteſt, ut aliquis ex hac vitâ diſcedat cum baptiſmo dubio, aut merè probabili.

An ſit verum baptiſma, ſi tantum capilli abluantur?

A fortiori dicendum eſt eſſe incertum baptiſmum, ſi aqua capillos abluat. Fortè enim capilli ſunt rami capiti adnati, & vivunt animâ vegetativâ, diſtinctâ realiter ab Humanâ. Ita Bonacina, Rodriguez, Vega, Zambranus, Canedus, Torreblanca, & alij, quia putant capillos non eſſe partes hominis, ſed ſuperfluitates.

An, ſi veſtes tantummodò?

Hinc patet non eſſe audiendos Paludanum Henriquez, Valentia, Vegam, Sotum, & ſiqui alij ut certum aut ut probabile aſſerunt, manere eum baptizatum, ſi aquâ veſtes tantum attingat.

Situs Baptiſmalis.

MMMLXXVI. *An genuflectere debeāt baptizandi?*

PRo commoditate & patriæ more ſitum tenent in Baptiſmo infantes: alibi enim è manibus Patrini pendent, alibi immerguntur, & aliæ cerœmoniæ obſervantur. At Sacramenti reverentia poſtulat, ut adulti nonniſi genufl xi baptizentur. At ſitus, qualiſcumque ſit, ad Baptiſmi eſſentiam non pertinet.

Habere Baptiſmale.

MMMLXXVII. *An cæremonia ſint ſemper in baptiſmo obſervandæ?*

HVc ornamenta ſpectant, divitiæ abaci, & cognatorum aut etiam amicorum accurſus, qui pompam augent. Interim in caſu neceſſitatis nulla eſt habenda ornamentorum aut cerœmoniarum ratio; ne fortè, dum de accidentalibus ſumus ſoliciti, infans ante ſuſceptionem Sacramenti moriatur. Cæterum, extra neceſſitatis caſum cerœmoniæ obſerventur, quæ myſteriis ſunt plenæ, & effectu oportuno non carent: Nam, ut alios taceam, ex illis S Auguſtinus contra Pelagianos, ad probandum peccatum originale fortiſſima argumenta deſumit.

Ad quid ipſa adhibeantur?

Quæstio I. incidens.

An Baptiſmus ab Hæretico collatus ſit validus?

MMMLXXVIII *An illud axioma, Nemo dat, quod non habet, in Baptiſmo habeat locum?*

NEGAT *Cornelius* Papa: aſſerit Sanctus Cyprianus; nam Africanorum opinioni inſiſtendo, docebat baptiſmum extra Eccleſiam datum, inanem cerœmoniam eſſe; nec poſſe baptizato fidem dari à Miniſtro, qui fide caret. Novatianus, ut Cornelio ſe opponeret, Cypriani ſententiæ adhærebat, & rebaptizabat: ſed eò ſe abripi ſivit, ut novam conformaret Eccleſiam, & illam, in quâ baptizatus fuerat, eſſe hæreticam diceret, & Catholicos, qui ad ſe defecerant, rebaptizaret. Novatianus fuit apertè Hæreticus: non enim exſpectavit definitionem Eccleſiæ, ſed ſe ab illâ ſummâ temeritate ſeparavit. Interim Romæ maxima congregata ſynodo, ſexaginta Epiſcopis & pluribus Presbyteris & Diaconis, deinde & ſeparatim aliarum provinciarum Paſtoribus, quid hac in re faciendum ſit, conſiderantibus, Decretum ſtatuitur ab omnibus [*Novatos (Novatianos) una cum ſimul elatis, & ſententia fraterna dilectione contraria, ac inhumaniſſima conſentire volentibus, alienos eſſe cenſendos ab Eccleſiâ.*] Euſebius *in Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap.* 41. Cyprianus *Epiſt.* 52. Cyprianus verò manſit ſub communione Eccleſiæ; unde ab Hieronymo, & ab Auguſtino reprehendi videas Cypriani errorem, ſed amorem unitatis laudari. Erat ſub illud tempus utraque pars probabilis, nam Cyprianus communionem cum Cornelio retinuit, & Cornelius Cypriani opinionem, licèt non ſequeretur, quia Epiſcoporum Afrorum erat, toleravit. Et in Romano illo Concilio Novatianus, quia lapſos non eſſe ad pœnitentiam admittendos dicebat, declaratur Hæreticus, & definitur, *Fratres tempore calamitatis* (perſequutionis) *lapſos, reſipiſcentiæ pharmacis ſanandos eſſe, cæterum* punctum de Rebaptizatione non reſolvitur.

Lapſi, & relapſi, ſi redeant, admittendi ſunt.

Cyprianus Iudex denominatus pro Cornelio pronuntiat.

Manſiſſe ſemper Cyprianum ſub communione Eccleſiæ, conſtat primò, nam Novatianus cum Cornelium & Cyprianum in quæſtione de Rebaptizatione diſſentire videret, ratus hoc modo poſſe prævalere Cornelio per Legatos in causâ, quæ inter ſe & Cornelium de ſummo Pontificatu agitabatur, Cyprianum Iudicem poſtulat. Admitit Cornelius, ſciens non eſſe illum, qui propter illam diſputationem poſſet contra conſcientiam pronunciare. Sedet pro tribunali Cyprianus, cauſam bene deducit, omnia motiva diſcutit, & Novatianum tanquam Apoſtolicæ ſedis invaſorem excommunicatum, & Cornelium legitium eſſe Papam decidit Cyprianus *Epiſt.* 4. ſecundò, nam in Epiſtolis Cornelius Cyprianum vocat *fratre*, & Clerus Romanus *Papam*, &c. tunc enim hæc vox *Patrem* ſignificabat, tametſi mutatis temporibus hodie κατ' ἐξοχὴν accenſeatur ſoli ſummo Pontifici. Et viciſſim Cyprianus Cornelium dicit *fratrem Socium*, & *Collegam chariſſimum*, Romanos Presbyteros, Diaconos & cives, *fratres*; ſic ſimiliter Lucium Papam nominat *fratrem*. Vide eiuſdem Cypriani *Epiſt.* 59. & 51. necnon *Epiſt.* 4 in quâ de Fabiani Papæ morte agens, ait *Cùm de exceſſu boni viri, Collega mei.* &c

Quibus nominibus Cyprianus Papa & Clerū Romanū appellet.

Quæ Pontifex ex cathedrâ definit, ſunt de Fide.

Martyrium ſubierat Cornelius, ſucceſſerat Lucius etiam Martyr: hoc ad cœlum tranſlato ſedebat Stephanus, propter cauſam Baſilidis exacerbatus in Cyprianum. Vt illum humiliaret aut vexaret Quæſtionem de Rebaptizatione tanquam hinc inde probabilem, à Cornelio & Lucio ſuis Prædeceſſoribus relictam, revocat in examen. Cyprianus omnes Hæreticos, qui Catholicam amplectebantur Fidem, rebaptizabat: Stephanus verò etiam omnes cum manûs impoſitione ad pœnitentiam recipiebat. Interim ſedens in Petri cathedrâ, & Eccleſiam univerſam adloquens & inſtituens Summus Pontifex, definit *Baptizatos ab Hæretico, qui non in materiâ Baptiſmi, ſed in aliis ab Eccleſiâ diſſentit, nullo modo eſſe rebaptizandos: eos verò rebaptizandos eſſe, qui ab Hæretico, qui circa ſubſtantialia Baptiſmi opinationi erroneæ adhæret, fuerint baptizati.*

Quid tandem definitū fuerit in hac causâ.

Noluit Chriſtus, ut Sacramentorum efficacia

Digitized by Google

An Sacramentorũ efficacia à Miniſtrorũ ſanctitate proveniat?

cacia à Miniſtrorum Sanctitate penderet, in quo S. Cyprianus allucinabatur, quando aſſerebat Baptiſmum ab Hæretico collatum eſſe invalidum. Sic argumentabatur. [Nemo dat quod non habet: Hæreticus non habet Fidem: eſt excommunicatus: eſt extra Eccleſiam.

Argumentum Cypriani.

Ergo non poteſt alicui fidem communicare: non poteſt enim, qui ob originariæ culpæ maculam eſt extra Eccleſiam, in Eccleſiam introducere, & conſcribere ſub Chriſti labaro. At hæc omnia faceret, ſi baptizaret validè. Ergo nequit validè baptizare.] Et poſſet eodem modo de omnibus Sacramentis arguere: puta, ſi diceret. Nemo dat, quod non habet. At, qui eſt in peccato mortali, non habet gratiam. Ergo Miniſter, qui eſt in peccato mortali, non poteſt conferre gratiam. Ergo, aut invalida aut informia ſaltem conferret Sacramenta: puta ſi characterem conferret, & non gratiam.]

An validè adminiſtret Sacramenta, qui ſit in peccato mortali? An ſaltem conferat informia.

Et hîc obiter nota, ſi Cypriani ratiocinium ſtet, Ethnicum, qui non eſt baptizatus, nequidem poſſe characterem conferre, ſi enim nemo dat, quod non habet: ille dare characterem non poterit; quoniam illum non habet. Miror Sanctum Doctorem non percepiſſe in illa poſitione, *Nemo dat, quod non habet*, quæ eius ſuccollabat diſcurſum, eſſe duos ſenſus, notos in Philoſophiâ Naturali & Morali. Reſpondeò itaque Cauſam eſſe duplicem Principalem & Inſtrumentalem: illa in virtute propriâ, hæc in virtute non propriâ, ſed Cauſæ Principalis operatur. Vnde cùm in Sacramentorum collatione Cauſa Principalis ſit Chriſtus; & Miniſter ſolummodò ſit Inſtrumentalis, non erit neceſſarium, ut iſte Fidem, aut Gratiam habeat, ſed Gratiam, & Fidem eſſe in Chriſto, ſufficiet.

An calamus ſit ingenioſus?

De cauſâ Principali & Inſtrumentali.

Hinc patet Cypriani argumentum eſſe ſimile huic [Nemo dat, quod non habet. At calamus non habet in mente rationes, probationes, &c. quoniam mentem non habet. Ergo non poteſt illas in chartâ exprimere, & lectoribus communicare.] Hoc autem ultimo Syllogiſmo nihil ſuaderi oſtendo: nam maiorem diſtinguo: & hanc propoſitionem, *Nemo, ut cauſa principalis, dat, quod non habet*, concedo: hanc autem, *Nemo, ut inſtrumentum, dat, quod non habet*, nego.

An calamus habeat mentem extrinſecè?

Et minorem illam, *At calamus non habet*, &c. tranſire iubeo. [Tranſire, inquam, iubeo, non concedo: quoniam calamus rationes, quas non habet in ſe, habet in cauſâ principali: ergo extrinſecùs habet.] Et poſteà diſtinguo conſequens. *Quod enim calamus ut cauſa principalis non poteſt: hoc ipſum de facto ut inſtrumentum facit.*

Cauſa Principalis non poteſt dare quod non habet: Inſtrumentalis poteſt.

Modò ad Cypriani argumentum redeamus, & illud diſſolvamus in formâ. Maiorem illam, *Nemo dat, quod non habet*, jam diſtinxi Quod non habet, ut principalis cauſa, nemo dat; quod autem habet ut inſtrumentum, omnis dat. Minorem illam, *Hæreticus non habet Fidem*, & alteram minorem, *At, qui eſt in mortali*, &c. concedo. Et ad conſequentias illas veniens, videlicet, *Ergo non poteſt alicui Fidem communicare*, &c. *Ergo non poteſt conferre gratiam*, &c. ipſas, ſi agatur de Cauſis principalibus, concedo; ſi de inſtrumentalibus, nego. Cùm autem Miniſtri in Sacramentis ſint inſtrumenta pura; Cypriani ratiocinium nil probat.

A nobis eſſe veteres Eccleſiæ Patres.

Vt Chriſtianorum mentes hoc præjudicio infectas emacularent Priſci Eccleſiæ Doctores multi fuerunt in aſſerendo & oſtendendo valorem & efficaciam Sacramenti non dependere à Miniſtrorum Sanctitate. Producam aliquos, ut hæc doctrina in noſtris mentibus altiores radices immittat. Auguſtinus *contra Petil.* Et habetur 1. *quæſt.* 1. [Neque in homine bono aliquis Dei Sacramenta fugiat, neque in homine malo.]

Sacramentorum efficacia à Miniſtri ſanctitate non dependet.

Gregorius: & habetur 1. *quæſt.* [Multi ſecularium hominum, cùm plus Sacerdotis vitam, quàm ſuam diſcutiunt, in magnum contemptionis Diuinorum Sacramentorum crimen incurrunt. Magnâ enim trabe habentes vulneratos oculos, eamque negligentes, feſtucam tenuem in aliorum conſpiciunt oculis: quam dum incautè feſtinant euellere, erroris in foueam delabuntur: minus quidem conſiderantes, quòd non eos ſacerdotum vita læderet, ſi ipſi humiliter bonis ſacerdotum adminiſtrationibus ſe accommodarent.

Quales ſint, qui oppoſitum ſentiũt.

Sed dum hypocritarum more, plus illorum famam, quàm propriam vitam, vel vitæ negligentiam diiudicant, ſpernunt ſancta monita & ſpiritualia dona. Vnde fit, ut non ſolùm ab eis dicta reſpuant, ſed (quod eſt deterius) diuina etiam myſteria contemnant, ut nec corporis communionem, nec ſanguinis Domini noſtri Ieſu-Chriſti eorum miniſterio confectam aſſumant putantes hanc minùs eſſe ſanctificatam, ſi illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis.

Cur non magis baptizet, aut conſecret bonus quàm malus Sacerdos?

Heu! in quàm magnum laqueum incidunt, ut Diuina & occulta myſteria plus ab aliis ſanctificata poſſe fieri credant: cùm vnus idemque Spiritus Sanctus in Eccleſiâ diffuſâ per totum orbem terrarum incomprehenſibiliter ea myſteria occultè atque inuiſibiliter & operando ſanctificet, & benedicendo benedicat.

Cur Sacramenta à Græcis nominentur Μυστήρια?

Myſterium itaque fratres ob hoc dicitur, quod ſecretam & reconditam habet diſpenſationem,

Quid ſacrificium ſit?

Sacrificium autem, quaſi ſacrum factum, quia prece myſticâ conſecratur pro nobis, in memoriam Dominicæ paſſionis.

Quid Sacramentum?

Sacramentum verò eſt in aliquâ celebratione, cùm res geſta ita fit, ut aliquid ſanctificans, accipiamus, quod ſanctè accipiendum eſt. Sunt autem Sacramenta Baptiſma, Corpus & ſanguis Chriſti, &c. quæ ob id Sacramenta dicuntur,

Cur ſic dicatur?

quia ſub tegmento corporalium rerum, Diuina virtus ſecretiùs ſalutem eorundem ſuſcipientium operatur, unde à ſecretis virtutibus vel ſacris, Sacramenta dicuntur, quæ ideò fructuosè penes Eccleſiam fiunt, [a] quia ſanctus in eâ manens ſpiritus eorundem Sacramentorum latenter effectum] Et iterum. [Non nocet malitia Epiſcopi neque ad baptiſmum infantis neque ad Eccleſiæ conſecrationem, [a] quia baptiſma à Deo datur, non ab homine venit ſic & Euchariſtia, & omnia quæ in altari ponuntur non ab homine, ſed à Deo ſanctificationem accipiunt *idem* & hab. 1. *quæſt.* 1. *Non nocet.*]

a] Ecce Deus eſt cauſa principalis Miniſter verò ſolùm inſtrumẽtalis.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO II. INCIDENS.

De neceſſitate Baptiſmi.

MMMLXXVIII. *Crudelis Cornelij Ianſenij opinatio.*

PETIS, *An-ne infantes, qui ſine Baptiſmo moriuntur, condemnentur?*

Reſpondeo, illos ad limbum in quo nec pœnam nec gloriam actualem ullam habeant damnari. Et addo duram videri Cornelij Ianſenij, & aliorum ſententiam, qui limbum negant, & affirmant infantes ante Baptiſmi ſuſceptionem ſublatos, condemnari ad infernum. Scio ipſos, ut molleſcat hæc opinio, Auguſtinum citare; ſcio illos remiſſiſſimam pœnam adſtruere, actualem tamen, igneamque, cùm tamen certum ſit, Auguſtinum habuiſſe opinionem contrariam, & videatur crudele actuali condemnari cruciatu, qui culpam actualem non habet. Concluſionem noſtram expreſsè poſuit S. Gregorius Nazianzenus *Orat. de ſancto lavacro.* agens de parvulis, qui ſine baptiſmo moriuntur ait, *Nec celeſti gloriâ, nec ſupplicijs à iuſto Iudicio afficientur.* Et Innocentius III. *Pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei: actualis verò pœna peccati eſt gehennæ perpetuæ cruciatus.* Ecce, quàm piè & prudenter inter pœnam damni & ſensûs ſancti Patres diſtinguant; & modò vide quantâ Ianſenius crudelitate confundat. *tom 2. lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 25. col. 420.* ſic inquit. *Accuratè demonſtratum eſt, parvulos abſque baptiſmo ex hac vitâ decedentes, pœnis, non tantùm damni, ſed ſenſibilibus ignis æterni plecti.* Et Ego, quia contra rationem, pietatem, & authoritatem militat hæc Ianſenij opinatio, ſententiam oppoſitam teneo, & affirmo, illos à Cœlo excludi; at verò igne torquendos crediturus non ſum. Deum non vidi, & quia humano illum modo concipio, qui divino non poſſum, ut eum intelligam, Regem mihi prudentiſſimum, iuſtiſſimum & clementiſſimum ob oculos pono. Hunc audio dicentem: *Apud me, in meo palatio, & camerâ, hoc pauculos habere volo: omnes ſceleratos ultimâ ſententiâ condemno: de cæteris neutrum ſtatuo:* Eundem à Prudentiâ, & Pietate dilaudo. Sed quid, ſi diceret, *Hos pauculos in Aulam, & Cameram meam aſſumo, cæteros, ſi actu egerint malum, vel non, ſententiâ capitali condemno?* Illum iudicarem imprudentiſſimum, & crudeliſſimum. Ergo exiſtint, quotquot affingunt Deo, quod cadere in Regem prudentem, & clementem non poteſt. Petis. Quid de his parvulis fiet poſt diem Iudicij? Reſpondeo egreſſuros è limbo: quod, ut puto, demonſtro. Ipſi ita damnati ſunt, ut ſenſibilem pœnam non habeant: At, ſi poſt carnis reſurrectionem eſſent in limbo permanſuri, ſenſibilem pœnam haberent. Ibi ergo non manebunt. Probatur minor; nam pœna ſenſibilis eſſet, habere ſanos & expeditos oculos, & tamen in æternis tenebris nihil videre. Igitur ad terræ ſuperficiem, vel quò Divina Clementia juſſerit, transferentur.

Veterum & Iuniorum Theologorum ſententia.

Quod Regẽ prudentiſſimum dedeceret, Deo adfingi non poteſt.

Vbi nam futuri ſint infantes poſt diem iudicij?

QVÆSTIO III. INCIDENS.

De fidelium filiis qui ſine baptiſmo deuiuunt.

MMMLXXIX. *An parentũ filij ſi ſine baptiſmo moriantur, ſalventur?*

PROGREDIOR & inquiro, *An omnes infantes non baptizati excludantur à Cœlo?* Chriſtianorum filios nonnulli, à filiis Infidelium diſtinguunt, & illos volunt in fide parentum ſaltem in aliquibus caſibus ſalvari. Ita Alexander *p. 4. membr. 5. art.* . Altiſiodorenſis *lib. 3. tract. 3. cap. 4. quæſt. 2.* Bonaventura *in 4. diſt. 3. in diſtinctionis part. 1. art. 2. quæſt. 2.* Gerſon. *Al bab. 59. lit. R.* Caietanus *quæſt. 68. art. 2.* Angelus *verb. Baptiſmus. 7. num. 8.* Richardus *in 4. diſt. 3. quæſt. 1.* Sylveſter *verb. Baptiſm. 1. num. 5* ſumma Confeſſ. *lib. 3. tit. 15. quæſt. 21.* Vivaldus *de Baptiſmo num. 17. pag. 47.* Bartholomæus ab Angelis *in exam. Confeſſ. dial. 1. §. 31.* Valentia *tom. 4. diſp 3. quæſt. 5 punct. 3.* Zanardus, Viguerius, Durandus, & alij apud Dianam *part. 1. tract. 4. reſ. 17.* Conveniunt in Concluſione univerſi, exiſtimant enim non poſſe ſub Deo clementiſſimo accidere, ut in æternum pereat infans, qui baptizari non potuit: at per diverſas vias procedunt, & diverſis fundamentis inſiſtunt. Et quidem utuntur ratione, quæ bonâ ſolutione indigeret. Sic arguunt. [Privilegia neminem gravant nam gravamina privilegia non ſunt: atque Baptiſmus eſt privilegium: ergo neminem gravat. Ergo Chriſtiani filius, qui à Parente ſuo eſt Deo oblatus, iuvari poterit Baptiſmo: at eo non indiget. Probatur Conſequentia: Quia ſtando legi naturali, infans, parentis oratione, aut oblatione ab originali liberaretur, nec indigeret Baptiſmo: ergò ſi modò Baptiſmo indiget, prioris conditionis eſt, quàm erat. Ergo Baptiſmus gravamen eſt, privilegium non eſt.] Hac ratione Campanella traductus hanc propoſitionem, *Infantes filij Catholicorum, qui moriuntur ſine Baptiſmo, in fide parentum ſalvantur*, multis viris doctis propoſuit. At nonnulli, quorum exhibet nomina, illam temerariam, erroneam, contra torrentem Theologorum in re maximi momenti eſſe dicunt; ſed non hæreticam. An-ne ſubſcripſit huic Cenſuræ etiam Lugo? Non habeo ad manum illum Librum; at puto inter alias, Lugonis me ſubſcriptionem legiſſe. Qui hanc ſententiam tuentur, ſic diſcurrunt *Primò.* Eſt digniſſimum conſideratione, Caietanum, tametſi ingenio ſubtiliſſimo præditum, & tametſi ex officio (nam erat Commentator) D. Thomam ſequi teneretur, ab eo liberè diſceſſiſſe, & contra ipſum pronunciaſſe. Ergo putabat ſe habere tam claram rationem, ut ei temerè refragaretur. *Secundò*, incuſant Patres Dominicanos, qui in Cajetani novis Editionibus hanc opinionem correxerunt aut expunxerunt: non enim Lector in Caietani libris reſcire vult, quid Corrector, ſed quid ipſemet Caietanus docuerit. *Tertiò*, diſtinguunt tempora & inquirunt, An-non hæc doctrina fuerit probabilis ante unum aut alterum ſæculum, quando videlicet florebant & ſcribebant Authores,

Fauor non debet vergere in detrimentum.

An infantes ante Chriſti adventum fuerint melioris conditionis quàm nunc?

An ſine magnâ causâ Caietanus à S. Thomâ diſceſſerit?

An debeat corrigi à Patribus Dominicanis?

Cur hodie non ſit dicenda probabilis opinio quæ erat

Digitized by Google

probabilis tempore Caietani?

Authores, qui pro illâ citantur. Si tunc erat probabilis, inquiunt, & nunc erit probabilis; quia oppoſitum nec in Tridentino Concilio, nec in ullâ Eccleſiæ Declaratione definitur; ne Iuniorum Doctorum Placitâ tam ſunt infallibilia, ut improbabiles reddantur Antiquorum ſententiæ cum eis collatæ.

MMMLXXX. Reſolutio.

Interim (Lector Optime) antiquata cenſetur Campanellæ & aliorum, quibus aſſentitur, opinio: & propter illos tu, ne à communi opinione recede: omnes enim dicimus, & defendimus, *infantes ſine baptiſmo decedentes (Catholicorum, aut Infidelium filij ſint) cœlo excludi, ac in limbum detrudi.* Aſſerimus hanc Concluſionem eſſe fide tenendam, ſunt enim expreſſa S. Scripturæ teſtimonia, quæ illam perſuadent. Ioannis tertio, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non poteſt introire regnum Dei*, quod ut declarat, & definit Tridentinum Concilium *ſeſſ.6. cap.4.* vel in re vel in voto debet eſſe, & aliter fieri non poteſt, poſt Evangelij promulgationem. Vnde idemmet Concilium *ſeſſ. 7. can.5.* pronunciat, *Si quis dixerit baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium abſolutè, anathema ſit.* Conſonat Auguſtino *lib.3. cap.9. de Anima, & eius origine* dicenti: *Si catholicus eſſe vis, noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur morte præventos, poſſe pervenire ad indulgentiam peccati originalis.* Quam veritatem aliis in locis reponit, & dilucidat, unde *libr.6 contr. Iulian. cap.2.* ſic inquit. *Etſi nullâ ratione indagetur, nullo ſermone explicetur, verum, eſt tamen, quod antiquitùs veraci Fide Catholicâ prædicatur & creditur per Eccleſiam totam, quæ filios Fidelium nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, & à Principe mortis erueret.* & cap.3. Pelagianorum errorem damnat, & ait ſine baptiſmo infantes ſalvari non poſſe.

Tridentinũ Concilium falſam eſſe oppoſitam ſententiam declarat.

Auguſtinus aſſerit eſſe Fide Credẽdam.

Nec argumentum pro contraria opinione productum, alicuius eſt ponderis. Tum, quia obſcura & fortè ignota nobis ſunt remedia, quibus in lege naturali delebatur originalis culpa: & ex ignotis ad nota argumentum non valet. Et fortè latet aliquid in legis ſcriptæ remediis, quod ab argumentatore non exponitur: nam tam varij ſunt Authores, cùm diſputant de veteris legis Sacramentis, & ſacrificiis, ut nullam propoſitionem admittere ſine examine, & conſideratione debeamus. interim admittendo hiſtoriam, qualem videtur Campanella ſupponere, ad argumentum, quo ſe munit, reſpondeo. *Privilegia neminem gravant*, diſtinguo: totalia, concedo (non enim gravamina ſunt, favores aut gratiæ) partialia, ſi univerſaliter loquatur, nego: nam ſæpe fit compenſatio, & aliquando beneficans, quando dat favorem, ut centum, vult ſibi, aut ſervitium præſtari, quod recognitionis appellant, aut debitum parvum remitti. Et in tali caſu per privilegium inducitur obligatio, aut obſequij præſtandi, aut debiti non exigendi, quæ ante non erat. *Atqui Baptiſmus eſt privilegium.* Reſpondeo minorem iſtam eſſe falſam, ut ſtatim videbimus: cæterùm, ſi eſſet vera; non favore Campanellæ; poſſet enim diſtingui, puta ſi aliquis diceret baptiſmum non eſſe privilegium totale, ſed partiale (omnia enim Sacramenta tanquam partes ad unum privilegium, quod *Ius divinum Sacramentale* dicimus, ſpectare videntur.) *Ergo baptiſmus neminem gravat*, regulariter loquendo, concedo: at loquendo in aliquo caſu, & de aliqua circumſtantia, nego. Et ſanè multa hodie in mundo concedi privilegia ſub onere, manifeſtum eſt: & nobis ſeptem Sacramenta, & in ſingulis gratiæ notabiles, & in Venerabili Euchariſtiâ ipſiſſimet Chriſti Corpus, & ſanguis conceditur ſub onere, quod debeamus flumine, ſanguine, aut flamine baptizari, & poſt lapſum peccata gravia re, vel voto confiteri.

Legis naturæ Sacramẽta? ſunt ignota: & Sacramenta legis ſcriptæ parum nota.

Satisfit Campanellæ.

An privilegia gravent, & quomodo?

De privilegio partiali, & totali.

Quid ſit Ius Divinum Sacramentale?

Sic volui reſpondere condonando minorem aliàs falſam; nam baptiſmus ſimpliciter loquendo non eſt privilegium, ſed præceptum; omnes enim ad ſuſcipiendum baptiſmum obligamur ſub peccato mortali, & tamen nemo poteſt cogi, ut utatur ſuo privilegio, ut conſtat ex *cap. ſi de terra, de privileg.* Imò unicuique licet renunciare privilegio. ex *Gloſſa 2. cap. Dilecto, de foro competenti.* Ergo baptiſmus non eſt privilegium: nimirùm ſumpto vocabulo in ſignificatione communi. Ergo ad Campanellæ argumentum reſpondetur, concedendo maiorem, & negando minorem, conſequentiamque.

MMMLXXXI *An baptiſmus ſit privilegium?*

An poſſit homo cogi ad utendum privilegio? An poſſit illo cedere?

Quod ſi *privilegij* nomine favor intelligatur, tota lex gratiæ eſt privilegium è multis privilegiis compoſitum; eſt enim favor plurimos favores complectens; qui enim concedit favorem, qui certiſſimè favor eſt, & cogit ad receptionem, ſi bene conſideretur, duos favores impertitur, & hoc præſtitit Deus in lege gratiæ; aperuit enim nobis viam ad gloriam per baptiſmum, & iuſſit ut iniremus illam: unde illud, *Felix neceſſitas, quæ cogit in melius.* [a] Cùm igitur Lex gratiæ ſit lex nova, novas leges, & novas obligationes afferre debuit: quæ ſatis conpenſantur felicitate ſtatûs, ut non ſint, nec videantur gravamina.

Privilegiũ latè ſumptũ.

An ſit favor cogere ad bonum?

a] Hæc bene intelliges & , cùm ad Germaniæ, quas *libertas* vocãt, quòd ſingulis ſic vel aliter de religione ſentire permittant, exclama. *Vere infilix libertas, quæ in peiora præcipitat.*

Sanè, ſi Campanellæ argumentum eſſet alicuius roboris, etiam urgeret iſtud. [Ego, ait Petrus, olim eram laicus, hodie ſum ſacerdos: dignitas ſacerdotalis erat mihi indebita: ergo quod hodie ſim Sacerdos, favor eſt, privilegium eſt. At favores & privilegia neminem gravant, aliàs enim non eſſent favores, ſed onera. Ergo non ſum hodie peioris conditionis, quàm olim. At olim, dum eram laicus, poteram ducere uxorem, poteram horas Canonicas omittere Ergo etiam nunc.] Et reſpondeo dignitates ſua habere annexa gravamina: nam ut habet Regula LXXVII. Iuris Canonici, *Rationi congruum videtur, ut ſuccedat in onere, qui ſuccedit in honore.* Ergo ſciat, qui ad honores aſſumitur, ad onera etiam promoveri.

Omnes dignitates habent onera, & obligationes adnexas.

Hinc manet ſolutum argumentum quod contra Confeſſionem auricularem Hæretici ſolent comminiſci. [Privilegia neminem gravant: at Sacramentum Pœnitentiæ eſt privilegium Ergo neminem gravare debet. Ergo Chriſtiani in mortale peccatum lapſi, auriculari confeſſione non indigent. Patet conſequentia: Quia in lege naturæ lachrymis actualia peccata expiaban-

MMMLXXXI. b. *An ſit neceſſaria Cõfeſſio?*

tur;

An Chriſti ni ſint peioris conditionis, quã homines in lege naturæ?

Attritio cũ confeſſione ſufficit, nec requiritur cum confeſſione contritiò.

tur: ergo, ſi hodie præter lachrymas requiritur etiam confeſſio, peioris ſumus conditionis, in lege gratiæ, quàm noſtri fuerunt avi in lege naturæ: Ergo Sacramentum Pœnitentiæ gravamen eſt, privilegium non eſt.] *Et quidem* hoc argumentum duplicem habet ſolutionem: altera enim, ut antea Privilegium totale à partiali diſtinguit, ut hucuſque expoſuimus: altera, lachrymas diſtinguit à lachrymis: nam in lege naturæ debebat Deo peccator contritionis lachrymas, ſeu dolorem; & modò ſatisfacit, ſi confeſſionem cum attritione ponat; & in hoc ſumma Dei clementia, & Privilegij magnitudo relucet. *Præterea*, cum detur pœnitentiæ præceptum (Divinum, Eccleſiaſticumque) non debet hoc Sacramentum omninò privilegium vocari; licet enim gratiam conferat, caret nonnullis privilegij ſtrictè ſumpti characteribus.

An Sacramentũ pœnitentiæ ſit privilegiũ?

FVNDAMENT. LXV.

De Confirmationis Sacramento.

MMMLXXXII.

An teneatur aliquis confirmationem recipere ſub mortali?

Actiones ex ſuâ naturâ leves interdum ob contemptum, & ſcandalum cenſentur graves.

HOC Sacramentum neceſſarium non eſt, & ſecluſo contemptu, & ſcandalo, poſſet omitti ſine culpâ mortali. Hius materia eſt Chriſma: hoc eſt, vnguentum ex oleo olivarum, & balſamo. Videtur balſamum neceſſarium non eſſe: probabile enim eſt illud jam periiſſe, nec in orbe terrarum reperiri; vt non perierit, probabile illud ad nos non afferri, ſed illud vnguentum, quod balſamum vulgò vocatur eſſe confectionem aliam artificialem. Quam ob rem, ſi balſamum neceſſarium dicatur; non datur iam in mundo Confirmationis Sacramentum, ſi illud periit; aut ſaltem non datur Confirmatio apud nos, ſi illo careamus, ſed in Philoſophia vberiùs ſum acturus de balſamo.

De pronomine Ego.

Quid vox Chriſma ſignificet

Quæ voces neceſſariæ ſint.

An detur hodie in mũdo balſamũ an ſit neceſſarium?

N. B. Cùm hodie non habeamus antiquũ balſamũ, & illud periiſſe in Palæſtinâ legamus, an id, quod hodie *Balſamum* dicitur, balſamum ſit, certè ſcire non poſſumus.

Sacramenti huius forma eſt, *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Particulam *Ego* non reperio: *In* pertinet ad Hebræum idiotiſmum. De illa particula *Te* iam diximus, vbi de Baptiſmatis forma. De *Chriſmate* nova videretur oriri difficultas. Chriſma enim eſt vnguentum confectum è balſamo, & oleo; quâ ergo probabilitate balſamum diceretur eſſe accidentale, eâdem debere illud verbum expungi, & verbum *oleo* poni. Qui enim puro oleo vngeret, ſi diceret, *Confirmo te Chriſmate* mentiretur. Fortè nomine *Chriſmatis* voles latiùs abuti, & intelligere quodcumque vnguentum. Miniſter eſt ſolus Epiſcopus. An extraordinaria authoritas poteſt ſimplici Sacerdoti conferri, vtrumque videtur probabile.

Quinam poſſint confirmari?

De huius Sacramenti Miniſtro.

An alius Ordinarius, & alius extraordinarius ſit?

Confirmari poſſunt perpetuo Amentes, & à fortiori infantes. Sed ſervari debent mores, & ſtatuta, ne aliqua culpa inobedientiæ, aut indecentiæ committatur.

NOMEN

Digitized by Google

MMMLXXXIII.

Cur confirmatio hoc nomen habeat? An ſit neceſſaria? Anſonius Noctinot, [illegible], Antonius Cotonius. *An utilitas & neceſſitas idem ſignificent?* N. B. *Neceſſitatis* nomine *Vtilitatem* intelligi demonſtratur clariſſimè: nam ſine Artibus homines vivere, & non commodè poſſent: & tamen hæ neceſſariæ dicuntur. Plutarch. apud Stob. ſer. 58 *Artiũ alias à principio neceſſitas conſtituit, & huc uſque cõſervat. Omnia docuit neceſſitas. Quam enim rẽ neceſſariam nõ invenires neceſſitas? Artem extendi, adificandi, medicinam, agriculturam & quæ umque circa agriculturam verſantur, produxit.*

NOMEN eſt clarum, & explicatione non eget: ſic dicitur quod charactem conferat, qui fidem firmet. An-ne eius ſuſceptio eſt neceſſaria? Anſonius Noctinot *in ſumma Diana, verb. Confirmatio, num. 2.* ſic inquit: [Confirmatio non eſt Sacramentum neceſſitatis: unde, qui illam ſine contemptu & ſcandalo omitteret, non peccaret mortaliter. Ita D. Thomas *3. part. quæſt. 72. artic. 8. ad 4.* & ex recentioribus Vaſquez apud Hurtadum *de Sacram. Confirm. diſſ. 11.* contra Sotum *lect. 2. de Confirm.* Pontifices verò & Concilia, quæ contrarii Authores adducunt, loquuntur de neceſſitate non præcepti, ſed utilitatis.] Incidit in locum iſtum Titius, & ſic exclamat. Mirabilis, ut video, eſt hæc Grammatica. Quærit Petrus, An Æthiops ſit albus vel niger: reſpondeo nigrum, & ais me nigredinis nomine albedinem intellexiſſe. An-ne es Ponus interpres? non credo. Quærimus nos, An Confirmatio, non ſolum ſit utilis, ſed & neceſſaria? reſpondent Patres & Concilia eſſe neceſſariam. Et Diana, Auſoniuſque interpretantur eorum verba dicentes *neceſſitatis* nomine illos intellexiſſe utilitatem. Pulchra interpretatio!

Dic ergo, neceſſitatem eſſe duplicem, alteram abſolutam, & alteram ſecundum quid; & hanc paſſim dici utilitatem. Hæc diviſio colligitur ex Ariſtotele *lib. 1. de part. animal. capit. 1.* dicente, *Neceſſitas, alia ita ſignificat, ut ſi res cuius gratiâ futura ſit, hoc habeat neceſſe eſt: alia ita, ut ſic ſe habeant, apta natura ita ſint.* Ecce aptitudinem aut utilitatem vocat neceſſitatem.

MMMLXXXIV.

Reſolutio. Varia neceſſitates. Poteſt aliquid eſſe neceſſariũ cõmunitati, quin ſit neceſſariũ ſingulis. An & quomodo ſit Matrimoniũ neceſſarium? An Parochus extra tempus Paſchale teneatur confeſſiones ſuorum audire? An ſit Divinum præceptum de hoc Sacramento ſuſcipiendo? Quomodo & quando obliget Naturale? An compræcipiatur cõfirmatio?

Stat igitur, hac præmiſſâ doctrinâ, Patres & Concilia, quos adverſarij adlegant, aut neceſſitatem non aſſeruiſſe, aut neceſſitatem ſecundum quid, hoc eſt utilitatem admiſiſſe: aut ſi abſolutam ſtatuiſſe dicantur, egiſſe de diverſis perſonis. Aliqua enim ſunt neceſſaria toti Reipublicæ, quæ non ſunt neceſſaria ſingulis in particulari: nam ſine matrimonio non poteſt Reſpublica Chriſtiana perſiſtere, & ſinguli particulares poſſunt. Aliqua etiam ſunt neceſſaria ſuperiori, quæ non ſunt ſubdito. quoniam extra tempus paſchale nemo tenetur confiteri, & tamen Parochus tenetur audire confeſſiones ſuorum, etiam extra tempus paſchale. Puto Ego hoc Sacramentum, licèt toti Reipublicæ Chriſtianæ ſit valdè utile, toti non eſſe neceſſarium, nec perituram eo caſu, quo nemo confirmatus eſſet. Eſt nihilominùs in multorum ſententiâ neceſſarium neceſſitate præcepti. Eſſe enim præceptum Divinum de Confirmationis ſuſceptione tenent Scotus *diſtinct. 7. quæſt. 2.* Richardus *art. 5. quæſtion. 2.* Waldenſis *tom. 2. de Sacram. cap. 3.* Petrus Soto *lect. 2. de hoc Sacram.* apud Suarium *diſput. 38. ſectio. 1.* & Leandrum, *part. 1 tractat. 3. diſput. 1. quæſt. 5.* [Eo ſenſu, quo oratio in tentatione gravi, ſic & Confirmatio videretur requiri, unde Fillluc. *tr. 3. n. 40.* aſſerit olim ſaltem ob frequentes perſecutiones, videri tale extitiſſe præceptum. Sed hoc præceptum includitur in primo Decalogi: qui enim tibi præcipit, ne Fidem neges compræcipit, ut media adhibeas neceſſaria, ut obedias præcepto, Ergo, ubi orare, aut recipere Confirmationem, medium neceſſarium judicetur ad non negandam Fidem, ad hoc medium adhibendum teneberis: &, ſi illud non adhibeas, & poſteà Fidem neges, non duo, ſed unicum peccatum contra primum Decalogi præceptum committes.] Eſſe de hoc Sacramento præceptum Eccleſiaſticum, & ſentiunt & docent Alexander *4. part. quæſt. 25. memb. 2,* D. Bonaventura *diſtinct. 7. art. 2. quæſt. 2.* Paludanus *quæſt. 1.* D. Antoninus *3. part. tit. 14. capit. 14 §. 5.* Sylveſter *verb. Confirmat. num. 9.* Durandus *quæſtion. 1.* Petrus Soto *lect. 2.* Richardus *diſtinct. 7.* qui Scotum, Majorem & alios antiquiores ſequuntur. Et probant ex cap *Spiritus-Sanctus,* & cap. *de his, de conſecr. diſt. 5.*

MMMLXXXV.

An detur Eccleſiaſticum de Cõfirmatione præceptum? Authores, qui negant, eſſe præceptum Divinum de Cõfirmatione. Authores, qui negant Eccleſiaſticum.

Hæc autem duo præcepta non ſunt certa: nam Divinum negat S. Thomas *in 4. diſtinct. 7. quæſt. 1. articul. 1. quæſt. 2 & 3. part. quæſt. 72. artic. 8. ad 4.* quem Navarrus, Ochagavia, Ludovicus de S. Iuan, Bartholomæus, & Petrus de Ledeſma, Victoria, Suarius Bonacina, Henriquez, Hurtadus, Archangelus, Paulus, Dicaſtillus, Truſſenchius Diana, & alii. Theologi ſequuntur: Negantque Eccleſiaſticum S. Thomas, *quæſt. 72. artic. 8. cit.* Cajetanus, Sotus, Victoria, Navarrus, Suarius, Layman, Granadus, Ludovicus de San Iuan, Tannerus, Bartholomæus, de Ledeſma, Hurtadus, Villalobos, Vega, Petrus de Ledeſma, Archangelus, Paulus, Bannius, Dicaſtillus, Trullenchius, Filliucius, Vivaldus, Toletus; Sayrus, Reginaldus, Bonacina, Valentia, Molfeſius, Heredia, Henriquez, Ochagavia, Peſantius, Lublinus, & alii. Vide Leandrum, qui *part. 1. tractat. 3. diſp. 1. quæſt. 5. & 6.* probabilius judicat, nullum eſſe Eccleſiaſticum aut Divinum de Confirmatione ſuſcipiendâ præceptum.

An peccaret, qui ex negligentiâ Confirmationem non ſuſciperet? Non eſt peccatum, quod non eſt interdictum. Deformitas eſt duplex Philoſophica & Theologica. Illa prior ad peccatum non ſufficit.

Hinc infertur eum, qui ſine contemptu, ex merâ negligentiâ hoc Sacramentum non ſuſciperet, non peccare. Nec eſt, cur veniale à mortali diſtinguas; quia eadem ratio, quæ probat illum non peccare mortaliter; etiam probat eumdem non peccare venialiter. Audi Hurtadum, *de Confirm. diſſ. 11.* ſic inquit. [Vnde non erit peccatum, ſaltem mortale, non ſuſcipere Confirmationem; quia, quod non eſt contra præceptum aliquod, non eſt peccatum.] Conſono Petro de Ledeſma Granado, Ludovico, de S Iuan, Suario, Torreblanchæ, Soto, Henriquez. Navarro, Bonacinæ, Ægidiò, & aliis apud Leandrum *loc. cit. quæſt. 7.* qui contrariam probabiliorem putat, & probat, [Quia, ſi, cùm occaſio ſuſcipiendi datur, etiam citra contemptum negligitur, reverà propter rei præſtantiam in eâ negligentiâ eſſe aliquatis deformitas conſpicitur.] & reſpondeo diſtinguendo illam deformitatem: nego enim dari deformitatem Theologicam, hæc enim à lege definitur; &, ubi nulla violatur lex, eſſe non poteſt: dari autem Philoſophicam condono potiùs, quàm concedo: forte enim

non datur; &, ſi detur, ad veniale peccatum non ſufficiet. Aliam viam, ut hoc veniale peccatum adſtruat, Reginaldus *lib.* 28. *num.* 27. *Paulus tom.* 4. *tract.* 20. *punct.* 8. *num.* 6. Baunius *tract.* 3. *punct.* 14. & alii ineunt dicentes, non poſſe excuſari, ſaltem à peccato veniali, hujus Sacramenti omiſſionem, quòd ſit quædam Prodigalitas, ſpiritualis. Et hîc iterum Ego diſtinguo Prodigalitatem Theologicam à Philoſophicâ. Sit enim, aut non ſit Philoſophica Prodigalitas hæc omiſſio; ſaltem non erit Theologica; & hoc ſufficit, ne ſit culpa venialis. Sanè, ut 2.2.*quæſt.* 119. *art.* 1. ait D. Thomas, ſemper eſt mala Prodigalitas, & non principaliter propter quantitatem, ſed propter inordinationem dandi, quibus debet non dari. Ergo impræſentiarùm, peccare eum, qui negliget ſuſcipere Confirmationem, non probari à quantitate rei omiſſæ, ſed ab obligatione non omittendi. Vt hoc intelligas, adnotato, peccatum bifariam poſſe conſiderari, videlicet, ut peccatum eſt, & ut tantum (mortale, vel veniale) eſt. Sub primam conſiderationem legis Violationem concernit: ubi enim non eſt lex, nec eſſe prævaricatio poteſt. Sub ſecundam reſpicit quantitatem materiæ: ſi enim hæc ſit magna, erit mortale; & venia, ſi parva. Ergo non debent Adverſarii dicere, [Gratia, quæ Confirmationi reſpondet, eſt res pretioſa: adquiri poterat: eſt igitur peccaminoſa omiſſio.] Non debent, inquam, ſic arguere: quia hoc ratiocinium nihil probat: &, ſi quidpiam probaret, probaret non poſſe ſine mortali illam omitti: quoniam materia eſt magna. Sed deberent ſic. [Prodigus eſt, qui dat rem cui, vel quando debet non dare: & qui non recipit rem, quam tenetur recipere. Sed omnes tenentur recipere Confirmationem. Ergo, qui illam non recipit, cùm poteſt, eſt prodigus. Ergo peccat venialiter.] Et Ego tunc negarem minorem: quia in illâ petitur Principium, & adſumitur, quod debebat probari. Et, ex ſuppoſitione, aliàs falsâ, quod minor admitteretur, primam concederem, & ſecundam conſequentiam negarem: Negligere enim Confirmationem, cùm pretioſa res ſit, vel nullum omninò eſt, vel mortale peccatum eſt. Vbi enim eſt materia gravis, vel datur præceptum, vel non: ſi non datur, paccato non eſt locus: ſi datur, prævaricatio debet eſſe mortalis. Licet enim probabilis ſententia ſit, quæ docet poſſe Superiorem obligare ad veniale in materia magna, non eſt tamen probabile potuiſſe Chriſtum præcepta, quæ in materiâ gravi leviter obligarent.

Prodigalitas etiam eſt duplex Philoſophica videlicet & Theologica. Et illa ad peccatum non ſufficit. Vnde malitia Prodigalitatis deſumatur?

Peccati malitia in violatione conſiſtit gravitas in quantitate materiæ.

Quis dicendus ſit prodigus?

Si datur præceptū, & materia eſt magna, erit culpa gravis prævaricatio.

An poſſit ſuperior in materiâ gravi leviter obligare?

ARTICVLVS I.

Quid ſignificet Chriſma?

MMMLXXXVI. *Nomen Chriſti exponitur.* Χρίω. Χρῖσμα. Χριστός.

XPIΣMA à verbo χρίω quod eſt *Vngo*, ſignificat *unctionem* & *unguentum*: unde χριστὸς dicitur Chriſtus Dominus, quòd fuerit unctus, & in Veteri Teſtamento vocantur *Chriſti Domini*, qui uncti à Domino. At hodie in Lexico Sacramentali *Chriſma* ſpecialiter ſignificat illud unguentum, quo præcipuè utimur in Confirmationis Sacramento. Et quidem optimè notat Reginaldus *libr.* 28. *num.* 2. hoc Sacramentum dici *Confirmationem* à ſuo proprio effectu; nam animam roborat & in Fide fortificat: *Conſignationis Sacramentum, Dominicum Signaculum, & ſignum Chriſti* à Formâ & *Sacramentum Chriſmatis, Inunctionem Oleum ſanctificatum, & Sacrum Vnguentum* à materiâ: & tandem *Impoſitionem manuum* à ritu vocari pronunciat, Gregorio de Valentiâ *tom.* 4. *diſſ.* 5. *quæſt.* 1 *punct.* 1. *ſub init.* & aliis conſonans.

Varia Sacramenti Confirmationis nomina.

Sed quale illud? Quod de facto conſecratur ab Epiſcopo, & quo ungit confirmandos Epiſcopus. Sed hic ſtatim duo occurrunt dubia. *Alterum*, An privatus Sacerdos ex ſpeciali licentia, aut mandato Summi Pontificis, poſſit Chriſma conſecrare? *Alterum*, An etiam privatus Sacerdos poſſit illo Sacramentaliter uti, & Confirmationis Sacramentum conferre. *Ad primum* reſpondet aſſertivè Valentia *tom.* 4. *diſp.* 5. *quæſt.* 1. *punct.* 2. negativè Coninch *de Sacrament. diſp.* 71. *art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 4. Barboſa *de poteſt. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 30. *num.* 6. ſequentes opinionem communem, juxta quam Vnguentum conſecratum à privato Sacerdote non erit Chriſma. *Ad ſecundum* liberiùs reſpondere poterimus, ſunt enim exempla, quæ partem aſſerentem roborant. Dico igitur utrumque eſſe probabile; alij enim Theologi poſſe à Summo Pontifice concedi ſimplici Sacerdoti ut validè confirmet, aſſerunt; negant alii; & Ego ut dubia à certis ſeiungam, ſic diſcurro.

An privatus Sacerdos ſit huius Sacramenti Miniſter?

De Chriſmatis conſecratione. An illud poſſit ſimplex Sacerdos celebrare?

An hoc Sacramentum poſſit privatus Sacerdos conferre?

MMMLXXXVII. *Miniſter ordinarius & extraordinarius.*

Dico primò. *Solus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius Sacramenti Confirmationis.* Puto hoc eſſe clarum & certum in utraque ſententiâ: etſi enim Preſbytero privato concederetur Chriſtianos confirmandi facultas, & validè confirmare poſſet, non eſſet ordinarius, ſed extraordinarius huius Sacramenti Miniſter. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VII. *can.* 3. *de Conf.* inquit enim. *Siquis dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Conſonant Orthodoxi univerſi.

Dico ſecundò. *Poſſe ſimplicem Sacerdotem eſſe Miniſtrum extraordinarium Confirmationis, probabile eſt.* Patet, quia illud eſt probabile, quod utrimque habet graves rationes & authoritates; quod ipſum in præſenti

Quid ſit probabilitas?

An hæc doctrina ſit de Fide?

ſenti contingit. Licet enim tueantur negativam ſententiam Bonaventura, Scotus, Major, Gabriel, Durandus, Adrianus, Caſtrus, Eſtius, & alij: affirmativam nihilominus cenſuit eſſe probabilem S. Gregorius Magnus Concilio Florentino aſſerente: & eius inſiſtendo veſtigiis etiam Gregorius XIII. qui conceſſit, ut in Indiâ aliqui ſimplices ſacerdotes hoc adminiſtrarent Sacramentum, ſententiam hanc Leander part. 1. tract. 2. diſp. 2. quæſt. 1. pag. 64 b. longè probabiliorem eſſe aſſerit: & pro illa plurimos Authores producit. Eam innuit Tridentinum Concilium: ubi enim Epiſcopum eſſe Miniſtrum Ordinarium affirmat, eſſe alios, qui ſint, aut poſſint eſſe Miniſtri Extraordinarij inſinuare videtur. Conſultò illud *videtur* poſui, non enim aſſentiar Molfeſio, in ſumm. tract. 4. cap. 2. num. 27. aſſerenti hanc eſſe doctrinam de Fide.

De Chriſmatis uſu & abuſu.

Dico tertiò. *Stando opinioni, quæ negat poſſe ſimplicem Sacerdotem, etiam ex licentiâ Pontificis, confirmare fideles, dicendum eſt eſſe verum Chriſma, quo illi utuntur; at ab eis unctos non eſſe verè confirmatos.* Eſſe illud verum Chriſma patet; quoniam Chriſmatis veritas, non in uſu, aut abuſu, ſed in conſecratione conſiſtit: quam ob rem, ſi ab Epiſcopo conſecretur, licet à non Epiſcopo conferatur, erit verum Chriſma. Cæterùm verò hoc Chriſmate unctos non eſſe verè confirmatos, etiam patet; quia ad Sacramenti veritatem præter veram materiam formamque, etiam legitimus miniſter requiritur.

Quid, ut verū ſit requiratur?

An confirmandi poteſtas ſimplici Sacerdoti conceſſa delegabilis, aut ſubdelegabilis ſit?

Petis, An ſtando ſententiæ, quæ aſſerit, poſſe ſummum Pontificem confirmandi poteſtatem ſimplici ſacerdoti concedere: dicendus ſit poſſe etiam dare authoritatem delegandi? An videlicet dicere poſſit, *Ego tibi ſimplici ſacerdoti N. confirmandi poteſtatem concedo: & concedo præterea, ut meo nomine hanc ipſam facultatem illis communices, quos neceſſarios indicaverit?* Reſpondet Leander his verbis. [Dicaſtillus *dub. 11. num. 18.* probabiliter ait? poſſe Pontificem hanc facultatem quam habet committendi ſimplici ſacerdoti adminiſtrandi hoc Sacramentum, alteri committere, ut id faciat nomine ſuo, quando ſubſit iuſta cauſa.]

MMMLXXXVIII.

Ex quânam Chriſma materiâ cōficiatur?

Sed præter conſecrationem, quid ſignificat hoc nomen *Chriſma*? Vnguentum dixi, ſed quod? confectum ex oleo & balſamo: hoc enim modo de facto conficitur. Porrò hoc unguentum eſſentialiter requirere oleum, omnes Theologi affirmant. De balſamo maior eſt difficultas. Fortè enim, illud iam periit: &, ſi illud periit, & tamen adhuc eſt Confirmationis Sacramentum, illud non requiri certum eſt. Fortè Arabicum differt ſpecie ab Indico, cùm illud vix ſit hodie in uſu: Fortè, quod à Mercatoribus venditur, nec Arabicum, nec Indicum eſt, ſed lachryma alicuius odoriferæ plantæ, à balſami virgulto diſtinctæ: aut fortè unguentum aliquod artificiale balſamo ſimile. Hos ſcrupulos jam olim Viris doctis propoſui, & donec expungantur, tene illorum opinionem, qui docent ad veritatem Chriſmatis Sacramentalis oleum ſolùm requiri, tametſi etiam ille liquor, qui hodie dicitur *balſamum*, (balſamum ſit, aut non) admiſceri debeat ex Eccleſiæ præcepto, ſubſcribunt huic doctrinæ Victoria *in Summ. num. 40.* Vivaldum *in Candelabr. cap. de mater. confirmat. num. 2.* Fernandez *in Exam. Theol. Moral. part. 3. cap. 3. §. 2.* Petrus de Reyna *in Summ. Sacram. de Confirm. num. 3.* Caſtillus *in Itinerar. Ord. ſect. 3. cap. 3. num. 6.* Barboſa *in Collect. tom. 1. lib. 1. tit. 16. cap. 1. num. 2.* Caietanus *in 3. part. quæſt. 72. art. 2.* Sotus *in 4. diſt. 1. art. 2.* Rubeus *de Sacram. in 4. ſent. diſt. 7. §. balſamum.* Ledeſma *in Summ. verb. Confirmatio. dub. 3.* Navarrus *cap. 22. num. 8.* Covarruuias *lib. 1. var. cap. 10. num. 4.* Zanardus *in Direct. Theol. part. 1. de Sacram. Confirm. cap. 2.* Philiarchus *de officio Sacerd. tom. 1. part 2. lib. 1. cap. 11.* Eſtius *in 4. ſent. diſt. 7. § 8.* Valentia *tom. 4. diſp. 5. quæſt. 1. punct. 2.* Angles *in Flor. b in 4. ſent. de Confirm. art. 2. concl. 2.* Hanc ſententiam indicat eſſe probabilem Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 1. num. 11.* Diana *part. 3. tract. 4. de Sacram. reſ. 23. §. Sed quia.* Et Ioannes de la Cruz *in Direct. conſc. part. 12. de Sacr. conf. quæſt. 72. dub. 2. concl. 1.*

An iam perierit balſamum?

Quid illud ſit quod Balſamum vulgò vocatur?

An ſit materia neceſſaria Chriſmatis?

Authores, qui balſamū non eſſe neceſſariū affirmant.

MMMLXXXIX.

Quid faciēdum, ſi cui cum ſolo oleo hoc adminiſtraretur Sacramentum?

Vbi nota hunc ultimum Authorem aſſerere, ſi contingeret hoc Sacramentum miniſtrari ſolo oleo ſimplici, non eſſe iterandum abſolutè, ſed ſub conditione, adhibitâ materiâ indubitatâ. Eum optimè ſentire ait Diana. Sed poſſet aliquis dicere primò in tali caſu non debere reiterari Confirmationem, licèt poſſit; quia opinio probabilis, nullam neceſſitatem inducit. Poſſet ſecundò dicere, ex hypotheſi, quod reiteranda eſſet, poſſe ſine conditione iuxta doctrinam Vaſquez. *in 3. part. tom. 4. quæſt. 91. art. 2. dub. 1. num. 39.* & Ioannis Sancij *in ſelect. diſp. 44. num. 32.* quorum meminit ipſemet Diana *part. 3. tract. 3. de abſol. morib. reſol. ult. 4.* poteſt enim abſolutè procedere, qui ſequitur opinionem probabilem.

Opinio probabilis neminem neceſſitat.

Abſolutè, & non ſub conditione poteſt operari, qui ſequitur opinionem probabilem.

ARTICVLVS II.

METETHICVS.

De ſubſtantiâ, & Accidentibus Confirmationis.

MMMXC.

Sacramentū quæ characterem imprimunt ite-

CONFIRMATIO ſecundum locum obtinet inter Sacramenta novæ legis, & confert etiam characterem, atque ideò reiterari non poteſt. Hoc Sacramento Chriſti milites ſignantur, & roborantur, ut poſſint fortiùs & ſecuriùs inimicis Chriſti reſiſtere.

vari non poſſunt: Confirmatio illum imprimit. An non ſolùm animã roboret, ſed corpus recurset. An gratia non ſolùm animæ, ſed etiam corpori ſit ſalutaris?

reſiſtere. Sed quibus, Spiritualibus tantùm, an etiam corporalibus? Contra priores fuiſſe inſtitutum certum eſt; at quia omnia altioris ordinis entia, ſubiecta inferiora perficiunt, non erraret omninò, qui opinaretur ſupernaturalis gratiæ vi animos etiam naturales firmari, ſi non per ſe, ſaltem per accidens: qui enim eſt in gratiâ, non ſolùm tutiùs reſiſtit Dœmoniis ſuggeſtionibus, ſed in bello etiam contra infideles pugnat generoſiùs & fortiùs, & vitam exponit aut etiam expendit confidentiùs: Et cur hoc non adjungam? Cæteris paribus meliùs valet.

Ens Confirmationale.

MMMXC. *b.* *Quid ſit ens Confirmationale univerſim & genericè ſumptum?*

COngrega omnia, quæ ad hoc Sacramentum quomodocumque ſpectant, & abſtrahe ab omnibus rationem aliquam communem & univerſalem, & habebis Entis Confirmationalis ideam. Eſt igitur Ens Confirmationale quidam conceptus communiſſimus & univerſaliſſimus omnibus rebus, quæ ad hoc Sacramentum intrinſecùs aut extrinſecùs, eſſentialiter aut accidentaliter ſpectant & concurrunt, conveniens.

Substantia Confirmationalis.

MMMXC. *c.* *Quid ſit Confirmatio. Hæ definitiones, ut diverſa videantur, ſi benè intelligantur, coincidunt.*

SI Confirmationem conſideremus, quoad ſubſtantiam dicemus eam eſſe *ſignum gratia confirmativa*, & clariùs, *eſſe Sacramentalem unctionem verbis competentibus factam, ſignificantem robur augmentumque gratiæ in Baptiſmo, perceptæ, ad vincendas tentationes contra fidem Chriſtianam, & fortiter eam propugnandam.* Leander *part.* 1. *tractat.* 3. *diſp.* 1. *quaſt.* 4. ex Magiſtro *in* 4. *diſt.* 7. S. Thomâ *quaſt.* 72. Caietano, Navarro, Fillucio, Vivaldo, Hurtado, Henriquez, Reginaldo, & aliis, has definitiones, aut veriùs deſcriptiones adducit. *Confirmatio eſt Sacramentum unctionis chriſmatis conſecrati, quo Epiſcopus frontem hominis baptizati ungit, ſub præſcriptâ formâ verborum.* Aliter. *Eſt unctio exterior chriſmatis ab Epiſcopo conſecrati in fronte, manu Epiſcopi in modum Crucis facta ſub præſcriptâ verborum formâ.* Aliter. *Eſt Sacramentum confirmativum in fide.* &c.

De Materiâ Confirmationis. *Quanam illa ſit?*

EIus MATERIA eſt duplex: remota, & proxima. Illa eſt Chriſma [nempe unguentum ex oleo olivarum & balſamo confectum: quorum prius de neceſſitate Sacramenti: & de præcepti neceſſitate eſt poſterius. Sed cuius? Chriſti, an Eccleſiæ? Dubitant multi, cum Pelecyo Theſ. 82. at nobis Eccleſiaſticum videtur eſſe.

De Formâ Confirmationis. *Quibus illa verbis conſtituatur?*

Forma conſiſtit in his verbis. *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris & Filij & Spiritûs-Sancti. Amen.* De quibus art. II. uberiùs diſputabimus.

MMMXCI. *An impoſitio manuum ſit hujus Sacramenti materia?*

Circa remotam huius Sacramenti Materiam non eſt una Theologorum ſententia: aliqui enim apud Ochagaviam *tract. de Confirm. quaſt.* 2. *num.* 1. Marſilium *in* 4. *quaſt.* 5. *art.* 1. & Leandrum *part.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *quaſt.* 1. aſſerunt huius Sacramenti materiam eſſe manûs impoſitionem. Et hi debent aut materiam proximam cum remotâ confundere, aut dicere manus eſſe materiam remotam, & impoſitionem eſſe proximam. His autem Iuniores non ſubſcribunt.

An oleum, vel balſamum disjunctivè?

Canus aſſerit materiam remotam eſſe oleum, vel balſamum disjunctivè. Et huic ſententiæ favere videntur Caietanus, Sotus Covarruvias, Rubius, & alij.

An oleum & balſamum copulativè?

Communis & vera ſententia, quam certiſſimam dicit Leander, pro remotâ huius Sacramenti materiâ oleum & balſamum ſimul adſumit: quam nos ita limitamus, ut teneamus oleum neceſſariò requiri: balſamum verò infundi ex Eccleſiæ præcepto. Adhæremus Authoribus, quos ſuperiùs produximus.

An conferri hoc Sacramentum poſſit Chriſmate non conſecrato?

Petis, *An Chriſma debeat eſſe conſecratum? An vero Chriſmate non conſecrata uti poſſit Epiſcopus, in huius adminiſtratione Sacramenti?* Reſpondeo primò, eſſe præceptum indicens, ut Chriſma conſecratum ſit? Ergo peccaret Epiſcopus, ſi Chriſmate non conſecrato uteretur: Sed cuius eſt illud præceptum? Chriſti, an Eccleſiæ? Eſſe Eccleſiæ putant Molfeſius *in ſumm. tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 21. & apud ipſum Maldonatus: conſentiunt Paludanus *diſt.* 7. *quaſt.* 1. *n.* 19. & *quaſt.* 4. *num.* 34 Capreolus *diſt.* 7. *quaſt.* 2. Eſtius, & alij. Hanc eſſe horum ſententiam aſſero, quoniam duo priores dicunt eum, qui fuerit Chriſmate non conſecrato confirmatus, non debere iterum confirmari: cæteros, quoniam concedunt conſecrationem Chriſmatis eſſe circumſtantiam & ceremoniam, in quâ poteſt diſpenſare Eccleſia. Oppoſita tamen ſententia putat ex Chriſti præcepto conſecrationem requiri, nec poſſe validè ungi confirmandum Chriſmate non conſecrato. Eam tenet D. Thomas *quaſt.* 72. *art.* 3. quem Sotus, Victoria, Suarez, Angles, Petrus Canedus, Toletus, Vega, Granadus, Filliucius, Peſantius Layman, Monte, Petrus de Ledeſma, Hurtadus, Archangelus, Ludovicus de S. Iuan. Palans, Baunius, & alij Doctores ſequuntur. Illam Henriquez *lib.* 3. *c.* 2. *num.* 1. tradit & illuſtrat his verbis. [Similiter de Sacramenti neceſſitate Iure Divino eſt, ut hæc materia ſit benedictione aliquâ conſecrata (ut probat uſus Eccleſiæ, cum traditione Pontificum & tam Græcorum quàm Latinorum; idque paſſim in Conciliis totius Orbis definitur (cùm ſit materia exterior permanens, quâ Chriſtus nunquam eſt uſus] Et eandem ſententiam Leander *loc. cit.* longè probabiliorem eſſe affirmat.

Quid, ſi conferatur? An & quomodo iterari debeat?

Cur Chriſma debeat eſſe conſecratum?

MMMLXVI. *An à ſolo Epiſcopo Chriſma ſit conſecrandum.*

Pergis, & tametſi utraque condictionis pars in Quæſtione præcedenti ſit probabilis, interrogare vis, *An ex hypotheſi, quòd ſit neceſſaria Chriſmatis conſecratio, debeat fieri ab Epiſcopo?* Poſſe Chriſma à ſimplici ſacerdote conſecrari, & Confirmationem, quæ tali Chriſmate conficeretur, fore validam, aſſerit Caietanus *quaſt.* 72. *art.* 3. cui Victoria, Valentia, Paludanus & alij conſentiunt. Hanc ſententiam eſſe probabilem aſſerit Reginaldus *lib.* 28. *num.* 8. Et fundamentum eorum videtur non eſſe ſatis firmum: quia à maiori ad minus in diverſis generibus argumentantur,

An à maiori ad minus ſecura ſit argumentatio?

mentum, cùm tamen illa Regula, *Qui poteſt maius, poteſt & minus*, ita debeat intelligi, ut maius, minuſque ſit in eodem, genere. & ſuas limitationes & interpretationes patiatur. Argumentantur ſic. Simplex Sacerdos poteſt conſecrare Hoſtiam, ergo & Chriſma. Patet conſequentia: quia illud prius maius eſt. Quam ob rem Leander longè multò probabiliorem eſſe aſſerit opinionem contrariam. Nam illam legimus in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. *eſſe Chriſma ex oleo & balſamo per Epiſcopum benedictum.* Et in Wormatienſi cap. 1. *Chriſma nullus conficere præſumat præter Epiſcopum: nam illi ſoli hæc dignitas conceſſa eſt.* Quam ob rem hanc habet ſententiam D. Thomas *quæſt.* 2. *art.* 4. Sylveſter, Victoria, Nuñus, Suarez, Vivaldus, Bonacina, Granadus, Petrus Cañedus, Vega, Torreblanca, Hurtadus, Dicaſtillus, Palaus, Baunius, & alij.

Quale eſſe debeat Chriſma?

Pergis ulterius, & ſtando opinioni, quæ Chriſma ab Epiſcopo debere conſecrari, pronunciat, interrogas, *An hæc neceſſitas ex ipſamet inſtitutione Sacramenti naſcatur, an ex præcepto Eccleſiæ?* quod eſt quærere, *An indulgere poſſit ſummus Pontifex, aut etiam quilibet Epiſcopus, ut ſimplex ſacerdos Chriſma conſecret?*

Quis conſecrare Chriſma debeat?

Ledeſma apud Hurtadum *tract. de Confirm. diff.* 5. exiſtimat, poſſe privato cuicumque ſacerdoti Epiſcopum imperare, aut concedere, ut Chriſma conſecret. At hæc opinio hodie reiicitur ab univerſis.

An ſimplex Sacerdos ex mandato Epiſcopi?

MMMXCIII. Poſſe ſaltem Summum Pontificem hanc poteſtatem ſimplici ſacerdoti concedere, affirmant multi: quorum argumentum etſi negato fundamento corruat, firmum eſt fundamento conceſſo. Ratiocinantur ſic. Pontifex poteſt ſimplici ſacerdoti concedere, ut Confirmationem adminiſtret. Ergo ut Chriſma conſecret ad ipſius Confirmationis adminiſtrationem requiſitum. Immò & hoc de facto conceſſiſſe videtur: ideò enim conceſſit ut aliqui ſimplices ſacerdotes hoc Sacramentum adminiſtrent in India, quia ibi ſunt rari Epiſcopi, & providendum Indis eſt, ut hoc Sacramentum recipiant At ubi non ſunt Epiſcopi, qui hoc Sacramentum conferant, non erunt Epiſcopi, qui Chriſma conſecrent. Ergo fruſtraretur providentia Apoſtolica, niſi illi, cui adminiſtrationem huius Sacramenti concedit, etiam Chriſmatis concrederet conſecrationem. Dicebam argumentum, quod hanc Opinionem ſuccollat, eſſe firmum ex ſuppoſitione; quoniam eum, qui antecedens (nempe, Pontifex poteſt, &c.) negaret, non urgeret. Interim ex hoc fundamento diſcurrunt, & ſententiam tuentur Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 12. Cajetano, Valentiæ, Victoriæ, Soto, Ludovico de S. Iuan, Ledeſmæ, Angles, Binsfeldio, Petro Cañedo, Henrico, Scoto, Henriquez, Paludano, Capreolo, Palacios, & aliis conſonans. Bieſcas videtur hanc opinionem D. Thomæ accenſere, nam *in Apolog. pro doctrinâ D. Thomæ, tom.* 1. *pag.* 788. eam tuetur: at Angelicus Doctor nos oppoſitam docet *diſt.* 18. *quæſt.* 1. 2. *&* 3. qui cum non poſſe Pontificem hanc poteſtatem ſimplici ſacerdoti concedere reſolvunt Suarez Filliuc. Ægid. Baſilius Trullenchius, Baunius, Palaus, Barboſa, Ioannes de Cruce, Hurtadus, Archangelus, Ochagavia, Layman, Petrus, & Bartholomæus de Ledeſma. Sylvius, Vega, Bellarminus: aut etiam Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 23. ſi velis. Hanc Leander *pract.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 6. *pag.* 68. probabiliorem nominat, & probat, quia ſummo Pontifici non eſt data hæc poteſtas. Sed hoc ipſiſſimum eſt, quod quærebatur, & deberet probari non reponi.

An ex mandato Papæ?

An ratio, quæ poſſe ſimplici Sacerdoti committi huius Sacramenti adminiſtrationem ſuadet, etiam probat, eidē poſſe concredi Chriſmatis conſecrationem.

Quæ fuerit D. Thomæ ſententia?

An Leander probet idem per idem?

Petis adhuc, *An ad valorem Confirmationis requiratur, ut Chriſma novum ſit, & conſecratum illo anno? an verò hæc circumſtantia ſit tantùm præcepta ab Eccleſiâ?* Hoc ultimum eſſe verum reſpondeo: nam Concilium Carthaginenſe IV. *cap.* 36. Toletanum 1. *cap.* 12. Vaſenſe *cap.* . & alia præcipiunt Parrochis, ut ſingulis annis à ſuis Epiſcopis ante Paſchatis ſolennitatem Chriſma poſtulent. Et peccaret mortaliter Epiſcopus, qui non obediret huic legi. Ita Suarez *diſp.* 33. *ſect.* 1. Leander *loc. cit. quæſt.* 7. Bonacina, Ochagavia, Ludovicus de S. Iuan, Moure, Lublinus, Navarrus Petrus Cañedo, Villalobos, Torreblanca, Baunius, Palaus: & eſt communis.

An, & cur Chriſma novum confirmatio requirat?

Materia proxima Confirmationis eſt unctio Chriſmatis in fronte per modum Crucis facta. Eſt certa: nam pleraque omnia Sacramenta in uſu conſiſtunt; in Baptiſmo enim materia proxima eſt ablutio; in Extremâ-Unctione unctio; in Ordine traditio: &c. Ita S. Thomas *quæſt.* 72. *art.* 9. Suarez *diſp.* 33. *ſect.* 3. Bellarminus *lib. de Confirm. cap.* 8. Ægidius, Henriquz Valentia, Bonacina, Leander, & omnes communiter.

De materiâ proximâ cõfirmationis.

An in operatione cõſiſtat?

MMMXCIV. Circa huius Sacramenti Formam poſſet quis poſtulare, *An aliqua ſit neceſſaria?* Dubitare Archidiaconum *diſt.* 5. *cap. noviſſimè*, affirmat Nicolaus Plove *de Confirm. pag.* 10. at eumdem Archidiaconum non ſolùm dubitare, ſed negare teſtatur Hugo *diſt.* 5. *cap. noviſſimè*, putavit enim Archidiaconus Sacramentum Olei, & Sacramentum Chriſmatis (Extremam-Unctionem & Confirmationem) poſſe conferri ſine verbis, modò fiat unctio cum oleo vel balſamo conſecrato. At hæc doctrina eſt reprobata: & hoc Sacramentum habere aliquam formam, quâ conſtituatur, tam certum eſt: ut eſſe de Fide Leander *loc. cit. quæſt.* 15. & alij Doctores affirment, & ex Concilio Florentino & Catechiſmo Romano *pag.* 225. perſuadeant: monentes formam Confirmationis traditam fuiſſe à D. N. Ieſu-Chriſto, & ab Apoſtolis promulgatam. Ita S. Thomas *quæſt.* 72. *art.* 4.

Dubia, quæ occurrũt circa Formam.

An hoc Sacramentum poſſit ſine verbis conferri?

An careat formâ?

Forma eſt. *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs-Sancti. Amen.* Et, ſi interroget aliquis, An omnia hæc verba ſint neceſſaria, paulò poſt reſpondebo.

Quænam verba cõſtituant Cõfirmationis formam?

Tu interim conſule Dianam *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 8. Dicaſtillum *de Confirm. dub* 7. *num.* 74. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. Hoſium *cap.* 38. Suarium *diſp.* 33. *ſect.* 5. Archangelum *diſt.* 7. *pag.* 67. *col.* 2. Ledeſmam, Victoriam, Sotum, Baunium, Palaum, Trullenchium, &c.

Petis,

An concipiẽda ſint in Indicativo? An per Subjunctivũ dici poſſint?

Petis, An ſit valida hæc forma, *ſignetur ſervus Chriſti N. ſigno Crucis, & confirmetur Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti, Amen?*

Reginaldus apud Leandrum *loc. cit. quæſt.* 18. ſic inquit. [Notandum tertiò non eſſe neceſſariò proferenda prædicta verba (forma ſcilicet Confirmationis) in præſenti Indicativi Modi, *ſigno te*, &c. Satis enim eſt, ſi dicatur per modum deprecationis *ſignet te Deus ſigillo Fidei ſuæ, in nomine Patris*, &c. quod etiam notat Suarez, &c.]

De præjuditio, quo laborant Authores, qui oppoſita opinioni ſubſcribunt.

Ego autem aſſero hanc formam deprecativam eſſe invalidam, quia laborant præjudicio certiſſimo Authores, qui illam tuentur: pro quorum excuſatione dico (1) ſi eſt valida hæc Baptiſmi forma, *Baptizetur ſervus Chriſti*, &c. etiam erit valida hæc, *ſignetur ſervus Chriſti N. ſigno Crucis, & confirmetur*, &c. Dico (2) Græci non dicunt *Baptizetur*, ſed *Baptizatur*, ut num....demonſtravi Ergo ſicut *Baptizetur*, &c. ſic etiam *ſignetur*, &c. *confirmetur*, &c. præjudicant valori formæ.

An forma hæc poſſit in paſſivã converti?

Rejectâ formâ, quæ per modum deprecationis concipitur, interrogas, an validè & licitè uti poſſimus iſtâ, *ſignatur ſervus Chriſti N. ſigno Crucis, & confirmatur Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti?* Reſpondeo (1) eſſe formam hanc validam, quia æquivalet communi quam præſcribit Eccleſia. Reſpondeo (2) eſſe illicitam: & peccaturum Epiſcopum (Græcus ſit, aut Latinus) qui illâ uteretur: nam eſt contra præſcriptionem Eccleſiæ. Ita Petrus de Ledeſma *in ſumm. tract. de Confirm. cap. 3. in fin.* Ita etiam Diana, Nuñus, Henriquez, Suarez, Reginaldus, Dicaſtillus, &c. quos producit & ſequitur Leander *part. 1. tract. 3. diſp. 3. quæſt. ult. pag.* 70. b.

MMMXCV.

An, & quæ voces in huius Sacramenti formâ omitti poſſint? Quanam ſit forma huius Sacramenti? Confirmationis & Baptiſmi unitas, & differentia.

CONſtituunt formam Confirmationis, ut diximus ſuo loco, iſta verba, *ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti.* Convenit cum Baptiſmo, quod utrumque Sacramentum ad profitendam fidem ſit inſtitutum, & ideo in utroque debet fieri expreſſa mentio Trinitatis. Differunt tamen hæc Sacramenta, in multis, & præcipuè quia Baptiſmus eſt ſimpliciter neceſſarius, & infundit Fidem quoad ſubſtantiam, & Confirmatio eſt bona ad melius, & non confert Fidem, ſed collatam à Baptiſmo roborat & fortificat.

De accidentariis ſignis, quæ in Confirmatione intercedũt. Quid ſignificet illud Pax tecum. *Quid alapa?* Satisfit huic ceræmoniæ, ſi manu infantis maxilla tangatur. *Quid cereus?*

Præter verba formæ, ſunt alia ſigna concomitantia & conſignificantia: videlicet verba *Pax tecum.* Colaphus, & Cereus. Verbis illis *Pax tecum*, Epiſcopus Charitatem commendat, nam inter eos, qui ſe diligunt mutuò, pax obſervatur. Alapa incutitur, ut moneatur, medium ad conſervandam Charitatem eſſe Patientiam, unde Apoſtolus, *Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti:* & etiam juvat pueros ut recordentur ſe recepiſſe hoc Sacramentum: & hæc memoria illis in fortiori ætate proderit, ut iterum illud non ſuſcipiant; &, ut contra tentationes ut armatos milites decet, generosè procedant. Monet tandem cereus eos ardere & lucere debere: nimirum igne Charitatis ardere, & vitæ exemplo lucere & cæteros illuminare. Et videtur Eccleſia, cùm hanc ceremoniam inſtituit reſpexiſſe ad illa verba Chriſti, *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes* (ſubintellige, *in manibus veſtris*) *& vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando revertatur, à nuptiis.*

Illud *in manibus veſtris* Textus Græcus non habet. Luc. 12. 35.

An, & quale peccatum ſit illa verba, Pax tecũ *non dicere alapam non infligere, & cereum non præferre?*

Petis, *An hæc* (verb. *Pax tecum*, Alapa, Cereus) *ſine peccato omitti poſſint?* ſine mortali poſſe omnes Doctores aſſerunt. Venialis culpæ eorum omiſſionem Sà *in ſumm. verb. Confirmatio num.* 10. Bonacina, Ludovicus de San Iuan, Petrus Ledeſma, Suarez Valentia, Palaus, Barboſa & alij accuſant: at Valentia *diſp. 5. quæſt. 1. punct. 3. in fin.* Sotus, Leander, Archangelus & alij nullam eſſe culpam decidunt. At tu, ſicut ubi materia eſt legis, gravem culpam non aſſeres: ubi eſt lex, eius violationem nullam eſſe culpam non dices.

His præmiſſis ad verba Formæ oculos convertamus, & ſingula breviter examinemus.

MMMXCVI.

An neceſſarium ſit Verbum ſigno?

Verbum *ſigno* videtur eſſe neceſſarium, & ad valorem Sacramenti requiri.

An Pronomen Te.

Pronomen *Te* eâdem probabilitate poſſet reiicere Pater Paludanus, quâ docebat Lovanij illud in formâ Abſolutionis neceſſarium non eſſe. Nam ut noto ſuo loco, putabat abſolutionis formam conſiſtere eſſentialiter in verbo *Abſolvo.*

An voces illa ſigno crucis.

Verba illa *ſigno crucis* putat Diana probabiliùs requiri. Ita *part. 3. tract. 4. reſ. 26.* Et Ego putarem hæc verba, *ſigno te ſigno crucis* & hæc, *ſigno te cruce*, eſſe æquivalentia, quod fortè non negaret Diana. At neutra æquivalere verbo *ſigno*, quia generalior eſt huius verbi ſignificatio: plus enim & determinatius eſt ſignare cruce, quàm ſignare: ſicut determinatior eſt Homo albus, quàm Homo; Animal rationale: quàm Animal.

Signare, & ſignare ſigno Crucis *differunt inter ſe.*

At in linguâ Hiſpanicâ putarem, *ſigno te ſigno crucis*, debere unico verbo dici, videlicet, *Preſino-te*; nam habemus duo verba, *Señalar*, & *Preſiñar:* quorum prius eſt, *ſignare quocumque ſigno.* at poſterius eſt determinatè *frontem ſigno crucis ſignare.* Interim illa verba à tacente manu conſignificari, & ſufficienter ſubandiri & ſubintelligi, etſi non proferantur linguâ, aliqui probabiliter aſſerunt, ut ſtatim videbimus.

Quid ſignificent apud Hiſpanos Verba Preſiñar *&* Señalar?

An neceſſarium ſit Verbum Confirmo?

Sed quid de verbo *Confirmo* dicemus? An-ne validè Sacramentum conferret qui diceret. *Signo te ſigno crucis & chriſmate ſalutis*, &c Diana citatus putat non eſſe improbabilem ſententiam, quæ docet utrumque verbum (*ſigno & Confirmo*) ad valorem Sacramenti requiri: [Quia non ſunt æquipollentiâ. non enim omnes qui ſignant, eo ipſo confirmant, nam tametſi ſigna videntur oves confirmare ab extrinſeco, ne perdantur; ſignum verò crucis, quo Chriſtiani in hoc Sacramento ſignantur confirmat ab intrinſeco dando gratiam internam, & dando fidei, ſpei, & charitatis augmentum.] Ergo Diana indicabit probabile ſufficere alterum verbum. Vtrum tamen? Mallem utrumque ponere; at ſi alterum deberet omitti, putarem potius debere omitti *ſigno* quàm *Confirmo*, verbum enim

An ſigno Confirmat?

Dicerem ego potiùs intrinſecùs, quàm, ab intrinſeco.

Digitized by Google

Vtrum verbum magis ſit neceſſarium, ſigno, an confirmo?

enim *ſigno* imbibitur in nomine *ſigno*, & non ita in nomine *Chriſmate*, verbum *confirmo*? clariùs enim loqueretur, qui diceret, *Confirmo te ſigno crucis, & chriſmate ſalutis,* &c. quàm qui diceret, *Signo te ſigno crucis & chriſmate ſalutis.* Et hic obiter notari volo aliquos apud Martinum Becanum *de Sacrament. cap. 27. quæſt. 7. num. 3.* aſſerere formam Confirmationis conſiſtere his verbis, *Conſigno te chriſmate.* Cui ſententiæ videtur etiam ſubſcribere ipſe Becanus, illam enim aſſumit, ut aliud probet, nec bonus Logicus aſſumit, quæ eſſe vera non credit.

Qui,ut aliã propoſitionẽ probet aliã adſumit, hanc eſſe verã aſſerit. aliàs enim illam non adſumeret.

MMMXCVII. *An poſſint omitti Voces* Chriſmate ſalutis?

Sed poſſet quis omittere verba illa, *Chriſmate ſalutis*? Diana ait probabiliter requiri, infero ego eadem ad Dianæ mentem probabiliter non requiri.

Et quid de invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis dicendum eſt? An validè conferetur Sacramentum, ſi omittatur? Aſſerunt Guilelmus Eſtius conſonans Aureolo *in 4. diſt. 7. quæſt. 2.* qui hanc formam tradit, *Signo te ſigno Crucis, & Confirmo te chriſmate ſalutis.* Et invocationem Sanctiſſ. Trinitatis non addit; aſſerunt etiam Baſilius de Leon *tract. de confirm. part. 2. cap. 7.* & Amicus *tom. 7. diſp. 13. ſect. 3.* & gravi ratione moventur: argumentantur enim ſic. [Eccleſia Græca validè confert Confirmationis Sacramentum: ſed in ejus adminiſtratione verba illa *in nomine Patris, &c.* non dicuntur. Ergo non ſunt neceſſaria.] Hanc ſententiam fusè refert, nec tamen improbat Diana *part. 8. tract. 1. reſol. 8. 9. & 10.* Interim Leander horum Doctorum authoritate, & rationis, quâ ducuntur gravitate non obſtantibus *part. 1. tract. 3. diſp. 3. quæſt. 17. pag. 70.* hanc videtur ſententiam improbabiliſſimam judicare, nam oppoſitam, cui adhæret, dicit eſſe certiſſimam: non enim poſſibile eſt, ut aliqua ſententia ſit certa, & altera ſit merè probabilis. Interim Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem eſſe neceſſariam, & ad valorem hujus Sacramenti requiri, teſtantur Sanct. Thomas *quæſt. 72. articul. 4.* Peſantius, & Ægidius *ibid.* Suarius *diſp. 33. ſect. 5.* Sà *verb. Confirm. num. 9.* Henriquez Reginaldus, Filliucius, Petrus de Ledeſma, Bonacina, Baunius, Palaus, Dicaſtillus, Trullenchius, & alii.

An ſemper, ſententia, quæ certa opponitur, ſit improbabilis?

An Particula In.

Præpoſitio *In* ut paulo antè dicebamus, cum formam Baptiſmi exponeremus, ad idiotiſmum Hebræum pertinet, & in Latinâ linguâ elegantiùs omittitur.

An Particula Et.

Conjunctio *Et* prior, omitti meliùs poterit, quàm poſterior: at utramque abeſſe poſſe jam vidimus.

Concluſio.

Ex his collige de circinatis omnibus verbis, quæ tantùm probabiliter ſunt neceſſaria, & his quæ à Viris doctis ad meliùs ponenda dicuntur, formam nudam Confirmationis conſiſtere in his verbis, *Signo* (aut *confirmo*) *nomine Patris, Filii, Spiritus-Sancti.* Modò proderit audire Leandrum qui *part. 1. tract. 3. diſp. 4. quæſt. 6.* interrogat, *An omnia verba, quæ in Confirmatione dicuntur, ſint neceſſaria?* & ſic inquit. [Negant aliqui DD. Nam imprimis Guillelmus Eſtius *in 4. diſt. 7. §. 10.* & alii quidam, quos ſequitur Baſilius *tract. de Confirmat. part. 2. cap. 7.* dicunt, quòd illa verba, *ſigno Crucis* non ſunt eſſentialia: alii verò, quòd nec illa verba, *Chriſmate ſalutis:* & tandem alii quod nec illa duo *ſigno,* & *Confirmo* ſimul, ſed ſufficere unum, aut alterum. Omnes quidem probabiliter, ut ſentit Diana *part. 9. tract. 4. reſ. 17.* & ante ipſum Henriquez *lib. 3.* cum aliis. Pro quorum dicendi modis facit, quod in libro, qui inſcribitur, *Ordo Romanus*, in Officio Sabbati ſancti ſolùm hæc forma ſtatuitur, *Confirmo te in nomine Patris & Filii, & Spiritûs-Sancti.* Ergo, &c.] Sed hæc pro Scholis pulchra: at Epiſcopus percurrat viam regiam, more ordinario confirmet.

Epiſcopus in adminiſtratione Cõfirmationis nõ poteſt uti opinione probabili.

Vt meliùs hanc materiam intelligas, inquiris duo: *An formatio Crucis eſſentialiter ad valorem Confirmationis requiratur?* alterum, *An in fronte eſſe debeat; & non poſſit in aliâ corporis parte formari?* MMMXCVIII.

An iſta quæſtio ſit Theologica?

An formatio Crucis ſit requiſita eſſentialiter?

Videretur alicui Prima Quæſtio dependere à Theologiâ, cùm merè Grammatica ſit. Eidem aſſertivè reſpondent Coninch *de Sacram. quæſt. 72. art. 4. num. 6. & ſeqq.* Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 1. num. 20.* Diana *part. 3. tract. 4. reſ. 27. §. Formatio* S. Thomas *quæſt. 72. art. 4. ad 3.* Victoria *quæſt. ult. de confirm.* Sotus, uterque Ledeſma, Gabriel, Durandus, Scotus, Bellarminus, Henriquez, Nicolaus Ploüe, Vega, Hurtadus, Philippus de Cruce, Villalobos, Suarez, Reginaldus, Bonacina, Pitigianus, Petrus de Ledeſma, Angles, Bartholomæus ab Angelis, Archangelus, Binsfeldius, Dicaſtillus, & alii, quos citat & ſequitur Leander *part. 1. tract. 3. diſp. 3. quæſtion. 11.* Et ſi rationem exigas ad Grammaticam recurrent, & dicent, quia aliàs falſificarentur verba formæ: quo enim modo vere diceret, *Signo te ſigno crucis*; niſi etiam ſignum crucis formaret?

Cur Crux debeat neceſſario formari?

Reſpondent ad ſecundam Coninch, Filliucius, & Diana citati, & alij etiam omnes, debere: at hoc non poterunt probare Latinè, Hiſpanicè poſſunt, nam ſi Epiſcopus verbis uteretur Hiſpanicis, & diceret *Preſino te*, paucis multa comprehenderet: verbum enim illud *Preſinar*, ſignificat ſignare ſigno crucis, non in quâcumque parte, ſed in fronte; quoniam non dicimus id de aliâ re, quam ſigno Crucis roboramus; latiùs enim patet *hazer la ſeñal de la Cruz*, ſtrictiùs verò *preſinar*: priori enim phraſi utimur, cùm cibum, potum, domum, &c. poſteriori cùm frontem Crucis ſigno ſignamus. MMMXCIX.

Exponitur verbũ Preſinar, vel Hazer la ſeñal de la Cruz.

An, & quomodo differant inter ſe.

QVANTITAS CONFIRMATIONALIS.

Materiæ quantitas debet eſſe ſenſibilis, nec poteſt tam parva adhiberi, quæ inſufficiens dicatur. Hæc quæſtio coïncidit cum aliâ ſimili, quam ſuperiùs decidimus, cum de Baptiſmate diſputaremus: & utrobique dicimus non poſſe eſſe tam parvam, ut inſufficiens debeat aſſeri. Ita communiter Theologi. Et, ut aliquos nominatim citemus; ita Leand. *part. 1. tr. 2. diſp. 2. quæſt. 1. & 3.* & *tract. 3. diſp. 3. quæſt. 14.* qui MMMC.

An Chriſmatis gutta ſufficiat?

Digitized by Google

citat & ſequitur Hurtadum *tract. de Confirm. diſſ.6. in fin.* Trullenchium *cap. unic. de Confirm. num.7.* Palaum *tract. 20. punct. 3. num. 5.* Bonacinam *diſp. 3. quaſt. ult. punct. 3. num. 5.* Dicaſtillum *de Confirmat. dub. 5. num. 61.* &c.

An omnia verba, quæ adhibentur, neceſſaria cenſenda ſint?

De verborum quantitate & numero Doctores diſputant: & dum alij neceſſarias & eſſentiales vocant dictiones illas, quas alij integrales aut accidentales, hujus Sacramenti Miniſter totam proferat formam, & practicè non poterit errare. Vide interim quæ paulò antè de verbis, quæ poſſunt & non poſſunt omitti, dicebamus.

QVALITAS
CONFIRMATIONALIS.

M M M-C. *b.*

De Baptiſmo in ordine ad Cōfirmationem. Diſpoſitiones requiſita.

BAptiſmus eſt quædam indiſpenſabilis ad Confirmationem diſpoſitio. Et qui ſemel eſt confirmatus impotentiam habet ut iterum reconfirmetur.

Hæc ad veritatem & valorem Sacramenti concernunt: decentiam verò Confeſſio, Communio, Oratio, Iejunium, &c. ſingula pro capacitate ſuſcipientis, & conſuetudine particulari Eccleſiæ. Audi Leandrum, qui *part. 1. tractat. 3. diſp. 4. quaſt. 7. pag. 72. a.* diſpoſitiones, quas hoc Sacramentum poſtulat, exponit dicens. [Reſpondeo requiri primò, quòd habeat intentionem, ſaltem virtualem, ut in Baptiſmo. Secundò, quòd ſit in gratiâ, vel ſaltem bonâ fide putet, ſe eſſe contritum; hoc enim ſufficit habenti conſcientiam peccati mortalis; nec enim tenetur confiteri, ſed conteri ante receptionem hujus Sacramenti. Tertiò addunt aliqui, quòd ſit jejunus, tamen, ut ſupra *diſp. 2. quaſt. 12.* de conferente dictum eſt, hoc non eſt de neceſſitate præcepti, ſed ex conſilio. Ita S. Thomas *quaſtion. 72. art. 7. ad 2.* &c.]

N. B. Volunt aliqui obligari ſub veniali ad præmittendam cōfeſſionē, ſed cōfeſſio gravis res eſt, &, ſi eſſet præcepta, ſub mortali obligaret. Atqui non obligat ſub mortali. Ergo ſub nullo.

An ſit Confirmatio neceſſaria?

An ſub mortali Epiſcopus debeat illam adminiſtrare?

Hoc Sacramentum neceſſarium non eſt: imò nec divinitùs, nec humanitùs ulli præcipitur. Quam ob rem, ut paulò antè diximus, qui ſine contemptu ex merâ illud negligentiâ omitteret, non peccaret mortaliter. Suadendum tamen omnibus, ne in re tam ſanctâ & utili aliquam negligentiam committant. [Noto nihilominus obiter, aliam eſſe quæſtionem, quæ inquirit, An homo privatus debeat illud ſuſcipere? aliam, quæ inquirit, An Epiſcopus debeat illud conferre.]

RELATIO
CONFIRMATIONALIS.

M M M-C I.

An, & qualis inter Patrinum & Confirmatū, & Confirmati parentes ſit Relatio? Ad quos ea terminetur?

PAtrinus eſt quidam ſecundarius pater; & qui ſuſcipitur vel tenetur eſt in eodem genere filius; & inter ſe habent morales quaſdam Relationes ſpiritualis cognationis, vi quarum matrimonium ſuperveniens dirimatur. Et his præmiſſis.

Dico primò. *Confirmans contrahit ſpiritualem cognationem cum Confirmato & cum parentibus Confirmati.*

Dico ſecundò. *Patrinus ſimiliter illam contrahit cum Confirmato & parentibus Confirmati.*

Hinc patet (1) non poſſe celebrari matrimonium inter eos, quos hæc ſpiritualis cognatio afficit. Patet (2) ſi extra matrimonium libidinentur inter ſe, præter peccatum luxuriæ committere circunſtantiam inceſtûs, quam in Sacramentali Confeſſione debent neceſſariò explicare. Patet (3) nec impedimentum matrimonii, nec circunſtantiam inceſtûs ultra has perſonas ad alios gradus propagari.

An matrimonium dirimat?

An ex illâ naſcatur circunſtātia inceſtûs, in confeſſione neceſſariò explicanda?

QVANDO
CONFIRMATIONALE.

Nota bene.

M M M-C I I.

Quo die ſit adminiſtrāda Confirmatio? Quâ puerî ætate debeant, aut poſſint confirmari?

VEtus Chriſma comburitur, & novum conſecratur ſolenniter die Iovis ſancto juxta Catechiſmum Romanum *pag. 224* ex cap. *ſiquis de alio, de conſecr. diſt. 4.* & cap. *litteris, diſt. 3.* & eſt doctrina indubitata in praxi.

Sed quando hoc debet adminiſtrari Sacramentum? Epiſcopi in civitate, in quâ reſident, ſolenniter confirmationem adminiſtrant die Pentecoſtes; aliàs ſine ſolennitate. In pagis tempore Viſitationis; aut quando dictaverit ratio.

Sed quo ætatis anno hoc Sacramentum poteſt recipi? In locis, ad quæ rarò vel nunquam divertere poteſt Epiſcopus, haberi debet neceſſitatis ratio: nam, ſi timeatur, ne infans confirmari olim poſſit, ſi præſens omittatur occaſio, confirmari debebit etſi uſu rationis careat. At hoc ceſſante inconvenienti, ut poſt annum ætatis ſeptimum, cùm jam homo utitur libero arbitrio, hoc Sacramentum ſuſcipiatur, melius eſt. Ita Auhores graviſſimi, quos Sotus, Fillucius, Bonacina, Sà, Henriquez, Victoria, Petrus de Ledeſma, Suarez, Reginaldus, Hurtadus, Eſtius, Ochagavia, Granadus, Ludovicus de S. Iuan, Villalobos, Vega, Archangelus, & alii ſequuntur. Leander, qui *part. 1. tractat. 3. diſput. 4. quaſtion. 3.* hos ſcriptores citat, hanc ſententiam judicat eſſe probabilem; nam oppoſitam, cui adhæret, judicat eſſe probabiliorem.

An præſtet exſpectare donec pueri habeant uſum rationis?

Hanc autem doctrinam ita intellige, ut nihilominùs aſſeras Confirmationem infantibus ante uſum rationis collatam eſſe validam; licèt hoc negaverit olim Durandus *in 4. diſtinct. 25. quaſtion. 2. num. 8.* aſſerens eſſe invalidum hoc Sacramentum, ſi ante uſum rationis conferatur: & licèt Durando nuper adhæſerit Sà, *verb. Confirmat. num. 5.* perpetuo amentes, & pueros ante ſeptimum ætatis annum excludendo. Sententia contraria, quæ nullam ætatem ad valorem requirit, eſt certa, & communis: & *ex capit. de conſecr. diſtinct. 5.* necnon *ex Concilio Tridentino ſeſſ. 7. de Confirmat. can. 1.* & ex totius Eccleſiæ praxi deducitur. Ita D. Thomas *3. part. quaſt. 72. art. 8.* quem omnes Viri docti ſequuntur.

An hoc infantibus Sacramentum conferatur invalidè?

Nulla ætas ad valorem requiritur.

Petis etiam. *An aliqua ætas determinata requiratur, ut licitè hoc conferatur Sacramentum?* Reſpondeo negativè; Ita S. Thomas *in 4. diſtinct. 7. quaſt. 3. articul. 2. quaſt. 2.* Diana

Nullum eſt præceptū de ætate. Ergo in quâlibet poteſt licitè ſuſcipi?

Digitized by Google

Diana 3. *part. tract.4. reſol.*19. & 5. *part. tract. 3. reſol.* 31. Leander *part.* 1. *tract.* 2. *diſp.*4. *quæſt.*2. & apud ipſum Angelus, Victoria, Vivaldus, Archangelus, Tannerus, Bonacina, Granadus, Moure, Hinojoſa, Ludovicus de S. Iuan, Torreblanca & alii Doctores, contra Gloſſam *in c.ut jejun. de Conſecratione, diſtinct.* 5 ut hìc obiter notes, non ſemper Gloſſam certas aut probabiliores continere ſententias, & ideò poſſe & ſolere deſeri, aut etiam impugnari à Doctoribus.

Quàm ſecura doctrina ſint, quæ ponuntur in Gloſſa?

Actio Confirmationalis.

Miniſter ordinarius & extraordinarius.

ORdinarius hujus Sacramenti Miniſter [habens nimirùm & proferendi formam & applicandi materiam, Sacramentalem poteſtatem] eſt Epiſcopus: Extraordinarius verò aut non datur aut ſi fortè datur, erit ex commiſſione ſolius Papæ, quicumque Sacerdos, etiam ſimplex.

Vt probent Authores nonnulli, poſſe ſim-
MMMCIII. plici Sacerdoti committi hujus Sacramenti miniſterium, ad hiſtorias Recurrunt, probantque olim ſimplicibus Preſbyteris commiſſum fuiſſe, & hodie in Regionibus Vltramarinis committi de facto. Et quidem hæc ratio probabilitatem ſententiæ non verò certitudinem probat quia multa prudenter Superiores expediunt ſequentes opinionem probabilem. Præterea, deberent omnes commiſſionis examinari circumſtantiæ quia cùm Summus Pontifex poſſit denominare & conſecrare Epiſcopos, nec omnes ſolennitates, quæ in Ceremoniali ponuntur, ſint eſſentiales, poſſet dici, eundem, cui confirmandi miniſterium committit, ſine ſolennitate conſecrare, & Epiſcopum facere, nempe manuum impoſitione, ſi hoc ſufficere aliquando dicatur, vel ſaltem eo modo, quo conſecrari Epiſcopi debent.

An aliquando commiſſum ſit ſimplici Sacerdoti, ut Sacramentum cõferat confirmationis?

Poteſt Pontifex Epiſcopos ſine ſolennitate conſecrare.

Passio Confirmationalis.

POteſt hoc Sacramentum ſuſcipere, qui-
MMMCIV. cumque baptizatus, non confirmatus; quia bis recipi nec validè, nec licitè poteſt. Quid autem, ſi iteretur? Peccatum committetur mortale, at nulla incurretur irregularitas, ſi ſtemus communi Theologorum judicio Porrò utrumque, & mortaliter peccaturum & irregularitatem incurſurum affirmavit olim D. Antoninus 3. *part tit* 18. *cap.*6. §. 3. quem Major, Navarrus, Ricardus, Caſtro, & alii apud Suarium *diſp.* 18. *ſect.*2. ſequuntur Scotus autem *in* 4 *diſt.*7. *quæſt.*5. & cum eo plerique omnes Theologi, non tam probant, quàm demonſtrant, irregularitatem non incurri: Quia irregularitas eſt pœna, quæ non à Doctorum placitis, ſed à Canonibus petenda eſt. Sed hæc, de quâ agimus, in nullo totîus Iuris Canone legitur Ergo licèt mortaliter peccet, qui iterat confirmationem, irregularitatem non incurrit.

De confirmationis ſubjecto.

An, qui vel reconfirmatur, vel reconfirmat, irregularis?

Interrogas, *An perpetuò amentes poſſint validè confirmari?* Vix eſt Doctor, qui illos excludat. Interim, qui aliàs clementiſſimus, Emanuel Sà hìc durus & ſeverus eſt: in Summ. enim, *verb.Confirmatio, n.*5. & alii apud Bartholomæum ab Angelo *dialog.* 3. §. 58 perpetuò amentes ab hujus Sacramenti ſuſceptione repellunt. Rodriguez *de Confirm. cap.* 121. ſic ait. *Y aun Marſilio y Soto tienen, que ſe debe dar a los que nunca tuvieron entendimiento.* At erat feſtinus & diſtractus, cùm illos Rodriguez interlegebat; nam Marſilius *in* 4. *quæſt.*5. *art.*4. expreſsè dicit, quòd non poſſit, & Sot. *in* 4. *diſt.*7. *art.*8. 9. *En naſcitur*, quod non debeat. Soti verba ſunt hæc. *Si autem ſint nati perpetuò amentes, reſpondet illic Marſilius, eâdem ratione non eſſe confirmandos, proptereà quòd nunquam poſſunt gratiâ Confirmationis in Fidei confeſſionem fungi. Reſpondetur autem, ſicut de infantibus dicebamus, quòd, ſi confirmentur, legitimum erit Sacramentum. Caterùm, poſtquam jam uſus Eccleſia habet, non confirmare infantes uſque ad uſum rationis, fit ut neque poſſit* (ſubintellige, *licitè*) *idem Sacramentum amentibus diſpenſari.* Sed neutrîus ratio eſt ſufficiens, ut aliquid probare dicatur.

An perpetuò amentes confirmari?

An, qui ſunt incapaces, ut in ipſis Sacramentalis gratia munia ſua exerceat, etiam ſint incapaces, ut illa Sacramenta ſuſcipiant

Profectò (ut ab hoc incipiam) Marſilii argumentum ad hos terminos reduci debet: [Sunt incapaces, ut Sacramentum recipiant, qui ita diſpoſiti ſunt, ut nunquam poſſint gratiâ ejuſdem Sacramenti fungi. At gratia à Confirmationis Sacramento proveniens firmat & roborat Animam, ut tentationibus, quæ contra Fidem excitantur, reſiſtat. Ergo perpetuò amentes, ut pote, qui hujuſmodi tentationibus non ſunt obnoxii, nunquam eâ gratiâ poterunt fungi. Ergo ſunt incapaces, ut hoc Sacramentum recipiant.] Et, ut apertè videas nil Marſilium evincere, idem ratiocinium mutatâ materiâ reponamus. [Sunt incapaces, ut aliquod Sacramentum ſuſcipiant, qui ita diſpoſiti ſunt, ut nunquam poſſint gratiâ ejuſdem Sacramenti fungi. At gratia à Baptiſmi Sacramento proveniens animam ab originariâ labe emaculat: & gratiâ per Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcepta animam purgat & liberat à peccatis actualibus. Ergo, qui actum veræ contritionis elicuit, nec baptizari poterit, ſi ſit catechumenus: nec Sacramentaliter abſolvi poterit, ſi ſit Chriſtianus. Quia cum per contritionem ab omni peccato emaculatus ſit, nec ab originali, nec ab actuali poteſt per Sacramentalem gratiam liberari.] His tamen non obſtantibus dico (1) catechumenum, etſi actum contritionis elicuerit, debere baptizari; tunc enim recipiet gratiam, ſi non delentem, ſaltem peccati originalis deletivam. Dico (2) peccatum, etſi actum contritionis elicuerit, debere confiteri, & abſolvi; tunc enim recipiet gratiam, ſi non remittentem, ſaltem peccatorum actualium remiſſivam. Et conſequentiâ doctrinæ ductus dico (3) perpetuò amentem, etſi contra Fidem tentandus non ſit, poſſe nihilominùs Confirmationis Sacramentum ſuſcipere; tunc enim recipiet gratiam, ſi non retundentem, ſaltem tentationum retunſivam. Ceſpitat igitur argumentum Marſilii.

De confirmationis Sacramento.

De Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ.

Qualẽ gratiam Baptiſmus poſt contritionẽ conferat?

Qualẽ poſt contritionem Abſolutio?

Sed neque fortior eſt Soti ratio, illam enim MMMCV.
ad terminos ſequentes reduco. [Praxim Romanæ

An de facto

confirmētur infantes?

manæ Eccleſiæ obſervare debemus. Sed uſus Eccleſiæ habet non confirmare infantes uſque ad uſum rationis. Ergo perpetuò amentibus hoc Sacramentum diſpenſari non debet.] Reſpondeo concedendo majorem. Addo minorem eſſe abſolutè falſam, quia paſſim confirmantur infantes: unde Leander *part.1.tract.3. diſp 4.quæſt.3.pag.71.b.* ſic inquit. [Sed probabilius reſpondeo, convenientius eſſe infantes ante uſum rationis confirmari: primò,

An hoc ſit convenientius?

quia convenientius eſt in infantiâ baptizari: Ergo & confirmari, cùm Confirmatio ſit complementum baptiſmi. Secundò, quia hoc cedit in favorem infantium; nam, ſi confirmati decedant, & majorem gloriam conſequentur, & duplicem characterem impreſſum animæ] Et citat D. Thomam *diſt.7. quæſt.3. art.1. quæſt.2.* D. Bonaventuram *de confirm. art.3. quæſt.1.* Vivaldum, Petrum Soto, Alexandrum, Vitriarchum, Bartholomæum de Ledeſma, Angles, Graffium, Genuenſem, Pereſium de

Quanam ſit praxis in Hiſpaniâ?

Larâ, Narbonam, & alios. Et quia ab Eccleſiæ praxi argumentabatur Sotus, infantes confirmari in Archiepiſcopatu Tarraconenſi Ludovicus de S Iuan *quæſt.1.art.4 dub.3.* & intra Hiſpaniam Moure *de Confirm.* §.7. *n.*2. Subjungo, etſi eſſet illa minor vera, debere

An adminiſtrandâ confirmatio infanti ſit, ſi tales morituri perveniunt?

conſequentiam negari: qui enim ſuadent, ut expectemur quouſque infantes uſum rationis indipiſcantur, eum caſum prudenter excludunt, in quo infans ante rationis uſum moriturus ſit; tunc enim ceſſat ratio, ob quam differebatur hujus Sacramenti ſuſceptio. At perpetuò amentes morituri ſunt antequam ad uſum rationis perveniant. Ergo debent, non obſtante amentiâ confirmari. Probo majorem addocendo Palaum, qui tametſi *tr.*10. *punct.* 7. *num.*4. adhæreat opinioni contrariæ, illam

An, ſi non illuc reverſurus Epiſcopus?

limitat dicens, eſſe convenientius in aliquibus caſibus infantes confirmare: nempe, ſi timeretur infantem ſine Confirmatione deceſſurum; ſi adſit conſuetudo pueros ante uſum rationis confirmandi, &c. caſumque tertium addit Baunyus, *de Confirm. quæſt.9.* videlicet, ſi poſtmodum non ſit quis habiturus occaſionem hoc Sacramentum recipiendi, puta, ſi Epiſcopus non ſit reverſurus. ſunt enim, ne ad Indiam te conferam, multa in Germaniâ, Hiſpaniâ, Italiâ, &c. in montibus oppida, ad quæ vix perveniunt Epiſcopi.

Porrò perpetuò amentes confirmari debere, docent S. Thomas *quæſt.72. art.8. ad 2. &*

Perpetuò amentes confirmari debere.

4. & hanc ſententiam probabiliorem vocat Leander *part.1.tract.3.diſp.4.quæſt.5.pag.72. a.* & Nuñum, Henriquez, Suarium Filliucium, Ægidium, Villalobos, Hurtadum, Laymannum, Sylvium, Pitigianum, Zambranum, Dianam, Granadum, Lublinum, Vegam, Archangelum, Bonacinam, Barboſam, Palaum, Trullenchium, Dicaſtill. &c. pro ſe adlegat.

Effectus Confirmationalis.

Duplex eſt: primarius, ſecundariuſque *Primarius* eſt gratia ſub ratione roboris ſpiritualis, quâ & homo non ſolùm Sanctior

MMMCVI.

Gratia roborans.

& perfectior redditur; ſed etiam potentior & fortior; non ſolùm ut ſe tueri poſſit contra ſpirituales tentationes, ſed etiam proximos exemplo & conſilio juvare. *Secundarius* eſt character: nam ſicut in Republicâ, licèt omnibus concedatur armorum uſus, (nempe, ut

Character.

minimùm ille, qui concernit moderamen inculpatæ tutelæ,) non tamen omnes milites ſunt, nec omnes utuntur armis publicâ authoritate: ſic in Eccleſiâ militante, licèt omnibus concedantur arma ſpiritualia defenſiva; qui confirmantur, ſpecialiter armantur, & deliguntur ad militiam Chriſtianam, quæ conſiſtit in conſtanti Fidei Romanæ defenſione. Ita Tridentinum *ſeſſ.2.can.9. & ſeſſ.7. can.1.* S. Thomas *quæſt 72. art.7.* cui Peſantius, Nuñus, Ægidius Suarius, Henriquez, Valentia, Bonacina, Filliucius, Palaus, Baunius, Dicaſtillus, & alii Doctores ſubſcribunt.

An omnes Chriſti Fideles, qui Eccleſiâ Militantē conſtituunt, ſint veri Milites?

Secundo loco memini Characteris, quia Gratia eſt illo nobilior; hæc enim, & non ille juſtificat: interim ſcitè Cajetanus in Sacramento informi (quando videlicet, poſteà fictio tollitur) Gratiam à Charactere provenire aſſeverat: & illum eſſe priorem aſſerit, aliàs enim ab ipſo Gratia pullulare non poſſet.

De Sacramento informi.

Unde remotâ fictione oriatur Gratia?

Ubi Confirmationale.

Debet Epiſcopus hoc Sacramentum in diœceſi propriâ adminiſtrare, nec in alienâ poteſt ſine licentiâ alteriùs Epiſcopi.

MMMCVII.

Extra ſuam diœceſim ſine licentiâ alterius Epiſcopi Epiſcopus nullum poteſt confirmare?

Quid, ſi ſine expreſsâ facultate in alienâ diœceſi confirmare præſumpſerit? Peccabit mortaliter & ab exercitio Pontificalium ſuſpenſionem incurret, juxta decretum Tridentini *ſeſſ.6. de Reformat. can 5.* ibi enim univerſim præcipitur, ne Epiſcopus in alienâ diœceſi ſine expreſsâ Ordinarii licentiâ Pontificalia exerceat; &, ſi contrarium præſumpſerit, à Pontificalium exercitio ſuſpendit. Textus eſt manifeſtus, & ideò in hoc nulla eſt opinionum varietas, ſed omnes in Reſolutione conveniunt. Ita Camerota *de confirm. cap.7. dub.5.* & Leander *part 1. tract 3. diſp.2. quæſt.9.* & Henriquez, Sà, Suarez, Bonacina Paludanus, Ludovicus, Filliucius, Ochagavia, Reginaldus. Palaus, & Barboſa apud ipſum.

An in ſuâ diœceſi eos confirmare poſſit, qui ex aliis confluunt?

Sed, quia, quando aliquis Epiſcopus adminiſtrat ſolenniter Confirmationem, è variis locis multi confluunt, interrogas, *An mortaliter peccet, ſi in ſuâ ipſe diœceſi confirmet alterius Epiſcopi ſubditos?* Reſpondeo Stando Iuris rigori, tam non poſſe confirmare, quàm ordinare aliorum Epiſcoporum ſubditos. Nec plus velle exiſtimo Petrum de Ledeſma *de Confirmat. cap.9. concl.7.* Bartholomæum ab Angelis, Suarium, Bonacinam, Sylveſtrum, Paludanum, Ludovicum de San Iuan, Toletum, Reginaldum, & alios, qui Epiſcopum in caſu peccati mortalis accuſant.

Licentia Epiſcopi alterius requiritur.

Præſumitur & ſupponitur tacita.

Interim, tametſi certum ſit licentiam proprij Epiſcopi, ut aliquis licitè confirmetur, requiri: non debet dici peccare Epiſcopus, qui aliorum ſubditos in ſuâ diœceſi confirmat: quia licentia præſumitur, cùm uſu receptum ſit, ut undique ad Confirmationem confluant; & Epiſcopus omnibus hoc Sacramentum adminiſtret, quin interroget, an ſuæ, vel alienæ ſint

Digitized by Google

ſint diœceſis ; nec unquam vidimus cauſari vicinos Epiſcopos, quòd ſine ſuâ licentiâ aliqui fuerint confirmari. Et hæc praxis communis, & ſecura eſt. Ita Diana 2. *part. tr.* 17. *reſol.* 17. & 3. *p. tr.* 4. *reſol.* 24. & 4. *p. tract.* 4. *miſcell. reſol.* 50. Leander *loc. cit. reſol.* 8. qui pro ſe Henriquez, Genuenſem, Ochagaviam, Barboſam, Palaum, Quintanadueñas, & Laymannum producit.

Eccleſia eſt locus, in quo, ni alıter neceſſitas poſtulet, omnia debent Sacramenta celebrari.

Omnia in Eccleſiâ Sacramenta decentiùs, quam in privatis domibus celebrantur. Et hanc ob rem ſolennis Confirmationis adminiſtratio fieri ſolet in templo. Interim, ſi privatim debeat aliquis Confirmari; vel quia recepturus ſit Ordines, vel mors immineat, & præcipuè ſi ſit ſuſcepturus viaticum, poterit tunc Epiſcopus, vel in proprio ſacello, vel ægroti cubiculo hoc Sacramentum celebrare. Audi Leandrum 1. *part. tract.* 3. *diſp.* 4. *quaeſt.* 2. *pag.* 71. *a.* dicentem. *Olim ſtatim poſt baptiſmum infantes confirmabantur. Immò nunc multoties infantes unius, duorum, vel trium annorum confirmantur in Hiſpaniâ (& in toto orbe) caſu, quo infans ſit in articulo mortis, aut ſit filius Principis,* &c. Olim igitur, quando ob mortis periculum domi ſuæ infans baptizabatur, etiam domi ſuæ confirmabatur, ſi adfuerit Epiſcopus & id commodè potuerit fieri. Ergo hodie ſi infantes in mortis articulo conſtituti confirmentur, Confirmari debebunt domi ſuæ; nam, ut importentur ad Eccleſiam, morbus non patitur. Si impingas in illa verba, *filius Principis*, & dicas Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in Sacramentorum inſtitutione Principem à paupere non diſtinxiſſe; & inferas, nec homines debere in uſu divites ab egenis diſtinguere, habebis à re Eccleſiam cum Angelico Doctore canentem, & dicentem.

An olim poſt baptiſmum infantes fuerint confirmati?

An Principibus in Sacramentorũ uſu poſſint aut debeant privilegia concedi, quæ privatis negantur?

O res mirabilis : manducat Dominum.
Servus pauper & humilis.

MMMCVIII.

An Principes eligere poſſint Confeſſarium?

Sed reſpondebo voluiſſe Chriſtum ut Sacramenta ab hominibus adminiſtrarentur, qui humanitùs velint nolint procedent, & hoc non verget contra Sacramenti decentiam, niſi fortè in exceſſu peccetur. Imperatores, Reges, & illorum uxores vel ex tacitâ licentiâ Papæ, vel ex privilegio, aut conſuetudine poſſunt ſimplici ſacerdoti confiteri, quod non poſſunt privati. Ita Cajetanus, *verb. abſolutio.* 2. Angles *quaeſt. de Confeſſ. pag.* 242. Vaſquez *queſt.* 93. *art.* 2. *dub.* 4. *num.* 2. Hurtadus *diſp.* 10. *diff.* 12. Leander *part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 11. *quaeſt.* 36. *pag.* 257. *b.* Præterea, Principibus & divitibus aliquando conceditur, ut habeant ſacella in propriis domibus, & curent in illis miſſas dici, quod minimè indulgetur pauperibus. Denique, Euchariſtia ſub utrâque ſpecie recipitur ab Imperatore in coronationis ſuæ ſolennitate, ut Henriquez *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 7. Turrianus, & alij aſſerunt & ego vidi Francofurti in Leopoldi I. coronatione, cui cum aliis Epiſcopis interfui. Etiam ſub utrâque ſpecie recipitur à Rege Galliæ, nempe, cùm ungitur, & etiam in articulo mortis. Vide Dianam *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 25. & Leandrum *part.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 10. *quaeſt.* 28. & 29. apud quos etiam alios ſcriptores invenies. Quæ omnia adducta ſunt, ut probetur, non eſſe mirum, aut rationi abſonum, ſi aliquod privilegium, negatum privatis hominibus, Principum filiis in ſuſceptione Confirmationis concedatur.

An habere Oratoria privata?

An & quando Imperator & Galliæ Rex communionem ſub utrâque ſpecie recipiant?

Situs Confirmationalis.

MMMCIX.

Sedes Epiſcopus. Quid autem faciant confirmandi?

Epiſcopi proſpicitur commoditati & authoritati : nam cùm ſenex ſit, & multos confirmare debeat, ſedet : & illi debebunt ita ſiſti, ut nec attolli nimiùm, nec inclinari nimiùm debeat, ut illos ungat. Hanc ob rem infantes à nutricibus ſuſtinentur in brachiis, pueri ſtant, & genuflectunt viri; ut eorum capita manibus correſpondeat Pontificis.

De ordine.

Ad ſitum reducitur Ordo, & ideò aliquid de perſonarum & Sacramentorum reſpectu Confirmationis ordine dicturus ſum.

An nobiles ignobilibus ſint præferendi?

Non eſt contra Sacramenti decentiam, ſi priùs, maiori miniſtrorum pompa, confirmentur Principes, quàm cives : quia illis plura debet Clerus; & ratio poſtulat, ut qui præcipui ſunt, honore opportuno non careant.

Nemo poteſt ante baptiſmum confirmari.

Confirmatio non poteſt ante Baptiſmum conferri; nam hic eſt omnium janua; & ideò, qui non eſt baptizatus, ut alia recipiat Sacramenta, eſt incapax : nec contrà eſt Matrimonium, quod etiam à Iudæis, Ethnicis, & Mahometanis initur validè, quia Matrimonium illorum eſt quidam naturalis contractus, non verò Chriſtianæ Eccleſiæ ſacramentum.

An infidelium matrimonium ſit Sacramentum?

De Pœnitentia Sacramento.

Non confirmati poſſunt & ſolent ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere : quia hoc cùm ſummè neceſſarium ſit non ob Confirmationem differri.

An non confirmati poſſint communicari?

Sed, quia Euchariſtia non ita neceſſaria cenſetur, & differri debet, movetur Quæſtio, & interrogant Ethici, *An ſit peccatum Euchariſtiam ante Confirmationem ſuſcipere?* Eſſe mortale aſſerit Toletus *lib.* 2. *cap.* 24. *de Confirm. num.* 1. & clariùs *lib.* 1. *cap.* 71. *num.* 6. cui favet Victorellus *in Adnotationib.* At ego unde hoc grave peccatum colligatur, non video. Immò putarem hanc ſententiam eſſe obnoxiam graviſſimis inconvenientibus: ſunt enim in montibus oppida, ad quæ rarò aut nunquam adſcendunt Epiſcopi : & ſunt Epiſcopi negligentes, nam anno 1643. Wormatiæ in Germaniâ vix habebatur huius Sacramenti notitia propter negligentiam Epiſcopi, qui tandem à ſede Apoſtolicâ moneri debuit; Ergo-ne in huiuſcemodi locis nullus communicare debet. Sed nec video unde Sotus *in* 4. *diſt.* 7. *quaeſt. unic. artic.* 6. §. *Verum autem proteſ.* 3. & iterum *ead. diſt.* & *quaeſt. art.* 8. colligat veniale peccatum : hinc enim eadem inconvenientia ſequerentur : nam hic Sorites, ſi admitteretur, mores corrumperet. Illum perpende.

An, ſi communicent, aliquod peccatum committant?

An ſuccurrat modus, ut quis ab obligatione annua communionis eximatur?

Nemo tenetur Confirmationis Sacramentum ſuſcipere. Eſt communis, & num. 3101. Suadetur.

Qui non eſt confirmatus, non tenetur communicare : nemo enim peccare tenetur : & ſine peccato mortali aut veniali teſtibus Toleto & Soto Euchariſtia à non confirmato non ſuſcipitur.

Ergo nemo tenebitur communicare. Omnis enim Chriſtianus Eccleſiaſticas de annuâ Commu-

Digitized by Google

Communione leges, poſſet non recipiendo Confirmationem, illudere.

Non omnes in monaſteriis juniores ſunt confirmati.

Tu autem aſſere nullum eſſe peccatum Euchariſtiam ante Confirmationem ſuſcipere; nam in Monaſteriis Sanctiſſimis omnes Iuniores Dominicis diebus jubentur Euchariſtiã ſuſcipere, & tamen non omnes Confirmati eſſe ſolent. Ergo Toleti & Soti opinionem eſſe falſam, & minimè admittendam in praxi, exiſtimant omnes Religionum Prælati, inter quos pleriqne omnes ſanctiſſimi & doctiſſimi ſunt. Parochi etiam paſſim Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrant multis, quos ſciunt non eſſe confirmatos: ergo Toleto & Soto non ſubſcribunt. Ratio noſtræ ſententiæ hæc eſt. [Vbi non eſt lex, nec eſt prævaricatio: Ergo Euchariſtiam ante Confirmationem recipere non poterit eſſe peccatum, niſi ſit Canonica lex, quæ hoc ipſum interdicat. At nullibi reperitur hæc lex. Ergo. Minor eſt certa: & qui eam negare audeat, legem oſtendat.] Hanc noſtram ex noſtro fundamento ſententiam tuetur Suar. *diſp.37.ſect.1. in fin.* Diana 4. *part.tract.4.reſol.*50. Præpoſitus *in 3.part.quæſt.72.art.8. num.*38. Leander *part.1. tract.3. diſp.5.quæſt.14. pag.74.b.* & alij. Immò pro illâ citare Sotum potero: nam *in 4.diſt.1.quæſt.6.art.5.§. Tertio.* Hanc noſtram opinionem aſſerit eſſe æquè probabilem, ac ſuam.

Et tamen omnes communionem recipiunt.

Vbi non eſt lex, nec eſſe poterit prævaricatio.

M M M-C X.

Vide cap. 1. de temp. ordin. & cap. cùm contingat. extr. de Ætat. & qualit.

Maior eſt difficultas, *An mortaliter peccet, qui Ordines, ſaltem maiores, ante Confirmationem ſuſcipiat?* Ante Reſolutionem oportet legem conſiderare. Tridentinum Concilium *ſeſſ.*23. (non 22. ut habet Leander *part. 1. tract.3.diſp.1. quæſt.8. pag.64. a.*) *cap.4. de reform.* Sic ſtatuit. *Primâ tonſurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & Fidei rudimenta edocti non fuerint*, &c. Ex his verbis peccare mortaliter, qui ante Confirmationem Ordines, ſaltem maiores ſuſcipiunt, colligunt Nuños, Fornarius, Toletus, Tannerus, Antonius de Hinojoſa, Ludovicus de S. Ioan, Lublinus, Majolus, Bonacina, & alij, apud Leandrum *cit.* Contrariam ſententiam tenet Diana 2. *part.tract.16.reſol.4.*& 3.*part. tract.4. reſol.* 24 & 8.*part. tract.1.reſol.* 47.*in fin.*& *part.* 10. *tract* 16. *reſol.*61 nec non Leander *ubi ſupr.* & Sotus, Victoria, Vivaldus, Bartholomæus de Ledeſma Valentia, Suarez Ægidius, Ochagavia, Granadus, Layman, Rodriguez, Hurtadus, Henriquez, Moure, Torreblanca, Molfeſius, Reginaldus, Dicaſtillus, Triullenchius, Palaus, & alij Doctores apud ipſum. Hi omnes aſſerunt, venialiter tantùm peccare, qui Ordines ante Confirmationem recipiant. Et hanc Concluſionem probat Leander, dicendo, *Non peccare mortaliter, ſed venialiter tantùm, quia non faciunt contra aliquod præceptum ad mortale obligans, nam in verbis Concilij nil præcipitur initiandis, ſed præſcribitur Epiſcopis, quod facere debent.* Et hanc ego rationem non intelligo: primò, quia materia eſt gravis, ergo præceptum ad mortale obligabit. Præterea, non dicitur in textu, *Epiſcopus non initiet*, ſed, *Non initientur.* Ergo utriſque præceptum imponitur: &, ſi non utriſque, potius ordinandis, quàm Epiſcopo.

An ſit mortale Ordines ante Confirmationem recipere?

An ſit mens Concilij obligare ad mortale?

An in materiâ gravi poſſit eſſe præceptum leve?

Cui-nam hoc præceptum imponatur? Epiſcopo, an ordinandis?

Ergo aliter deberet Leander ſuam ſententiam ſuadere. Pergit, & narrat, quomodo illam ſuadeat Palaus, & ait. *Licèt exiſtimet hic Author in præcitato Tridentini decreto præceptum contineri, ut non ſuſcipiantur Ordines ante Confirmationem; addit tamen obligare ad mortale, vel quia levis materia, vel quia conſuetudine ſit præceptum temperatum eſt.* Sed neque hanc rationem intelligo. Cùm, quia neutrum Sacramentum eſt levis materia; & ſicut omnium ſententiâ grave eſt præceptum, quod inhibet Euchariſtiam illis, qui biberunt aliquid, aut comederunt, ſic ſimiliter grave cenſendum erit illud quod nondum Confirmatis Tonſuræ aut ordinum ſuſceptionem interdicit. Tum, quia ſecunda pars magis eſt à probabilitate remota, ut enim legis rigorem temperet conſuetudo, eſt neceſſarium quod lex generaliter non obſervetur. Sed hæc lex Tridentini Concilij Orbem totum pervadit, & tamen non nominabit mihi Palaus duos vel tres (ſaltem ego neminem ſcio) qui ante Confirmationem ad Ordines promoti ſint. Ergo, ut minimum non dari talem conſuetudinem certum eſt. Ergo & certum præceptum illud conſuetudine non temperari.

Peccat mortaliter, qui non jejunus communicat.

Recipiendi Ordines ante Confirmationem non datur conſuetudo.

Ego autem in hac materiâ ſic diſcurro. Sanctæ Synodi verba, vel præceptum, vel conſilium includunt. Si primum, obligant ad mortale, nam eſt gravis & conſuetudine non temperantur: ſi ſecundum, ne quidem ad veniale obligant; non enim tenemur ſervarè conſilia ſub peccato. At eſſet mirum tam ſeverè obſervari ab omnibus, quod eſſet conſilium ſolummodò. Sanè ſunt loci in Sanctâ Synodo, in quibus conſtat expreſsè eſſe conſilia, ut *in ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ.cap.6*, ibi enim legitur. *Optaret quidem Sacro-Sancta Synodus*, &c. ſunt & alij in quibus conſtat expreſsè eſſe præcepta, ut *cap.7.ſeq.* ubi legitur, *Monet deinde S. Synodus præceptum eſſe ab Eccleſiâ*, &c. verùm enim verò verba *Faciant*, *Abſtineant* & ſimilia (qualia ſunt impræſentiarùm, *non initientur*) non ſemper præceptiva ſunt: nam *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 5. dicitur. *Ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho & a Magiſtro Scholæ, in quâ educantur, teſtimonium habeat. Hi verò, qui ad ſingulos maiores erunt adſumendi, per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant*, &c. Quæ, ut video, ſi aliunde Epiſcopus habeat ſufficientem notitiam, non ſervantur ad literam, & tamen obſervarentur, ſi cenſerentur continere præceptum.

In Concilio ſunt conſilia & præcepta. Quomodo diſtinguantur?

His poſitis Dubia aliqua, quæ indigent ſolutione propono. Primum, *An Epiſcopus, ſi non ſit confirmatus, poſſit validè aliquos confirmare? ſecundò, An licitè.* Tertiò *An, & qualiter peccaret Epiſcopus, qui Ordines, ſaltem maiores, nondum confirmato conferret?*

Succurrunt tres Quæſtiones.

Ad primum reſpondeo eum, qui ante Confirmationem conſecraretur, eſſe verum Epiſcopum, & poſſe alios validè confirmare. Ita omnes: ſiqui enim oppoſitum dicunt, male dicere, teſtatur Leander *part 1 tract.3.diſp.2. quæſt.6.* cuius verba, quia indigent reſtitutione, ſubiiciemus. *Illi, qui negant, (omnino male) Epiſcopum non confirmatum non poſſe validè*

M M [illegible] C X

De Epiſcopo non confirmato.

An [illegible] poſſit validè confirm. [illegible]

validè confirmare. Dele ultimum *non*, Amanuenſis enim eſt, non Authoris; omnes enim aſſerimus (& quidem bene) Epiſcopum non confirmatum poſſe valide confirmare.

An etiam licitè?

Ad ſecundum reſpondet negativè Tannerus *quæſt.* 4. *dub.* 2. & talem Epiſcopum peccati mortalis accuſat: at Navarrus *cap.* 22. *num.* 9. Granadus *tract.* 2. *diſp.* 1. *num.* 11. Dicaſtillus *dubit.* 11. *num.* 126. Diana *part.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 14. in hoc culpam levem reperiunt. Ego autem mallem aſſerere gravem, vel nullam.

An ſit peccatum conferre Ordines non confirmatis?

Ad tertium dico Theologos, qui eſſe mortale aſſerunt Ordines ante Confirmationem ſuſcipere, debere conſequenter aſſerere eſſe mortale eoſdem nondum confirmatis conferre: nam tunc Epiſcopus aliorum peccato cooperaretur, & ſimili crimine præpediretur. Qui autem illos venialiter peccare dicunt, non niſi venialis Epiſcopum ordinantem condemnant. Ita Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 47. & *part.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 14. Leander *part.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 9. Sotus *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 4. Torreblanca, & Victoria, Suarez, Henriquez, & alij. Solus Moure *de Confirm.* tametſi dixerit eos, qui Ordines ante Confirmationem recipiunt, peccare tantummodò venialiter, Epiſcopum mortalis ſceleris incriminatur, quod illi præceptum impoſitum directè ſit: ſed hoc falſum eſſe jam vidimus. At Ego vellem, ut Moure huic argumento reſponderet. Si ſuſcipientes peccant mortaliter, peccat etiam mortaliter Epiſcopus Ordines conferens, quia illorum peccato cooperatur. Ergo, ſi Epiſcopus peccat mortaliter, peccabunt etiam illi, nam eius cooperantur peccato.

An ſit mortale cooperari mortali?

ARTICVLVS III.

De Patrinis uberiùs.

MVLTA dubia in hac materiâ occurrunt, in quibus pauca dicentur ſolidè, nam poſt longum examen manebit controverſia indeciſa, & liberum erit unicuique ſic, aut aliter philoſophari.

MMMCXII. *An ſint Patrini neceſſarij? An mortale peccatum ſit nullum adhibere Patrinum?*

Non requirit Patrinos Sacramenti neceſſitas, ſed præceptum Canonicum: qui enim non haberet Patrinum, validè, ſed non licitè confirmaretur. Ita omnes. Ergo peccaret graviter, nam eſt gravis materia. Ita Leander 1. *part. tract.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 1. *pag.* 73. *a.* vbi citat Sylvium, Navarrum, Vivaldum, Granadum, Suarez, Ledeſmam, Laymannum, Villalobos, Rodriguez, Henriquez, Archangelum, Bannium, Palaum, Didacum de Narbona, Trullenchium, Dicaſtillum, &c. Qui aſſerunt hanc eſſe doctrinam communem: probantque ex *cap. ſiquis.* Ex *cap. dictum eſt.* Ex *cap. de hu.* 30. *quæſt.* 1.

Quid debeat præſtare Patrinus?

Eſt autem officium Patrini fidejubere pro ſuo Cliente apud Deum: & ideò illum debet docere neceſſaria ad Fidem, Iuſtitiam, Caſtitatem: &c. ut ex *cap. vos ante. de Baptiſmo. diſt.* 4. colligitur. Deoneratur Patrinus, quando ſuus cliens eſt bene educatus, & ab eius parentibus ſufficienter inſtructus.

De Patrinorum numero.

Petis primò. *An eſſe poſſint duo Patrini?* Vtrumque eſt probabile: & utraque ſententia (affirmativa, & negativa) ex eodem fundamento deducitur. Toletus enim *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 6. Archangelus & alij, qui affirmativæ adhærent, ſic diſcurrunt. [Duo Patrini in Baptiſmo admittuntur, ut conſtat ex Tridentino. Ergo duo etiam in Confirmatione. Patet: quia nulla eſt ratio diſparitatis.] Divus autem Thomas *quæſt.* 72. *art.* 10. Henriquez, Filliucius, Sotus, Ledeſma, Ludovicus de S. Iuan, Hurtadus Palaus quos ſequitur Leander *p.* 2. *tract.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 2. *pag.* 73. *a.* & alij Doctores ſic arguunt. [Ideò duo Patrini in Baptiſmo eſſe poſſunt, quia ſic decrevit Eccleſia. At illa poſſe eſſe duos in Confirmatione non decrevit. Ergo in Confirmatione nequeunt adſumi duo.]

An, ſicut de Baptiſmo, ſic ſimiliter ſtatuendum ſit de confirmatione.

Firmatur hæc ſententia *ex cap. non plures.* & *ex cap. in catechiſmo. de conſecr. diſt.* 4. Quoniam ante Tridentinum unus tantum patrinus, ſeu vir, ſeu mulier, & non plures in utroque Sacramento (Baptiſmo, & Confirmatione) adhibebantur. Nil evincitur: quia poſſet quis ratiocinari etiam ſic. Ideò duo tantùm Patrini in Baptiſmo eſſe poſſunt, quia jubet Concilium, ne ſint plures. Ergo, ſi id non juſſiſſet, plures licitè admitterentur. At nihil de Confirmationis Patrinorum numero ſtatuit. Ergo hi duo, aut etiam plures eſſe poſſunt.

Obtorquetur Objectio.

Petis ſecundò. *An ille ipſe, qui fuit Patrinus in Baptiſmo, eſſe poſſit Patrinus in Confirmatione?* ſtando nudæ rationi videtur, quòd non: quia non eſſet, cur in Confirmatione Patrinus adſumeretur, ſi prior ſufficeret: & ideò *in cap. in catechiſm. diſt.* 4. cavetur, ne Baptiſmi Patrinus in Confirmatione admittatur. Ita Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 21. Toletus *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 6. Zambranus, Henriquez, Layman, Palaus, Dicaſtillus, & eſt in Schola communis. Interim contra præcepta & jura prævaluiſſe conſuetudinem Sylveſter *in ſumm. verb. Confirmatio. num.* 4. Quintanadueñas *tract.* 2. *ſing. ult.* Ægidius *quæſt.* 72. *art.* 10. *num.* 84. Hurtadus & alij Iuniores affirmant. At Ego conſuetudinis huius in ætate annorum 64. nullam habeo notitiam. Ergo, ſi fortè alicubi datur, non eſt univerſalis.

An unus & idē eſſe poſſit in Baptiſmo & Confirmatione Patrinus?

Petis tertiò, *An Patrinus debeat eſſe neceſſariò confirmatus?* Reſpondeo affirmativè; quia ita habetur *in cap. in baptiſmate. de Conſecr. diſt.* 4. & probatur *ex cap. in Baptiſmo*, & ex aliis. Ergo, qui confirmatus non eſt, eſt incapax ut ſit Patrinus.

An, qui non eſt confirmatus, poſſit eſſe Patrinus?

Petis quartò. *An peccaret mortaliter non confirmatus,*

Quid, ſi de facto eſſet? An ne eſſet peccatum mortaliter?

confirmatus, qui confirmandum teneret, vel fungeretur officio Patrini? Reſpondeo utrumque eſſe probabile Ita Leander *loc. cit. quæſt.* 4. Cæterùm tametſi illum Victoria *quæſt.* 2. Suarez *quæſt.* 72. *art.* 10. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 3. Ægidius *quæſt.* 72. *art.* 10. Sotus, Nuñus, Granadus, peccati mortalis accuſet; ſufficit pro contrariâ ſententiâ D. Thomæ *quæſt.* 72. *art.* 10. teſte Suarez *ibid.* Dianæ *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 21. & aliorum authoritas, qui dicunt eſſe culpam venialem. Anſonius præcedentia conſiderat: conaturque ex D. Thomæ ſententiâ deducere, non eſſe peccatum mortale nullum adhibere Patrinum: & & probat ſic. [Non eſſe peccatum mortale adhibere Patrinum, qui non ſit confirmatus. At idem eſt non confirmatum adhibere, quàm nullum: quoniam non confirmatus ut ſit patrinus incapax eſt. Ergo nullum adhibere Patrinum non erit peccatum mortale.] Reſpondeo tamen nil evincere Anſonium, non enim præmiſſæ ſimul conceſſibiles ſunt: nam qui maiorem conceſſerit, negabit omninò minorem: negabitque maiorem qui minorem concedet.

An ſemper ex probabilibus probabilis conſequentia inferatur.

Patrinus, ſi non ſit confirmatus, in eorum ſententiâ, qui illum verũ Patrinum aſſerunt, contrahet cognationẽ: in alterum opinione non item.

Petis quintò. *An Patrinus non confirmatus cognationem ſpiritualem contrahat?* Negativè ex Reſolutione tertij Dubij reſpondeo. Et Leander *loc. cit. quæſt.* 5. Aſtrenſi, Tabienæ, Victoriæ, Nuño, Suario, Ægidio, Henriquezio, Dianæ, Fillincio, Thomæ Sanchez, Baſilio, Vegæ, Reginaldo, Sancio, Valentiæ, Ochagaviæ, Hinojoſæ, Ludovico de S. Iuan, Toleto, Cornejo, Lublino, Archangelo, Palao, Trullenchio, & aliis Viris doctis ſubſcribo. Contrariam nihilominùs opinionem apud Dianam 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 21. & 22. & Leandrum *ubi ſupr.* Sylveſter Sotus, Sylvius, Molfeſius, Paludanus, Roſella, Navarrus, Sà. Rodriguez, Lopez, Naldus, propugnant: & utriuſque fundamentum hoc eſt. In cap. *in baptiſmate* hæc habetur Concluſio, *Qui non eſt baptizatus non poteſt ſuſcipere in Baptiſmo: nec qui non eſt confirmatus in Confirmatione.* Et ipſam eſſe præceptivam aliqui, & alij eſſe definitivam aſſeverant: illi dicunt hominem non baptizatum validè, ſed non licitè infantem in Baptiſmo ſuſcipere: hi autem, nec validè, nec licitè ſuſcipere aſſerunt. Ergo illorum ſententiâ cognationem contrahet, quia validè ſuſcipit: at opinione iſtorum, quoniam invalidè ſuſcipit, & non eſt Patrinus, ideò cognationem non contrahet. Et huc reſpiciebat Gloſſæ Auctor, apud quem *Aliqui aſſerunt non baptizatum, ſi levet, non contrahere affinitatem; ſi baptizet contrahere.* Et meritò, quia, ſi levat, invalidè levat, nec eſt miniſter levandi, quia non habet qualitates, quas Eccleſia in Patrino requirit. Interim, ſi baptizat, affinitatem contrahit; quoniam baptizat validè, & eſt legitimus btapizandi miniſter, habet enim omnes qualitates quas Chriſtus poſtulat in baptizante.

Cur non baptizatus, ſi baptizet contrahat cognationẽ, & tamen, ſi fuerit Patrinus non contrahat?

MMMCXIII. *De Patrinis Politicis & Eccleſiaſticis.*

Petis ſextò. *An ſi de facto plures Patrini adhibeantur, omnes contrahant ſpiritualem ſeu Canonicam affinitatem?* Adhibendi plures Patrinos erat conſuetudo in Bohemiâ, antequam ibi Archiepiſcopatum gubernarem: juſſi ut unus & una in Baptiſmate, unus vel una in Confirmatione eſſent primarij, & cæteri ſecundarij: & declaravi primarios eſſe Eccleſiaſticos & juxta Canonum inſtitutionem ſuſceptos; cæteros eſſe Politicos, & tantummodò concernere Politicam authoritatem. Illos debere ſcribi in libro Parochi; & affinitatem contrahere: hos autem, aut non eſſe ſcribendos, aut eſſe ſcribendos cum addito, ut ſemper ex libro conſtaret eos Civiles, & non Canonicos fuiſſe Patrinos.

Illi cognationem non contrahunt.

Sed quid, ſi plures Canonici & Eccleſiaſtici adhibeantur Patrini? An ne ſpiritualem cognationem omnes contrahent? Toletus *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 4. Quintanaduеñas *ſingul. ultim. in fin.* & alij aſſerunt nullum in caſu talem cognationem contrahere. Et poterunt probare ſic. [Caput *non plures de Baptiſmo. diſt.* 4. eſt definitivum & ſtatuit, ut unicus Patrinus ſit. Ergo præter unum cæteri non erunt Patrini. Sed neque unus erit. Ergo nullus in particulari deſignetur, & non ſit cur potiùs iſte ſit & non alius: nullus erit Patrinus. Tunc ſic. Nullus eſt verus Patrinus. Ergo nullus cognationem ſpiritualem contrahit.] Firmat hoc exemplum de conſecratione. Quoniam, ſi dentur decem hoſtiæ, & Petrus verba conſecrationis proferat cum intentione unicam, quam non deſignat, conſecrandi, nulla manebit conſecrata: & hoc ob eamdem rationem: quia non eſt maior ratio unius, quàm alterius.

An iſti, ſi ſint plures, omnes eam contrahant?

Plures Patrini licitè adhiberi nõ poſſunt. An ſaltem adhibeantur validè?

Omnes contrahere cognationem ſpiritualem pronunciant Suarez *quæſt.* 72. *art* 10. Sà *in ſumm. verb. Confirmatio. in fin.* Victorellus *ibid.* Leander *part.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 30. & *tract.* 3 *diſp.* 5. *quæſt.* 6. & alij, quia exiſtimant illud Caput, præceptivum, & non definitivum eſſe: & ideò aſſerunt, validè poſſe plures adhiberi Patrinos, ſed non licitè.

An cognationem ſpiritualem omnes contrahant?

Petis. Septimò. *An Patrinus Confirmationis habeat obligationem inſtruendi confirmatum?* Negat Layman *lib* 5. *tract.* 3. *cap.* 7. *n.* 1. Suarez *quæſt.* 72. *art* 10. Ochagavia *quæſt.* 8. *de Confirmatione, num.* 9. Henriquez, Ægidius, Diana, Fillincius, Bonacina, & alij. Et ſe bene negare probant, quia in nullo Canone exprimitur, quòd Patrini Confirmationis teneantur filios ſpirituales inſtruere: Caput enim *Vos ante. de Baptiſm. diſt.* 4. Patrinis Baptiſmi, non autem Patrinis Confirmationis hanc obligationem imponit. Subſcribit etiam huic opinioni Hurtadus; ſed cum aliquâ limitatione, putat enim adſumi, ut clientem inſtruat in defectu Patrini Baptiſmi. At Ego contrarium eſſe verum exiſtimo, & ſi ratione ducamur, etiam certum: & ideò Ludovico de San Iuan *pag.* 102. *diff.* 2. Sylvio & Granado adhærent, Confirmationis Patrinos habere obligationem inſtruendi ſuos clientes pronuncio. Et adſumens illud Ariſtotelicum Principium, *Deus & Natura nihil faciunt fruſtra.* interrogo, An Chriſti ſponſa Eccleſia leges proferat fruſtra? Et quia illas fruſtra non profert, interrogabo, Cur Patrinos adhibeat? Potiò ad aliquid Sed ad quid? ut inſtruant ſuos filios ſpirituales, & non ad aliud. Ego rem ſic intelligo. Per Baptiſmum Fides, Spes, Charitas, & Gratia infunduntur:

Quid præſtare ille debeat, qui in Confirmatione Patrinus fuit?

An adhibeatur fruſtra?

Obligationes utriuſque Patrini inter ſe comparantur.

tur : & per Confirmationem fortificantur. Ergo, ſi capit. *vos ante.* Baptiſmi Patrino præcipit, ut neceſſaria doceat : Confirmationis Patrino, ut ea, quæ harum virtutum deffenſionem concernant, clientem doceat, compræcipere cenſendum eſt.

Petis octavò, *An in caſu neceſſitatis*
MMMCXIV. *poſſit quis eſſe Patrinus ſuæ uxoris?* Aſſerit Emanuel Sà *verb. Confirmatio, num.*16. Ego autem neceſſitatem in abſolutam & hypotheticam diſtinguo : & pergens ulteriùs reſpondeo Caſum eſſe impoſſibilem : quia non eſt neceſſaria Confirmatio : &, ſi conferenda ſit non eſt neceſſarius Patrinus, ut validè conferatur. Ergo, ſi nullus alius eſſe poſſet Patrinus, quàm maritus, quid poſſet fieri? An-ne (1) deberet fœmina non confirmari? An-ne (2) poſſet ipſa ſine Patrino confirmari? An-ne (3) poſſet maritus ejus eſſe Patrinus? An-ne (4) ſi eam maritus tenuiſſet, poſſet poſteà petere & reddere debitum?

Quid dicendum in neceſſitatis caſu ſit?

Præcepta levia Humana ſuperveniente rationabili neceſſitate deſinunt obligare.

Quænam debeant explicari Quæſtiones?

An præſtet non confirmari?

An neceſſitas careat lege?

Ad primum reſpondeo, quia Confirmationis Sacramentum neceſſarium non eſt, & quia graves ex ejus ſuſceptione (quomodocumque ſuſcipiatur) difficultates aboriuntur, conſultius eſſe in caſu à Confirmationis ſuſceptione abſtinere.

Ad ſecundum poſſet reſpondere Semphronius omnes humanas leges in neceſſitate ceſſare : nec eſſe credibile præſtare, ut Confirmatio omittatur, quàm ut ſine Patrino ſuſcipiatur : & poſſet ſuam ſententiam firmare ; quia omnis Eccleſiaſticorum poteſtas, ad ædificationem conceſſa eſt.

Ad tertium reſpondet Emanuël Sà *in ſumm. verb. Confirm. numer.*16. & Confirmationem poſſe celebrari, & illam poſſe Patrino non carere ; nam extra neceſſitatis caſum ſunt, omnia, quæ maritum excludunt. Ergo ille (hoc enim requirit neceſſitas) nullam cognationem incurret. Ergo debitum poterit reddere & petere.

N. B. Hanc ſententiam probabilem judicat Leander ; nos oppoſitam, cui adhæret, vocat probabiliorem.

Recognoſcet has ipſas Reſponſiones Auſonius, & adhærens Semphronio, ſic ex propriis fundamentis diſcurret. [Præcepta Humana, quæ obligant ad veniale, ſine ullo peccato temerantur, cùm rationabilis cauſa ſuccurrit. Invertere enim ordinem jejunij (puta ſiquis mane ſumpſerit collationem, & ſumat prandium veſpere) & invertere ordinem Horarum in Officio Divino (puta ſi priùs legat Nonam, quàm Primam) ſi ſine causâ fiat, eſt veniale : at verò, ſi cauſa congrua interveniat (puta, iter literarum ſtudium, &c.) erit nullum peccatum. At nullum adhibere Patrinum, ſi nulla cauſa hanc ipſam omiſſionem cohoneſtet, eſt veniale : Ergo nullum erit peccatum omittere in neceſſitate.] At nihil evincit Auſonius : nam jam ipſi Minorem illam *At nullum adhibere Patrinum*, &c. negaveramus : dicimus enim præceptum de adhibendo Patrino obligare ſub peccato mortali.

An præceptum de adhibendo Patrino obliget ſub mortali?

Leander *part.* 1. *tract.* 3. *diſp.*5. *quæſt* 9. *pag.*74. *a.* his verbis hanc Quæſtionem decîdit. [Probabilius reſpondeo, neque in neceſſitate poſſe &, ſi ſcienter hoc fecerit, peccare ; neque poſſe petere debitum, licèt teneatur reddere. Sic Victoria, *quæſt. ult. de Confir.* Angelus *num. ult.* Soto *diſt.*42. *art.*1. Archangelus *diſtinct.*7. *pag.*71. Henriquez *lib.*3. *cap.*3. *num.*4. Vivaldus *cap. ult. num.*5. Ochagavia *quæſt.*8. *num.*10. Toletus *lib.*2. *cap.*23. *num.*4 Nicolaus Poüe *de Confirm. pag.* 11. Victorellus *verb. Confirm. num.*16.] ſingula conſideremus.

Leandri ſententia.

Ait (1) *ſi ſcienter hoc fecerit, peccare.* Sed contra quam legem? Vbi non eſt lex, inquit Paulus, nec prævaricatio eſſe poteſt. Dixerat *probabilius reſpondeo*, ut nos moneret Reſolutionem iſtam ſuam eſſe merè probabilem & ex Canonibus probabiliter poſſe deduci : at nullum eſt, in quo expreſsè legatur.

Non probatur ſolidè maritum in caſu peccare.

Ait (2) *neque poſſe petere debitum.* Et cur? quia ſpiritualem cognitionem contraxit.

De petitione & redditione debiti.

Ait (3) *quod teneatur reddere.* Hoc non intelligo. Sicut enim eſt Patrinus cognatus ſpiritualis Confirmati, ſic etiam Confirmatus eſt cognatus ſui Patrini. Ergo, ſi maritus, qui fuit ſuæ uxoris Patrinus, ſpiritualem cognationem contraxit, tam erit uxoris cognatus maritus, quàm uxor ſui mariti cognata. Ergo, ſi maritus non poteſt petere, neque uxor à ſuo Patrino ſive marito poteſt petere. Ergo neuter poteſt petere : ac per conſequens neuter poterit reddere.

An alter ita alteri poſſit eſſe cognatus, ut alter ſibi cognatus non ſit?

Quæ omnia per analogiam convenientem dicenda ſunt, ſi uxor fuerit Matrina ſui mariti.

Petis nonò *An pater, mater-ve ſui filij Patrinus aut Matrina eſſe poſſit?* Negat communis Theologorum ſententia : ſed nondum vidi Canonem, qui hoc inhibeat in terminis.

An pater materve poſſint eſſe patrini?

Petis decimò, *An frater poſſit eſſe Patrinus ſui Fratris?* Extra caſum neceſſitatis omnes ſententiæ negativæ ſubſcribunt : ſed deberent probare quod affirmant. Si de caſu neceſſitatis quæſtio ſit, poſſet quis dicere non dari talem caſum, ut §. *Petis octavò*, dicebamus. Interim, quid alij dicant conſideremus, Sà *verb. Confirmatio. num.* 14. & 16. & ex eo Bonacina *diſp.* 3. *punct.* 4. *num.* 12. Leander *part.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.*3. & 9. contra Toletum, Ploüeum, & Trullenchium, aſſerunt fratrem in caſu neceſſitatis (puta, ſi nullus alius adſit, aut nullus alius confirmatus ſit) eſſe poſſe Patrinum.

De fratribus.

An unus poſſit eſſe Patrinus alterius?

Petis undecimò. *An vir viri Patrinus eſſe poſſit : & an fœmina fœminæ?* Reſpondeo nihil eſt in Iure diſpoſitum circa ſexum : interim, ne multiplicentur impedimenta Matrimonij, volui in noſtrâ diœceſi, ut in hoc Sacramento ſemper vir virum, & fœmina fœminam teneat.

An Patrinus & Cliens debeant differre ſexu?

ARTICVLVS IV.

Quid ſignificet nomen, Monachi, *quod ponitur*, in cap. Monachi, de conſecrat. diſtinct. 4.

MMMCXV. *An Monachi poſſint eſſe patrini.*

Est quæſtio acris inter DD. An Religioſi mendicantes poſſint eſſe patrini in Sacramento Confirmationis? Putaret illã aliquis eſſe Theologicam, cùm merè Grammatica ſit. Stando Iuri divino, non videtur omninò neceſſarius Patrinus, nec ab hoc munere Religioſi eſſe excluſi. In Iure Canonico jubetur Monachis, ne ſint Patrini; quam ob rem idem erit petere, *An Religioſi mendicantes, poſſint eſſe Patrini?* ac petere, *An voce* MONACHI, *non ſolùm Religioſi monachales, ſed etiam mendicantes intelligantur?* Porrò ſtando rigoroſæ vocis ſignificationi, Patres Mendicantes non eſſe Monachos manifeſtum eſt, ſed videndum, an obtinuerit uſus, ut eo omnes nomine intelligantur?

An Monachorum nomine intelligantur Mendicantes?

Coninch *de Sacram. quæſt.* 67. *art.* 7. *n.* 56. & Chamerota *de Sacr. tr.* 2. *cap.* 4. *dub.* 8. Dicaſtillus *de Confirm. dub. ultim. n.* 145. Quintanadueñas *tract.* 2. *de de Sacram. ſingul.* 8. Ægidius *quæſt.* 72. *art.* 10. Palaus *tract.* 20. *punct.* 10. Leander *part.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 5. *reſol.* 8. *pag.* 74. *a.* Hurtadus, & alii Doctores nomine *Monachi* non comprehendi Mendicantes affirmant; adeoque eoſdem putat patrinos eſſe poſſe in Sacramento Baptiſmi & Confirmationis. Et ſi objicias utroſque æquè pauperes, æquè ſubditos, æquè ab alienâ voluntate pendentes, adeoque ineptos, ut clienti ſuo favere poſſint; negabunt conſequentiam illi, quoniam Monachi degunt in ſolitudine, Mendicantes in urbe, & quod illi præſtare non poſſunt, iſti poſſunt. Nam ſive cliens victu aut amictu, ſive inſtructione indigeat; qui adſunt, poſſunt proſpicere, eum alicui viro diviti commendando, & eumdem doctrinam Chriſtianam docendo.

An Monachi & Patres Mendicantes æquè incapaces ſint ut Patrinorũ miniſterium exerceant?

His tamen non obſtantibus voce *Monachi* in capite citato etiam Mendicantes intelligi, docent Layman *Theol. moral. tr.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. Diana, Angelus Vivaldus, Sotus, Sylveſter, Tabiena, & alii, quibus conſonant, qui Synodum Panormitanam ſub Eminentiſſ. Cardinale ab Auriâ celebrarunt & anno M. DC. XV. ediderunt: interdicunt enim ne Religioſi (ſeu Monachales, ſeu Mendicantes illi ſint) poſſint eſſe Patrini. & Pragenſis Synodus celebrata Illuſtriſſimo Sbigneo Berka Archiepiſcopo, ann. 1605. ad hoc munus, nec Viros Regulares, nec Abbatiſſas, nec Moniales admittit.

Reſolutio communis. *Synodus Panorm. pag.* 1. *n.* 3. *Synodus Pragenſis pag.* 87.

Videtur utrumque eſſe probabile, & in re ambiguâ hoc certum; nimirùm, Epiſcopum Religioſum, ſive è Mendicantium, ſive è Monachalium ordine ſit aſſumptus, eſſe poſſe Patrinum. Ita Sanchez *in ſumm. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 24. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 21. & communiter alii. Sed cur? Vel quia Epiſcopus deſinit eſſe Monachus: vel ſi (quod Ego verum judico) Monachus manere dicatur, ceſſat in ipſo ratio, ob quam obire Patrinorum munus Monachis interdicitur.

An Epiſcopus eſſe patrinus poſſit? An Monachus, ſi ad Epiſcopatum promoveatur, maneat Monachus?

ARTICVLVS V.

An perierit Balſamum? An illud, quod hodie nomen iſtud circumfert, ſit illud ipſum, quod olim apud Paleſtinam, in Regiis hortis Colligebatur?

MMMCXVI. *De Balſamo an perierit?*

Dubitavi, *An hodie eſſet in mundo Balſamum?* propter Plinium, qui *lib.* 12. *c.* 25. ſic ait. *Balſamum uni terra Iudaea conceſſum, pridem periiſſe creditur.* Fuit Plinius rerum naturalium indagator excellentiſſimus; & Roma, in qua habitavit, erat ſuo ævo florentiſſima: ergo, ſi in mundo balſamum erat Romæ erat; ergo ſiquidem Romæ non erat (nam, ſi eſſet, non ſcripſiſſet iſta Plinius) in rerum naturâ non erat. Floruit Plinius Naturalis Hiſtoriæ Auctor tempore Veſpaſiani, ut Volaterranus *lib.* 18. affirmat. Et Veſpaſianus ab an. Chr. LXXXI. Mundum rexit. Ergo Lino Summ. Pontifice balſamum periit. Ergo ultra Divi Petri tempora non habuit Eccleſia Confirmationis Sacramentum, ſi balſamum ad eius confectionem Chriſtus Inſtitutor requirat. Atqui eſſet abſurdum Sacramentum hoc tollere (incredibile enim eſt Chriſtum elegiſſe materiam, quam ſciebat poſt paucolos annos perituram: & incredibilius eumdem permittere totam Eccleſiam errare in re tanti momenti (ergo dicendum eſt balſamum aut non periiſſe, aut non requiri.

Plin. qualis? *Quando floruit.* *Non eſt credendũ D. N. Ieſum Chriſtum pro aliquo Sacramento elegiſſe materiam, quam ſciebat citò perituram.*

At dices, hodie magno quæſtu balſamum ab Indiis exportari, adeoque etiamnum balſamum inveniri in Europâ. Reſpondeo, me non aſſerere eſſe certum, periiſſe balſamum ſed eſſe probabile, propter authoritatẽ Plinij, qui neſcire non poterat, an Romam illud adportaretur. Scio eſſe qui illud in Iudæa periiſſe exiſtiment, ſed ante centum ann. in India inventũ.

An balſamũ reperiatur in Indiâ?

Nam Hieronymus Benzo Mediolanenſis, qui occidentalis Indiæ terras quatuordecim annorum peregrinatione obiit, *in ſuis Commentariis Italicis lib.* 2. *cap.* 16. balſami meminit, illudque in Nicaraguâ reperiri ait. Et Urbanus Calueto, qui Commentarios hos in linguam Latinam tranſtulit, explicans illud caput ſic inquit. [Nunc (balſamum) quod ex India occidentali affertur, primum in Hiſpaniolâ [a] inventum eſt, indicæ mulieris indicio. Arbor unde hic liquor, dicitur *Gouaconax* ab indigenis vocatur. Oviedus *natural. Hiſtor. Ind. lib.* 10. *cap.* 2. Elicitur quoque hodie in nova Hiſpaniâ ex arbore

An etiam in Nicaraguâ. *a] Inſula, quæ la Eſpañola nominatur Hiſpanicè non benè vocatur Hiſpaniola Latinè.* *Gouaconax, quænam arbor ſit?*

Digitized by Google

Xilo.

Quomodo fiat balſamum?

An omnia balſama ſint eiuſdem ſpeciei.

bore punicâ, Malo majore, cujus folia vrticæ ſimilia, ſerrata, & tenuia ſunt. Indi *Xilo* vocant. Elicitur autem duobus modis. Primo multis inciſuris vulnerato arboris cortice, altero, ramis & truncis eius arboris aſſulatim, & minutim conciſis, & in lebete ampliſſimo fervefactis: mox oleo ſupernatante collecto. Id priore ignobilius eſt. Mordus *de ſimpl. medic. Indic.*] An-non Goaconux Xiluſque ſunt arbores diverſæ ſpeciei? An-non & ſpecie etiam different, quæ ab illis ſunt exuta balſama? an id balſamum eſt eiuſdem ſpeciei cum illo quod periit in Iudæâ Plinij tempore? ſi ſit, unde illo intermedio tempore Mundus habuit verum, & legitimum balſamum?

MMMCXVII. *De Opobalſamo Veteribus cognito.*

SIc Ego ante annos aliquot diſſerebam de Balſamo. Cæterùm, quia in manus incidunt *Ioannis Veſlingij Mindani, Equitis, & in Patavino Gymnaſio Anatomiæ, & Pharmaciæ Profeſſoris primarij, Opobalſami Veteribus cogniti Vindiciæ Patavij editæ anno* 1644. & ex ipſis conſtare poterit, multos eoſque illuſtres Medicos dubitare, & in re difficili, & obſcura eſſe opinionum varietatem; has periodos ſubſcribo, Veſlingius ergo in ipſa Epiſtola Dedicatoria.

Diſputant Medici, an ſit perditum balſamum?

[De Opobalſamo agitur, eximio medicamento, cuius ſtirpem impenſo quondam ſtudio, regiis hortis Palæſtina colebat; nunc Arabia mercium odoratarum fertilitate beata patrio gremio feliciter fovet, atque educat. Perditam eam eſſe, vulgata dudum fama, etiam eruditis hominibus impoſuerat, donec è Veneta nobilitate tot clariſſimi Viri qui Byzantio, Trypoli Syriæ, & Cahiro, ſubditis Sereniſſimæ Reipublicæ præfecti, ſalutarem balſami lacrymam [b] in lucem poſtliminiò reduxerunt ut jam auſpiciis horum, in vrbe ipſa Venetiarum, non in Muſæis tantùm illuſtrium civium; ſed etiam publicis aromatum tabernis, longa annorum ſerie facilè quærentibus obvia nobis ſit. Quo mihi major illorum ingratitudo videtur, qui rem à tot ſæculis Veneto beneficio orbi Europæo redditam, & potiſſimum à Proſpero Alpino Lycei veſtri Profeſſore quondam celeberrimo, ſcriptis abunde patefactam, auſi fuerunt obſcurare iterum, & ab otiſc his Medicis

b] Sed vnde ſciamus hãc ipſam lachrymã habere plus balſami, quã merum nomen?

An id, quod vulgò vocatur balſamum ſit balſamum?

—— Vltra Sauromatas, & glaciale
Oceanum ——

Per notas externas ad interna eſſentia cognitionem venitur.

Relegare. Idque dum Opobalſamo, partim notas aſſignant ejuſdem naturæ penitus repugnantes; partim rariſſimæ cuiuſdam, & ineffabilis fragrantiæ ſpeciem induunt, nunquam tamen ſenſu narium ab iis perceptam. Itaque ſequutus veſtigia doctiſſimorum hominum, contra miſandum, & utiliſſimæ reſinæ facultates, ac ſubſtantiam, ex veterum, qui accuratiſſimè pleraque complexi, monumentis revocandam eſſe duxi.]

Eadem Author uberiùs, & clariùs paulo poſt initium, ſic inquit.

Multi carpunt, quæ nõ intelligunt?

An periit balſamum?

[Peſſimè omnium exorbitat, cùm carpit, quæ non capit, præſtantiſſimiſque Auctoribus ſtuporem ſuum impingit: cùm è tribunali, & veluti roſtris pronunciat de re, nec fidelis ſ nis, neque experientia cautè ſatis expenſa. Itque vel eò periculoſius, quò fœdiùs, vel invidiæ, vel avaritiæ virus corruptis affe-

ctibus illevit. Hoc itaque præſide, ſi petenda nobis ſuffragia ſunt, periit Balſamum, & pretioſæ ex eodem lacrymæ,

Quas ungue duro ſaucius quondam pluit.
Ægyptius fragrante cortex vulnere.

Periit odorâ ſuavitate, virtutumque æſtimatione excellens medicamentum, adeoque virium ſuarum diſpendium incurrunt nobiliſſima veterum antidota, potiſſimùm illa; quæ ob θηρία quæ recipit, auxiliumque θηριοδήκτοις collatum haud immeritò *Theriacæ* nomen ſortita eſt. Quorum illud, vereor ut in parentem Naturæ maximum optimumque, iniurioſum ſit: hoc in graviſſimis morbis periclitantium ægrorum diſcrimine conjunctum. Quamvis enim deleto Imperij Romani nomine, Perſarum Turcarumque violentiâ manu, quidquid Palæſtina, aut religione venerandum, aut utilitate ſuſcipiendum poſſidebat, miſerabili exemplo peſſum iverit, nec diſſimile fatum propinquam Ægyptum preſſerit; adeoque non abs re mentes hominum inſederit opinio deletas pariter fuiſſe eximias Balſami plantas, quibus excolendis (ob lucrum, quod in publicum exinde fiſcum redundabat) quamvis paucis in hortis, ſingularis impendebatur induſtria. Factum tamen eſt, mitigatis cœleſti benignitate calamitatibus, ut viri pietate, genere inſignes, Palæſtinam, atque Ægyptum peragrantes, commentariis itinerum, Balſami nomen veluti lethæis ereptum undis hominum iterum memoriæ commendarint. Ipſi quoque Proreges Rectoreſque Provinciarum, Principum Chriſtianorum Legatis balſamicæ reſinæ ſuavitatem haud inviderint, ſecumque deinceps in patriam detulerint, variarum ex Europá nationum nobiles præfecti, in Syriâ, & Ægypto negotiorum causâ degentium. Summam tamen opem, iam vulgi perſuaſione, exempto rebus humanis Balſamo, attulerunt, viri materiæ Medicæ ſtudioſi, qui poſthabitis vitæ, ſumptuumque diſpendiis, plantam balſami, aut in horto Mathariæ Ægiptio cultam, aut ex recenti natam carpabalſamo viderunt, viſamque curioſè deſcripſerunt. Inter hos Petrus Bellonius Cenomanus, Franciſci Primi Galliarum Regis munificentia digniſſimus, qui cognoſcenda metallorum, plantarum, animantiumque natura veluti œſtro percitus, Græcia, Aſia minore, Syria, Ægyptioque perluſtratis, Balſami natale ſolum, plantæque germinantis habitum, & formam, utiliſſimis itineris obſervationibus poſteris divulgavit. Notarat eandem in Ægypto Melchior Guilandinus, Boruſſus, eruditione, vegetabiliumque peritiâ ſæculi ſui decus, quem piratis Mauritanis ſubductum, dignum habuit ampliſſimus Venetus Senatus, quem in Patavino Gymnaſio rei herbariæ præficeret. Natas è carpobalſamo plantas alebat in Creta Honorius Bellus, eximius Botanicus, quas Carolo Cluſio alteri Belgarum Cratævæ, curioſè deſcribit. Palmam tamen in hoc ſtadio currentibus præripuit Proſper Alpinus Maroſticenſis, in Patavino Athenæo Guilandi ſucceſſor laudatiſſimus. Nam cum ſub Illuſtriſſimo Georgio Hemo, Venetæ nationis Conſule, triennium ultra in Cahiro Ægypti Medicinam faceret, plantas è recentibus Balſami ſe mini-

Theriaca quid ſit, vnde dicatur?

Quo tempore in Palæſtina perierit balſamum?

Cur perierit.

Vbi iterum repertum ſit.

De Mathariæ horto in Ægypto.

Qui repererint balſamum?

N. B. Non quæritur, an plantam hãc accuratè deſcripſerit Bellonius; ſed an ſit eadẽ, quam antiqui deſcribunt.

Melchior Guilandinus.

Honorius Bellus.

Carolus Cluſius.

Proſper Alpinus.

Georgius Hemus.

bus

bus natas, ſingulari animi voluptate coleret, allatumque quot annis Opobalſamum ad ſenſuum rectæque rationis trutinam diligenter expenderet, quicquid olim inter Principes veterum Botanographos, Theophraſtus, & Dioſcorides fando acceptum, atque ex his alij porro monumentis literarùm conſignarant de Balſami liquore, ad normam revocavit, hiſtoriamque totam diſcuſſis ambiguitatum nebulis in clara luce repoſuit. Iamque per Italiæ tractus peritia medicamentorum, & induſtriæ laude clariores pharmacopœi, adepti ex Arabia Opobalſamum, & examine Medicorum præſtantiſſimorum probatum, multis abhinc annis, omiſſo ſuccedaneo, regiis antidotis miſcuerunt. Secuti laudabile horum exemplum in Vrbe Roma Antonius Manfredus, & Vincentius Panitius, primarij, ſpectatæque fidei Aromatarij, & allatum ex Arabia balſami liquorem, à Præſide, Conſiliariiſque clariſſimi Collegij Medici, tum quatuor Vrbis archiatris, aliiſque ſimplicium medicamentorum peritiſſimis viris exploratum priùs, ac laudatum, Theriacæ miſcuerunt. Poſtquam confecta eſſet, fama ſalubritatis expetita plurimis antidotus, irruere ecce pharmacopæi aliquot, & permiſtum Theriacæ opobalſamum, falſum, fictitiumque clamantes, compoſitionem apud Pontificem maximum infamare, & tanquam piceà transfixi Pythonis ſanie corrupta fuiſſet, projiciendam, Vulcanoque tradendam expetere; partim invidia alienæ proſperitatis lividi, partim metu agitati ne paratas domi ſuæ Theriacas vilior titulus, atque difficultas emptoris antiquaret. Amoliebatur frementium protervíam ſummus Antiſtes, quæque ſingularis ejus prudentia fuit judices cognoſcendæ cauſæ viros delegit, quos faciendæ Medecinæ dexteritate, virtutumque omnium ornamentis præcipuè cognitos habebat. Docere voluit incautos, non Theologam, ſed Medicam eſſe controverſiam; neque litigioſis diſceptationibus in Themidis foro implicandam; ſed frequenti, ſedulaque rerum ambiguarum inſpectione, atque inter ſe comparatione dirimendam. Imò non alios ſibi querere Doctores pharmacopœos debere, quàm à quibus materia componendorum ipſis præſcribitur, & ratio pariter, modusque miſturæ præcipitur. At illos Archiatrorum ſuorum auctoritate ſpreta, jam in gurgitem contentionum detulerat turbidus animus, adeoque amiſſo melioris conſilij arbitrio, ne ſine cortice deinde natarent, patrocinium Stephani de Gaſparis Medici Romani impetrarunt. Hic autem in re ſibi incognitâ funditus ſubruendâ, quantum veri, juſtique finibus exceſſerit, unius Franciſci Perlæ Medici Romani, docta pariter, atque elegans diſſertatio, & phyſicarum oppugnationum propulſatio, clariſſimè demonſtrat. Imò, ne ſoli in hoc controverſiæ freto natarent Opobalſami delatores, tres item pharmacopœos Veneto, ad ſuffragium ſibi ferendum impulerunt, quos cùm Petrus Caſtellus in Mamertinorum Academia Sicula, primarius rei Medicæ. Profeſſor, acriùs invaderet, eorumque Theriacis inclementer diceret, ne vox & latera deeſſe viderentur, à Peregrino Pitorio Medico advocationem quæſiverunt.

Botanographi, qui?

Balſamum non tenebat in Theriacâ, qui illud iã periſſe putabant.

Medici, cùm herbam non inveniunt, ſuccedaneâ abutuntur.

Non eſſe verum balſamum dicunt, & inſtant Romæ Pharmacopœi.

Denominantur Iudices.

An iſti debuerint eſſe Theologi?

Pharmacopœi Iudices contemnunt. & à Stephano de Gaſparis, Medico Romano protegunntur.

Opponitur Stephano Franciſcus Perla.

Et Petr. Caſtellus.

Qui dum ex Virorum doctiſſimorum ſcriptis, Opobalſamum falſum, fictitiumque eruere conatur, Epiſtolas quoque meas ad Baldum in Romano Gymnaſio practicæ Medicinæ profeſſorem clariſſimum, quarum unâ natalem hoc ævo balſami terram, illiuſque varietatem retuli alterâ, probatum ab ipſo Opobalſamum, legitimum teſtabar, ſic obuertit, contraque ſenſum meum detorquet, ut me non legitimum, ſed terebinthina vitiatum, & communi tantum Opobalſami nomine, ſubornatum ſuccum aſſeruiſſe perſuadeat. Huic, ut paucis me declarem, partim Medicæ facultatis emolumentum exigit, cui remedij utiliſſimi, de quo agimus, acceſſio debetur; partim fides, quam prudentiſſimis Archiatris, in liquoris accuſati probatione ingenuè datam, pari conſtantiâ inviolatam conſervabo. Æternum illum bonorum omnium Auctorem teſtatus, verique conſciam mentem, me nihil hic, vel amicitiæ, vel precibus dediſſe; ſed inſcitiâ aliquot pharmacopœorum abjectum liquorem, jam inter Arabes à me ſæpiùs obſervatum, & examinatum, poſtquam cunctis decenter notis exploraveram, verum, legitimumque Opobalſamum pronunciaſſe. Proponam autem priùs, quid annos ultra quinque, dum in Ægypto ſub Illuſtriſſimis Viris Aloyſio Cornelio, & Ioanne Donato Venetorum Conſulibus, liberali ſtipendio Medicinam feci, de Balſamo, ejuſque liquore cognitum mihi fuerit: tum quod hîc ipſe receptum antiquitùs Opobalſamum ſit: ex optimorum apud priſcos Authorum ſententiâ, poſt eximium anteceſſorem meum, Proſperum Alpinum, brevibus ſubjiciam.] Hæc omnia expertiſſimus Ioannes Veſlingius.

Eſt contra balſamum Pitorius. Baldus, Romanus Medicus.

An, quod hodie balſamum dicitur, ſit quadam vitiata terebinthina?

An illud meritò Pharmacopœi rejiciant.

MMMCXVIII. Sed cur de phyſica, aut medica quæſtione tam fusè? Vt videant, qui definiunt ex tripode, quæ non examinarunt, eſſe quæſtionem periculo, & ſalebris plenam, & ſi non eſt evidens dari in rerum natura, aut ſaltem in Europa balſamum; quomodo erit evidens, ad Sacramentum Confirmationis indiſpenſabiliter illud requiri?

An balſamũ ſit ad ſacramentum Confirmationis neceſſarium?

Sanè ſententia, quæ balſamum ad ornatum, & decentiam admittit (quidquid dicant, qui illum in varios ſenſus obtorquere conantur) eſt expreſſa Innocent. III. *cap. Paſtoralis de ſacram. non iterand* unde Eſtius *in* 4 *diſt.* 7. §. 8. balſamum non eſſe neceſſarium affirmat.

Sanè balſamum eſſe de neceſſitate Sacramenti Confirmationis, apud Leandrum de Sanctiſſimo Sacramento *part.* 1. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. negant Valentia *diſp.* 5. *quæſt.* 1. *punct.* 2. Victoria, *quæſt.* 40. Navarrus *cap.* 22. *n.* 8 Covarruv. 1. *variarum cap.* 10. Cajetanus *quæſt.* 72. *art.* 2. Sot. *in* 4. *diſt.* 7. *art.* 2. Vivardus *de materiâ Confirmationis n.* 3. Moure *cap.* 3. §. 2. Reyna, Carillo, Zanardus, Barboſa, Philiatchus apud Dianam 3 *part tract.* 4. *reſolut.* 23. Gulielmus Eſtius *in* 4. *diſt.* 7. §. 8. Peſantius *quæſt* 72. *diſp.* 2. Lublinus *verb. Confirmatio, in initio.* & Barthol. de Ledeſma *difficult.* 3. *concl.* 2. *col.* 224. Angles *de confirmat. art.* 2. *concl.* 2. Aureolus, Vega *caſu* 2. Torreblanca *lib.* 2. *pract. cap.* 6. *n.* 19. Graſſius *partic.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 27. *pag.* 14. & Archangelus *diſt.* 7. *pag.* 63. *col.* 2. Barboſa 2. *part. de poteſtate Epiſcopi allegat.* 31.

numer. 3. & alij exiſtimantes, balſamum non eſſe de neceſſitate huius Sacramenti, ſed ſufficere oleum. Ex quo colligunt hi Doctores, poſſe Pontificem diſpenſare, vt Sacramentum Confirmationis adminiſtretur cum ſolo oleo oliuarum, ſi balſami copia deeſſet. Ita cum prædictis Authoribus Diana *part.*8.*tract.*1. *reſolut.*11.& Dicaſtillo *dubit.* 3. *de Confirmation. num.* 29. Horum ſententiam eſſe probabilem docent Leander *citatus*, Ioannes de la Cruz *de Confirmatione partic.*12.*quæſt.*72. *dub.*1. *concl.* 1. Fillincius *tom.* 1. *tractat.* 3. *cap.* 1. *num.* 11. Antonius Cotonius *verb. Confirm.* & plerique omnes, qui tenent opinionem contrariam: pauci enim oppoſitam eſſe certam, & indubitatam affirmant.

MMMCXIX. *Pro Logicâ Morali, examinatur quidam ſyllogiſmus, qui eſſe videretur probabilis.*

Hic placet nonnulla pro Logicæ promotione ſubiungere. Ponis hunc ſyllogiſmum.

Probabile eſt, balſamum periiſſe olim, nec hodie illud inueniri in rerum naturâ.

Atqui etiam eſt probabile, illud ad Confirmationis Sacramentum neceſſariò requiri.

Ergo eſt probabile non eſſe hodie in Eccleſia Sacramentum Confirmationis.

Conſequentia eſt legitima. Maior, & minor ſunt euidentes, ergo etiam conſequentia eſt euidens.

Et aio, præmiſſas eſſe modales, & modo probabilitatis affectas eſſe certas, & euidentes: at ſublato, eſſe mere probabiles: nam hæc propoſitio, *Balſamum eſt neceſſarium*, eſt probabilis: iſta verò, *Probabile eſt balſamum eſſe neceſſarium*, eſt certa. *Omnis Propoſitio affecta modo competenti ſit certa.*

Addo conſequentiam eſſe euidenter falſam: nec ſufficere ad ſyllogiſmum topicum, ſeu probabilem, probabiles eſſe præmiſſas, ſed omninò requiri comprobabiles eſſe: illæ autem quæ ſunt in ſyllogiſmo poſito, non ſunt comprobabiles: ſi enim ponamus balſamum periiſſe, debebimus neceſſariò dicere, non eſſe in Confirmatione neceſſarium: &, ſi ponamus illud in Confirmatione neceſſariò requiri, illud non periiſſe dicemus. Et hoc hîc notare volui: quia iſte modus argumentandi in multis materiis occurrit. *Ex probabilibus poteſt falſum ſequi: at ex comprobabilibus infertur probabile.*

DISPVTATIO.

METETHICA.

De Virtute Pœnitentiæ.

MMMCXIX. *An Pœnitentia Virtus à Pœnitentiâ Sacramento diſtinguatur?*

DISTINGVI neceſſariò debet à Pœnitentiæ Sacramento illa Virtus ſanctiſſima, quæ *Pœnitentia* dicitur, & cum Sacramento in voto, ſi in re non poſſit ſuſcipi, peccatorem juſtificat.

Quomodo Amor ab Odio, & Volitio à Nolitione diſtinguantur?

Oportet ſtatim ſub initium Amorem Dei, ab Odio peccati diſtinguere: & tametſi Viri doctiſſimi realem diſtinctionem inter illa conſtituant, nos qui Parcum Naturæ Genium ſequimur, admittimus expreſſivam tantummodò nec enim ponimus *Nolitionem*, quæ à *Volitione* entitativè, diſtinguatur. Vide Herculis noſtri Logici laborem primum, qui *Nil negans* inſcribitur: & ſicut ab Aſſenſu Diſſenſum, ſic à Volitione Nolitionem diſtinguit.

Exponitur, quod verbo nolo à Grammaticis ſignificetur?

Potentiæ Viſivæ operatio eſt videre, Auditivæ audire: ergo Intellectivæ intelligere, & Volitivæ velle. Ergo Noluntas non eſt potentia Animæ à Voluntate diſtincta: ergo nec Nolitio à Volitione aliter, quàm objectivè diſtinguetur: nam hic actus *Volo audire miſſam*, *Nolo audire miſſam*, ab hoc *Nolo audire miſſam*, non diſtinguitur genere vel ſpecie, ſed puro numero: tota enim diſtinctio in objecto conſiſtit: nam hæc Poſitio, *Nolo audire miſſam*, æquipollet huic *Volo non audire miſſam*, unde uterque actus eſt *Volitio*: & differentia eſt in objectis, quæ ſunt *auditio*, & *non auditio miſſæ*. Ipſe actus, formalis, quo Petrus v. g. vult audire miſſam, eſt nolitio ponendi, (aut volitio non ponendi) quæ poſſint auditionem miſſæ impedire. Et hinc intelligemus, quo Amor Dei modo ab odio peccati diſtinguatur.

Quomodo Amor Dei, & Odium peccati diſtinguantur?

MMMCXX. *Quid ſint auxilia ſupernaturalia?*

Amor Dei ſuper omnia, Charitatis eſt actus, quæ aut per modum habitus inhæret, aut per modum diſpoſitionis (ad hanc enim ſpeciem Qualitatis Auxilia pertinent) Divinitùs communicatur. Reſpicit Deum primariò: & eſt nolitio omnium, quæ objecto (hoc eſt, Deo) contrariantur: & ideò eſt odium peccati ſecundariò. Si id deteſtetur expreſsè *Contritio formalis* vocatur; ſi implicitè *Contritio virtualis*, quia ita ſe habet, ac ſi eſſet expreſſa & formalis. Contritio formalis continet Pœnitentiæ Sacramentum in voto, & ferè ſemper expreſſo: qui enim ſcit, ſe habere obligationem confitendi peccata, & de illis conteritur, habet illa confitendi intentionem expreſſam: & raro ita eum abſorbebit dolor, ut non recordetur confeſſionis. Virtualis Contritio etiam continet Sacramentum in voto, ſed implicito, certo tamen, Si enim ita amat Deum, ut peccatorum à ſe commiſſorum non recordetur, non occurret confitendi obligatio: quæ verè occurreret, ſi illorum etiam recordaretur. Contritio igitur (formalis, aut virtualis ſit) alio nomine vocatur *Pœnitentia virtus*: & per modum actûs aut etiam per modum habitûs poteſt conſiderari.

Quid Contritio formalis ſit, & quomodo à virtuali diſtinguatur?

De Confeſſione in voto: nempe expreſſo aut implicito.

Pœnitentia

O 3 ENS

Ens Poenitentiale.

Quid Pœnitent alis entis nomine intelligatur?

HOc nomine intelligendum venit, quidquid ad Pœnitentiæ Virtutem pertinet: nam, ſi omnia, quæ conſtituunt, comitantur, & ornant hanc Virtutem, connectas, & ex omnibus conceptum aliquem commu- nem abſtrahas, habebis veram & germanam ideam Entis, de quo impræſentiarùm diſputamus.

Svbstantia Poenitentialis.

MMMCXXI.

Quid Pœnitentia? An ad hanc virtutē pertineat dolor de alienis peccatis cō ceptus. μετανοεῖν. De Latini nominis etymo. An pœnitet me, ſit idem ac pœna tenet me? Definitiones Pœnitentiæ.

HAnc iam expoſui: hæc enim Virtus pro materiali dicit actum Amoris ſupernaturalis, & pro formali dolorem) formalem aut virtualem: expreſſum aut implicitum) de peccatis ab ipſomet pœnitente commiſſis. Nam dolor, qui de alienis peccatis ſuſcipitur, verè Pœnitentia non eſt. Μετανοεῖν, à Græcis, *Pœnitentia* à Latinis vocatur: nam *Pœnitet me*, unde *Pœnitentia* deducitur, eſt quaſi *Pœna tenet me*. Et hanc ob rem Theologi cum ſententiarum Magiſtro *in* 4. *diſt.* 14. ex Ambroſio & Gregorio dicimus, Pœnitentiam eſſe Virtutem, *quâ commiſſa mala cum emendationis propoſito deteſtamur & plangimus, & plangenda ulteriùs committere nolumus.* Et ex Auguſtino [habetur. *de Pœnit. diſt.* 2.] ſubjungimus, Pœnitentiam eſſe *quamdam dolentis vindictam, punientem in ſe quod dolet, commiſiſſe.*

Pœnitentia, dicitur quaſi Punientia. Tribus modis peccamus, & tribus pœnitere debemus.

Hugo de S. Victore *lib.* 3. *de myſt. Eccl.* paulo aliter Pœnitentiæ nomen exponit, & ex nomine rem ipſam definit: inquit enim. [Pœnitentia *eſt appellata, quaſi* Punientia, *eo quòd homo in ſe pœnitendo punit, quod male admiſit: Tria enim, quæ ſunt in percuſſione pectoris (id eſt, pectus, ſonus, & manus) ſignificant quod pœnitentia eſt de his, quæ mente, voce, & opere peccavimus*]

De dolore & vitæ emendandæ propoſito.

Duo ad veram Pœnitentiam requiruntur; nempe, dolor de peccatis admiſſis, & non ampliùs illa committendi propoſitum. Ille dolor, ſi à Charitate naſcatur ab hoc propoſito ſeparari non poteſt: ſed neque iſtud propoſitum, ſi ex Charitate ſit, ab illo dolore ſeparabitur. At contingit interdum alterum reperiri ſine altero, & tunc motiva naturalia operantur. *Lib. de Pœnit.* Auguſtinus. *Ad agendum pœnitentiam non ſufficit mores in melius commutare & à malefactis recedere, niſi & de his, quæ facta ſunt, ſatisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.* Ecce bonum propoſitum, & vitæ ſequentis correctio ſine dolore de peccatis admiſſis non juſtificat: ſed neque dolor de illis, ſi deficit vitæ reformandæ propoſitum. Idem *in ſoliloq.* Sanctus Pater. *Inanis eſt Pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat: nihil proſunt lamenta, ſi replicentur peccata. Nihil valet à malis veniam poſcere, & mala de novo iterare.* Et certè de ſupernaturali Pœnitentiâ in quâ à dolore pium propoſitum ſeparari non poteſt agebat Lactantius Firmianus, qui libr. 6. de Divin. Inſtit. cap. 15. ſic ait. *Agere Pœnitentiam nihil aliud eſt, quàm profiteri & affirmare ſe ulteriùs non peccaturum.* Impoſſibile eſt enim ut quis amet Deum ſuper omnia, & ſe in eum peccaviſſe non doleat, & in eundem ſe nunquam fore peccaturum decernat.

An & quando ſeparari poſſint: quando non poſſint. Sicut nec propoſitum ſine dolore. Sic nec dolor ſine propoſito ſufficit ad ſalutem.

Qvantitas Poenitentialis.

ISte amor & iſte dolor, ut conducat ad æternam vitam, debet eſſe ſupernaturalis: ſi talis ſit, tantus eſt, quantus debet. Si per impoſſibile ſupernaturalitas (quod voluerunt nonnulli) in intenſione conſiſteret (puta in gradu nono, &c. itaut qualitas intra octo priores diceretur pure naturalis, & ſi octavum excederet, ſupernaturalis) etiam Pœnitentiæ virtus, de quâ hìc, requireret intenſionem aliquam determinatam: at quia ſupernaturalitas in intentione non conſiſtit, hæc reſolutio locum non habet. Ergo remiſſiſſima Contritio ſufficit, ut deleat peccata quæcumque. Cæterùm de appretiativo aliter, quàm de iudicio intenſivo debes philoſophari. Quoniam Pœnitens, verè contritus, debet plus Deum æſtimare, quàm omnia: & plus culpam deteſtari, quàm omnia; non autem intenſiùs Deum amare, quàm omnia: eſſe enim poteſt, ut naturalis amor, quo mater v. g. filium peramat, intenſior ſit amore ſupernaturali (Charitatis actu) quo Deum diligit. MMMCXXII.

An dolor aliquem gradum intenſionis requirat. Quid ſit ſupernaturalitas? An in tantâ aut tantâ intenſione exiſtat? De appretiatione objecti, & intenſione actûs.

Qvalitas Poenitentialis.

SI petas An virtus Pœnitentiæ ſit neceſſariò, qualem pinxi: reſpondebo illam triplicem eſſe. Aliam merè naturalem, aliam ſupernaturalem imperfectam, aliam ſupernaturalem perfectam. Naturalis pertinebit ad virtutes Morales, quæ etiam in Ethnicis & Infidelibus reperiuntur interdum: & hæc ad perfectam poſitivè non videtur diſponere, ſed negativè tantùm, prout impedimenta proſcribit. Supernaturalis imperfecta poteſt & ſolet ad perfectam diſponere. Prima in amore Dei naturali conſiſtit: ſecunda in amore illo ſupernaturali, qui eſt imperfectus & vocatur *Attritio*: & ultima in amore illo ſupernaturali perfecto, qui eſt. *Contritio.* Duæ priores animam iuſtificare nequeunt: & hanc ob rem, cùm agimus de verâ pœnitentiâ, per quam gratiæ peccator reſtituitur, de hac ultimâ ſolummodò agimus, illamque nomine abſoluto pœnitentiæ intelligimus. Ergo priores duas impotentias, aut ſi vis Pœnitentias impotentes vocemus; hoc tamen diſcrimine, quod ſaltem ſecunda ſit diſpoſitio ad tertiam, quæ gratiam & iuſtificationem conſequitur. Hinc lux duobus locis, in quibus Auguſtinus ſibi contrariari videtur. *Libri de Eccleſ. dogmat. cap.* 48 ait. *Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, & in ultimo vitæ ſpiritu, ſi admiſſorum pœniteat.* At hæc non cohærent, dicet aliquis, cum his, quæ *ſerm.* 36. leguntur. Siquis *poſitus in* MMMCXXIII.

Pœnitentia naturalis & ſupernaturalis. Supernaturalis animā vel atterit, vel conterit. Nec naturalis dolor, nec ſine Sacramento attritio Animam iuſtificare poteſt. De ſummâ efficaciâ.

Et inefficaciâ Pœnitentia.

Summè periculosũ est, in mortis articulum pœnitentiã differre.

in extrema *neceſſitate*, inquit ſanctus Doctor, *voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quod bene hinc exit. Si ſecurus hinc exit, ego neſcio. Pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem non. Non quidem dico*, damnabitur. *Sed nec dico*, liberabitur. *Vis ergo à dubio liberari? Tene certum, & dimitte incertum. Age pœnitentiam, dum ſanus es; ſi ſic agis, dico tibi, quod ſecurus es, quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo peccare potuiſti, ſi vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Interim non contradicit ſibi ſanctus Pater, quoniam in priori loco, in quo Pœnitentiæ efficaciam exaltat, *Pœnitentia* nomine Contritionem intelligit: at verò in poſteriori, quando homo, antequam de Pœnitentiâ cogitet, *ſubtrahitur vitio, & fugit indignata voluptas*, putat illius moribundi dolorem eſſe purè naturalem; unde & ait, *Quia rogare illum (veniam) non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere, ſolatia, qui ſe non cogitavit moriturum.*

An ſibi ſit contrarius Auguſtinus?

An in Articulo mortis afflictio, à mortis horrore potiùs, quàm à dolore peccatorum proveniat?

Relatio Poenitentialis.

M M M-CXXIV.

MVltas hîc habitudines, & ad diverſos terminos poſſem conſiderare; ſed quia earumdem notitia non ita neceſſaria videtur, Pœnitentiam Virtutem (ago de ſupernaturali & perfectâ) cum Sacramento comparabo.

Pœnitentiæ Sacramenti & Virtutis diſcrimen.

Primò Pœnitentia Virtus, & Sacramentum Pœnitentiæ in voto impliciro, ſunt eadem omnino res diverſis nominibus ſignificata, Qui enim actum contritionis elicit deteſtatur peccatum, & implicitè confiteri deſidarat, ſi non expreſsè Imò fere ſemper expreſsè: & tunc hoc deſiderium reale non eſt novus actus voluntatis actu contritionis prædeterminatæ. Sed eſt prioris actûs extenſio.

Contritio (perfecta, aut imperfecta) includitur in Sacramẽto Pœnitentia.

Secundò Pœnitentia Virtus (imperfectam aut perfectam hoc nomine, intelligamus) eſſe poteſt Sacramenti actualis materialis pars inadæquata, ut ſuperiùs diximus: quamobrem ſe habet ad Sacramentum tanquam incluſum ad includens: eſt enim Sacramenti Pœnitentiæ materia, contritio & confeſſio: forma, abſolutio.

Hujus Sacramẽti materia eſt cõfeſſio doloroſa, aut dolor verbis aut ſignis extrinſecis ſignificatus?

An Contritio, quæ eſt ultima diſpoſitio ad gratiã, proveniat efficienter à gratiâ?

Tertiò, ad gratiam primam apud Thomiſtas comparatur ut effectus; apud Vaſquez, ut potentia: nimirùm, vel illativa, vel productiva: apud cæteros ut diſpoſitio. Hinc enim difficultates ſuas exonerat illa Phyſica Quæſtio, quæ rogat, *An ultima diſpoſitio proveniat à formâ.* Hæc eſt inter duas Pœnitentias (Virtutem, & Sacramentum) habitudo: modo breviter pœnitentium habitudines conſideremus. Ambroſius *de David. lib.* 1. cum Davide alios componens peccatores ſic inquit. *Peccavit David, quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam geſſit, flevit, ingemuit, quod non ſolent Reges: confeſſus eſt culpam, & obſecravit indulgentiam*, & iterum. *Quod David peccavit, conditionis eſt: quod ſupplicavit, correctionis. Lapſus communis, correctio ſpecialis. In culpam itaque incidiſſe naturæ eſt, dolere virtutis.* Et hunc quidam Iunior reſpiciens, ſic ſcripſit. [Auſus eſt ſua deliria Eccleſiæ & Conciliis Petrus Abaïlardus præferre, quod Hæretici ſolent: ſed pœnitentiam geſſit, flevit, ingemuit; ſuos labio & calamo retractavit errores, manu propriâ combuſſit, quod non ſolent Hæretici. Confeſſus eſt errorem, obtinuitque, ut ad Veritatis ſemitam reſtitueretur. Et quidem, quod Abaïlardus erraverit, humanæ conditionis, aut etiam cæcitatis eſt; quod ſupplicaverit & lucem à Deo poſtulaverit, Divinæ inſpirationis, quod obtinuerit Divinæ Miſericordiæ opus eſt. Lapſus ei fuit cum ſuperbis communis, ſed correctio ſpecialis. In hæreſim itaque incidiſſe, ſuperbæ doctrinæ eſt; dolere autem & lapſum deteſtati, Virtutis.]

Peccatores inter ſe cõparantur.

David cum Regibus alius collatus.

Petr. Abaïlardus, cum Hæreticis aliis collatus.

Qvando Poenitentiale.

M M M-CXXV.

Qvando

Peccator, qui non agit pœnitentiã in articulo mortis committit novũ peccatum mortale.

PEccator de reatibus ſuis agere pœnitentiam tenetur: &, ſi mortiferi illi ſint, ſub peccato mortali; quam ob rem, qui abſolutè agere pœnitentiam non vellet, non ſolùm antiqua retineret peccata, ſed novum quod *impœnitentia* diceretur, committeret. Eſt doctrina tam manifeſta & clara, ut illam Ethnici naturali lumine ſint aſſequuti. Periander.

> Ἁμαρτὼν μεταβούλευε.
>
> *Cùm peccaveris, ſubeat te Pœnitentia.*

An dolor, & peccatorum deteſtatio, ſit homini connaturalis.

Et eſt tam connaturale homini poſt ſcelus perpetratum dolere, ut Pelagius ſe ſine Dei auxilio & gratiâ veram poſſe agere pœnitentiam crediderit: & Gentilibus adhærere voluerit: nam *in Aulular.* inquit Plautus.

> *Qui homo culpam admiſit in ſe nullus eſt tam parvi pretij,*
>
> *Quin pudeat, quin purget ſe ſe.*

An ſtatim poſt peccatũ debeat converti ad Deum.

Quando agenda pœnitentia ſit?

Sed quando hæc virtus obligat? An-ne qui in peccatum labitur, ſtatim converti ad Deum, & agere pœnitentiam tenetur? An etiam quoties ſe peccaſſe meminerit? An ſaltem diebus feſtis? hos enim ſanctificare debemus [ait enim Dominus, *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*] nec alitér meliùs illos ſanctificare poſſumus, quàm ſi in illis ſanctificemur. An tandem cùm vel Baptiſmi vel Pœnitentiæ Sacramentum eſt uſurpandum.

An poſſit Pœnitentia differrit

Sanè omnes ſciunt non debere pœnitentiam differri. Inſtat æternæ damnationis periculum, & monet peccatorem Prudentia, ne morbo indulgeat, & medicinam procraſtinet. Et hanc ipſam Admonitionem Gentiles & Patres admittunt. Ovidius *lib.* 1. *de Remed. Amor.*

Magna mala & pericula ex dilatione ſequuntur.

> *Prætereà, nec te venturas differ in horas:*
>
> *Qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit.*

Et iterum *in eod. libr.*

> *Vidi ego, quod fuerat primò ſanabile vulnus,*
>
> *Dilatum longa damna tuliſſe mora.*

Et in eos, qui pœnitentiam in mortis articulum differunt, multi ſunt Patres, & præcipuè multus eſt Auguſtinus: ut enim periculoſa non ſit, fieri ante morbum debet, *Eccl.* 17. 14.

&

Digitized by Google

& 18.25. ſed & *cap.* 5. his fortiſſimis verbis monens. *Non tardes converti ad Dominum: & , ne differas de die in diem.* Exſpectat peccatorem Deus, fateor: ſed cùm punit, ſententiæ tarditatem gravitate compenſat. Auguſtinus. *Quantò diutiùs exſpectat* (Deus) *ut emenderis, tantò graviùs iudicabit, ſi neglexeris.* Ita S. Pater *de Eccleſ. dogm. cap.* 8.

Deus in iudiciis ſuis tarditatem gravitate compenſat.

M M M-CXXVI. Pelecyus Theſ. 176. Siquidem Attritio cũ Pœnitentiæ Sacramento ſufficit ad iuſtificationem, ubi illud poſſis ſuſcipere, eliciendi actum contritionis obligatiorẽ non habebis. *At vide inferiùs quomodo intelligendum ſit*, Quòd Confeſſio faciat ex attrito contritum: *puto enim id facere realiter.*

Reſpondeo ad eliciendum actum pœnitentiæ perfectæ, (hoc eſt, Contritionis) non teneri hominem ſtatim, atque peccatum admiſſum eſt: neque quoties quis recordatur ſe peccaſſe: neque quocumque feſto die: neque tandem cùm vel Baptiſmi vel Pœnitentiæ Sacramentum eſt ſuſcipiendum: nam de prioribus non reperitur divina vel humana lex, & ad Baptiſmi & Pœnitentiæ Sacramenta ſuſcipienda attritio ſufficit. Quando ergo obligat? In mortis articulo; ſi homo in ſtatu peccati mortalis ſit, & copia Confeſſarij non adſit: nemo enim poteſt licitè, ſuæ ſalutis eſſe prodigus, & liberè ad infernum procurrere.

Pelecyus Theſ. 177. *An tempore alicuius publicæ neceſſitatis (belli, peſtis, famis, &c.) detur contritionis præceptũ?*

An alias? Aliquorum ſententiâ obligat etiam, cùm mortis ſpiritualis periculum, ac neceſſitas extrema ſubeſt. Etiam cùm gravis aliqua Reipublicæ neceſſitas inſtat, in quâ piis votis ac precibus Deus placandus ſit. Ergo tempore peſtis, famis, belli, aut tempeſtatis. Ergo qui in talibus caſibus ad pœnitentiam perfectam ſeu contritionem non recurreret, non ſolùm antiqua peccata retineret, ſed duo nova committeret: alterum, quia ſuam contemneret. Sed hæc doctrina ſuas limitationes patitur, & univerſaliter vera non eſt: ſufficiens tamen ne leve univerſaliter quis iudicet, quod doctiſſimi viri univerſaliter grave, putarunt.

QVAMDIV. *An vera Pœnitentia tantam Contritionis intenſionẽ, aut tantam durationem requirat? An, & cur tempus Pœnitentiæ debeat contrahi, aut etiam interdũ produci?*

Sunt, qui in Contritione non ſolùm determinatum intenſionis gradum, ſed & determinatam temporis extenſionem, ut ad ſalutem conducerent, poſtularunt. Iam nuper agendo de Baptiſmo flaminis utrumque eſſe falſum aſſerui: & impræſentiarùm, ſi quis, *Quamdiu durare Pœnitentia debeat, ut ſit fructuoſa?* interroget: in uno illam temporis momento poſſe Animam iuſtificare reſpondebo. Ait enim *in quodam ſerm.* Hieronymus. *Apud Deum non tam valeat menſura temporis, quàm doloris: non abſtinentia tam ciborum, quàm mortificatio vitiorum; propter quod tempora pœnitentiæ pro fide & converſione pœnitentium abbrevianda præcipiuntur; & pro negligentiâ protelanda exiſtimantur, cùm pro quibuſdam culpis modi pœnitentiæ ſunt impoſiti.* Conſonat. *lib. de reparat. lapſ.* S. Ioannes Chryſoſtomus, dicens. *Nunquam ſpernit Deus pœnitentiam, ſi ei ſincerè & ſimpliciter offeratur: & , ſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad Virtutis viam, ſuſcipit libenter & amplectitur. Non enim temporis longitudine, ſed affectûs ſinceritate pœnitudo penſatur.* Et ibid. *Latro ille, qui pendebat in Cruce, non eguit, prolixitate temporis, ut ingreſſum Paradiſi mereretur; ſed tantum ei ſpatij ſuffecit, quantum expedire potuit, donec unum poſſet proferre ſermonem; ita ut intra unum momentum temporis, totius vitæ ſceleribus abſolutus, præcedere ad Paradiſum etiam Apoſtolos mereretur.*

An in uno momento latro gratiam et gloriam ſit promeritus?

ACTIO POENITENTIALIS.

VEram & rigoroſam pœnitentiam agere poteſt, qui peccatum habet; agere non poteſt qui non habet, habet qui illud cõmiſit. homo enim prudens etiam poſt receptam gratiam & condonatam culpam, habet cur doleat, imò cur magis doleat. Experitur enim Numinis infinitam clementiam, doletque ſe adverſus Deum ſibi tam bonum, olim fuiſſe tam malum.

M M M-CXXVII. *Quinam poſſint agere pœnitentiam?*

Agere veram pœnitentiam res verè difficilis, non autem impoſſibilis eſt. Difficultatem *Epiſt.* 3. *ad ſimplician.* urget S. Ambroſius: poſſibilitatem Lactantius *lib.* 6. *de Divinis Inſtit. cap.* 15. oſtendit. Sic ſcribit Præſul Mediolanenſis. *Nil peccare ſolius Dei eſt: emendare ſapientis, & corrigere erratum, & pœnitentiam agere de peccato: id tamen difficile eſt in hac viâ homini. Quid enim tam rarum, quàm ut invenias virum, qui ſe ipſum coarguat, & factum Condemnet ſuum? Rara itaque confeſſio de peccato, rara in hominibus verbi huius aſſertio. Repugnat enim* (huic nimirum confeſſioni) *natura; repugnat verecundia: Natura, quia omnes ſub peccato: qui carnem gerit culpæ obnoxius eſt. Ergo repugnat natura carnis, & illecebra ſæculi, innocentiæ integritatique. Repugnat etiam verecundia; quia erubeſcit unuſquiſque propriam culpam fateri, dum præſentia magis, quàm futura cogitat.* Quorum verborum vim non adſequeris, niſi duarum vocum, quæ ibi leguntur, ſignificationem percalleas: nam *Natura & Repugnantia* ſumi debent civiliter, exorbitaret enim Author, ſi ſumerentur Scholaſticè. *Natura* ſignificat naturam lapſam, qualem, habemus vulgò nam, ſi homo integer veniale peccatum commiſiſſet, connaturali deſiderio remedium quæreret; & , ſi confeſſio ad illud abolendum conduceret, ad confeſſionem connaturaliter inclinaretur. Et *Repugnantia*, quæ apud Scholaſticos implicat contradictionem, ibi ſolam renitentiam ſignificat: ut patet in hoc dogmate Hiſpanico. *Para perdonar ſus enemigos tiene neceſſidad el hombre de Divino ſoccorro, porque en ſu mal natural ha de hallar repugnancia.* Et quidem tametſi Pœnitentia vera, ſit apud ſæculares difficilis, apud Eccleſiaſticos multò difficilior eſt: unde S. Ioannes Chryſoſtomus Matthæi Evangelium dilucidans, *Clerici peccantes*, ait, *difficile pœnitentiam agunt; erubeſcit enim aliquando fieri reus, qui ſemper fuerat Iudex.* Et iterum. *Qui aliquando videt Clericum citò pœnitentiam agentem* (ſciat) *quod, ſi deprehenſus humiliauerit ſe, non ideò dolet, quia peccauerit; ſed confunditur, quia perdit gloriam ſuam.* Exſecrabiles erant iſti Clerici, at Exſecrabiliores illi in quos *lib. de Eccl. dogm. cap.* 48. S. Auguſtinus exclamat, *ſunt multi, quos peccare non pudet; ô incredibilis inſania! de vulnere ipſo non erubeſcis, & de ligaturâ vulneris erubeſcis. Non-ne vulnus fœtidum & putridum eſt? Confuge ergo ad Medicum; age pœnitentiam, dic*, Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccavi, *quia tu ſolus ſine peccato.*

An ſit res impoſſibilis aut ſaltem ſummè difficilis illam agere?

An, & quomodo natura & pudor peccatorum confeſſioni opponatur?

Quid Naturæ & quid Repugnantiæ nomine ſignificetur?

An ſine ſpeciali Dei auxilio poſſit homo inimicis igneſceret

Vt ut difficilis ſit Pœnitentia: non autem impoſſibilis

Digitized by Google

MMMCCXXVIII. *Poteſt per Pœnitentiā homo à peccatis reſurgere*

impoſſibilis eſt. Iam citatus Lactantius. *Nec tamen deficiat aliquis, aut de ſe ipſo deſperet, ſi aut cupiditate victus, aut libidine impulſus, aut errore deceptus, aut vi coactus, à Iuſtitia viâ lapſus eſt: poteſt enim reduci & liberari, ſi eum pœniteat actorum, & ad meliora converſus, ſatis Deo faciat.*

Quid operetur Pœnitentia?

Iam expoſuimus, quid debeat homo agere, ut veram & ſalubrem agere Pœnitentiam dicatur: modò videamus, quid ipſamet Pœnitentia, ſi ſit vera, operetur. *In libr. de Pœnit.* S. Auguſtinus hæc ſcribit. *Pœnitentia languores ſanat, lepróſos curat, & mortuos ſuſcitat; ſanitatem auget, gratiam conſervat: claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum: vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat.* Similia *tract. de laudib. Pœnit.* habet S. Cyprianus *O Pœnitentia*, inquit, *quid de te novi referam? Omnia ligata tu ſolvis, omnia clauſa tu reſeras, omnia adverſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas; omnia confuſa tu lucidas, omnia deſperata tu animas.* Hæ ſunt Pœnitentiæ operationes, à quibus tanquam à poſteriori colligere quis poterit, an habeat veram. *Quando enim ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in corde, jam tunc bene ingemiſcis ad Deum*, inquit Ambroſius *in quodam ſerm. Evangelico.*

An, & unde reſcire poſſit homo ſe veram pœnitentiam egiſſe?

De reviviſcentiâ meritorum. An per pœnitentiam poſſit peccator in majori gradu gratiæ, quàm habuerat ante lapſum reſurgere?

Et eò Pœnitentia pervenit, ut non ſolùm reum emaculet, & priſtino loco reſtituat, ſed & ad altiorem promoveat. *In ſerm. de S. Petri vincul.* Archiepiſcopus Mediolanenſis. *Fidelior factus fuit Petrus, poſtquam Fidem ſe perdidiſſe deflevit: atque ideo majorem gratiam reperit, quam amiſit.* Conſonat S. Gregorius *in Pa. cap. 54.* dicens. *Fit plerumque gratior Deo, amore ardens vita poſt culpam, quàm in ſecuritate (fuerat) torpens in ocea tia.* Et, ſi rationem, cauſamque reſcire velis, *in Moralib.* reſpondet idem Sanctus Pater his verbis. *Cùm mentem Deus ingreditur, conſtat proculdubio, quod mox Pœnitentiæ gemitus ſequatur, ut ei ſalubriter flere libeat, quæ prius in iniquitatibus flenda jucunditate gaudebat. Sed quò uberius culpa fletur, eò altiùs agnitio Veritatis attingitur: quia ad videndum lumen æternæ Bonitatis polluta dudum conſcientia lachrymis baptizata renovatur.*

Passio Poenitentialis.

MMMCCXXIX. *An Pœnitentia ſit actus immanens? Omnia vult pati pro Chriſto verus pœnitēs. An, qua patitur, ſentiat?*

CVm Pœnitentia ſit contritio, & hæc ſit actus manens, illa neceſſariò in Agente ſuſcipitur, & Effectrici, Cauſæ adhæret. Etiam Pœnitentiæ effectus (gratiam, & alios dotes) Agens recipit: nam ſunt reales & ſupernaturales qualitates, & non-extrinſecæ denominationes.

Pœnitens labores, dolores, flagella, onera, &c. pati, ferre, & ſofferre, debet. *In quad. homil.* Gregorius. *Quem verè pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: ſed quidquid ſibi pro culpa quam odit, injungitur, tacita conſcientia amplectitur.* Et in quodam ſerm. Bernardus. *Qui perfectè ſenſerit* onus peccati, *& animi læſionem; aut parum ſentiet, aut ex toto non ſentiet corporis pœnam, nec reputabit, quo peccata noverit delere præterita, & cavere futura.* Et in Epiſt. *Quid levius onere Pœnitentiæ, quod non ſolùm non onerat, ſed & portat omnem (hominem) cui importandum imponitur? Mirum opus Naturæ! Vnde proceſſit materia, inde ſarcina levigatur, & quantum creſcit in maſſa, tantùm decreſcit in pondere.* Et iterum in quod. ſerm. *Equum indomitum flagella domant, Animam imminentem contritio, & aſſiduitas lachrymarum.*

Non homo pœnitentiā, ſed pœnitētia hominē fert.

Cautiores homines redduntur poſt lapſum

Semper patiuntur pericula & diſcrimina homines? ſed minora, qui per veram Pœnitentiam ſunt gratiæ reſtituti poſt lapſum. Sunt incauti, qui nunquam videre præcipitium; & procedunt cautiſſimè, qui ſunt fragilitatem humanæ conditionis experti. Lactantius *de cultu Divin. lib. 7. cap. 24* auditor. *Muta quoque animalia, cùm fraude decipiuntur, ſi aliquo ſe modo in fugam extricaverint, fiunt poſtmodum cautiora, vitamque ſemper ea omnia, in quibus dolos inſidiaſque ſenſerunt: ſic hominem Pœnitentia cautum ac diligentem facit ad evitanda peccata, in quæ ſemel fraude deciderit.*

Vbi Poenitentiale.

MMMCCXXX. *Vbi debeamus pœnitere?*

NVlla Lex locum privatæ Pœnitentiæ determinat, at pœnæ publicæ exſolvuntur à reis in locis publicâ authoritate deſignatis. Congruentia ſæpe poſtulat, ut ubi quis peccavit, ibi etiam privatim conteratur: quòd ſi aliquos ſcandalizaverit exorbitando, oporteret, ut qui illum peccantem viderunt, pœnitentem ſuſpiciant & ſequantur.

An ſit peregrinatio loco pœnitentiæ injungenda?

Veteres jubebant pœnitentibus exceſſe à patriâ agere vitam apud exteros, & per diverſa climata peregrinari. At nunc Iuniores contrà. Vagum corpus afficit vaga mens; & tot ſunt peregrinationum pericula, ut & illæ, quæ ſanctiſſimæ per ſe ſunt, periculis ſint obnoxiæ per accidens. In cubiculo ſuo filia familias habet viam omnem, quâ ad Empyreum venitur: quin limina paterna excedat, poteſt terras deſerere, cœlum inire, cum Angelis & Sanctis converſari, Chriſto adeſſe: modo velit humilem & obedientem vitam agere, & parentibus ſuis bene ſervire.

Sitvs, et Habere Poenitentialia.

MMMCCXXXI. *Corporis diſpoſitio. Pœnitentiū habitus.*

DEbet eſſe ſitus qualis reum decet in Iudicis infiniti præſentiâ, nempe humilis; ita ut ipſa corporis demiſſio, animi demiſſionem exponat.

In cinere & cilicio multi pœnitent, alij cùm jejunant nolunt eſſe ut hypocritæ. Habenda eſt ſecreti obſervantia, ne detur occaſio ſuperbiæ: habenda eſt publicitatis etiam ratio, ne aliqui ſcandalizentur, ut omnes videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

Quinam actus publicè, & qui nam ſecretè faciendi ſint?

Si dicas, me contraria, & mutuò repugnantia docere, paucis me expediam. Reſpondebo actuū humanorū nonnullos eſſe obligatorios. Et

Et alios omni obligatione carere : illos debere fieri publicè, ut omnes ædificentur ; hos poſſe ſecretò, ne vanæ gloriæ pateat aditus.

Agro Anima ſimilis eſt.
Vitia ſunt arboribus ſimilia, altas enim in Animam radices immittunt.

Beatus Anſelmus *in ſimil cap.* 145. Animam concepit ut campum, & in ipsâ tot conſiderat arbores, quot peccata vel vitia. Habet ager arbores, & hæ circa ſe arbuſcula. Nec ipſe prior, qui vitia eſſe ſimilia arboribus exiſtimavit, nam *libr.* 1. *de Amoris remed.* Ovidius laſcivam voluptatem dilucidatus, ſic cecinit,

Intereà tacita ſerpũt in viſcera flamma,
Et mala radices altiùs arbor agit.

Quomodo ſuccidenda ſint vitia?

Vbi ſic Animam, ſic vitia conceperat Anſelmus, illam recreaturus, ait. *Quem magni alicujus pænitet criminis, ſibi eſſe agendum more arborem magnam ſuccidere volentis. Sicut enim ille minora in circuitu arbuſta prius curat ſuccidere, ne ſibi arborem ipſam ſuccidenti poſſint obeſſe : ſic & huic vitia minora illi crimini vicina prius ſunt extirpanda, neque ſibi crimen ipſum deſtruenti ferant impedimenta.* Ecce ſentiebat S. Pater, neminem ictu oculi à ſummâ virtute in peccatorum baratrum præcipitari; aut à vitiorum abyſſu ad faſtigium perfectionis adſcendere.

Nunquam ab extremo ad extremũ immediatè tranſitur.

Omnia enim per gradus fluunt & defluunt : unde à doctis Pœnitentia comparatur ſcalæ. Petrus de Alliaco Epiſcopus Cameracenſis, S. R. Eccl. Cardinalis *in Præfatione ad ſept. Pſalm. Pœnit.* ſic ſcribit.

Pœnitentia eſt myſtica quadam ſcala. Eius gradus ponuntur, & dilucidãtur.

Vera Pœnitentia velut ſcala quadam eſt, qua homo peccator, qui ſecundum Evangelicam parabolam deſcendit de Hieruſalem in Hiericho, rurſumque in Hieruſalem (hoc eſt, ad pacis viſionem) adſcendit. Hujus verò ſcala ſunt ſeptem gradus, quibus correſpondent ſeptem Pſalmi, qui Pœnitentiales dicuntur, in quorum primo *completitur Timor pœna*, in ſecundo *Dolor culpe*, tertio *ſpes veniæ*, quarto *Amor munditiæ*, quinto *Deſiderium Cœleſtis Patriæ*, ſexto *Diffidentia Virtutis propriæ*, [adde *in ſeptimo*, Recuperatio Charitatis amiſſæ.] Ergo per totidem Anima gradus ab arce Gratiæ præcipitata fuit in abyſſum peccati.

Exponitur quomodo, & per quos gradus Anima labatur in peccatum mortale?

Nam *primò*, ſponte obthurat aures, ne capitalem audiat, quâ condemnantur peccatores ſententiam; *ſecundò* obdurat cor, ne conſcientiæ remorſus ſenſibilem dolorem incutiat : *tertiò*, de veniâ impetrandâ non cogitat, ne cogitet de Pœnitentiâ : *quartò* colorata oculis applicat inſpicilla, quibus decolorentur objecta, ita ut pudenda appareant candida, & ſordida videantur munda : *quintò* incipit cœleſtia deſpicere, & amare terreſtria; & ita delectari mundanis, ut ne cogitaret quidem æternæ Beatitudinis gloriam, ſi hujus caducæ vitæ æternitas concederetur : & *ſextò*, ſibi confidens temerè, ſe exponit manifeſto periculo; unde *ſeptimò* plenè aſſentitur ſuggeſtioni peccati, quoniam qui amat periculum, perit in illo.

MMMCXXXII.

Poſt ſucciſa, aut etiã eradicata vitia debent virtutes in Animâ implantari.

Ecce qui per gradus cecideramus, per gradus erigimur à Pœnitentiâ, quæ priùs arbuſcula adcreſcentia (occaſiones peccandi) deinde arbores (ipſamet peccata) ſuccidit : & progreditur poſteà, ut Virtutes implantet. *Quid enim prodeſt*, inquit Beda, *ſpinis purgare agrum tuum, ſi non etiam aratro ſcindes eum, & ſeres in eo ſemen unde gaudeas in futuro? Ita*, & (Sylvius) *qui deſerit peccata, & ea non plangit pœnitendo, nec bonum poſteà facere conſueſcit, numquid fructuoſum eſt peccata* (materialiter) *deſerere, & bona non facere.*

Ipſum nolle peccare eſt actus Obedientia, & laudabilis.

Ita Venerabilis Pater illa, Iſaiæ verba, *Lavamini, & mundi eſtote*, devoto commentario dilucidans. Cuius conſultò verbis illud *materialiter* interſerui : nam ipſummet non peccare, ſi ſumatur formaliter, eſt obedire : & obedire, eſt bonum facere. Qui autem non propter Deum, ſed propter naturalia motiva (honorem, valetudinem, avaritiam, &c.) quæ Mundus ſuggerit, abſtinet à peccatis, is eſt, qui Venerabili Patre aſſerente bonum non facit : at hic, (non enim in modo loquendi conſentio) bonum non bene facit : rem enim bonam ob malum aut indifferentem finem facit.

FVNDAMENT. LXVI.

De Pœnitentiæ Sacramento.

MMMCXXXIII.

An debeat pœnitentia acceptari? An poſſit commutari? Materia duplex : proxima, & remota. Forma quæ? An ego in verbo abſolvo includatur? An te in tuis : & contrà? Quænam in forma abſolutionis verba ſint neceſſaria, & quæ non?

SECVNDA eſt poſt baptiſmum tabula, & confert primam gratiam. Remota Pœnitentiæ materia ſunt peccata : proxima corundem confeſſio cum attritione, & non peccandi propoſito. Forma huius Sacramenti eſt, *Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis; in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti.* An-ne omnia verba eſſentialia cenſentur? An-ne ſi omittantur aliqua erit Sacramentum invalidum? Minimè : nam pronomen *Ego* omitti poteſt, nam includitur in voce *abſolvo*. Et illud *ab omnibus* ſubintelligi poteſt ; non enim (quidquid ſit de abſolutâ) ſtando ordinariæ Dei potentiæ unum peccatum deletur ſine altero. Illud *tuis* etiam

N. B. Tametſi argumentum negativum inefficax eſſe dicatur, hoc eſt efficaciſſimum. Debuit nobis Concilium verba neceſſaria præſcribere, ne in re tantâ erraremus. Hæc non præſcripſit. Hæc igitur non ſunt neceſſaria.

Digitized by Google

De voce omnibus. *De voce peccatis.* *De Sanctiſſima Trinitatis invocatione.* *Miniſter.* *Subjectum.*

etiam ſileri poteſt, cùm, quia τὸ *tuis* clauditur in τῷ *te*; tum, quia nemo à culpis alienis abſolvitur: unde in Rituli Romani Pauli V. juſſu edito, duæ ponuntur formulæ: nempe *Ego te abſolvo à peccatis tuis.* Et etiam, *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis*, in quarum prima omittitur *omnibus*. Et in ſecunda *tuis* Et firmant hanc doctrinam Florentinum & Tridentinum: quæ illam particulam *omnibus* non apponunt. Ratio ſuaderet omitti vocem *peccatis* poſſe: ſed eam poni jubet Theologorum authoritas. Interim ultima illa *in nomine Patris*, &c. omitti, citra valoris præjudicium toleramus. Et progrediendo ulteriùs, eum qui hoc Sacramentum confert, eum qui ſuſcipit, conſideremus. Sanè Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, non quilibet, ſed approbatus. Subjectum Homo baptizatus, peccati, venialis ſaltem, reus. Pœnitentia præſervativa acceptari debet: de ſatisfactoria aliqui dubitant. Commutari in meliorem ab ipſo pœnitente poteſt.

An teneatur aliquis bis eadem peccata cōſiteri? An venialia? An ad alterutrum cogi præcepto poſſit?

An-ne aliquis cogi poterit, ut bis eadem peccata confiteatur? an ut venialia, exponat? an ne annua confeſſio in Chriſtianiſmo, & menſtrua in aliquibus. Ordinibus etiam eos obligat, qui carent peccato mortali? Reſpondeo, legem acceptatam in contractum tranſire, & qui profitetur in Ordine, in quo tale eſt ſtatutum, illud in Profeſſione acceptare: etiam qui Parochiam admittit in Diœceſi; in qua menſtrua confeſſio præcipitur. Cæterum, præſcindendo ab obligatione voluntaria, quam ſibi unuſquiſque poteſt imponere, ſi velit; quî poſſit Superior invitos ſubditos cogere, ut eadem peccata iterum confiteantur, aut venialia explicent, non video.

De Reſervatione. *Cum ſecreti jacturâ aut periculo nō tenet reſervatio.*

Poſſunt reſervari peccata, ita tamen, ut maneat illæſum confeſſionis ſigillum: nam cum ſecreti Sacramentalis jacturâ reſervationem non tenere, certum eſt. *Nota hoc ultimum bene.*

Quàm perniccioſum bellum ſit? *Belli tempore ſunt parochi, aut etiam Epiſcopi ignorantes.* *An temporalia ſpiritualibus ſint præferenda?*

PACEM publicam concedat Deus: tanta enim mala bellum infert, ut neſciam, an diuturnu[m] ad aliquid eſſe bonum poſſit? Dederunt exulcerata hæc tempora oppidis ignorantes. & peſſimè moratos Parochos, qui ab Epiſcopis tolerari debebant, quòd præſtaret eos habere quam nullos. An aliquid de Prælatis dixero? Scio eſſe aliquos, qui nihil ſciunt, & tamen audiunt Confeſſiones, Caſus reſervant, ſubditos torquent, quia dextrorſum ſiniſtrorſum gubernant: qui tamen hac rerum tempeſtate tolerantur, ne naufragante œconomia omnia perdantur. *Dabit Deus his quoque finem:* Hæc omnia Divinæ Clementiæ committamus; &, vt doctos, indoctoſque juvemus, ſequentes Diſputationes ponamus & dilucidemus.

DISPVTATIO I.

METETHICA.

De Sacramento Pœnitentiæ.

MMMCXXXIV. *Cur Chriſtus hoc Sacramentum inſtituerit?*

ALTERAM poſt baptiſmum tabulam naufrago homini conceſſit Deus: ut ſi gratiam baptiſmalem perdiderit, poſſit adhuc illam recuperare. In hunc finem Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, & Apoſtolis, cùm dixit, *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt*, dedit facultatem hoc Sacramentum pœnitentibus adminiſtrandi.

ENS POENITENTIALE.

Quid ſit.

EST quidam conceptus ſuperior, omnibus rebus communis. quæ hoc Sacramentum concernunt. Nam non ſolum, Materia & Forma hujus Sacramenti; ſed & utriuſque partes: necnon accidentia paſſiones, proprietates; qualitates, habitudines, tempus, Locus, ſitus, &c. quæ hoc Sanctum Sacramentum concernunt, *Pœnitentialia nominantur.*

Digitized by Google

SVBSTANTIA POENITENTIALIS.

Quid ſit Sacramentum Pœnitentia?

Omitto definitionem Virtutis Pœnitentiæ; non enim hîc de illâ diſſerimus: Videatur enim, ut bene intelligatur, ea ſufficere, quæ paulò ante edifferui. Ergo hîc agam de Pœnitentiæ Sacramento, & à definitione incipiens, ſic inquam. *Pœnitentia Sacramentum eſt Signum Sacramentale competentibus verbis formatum, ſignificans gratiam remiſſivam peccatorum, quæ poſt baptiſmi ſuſceptionem commiſſa.* Et ſicut alia omnia Sacramenta conſtat Materiâ & formâ.

MMMCXXXV. MATERIA. *Eſt duplex: proxima, & remota: utraque declaratur.*

MATERIA remota (duplex enim in hoc Sacramento Materia eſt) peccata ſunt, poſt Baptiſmum commiſſa; ſive venialia ſint, ſive mortalia. Proxima eſt duplex: eſſentialis & integralis. Illa Contritionem (perfectamve) & Confeſſionem: hæc ſatisfactionem complectitur. Et hanc ob rem agendo de eſſentiali hujus Sacramenti materiâ dicimus, eam eſſe confeſſionem doloroſam; vel, quod in idem recidit, dolorem per externam confeſſionem expreſſum.

CONTRITIO. *Quid ſit: & quomodo ab Attritione diſtinguatur.* *Attritio paſſim, Contritio imperfecta vocatur.*

Contritio perfecta, quæ abſolutè nominatur *Contritio*, eſt actus amoris ſupernaturalis quo amamus Deum ſuper omnia, & peccatum deteſtamur ſuper omnia, & omnia in poſterum vitare mortalia proponimus. Contritio imperfecta, quæ à Theologis vocatur *Attritio* eſt amor ex dono Spiritus Sancti, non merè Deum, ſed aut pœnas inferni, aut gloriæ carentiam reſpiciens. Proderit contemplari iſtos actus. I. *Amo Deum propter ſe: non trahor inferni metu, non gloria ſpe, tametſi illum horream, & hanc ambiam; ſed ſolius Divinæ bonitatis notitiâ. Si nullus infernus eſſet apertus peccatoribus, & juſtis nulla beatitudo præparata, adhuc Deum amarem, & ab omni me culpâ (ſaltem mortali) continerem.* II. *Amo Deum & abſtineo à peccatis; ne è libro viventium delear, beatitudine Divinâ caream, & in æternum peream.* III. *Amo Deum & à peccato abſtineo, ne in æternum condemner: obſervo legem Dei, ne in inferno dem pœnas; ſi non eſſent ſtipendia meritorum deſignata divinitus, indulgerem genio, & legem Divinam non morarer.* Primus actus eſt amoris filialis, tertius eſt timoris ſervilis: intereſt ſecundus, qui ab amore imperfecto procedit. Differentia actuum iſtorum eſt, quod primus dicat, *Non peccabo; & licèt non eſſet infernus, non peccarem:* tertius verò, *Non peccabo, ſi verò non eſſet infernus, peccarem.* Et ſecundus: *Non peccabo:* ab eo quod eſſet factus, ſi non eſſet infernus, præſcindens. Primus Amor eſt actus perfectiſſimus, & *Contritio* vocatur: conſequitur gratiam & juſtificationem, etiam ſi confeſſio impediatur per accidens: ſecundus eſt imperfectus, & vocatur *Attritio*: tertius eſt Amor adulterinus, & dicitur *Timor ſervilis*, & eſt peccaminoſus mortaliter. Et hinc debent intelligi, qui dicunt Attritionem non carere peccato, adeoque ad Pœnitentiam non ſufficere: nomine enim *Attritionis* tertium actum intelligunt, quem nos etiam de peccato damnamus.

Quid ſit Attritio? Actus vera Contritionis. *Actus Attritionis filialis.* *Actus Attritionis ſervilis.* *Explicantur.* *Notentur illa valde bene.*

MMMCXXXVI. *Contritio cū Sacramento in voto juſtificat. Filialis Attritio cum Sacramento actuali juſtificat. Sacrilegiū, qui cum ſervili confiteatur, cōmittat.*

An Contritio neceſſaria ſit?

Inquirimus, *An ſit probabilis ſententia, quæ contritionem cum Sacramento pœnitentiæ requirit?* Si ſtamus nudæ rationi, mihi non videtur probabilis: ſed quia non caret omninò authoritate, potero ſubſcribere P. Ioanni Ionghe Soc. Ieſu Sacræ Theol. Profeſſori Lovanij, qui ſemel me præſente in Theologica diſputatione præſidens dixit: *hanc opinionem eſſe tenuiter, probabilem*, hoc eſt ferè improbabilem.

Omnia Sacramenta ſunt privilegia.

Rationem, quæ me ducit, propono [Sacramentum Pœnitentiæ Privilegium eſt: Ergo aliquem favorem concedit. Atqui, ſi contritionem, & confeſſionem ſimul exigeret, non eſſet favor, ſed gravamen: Ergo. Probatur minor. Quia ante Pœnitentiæ inſtitutionem ſola contritio ad Iuſtificationem ſufficiebat: Ergo ſi hodie, non ſolùm Contritionem, ſed præter Contritionem tenemur habere Confeſſionem in re, vel in voto, gravamur. Ergo dicendum eſt privilegium hoc ad hanc formulam poſſe reduci. Videlicet, ſi Chriſtus dicat: *Debet mihi peccator contritionem, & quia hic actus eſt ſummè difficilis, ero attritione, & confeſſione contentus.*

Cur tum Sacramento Attritio ſufficiat?

MMMCXXXVII. CONFESSIO. *Quid debeat in illâ pœnitens explicare? an teneatur circumſtantias peccatorum exponere?*

Secunda pars eſſentialis materiæ hujus Sacramenti eſt Confeſſio: quæ erit bona, ſi pænitens perfectè aut imperfectè contritus, omnium peccatorum ſuorum explicet numerum & ſpeciem; eo videlicet modo, quo poteſt. Circumſtantias non mutantes ſpeciem, licèt maximè aggravantes, nemo confiteri tenetur. Qui numerum peccatorum ſuorum neſciat, bene confiteatur, ſi dicat, *A tanto tempore confeſſus non ſum, & ſingulis ſeptimanis commiſi toties hoc peccatum, plus minus.*

SATISFACTIO. *Qualis eſſe debeat inter culpas confeſſas & impoſitā pœnitentiam proportio.*

Satisfactio tertia Pœnitentiæ materialis pars eſt, & *injuriæ Deo illata expiatio quoad pœnam temporalem relictam poſt peccatum condonatum, ſecundùm Iuſtitiæ æqualitatem.* Terreris, cum verbum illud ultimum audis: nam, ſi pœna æqualis culpæ imponi debet, omnes pœnitentes deberent capite condemnari, quoniam, ne quidem iſta pœna pro uno mortali peccato erit ſufficiens. Sed, ne terrearis quæſo, quia non eſt Mathematica hæc æqualitas, ſed Moralis, & conſuetudinem, temporis & loci concernit. S. Ioannes Chryſoſtomus *in Matth.* 23. Confeſſarios inſtruit, & pœnitentes conſolatur his verbis. *Si erramus parvam pœnitentiam imponendo, melius eſt de miſericordiâ Deo rationem reddere, quàm de authoritate, ubi enim paterfamilias eſt largus, diſpenſator non debet eſſe avarus; &, ſi Deus benignus, ut quid Sacerdos auſterus?* Et iterum agens de ſcribis & Phariſæis, qui erant hypochritæ, & aliter loquebantur, & aliter operabantur, *Tales ſunt*, inquit, *qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam ponunt; quia dicunt, & non faciunt: ſic dum pœna pœnitentiæ fingitur, pœna peccati futura contemnitur, Si enim faſcem ſuper humero adoleſcentis, quem non poteſt bajulare, poſueris; neceſſe habet, ut aut faſcem abjiciat, aut ſub pondere confringatur; ſic & homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis; neceſſe*

An Confeſſarij debeāt ſuis pœnitētentibus graviores Pœnitentias imponere?

neceſſe eſt, ut pœnitentiam reijciat, aut ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccet. Multum juvat frequenter ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere. Hoc non perſuadebit Confeſſarius, graviores imponendo pœnitentias: & præſtat, ut adlectus pœnitens in profundum Purgatorium mittatur, quàm perterreatur & fugetur, ut tandem deſpondeat animo & ad confeſſionem non accedat.

FORMA. *An omnia verba, quæ in illâ ponuntur, ſint neceſſaria?*

FORMA huius Sacramenti his verbis Continetur, *Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti*, è quibus illa *Te abſolvo à peccatis*, eſſentialia ſunt; cætera, ſicut & illa, quæ etiam eis præmittuntur & ſubiunguntur, ad decentiam conducunt, nec debent omitti ſine causâ. Sed de hoc Articulo II. Diſputationis immeditatè ſequentis diſſeremus.

QVANTITAS POENITENTIALIS.

MMMCXXXVIII. *Quanam partes ad Materiam, & quanam ad Formam in hoc Sacramento pertineant?*

IN hoc Sacramento ex parte materiæ ſe tenent peccatum, dolor, & confeſſio; & ex parte formæ abſolutio; & eorum quantitatem (continuam & diſcretam) conſiderans.

An omnia peccata ſint remiſſibilia? Vltima impœnitentia eſt veniæ incapax.

Aio, nullum eſſe peccatum tam grave, nec tam multiplex, quo reus abſolvi nequeat in Pœnitentiæ tribunali, modò bene diſpoſitus ſit, & cætera requiſita non deſint. Sed quid dicemus de illis peccatis quæ nec poſſunt ignoſci in hoc ſæculo, nec in futuro? An talia dantur? Reſpondeo, ultimam impœnitentiam eam eſſe, quæ non eſt capax veniæ: quoniam impœnitentia, cuius peccatorem pœnitet, non eſt ultima.

Diſpoſitio ad abſolutionem.

Addo unicum actum contritionis (perfectæ aut imperfectæ) in quocumque gradu intenſionis ſufficere, ut pœnitens bene diſpoſitus eſſe dicatur.

MMMCXXXIX. *Qualis debeat eſſe confeſſio?*

Subiungo Confeſſionem brevem eſſe debere, claram, & æquivocationum expertem. Hiſtorias non eſſe in eà narrandas, nec aliena peccata recenſenda, ſed propria tantùm: aut ſi aliena, eo ſolo caſu, quo propria aliter explicari non poſſint.

An in illâ habeant locum Reſtrictiones Mentales?

Hæc pro Confeſſionali: addo aliquid pro Scholâ tantùm. [Volo doceri ab his, qui mentales reſtrictiones admittunt, cur non poſſint illis uti in confeſſione, quia ſi non obſunt veracitati, cur oberunt confeſſioni? Ipſi reſpondebunt, ſi volent.]

An complex nominandus ſit?

An peccata, quæ non niſi cum complice committuntur, exponi debent, etſi Confeſſarius in notitiam determinatam complicis venire queat? Si ex hac confeſſarij notitiâ damnum aliquod grave immineat aut pœnitenti, aut complici, aut totum peccatum, aut ſaltem circumſtantia, etſi novam addat ſpeciem, omitti poteſt: ut aſſerunt Doctores communiter. Ita enim habet Suarius *diſp.*22. *ſect.* 2. Machadus *lib.*2. *pag.* 4. *tract.* 5. *docum.* 4. Navarrus *cap.* 3. *num.* 7. Reginaldus *lib.6.cap.5.ſeſſ.4.per totam.* Becanus *cap.* 37. *quæſt.* 2. *concl.* 4. Sotus *diſt.*18.*quæſt.*2. *art.*5. Granadus *tract.* 9. *diſp.* 5. Filliucius *tract.* 7. *num.* 124. Lugo *diſp.* 16. *num.* 526. Sed quid, ſi nullum aliud damnum ſequatur præter meram notitiam? Variant Authores: nam alij honorem complicis integritati Sacramenti, alij hanc illi probabiles apud Doctores lego. Prima docet in confeſſione pœnitentem in caſu explicare non poſſe; ſecunda poſſe quidem, ſed non teneri; & Tertia denique poſſe & debere. Vide Leandrum *part.*1.*tract.*5. *diſp.*5.*quæſt.*60.61.& 62. ibi enim magnum Authorum numerum pro ſingulis his ſententiis invenies.

Quid, ſi ex hac declaratione nullum ille detrimentum patiatur?

MMMCXL. *Duplex Confeſſionis integritas. Alia enim eſt materialis & alia formalis.*

Hinc patet Confeſſionis integritatem eſſe duplicem: materialem, formalemque. Illa reperitur quando omnia peccata exponuntur, nullo excepto: hæc, quando aliqua licitè omittuntur. Si poſt debitam diligentiam peccatum nihilominùs aliquod ex oblivione ſubticetur, confeſſio eſt formaliter integra: quia oblivio non eſt homini libera, & ad impoſſibile nemo tenetur. Si ſubticeas circumſtantiam, quam pro tunc probabiliter debeas aut poſſis ſubticere, ne Confeſſarius in complicis notitiam veniat, Confeſſio erit formaliter integra: ſed debebis, cùm copiam habeas Confeſſarij circumſtantiam omiſſam confiteri. Cùm caſus, in quo aliquid taceri poſſit rarus aut nullus ſit, ut regula generalis, quæ rarò vel nunquam decipiat, poni poteſt, *Nihil quod mutet culpæ ſpeciem, ſubticendum.*

De peccatis ex oblivione omiſſis. De his, quæ ex causâ tacentur. Regula pro Confeſſione generali.

Qualis eſſe debeat abſolutio?

Abſolutio fit à Confeſſario poſt audita peccata: eſt enim de Confeſſione & ſatisfactione Iudicium. Et quidem veræ Pœnitentiæ umbra etiam in libris Gentilium reperitur: quoniam Menander cecinit.

> Η μετάνοια γίνετ' ἀνθρώποις
> Κρίσις.
> *Pœnitentia eſt hominibus*
> *Iudicium.*

Quæ verba, etſi ab Ethnico dicta, Chriſtianiſſima ſunt, & poſſunt his, quæ *lib. de util. pœnit.* Auguſtinus ſcripſit, clarè dilucidari ait enim S. Pater. *In tribunal mentis tuæ adſcende contrate: & te reum conſtituito ante te: noli te ponere poſt te, ne Deus te ponat ante te.*

Et quidem Sacramentalis Abſolutio iuxta præſcriptam ab Eccleſiâ formulam debet fieri: at in caſu neceſſitatis extremæ (cùm videlicet, eſt in morâ periculum, & timetur, ne ſine abſolutione moribundus diſcedat) aut gravis (cùm videlicet multi ſunt, qui volunt confiteri, & timetur ne aliquis inconfeſſus diſcedat omiſſis orationibus accidentalibus poteſt Confeſſarius tantum verba eſſentialia pronunciare, ut vel ſic plures audire poſſit.

MMMCXLI. *Iterata Cōfeſſio.*

Eadem peccata, etſi centies clavibus Eccleſiæ ſubiecta & remiſſa, poterunt iterum ſubiici, & pluries eâdem die, ſi placeat. Reincidentia in ſimilia peccata conſuetudinem parturit, quæ in alteram naturam converſa libertatem non tollit, ſed minuit, & eſt conſcientiæ, nomine novo pernitioſa. Rarò enim bene diſponitur, qui conſuetudinem non eradicat: & ſi rarò bene diſponitur, in quanto ſint æternæ damnationis periculo, qui antequam deponant inveteratam conſenſum præbendi conſuetudinem morbi aut vulneris violentiâ interimuntur ſine lachrymis perpendendum non eſt. Si neceſſa-

Reincidentia. Conſuetudo. Eius pericula.

Digitized by Google

rium ſit ad non confeſſa explicanda peccata fateri conſuetudinem, tunc tenebit illam pœnitens explicare.

QVALITAS POENITENTIALIS.

MMMCXLII. *Diſpoſitiones & indiſpoſitiones.*

HAbet ſuas indiſpenſabiles circumſtantias Sacramentalis Pœnitentia, quas poſitas *diſpoſitiones* aut *potentias*; negatas *indiſpoſitiones* aut *impotentias* nominare poterimus. Vt enim peccata in hoc tribunali ſint iudicabilia & remiſſibilia, requiritur ut ſint poſt baptiſmum commiſſa. Vt poſſit eſſe pœnitentialis contritio, aliquod debet præceſſiſſe peccatum (aut mortale aut veniale) & ut confeſſio non ſit ſacrilega, debet dolore debito non carere: & ut abſolutio ſit valida debet ſupra legitimam cadere confeſſionem.

De abſolutione moribundi qui ſenſibus eſt deſtitutus, & non poſtulavit abſolutionem.

Hæc obuia & certa ſunt: ad obſcuriora venis & quæris, *Qualis debeat eſſe Confeſſio? An-ne formalis, actualiſque eſſe debeat, an verò ſufficiat virtualis & imperfecta?* quod eſt quærere, *An moribundus ſenſibus deſtitutus, qui non poſtulavit Confeſſionem, hoc nomine ſolo, catholicè vixerit, & de facto poſtularet, ſi poſſet; aut etiam, quod vita eius anteacta deſiderium confitendi inferat, & ſi nec verbo, nec nutu ſpeciali abſolutionem poſtulet, abſolvi poſſit?* Reſpondeo me anno 1642. propugnaſſe Lovanij, caſum eſſe impoſſibilem: quomodo enim nullo ſigno dicetur abſolutionem poſtulare qui catholice vixit; nam Catholicæ Religionis profeſſio poſtulat ea omnia quæ requiruntur, ut aliquis moriatur ut Catholicus? ergo & Sacramentalem poſtulat in illo articulo abſolutionem. Ergo Catholicæ vitæ profeſſio eſt ſignum externum, & continua quædam ultimæ abſolutionis petitio. Prætereà, non auderem credere eſſe Catholicum, qui ſæpe non recitet Orationem Dominicam. Ergo dixerit, *Dimitte nobis debita noſtra.* Sed quomodo? an miraculosè? minimè. Ergo ſecundum curſum ordinarium ſibi debita dimitti poſtulat. At ordinarius modus, quo Deus in ſuâ Eccleſiâ abſolvit peccata, eſt per confeſſionem. Ergo Catholicus, quoties dicit Orationem Dominicam, ſe velle confiteri teſtatur.

An caſus, qui proponitur, impoſſibilis ſit?

Verùm enim verò (quia ſic paſſim aſſeritur) caſum poſſibilem eſſe concedamus: addamuſque ambiguos hæſiſſe in Germaniâ Theologos; at iam hodie poſt Viennenſis Vniverſitatis Reſolutionem quieſcere: ibi enim ſæpe in Scholis dictatum, ſæpe authoritate & conſenſu Theologicæ Facultatis propugnatum, etiam præſente me, probabilem eſſe ſententiam, quæ docet eiuſmodi moribundum ſub conditione poſſe abſolvi Sed quia eſt materia gravis, illam reſumam & uberius ediſſeram *n.* 3190.

Reſolutio Viennenſiũ.

MMMCXLIII. *An ſit vona conſequentia, Poteſt, ergo debet? Vide inferiùs quæ num. 3189.*

Infero eundem & abſolui debere, & hoc argumento me tueor. [Vnuſquiſque pro proximo in periculo extremo æternæ damnationis conſtituto tenetur facere quantum poteſt. At ille moribundus in extremâ neceſſitate, & extremo periculo eſt: (fortè enim opinio iſta vera eſt, & poſſet à mortali, ſi attritus ſit, abſolvi: cùm aliàs, non abſolvatur, æternum periturus ſit) Ergo pro illo debet facere quicumque Sacerdos quantum poteſt. At quicumque deſerere propriam ſententiam poteſt, & amplecti contrariam probabilis eſt, illam debet amplecti.]

dicentur, ibi enim iterũ hæc conſequentia examinatur & confirmatur.

RELATIO POENITENTIALIS.

Peccatorum inter ſe cõparatorum habitudines.

VArias habitudines habent peccata inter ſe ſe: quarum aliæ in actione & paſſione, aliæ in unitate & numero, aliæ in pondere & menſurâ fundantur. Dantur peccata quæ parturiunt peccata: dantur quæ inferunt. Finis peccaminosè intentus omnes electiones propriâ malitiâ inquinat, & quia finis malus malis artibus adquiri ſolet, multorum peccatorum eſt cauſa. Reperiuntur nonnullæ culpæ Principes, quæ habent pediſequas peiores ſe, nonnullæ hoc ſolo nomine *Capitales* dicuntur, quod ſe in Deum ſubrigant ſcelerum eximio comitatu. Sunt & Provinciales, quæ in unâ aut alterâ provinciâ ſerpunt, ab aliis abſunt. Sunt aliæ maiores & graviores, leviores aliæ: & ex hoc capite oritur venialium & mortalium diſtinctio, quæ non ſumitur à præcepto, ſed à quantitate materiæ: certum eſt enim non poſſe ſuperiorem obligare ad mortale, ſi materia ſit levis: & probabile non poſſe ad veniale, ſi materia ſit gravis.

Peccata Genitiva. Illativa. Principalia, Capitalia, Provincialia.

Vnde ſumatur venialium & mortalium diſtinctio?

QVANDO POENITENTIALE.

MMMCXLIV. *An ſit determinatum tempus pro Sacramento Pœnitentiæ?*

QVi peccatum nullum haberet, confiteri non teneretur: imò nec poſſet. Qui mortiferi peccati eſt conſcius, præcepto Confeſſionis obſtringitur: ſed quando? An cum primùm peccavit? An in articulo mortis tantummodò? Reſpondeo Confeſſionem eſſe hominibus iure divino & humano præceptam. Eſt Pœnitentiæ Sacramentum omnibus, qui poſt baptiſmum mortaliter peccarunt, neceſſarium neceſſitate medij: ſi enim iſte, nec reipſa Sacramentaliter abſolvantur, nec habeant votum & deſiderium ſaltem implicitum abſolutionis, quod in actu charitatis imbibitur, æternis cruciatibus ſunt condemnandi. Vrget divinum confitendi præceptum in periculo mortis: aut etiam cùm Sacra Euchariſtia ſumenda eſt: urget & Eccleſiaſticum communicandi annis ſingulis (ſaltem ſemel tempore paſchali) & habet præceptum confitendi connexum.

Quando præceptum Divinum & quando Eccleſiaſticum obliget.

ACTIO POENITENTIALIS.

MMMCXLV. *Miniſtri qualitas.*

CAuſa ſecunda in hoc Sacramento eſt Miniſter: & is eſt ſacerdos, poteſtate Ordinis & Iuriſdictionis præditus: quam poteſtatem concomitari debent Scientia, Probitas, & Taciturnitas.

Sacerdotij & poteſtatis connexio.

Poteſtas Ordinis Sacerdotio cohæret: & tam ſtricto vinculo: ut nemo illam habere poſſit, qui Sacerdos non ſit; & nemo illâ carere poſſit, qui Sacerdos ſit.

Iuriſdictio.

Poteſtas Iuriſdictionis eſt authoritas ordinaria ſeu delegata: nam ſicut non ſufficiunt oculi ut videas, ſed requiritur adhuc, ut aliqua corpora ſint colorata, ut illa percipias: ſic etiam non ſufficit, ut habeas poteſtatem

iudicandi

Quomodo adquiratur? An S. Th. Doctores, & Religionum Prælati poſſint quorumcunque confeſſiones audire?

iudicandi & abſolvendi ſubditos, ſi ſubditis careas? ergo ut validè liges aut ſolvas, opus eſt ut ſubditos adquiras, aut recipiendo dignitatem, quæ illos habeat (nempe Epiſcopatum, Parochiam; Abbatiam, &c.) aut participando legitimè ab eo, qui poteſt poteſtatem ſuam delegare. Hinc patet approbationem ad audiendas confeſſiones, Presbytero concedit Epiſcopus, non eſſe tantùm doctrinæ & ſufficientiæ teſtimonium, ſed traditionem ſubditorum: quam ob rem poſſet Epiſcopus dicere, *Ego fateor te eſſe doctiſſimum, ſed tamen nolo meos tibi ſubordinare ſubditos, ut illorum excipias confeſſiones.* Ergo Theologiæ Doctores, & ſuperiores Ordinum, niſi ab Epiſcopo approbentur, nequeunt ſæcularium confeſſiones audire. Nam laurea & Prælatura, ut ut de ſcientiâ & ſufficientiâ publicum teſtimonium perhibeant; juriſdictionem in conſcientias ſæcularium non conferunt.

MMMCXLVI. *Quanta ſcientia ſit requiſita?*

Scientia in Confeſſario requiritur: ſed quia hæc ſuos habet gradus, vix reperietur in tam remiſſo gradu, ut reddat invalidam abſolutionem. Vt autem quis audiat validè confeſſiones, requiritur, ut pœnitentis, qui bene confitetur, ſtatum & conſcientiam intelligat; regulariterque poſſit mortale à veniali diſtinguere, & remedia congruentia providere. Conſultò illud *regulariter* poſui; Scio enim in aliquibus caſibus doctiſſimos viros diſſentire aut etiam dubitare aut errare. Conſultò egi de pœnitente, qui bene confitetur; nam ſi ille ſe malè explicet, nec ſciat, aut poſſit liquidiùs culpas ſuas enarrare, nemo poterit ſcire, an peccaverit mortaliter, aut venialiter: ſed debebit formare dictamen ambiguum, & illum abſolutè abſolvere.

An ſemper Confeſſarius debeat, an ſit mortale peccatum, quod pœnitens confitetur, cognoſcere?

Confeſſarij probitas & fama.

Probitas etiam concurrit: non enim improbi debent in hoc tribunali divino iudicare. Notorius excommunicatus invalidè abſolveret; fortè & ſuſpenſus, nam hîc Authores variant: qui autem audit confeſſionem in peccato mortali, illicitè abſolutionem impertitur. Ergo auditurus confeſſionem, ſi in peccatum mortale lapſus ſit, debet confiteri, ſi poſſit: aut conteri ſaltem, ſi non poſſit.

An excommunicatus, ſuſpenſus, aut exiſtens in peccato mortali, poſſit confeſſiones audire?

MMMCXLVII. *Sigillum ſecreti.*

Taciturnitas Sacramentalis omnia audita in confeſſione ſigillat, & Confeſſarium ad ſecretum obſtringit: nempe præcepto divino & humano. Vnicum caſum hîc excipiunt: cùm ſcilicet pœnitens ipſe ſponte ſuâ, ſine id quidem ultrò, ſine ex iuſtâ cauſâ rogatus, dat poteſtatem Confeſſario manifeſtandi alteri, quod dixerat in Confeſſione. Hoc eſt verum quoad praxin: at corrigendus eſt modus loquendi: quod exemplis clariſſimis dilucidabo. Obſtringeris præcepto audiendi Miſſam, & debes Petro mille aureos. Diſpenſat in priori obligatione Pontifex: & Petrus debitum tibi condonat. Peto: Quid fecit Pontifex? An-ne ut Eccleſiæ legem violes ſine peccato? Minimè: ſed quod non detur erga te talis lex. Quid fecit Petrus? An-ne, ut tu alienam retineas pecuniam ſine peccato? Minimè: Quid ergo? Quod illi mille aurei ſint tui; & ſi tui, poterunt retineri Sic ſimiliter de ſigillo philoſophare. Conceſſit tibi pœnitens facultatem, ut ſuam confeſſionem reveles; & quid tibi conceſſerit, rogo. An quod violes ſigillum, & reveles ſecretum? Minimè: Sed ea, quæ tibi ſecretò dixerat, repetit formaliter aut virtualiter, & non vult te obligare ad ſecretum: & quia tu ea, quæ non ſunt ſecreta, revelas, ſigillum confeſſionis non frangis.

An poſſit concedere pœnitens, ne teneatur ad ſecretum Cōfeſſarius?

Nota id benè.

Passio Poenitentialis.

MMMCXLVIII. *Quinam ſint huius Sacramenti capaces?*

PAſſum, quod recipiendi hoc Sacramentum capax eſt, eſt homo baptizatus, qui poſt baptiſmum alicuius culpæ (mortalis aut venialis) eſt reus.

Sed non unuſquiſque poteſt abſolvi ab unoquoque. Habet Politica Iuriſdictio ſuos terminos, extra quos quæcumque actio eſt invalida: habet & Sacramentalis etiam ſuos: ſicut enim Rex Galliæ non poteſt validè iudicare Madriti, nec ſæcularis condemnare Clericum in materiâ Eccleſiaſticâ: ſic etiam approbatus Viennæ non poteſt validè audire confeſſiones Pragæ: & approbatus ab Epiſcopo, non poteſt Regulares exemptos, à peccatis abſolvere.

An ſemel approbatus poſſit ubique confeſſiones audire?

Effectvs Poenitentialis.

MMMCXLIX. *Gratia remiſſiva.*

HVius divini Sacramenti eſt gratia, ſub ratione remiſſionis omnium peccatorum mortalium, quæ poſt Baptiſmi ſuſceptionem commiſſa ſunt. Charitas (diſtinguatur à gratiâ vel non) nunquam ab eâ diſcedit. Eam comitantur virtutes morales infuſæ, & ob culpam amiſſæ: quas à Charitate nonnulli realiter, nonnulli expreſſivè diſtinguunt. Vocatur hæc gratia *remiſſiva*, & non *remittens* poteſt enim contingere ut Contritio præceſſerit & contulerit gratiam & in tali caſu gratia Sacramentalis animam mundam nullo infectam peccato reperiret.

Eam concomitantur virtutes morales infuſa.

Opera, quæ facta in mortali peccato, mortua ſunt: nec Pœnitentiæ beneficio valorem ad vitam æternam adſciſcunt. Quæ autem in gratiâ facta, etſi ſuperveniente peccato mortali mortificata fuerint, per Pœnitentiam reviviſcunt, & gloriâ æternâ cœlitùs coronantur.

Opera mortua, & mortificata.

Nequit unum mortale ſine alio remitti, poſſunt venialia: ſumma enim inter hæc & illa intercedit diſparitas. Neutra ſemel remiſſa reviviſcunt: noluit enim Clementiſſimus Deus inter prœmia & ſupplicia paritatem ſervare: at negari non poteſt ſecundum peccatum, commiſſum poſt remiſſionem primi, ingratitudinis circunſtantiam involvere, & hominem indigniorem reddere auxilio & favore divino: ſed hæc circunſtantia eſt generalis, & quia in confeſſione ſubauditur, & ſpeciem non mutat, non eſt neceſſariò explicanda.

An una culpa poſſit ſine aliâ remitti?

An reviviſcant peccata?

An ingratitudinis circunſtantia ſit in confeſſione explicanda?

Vbi Poenitentiale.

MMMCL. *An poſſimus audire confeſſiones extra Eccleſiam?*

NVlli loco in particulari obligavit hoc Sacramentum Chriſtus: nulli Eccleſiæ. Regulariter in templis fit: at poteſt & ſolet ubicumque, ſi exigat neceſſitas vel cauſa rationabilis.

Ad

Digitized by Google

Ad monaſterium N. exemptum venit Petrus cum ſuo Confeſſario: & quæritur, An ibi potuerit validè & licitè confiteri ſine licentiâ Abbatis?

An in locis exemptis? Dico Petrum, etiam in illo loco exiſtentem alicuius eſſe ſubditum; non Abbatis, ergo Epiſcopi. Ovis igitur hæc ſuum habebat apud ſe Paſtorem cui validè confiteretur: imò, ſi approbato ab Abbate conſcientiam ſuam exponeret, invalidè confiteretur. At immunitas loci poſtularet, ut licentiam peteret ab Abbate, quæ negari non poſſet. *An, ut approbatus ab Epiſcopo ſæcularium confeſſiones in Monaſterio audiat, indigeat licentiâ Prælati?* Scio enim hîc Pragæ ante aliquot menſes ſimilem licentiam cuidam Doctori Vniverſitatis negatam, & Prælatum imprudentiæ & inurbanitatis condemnatum. Doctor ille, cui fuerat illa licentia denegata, conduxit ſuum pœnitentem ad rhedam, & ibi eiuſdem confeſſionem excepit: nec invito Prælato audire illam in loco exempto eſt auſus.

Sitvs Poenitentialis.

M M M C L. *b.* *An debeat pœnitens genuflectere?*

Vidi ſæpe genuflectere utrumque (Confeſſarium Pœnitentemque) interdum vidi utrumque incumbere menſæ aut altari. Neutrum approbo. Pœnitens ſemper genuflectere debet: Confeſſarius ſedere; aut ſi ſedes non adſit, ſuper altaris cornu, aut terminum menſæ acclinari.

Habere Poenitentiale.

M M M C L. *c.* *Ornamenta An Sacerdos, ſi habitu ſæculari indutus ſit, poſſit confeſſiones audire?*

Confeſſarius, ut communes confeſſiones audiat, nullis ornamentis Eccleſiaſticis indiget. In hæreticorum regionibus habitu ſæpe militari ſacerdotes vtuntur, & hoc habitu confeſſiones excipiunt & abſoluunt.

Abſolutio ſolennis. Solet Eccleſia abſolutiones ſolennes impertiri, quæ Sacramentales non ſunt (aut ſi ſunt, eos tantùm reſpiciunt, qui habent peccata ſolummodò venialia: imò quia iſti abſolutionem conceſſuro noti non ſunt, nouo titulo Sacramentales non ſunt) & tunc pompâ feſtiuâ & ornamentis vtitur, qui illas concedit. Solet & Parochus diebus dominicis eiuſmodi abſolutionem omnibus impertiri, & iuxtà Hiſpanorum ritum his verbis. *An, & qualis concedatur à Parocho.* *Qui mortifero aliquo peccato irretiuntur, ſuo tempore & loco confitebuntur: qui autem mortali carent, dicant; Confiteor Deo* &c. tunc adiicit, *Miſereatur veſtri,* &c. *Indulgentiam, abſolutionem,* &c.

POENITENTIVM INSTRVCTIO.

Tradit brevem methodum præparandi Animam ad confeſſionem, & examinandi conſcientiam.

Tametſi toto libro conatus fuerim exponere peccata, quæ ſolent committi in Decalogum, vt habeant modum brevem & facilem examinandi ſuam conſcientiam qui confiteri velint, volo has lineas ſubſcribere.

M M M C L I. Sunt deſumptæ iſtæ Paginæ ex quadam ad Amicum Epiſtolâ.

Nihil eſt magis in totâ vitâ neceſſarium, quàm quod interrogas & addiſcere vis (Erudite Theophile) & ideò, ut te breviter inſtruens, multis prodeſſe poſſim, librum illum doctiſſimum, quem P. Ioannes Baptiſta Poza anno 1619. Madriti edidit, & *Practica de ayudar à morir,* inſcripſit, aperio; & quæ *part. 1. cap. 15.* ille docet, repono; non enim alio indigebis Magiſtro, ut dum valetudine frueris, aut fortè ut in mortis es conſtitutus articulo, conſcitentiam tuam expiare legitimè & certiſſimè valeas.

De Pœnitentis diſpoſitione.

Quænam ante Confeſſionem requirantur? Tria præreqiruntur: Dolor, Propoſitum, & Examen. Primum & ultimum ſuam latitudinem habet, at in ſecundo requiritur reſolutio & determinatio abſoluta.

Quid ſit Contritio? Contritio eſt quidam perfectiſſimus dolor, ex Dei amore ſuper omnia proveniens, qui ſine Sacramento iuſtificat, relinquit tamen obligationem confitendi, ſi tempus & locus permittat. *Quid Attritio? In quo ipſæ differant?* Attritio eſt inferioris ordinis dolor, & ideò *Contritio imperfecta* vocatur: ſine Sacramento non iuſtificat: ad Sacramentum eſt diſpoſitio ſufficiens, nec maiorem Ieſus-Chriſtus requirit. Differunt Contritio & Attritio, nam illa deteſtatur peccata propter Deum ſummè amatum: hæc propter æternam beatitudinem, quam auferunt, aut pœnas æternas, quas inferunt. Hunc dolorem hæretici Lutherus, Calvinus, & Ianſenius condemnant, & ut exiſtimo ſicut in multis aliis, hîc hallucinantur manifeſtè. *Tribus modis poteſt iungi de peccatu dolere.* Conſidera actus ſequentes. (1) *Doleo me peccaviſſe, & offendiſſe Deum, quia perdidi ius ad gloriam, & debitum æternæ perditionis incurri.* Et quid, ſi nec bonos maneret beatitudo, nec malos pœna? (2) *Adhuc amarem Deum, & ab omni peccato abſtinerem.* (3) *In hoc caſu laxarem concupiſcentiæ habenas, & liberè peccata committerem.* Primus actus, eſt præ-

ciſivus,

Digitized by Google

Quam Hæretici contritionem condemnent?

ciſivus, & vocatur *Attritio* : ſecundus eſt reduplicativus, & vocatur *Contritio* : tertius etiam eſt reduplicativus; Et dicitur *Dolor ſervilis*, Et continet novum peccatum. Hæretici *Attritionis* nomine videntur intelligere hunc tertium, ſed ſuam ignorantiam aut malitiam oſtendunt, nam *Contritionis* nomine Theologi non intelligimus tertium, ſed primum.

Quale debeat eſſe nõ peccãdi propoſitum?

Propoſitum debet eſſe univerſale, & omnem voluntatem mortaliter peccandi excludere. Intentio peccandi venialiter componi cum Attritione ſolet, & cum ipſamet Contritione poteſt : non enim opponitur Gratiæ exiſtentiæ, ſed multum impedit, & debet omni niſu deponi. Qui pericula peccandi proxima poteſt, & non vult tollere, non habet verum non peccandi propoſitum, & debet non abſolvi, quia, *qui amat periculum, peribit in illo.*

De fœminâ oppreſſâ.

Pericula, ſiqua phyſicè tolli non poſſunt, poſſunt moraliter. fœmina enim rapta, & per vim oppreſſa, ut ut non habeat phyſicas vires impediendi violentam raptoris laſciviam, non caret Divinæ gratiæ auxilio, ut poſſit negare conſenſum.

M M M-CLI. *b.*

Quale debeat eſſe peccatorũ examen?

Examen eſſe debet quantum & quale tempus & occaſio permittit. Poza. *No obliga el precepto de la Confeſſion, a que con demaſiada diligencia ſe averigue el numero de las culpas: baſta que ſe haga una prudente y mediana prevencion, y diga el penitente lo que ſiente de ſi : lo dudoſo como dudoſo, y lo cierto como cierto.* In articulo mortis (videlicet, morbo acuto, aut naufragio) debet pœnitens feſtinare & habere rationem periculi ne fortè dum accuratius vult examinare conſcientiam, moriatur ſine confeſſione, aut in delirium incidat. Poza, *Dios, que le ha pueſto en el conflicto y peligro, ſe contentará, de que llana y ſencillamente manifieſte ſus conceptos al Confeſſor : lo cierto como cierto, y lo dudoſo como dudoſo, ſegun permitte aquel preſente eſtado, y el poco tiempo, que ſe le da para prepararſe.* De peccatis dubiis alii loquuntur benigniùs. Vide inferiùs *diſſ.* 4. *à num* 3221.

Quo debeat modo pœnitens in morbo acuto, aut in extremo naufragio procedere?

An ſententia ultima ſtatim ſit executioni mandanda?

Hinc patet corrigendos eſſe aliquorum regnorum mores, debet enim Reſpublica damnatis capite aliquot ſaltem horas concedere, ut ſibi reddantur : tam enim eſt dura capitalis ſententia, & præcipuè, ſi contra expectationem fulminatur, ut reum perturbet. Ergo expectare debet Providentia Chriſtiana, ut ad ſe redeat reus, & ad mortem ſe præparet. Cæterùm, in caſu, quo hæ ſine damno publico indulgeri non poſſint, poteſt reus occidi.

De Confeſſione.

M M M-CLI. *c.*

De integritate Confeſſionis.

Debet eſſe integra materialiter, aut ſaltem formaliter. Eſt integra formaliter, in qua taces peccatum, quod ſine magno damno tuo vel proximi confiteri non potes.

De circunſtantiis aggravantibus.

Debent ſpecies & numeri peccatorum exponi. Circunſtantiæ, quæ non mutant ſpeciem, etſi malitiam notabiliter aggravent aut diminuant, ad neceſſitatem confeſſionis non pertinent.

De peccatorum numero.

Si certò ſciat numerum peccatorum pœnitens, illum determinet; ſi neſciat, numerum veriſimilem exprimat addendo particulam *plus minus.* Poza. *Quando le pareciere, que los peccados de una eſpecie ſon ciento, diga que eſſe ſera el numero a poco mas o menos : porque deſta manera, aunque ſe le acuerden cinco o ſeys de la miſma eſpecie, no tendrá obligacion de confeſſarlos deſpues.* Si neque hoc poſſit, dicat, ſe à tanto tempore non fuiſſe confeſſum, & ſolere ſingulis diebus, aut hebdomadibus, toties plus minus tale peccatum committere. Si neque hoc poſſit : dicat ſe à tanto tempore non fuiſſe confeſſum, & menſe ultimo toties peccaſſe : nam prudens Confeſſarius plus minus in notitiam veniet numeri, quem pœnitens explicare non poteſt.

Quid importet particula plus minus?

Quales debeat ſententias Confeſſarius tenere.

Circa peccatorum ſpecies Confeſſarius ſequatur benigniores Theologorum ſententias, ne ſuâ ſeveritate Confeſſionem aliàs difficilem, reddat difficiliorem.

Quæ ſint capitalia peccata, & cur ita dicantur?

Capitalia peccata dicuntur quæ ſolent multorum aliorum eſſe cauſa. Multis implicabitur difficultatibus qui illorum ſeriem ſequens, velit ſuam expiare conſcientiam. Ergo, ut facilitati conſulatur, ſequamur ordinem præceptorum Decalogi, quia ut ait Auguſtinus, *omne peccatum eſt factum, dictum, aut concupitum contra legem Divinam.* Ignorantia vincibilis eſt peccatum ob peccandi periculum. Tenetur homo in materia Fidei & morum neceſſaria ſcire. Ex ignorantiâ vincibili aut ex ſcientiâ peccare perinde eſt. Tenetur homo orare cum gravi tentatione concutitur. Qui de facto peccavit, ignorantiæ, & omiſſæ orationis, aut periculi, cui ſe expoſuit, circunſtantias non tenetur in confeſſione exponere, nam omnia hæc ſunt mala malitiâ peccati, quod committit.

De Primo præcepto.

M M M-CLI. *d.*

An contra primũ præceptum raro committantur peccata?

Notent hæc Pozæ verba Confeſſarii. *No es ordinario, ſino muy raro caer gravemente en contra eſte mandamiento.*

Contra Fidem.

Peccat graviter qui negat aut in dubium vertit aliquam propoſitionem Fidei : tenemur enim omnes credere eſſe infallibilia, quæ divinitus revelantur; & æquè eadem infallibilia eſſe decredit, qui negat, ac qui dubitat. Omnes hæreſes ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei.

Contra ſpem.

Etiam peccat mortaliter, qui de Dei miſericordiâ deſperat : aut contra tentat Deum, præſumendo, hoc eſt, miracula ſine neceſſitate poſtulando.

De odio Dei

An poſſibile ſit?

Dæmones & damnatæ Animæ Deum odio habent. Vix eſt poſſibile ut homo bene educatus Creatorem ſuum odio habeat : at, quia abyſſus abyſſum invocat, non repugnat aliquem eò perditionis venire, ut etiam in hac vitâ, Deum, quem vindicem horret, & ſibi inimicum cognoſcit, odio habeat. Sed hoc execrabile crimen eſt rariſſimum.

De blaſphemia.

An ſint ejuſdem ſpeciei?

Huc pertinent blaſphemiæ, quæ implicitum odium involvunt. Omnes, quæ hæreſim non includunt, ſive in Deum, ſive in Sanctos effuſæ, ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei. Quæ includunt hæreſim debent ſeorſim exponi, quoniam hæc circunſtantia addit ſpeciem.

De peccatis contra Religionem.

Contra hoc Præceptum peccat, qui in Paſchate non recipit Sacramenta; Item qui contra loca, res, aut perſonas Sacras, ſacrilegium committit : & etiam, qui habet expreſſum aut implicitum pactum cum Dæmo-

Digitized by Google

Ad monaſterium N. exemptum venit Petrus cum ſuo Confeſſario: & quæritur, An ibi potuerit validè & licitè confiteri ſine licentiâ Abbatis?

An in locis exemptis?

Dico Petrum, etiam in illo loco exiſtentem alicuius eſſe ſubditum; non Abbatis, ergo Epiſcopi. Ovis igitur hæc ſuum habebat apud ſe Paſtorem cui validè confiteretur: imò, ſi approbato ab Abbate conſcientiam ſuam exponeret, invalidè confiteretur. At immunitas loci poſtularet, ut licentiam peteret ab Abbate, quæ negari non poſſet. Scio enim hîc Pragæ ante aliquot menſes ſimilem licentiam cuidam Doctori Vniverſitatis negatam, & Prælatum imprudentiæ & inurbanitatis condemnatum. Doctor ille, cui fuerat illa licentia denegata, conduxit ſuum pœnitentem ad rhedam, & ibi eiuſdem confeſſionem excepit: nec invito Prælato audire illam in loco exempto eſt auſus.

An, ut approbatus ab Epiſcopo ſæcular um confeſſiones in Monaſterio audiat, indigeat licentiâ Prælati?

Sitvs Poenitentialis.

MMMCL. b.

An debeat pœnitens genuflectere?

Vidi ſæpe genuflectere utrumque (Confeſſarium Pœnitentemque) interdum vidi utrumque incumbere menſæ aut altari. Neutrum approbo. Pœnitens ſemper genuflectere debet: Confeſſarius ſedere; aut ſi ſedes non adſit, ſuper altaris cornu, aut terminum menſæ acclinari.

Habere Poenitentiale.

MMMCL. c.

Ornamenta

An Sacerdos, ſi habitu ſæculari indutus ſit, poſſit confeſſiones audire?

Confeſſarius, ut communes confeſſiones audiat, nullis ornamentis Eccleſiaſticis indiget. In hæreticorum regionibus habitu ſæpe militari ſacerdotes utuntur, & hoc habitu confeſſiones excipiunt & abſolvunt.

Abſolutio ſolennis.

Solet Eccleſia abſolutiones ſolennes impertiri, quæ Sacramentales non ſunt (aut ſi ſunt, eos tantùm reſpiciunt, qui habent peccata ſolummodò venialia: imò quia iſti abſolutionem conceſſuro noti non ſunt, novo titulo Sacramentales non ſunt) & tunc pompâ feſtivâ & ornamentis utitur, qui illas concedit. Solet & Parochus diebus dominicis eiuſmodi abſolutionem omnibus impertiri, & iuxta Hiſpanorum ritum his verbis. *Qui mortifero aliquo peccato irretiuntur, ſuo tempore & loco confitebuntur: qui autem mortali carent, dicant; Confiteor Deo* &c. tunc adiicit, *Miſereatur veſtri*, &c. *Indulgentiam, abſolutionem*, &c.

An, & quales concedatur à Parocho.

POENITENTIVM INSTRVCTIO.

Tradit brevem methodum præparandi Animam ad confeſſionem, & examinandi conſcientiam.

Tametſi toto libro conatus fuerim exponere peccata, quæ ſolent committi in Decalogum, ut habeant modum brevem & facilem examinandi ſuam conſcientiam, qui confiteri velint, volo has lineas ſubſcribere.

MMMCLI.

Sunt deſumptæ iſtæ Paginæ ex quadam ad Amicum Epiſtolâ.

Nihil eſt magis in totâ vitâ neceſſarium, quàm quod interrogas & addiſcere vis (Erudite Theophile) & ideò, ut te breviter inſtruens, multis prodeſſe poſſim, librum illum doctiſſimum, quem P. Ioannes Baptiſta Poza anno 1619. Madriti edidit, & *Practica de ayudar à morir*, inſcripſit, aperio; & quæ *part. 1. cap. 15.* ille docet, repono; non enim alio indigebis Magiſtro, ut dum valetudine frueris, aut fortè ut in mortis es conſtitutus articulo, conſcientiam tuam expiare legitimè & certiſſimè valeas.

De Pœnitentis diſpoſitione.

Quænam ante Confeſſionem requirantur?

Tria prærequiruntur: Dolor, Propoſitum, & Examen. Primum & ultimum ſuam latitudinem habet, at in ſecundo requiritur reſolutio & determinatio abſoluta.

Quid ſit Contritio?

Contritio eſt quidam perfectiſſimus dolor, ex Dei amore ſuper omnia proveniens, qui ſine Sacramento iuſtificat, relinquit tamen obligationem confitendi, ſi tempus & locus permittat. Attritio eſt inferioris ordinis dolor, & ideò *Contritio imperfecta* vocatur: ſine Sacramento non iuſtificat: ad Sacramentum eſt diſpoſitio ſufficiens, nec maiorem Ieſus-Chriſtus requirit. Differunt Contritio & Attritio, nam illa deteſtatur peccata propter Deum ſummè amatum: hæc propter æternam beatitudinem, quam auferunt, aut pœnas æternas, quas inferunt. Hunc dolorem hæretici Lutherus, Calvinus, & Ianſenius condemnant, & ut exiſtimo ſicut in multis aliis, hîc hallucinantur manifeſtè. Conſidera actus ſequentes. (1) *Doleo me peccaviſſe, & offendiſſe Deum, quia perdidi ius ad gloriam, & debitum æternæ perditionis incurri.* Et quid, ſi nec bonos maneret beatitudo, nec malos pœna? (2) *Adhuc amarem Deum, & ab omni peccato abſtinerem.* (3) *In hoc caſu laxarem concupiſcentiæ habenas, & liberè peccata committerem.* Primus actus, eſt præciſivus,

Quid Attritio?

In quo ipſæ differant?

Tribus modis poteſt pœnitens de peccatis dolere.

Digitized by Google

ciſivus, & vocatur *Attritio*: ſecundus eſt reduplicativus, & vocatur *Contritio*: tertius etiam eſt reduplicativus; Et dicitur *Dolor ſervilis*, Et continet novum peccatum. Hæretici *Attritionis* nomine videntur intelligere hunc tertium, ſed ſuam ignorantiam aut malitiam oſtendunt, nam *Contritionis* nomine Theologi non intelligimus tertium,ſed primum.

Quam Hæretici contritionem condemnent?

Quale debeat eſſe nõ peccãdi propoſitum?

Propoſitum debet eſſe univerſale, & omnem voluntatem mortaliter peccandi excludere. Intentio peccandi venialiter componi cum Attritione ſolet, & cum ipſamet Contritione poteſt: non enim opponitur Gratiæ exiſtentiæ, ſed multum impedit, & debet omni niſu deponi. Qui pericula peccandi proxima poteſt, & non vult tollere, non habet verum non peccandi propoſitum, & debet non abſolvi, quia, *qui amat periculum, peribit in illo.* Pericula, ſiqua phyſicè tolli non poſſunt, poſſunt moraliter: fœmina enim rapta, & per vim oppreſſa, ut ut non habeat phyſicas vires impediendi violentiam raptoris laſciviam, non caret Divinæ gratiæ auxilio, ut poſſit negare conſenſum.

De fœminâ oppreſſâ.

M M M-CLI. b.

Quale debeat eſſe; cæterũ examen?

Examen eſſe debet quantum & quale tempus & occaſio permittit. Poza. *No obliga el precepto de la Confeſſion, a que con demaſiada diligencia ſe averigue el numero de las culpas: baſta que se haga un prudente y mediana prevencion diga el pœnitente lo que ſiente de ſi: lo dudoſo como dudoſo, y lo cierto como cierto.* In articulo mortis (videlicet, morbo acuto, aut naufragio) debet Pœnitens feſtinare & habere rationem periculi ne fortè dum accuratius vult examinare conſcientiam, moriatur ſine confeſſione, aut in delirium incidat. Poza, *Dios, que le ha pueſto en el conflicto y peligro, ſe contenta, de que llana y ſencillamente manifeſte ſus conceptos al Confeſſor: lo cierto como cierto, y lo dudoſo como dudoſo, ſegun permitto aquel preſente eſtado, y el poco tiempo, que ſe le da para prepararſe.* De peccatis dubiis alii loquuntur benigniùs. Vide inferiùs *diſp.4. à num.3225.*

Quo debeat modo pœnitens in morbo acuto, aut in periculo naufragij procedere?

Hinc patet corrigendos eſſe aliquorum regnorum mores, debet enim Reſpublica damnatis capite aliquot ſaltem horas concedere, ut ſibi reddantur: tam enim eſt dura capitalis ſententia, & præcipuè, ſi contra expectationem fulminatur, ut reum perturbet. Ergo expectare debet Providentia Chriſtiana, ut ad ſe redeat reus, & ad mortem ſe præparet. Cæterùm, in caſu, quo hæc ſine damno publico indulgeri non poſſint, poteſt reus occidi.

An ſententia ultima ſtatim ſit exſequutioni mandanda?

De Confeſſione.

M M M. CLI. c.

De integritate Confeſſionis.

Debet eſſe integra materialiter, aut ſaltem formaliter. Eſt integra formaliter, in qua taces peccatum, quod ſine magno damno tuo vel proximi confiteri non potes.

De circumſtantiis aggravantibus.

Debent ſpecies & numeri peccatorum exponi. Circumſtantiæ, quæ non mutant ſpeciem, etſi malitiam notabiliter aggravent aut diminuant, ad neceſſitatem confeſſionis non pertinent.

De peccatorum numero.

Si certò ſciat numerum peccatorum pœnitens, illum determinet: ſi neſciat, numerum veriſimilem exprimat addendo particulam *plus minus*. Poza. *Quando le pareciere, que los peccados de una eſpecie ſon ciento, diga que eſſe ſera el numero a poco mas o menos: porque deſta manera, aunque ſe le acuerden cinco o ſeys de la miſma eſpecie, no tendrá obligacion de confeſſarlos deſpues.* Si neque hoc poſſit, dicat, ſe à tanto tempore non fuiſſe confeſſum, & ſolere ſingulis diebus, aut hebdomadibus, toties plus minus tale peccatum committere. Si neque hoc poſſit: dicat ſe à tanto tempore non fuiſſe confeſſum, & menſe ultimo toties peccaſſe: nam prudens Confeſſarius plus minus in notitiam veniet numeri, quem pœnitens explicare non poteſt.

Quid importet particula plus minus?

Quales debeat ſententias Confeſſarius tenere.

Circa peccatorum ſpecies Confeſſarius ſequatur benigniores Theologorum ſententias, ne ſuâ ſeveritate Confeſſionem aliàs difficilem, reddat difficiliorem.

Quæ ſint capitalia peccata, & cur ita dicantur?

Capitalia peccata dicuntur quæ ſolent multorum aliorum eſſe cauſa. Multis implicabitur difficultatibus qui illorum ſeriem ſequens, velit ſuam expiare conſcientiam. Ergo, ut facilitati conſulatur, ſequamur ordinem præceptorum Decalogi, quia ut ait Auguſtinus, *omne peccatum eſt factum, dictum, aut concupitum contra legem Divinam.* Ignorantia vincibilis eſt peccatum ob peccandi periculum. Tenetur homo in materia Fidei & morum neceſſaria ſcire. Ex ignorantiâ vincibili aut ex ſcientiâ peccare perinde eſt. Tenetur homo orare cum gravi tentatione concutitur. Qui de facto peccavit, ignorantiæ, & omiſſæ orationis, aut periculi, cui ſe expoſuit, circumſtantias non tenetur in confeſſione exponere, nam omnia hæc ſunt mala maliâ peccati, quod commiſit.

De Primo præcepto.

M M M-CLI. d.

An contra primũ præceptum rarà committantur peccata?

Notent hæc Pozæ verba Confeſſarii. *No es ordinario, ſino muy raro caer gravemente in culpa contra eſte mandamiento.*

Contra Fidem.

Peccat graviter qui negat aut in dubium vertit aliquam propoſitionem Fidei: tenemur enim omnes credere eſſe infallibilia, quæ divinitùs revelantur; & æquè eadem infallibilia eſſe decredit, qui negat, ac qui dubitat. Omnes hæreſes ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei.

Contra Spem.

Etiam peccat mortaliter, qui de Dei miſericordiâ deſperat: aut contra tentat Deum, præſumendo, hoc eſt, miracula ſine neceſſitate poſtulando.

De odio Dei An poſſibile ſit?

Dæmones & damnatæ Animæ Deum odio habent. Vix eſt poſſibile ut homo bene educatus Creatorem ſuum odio habeat: at, quia abyſſus abyſſum invocat, non repugnat aliquem eò perditionis venire, ut etiam in hac vitâ, Deum, quem vindicem horret, & ſibi inimicum cognoſcit, odio habeat. Sed hoc execrabile crimen eſt rariſſimum.

De blaſphemiis. An ſint ejuſdem ſpeciei?

Huc pertinent blaſphemiæ, quæ implicitum odium involvunt. Omnes, quæ hæreſim non includunt, ſive in Deum, ſive in Sanctos effuſæ, ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei. Quæ includunt hæreſim debent ſeorſim exponi, quoniam hæc circumſtantia addit ſpeciem.

De peccatis contra Religionem.

Contra hoc Præceptum peccat, qui in Paſchate non recipit Sacramenta; Item qui contra loca, res, aut perſonas Sacras, ſacrilegium committit: & etiam, qui habet expreſſum aut implicitum pactum cum Dæmone,

Digitized by Google

ne, quale in Artibus ſuperſtitioſis & maleficiis reperitur.

De ſecundo Præcepto.

M M M- C L I. e. *De Iuramento.* *De Perjurio.* *De conſuetudine jurandi.*

IVramentum eſt actus virtutis, ſi verax & neceſſarium ſit. Iuramenta vera non neceſſaria ſunt venialia. Omnia, quæ contra veritatem, aut in dubio emittuntur, & promiſſoria, ſi intentione implendi careas, ſunt peccata mortalia, & ejuſdem infimæ ſpeciei. Conſuetudo jurandi ſolet eſſe peccatum mortale ratione periculi: qui enim frequenter jurat, dum non examinat, an verum ſit, quod jurat, ſe periculo exponit pejerandi. Iurare per Deum, Sanctos, aut Crucem perinde eſt, Qui jurat ſe facturum rem bonam, juramento tenetur: qui autem ſe facturum rem malam, peccat quidem jurando, & non implere juramentum tenetur.

Parentum minæ & iuramenta effuſa in filios, minus ſignificant, quàm ſonãt.

Non ſtatim dicendus eſt perjurus pater qui crurifragium minatur filio, & minas juramento confirmat: non enim verba ſignificant quantum ſonant, nam in caſu circunſtantiis conſignificantibus loci, temporis & perſonæ reſtringuntur. Poza. *Se obſerve, que no ſe han de tener por Iuramentos aquello adonde ſe vee, no ay animo de jurar, como entre padres, hijos, y amigos; que miradas las circunſtancias, muchas vezes conſta, que no ſe jura, aunque las palabras pareſcan juramento.* Sed in hoc confeſſarius cum prudentiâ procedat.

Super lapidẽ iurare, eſt jurare per ſtatuã idoli, & περὶ ἐξοχὴν eſt iurare per Iovem.

Sed occurrunt duo S. Auguſtini teſtimonia, quæ ſunt difficilia, & indigent dilucidatione. Sanctus Pater ſic ait. [Ecce dico Charitati veſtræ, & qui ſuper lapidem falſum jurat, perjurus eſt. Vnde hoc dico? quia multi etiam in hoc falluntur, & putant quia nihil eſt per quod jurant, non ſe crimine teneri perjurii, prorſus perjurus eſt: quia per id, quod ſanctum non putas, falſum juras. Si tu illud ſanctum non putas, ſanctum puta cui juras: non enim quando juras, tibi aut lapidi, ſed proximo tuo putas, homini juras ante lapidem, ſed nunquid non ante Deum? non te audit lapis loquentem, ſed punit Deus te fallentem.] Ita S. Pater *in ſer. & hab. 22. q 5. Ecce dico* Per lapidem intelligit ſtatuam Idoli, per quam ab Ethnico adjuratus Chriſtianus, ac ſi nihil faceret, jurat. Se clariùs exponit *ibid. can. movet.* inquit enim. [Movet te, utrum eius fide utendum ſit, qui ut eam ſervet, per dæmonia juraverit. Vbi te volo prius conſiderare, vtrum ſi quiſpiam per Deos falſos juraverit; ſe fidem ſervaturum: & eam non ſervaverit: non tibi videtur bis peccaſſe? ſi enim tali jurationi promiſſam ſervaret fidem. ideo tamen peccaſſe judicaretur, quia per falſos Deos juraverit ſe fidem ſervaturum. Illud autem nemo reprehenderet, quia fidem ſervaverit. Nunc verò, quia & juravit per quos non debuit. & contra pollicitam fecit fidem, quod non debuit: bis utique peccavit. Ac per hoc qui utitur fide illius, quem conſtat juraſſe per falſos Deos, utitur non ad malum, ſed ad bonum & licitum, non peccato illius ſe ſociat qui per dæmonia juravit.]

An per Deos alienos iurare liceat? *An tenentur ſervare fidem, qui per Deos alienos juraverat?* *An liceat admittere Ethnici juramentum per falſos Deos jurantis?*

Aſſerit ergo Sanctus Auguſtinus *primò* jurare per falſos Deos, eſſe peccatum. *Aſſerit ſecundò*, jurare per falſos Deos, & fidem proximo ſervare, eſſe unum peccatum. Hîc autem nota, ſervare fidem proximo, eſſe actum bonum: at ſervare fidem proximo propter juramentum per Deos falſos emiſſum eſſe actum ſimul bonum & malum: bonum ratione objecti, & malum ob circunſtantiam mali finis. *Aſſerit tertiò*, jurare per falſos Deos, & fidem promiſſam violare, eſſe duo peccata. *Aſſerit quartò*, me licitè poſſe admittere juramento Ethnici: qui per falſos Deos jurat: aliàs enim nulla ſecura pax & concordia inter Chriſtianos & Idololatras inveniretur.

De Tertio.

DEbet Chriſtianus audire miſſam integram die feſto. Hoc præceptum violat, qui illam non audit; & qui non integram. Qui garrit, & extrinſecè diſtractus eſt: ita enim ſe habet, ac ſi non audiret miſſam, diſtractio interna hoc præceptum non violat. Pars miſſæ magna Pozæ opinione eſt quadrans. Ergo qui quintâ miſſæ parte garrit aut abeſt, peccat venialiter. Hinc patet non peccare graviter, qui ante Evangelium incipit audire miſſam.

M M M- C L I. f. *De auditione Miſſæ.*

Debet etiam obſervare dies feſtos abſtinendo à labore ſervili. Servilem laborem vocamus, eum, qui ab ingenio, & attentione non dependet, ut fodere, onera trahere, &c. Sſcribere, exſcribere, pingere, ſculpere, & ſimilia, magnam attentionem & ingenium requirunt, & ideò non poſſunt laboribus ſervilibus adnumerari. Laborare una horâ aſſerit Poza eſſe veniale.

De abſtinentiâ à labore ſervili.

Debet jejunare diebus ab Eccleſiâ indictis. In collatione octo unciæ permittuntur à Poza. Potus uſualis non violat jejunandi præceptum. Idem eſt quærere, An chocolatum jejunium violat? ac quærere, An ſit potus uſualis? Poſtquam de hac materia doctiſſimam diatriben edidit Eminentiſſimus Cardinalis Brancacius, illud jejunij diebus ſine ſcrupulo ſumimus. Duæ unciæ cenſentur eſſe materia parva.

De jejunio. Quanta poſſit eſſe collatio. *De chocolato.*

Huc reducit Poza non ſolvere decimas, & agere cum excommunicatis.

De decimarum ſolutione.

De Quarto.

PArentes debent curare & inſtituere filios, heri famulos, Domini ſervos. Filii famuli ſervi tenentur obedire & ſervire. Huc Poza curam mariti & uxoris reducit.

M M M- C L I. g. *Superiores habere debent curam inferiorum: & hi ipſis obedire tenentur.*

Ergo peccant Patres-familias qui non adhibent diligentiam, ut ſui ſubditi ſciant doctrinam Chriſtianam, legem Dei obſervent, & nemini moleſti ſint. Filij & famuli obedire tenentur. Et, ſi in re graviter neceſſariâ non obediant, mortale peccatum committent.

De Quinto.

M M M- C L I. h. *Honos eſt duplex: eſſentialis & accidentalis.*

HOnos aut eſſentialis, aut accidentalis eſt. Dicitur *eſſentialis*, ſine quo homo infamis redditur; *accidentalis*, qui ad vitæ majorem ſplendorem conducit. Ille æquiparatur vitæ, hic fortunis.

De homicidio reali & morali.

Qui hominem manu, mandato, aut conſilio

Digitized by Google

De abortu.

conſilio vulnerat, aut occidit, aut infamem reddit, peccat mortaliter. Etiam ille, qui non impedit, cùm poteſt & debet. Procurans abortum prolis animatæ eſt homicida, & cenſuras incurrit. Vix eſt poſſibilis abortus prolis inanimæ, anima enim rationalis multò citiùs corpori infunditur, quàm præſcribunt Ariſtotelis Canones. De hoc argumento doctiſſimè P. Florentinus ſcripſit; & Ego, quia pluries fui conſultus, pluries reſpondi. Modò tantùm placet referre verba Petri Gaſſendi, qui curioſe rem examinavit, & *tom. 2. ſect. 3. libr. 4. cap. 4. pag. 281. b.* [Porrò, quia ex antè relatis illa Ariſtotelis ſciſſio ex informi carne, ſeu articulatio conſpicua tantum temporis non ſpectat; ac præter fœtum memoratum dierum duodecim, obſervata eſt etiam ab Hipocrate delineatio in fœtu dierum non ampliùs ſeptem; idcircò ſuppoſitâ etiam delineationis neceſſitate ad infuſionem Animæ; videretur Animæ infuſio, reduci ſaltem poſſe ad diem ſeptimum, neque eſſe trigeſimum, quadrageſimum, octogeſimum, aut nonageſimum expectandum. Quamquam id ne adhuc tempus congruum ſit Deus ſolus hactenus novit.] Alij primo, aut ſecundo, aut tertio ad ſummum die eam infundi aſſeverant. Qui negat cibos in extremâ neceſſitate conſtitutis mortaliter eſt homicida. In republicâ bene gubernatâ rarò aut nunquam datur extrema neceſſitas.

Quo anima Rationalis die creetur à Deo, & in materiam infundatur?

N. B. Si Anima vi diſpoſitionē requirit, quod corpus organicum ſit, non erit Anima, vbi non ſit organizatio: at certius eſt ipſam Animam organizationis eſſe cauſam. Ergo, ſi hoc ſit verum, priùs in materiâ erit Anima, quàm vlla organizatio percipiatur.

De extremâ neceſſitate. De invidiâ quale peccatum illa ſit? Quomodo ſit in confeſſione explicanda?

Deſiderare ex odio aut invidiâ mortem, morbum, infamiam, paupertatem, &c proximo eſt mortale. De hoc Poza doctiſſimè. *Si deſeó*, inquit, *muerte, herida, infamia, o mal grave en hazienda a otro por embidia, o odio; baſtará dezir, ſi el deſeo fué en materia grave de honra, o de vida, o de hazienda, ſin eſpecificar mas: porque todos los daños de hazienda ſon de una eſpecie: y en proporcion es lo miſmo en los daños de vida, cuerpo, y honra.* Qui ſibi complacet ob mortem, morbum, vulnus, infamiam, bonorum jacturam &c. quæ patitur proximus, ſi hæc ipſa complacentia ex odio aut invidiâ naſcatur, peccat mortaliter. Qui verbis graviter contumelioſis proximum affligit, peccat graviter. Verba parentum, quia nunquam quantum ſonant ſignificant, rarò cenſentur eſſe graviter contumelioſa.

De verbis injurioſis.

De Sexto.

M M M-CLII.

Varia ſunt fornicationum ſpecies.

OMnis copula extra matrimonium eſt peccatum mortale. explicari in confeſſione debet, an fuerit ſimplex inter ſolutos: an adulterina, cùm alter, vel uterque eſt conjugatus: an ſodomitica inter viros: an ſacrilega, cùm alter, vel uterque voto caſtitatis obſtringitur: an inceſtuoſa, qualis inter cognatos, & affines: an per violentiam.

An omnia vota ſint ejuſdem infimæ ſpeciei?

Fœmina, quæ vel Sacerdoti, vel Diacono, vel ſubdiacono, vel Religioſo clauſtrali, vel Equiti militari, vel viro ſimplici voto caſtitatis obſtricto ſe proſtituit, ſatisfacit in confeſſione dicendo, *Cum viro obſtricto voto caſtitatis fornicata ſum*: nam omnia vota ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei. Idem ſuo modo dicendum de viro qui cognovit Monialem, aut voto ſimplici caſtitatis obſtrictam.

M M M-CLII. b.

Pollutio ſimplex tactibus propriis committitur: &, ſi reus teneatur caſtitatis voto, eſt ſacrilega. Si tactus ſunt alterius perſonæ, etiam hujus qualitas eſt explicanda. Si poſt inceptam copulam ſemen extra vas dimittatur, debet in confeſſione exponi: hoc enim peccatum: inter conjugatos eſt pollutio: inter ſolutos, fornicationis & pollutionis ſimul malitiam habet. Si copula aut pollutio committatur in Eccleſiâ, debet pœnitens hanc circumſtantiam explicare. Pollutio incepta eſt peccatum mortale: an incepta aut completa fuerit debet exponi. Omnis delectatio moroſa eſt peccatum mortale, cùm quia eſt pollutio incepta, tum quia habet ulteriùs progrediendi periculum. Objecta, quæ ſibi proponit, qui moroſè delectatur pollutur, debere in confeſſione exponi docet Poza: ſed, ſi conſenſus in rem abſit (puta, cùm Petrus non vult monialem tangere, ſed cogitare) probabilior, ſententia illum ab hoc onere excuſat. Conſiderare res turpes ſine delectatione laſcivâ, & ſine periculo, ſed ex bono fine, ut faciunt Doctores, qui de hac materiâ ſcribunt, bonum eſt: debet tamen abſtinere, qui cognoſcit periculum. Sanè de periculo varie ſcribunt Anthores. Periculum proximum in multorum ſententiâ non eſt, quod non eſt evidens. Poza. *Finalmente ſe confieſe de los peligros, en que ſe ha pueſto, evidentes de caer eſtando à ſolas con perſonas, que ya otras vezes han ſido ſu lazo.* Ergo periculi notitia ſumitur ab experientiâ (propria aut alienâ) & niſi evidens ſit, non cenſetur proximum.

De pollutione. De copulâ inceptâ. De delectatione moroſâ. De periculo. Quando ſit proximum?

De Septimo.

M M M-CLII. c.

Omnia furta, ſunt ejuſdem ſpeciei.

OMnia furta intra lineam furti ſunt ejuſdem ſpeciei. Ergo *materiam gravem furatus ſum*, debet dicere pœnitens; non autem tenetur explicare materiam furto ablatam: nam furari metallum rude, factum, cuſum, veſtes, animalia, &c. perinde eſt. Sed neque debet exponere quantum furatus ſit, modò ſe rem gravem abſtuliſſe fateatur: nam majoris furti circumſtantia non addit novam ſpeciem, ſed aggravat intra eamdem ſpeciem.

De furto ſacrilego.

Sacrilegij circumſtantia poteſt furto adhærere: nota tamen furari rem ſacram de loco profano, aut profanam ex ſacro, aut ſacram ex ſacro, eſſe furta ſacrilega, & ejuſdem ſpeciei: An, qui rem ſacram è loco ſubripit duo peccata, numero diſtincta committit? Aſſerere debet Scotiſta, & Thomiſta negare.

De reſtitutione.

Furtum ſequitur reſtituendi obligatio: qui non vult reſtituere, non committit novum peccatum, ſed in priori perſeverat.

De Octavo.

M M M-CLII. d.

De violatione ſecreti.

QVæ ſecretò ſciuntur, ignorantur moraliter: mentitur igitur, qui falſa, & qui ſecreta dicit. Ergo, qui ſecretum promiſſum in materiâ notabili violat, peccat mortaliter. Qui ſigillum confeſſionis violat, mentitur & ſacrilegus eſt. Sed de hoc *à numer. 34*.. ulteriùs diſputabo.

De detractione.

In detractione conſideratur damnum, quod infertur: unde dicere de milite, quod iverit ad meretricem, etiamſi falſum ſit, non eſt mortale: quia ille ſtando hujus ſæculi mori

moribus depravatis (niſi per accidens aliud acceſſerit) ex hoc crimine honorem non perdit. Si ſit aliqua venialis culpa, quæ viro Eccleſiaſtico magnum dedecus inferat, qui hoc peccatum falſo imponat, aut ſecretum detegat, peccabit mortaliter. Ponit exemplum Poza. *Quantas vezes à murmurado de culpas veniales agenas, deſſuerte que ſea peccado mortal la murmuracion, mirada la calidad de la perſona, como ſi ſe dixeſſe de un Obiſpo o Religioſo bien acreditado, que ſon mentiroſos, dado que el mentir en ellos no ſea culpa mortal.* Sanè audivi ſemel Principem N. dicentem, *Mentitur ſummus Pontifex.* Et ego illi, *Pontifex, ſi mentitur, quod non credo, peccat leviter: at tu dicendo illum mentiri, peccas graviter, eſt enim graviter ignominioſum, virum eſſe mendacem.* Et verè ita eſt: nam propter unum *mentiris*, duella & homicidia ſæpe accidunt.

An, quæ de re levi eſt, poſſit eſſe peccatum mortale?

Iudicia temeraria in materiâ graviter ignominioſâ ſunt peccata mortalia. Non præcipit homini Deus, ne ſit rationalis, ſed ne temerè judicet; judicat temerè & irrationabiliter, qui ſine fundamento judicat vel dubitat: qui autem ex levibus dubitat, & ex gravibus judicat, non poteſt temerarius vocari.

De temerario judicio. N. B. Non iubet Deus, ne homines judicent, ſed ne temerè iudicent.

De Nono, & Decimo.

MMMCLII.e. *Quæ deſideria ſint peccata, & quæ non.*

DEſiderare rem, quæ cum peccato acquiritur, eſt peccatum. Quæ ſine peccato haberi poteſt, eo modo quo ſine peccato haberi poteſt, ſine peccato deſideratur. Saltem omnia, quæ in ſecundâ tabulâ interdicuntur ſine peccato fieri poſſent ex diſpenſatione Divinâ. Non ergo peccaret Sacerdos, qui diceret, *Teneor Caſtitatem ſervare, & illam puriſſimè obſervabo: at deſiderarem, quod Deus, aut Pontifex me ab hac obligatione liberaret.* Deſiderare alicui mortem, morbum, paupertatem, &c. non ex odio aut invidiâ, ſed ex bono fine, non eſt peccatum.

De meretricum permiſſione.

Non omnes, nec ſemper tenentur impedire peccata: unde licitè meretrices permittuntur, ne infanda peccata committantur. Si eſt verum, quod clamabat Valboa Regius Fiſcalis, meretrices ſui corporis copiam etiam contra naturam concedere, illæ tolerari non poſſunt.

Volenti majus peccatum committere poteſt licitè ſuadere minus in eadem ſpecie. Vnde volenti Petronillam occidere, licitè ſuades ut eam pugnis excipiat, non autem ut cum ea fornicetur. Cæterùm, volenti Ioannem occidere licitè ſuadebis, ut ſpoliet; hoc enim facis non ex naturâ rei, nam hinc oppoſitum inferri poſſet, ſed ex tacitâ Ioannis licentiâ, qui cenſetur poſſe & velle potiùs pecuniis privari, quàm vitâ. Interim, non omninò aſſentior huic doctrinæ; nam ille invaſor, ſicut non occidere, ſic etiam non furari tenetur: & tuo conſilio duo committet peccata mortalia, qui ſibi relictus unicum commiſiſſet. Rem doctiores accuratiùs examinent.

An, & quando minus peccatū poſſit conſuli?

Iubere, conſulere, favorem aut aſſiſtentiam dare alicui, ut peccet, eſt peccatum. Velle peccare etiam peccatum eſt. Gaudere ſe peccaviſſe, etiam eſt peccatum. Cæterùm, ſi Iuſſio, conſilium, aut auxilium non ad ſubſtantiam peccati, ſed ad circumſtantiam indifferentem concurrat non eſt peccatum: undè illi qui habent reſolutionem peccandi in loco A ſuadere licitè poteris ut peccet in loco B. ſi fortè ibi inconvenientia timeantur, quæ ceſſant hîc. Sed in his, niſi prudenter quis procedat, facillimè poterit adlucinari.

De cooperatione. *Aliud eſt ad peccati ſubſtātiā, & aliud ad circunſtantiam concurrere.*

De Pœnitentiis.

MMMCLII.f. *Pœnitentiæ aliæ ſatisfactoriæ ſunt, aliæ medicinales.*

MEdicinales omninò impleri debent: &, qui illas omittit, cenſetur non habere firmum non peccandi propoſitum. Cæteræ, quæ ſatisfactoriæ ſunt, aliter obligant, & negligentia luitur in Purgatorio: putamus tamen Confeſſarium in his non velle ita obligare Pœnitentem, ut loco unius non poſſit aliam æquivalentem ſubrogare.

Si ſperetur, ut frequentius pœnitens ſit ad hoc ſacramentum acceſſurus, erit laudabile leviores pœnitentias imponere: contingit enim homines duros ſeveritate Confeſſarij terreri, & ideò interdum expedit cum parvâ illos pœnitentiâ in profundum Purgatorium mittere, quàm terrendo cogere, ne confiteantur, & crimina liberius committant, aut tandem ad Infernum perveniant.

An pœnitentiæ graves imponi debeant?

DISPVTATIO II.

Quæſtiones præcipuas, quæ Pœnitentiæ Sacramentum concernunt, ediſſerens in particulari.

MMMCLIII. *Pœnitentiæ neceſſitas. Confeſſionalia divinitùs conſtituta ſunt duo: alterum in Eccleſia, alterum in Inferno. Qui in hac vitâ noluerit illa ritè confiteri, eadem in inferno æterno dedecore & cruciatu afficitur.*

DVo Confeſſionalia inſtituit Deus pro gravibus Chriſtianorum culpis: alterum in Eccleſia alterum in Inferno, qui enim noluerit commiſſa crimina confiteri dum vivit, cogetur eadem vel invitus confiteri poſt mortem: & qui lugere noluerit in hac vitâ, effundet inutiles lachrymas in alterâ, æternùm infamis & miſer. Ne igitur inutiliter culpas tuas poſt mortem lugeas apud Inferos, luge dum vivis; & ut benè, & utiliter, ad Sacramentum Pœnitentiæ confuge, & in Sacerdotis, qui Chriſti vices ibi gerit, gremium totam tuam conſcientiam effunde.

ARTI

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

De Confeſſione.

De Confeſſionis præcepto. Quo tempore incipiat obligare?

OBLIGANTVR Confeſſionis præcepto pueri ab anno ætatis ſeptimo, ſicut ad omnia alia præcepta Eccleſiæ, de quibus lege naturali aut poſſitivâ aliter cautum non eſt. Conſultò hanc limitationem appoſui; quoniam cautum eſt lege naturali, ne Sacramenta recipiat, qui non ſatis bene intelligit quantâ illa debeat reverentiâ recipere; unde ſi aliquis ſeptimo, aut etiam octavo aut nono ætatis anno non videatur capax, non poterit abſolvi abſolutè; ſed in dubio poterit ſub conditione. Et quia maior notitia requiritur ad Euchariſtiam (ſic dicunt) non ſtatim ac quiſpiam poteſt confiteri, ad Euchariſtiam accedere ſolet permitti. Leges etiam Eccleſiaſticæ erga pueros benignæ ſunt, nam ieiunij præceptum ante viceſimum-primum annum non obligat. Et cenſuræ non concernunt impuberes: unde puer, ſi homicidium committat, non fiet irregularis. [Incurret tamen excommunicationem, ſi percuſſerit clericum quia ſic hæc excommunicatio ab Eccleſiâ intelligitur. Et non poterit ſepeliri in loco interdicto, quia prohibitio reſpicit ſepelientes.] Ita Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 88. & *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 67. & *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 46. & *part.* 11. *tract.* 2. *reſ.* 56.

An major rerum Divinarum notitia ad Communionem, quàm ad cõfeſſionem requiratur.

Eſt clemens erga pueros Eccleſia: Quo illos ætatis anno jeiunij præcepto ſubjiciat? Quo cenſuris obſtringat? De excommunicatione Canonis, & loco interdicto.

MMM. CLIV. *Confeſſionis legitimæ qualitates.*

Vt Confeſſio ſit bona, requiritur, ut fiat Confeſſario legitimo, & ſecundum ſe conſiderata.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſic parere parata.

An debeat eſſe vocalis?

Confeſſio debet fieri verbis, ſi poſſit. Integrè confitetur verbis qui dicat, *Confiteor omnia, illa quæ heri narravi. Confiteor illa, quæ D. V. vidit. Confiteor etiam illa, quæ legis in chartâ à me data*, hoc enim non eſt confiteri nutibus, vel ſcriptis, ſed verbis. At in caſu neceſſitatis meris nutibus confiteri ſufficit: nempe, ſi ægrotus loqui nequeat, aut inſtet conflictus, aut naufragium, & confeſſarius iubeat eos genuflectere, qui volunt confiteri: & ſic eos abſolvat dicens, *Ego vos abſolvo in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti.* [Sed hîc obiter nota, non videri bene diſpoſitos eos, qui fore conflictum prævidentes noluerunt ante illam horam confiteri: interim non repugnat eum, qui priùs ex merâ ignaviâ aut malitiâ confiteri non voluit, tunc inſtante periculo ad Deum converti, & velle confiteri legitimè.] Hæc tunc confeſſio non erit materialiter integra, nam fit de peccatis in genere: at erit formaliter integra, nam tempus & locus eam aliter fieri non permittunt. A fortiore dicendum eſt poſſe in ſcriptis facere confeſſionem, qui loqui nequit, modò Confeſſarius præſens ſit, & ex alio capite nullitas non emergat.

De abſolutione generali, quæ fit in naufragio aut conflictu.

An ſit Sacramentalis?

An, & quando confeſſio poſſit fieri in ſcriptis.

ARTICVLVS II.

An in Abſolutionis formâ aliquæ particulæ omitti poſſint?

MMM. CLV. *Pronomen* Ego.

HAC utimur, *Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, & ut voces neceſſarias à non neceſſariis ſecernamus, diſcurramus per ſingulas, & an ſint requiſitæ ad Abſolutionis valorem? explicemus. Primò itaque Pronomen *Ego* non pertinet ad Sacramenti eſſentiam; idem enim eſt dicere, *Ego te abſolvo* ac *Te abſolvo*: imò hoc ſecundum magis Latinum eſt, & eloquens. Illas particulas, *in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti*, eſſe etiam accidentales docet S. Thomas 3. *p.* quæſt. 84. art. 3. Conſonat Petrus Soto lect. 4. de Confeſſ. pag. 166. qui male citatur pro contrariâ ſententiâ: inquit enim. [*Itaque explicanda eſt perſona pœnitentis* te, *vel* tibi, &c. *Item remiſſio, vel abſolutio de præſenti: demque peccata. His poſitis perfecta eſt forma Sacramenti*, Abſolvo te à peccatis tuis: Remitto tibi peccata tua, &c. Et infra. [*Placet B. Thomæ addi*, in nomine Patris, &c. *quamquam id non ex neceſſitate.*] Et oppoſitam Index librorum prohibitorum, qui anno 1640. prodiit in Hiſpaniâ, iuſſit deleri in ſummâ Llamas 4. *part. cap.* 2. §. 1. *pag.* 984. Et ſine peccato mortali poſſe omitti docet Valentia ex Soto *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 1. *punct.* 3. aſſerit enim Sacerdotem dicendo tantùm *Te abſolvo ab omnibus peccatis tuis*, conficere verè Sacramentum, & ſecluſo ſcandalo & contemptu non peccare mortaliter.] Quam ob rem peccare tantummodò venialiter, qui illa prædicta verba, *in nomine Patris.* &c. omittat, Bonacina *de pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 4. *punct.* 1. *num.* 1. Nugnus 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 3. *dub.* 2. *ad* 4. *prope fin.* Palaus *tract.* 23. *punct.* 5. *num.* 3. *in fin.* Trullench, Baunius & alij docent. At probabiliùs videtur, nullum eſſe peccatum: ſic enim docet Leander *part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 11.

Verba illa, in nomine Patris, &c. an eſſentialia ſint? An ſine mortali omitti poſſint?

An etiam ſine veniali.

Digitized by Google

Valentia *loc. cit.* Suarez , Henriquez , Archangelus , Ludovicus , & eſt communis. Eam habet D. Thomas *loc. cit.* nam illa verba dicere aut non dicere arbitrio Confeſſarij reliquit. Sed quid ſi cum Durando , Majore, Aureolo , Gerſone , Angelo , Hieronymo Llamas , & aliis diceremus , nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti debere neceſſariò exprimi ? An-ne in tali caſu poſſet omitti illud *In* ? An ſufficeret dicere , *Abſolvo te à peccatis tuis nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti* ? Reſpondeo in eiuſmodi hypotheſi de Pœnitentiâ ſicut de Baptiſmo eſſe philoſophandum , hunc enim in nomine Patris & Filij , & Spiritûs-Sancti debere confici, certum eſt.]

De prapoſitione In. An oppoſitâ ſententiâ verâ neceſſariò exprimenda?

MMM. CLVI. Excluſis aliquibus verbis accidentalibus adhuc manent illa , *Abſolvo te ab omnibus peccatis tuis* , à quibus adhuc auferri poteſt illud *omnibus* ; quia cùm non poſſit unum peccatum mortale abſolvi ſine alio , idem eſt abſolvere ab uno , quàm ab omnibus. Sed hæc ratio non tenet in confeſſione peccatorum venialium, quæ poſſunt deleri per partes.

De voce omnibus.

An poſſit unum peccatum ſine alio remitti?

Et nihilominùs quidquid ſit de efficacia rationis, ſententia quæ negat illud *omnibus* ſpectare ad eſſentiam communis eſt. Statuitur ex Florentino , & Tridentino à Theologis. Ita Leander 1. *part. tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. & Suarez , Fagundez , Lugo , Granados , Sanctus , Philippus de Cruce , Villalobos , Coriolanus , & Mendus apud ipſum. Vix repenes Authorem, qui ſtet à contrariâ ſententiâ. nam Gabriel *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. quidquid dixerit Suarez , Fagundez , Lugo & alij, noſtram ſententiam tenet : ait enim. *Quia Deus principaliter abſolvit per miniſterium ſacerdotis , convenienter apponitur aliquid, quod pertinet ad authoritatem principaliter abſolventis , ut ſic.* Ego abſolvo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij , & Spiritûs-Sancti, *unde videntur illa verba omninò ſufficere , & eſſe congrua* Et mox. *Prætereà, cum dicitur* , Abſolvo te à peccatis tuis , *omnia peccata includuntur , & ab omnibus abſolvitur , ſi non ponit obicem : unum enim peccatum , ſaltem mortale , ſine alio non remittitur.* Hæc omnia Gabriel.

An, qui illam vocem omitteret peccaret?

An ſaltem peccaret , qui illam particulam *omnibus* ſubticeret ? Eum ne venialiter quidem peccare aſſerit Bonacina *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *punct.* 1. *num* 1. Alberto , Valentiæ , Toleto, Sà , Moure , Hurtado , Sancio , Lublino, Ægidio , Fagundez , Archangelo , Lugoni, Mendo , & aliis conſonans. Et probatur: nam in Concilij Maguntini *cap.* 24. (& habetur 3. *tom.*) & in Rituali Romano Pauli V. edito authoritate , illud verbum *omnibus* non reperitur.

MMM. CLVII. Ex ſuppoſitione quod deberet fieri mentio peccatorum , poſſet-ne dici , *Abſolvo te peccatis tuis* , aut etiam , *omnibus peccatis tuis,* omiſsâ illa præpoſitione ?

De præpoſitione Ab. An ſit neceſſariò ponenda?

Reſpondeo illam præpoſitionem *à* vel *ab* poni propter verbum *Abſolvo* , cumque hoc variè conſtruatur apud Authores probatiſſimos , etiam poſſet Confeſſarius variare. Author ad Heren. 2 *Caſtius Iudex abſolvit iniuriarum illum.* Livius lib. 2. *Latæ deinde leges, quæ Conſulem regni ſuſpicione abſolverunt.* Cicero ad Quintum Fratrem , *Druſus erat de prævaricatione à Tribunis ærariis abſolutus* & pro Quinto Roſcio , *Vt ne Roſcium ſtipulatione alliget , neque à Fannio iudicio ſe abſolvat* , & 4. in Verrem , *Hic hominem Vareri abſolvit.* Ergo poſſet illæſo formæ ſenſu dicere Confeſſarius , *Abſolvo te peccatorum tuorum. Abſolvo te peccatis tuis. Abſolvo te de peccatis tuis. Abſolvo te à peccatis tuis.* Et in dativo , *Abſolvo te omni ſententiæ excommunicationis,* &c

An Verbum Abſolvo etiâ ſine præpoſitione cõſtruatur?

Formæ, quæ non mutarent Abſolutionis ſenſum eſſent validæ.

Hodie communis eſt ſententia quæ docet Abſolutionis formam eſſentialiter conſiſtere his verbis. *Abſolvo te* , aut etiam aliis æquivalentibus Ita S. Thomas 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 3. Caietanus , Nugnus, & alij Commentatores *ibid.* Ita Diana , & ex eo Coroninus *in ſumm. verb. Abſolutio. num.* 1. Leander 1. *part. tract.* 5. *diſp.* 2 *quæſt.* 7. ubi Lugonem, Valentiam , Henriquez , Suarium , Bonacinam , Granados , Vaſquez , Hurtadum Luyſium Turrianum , Fagundez , Villalobos, Petrum de Ledeſmâ , Reginaldum , Llamas, Raynerium , & Palaum adlegat. Et probatur , quia hæ tantummodò voces *Abſolvo te* in Concilio Tridentino leguntur. Et hanc ob rem ſine mortali illud *a peccatis tuis* omitti poſſe, aſſerunt Leander *lo. cit. quæſt.* 8. Dianæ 2. *part. tract.* 17. *reſol.* 14. & *tract.* 15. *reſol.* 47. Soto, Valentiæ , Petro de Ledeſma , Moure, Nugno , Trullenchio , & Mendo adhærens. Immò ſine veniali omitti eadem verba poſſe, docent Sotus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 3. Vivaldus: Poſſevinus, Ludovicus de S. Iuan, Valentia , Henriquez , Raynerius , Llamas, quos alij recentiores ſequuntur.

Communis opinio.

MMM. CLVIII. Paludanus S. Theol, Doctor & Profeſſor Lovanij , in diſputatione Academica præſidens , defendit publicè ſufficere hoc verbum *Abſolvo* , & me iudice ratio ipſius eſt efficax; quia ideò non eſt neceſſarium dicere *à peccatis tuis* , quia ex circumſtantiis adiacentibus conſtat pœnitentem non eſſe abſolvendum à debitis pecuniariis , nec ab aliquâ pœnâ politicâ , ſed à peccatis : at ex eiſdem circumſtantiis conſtat illam eſſe iudicendam & abſolvendam perſonam , quæ confitetur, & non aliam ; ergo etiam ſubintelligitur, nec debet exprimi , tenebit igitur abſolutio , ſi dicat Confeſſarius *Abſolvo*. Lego in Leandro 1. *part. tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 8. hæc verba. [*Tam pronomen* Ego , *quam verba* à peccatis tuis , *includuntur intrinſecè & involvuntur in illo verbo* Abſolvo te.] Et cur ? Quia Ego ſum, qui abſolvo : & materia de qua fit abſolutio , eſt illa, de quâ eſt facta confeſſio. Ergo & illud *te* ſimiliter omitti poterit , nam perſona , quæ abſolvitur , eſt illa , quæ confitetur , & non alia. Confirmatur. Quia Pœnitentiæ Tribunal analogiam cum Politico obſervat , & in hoc Iudices , expediunt cauſas per verbum *abſolvo* , aut *condemno.*

An hoc verbum Abſolvo ad Sacramentum conficiendũ ſufficiat?

Et his præmiſſis petis , An ſit probabilis Paludani ſententia ? Tenendam eſſe ſtando rationi reſpondeo , at quia formæ Sacramentales pependerunt ab Inſtitutoris arbitrio , & potuerunt aliter concipi & determinari , non eſt ita rationi inſiſtendum , ut à communi traditione aut Eccleſiæ conſuetudine diſcedamus

Reſolutio.

Digitized by Google

cedamus : Ergo quouſque plures Paludano ſubſcribant, ad Abſolutionem Sacramentalem hæc verba, *Abſolvo te*, eſſentialiter requiri ſupponamus.

ARTICVLVS III.

De æquipollentibus abſolutionibus.

MMMCLIX.

Loco verborum, quæ dicũtur communiter, illæſo Sacramenti valore, æquivalentia poni poſſunt.

ABSOLVTIO *eſt forma Sacramenti*, ait Noctinot, *Conſiſtit eſſentialiter in illis verbis*, Abſolvo te, *aut in aliis æquivalentibus*, & bene, at inquiro, quæ ſint verba æquivalentia, in quibus conſiſtere poſſit?

DICO PRIMÒ, Abſolutio in omni linguâ civili poteſt dari. Conſultò *in omni civili* dixerim, ut παραγλώσσας (Hiſp. *Gerigonzas*) excludam. Sunt autem παραγλῶσσαι voces à paucis fictæ, ut eis utantur in privato colloquio, & eas aſſero non eſſe civiles (à populo admiſſas) & ideò non ſufficere, ut conſtituant Sacramentorum formas. Vnde, ſi pauci amici convenirent, ut hæ tres res *corpus*, *calix*, *ſanguis*, his vocibus *leo*, *liber*, *diſcipulus* ſignificarentur; hæ tunc formulæ *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt calix ſanguinis mei*, tranſirent in has, *Hic eſt leo meus*, & *Hic eſt liber diſcipuli mei*, & tamen ad conſecrationem non ſufficerent.

Quæ ſit lingua Civilis; & quomodo à Paragloſsâ & Gerigonzâ diſtinguatur? An in Paragloſsâ Sacramenta poſſint adminiſtrari?

At contra hanc doctrinam duæ Obiectiones formantur; Prior à ratione, & altera à linguarum dignitate deſumpta. ARGVMENTARIS ERGO PRIMO SIC. Confeſſarius ſe debet attemperare pœnitenti, ita ut hic intelligat ſe fuiſſe abſolutum: exorbitant enim, qui perſonas neſciunt à perſonis diſtinguere; idem enim eſt loqui Theologicè cum ruſtico ac cum Luſitano Germanicè Scitè *lib. 1. tit. 1.* Palladius. *Prima pars Prudentiæ eſt, ipſam, cui præceptturus ſit, æſtimare perſonam: neque enim formatos agricolæ debent artibus & eloquentiâ Rhetores æmulari; quod a pleriſque factum, qui dum diſertè loquuntur ruſticis, adſequuti ſunt, ut intelligi doctrina eorum non potuerit.*

Qui loquitur, ſe debet attemperare Auditorum capacitati.

An pœnitẽs intelligere debeat verba, quæ ſua abſolutionis complectuntur ſententiam?

ARGVMENTARIS SECVNDÒ, & ſic inſtas. In Pœnitentiæ Sacramento abluit peccata ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Expedit ergo, ut Confeſſarius, qui eundem Chriſtum repræſentat, eiſdem judicet linguis, quibus Chriſtus fuit judicatus. At ille Hebraicè, Græcè, & Latinè fuit judicatus, ut expreſsè legitur in Evangelio. Ergo Confeſſarius non niſi Hebraicè, Græcè, aut Latinè poteſt ſententiam Abſolutionis pronunciare. Hanc tanti inſtantiam fecit Baldus, ut juſſerit univerſalem eſſe; nam, ſi omnes in Eccleſiâ Chriſtianâ Iudices nomine Chriſti jura dicunt: etiam eiſdem uti debent linguis, quibus uſus fuit Pontius Pilatus, cùm condemnavit Chriſtum: At iſte tribus illis fuit uſus. [Ait enim Lucas 23. 38 ἦν δὲ καὶ ἐπιγραφὴ γεγραμμένη ἐπ' αὐτῷ γράμμασιν ἑλληνικοῖς, καὶ ῥωμαϊκοῖς, καὶ ἑβραϊκοῖς. *Erat autem & ſuperſcriptio, ſcripta ſuper eum, literis Græcis, & Romanis, & Hebraicis*, &c.] His ergo, & non aliis, uti debent Chriſtiani Iudices, cùm ſententiam pronunciant.

Confeſſarius Chriſti nomine iudicat.

An iudicare iis linguis debeat quibus Chriſtus fuit iudicatus?

An omnes Iudices nomine Dei ſententiam ferant? An eâ Hebraicâ, aut Græcâ, aut Latinâ; & non in aliâ poſſint linguâ proferre?

MMMCLIX. b.

Quâ linguâ pœnitent cõfiteri, & quâ à Confeſſario inſtrui debeat?

Et Ego concedo pleraque omnia, quæ in primâ Objectione ponuntur: nam ſicut pœnitens, non in quâcumque linguâ, ſed in eâ, quæ ſibi, & Confeſſario bene nota, debet conſcientiæ ſuæ latebras aperire; ſic etiam Confeſſarius, ita debet pœnitentem reprehendere, monere, inſtruere, pœnitentiâ ſalutari obligare, ut ille intelligat, quid debeat facere; vociferaretur enim fruſtra, ſi uteretur linguâ, quam non intelligeret pœnitens. Cæterùm abſolutionis verba debet proferre Confeſſarius prout præſcribit Eccleſia; nec refert illa ſingulatim à pœnitente non intelligi, nam ſcit (& hoc ſufficit) ſe per illa à peccatis abſolvi. Ergo prudenter procedet Confeſſarius, ſi Abſolutionis Sacramentalis formulam eâ linguâ proferat, quâ Miſſa legitur in ſuâ provinciâ: ut enim Græci Græcè, Maronitæ Chaldaicè, Armenij Armenicè, &c. rem Sacram agant, Eccleſia Romana permittit.

Quâ, Abſolutionis formula dicenda ſit?

Permittit Eccleſia, ut in multis provinciis res ſacra in linguâ vernaculâ agatur.

Secunda Objectio mihi tanti non eſt, ut propter ipſam debeam multas lineas ſcribere. Illam enim diſſolvunt verba Alberici Gentilis *l. de linguar. mixturâ*, quæ in Criticis Biblicis *columnâ* 7819. leguntur. Ea ſubſcribo. *Quis non riſerit Baldum* (ait Gentilis) *qui leg. 12. de ſe*, & in omni jud. *docet Iudicem poſſe ſententiam ferre Hebraicè, Græcè, & Latinè; quomodo ſic in paſſione Domini fuit.* Tu autẽ aſſeras in tribunali Iudices debere ius dicere in eâ linguâ, quâ hoc ibi ſolet fieri: & Confeſſarios (qui ſunt Iudices Sacramentales) eâ in inſtituendo pœnitente uti debere, quam ille intelligat: & eâ in abſolvendo, quâ in ſua provincia Miſſa dicitur, & adminiſtrantur cætera Sacramenta.

N. B. Dum has lineas intelegis, miſeris humani ingenij conditionem, & ſtatera, quâ rationũ gravitatẽ & efficaciã ponderat. Baldus enim, alias vir doctiſſimus & ingenioſiſſimus, putat ſe acutè & ſolidè loqui, vbi à Gentili & aliis videtur non niſi diſipere.

Pergo ulteriùs: & quia intra eiuſdem linguæ terminos multa Dubia poterunt excitari,

MMMCLIX. c.

Quæ ſint verba quæ æquivalere cenſenda ſunt.

DICO SECVNDÒ. Omnia verba, quæ ſunt eiuſdem ſignificationis cum verbo *Abſolvo*, poſſe adhiberi, ut ſi quis dixerit, *Omnino libero*; *Exſolvo te peccatis tuis*; &c. Et ut docet Scotus *in 4. diſt. 14. quæſt. 4.* Gabriel. *quæſt. 2. art. 1.* Vaſquez *in 3. part. tom. 4 quæſt. 84 art. 3. dub. 3.* Suarez *diſp. 19. ſect. 1.* Hurtadus Fagundez, Filliucius, Roſella, & alij, contra Caietanum, Sotum, Henriquez, Bonacinam, & alios; quoniam quæcumque verba Indicativi, quibus uti ſolent aut poſſunt Civiles Iudices, ut actum iudicialem abſolvendi ſe exercere ſignificent, ſunt ſufficientia, ut validè fiat Sacramentum. Formulas nonnullas ſubſcribo. *Te abſolutum declaro; Te liberum à peccatis pronuncio: Volo te abſolvere: Volo te abſolvi; Volo ut abſolvaris; Placet te abſolvere. Placet te abſolvi, Sacramentum abſolutionis tibi impendo*, &c. Leander *part. 1. tract. 5. diſp. 2. quæſt. 19.* has

duas

Digitized by Google

duas oppoſitas opiniones aſſerit eſſe æquè probabiles.

An Iudex pronuntiet, ut libet.

Ausonius Noctinot (jam, Antonius Cotonius) *in Summâ Dianæ verb. Abſolutio n. 1.* & alij docent cum Scoto hanc formam, *Libet te abſolvi*, eſſe ſufficientem, quam tamen ideò poſſes reiicere, quod non ſit iudicialis, Iudex enim ſecundum allegata & probata iudicat, non ut libet, ſed ut debet: & Confeſſarius in Sacramento pœnitentiæ: non eſt arbiter, ſed iudex, & ita obſtrictus legibus, ut ſi auditâ confeſſione pœnitenti bene diſpoſito negaret abſolutionem, certiſſimè peccaret mortaliter, cùm ergo abſolvit, non facit Confeſſarius quod libet, ſed quod debet.

An pœnitēti bene diſpoſito Confeſſarius poſſit negare abſolutionem?

At Ego non obſtante obiectione putarem cum Auſonio Noctinot illam formam, *Libet te abſolvi*, eſſe validam: verba enim ſumenda ſunt in ſignificatione Civili, & quidquid ſit de ſignificatione Grammatica, verba *Libet & Placet* vſurpantur à Regibus & magnis Principibus ad loquentis perſonæ ſignificandã excellentiam, etiam in caſibus, in quibus placet quod licitè diſplicere nõ poteſt.

Quid Libet & Placet ſignificent?

MMMCLX. *De voce activâ & paſſivâ.*

Dico tertiò, Quæcumque propoſitio activè ſumpta ſufficit ad valorem Sacramenti, eadem ipſa ſufficiet etiamſi paſſivè ſumatur. Ergo ſufficient iſtæ, *Abſolveris à me ab omnibus peccatis tuis; Diſligaris: Omninò liberaris; Exſolveris; Declararis abſolutus; Pronuntiaris abſolutus*, &c.

De tempore futuro.

Dico quarto, Forma concepta verbis de futuro, non eſt ſufficiens; quam ob rem iudico pœnitentem non iri abſolutum à Confeſſario, qui uteretur hac forma, *Ego te abſolvam*, aut his, *Volam te abſolvere*, *Libebit te abſolvere*, &c. Sed quid dicemus de his, *Ego te abſolvi*, *Volui te abſolvere*, *Libuit te abſolvere*? Videri narrativas & hiſtoricas: & non Sacramentales: ſpeculativas & non practicas homini enim exiſtenti in peccato mortali & carenti propoſito emendandi & corrigendi vitia, ſi tamen mihi aliquando bene confeſſus fuerit, poſſum dicere, *Abſolvi te*, & tamen non poſſum dicere, *Abſolvo te*, Ergo inter præſens & præteritum eſt evidentiſſimum diſcrimen. His tamen non obſtantibus, ſi obtineret in Tribunalibus politicis, ut Iudex ſententiam pronunciaret dicendo, *Abſolvi*, *Condemnavi*, &c. validè Confeſſarius abſolveret, qui hac dialecto uteretur, tunc enim deberemus dicere vocem *Abſolvi*, poſſe bifariam ſumi hiſtoricè, & iudicialiter; in primo illam ſenſu pertinere ad præteritum, & in ſecundo ad præſens. Interim, quia impræſentiarùm illa judicialis non eſt, inſufficiens erit, ſi à Confeſſario proferatur.

Et præterito.

An poſſit Confeſſarius plures ſimul abſolvere?

Dico quintò, Caſu, quo plures audiverit, ubi ratio & neceſſitas poſtulet, poterit plures ſimul abſolvere dicens, *Ego vos abſolvo*, &c. nam etiam poteſt plures baptizare ſimul, dicens, *Ego vos baptizo*, &c. Vide Auſonium Noctinot *in ſumm. verb. Baptiſmus. num. 29.* & me ſuperiùs, ubi egi de Baptiſmo.

An aliquis poſſit ſimul plures baptizare?

MMMCLXI. Intra terminos Indicativi Modi egimus de Vocibus (activâ & paſſivâ) de temporibus (præſenti, præterito & futuro) quid ſupereſt? agere de perſonis. Igitur.

Dico sextò. Pœnitens qui abſolvitur, ſemper ponitur in ſecundâ perſonâ, poni enim in primâ non poteſt, & in tertiâ non ſolet. Et quidem ſemper poni in ſecundâ perſona patet manifeſtiſſimè: quoniam ſemper ait Confeſſarius, *Ego te abſolvo*, &c. Nunquam poni in primâ etiam patet; nemo enim dicit, *Ego me abſolvo*. nam Confeſſarius ſemetipſum abſolvendi poteſtatem non habet. Poni in tertia poſſet ſaltem validè, aſſerit Auſonius Noctinot loco citato, & cum eo alij, ad quorum mentem hæ abſolutiones, *Ego abſolvo Petrum*, *Petrus abſolvitur à me*, *Illum abſolvo*, *Iſtum abſolvo* &c. erunt validæ.

De perſonis

An poſſit aliquis ſemetipſum abſolvere?

An poſſit aliquam tertiam perſonam abſolvere.

Sed hîc obiter nota, differre Grammaticam Politicam ab Scholaſtica: nam hæc vocum proprietatem conſiderat, & illa per diverſas tranſlationes luxuriat. Si enim ego dico. *Nos Caramuel iubemus*, *Ego Iubeo*, *Caramuel iubet.* Æquivalentia profero: & tametſi aliter videri Scholaſticis poſſit, ſciunt Politici, ſemper me loqui in primâ perſonâ. Dico Petro, *Ego tibi dabo librum hunc*, vel *Ego dabo Vobis*, vel *Ego dabo ei.* (Hiſpanicè. *Yo le daré eſte libro.*) Vel *Ego dabo Dominationi veſtræ* Illa, cui librum dabo, ſemper erit perſona ſecunda, ſi Politicè verba ſumantur. Ergo, ſi dicat pœnitenti Epiſcopus, *Nos abſolvimus vos*, aut *Dominationem veſtram*, verba ponet, quæ æquipollebunt his, *Ego te abſolvo.* In quibus tantùm modus loquendi ab inſolentiâ condemnabitur.

De Scholaſticâ & Politicâ Grãmatica. An & quomodo differãt. An in dialecto Politica Sacramenta poſſint adminiſtrari.

Egredior ab Indicativo, & ad Imperativum veniens.

MMMCLXII. *De imperativo.*

Dico septimò Abſolutio imperativè collata eſt valida. Auſonius Noctinot ſic inquit: [Si dicatur, *Abſolvaris* aut *abſolvatur Petrus*, abſolutio erit valida; quia hoc modo convenienter adhibetur ſententia deciſiva.] Conſonat Bonacinæ *diſp.5.q.4.punct 2 num.7.* Vaſquezio *q. 9ſt 84.art.3.dub.4.n.12.* Nugno *3.p.q.84.art.3 dub 2.concl.4.pag.28.* Suario, Fagundez, Granado, Lugoni, & aliis. Et hanc ſententiam tam certam iudicat Leander *part.1.tract. 5. diſp.2. quæſt 18.* ut dicat, *Ego abſque dubio reſpondeo eſſe ſufficientem; quia ſatis declarat propriam Iudicis poteſtatem.* Vbi, ut vides, nos docent Theologi, poſſe impertiri abſolutionem, poſito reo in tertiâ perſonâ, & verbo in imperativo.

Dubium incidens.

Audis Auſonium & infers omnem pœnitentem antequam proferatur forma abſolutionis, abſolvi: & probas, Quia antequam Confeſſarius dicat, *Ego te abſolvo*, &c. dicit, *Miſereatur tui omnipotens Deus & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Indulgentiam & abſolutionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus.* Et hæc verba, ſi bene conſiderentur, æquivalent his, *Abſolvaris à Deo.* Ergo ſi hæc forma, *Abſolvaris*, ſufficiens eſt? etiam erit iſta, *Abſolvaris à Deo*, nam Confeſſarius & Deus non ſunt duæ perſonæ moraliter ſed unica: ille enim pœnitentem abſolvit, non ut homo, ſed ut Deus; non proprio nomine, ſed nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti.

MMMCLXIII. At exiſtimo has duas propoſitiones *Abſolvaris*, ſubintellige *à me*; &, *Abſolvaris à Deo*, non eſſe Sacramentaliter æquivalentes,

quia

De Conſecratione.

An validè conſecraret, qui diceret, Hoc eſt corpus Chriſti. Hic eſt ſanguis Chriſti, *&c.*

Non omnes propoſitiones æquipollentes, ſint æquipollẽtes ſacramẽtaliter?

An in modo deprecativo aliquis abſolvatur?

N. B. Ex illa formâ, *Baptizatur ſervus Chriſti*, &c. quã etiamnum eſſe Græcorum multi exiſtimant, ortæ ſunt multæ in materiâ Sacramentorũ ſententiæ: & fortè etiam hæ Abſolutionis formæ. *Abſolvaris* aut *Abſolvatur.* Interim ſtando modo rigoroſo loquendi, putarem Principem Supremum, cùm citra Iuris ſtrepitum crimen condonat, poſſe dicere in Imperativo *Abſolvitor*, adderem verò Iudicẽ, qui ſecundũ adlegata & probata pronunciat

quia aliàs ſi loco vocis *mei* liceret ponere nomen Dei vel Chriſti poſſet aliquis conſecrare dicendo, *Hoc eſt enim corpus Chriſti*, *Hic eſt enim calix Sanguinis Chriſti*, quia etiam in Miſſa Sacerdos & Chriſtus moraliter eſt una perſona. At eiuſmodi conſecrationem non admittunt Theologi: ergo nec eiuſmodi abſolutionem. Hæc reſpondeo ſtando Inſtitutioni Chriſti, qui liber fuit, & è duabus æquivalentibus potuit unam formam eligere; alteram reprobare, nam ſi à ratione & ex naturâ rei formæ Sacramentorum penderent, ratio objecta eſſet urgens & ſæpe argumentis opprimeremur. Hanc ob rem non negavi abſolutè illas poſitiones eſſe æquipolentes, ſed eſſe æquipolentes Sacramentaliter; quia conſtat ex conſenſu Eccleſiæ alteram inſtituiſſe Chriſtum, rejeciſſe alteram. Vt rem bene intelligas, adnotato, ſicut eiſdem terminationibus variantur duo Modi, nimirùm, Subjunctivus, & Optativus, ſic etiam eiſdem alius dat videlicet, Imperativus & Deprecativus, quam ob rem concludo non eſſe bonam conſequentiam, *Abſolutio validè impenditur in modo imperativo*, *Ergo etiam in deprecativo.* Subſcribo Dianæ, qui *part.* 5. *tract.* 13. *Reſ.* 34. ſic inquit. [Suppono, quod forma abſolutionis conferri debet modo indicativo, non autem deprecativo: ſi enim aliquis diceret, *abſolvat te Deus*, Sacramentum erit invalidum. Verum non ſolùm valida erit abſolutio facta modo indicativo, ut dictum eſt, ſed etiam imperativo; ut ſi dicatur, *Abſolvaris*, vel *Abſolvatur Petrus*: quia ſententia deciſiva Iudicis convenientiùs adhibetur, non ſolùm indicativo, ſed etiam imperativo.]

Examinavimus hucuſque quæ ſint requiſita ut validè abſolutio impendatur. Sed quia multa fiunt validè, & illicitè, inquiris quantum peccatum ſit, formam Abſolutionis alterare?

Respondeo primo, Dianam noluiſſe hanc quæſtionem decidere: quod Leander part. 1 tract. 5. diſp. 2. quæſt. 20. carpit dicens. *Sententiam huius Doctoris* (Hurtadi) *refert Diana, tacens, quid ipſe ſentiat; ſed hoc non eſt, illi novum.* Respondeo secundo, Hurtadum *de pœn. diſp.* 5. *difficult.* 3. aſſerere eum qui validam confert abſolutionem, alio tamen modo loquendi, quàm habet Eccleſia, peccare ſolummodò venialiter. Eum producit Auſonius Noctinot *in ſumma verb. Abſolutio* §. *Quod ſi*, ubi citat Dian. *part.* 3. *tr.* 13. *reſ.* 34. at Dianæ pars tertia octò tantummodò tractatus habet. Leander autem citat Dianam part. 5. tract. 3. reſol. 34. Ergo in Auſonio numerum male expreſſit Typographus. Verba Hurtadi iſta ſunt. [Quamvis forma abſolutionis ſupradicto modo (*nempe* imperativo) prolata, ſit ſufficiens ad valorem Sacramenti, illicitè fiet ſi non proferatur modo indicativo, quia erit contra conſuetudinem Eccleſiæ ſolo modo indicativo utentis: id tamen non erit peccatum mortale, ſed veniale, quia ea mutatio non eſt gravis, ſed levis.] eamdem ſententiam nos docet Vega *cap.* 6. *caſu* 4. dicens. *Preguntaſe, ſi el Confeſſor que abſolvieſſe con eſta forma*; Tu abſolveris à peccatis tuis per me, ſeu à me: o Peccata tua remittuntur à me, *peccara: y ſi la abſolucion dada con eſta forma ſerà valida? Reſpondo, que peccarà, aunque no* genere ſuo *mortalmente, ſigno ay en ello eſcandalo: y que el Sacramento, dado en eſta forma, ſerá verdadere*, &c. Respondeo tertio, Fagundez *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 10. & *lib.* 13. *cap.* 1. *num.* 8. Suarium, Nugnum, Bonacinam, Sotum, Reginaldum, Henriquez, Leandrum & alios eum, qui formam ab Eccleſia præſcriptam mutare audeat, peccati mortalis arguere. Respondeo qvarto. formam, quâ Confeſſarius utitur, vel eſſe certò formæ ab Eccleſiâ præſcriptæ æquivalentem, vel tantummodo probabiliter æquivalentem: ſi primum Hurtado & Vegæ conſentio, & dico hanc mutationem, niſi ſcandali aut contemptûs circumſtantia judicium alteret, eſſe leviter malam: ſi ſecundum, oppoſitæ ſententiæ ſubſcribo: nam pœnitenti fit injuria graviſſima, quando loco certæ ſubrogatur abſolutio probabilis, per quam æternæ damnationis periculo temerè exponeretur. Et exiſtimo ex hac doctrinâ opiniones, quæ aliàs videbantur oppoſitæ, ad concordiam reduci: non enim Hurtadus aut Vega dicet abſolutionem, de quâ diſputatur, utrum valida ſit, cum ſolo veniali poſſe impendi: nec oppoſitæ ſententiæ Authores peccati mortalis reum dicent qui loco formæ præſcriptæ, aliam non dubiam, ſed certò validam uſurpaverit. Et, ut videas me bene diſcurrere, verba Leandri produco, quem pro ſeverâ opinione citavi: ſic enim ait. *Sed probabilius reſpondeo, eſſe mortale: quia prædicta forma ſunt valde dubia: ergo grave* (dele *grave*, & lege *peccatum*) *mortale ſacrilegij erit illis uti.* Ergo Leander eos condemnat, qui præſumerent uti formâ dubiâ. At hos peccare mortaliter, non jam probabilius, ſed certum eſt.

(& huic ſimilis eſt Confeſſarius) non in Imperativo (nihil enim imperat)ſed indicativo (quid enim Ius diſponat indicat) dicturum eſſe *Abſolvitur.*

MMMCLXIV. *An ſit mortale alterare formam abſolutionis?*

Diana ſe ſubtrahit: & quæſtionem aliis decidendam relinquit.

Hurtadus, Vega, & alij ſolam venialem culpam in hac mutatione cognoſcunt.

MMMCLXV. *An mutare vitũ Eccleſiæ in re tantùm accidentariâ ſit veniale? Leander & alij hanc mutationem mortalis peccati accuſant; Nos diſtinguimus, & diſtinguẽdo oppoſitas ſententias cõciliamus.*

ARTICVLVS IV.

De Circunſtantiis aggravantibus.

MMMCLXVI. *Quid circũſtantia ſit?*

Circvnstantia, ut ab ejus definitione initium ſumam, *eſt aliquid, quod humano actui ſpeciem jam habenti ab objecto, accidit*: vel aliter, *Eſt accidens operationi humanæ adjacens, quod ejus qualitatem in genere moris variat, augendo nimirùm aut minnendo.*

minuendæ. Et quoad ſubſtantiam in has cadũt omnes illæ definitiones, quas DD. præſcribunt. Ita D.Th. 1.2. *quæſt.*1. *art.*3. & *quæſt.*18. *art.*2. & Cajetan. Conrad. Medina, & Thomiſtæ *ibid.* Conſonant Henriq. *libr.*5. *ſumm.* c.6. Archang. *in* 4. *diſt.*16. *pag.*164. Richard. *in* 4. *diſt.*17. *art.*5. *quæſt.*3. Sot. *diſt.*18. *quæſt.* 2. & Summiſtæ communiter *verb. Confeſſio.* Et quidem, tametſi à multis Circunſtantia in Aggravantem & Novam addentem ſpeciem dividatur, *Circunſtantiæ* nomine intelligere aggravantem ſolemus, nam altera ad ſubſtantiam operationis pertinet. Multa quidem de Circunſtantiis poſſem dicere; ſed quia in manus modò hæc ſuccurrit Epiſtola, notabilium doctrinarum plena, eam in gratiam Lectoris Eruditi ſubſcribo.

An in Aggravantē, & Mutantem ſpeciem dividatur? An, quæ mutat ſpeciem, poſſit circũſtantia vocari, an potiùs ad actũs ſubſtãtiam pertineat?

An ſint in confeſſione explicandæ?

CIrcunſtantias aggravantes non pertinere ad materiam neceſſariam Confeſſionis, doctiſſimè mi Leander affirmas; quoniam ſententia oppoſita, tametſi non careat authoritate Theologorum, nimis multis exponitur difficultatibus. Nos tuam docet ſententiam S. Thom in 4. diſt.16. quæſt.3. art.2. quæſt.3. S. Bonavent. diſtinct 17. quæſt. ult. Eam nos docent etiam Dian. 3. part. tr.4. reſ.97. & part.5. tr.14. reſ.56. necnon Leand. part.1 tr.5. diſp. 8. §.1. quæſt.4. qui pro hac ſententiâ Navarr. Vaſq Valent. Scot. Durand. Corduvam, Tolet. Ioann. Sanct. Granad. Nald. Becan. Luyſium Turrian. Ioann. de Lug. Palaum. Baun. & Trullench. adlegant. Et fortiſſima eſt ratio, quæ ex Concil. Trident. deſumitur: nam *ſeſſ.*14. *c.*5. & *can.*7. agens de circunſtantiis, aſſerit illas, quæ mutant ſpeciem, in confeſſione eſſe exponendas. Cùm igitur addat Conc. *Nihil aliud ab Eccleſia pœnitentibus exigitur*, non exigi, ut aggravantes explicent, certũ eſt: quia aliàs adhuc aliquid aliud à pœnitentibus exigeretur.

Profectò in Sacrament. Confeſſione peccati ſpecies eſt omninò exponenda: addendus eſt peccatorum numerus; & nihil aliud. Non ſufficeret ſpeciem pro ſpecie, aut leue pro gravi confiteri: ſed nemo tenetur dicere, an peccatum intra eandem criminis mortalis ſpeciem fuerit magis aut minus grave. Hinc eſt, quod licèt ubi partes ſint heterogeneæ, debeat aliquis totum à parte, aut partem à comparte diſtinguere: cæterùm ubi illæ ſunt homogeneæ, nemo tenetur exponere, An peccati materia ſit totum; aut gravis totius pars; quia peccatum, quod reſpicit totam materiam, & illud quod gravem partem, non differunt ſpecie, ſed ſolùm gravitate. Quapropter latro, qui thecam plenam auro effringens, notabilem ſummam accepit, non tenetur exponere, an totum illud aurum, An ſolummodò partem aſſumpſerit; ſed ſatisfaciet Confeſſionis obligationi, ſi dicat: *Furatus ſum materiam gravem.* Non aliter, qui omiſit Offic. Divinum non tenetur confiteri, ſe totum omiſiſſe, ſed ſatisfaciet dicens: *Omiſi horarum gravem partem*, & ſic in reliquis. Hanc doctrinam quoad furtum admittit expreſsè Leand. 1. *part. tr.*5. *diſp.*8. §.3. *quæſt.*2 Navarr. Vaſq. Megal. Zanardo, Gypt. Zerol. Dian, Granad. Lug Luiſ. Ochagaviæ, Ioann. à Ieſu Archang. Pal. Baun. Trullench. & aliis viris doctis ſubſcribens. Eandem doctrinam quoad Offic. Divin. tradit Dian. *tr. de Horis Canonic. reſ.*9. quem cito & ſequor *in Theol. Reg. diſp.*101. *n.*1335.

De parte & toto.

De partibus homogeneis & heterogeneis.

MMMCLXVII. *An fur debeat in confeſſione dicere quantum fuit furatus?*

An qui omiſit gravem partem horarum debeat explicare quam partem.

Vt igitur hæc doctrina altius præcipiatur, quamcumque peccatorũ ſpeciem in tria peccata ſubdivido: nimirum in peccatum leviter inceptum, graviter inceptum, & conſummatum. Peccata leviter incepta, reſpiciunt levem materiam, atque propterea Venialia ſunt: graviter incepta, aut conſummata, ſunt mortifera: ſunt etiam gravia. Oportet quidem in Confeſſione exponere, an peccatum leviter, aut graviter inceptum ſit; ſive quod idem eſt, an ſit veniale, an mortale: quia hæc circunſtantia mutat ſpeciem; quia mortalia ſola Confeſſione, quæ fit in re vel in voto, ſi prior nequeat haberi, & adſit competens dolor, delentur; Venialia verò etiam purgantur aliis modis. Cæterum, ubi partes ſunt homogeneæ ut dixi, utrùm peccatum fuerit graviter inceptum, aut conſummatum, ſive quod idem eſt, an fuerit grave, aut gravius intra eãdem ſpeciem nemo tenetur explicare.

Peccata ſunt vel leviter incepta, vel graviter incepta, vel conſummata.

Hinc igitur ad caſum propoſitum, cum fornicatio, & pollutio conſiſtant in indiviſibili; & illa requirat, quod ſemen, quod deciditur, in vaſe naturali decidatur, quæcumque ſeminis deciſio, quæ non ſit in Naturali Vaſe, eſt peccatum contranaturale. Errat igitur Turrianus *de pœnit. quæ.*9. *art.*2. *diſp.*29. *dub.* 2 *ad* 2. aſſirmans eſſe probabile, fornicatorem ſufficienter confiteri dicendo *Commiſi grave peccatum in materia caſtitatis cum ſoluta*, quia ex his verbis ſpecies peccati non cognoſcitur, non enim ſolùm fornicatio, ſed & mollities quæ cum ſoluta committitur, grave peccatum eſt in materiâ Caſtitatis. Rejiciunt hanc opinationem Lug. *diſp.*16 *n* 238. *pag* 247. & Leand. 1 *part. tr.*5. *diſp.*8. §.3. *q.*5. aſſerentes, debere copulam explicari, quia fornicatio addit malitiam ſpecificam diverſam à malitiâ ſimplicis tactûs libidinoſi. Vnde ſententiam Turr inquit Lug. opponi communi Doctor. ſenſui: Vnde, inquit Leand. immeritò Dian. 1. *part. tr....reſ.* 88. non audere illam reprobare; ſed more ſuo aliis, ut de illâ pronuncient, relinquere. Cæterùm ſatisfaceret verò, ſi diceret: *Commiſi grave peccatum in materia ſimplicis fornicationis.* Sed is faciliùs diceret, *ſum fornicatus.* Duos igitur addam paragraphos: in primo ad mentem Turrian. diſcurram: in ſecundò, quid ſentiam, & debeas tenere explicabo: ſubjungam tertium, in quo rationes pro Turriano poſitas enervabo.

Pollutionis & fornicationis diſtinctio.

Nota hanc formulam Confeſſionis.

SI hæc opinio, quæ Turrian. attribuitur eſt verè probabilis à fortiori deberet eſſe tua Reſolutio. Crimen Titij erat paſſum fuiſſe mollitiem tactibus fœminæ ſolutæ, & dum id ipſiſſimũ confiteretur aſſeritur dixiſſe: *Tangens aliam perſonam peccavi in moroſitate delectationis gravis, quæ pertinebat ad mollitici ſpeciem.* Non debuiſſe confiteri ſe membro clauſtra fœminea penetraſſe in Epiſt. ultimâ affirmaſſe, & probaſſe me memini, ac propterea exiſtimo de hâc circunſtantiâ, jam non agi. Cæterum, cum is fœminam tetigerit, & ſe aliã perſonam tetigiſſe affirmet ſexum non exponẽdo, videretur alicui diminutè procedere; ſed perperam, quia peccata contra naturalia, ſive fiant cum fœminâ ſive cũ Viro Cajet. & aliorum illuſtrium Theologor. ſententiâ, ſunt ejuſdem ſpeciei. Se ex hujuſmodi tactibus procuraſſe,

MMMCLXVIII. *Ad mentem Turriani.*

... contra naturalia ... ata, quæ ... viro ... miſſa ab ..., quæ ... tum fœ... â iſth... de'ecta... moroſa ... pollutio... princi...

taſſe, & habuiſſe delectationẽ moroſã, & granẽ aſſeruit; & bene; quia delectatio moroſa initiũ pollutionis eſt; ergo cùm gravis delectatio dicitur, pollutio graviter incepta eſſe aſſeritur; unde illa verba æquivalent his, *Tangens aliam perſonam habui initium grave pollutionis:* quid ergo omittitur? quòd fuerit pollutio, non ſolùm graviter incepta, ſed & completa. Sed hæc aggravans circunſtantia eſt; quia ſicut omiſſio mediæ partis officij non diſtinguitur ſpecie ab omiſſione totius divini officij; & ſicut furtum mille aureorum non diſtinguitur ſpecie à furto quingentorum; ſic etiam pollutio conſummata, & graviter incepta, ſpecie non poſſunt diſtingui. *Addet aliquis*, adhoc potuiſſe omittere illa ultima verba, nimirum, *quæ pertinebat ad mollitiei ſpeciem*, ratio eſt quia cùm moroſitatem à fornicatione diſtinguit, dicit ſe non commiſiſſe fornicationem, cumque quæcumque laſciva delectatio, quæ peccaminoſa eſt, & ad fornicationem non pertinet, ſit contranaturalis, non poteſt non pertinere ad mollitiei ſpeciem, ac proinde ſatis exponitur cùm *moroſitas laſciva* vocatur. *Si dicas*, his verbis non bene diſtingui illam mollitiem à Sodomiâ; quia qui copulâ nefandâ ſit vel fœminâ, vel viro uſus; etiam poſſet dicere, ſe paſſum fuiſſe gravem delectationem contactibus perſonæ alterius: non deerunt, qui concedant hæc omnia, quia mollities, ſodomia, & beſtialitas, ſi Angelicum Doctorem ſequamur, tametſi interdum diſtinguantur ſpecie ob circunſtantias concomitantes, intra luxuriæ lineam ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei.

An mollitiem fuiſſe completam, ſit circunſtantia tantùm aggravans?

An, & quomodo mollities à Sodomiâ diſtinguatur?

Quæ ſit D. Thomæ ſententia?

Sic diſcurrere placuit ex principiis, & fundamentis Turriani, & aliorum; qui fortè non admittent omnia, quæ ex eorum doctrinâ Dialecticus rigor deducit. His præmiſſis veram ſententiam exponamus.

MMMCLXIX.

Quid ſit moroſa delectatio?

An Ordinetur ad copulam?

PVto omnem delectationem moroſam eſſe commotionem ſeminis, & deciſionem ſeminis inceptam, vel inchoationem deciſionis. Addo ex ſuâ illam naturâ ad copulam naturalem ordinari: eſſe tamen extrinſecè indifferentem, ut ex hominis voluntate ad effuſionem naturalem, aut contranaturalem ordinetur. Diminutè igitur confitetur, qui paſſus fuit mollitiem, & in confeſſione dicit, *Moroſè delectatus ſum.* Vbi enim fuit effuſio ſeminis, debet exponi, non ſolùm eam fuiſſe? ſed etiam utrùm fuerit hoc vel illo modo nimirum, naturali, aut contranaturali.

An circunſtantia ſexûs ſit explicanda?

Ad circunſtantiam ſexûs venio. Qui dicunt cum Cajetano *quæſt.* 2. *de Conf.* & Antonio Cotonio in ſumma Dianæ *verb. Circunſtantia num.* 17. Cœleſtino *in Compend. Theolog. Moral. tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. *diff.* 4. & Leandro 1. *part. tract.* 5. *diſp.* 8. 3. *quæſt.* 31. hanc in Sodomiâ circunſtantiam explicandam non eſſe idem in Pollutione dicent, ſi Dialecticam amant. Cæterùm, non debere hanc explicari circunſtantiam, nec Cajetanus probat, nec Iuniores perſuadent: Ergo, ſicut cæteras, hanc etiam exponendam exiſtimo.

Diana in huius quæſtionis reſolutione eſt ſummè inconſtans. Circunſtantiam ſexûs eſſe explicandam aſſerit 1. *p. tr.* 7. *verſ.* 2. negat ſibi contrarius *part.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 56. & nuper *p.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 66. q. 8. ad prio-cem opinionem revertitur.

HInc ad rationes venio, quibus Turriani opinio muniebatur.

DICEBATVR PRIMO, in peccatis contra naturam diſtinctionem viri, & fœminæ non mutare ſpeciem, & ideò non debere in confeſſione declarari: Et ego concedo illud prius, nego hoc poſterius, quia plus differt à naturali copulâ pollutio habita tactibus viri quàm habita tactibus fœminæ; & differentia non conſiſtit in formalitate aliquâ homogeneâ, ſed heterogeneâ, quam debere explicari iam ſuppoſui.

MMMCLXX.

Reſpondetur rationibus pro ſententiâ Turriani militantibus.

De mollitie completâ, & incompletâ.

DICEBATVR SECVNDO, pollutionem inceptam & completam non differre ſpecie, nec debere in confeſſione exponi. Et ego concedo illud prius, & nego iſtud poſterius. Probabatur exemplo à furto, & ab omiſſione Officij divini deſumpto: & ego non admitto paritatem. Quia in furto omnes partes ſunt homogeneæ: etiam in Horarum Canonicarum omiſſione: at verò in pollutione res aliter ſe habet, quia initium & finis, ſunt heterogeneæ partes; nam illud naturâ ſuâ poſtulat eſſe naturale, & poteſt eſſe naturale & contranaturale; at verò iſta ita eſt contranaturalis, ut eſſe naturalis non poſſit. Debuit igitur Titius dicere, *Tactibus fœminæ pollutus ſum:* imò & debuit explicare, Vtrùm tactibus ſuis etiam fœmina polluta fuerit?

De furto, & omiſſione horarum.

De pollutione ſimplici, & duplici.

De mollitie, Sodomiâ, & beſtialitate.

DICEBATVR VLTIMO, mollitiem, ſodomiam & beſtialitatem non diſtingui ſpecie. Et quid inde? Aperiendæ ſunt in confeſſione non ſolùm malitiæ diſtinctæ ſpecie, ſed malitiæ omnes diſtinctæ numero; & ideò in confeſſione hæc tria peccata exponi debent, tametſi non diſtinguantur ſpecie: nec enim adulterium duplex à ſimplici, nec ſacrilegium duplex à ſimplici diſtinguitur ſpecie; & nihilominùs debent in ſacramentali confeſſione diſtingui. Sed de hoc uberrimè ſuperiùs cum de peccatis contra naturam diſputavi.

De adulterio ſimplici, & duplici.

N O T A.

An dentur ſpecies inadæquatæ? &, An ipſæ in Confeſſione exponi debeant?

DIximus circunſtantias mutantes ſpeciem debere in Confeſſione explicari; at verò aggravantes etſi maximè aggravent culpam, non debere. At videtur nonnullis Iunioribus Philoſophis eſſe quædam intermedia diſtinctio; quæ eſt major numericâ, & minor ſpecificâ, & quæritur an hæc debeat in Confeſſione neceſſariò explicari? Hanc ipſam diſtinctionem Oviedus, & alij nonnulli Philoſophi vocant *ſpecificam inadæquatam*, voluntque inveniri inter marem, & fœminam; Antonia enim dicunt non differt ſpecie à Franciſco, & tamen plus ab eo differt, quàm à Ioannâ: à qua diſtinguitur numero. Et his poſitis diſcurrunt ſic. Antonia à Franciſco diſtinguitur plus, quàm numero, minùs quàm ſpecie: ergo aliâ diſtinctione intermedia, quocunque illa nomine ſignificetur.

MMMCLXXI.

De diſtinctione ſpecificâ inadæquatâ.

An vir & fœmina diſtinguantur ſpecie.

Si ſemel hæc doctrina admittatur in phyſicis, duo inquiro. Primum, *An hæc ipſa diſtinctio in moralibus, & in peccatis præcipuè, locum habeat? ſecundum, an debeat in tribunali Confeſſionis exponi.* Quod eſt quærere, *An dentur peccata, quæ diſtinguantur, plus quàm numero, minùs quàm ſpecie, & diſtingui ſpecie inadæquatâ dicuntur?* & ſi

An dentur peccata quæ diſtinguantur ſpecie inadæquatâ.

Digitized by Google

ejuſmodi committantur peccata, *An hæc ipſa inadæquata peccatorum diſtinctio debeat in Confeſſione explicari?*

Quæſtio eſt hæc nova: & quæ maturo examine indiget: Eam uberiùs deductam in fine hujus Tomi ponemus.

ARTICVLVS V.

De Reſervatione.

MMM-CLXXII. *Reſervationum abuſus.*

N. B. Diſcedit nūc à me Religioſus N. Sacr. Theologiæ Lector, & ne memoriâ excidãt quæ me monuit, in hac ea margine ſcribo. In ſuo Monaſterio duos eſſe, ait, qui habent poteſtatē abſoluendi à caſibus reſervatis, qui otioſi ſunt; nemo enim audet ad eos accedere, nã experientia docet, cum quis illis cōfitetur, cenſeri à exteris ideò ad illos veniſſe, quia caſum reſervatum commiſerat. Ergo in illâ Communitate, qui in caſum reſervatum lapſus eſt non habet copiã Confeſſarij. Debet ergo Superior nõ niſi Viros doctos & probos ad audiendas confeſſiones exponere, & eis, qui omnium confeſſiones excipiunt, dare à reſervatis abſolvendi poteſtatē & authoritatē. Sed hoc, ſi bene conſideretur, eſſet idem, ac nullum peccatum reſervare.

NON defendam Caſuum reſervationem, quæ ſicut aliquando erit utilis aut neceſſaria; ſi nimia ſit, & nimis dura, poteſt eſſe nociva. Magni in hac materiâ committuntur abuſus, præcipuè in parvis communitatibus; & maximè, ſi fuerint Religioſi indocti. Scio Prælatum, qui ut licentiam abſoluendi ab aliquo reſervato concederet, volebat ſcire, an reus eſſet laicus, Iunior, aut Sacerdos, itemque quale peccatum commiſiſſet: & in Monaſterio Religioſorum ſedecim, vel viginti his circunſtantiis notis, non poſſet peccatorem neſcire. Scio Prælatum, qui tales circunſtantias reſervabat, quæ ignorantes ſub initium ſcandalizarent, & electæ docerent novos, & varios modos laſciviendi. Scio Capitula etiam peccata reſervare, quæ ſi agant de ſecretis, quomodo poſſint excuſari non video. Hanc ob rem multi Summi Pontifices reſervandi authoritatem, quam habebant inferiores Prælati limitarunt, & Clemens VIII. ſupra undecim, quos ipſe recenſet, plura reſervari interdicit: & multi Antiſtites nulla reſervant. In Hiſpaniâ in totâ Congregatione Ciſtertienſi non vidi, non audivi aliquem caſum reſervari: nullum ego in meis Monaſteriis reſervo, cùm quia apud ſanctos, & probos gravia ſcelera committi non ſuſpicor; tum quia ſuppetunt alia remedia benigniora, & me Iudice deberet Reſervatio reſervari in eum caſum, in quo non ſufficeret cura, & vigilantia Superiorum. At ſunt multi, qui ut dormiant tranquillè, Præcepta, & Cenſuras multiplicant, & cùm deberent Chriſti nomine ſubditos regere, eoſdem Chriſto gubernandos remittunt.

Sed hæc miſſa faciamus: inquiramus tantummodò duo, quæ valdè neceſſaria videntur. *Primum*, An ille, qui in peccata reſervata fuit lapſus, poſſit confiteri (puta, vel ſubticendo reſervata, & non reſervata explicando: vel etiam confitendo utraque cum onere comparendi coram ſuperiore) cuicunque alij ſacerdoti, quando non adeſt, qui poſſit audire reſervata, nec niſi poſt longum tempus venturus ſit? *Secundum*: An una ſola nox debeat cenſeri longum tempus?

Quo debeat modo confiteri, qui in peccata reſervata ſit lapſus?

Primum videtur facilè; & affirmativè doctiſſimi viri reſpondent. Ita Suar. *tom.4 diſp. 23. ſect.2.n* 7. Iacob. Granad. *3 p. de Sacr. controu.7. tract.9 diſp.5. ſect.3.n.*12. quos citat, & ſequitur Diana *p.5. tra.13. reſ.*8. & probatur. *Primò*, quia Eccleſiaſtica reſervandi caſus authoritas ad ædificationem, & non ad deſtructionem conceſſa, ſi longo abeſſet tempore, qui audire reſervata poſſet, reo nullo modo prodeſſet, ſed noceret: nam cogeretur miſerrimus peccator in mortali ſordeſcere: & tamen omnium ſententiâ eſt periculum maximū, hærere in peccato mortali: nam abyſſus abyſſum invocat, & qui longo tempore iacet dureſcit, & diſcit prius non ita ſentire ſua vulnera, & poſtmodum paulatim contemnere, ita ut ad Atheiſmum nulla videatur via pronior, & certior, quàm longo tempore manere in peccato mortali.

MMM. CLXXIII *Nemo poteſt cogi, ut longo tempore non confiteatur? An contritio ſit ardua? An attritio ſit facilis?*

Secundò; quia flagitioſis & ſceleratis viris contritio eſt ardua, ſemper difficilis, & impoſſibilis nonnunquam ob circunſtantias intercurrentes, cum quibus non poteſt componi. Imò eiuſmodi hominibus non ſemper attritio judicabitur facilis; nam Mechliniæ (ut ſpeculativa exemplo aliquo exornem) dum Lovanij eſſem, damnatus fuit ad rotam latro quidam multis homicidiis & rapinis infamis, qui tamen auditâ capitali ſententiâ gratias egit Iudicibus oravitque, ut acceſſeretur quidam Excellentiſſimus Concionator, qui fortè aderat, ut vel ſic poſſet duritiem cordis, quam ſcelerata multorum annorum contumacia adquiſierat, tollere, vel remittere: tantamque aiebat ſe duritiem ſentire, ut indigeret magnâ Dei ope, magnâ hominis ſuadâ, ut verum propoſitum non peccandi formaret. *Tranſeo.*

MMM. CLXXIV *Utrùm una nox ſit longum tempus?*

Ad ſecundum. Hurtad. 22. *diſp.*84 *ſect.*7. §.190. ſic ait [Optarem ego, ut P. Suar. & alij exponerent an interiecta una nox eſſet breve tempus, an longum? & utrum eſſet cauſa ſufficiens ad indirectam abſolutionem, peccatorem ire cubitum DEO reconciliatum? qui enim ſe ſentiret difficilem, in exercenda contritione, & cognoſceret ſe ſatis eſſe paratum ad confeſſionem haberetque præſtò Sacerdotem, an infelix hic homo iturus eſt ad ſomnum in peccato mortali? & fortè ex illo ſomno rapiatur ad tartara! Author libri de Spiritualibus documentis *cap. 53. tom.4. Operum Auguſtini* explanans teſtimonium Chriſti apud Luc. c.12. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam*, rectè hæc ait. *Heu quare non timemus, quod Evangelium terribiliter inſonat dicens: Stulte, hac nocte repoſcent animam tuam?* & Aug. ipſe tom.10. lib. hom.48. *Non & vitam ſpgabat, & de craſtino cogitabat; quod in aliis expectabat in ſe non ſperabat.* Vnde concludo voluiſſe Chriſtū omnes monitos non differendam pœnitentiam à nocte in diem ſequentem; quia fortè illum non aſpiciemus, ut innumeris contingit. Ad rationem Suar. reſponderi poſſet, eſſe rationabilem cauſam exemplum tot hominum raptorum ad tumulum de repente, & nullum niſi pœnitentem poſſe in mortali dormire peccato. At nihil audeo decernere, quia quæſtionem hanc vidi nullibi; nec volo alicui in alterutram partem præire.] Ita Hurtadus.

Contrà

MMM. CLXXV. *An ab vnâ nocte ad vnam horam valeat conſequentia?* Contrà nihilominùs reſoluit Diana, dicitque ſpatium vnius noctis non ſibi videri longum tempus, vt quis poſſit abſolui à reſeruatis, aut modo, qui ſuprà confiteri. Rationem Hurtadi eneruare conatur: nam ſi ſpatio vnius noctis poteſt quis repentina morte perire, etiam ſpatio vnius horæ, aut etiam vnius momenti poteſt: Ergo ex hoc capite ſemper quis poſſet confiteri cum quolibet Confeſſario, ſi non haberet copiam alterius habentis authoritatem abſoluendi à reſeruatis.

De obligatione Superiorum? At ego inquiro primò. In quam legem euidentem euidenter impingeret ille, qui diceret, debere ſemper Superiores dare Confeſſarios peccatoribus, vt ad Deum conuertantur, quos ne vna quidem hora negare poſſent: Eccleſiamque ſupplere defectum, caſu quo Superioris negligentia aut tyrannide aliquis Confeſſarium non habeat? Iubemur dicere cum Dauide Pſalm. 101. *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam: in quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.* Ergo non vult Deus, vt cogatur hærere in craſtinum, qui vult hodie reſipiſcere, & miſericordiam implorare. Ergo ſtandum eſt pro Hurtadi ſententia contra Dianam: Ergo, ſi ex vna die ad vnam horam argumentum fortè deducitur, eodem modo de vna hora debemus philoſophari.

Inquiro etiam ſecundò, An ſit bona conſequentia moralis, quæ ab vna hora ad vnum diem traducitur: quoniam teſte ipſo Diana, à breui tempore ad longum non valet argumentatio, aut contrà: & ſi Hurtadus diceret horam eſſe breue tempus & diem longum, non deberet Diana à die ad horam arguere; ſed oſtendere vnum diem eſſe tempus breue. MMMCLXXVI.

Inquiro etiam tertiò, an non tempus nocturnum ſit hoſtile & ſuſpectum; & multos etiam ſanos & robuſtos abſtulerit? Vnde, ſi datur ſpecialis ratio in nocte, quæ non datur in die, non iam à nocte integrâ ad horam deberet argumentari Diana; ſed potiùs dicere, periculoſius eſſe vna hora dormire, quàm vndecim vigilare: rarò enim humores vigilantes ſuffocant, at frequenter dormientes; quod poſſemus centenis exemplis comprobare. *An tempus nocturnum ſit inimicum?*

ARTICVLVS VI.

Quid poſſit facere pœnitens, qui habet reſeruata, & non reſeruata, & debet communicare, aut celebrare, & tamen caret Confeſſario, qui eum à reſeruatis abſoluat?

MMMCLXXVII. *Dianæ conſilium.* VNVM è tribus illis conſulit Diana: nimirùm, vt vel confiteatur omnia ſua peccata tam reſeruata, quàm non reſeruata: vel vt confiteatur non reſeruata tantùm? vel vt eliciat actum contritionis, & ſine Confeſſione ad Euchariſtiæ Sacramentum accedat. Non examino, an hæc omnia ſint vera, [fortè enim aliquis diceret caſum eſſe impoſſibilem; & male gubernare ſubditos, qui reſervat peccata, & tamen relinquit ſubditum, quin habeat, qui eum à reſervatis abſolvat.] ſed Dialecticum ago, & hunc caſum propono.

De circunſtantiâ cōplicis. An teneatur illā in confeſſione exponere, ſi aliter non poteſt integrè confiteri. Petrus habet peccata, quæ poteſt ſuis confeſſariis exponere, habet alia mortalia, quæ poteſt, aut tenetur tacere; puta ratione complicis, eo nimirùm caſu, quo poſſit illud peccatum ſubticere, ex quo complicem Confeſſarius cognoſceret: eſſe enim probabilem ſententiam, quæ docet non teneri pœnitentem confiteri ſua peccata cum infamiâ complicis, certum eſt & inquiro, An in tali caſu habeat locum etiam Dianæ conſilium: nimirùm, vt vel confiteatur omnia peccata; vel confiteatur tantum illa, quæ poteſt ſine infamiâ complicis, vel eliciat actum contritionis, & ad Euchariſtiam inconfeſſus accedat? Videtur enim inter reſeruationem, & hunc caſum vltimum paritas; non enim illa mutat eſſentia pœnitentiæ, & videre vellem claram diſparitatem.

ARTICVLVS VII.

De Confeſſionis Secreto.

MMMCLXXVIII. *An in hac materiâ laxæ ſint ſententiæ tolerandæ?* SCRIPSIT eruditiſſimum tractatum Diana de Confeſſionis ſigillo [eſt partis quintæ vndecimus] & in toto ſeueriſſimè philoſophatur, & meritò; iniuriæ enim ſunt Chriſto, & Sacramento omnes laxæ ſententiæ, quæ in hac materia circumferuntur. Vtinam cùm agitur de Sacramentali ſigillo, eſſet bona conſequentia hæc, *Opinio laxa condemnatur à Diana: ergo eſt improbabilis*; ego enim nihil ſcriberem, aut voci ferari deberem: at quidquid Diana, & alij clament opiniones contrariæ à cunctis manere probabiles, & petrā offenſionis non tolli: & ideò vnam aut alteram quæſtionem adiungo. *Conſequentia notanda.*

An interdictio ſit ſufficiens, an debeant veriùs laxa hic ſententia cōdemnari?

Quæro primò, An-non ſit neceſſarium, vt Eccleſia omnes laxas opiniones condemnet, quæ reddunt odioſum Sacramentum? & dubito, an qualiſcunque condemnatio ſufficiat? nam interdictio non eſt diffinitio, & contra definitionem Eccleſiæ non datur exceptio apud Catholicos, & contra Eccleſiæ præcepta multæ dantur.

An quis teneatur confiteri cum periculo?

Quæro ſecundò, An-non ſit probabiliſſimum, neminem teneri confiteri homini, à quo grauiter timet, ne notitiâ confeſſionis abutatur? nam in tali caſu Chriſtianus non habere copiam Confeſſarij dicitur, & poſſe facere confeſſionem formaliter integram, licèt non ſit integra materialiter.

MMMCLXXIX.
An debeant homines præcepta Dei graviora reddere?

Porrò me Iudice audiri non deberent ſententiæ, quæ loquaci linguæ habenas, & copiam in hac materia difficillima immittunt. Multum homini concedit Chriſtus in tribunali pœnitentiæ, & ideò tametſi multum petat, parum petit: at homines non debemus illud grauius reddere noſtris opinationibus; quidquid ſacramentaliter auditum, ignoratur humanitùs, & referri extra Sacramentaliter nequit. Placent verba Dianæ *part. 5. tract. 11. ante reſol. 1.* præſcindendo; quod & ipſe facit, à quæſtione, quæ inquirit, non, *Vtrùm hanc pœnam fuerit promeritus?* ſed, *Vtrum in tribunali legitimo fuerit damnatus?* Sed quidquid de iſta quæſtione ſit, Diana ſic inquit. *In mentem adduco factum Iacobi Aragoniæ Regis, qui Gerundenſi Epiſcopo linguam à tergo extrahi imperauit, quòd Confeſſionem Regis detexiſſet, vt refert Altreda de diſcipl. tuenda lib. 2. cap. 19. num. 2. &c.*

Epiſc. Gerundenſis ob revelatam confeſſionem damnatus.

Ioannes Silentiarius.

Quod ſi homines aliquando confeſſarios authoritate, & imperio opprimant, cogantque, vt ſecreta Sacramentalis confeſſionis reuelent, quia Pragæ ſcribo, Ioannis Silentiarij meminero, qui iacet in Eccleſiâ maiori ſub lapide cratibus circumcincto, ne ſub pedibus iaceat, & digniſſima honoratur Epigrapha: Hic enim maluit in fluuium proiici, & Regis opinione perire, quàm Reginæ confeſſionem detegere.

ARTICVLVS VIII.

De Excommunicatione.

MMMCLXXX.
An excommunicari poſſit, qui adhæret opinioni probabili?

MERITÒ peccatis adiungamus cenſuras, quia connexæ illis ſunt; non agam de vniverſis; ſed ſolùm de excommunicatione, de qua ſcripſit eruditiſſimum tractatum Diana, quem in Part. V. reperies: at in ipſo, quantus eſt, non reperiuntur duæ Quæſtiones, quas debeo neceſſario proponere.

PETO PRIMÒ, *An poſſit excommunicari, qui ſequitur opinionem probabilem?*

ET SECVNDÒ, *An-non ſit peccatum mortale innocentum excommunicare? nempe illum qui communicari non poteſt?*

INcipiam à quæſtione ſecundâ, quæ vt facilior & clarior, aperiet viam, ut primam benè diſſoluamus.

An excommunicatio inferat infamiam?

Reſpondeo igitur, *Peccare mortaliter Superiorem, qui innocentem (nempe, illum, qui excommunicationem non incurrerat) eſſe excommunicatum declarat.* Et ratio eſt, nam omnis excommunicatio infamiam infert; & ſi iniuſta illa ſit, infert ignominiam, & infamiam iniuſtè: & hanc ob rem dicendum abſolutè eſt, peccare mortaliter illum, qui iniuſtè aliquem excommunicat. Accedit quod abuti Deo ſit peccatum mortale; & qui innocentem excommunicat, diuinâ abuti poteſtate certum eſt.

MMMCLXXXI.
Omnis excommunicatio eſt timenda, ſed cur?

Sanè ſi hæ duæ Reſolutiones ſubſiſtunt, *Omnis Excommunicatio (iuſta ſit aut iniuſta) eſt timenda:* ſi iuſta, væ excommunicanti.

Ita enim exponit hoc Axioma S. Bonaventura Doctor Seraphicus, in Tractatu, qui determinat, *Quare fratres minores prædicent, & confeſſiones audiant?* inquit enim. *Quod autem dicitur*, quòd ſententia Excommunicationis, ſive juſta ſit, ſive iniuſta, ſemper eſt timenda, *verum eſt: quia ſicut iuſta timenda eſt promerenti: ſic iniuſta ferenti & promouenti.*

De modo excommunicationis.

Et quid ergo dicemus de aliquibus indoctiſſimis noſtri æui Prælatis, dextrorſum ſiniſtrorſum excommunicationes fulminantibus, & præcipuè in litibus, quando (vt videmus diebus ſingulis) excommunicantur, qui ſuum ius manutenent, qui fortè ſi non manutenerent, peccarent? An-non deberent dici, in lite ante ſententiam definitiuam, ſemper eſſe vtramque cauſam dubiam, nec poſſe aliquem excommunicari?

De materiâ excommunicationis.

Hæc dicta ſint de excommunicationis modo, & forma: aliquid de materia etiam dico. Vidi mirabiles excommunicationes publicari: contra retentorem Caniculæ: interceptorem floris; ſed hoc ipſam à Viris indoctis, & præcipitibus. Volo adhuc mirabiliora addere, vidi in aliqua Vniuerſitate, à Rectore Magnifico declarari excommunicatos, qui in muro ſcriberent, quod pueri ſolent, aut angulos ſordibus macularent: mihi omnia puero diſplicuerunt: & ſeni etiam omninò diſplicent; videtur enim excommunicatio grauiſſimum poteſtatis Eccleſiaſticæ fulmen explodi ob leuiſſimas res non debere; maximè cùm petulentiæ adoleſcentum aut flagellis aut ſaltem pœna pecuniariâ elui, & caueri poſſint; & ſoleant faciliùs, & prudentiùs.

Venio

MMMCLXXXII. *Proponitur altera Quæſtio iuxta duplicē ſenſum, quem habet.*

VEnio ad Quæſtionem primam, quæ poteſt habere duos ſenſus: alius eſt, *Vtrum poſſit Superior declarare ſubditum fuiſſe inobedientem, & incurriſſe excommunicationem, quando ſubditus propter ſuperuenientes nouas circunſtantias & inconuenientia indicauit ſe poſſe non obedire, & recurriſſet ad ſuperiorem, niſi eſſet in morâ periculum: & vt ſecurius procederet, Viros doctos conſuluit, qui reſponderunt, eum, in tali caſu poſſe non obedire?* Alius eiuſdem Quæſtionis ſenſus eſt, *Vtrum quando eſt materia diſputabilis (quam Authores & rationes hinc, probant poſſe præcipi; inde, non poſſe) teneatur obedire ſubditus, etiam in re, quæ probabiliter non poteſt præcipi? Et, ſi præcepto annexa ſit excommunicatio, an teneatur obedire ſub cenſurâ? &, ſi obedire renuat; an in tali caſu Superior poſſit procedere contra inobedientem ſubditum, tanquam contra verè excommunicatum?*

Sunt iſti duo caſus frequentiſſimi, & debent accuratè explicari.

Epikeia, an aliquando admitti poſſit?

Reſpondeo ad primum, Epikeiam debere in tali caſu admitti, & recurri ad impliciram voluntarem Prælati, quia mutatis ſubſtantialiter circunſtantiis, leges neceſſariò mutantur.

Mutatis circunſtantiis ratio legum mutatur.

Verbi gratiâ: Præcipit Paulo Conſul, vt Franciſcum exiſtentem in pago capiat, vinciat, & in ciuitatem tranſportet. Vadit Paulus, & reperit Franciſcum peſte infectum: An-ne debebit illum capere, vincire, & in ciuitatem tranſportare? An, ſi id non faciat Paulus, à Conſule debebit puniri? Non certè, ſed potiùs eſſet puniendus, ſi illud faceret. Deberet igitur in tali caſu Paulus, Franciſcum eo modo capere, quo locus, tempus, & occaſio permitterent; at infectum peſte hominem in ciuitatem vehere non deberet; hoc enim, quidquid ſonent præcepti verba, non voluit præcipere Conſul. Hinc patet, quomodo intelligenda ſit Iuris Canonici Regula LXXXVIII. *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens (fortè complexus) contra legis nititur voluntatem.*

In præceptis videndum quid intendat ſuperior, non quod ſonant cruda præcepti verba.

MMMCLXXXIII. *An Superior poſſit obligare ſubditū in materiâ probabili.*

Reſpondeo ad ſecundum, hunc caſum eſſe frequentiſſimum, & poſſe bifariam diſſolui: aut conſiderato nudo Iure naturæ, aut legibus humanis conſideratis. Stando enim puro Iuri naturæ, eſſet opinionum libertas; & ſicut Superior poſſet ſequi ſuam opinionem probabilem, & præceptum imponere: ſic etiam inferior poſſet tenere oppoſitam, & aſſerere, ſe non poſſe obedire. V. g. ſit aliquid probabiliter bonum, & probabiliter malum: illud Prælatus poſſet iudicare eſſe bonum & præcipere: illud ſubditus, ſtando iuri naturæ, poſſet iudicare malum, & non facere. Cùm ergo nudum Naturæ Ius Communitates non concernat, nam Decalogus pro ut illas concernit, nominatur *Ius gentium*, Ius purum Naturæ in Communitatibus locum non habet. Et, ſi fortè ita illud velis exponere, ut etiam habeat locum in Communitatibus, cùm hodie non viuant homines ſecundùm purum Ius Naturæ, ſed acceptando humanas leges, ceſſerint libertate, ſit Concluſio. *Poteſt Superior in materiâ probabili ponere præcepta, etiam annexa cenſura excommunicationis, & ſubditus obedire tenebitur.* Hæc veritas pluries à nobis in hoc libro eſt repoſita, pluries probata; ſed quia modò aliquæ rationes ſuccurrunt, illas volo breviter examinare, & ponderare. Eſt

An poſſit præcipere, quod malum probabiliter eſt?

MMMCLXXXIV. *An poſſit interdicere opiniones probabiles.*

Prima. Superior poteſt interdicere libros & opiniones, quæ continent doctrinam probabilem. Ergo ſubditus, qui contra opinionem interdictam operetur, peccabit. Antecedens eſt certum: & conſequens infertur bene.

Sed hæc ratio non placet: poſſet enim aliquis admittere, licere Superioribus interdicere libros; præcipere, ne tales aut tales opiniones in ſuis communitatibus tradantur: at non poſſe interdicere, ne ſubditi vtantur doctrinâ probabili, quæ in libris interdictis continetur. Et veniendo ad opiniones interdictas, poſſet addere, aliud eſſe *Præcipio tibi, vt talem opinionem non doceas*; & aliud omninò diuerſum, *Præcipio tibi, ut talem non habeas.*

Aliud eſt interdicere Petro, vt talem opinionē doceat; & aliud, vt ea vtatur.

Accedit, quòd iſta prima ratio ſupponat illud, quod debebat probare, idem eſt enim quærere, *An Prælatus poſſit obligare ſubditum in materiâ probabili?* ac quærere, *An poſſit interdicere vſum oppoſitæ ſententiæ probabilis?*

Quid ſit obligare ſubditū in materiâ probabili?

An, quando vna opinio eſt probabilis, etiam oppoſita ſit probabilis?

Secunda. Quando opinio ex parte ſubditi eſt probabilis, eſt etiam talis contraria ex parte Prælati (hoc antecedens euidens eſt) ergo in tali caſu dubium erit, pro quonam ſtet poſſeſſio, pro ſubdito-ne, an pro Prælato (hæc conſequentia etiam euidens eſt) ſed in dubio ſemper ſtandum eſt pro ſententia Iudicis, aliàs eſſet inferioris conditionis ſubdito (hæc etiam minor euidens eſt, cùm à nullo impugnetur) Ergo in tali caſu pro ſententia Prælati erit iudicandum & conſequenter ius habebit ſubditum cenſuris coercendi, obediat. (hæc conſequentia cùm inferatur ex præmiſſis indubitatis, & euidentibus, ipſa quoque euidens erit.)

N. B. Scio eſſe, qui velint dicere eſſe probabilem caſum, in quo altera opinio ſit probabilis, & altera non ſit probabilis; ſed hi noſſe ſcire, cur aliqua Propoſitio ſit merè probabilis?

Sed neque hæc ratio conuincit omninò: prima enim conſequentia, quam vocat euidentem argumentator, eſt certiſſimè falſa; nam in tali caſu nullum eſſet dubium, ſed probabilitas. Subſumis: atqui in probabilitate ſtandum eſt pro ſententia ſuperioris, & hoc eſſe euidens aſſeris; & ego ſubrideo & interrogo, An non ſit euidens te iterum ſubſumere illud, quod debebas probare.

Dubium non debet cum probabilitate confundi.

An ſi vtraque pars ſit probabilis, ſtandum ſit pro Prælato.

MMMCLXXXV.

Reiectis igitur his duabus, & ſimilibus aliis rationibus, in quibus & principium petitur, & idem per idem probatur. Demus rationem ſolidam, quæ ſuper probabilioritatis aleam poſita, ſolutionem non habeat. Arguo ſic. Stando nudo Iuri naturæ, vel ſubditus tenetur obedire ſuo Superiori in materia probabili, vel non tenetur. Si primum, ceſſat quæſtio, quia etiam nunc tenebitur. Si ſecundum, ergo poterit cedere iure libertatis, & obligare ſe ad obediendum Superiori in materiâ probabili. Atqui de facto ceſſit. Ergo tenetur in materiâ probabili. Probatur minor: quia Superiores ſunt in quietâ, præſcriptâ, & pacificâ poſſeſſione obligandi in materiâ probabili. Sic Gregorius XV. cenſuris deterret, ne quis B. Virginem in labe originali conceptam, defendat: & tamen eſt opinio probabilis, paſſim hodie, ſemperque Pontifices

Poſſumus cedere Iuri naturæ permiſſiuo.

Stat pro Prælatis poſſeſſio.

An opinio quæ olim erat probabilis poſſit eſſe hodie nō probabilis.

An verè ceſſerint ſuo iure ſubditi, nec contra Superioris præceptum poſſint adhærere opinioni probabili?

Pontifices pro immunitate Eccleſiaſticâ propugnandâ innumeras opiniones cenſuris damnant, quamuis probabiles reputentur, ob plurium Doctorum, patrocinium. Et ne fortè quis dicat, aut Pontifices Summos ſuâ poteſtate abuti, aut illos poſſe, quæ inferiores Prælati non poſſunt, ſic ratiocinor Quando ſubditus voto ſolenni aut ſimplici obedientiam promittit, cedit jure utendi propria voluntate hoc enim poſtulat pacifica Communitatis conſervatio. Sed eædem in illa eſſent contentiones & rixæ, ſi liceret ſubdito contra ſuperioris præceptum adhærere Opinioni probabili, ac ſi Obedientiæ votum non emitteretur. Ergo non conſequerentur ſuum intentum Chriſtus, & Eccleſia, ſi poſt votum permitterent, ut ſubditus contra Prælatum cornua obverteret prætextu Opinionis probabilis. Et hoc porro inconveniens, tametſi in viâ Probabiliſtarum, ſit magnum, in viâ probabilioriſtarum eſſet intolerabile; minùs enim Confratres turbaret & ſcandalizaret, qui *Non debeo obedire* diceret, quàm qui inſultaret dicens *Debeo non obedire.*

N O T A.

An in dubio cenſendus aliquis ſit irregularis, aut excommunicatus? & An huiuſcemodi incurrat cenſuras, qui occidendi animo Clericum, iam ab alio occiſum tranſverberavit?

MMMCLXXXV. b. *Caſus proponitur.*

PVgnabant acriter duo Clerici, alter Lethali vulnere perfoſſus cecidit. Supervenit Franciſcus, & in collapſum irruit, eumque tranſverberat ſecundo vulnere. Sunt qui dicant Franciſcum Clericum adhuc viventem vulneraſſe: ſunt qui dicant, ictum datum cadaveri: ſunt, qui dubitent. Et ideò indigemus Theologis, qui has tres Controverſias decidant.

An dentur cauſæ totales.

Prima. *Si Franciſcus clericum vivum tranſverberaverit incurriſſe excommunicationem certum eſt* Sed quid de irregularitate eſt dicendum? Lethaliter vulneratus iacebat, & erat aliàs moriturus, ergo non fuit occiſus à Franciſco. Sed quid ſi dicam, contra vulnus inflictum à Franciſco etiam fuiſſe Lethale, & ad eandem mortem duo vulnera (prius & poſterius) ut cauſas totales concurriſſe? Quid ſi dicam vulnus poſterius non cauſaſſe; ſed tantum acceleraſſe mortem? Reſpondeo potuiſſe concurrere utrumque ad homicidium, ut cauſas totales, aut partiales: ac propterea, utrumque irregularitatem incurriſſe. Ad illud, quod de mortis acceleratione ſubſumebatur, dico, nullum homicidium eſſe aliud, quàm mortis accelerationem. Homo in naturâ lapſâ naſcitur moriturus, & qui occiditur, non privatur immortalitate, ſed citiùs ſpoliatur vitâ. Et, ſi hæc contemplatio alicui videatur remota, & à longe quæſita, pronuncio, eum, qui moribundum ſacerdotem confoderet, & ita occideret peccaturum mortaliter, & excommunicationem incurſurum: nec excuſari poſſe accelerationis circunſtantiâ,

An mors habere poſſit duas cauſas totales.

An homicidium nihil aliud ſit quàm mortis acceleratio?

non enim mihi licet nunc eum occidere, qui eſt poſt horæ quadrantem moriturus.

An ſit irregularis, qui cadaver vulneravit? An excommunicatus?

Secunda. *Si certum ſit, tactum à Franciſco merum cadaver, ille irregularis non eſt:* At videretur in excommunicationem incurriſſe; quia hæc ob ſtatûs dignitatem eſt lata, & æquè dedecoratur clericatus, ſi mortuus clericus dedecoretur. Et etiam videretur, quod non: nam pœna Canonis imponitur percuſſoribus Clerici, non aliis: non ergo percuſſori cadaveris: quoniam cadaver non eſt Clericus. Nec iuvat recurrere ad paritatem, quia excommunicatio, eſt res odioſa, & in odioſis non admittitur rationis paritas. Et quidem hoc ultimum dicendum eſt, & hanc ob rem ſit Concluſio.

Rationis paritas in odioſis non valet.

De clericorum ſepulcris & ſtatuis.

Tertia *Potuit. Eccleſia, ob ſtatûs Clericalis authoritatem excommunicare illos omnes, qui in defunctorum Clericorum cadavera, ſepulchra ſtatuas &c. manus violentas & temerarias iniicerent, hanc tamen excommunicationem nondum fulminaſſe videtur.* Patet, quia hæc excommunicatio non colligitur ex Canone, *ſi quis*, & alibi in iure non exſtat.

Quis in dubio faciendum?

Sed quid ſi omnia ſint dubia? An excommunicatio aut irregularitas, aut alia cenſura, incurritur peccato, aut Iure dubio?

An irregularitas & excommunicatio ſint certa in dubio?

Putant aliqui irregularitatem & excommunicationem tenere in homicidio dubio, non, quòd in dubio cenſendus ſit aliquis irregularis aut excommunicatus, ſed quia potuit Eccleſia jubere ut qui vulnus grave intulit, ex quo dubium ſit, an mortuus fuerit vulneratus, fiat irregularis: & qui tale peccatum mortale commiſit [puta, qui dedit potum, ut ſequeretur abortus, etſi dubium ſit an ille ex illa potione provenerit,] maneat excommunicatus. Hæc poteſt Eccleſia facere: ſed, quia feciſſe dicat, debet illud probare.

Quid in hac materia poſſit Eccleſia facere?

Eſſe irregularem certò, qui dubium homicidium commiſit; tenent multi Doctores; videtur enim ſic ſtatuiſſe Pontifex. (Innocentius III.) *in cap. ſignificaſti. 2. de homicidio.* Quibus D. Petrus Franciſcus Paſſerinus ſubſcribens *lib. de pollutione Eccl. diſſ. 1. cap. 20. num 10 pag. 42 b.* aſſerit [ibi ob periculum, ne fortè qui reverà eſſet homicida celebraret, irregularitatem ſervandam eſſe, Pontificem decreviſſe.] & addit [hanc irregularitatem, cùm odioſa ſit, neque etiam ob paritatem rationis extendendam eſſe ad alios caſus] At alij nolunt Pontificem in dicto capite novum Ius condidiſſe, & ideò ex generali Regulâ dubium homicidam ab irregularitate eximunt: nam in dubiis ſtandum eſt pro poſſeſſione libertatis, *Beatus enim qui poſſidet*, ut expoſuimus ſæpe. Antonius Cotonius In Dianæ ſummâ verb. *Irregularitatis. num. 61.* hæc habet: *In dubio facti, ſi agatur de homicidio, non eſt cenſendus irregularis, ex communi ſententia & ſtylo Curiæ Datariæ & Pœnitentiariæ obſervato infallibiliter. Franciſcus de Lugo part. 8. tract. 6. reſol. 6.* Addo excommunicationem dubiam neminem obligare: nec oppoſitum colligi *ex cap. illud de Clerico excommunicato*, quoniam ille Epiſcopus, quem depoſuit Pontifex, quod ligatus excommunicatione dubia celebraverat; erat certus cenſuram fuiſſe latam, & tantùm dubitabat de cenſuræ valore, ut ait Arriaga

Rationis identitas ſemper locũ habet in Iure: at in odioſis à paritate aut ſimili non poſſimus ratiocinari.

Standum pro poſſeſſione, quæ erat ante illud dubium.

An dubia obliget excommunicatio?

In dubio tenemur rem examinare.

Qui ante examen reſolutionem ſumit, etſi materialiter

Digitized by Google

fortè nō erret, ſemper errat formaliter, & debet ſe verè puniri.

in 1. 2. diſp. 25. num. 21. Et ut hoc dubium deponeret, non adhibuerat diligentias convenientes, ut ait Paſqualig. *in Theolog. Morali, diſp. 63, ſect. 8. n. 62.* Meritò ergo fuit punitus; quoniam (excommunicatus eſſet, aut non eſſet) ante examen temerè celebraverat.

ARTICVLVS IX.

Exhibet ſummè neceſſarias Reſolutiones circa abſolutionem ægrotorum.

MMMCLXXXVI.

In omni probabilitate, aut etiam dubio infirmus abſolvendus eſt. Præſtat habere dubiam aut probabilem abſolutionem, quàm nullam.

SCIO eſſe multorum valde ſtrictas ſententias eſſeque Viros doctos, qui in multis jubent caſibus ægrotum ſine abſolutione dimitti, ut ſi fortè contritionem non habeat, præcipitetur in infernum ſemper conſultius eſt infirmum cum abſolutione probabili, aut etiam dubiâ, quàm cum nullâ dimitti; & Ego quando video Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum tam copioſo gratiarum profluvio ſuum ſanguinem in hoc Sacramento hominibus communicaſſe, & tamen hunc vel illum Theologum, quia ſic vult, claudentem fontes Miſericordiæ lego, cum Bonifacio VIII. exclamo, *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.* Sciebat Chriſtus, quando hoc Sacramentum inſtituit, poſſe excitari à futuris Theologis difficultates: & potuit, ſi voluiſſet omnibus obviam ire, & ſingulas antequam conciperentur, præoccupare. Et cur hoc non fecit? Quia voluit, ut curſum ſuum haberet ille Canon (quem ad Naturæ Ius pertinere ſuo loco oſtendi) videlicet, *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.* Quando aliquis clementiſſimus Princeps ſubdito privilegium concedit, vult proſpicere, non ſibi, ſed ſubdito; & ideò etiam vult, quòd in omni dubio ad ſubditi favorem interpretemur privilegium: Ergo, quia Sacramenta privilegia hominibus conceſſa ſunt, Chriſto aſſentimur, cùm illa in omni dubio ad favorem hominum interpretamur. His poſitis (quæ debuerunt neceſſariò præmitti) aliqua Dubia modo reſolutorio decidamus.

Sacramenta ſunt privilegia, & vult Chriſtus quod ad favorem hominum exponantur.

Quomodo exponenda ſint leges in caſibus in quibus obſcura ſunt.

MMMCLXXXVII.

An, & quando audito uno vel altero peccato poſſit abſolvi pœnitens?

DVBIVM I. *An infirmus, qui ob imminentem mortem non habet tempus confitendi omnia peccata audito uno vel altero poſſit abſolvi?* Poteſt. Imò debet; ſummam enim illi injuriam inferret Confeſſarius, ſi contingeret, ut ante abſolutionem moreretur. Ergo audito uno vel altero peccato pœnitentem abſolvat; nam conſiderato periculo hæc tunc confeſſio eſt formaliter integra; quando enim fiunt res ut poſſunt, fiunt ut debent. Hanc reſolutionem certiſſimam vocat Leander *part. 1 tract. 5. diſput. 5. queſt. 31.* ubi Suarium, Vaſquez, Henriquez, Bonacinam, Lugonem, Granadum, Coriolanum. Becanum, Palaum, Sà. Laymannum, Baſſeum, & alios, adiēgat.

An illud eſſe debeat mortale?

Sed quale eſſe debet illud peccatum? Mortale, & ex nondum confeſſis eſſe debere aſſerunt Suarius, Bonacina Reginaldus, Nuñus, Granadus, Lugus, & alij, etſi non ſit ex gravioribus: at Leander & Henriquez exiſtimant ſufficere, ſi ſit veniale.

Hanc doctriam ad peſtem, naufragium, incendium, prælium, & ſimiles caſus extende; non enim eſt credibile velle D. N. Ieſum-Chriſtum, ut dum unus integrè confitetur, cæteri ſine confeſſione pereant. Eam me docent, Authores ipſi quos citavi.

De peſte naufragio, prælio, incendio, &c.

DVBIVM II. *An infirmus, qui nimis in dicendis peccatis fatigatur, antequam omnia dicat, abſolvi poſſit?* Reſpondit Coriolanus *de caſib. reſerv. part. 1. ſect. 3. num. 8. fol. 269.* his verbis. [Si infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum, & dixerit Confeſſario, *Pater ego ſum valde fatigatus, relinquamus confeſſionem impoſterum, quia adhuc reſtant alia peccata confitenda: ſed accuſo me de his, quæ tibi, Pater, confeſſus ſum & de multis quæ nunc dicere non valeo, peto à Deo veniam*, tunc abſolvendus eſt ſtatim, ne fortè morte præventus ſine abſolutione diſcedat] Hanc doctrinam probabiliorem judicat Leander, & citat Henriquez Sotum; Alcozerem, Medinam, Bonacinam, & aſſerit eſſe communem.

An æger, ſi nimis in cōfeſſione fatigatur, poſſit auditis aliquibus peccatis abſolvi?

Petis, An hæc ſententia locum habeat, ubi nullum imminet mortis periculum? Reſpondeo (1) non habere: quia ob mortis periculum debet abſolutio concedi; unde, ſi illud non inſtat, hæc non poteſt concedi. Reſpondeo (2) non videri caſum poſſibilem, in quo æger non ſit in periculo mortis, & tamen ita fatigetur, ut non poſſit confeſſionem abſolvere. Reſpondeo (3) Confeſſarium, qui heri partem confeſſionis audivit & non abſolvit infirmum, quia nullum eſſe periculum putavit, ſi hodie illum ſenſibus deſtitutum inveniat, debere abſolvere. Ita Diana *3. part. tract. 3. reſ. 6.* Lugus *diſp. 17. num. 6. pag. 413.* Leander, Chapeavilla, Zambranus, & eſt communis.

Et quid faciendum, ſi mortis non immineat periculum?

Et quid, ſi poſt auditā dimidiā cōfeſſionē æger ſenſibus deſtituatur?

MMMCLXXXVIII.

De confeſſione generi. d. An, & quādo confeſſio ſit numeri & ſpecies peccatorum explicantur, cùm poſſunt; non autem, cùm non poſſunt.

DVBIVM III. *An pœnitens abſolvi poſſit, ſi in genere dixerit, ſe multa peccata commiſiſſe, & poſteà, ſenſibus deſtituatur?* Poteſt: & probatur clariſſime. Nam ſicut ſpecies, ſic numerus peccatorum debet in confeſſione exponi: At quando numerus non poteſt exponi, poteſt eſſe bona confeſſio ſine numeri determinatione: Ergo, quando non poſſunt ſpecies exprimi erit bona confeſſio, etſi illæ non exprimantur Ita D Antoninus, Medina, Cordova, Angelus, Sylveſter Richardus, Vaſquez Suarez, Salas, Ægidius Luyſius, Lugus, Hurtadus, Diana, Becanus Valentia; Felix, Gaſpar Hurtadus, Baſſeus, Leander, & alij.

De illo, qui ſignis & nutibus ſe dolere de peccatis oſtēdit. An poſſit, aut debeat abſolvi?

DVBIVM IV. *An pœnitens, ſi loqui non poſſit, & tamen nutibus ſe dolere de peccatis oſtendat, (puta, ſi pectus tundat, oculos ad cœlum erigat, &c.) etſi non petierit confeſſionem, poſſit abſolvi?* Leander *ubi ſupr. quæſt.* 42. [Probabilius reſpondeo poſſe illum abſolvi ſaltem ſub conditione, *ſi capax es*, &c.] At ſub conditione poſſe non eſt probabilius, ſed certum. Henriquez *libr. 6. cap.* 10. §.7. hanc ſententiam probabiliorem & in praxi tutam exiſtimat: addit tamen, [Quod, ſi trepider Confeſſarius, abſolvat ſaltem additâ conditione, *ſi poſſum*.] Quibus verbis docêris duo, Alterum, non eſſe neceſſarium conditionem ponere, ubi utimur ſententiâ probabili. Alterum: quando de ſententiæ probabilitate dubitatur, obviam iri omni ſcrupulo, ſi conditio ponatur.

Quando poni debeat, aut non debeat conditio?

An, qui voluit confiteri, abſolvi debeat, ſi poſteà confiteri non poſſit?

DVBIVM V. *Ioannes verbis vel ſignis dixit Confeſſario ſe velle confiteri; & poſteà ſenſibus deſtituitur, quæritur, an poterit abſolvi?* Videretur, quod non: nam velle confiteri, non eſt confiteri, ſicut nec velle abſolvere, eſt abſolvere. At in Pœnitentiæ Sacramento requiritur abſolutio realis, & non ſufficit abſolvendi voluntas; ergo etiam realis requiretur confeſſio, & non ſufficiet confitendi voluntas. Reſpondeo poſſe & debere abſolvi. Et ad rationem dubitandi dico hæc, verba, *Pater, dignetur audire meam confeſſionem*, eſſe confeſſionem in genere, & æquivalere his, *Pater, fateor me commiſiſſe aliqua peccata, quæ volo exponere in particulari.* Et jam diximus, confeſſionem in genere ſufficere, quando ſpecies explicari non poſſunt. Ita Lugo, Becanus, Palaus, Machadus, Leander, & alij.

MMMCLXXXIX. DVBIVM VI. *Franciſcus verbis, vel ſignis dixit infirmario, ut vocaret Confeſſarium: quando venit hic, infirmus caret ſenſu. Quid faciet Confeſſarius? poterit-ne ægrum abſolvere?* Aſſerit S. Thomas *Opuſc.* 65. §. *de Extr. Vnct.* Aſſentitur Leander *quæſt.* 43. *pag.* 141. *b.* dicens. [probabilius reſpondeo poſſe, imò & debere illum abſolvere; quia ſic expreſsè habetur in Concilio Arauſicano] *cap.* 12. & in Carthaginenſi IV. *can.* 76. & in Epiſt 89. S. Leonis Papæ: & poſtea in Rituali Romano Pauli V. edito ann. 1615. *in ritib. de Sacram. Pœnit.* his verbis. *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægri deficiat, nutibus & ſignis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere; quibus utcumque vel in genere, vel integrè, vel in ſpecie cognitis: vel etiam, ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.* Quibus verbis prudentiſſimus Pontifex plerosque omnes Caſus, qui in hac materiâ proponuntur, decidit.

An abſolvi æger poſſit ſi alij eum petiiſſe confeſſionem teſtētur?

Hæc Ritualis verba, ut fere omnes caſus reſolvantur videntur ſufficere.

Sed quid facturus erit Confeſſarius, ſi teſtis auritus ſit? ſi non ab ipſo infirmo, ſed ab aliis, qui ab infirmo audierant, ſe audiviſſe aſſerat, illum confeſſionem petiiſſe? Abſolvat inquit Lugo *diſp.* 17. *pag.* 437.

Quid, ſi teſtes non ab ipſo infirmo, ſed ab aliis audierit?

Sed hi teſtes, quando dicunt Confeſſario, ægrum voluiſſe confiteri, debent-ne hoc dicere coram ægro; an ſufficiet, ſi in abſentiâ loquantur? Dividuntur Theologi propter Clementis VIII. declarationem, in quâ aliqui putant hunc caſum comprehendi, & alij non comprehendi perſuadent. Has duas ſententias eſſe æquæ probabiles aſſerit Leander *cit. tractat.* 5. *diſput.* 5. *quæſt.* 45. *pagin.* 142. *a.*

An teſtes debeant coram ægro alloqui Cōfeſſarium?

DVBIVM VII. *An in omnibus iſtis caſibus, in quibus poteſt Confeſſarius moribundum abſolvere, etiam debeat?* Reſpondeo affirmativè. Nam Charitatis præceptum jubet, ut qui poſſit, adjuvet proximum in extremâ neceſſitate conſtitutum: nimirùm, quantum poſſit. Moribundum, qui non eſt confeſſus, eſſe in extremâ neceſſitate, quis dubitet? Ergo, qui illum poteſt abſolvere, etiam debet. Hanc eandem Quæſtionem excitavi ſuperiùs num. 3143. & oſtendi hanc ſæpe eſſe bonam conſequentiam *Poteſt. Ergo debet:* & quia hæc doctrina Moralem Logicam, quam exornavi, promovet, volo hîc illam Magni Viri teſtimonio & authoritate confirmare. Illam enim, ut certam & indubitatam, adſumit Illuſtriſſimus D. D. Gabriel Santanderius, Archiepiſcopus Hydruntinus, Thomiſta doctiſſimus & ſeveriſſimus, in ſui enim Certaminis *ſect.* 1. *pag.* 4. *num.* 3. ſic inquit. [Confirmatur authoritate D. Thomæ 2.2. *quæſt.* 40. *art.* 1. *in corp.* ubi hæc habet. *Cùm autem cura Reipublicæ commiſſa ſit Principibus, ad eos pertinet Rempublicam Civitatis, Regni, ſeu Provinciæ ſibi ſubditæ tueri.* Ad quæ verba doctiſſimus noſter Zumel, Salmanticenſium decus, *tract. de juſt. quæſt.* 17. *dub* 2. dixit in manuſcriptis, *pluribus titulis hoc ſpectat ad Principes, & graviter peccant omittendo*, &c. Vide plura alia (& quidem pulchra) apud Zeballos *de cognitione per viam violentiæ, gloſſ.* 5. *à num.* 21. è quibus *num.* 41. deducit ut legitimam iſtam conſequentiam, *Poteſt Princeps propulſare malum à ſubditis: Ergo tenetur illud propulſare.* Sed hoc magis roborabitur, diſcurrendo per ſingulos titulos, &c.] Inferam Ego: *Poteſt Confeſſarius* (nam poteſt ſequi opinionem probabilem) *propulſare à moribundo æternæ damnationis periculum. Ergo tenetur illud propulſare.*

An hæc conſequentia, Poteſt, Ergo & debet, ſit bona?

D. Gabriel Santanderius laudatus.

Tenetur Princeps pro ſuis preſtare quantū poſſit. Ergo, qui ſcire velit, Vtrum debeat, Vtrum debet examinare. Vtrū poſſit?

Volui ſic breviter diſcurrere per omnes caſus, qui ſolent in morbis accidere, ut viam ſternerem contentioſæ & difficili Controverſiæ, quam jam propono.

DISPV

DISPVTATIO III.

GRAVISSIMA,

De abſolutione moribundi.

An æger, qui eſt omni ſenſu deſtitutus, etſi nullo ſigno ſenſibili confeſſionem petierit, modò catholicè vixerit, abſolui poſſit?

An in titulo contradictiones implicentur? An vita catholica ſit ſignum? An homines non ſolum verbis loquantur, ſed factis? Reſolutio Quæſtionis?

MMMCXC. FORTE contradictoria involuit titulus, cùm ex unâ parte nullum ſignum ponit, & ex aliâ ægrum catholicè vixiſſe ſupponit: videtur enim ipſa vita catholica eſſe ſignum externum; qui enim catholicè vivit, videtur concomitanter dicere, ſe velle catholicè mori, Sacramenta neceſſaria ſuſcipere: adeóque Abſolutionem, viaticum Extremam-Vnctionem: ſed de hoc *num.* 1307. uberiùs quod dum alij examinant, quid in controverſiâ graviſſimâ ſentiam aut non ſentiam, expono. Sit.

Concluſio I. *Poſſe ejuſmodi moribundum abſolute & ſine conditione abſolui, eſt improbabile.* Patet; qoia nulla ratio & nullius Doctoris authoritas iſtud evincit.

Concluſio II. *Si rationes conſiderem, parum probabile mihi videtur poſſe ſub conditione abſolui.* Patet: eum enim eſſe in miſerrimo ſtatu, & eſſe incapacem abſolutionis ferè certum eſt.

Ad hujus ſententiæ extrinſecam probabilitatem pietas affectio & amor erga ægrotũ concurrit.

Concluſio III. *Pietas & erga proximum charitas, dum nulla demonſtratio ſuccurrit, tolerat, ut inter opiniones minùs probabiles aliquæ in lineâ infirmâ collocentur & inter illas ea quæ docet, abſolui poſſe ſub conditione moribundum, qui nullo verbo aut ſigno petiit abſolutionem.* Patet; quia nemo hucuſque demonſtravit oppoſitum.

MMMCXC. b. Concluſio IV. *Hæc Opinio ab extrinſeco probabiliſſima eſt.* Eſt contra P. Angelum Mariam Veſtricellium, qui neſcio cur, ſui ipſius immemor, *in quæſt. Moral. tr. 6. quæſt. 1. ſect. 14. num. 98. pag. 342. b.* ſic ait [Dubium mihi eſt, an hæc opinio ſit probabilis ab extrinſeco, & Ego non auderem aſſerere, hodie eſſe probabilem [a] ſaltem per principia extrinſeca, hanc opinionem. Ratio eſt, quia ferè nullus ex Doctoribus audet abſolvere, ad quod teneretur, ſi ea probabilis eſſet ſaltem per principia extrinſeca, Prætereà hæc opinio, quamvis à multis doctiſſimis Viris reputetur probabilis, ſaltem per principia extrinſeca; tamen tanquam falſa, & oppoſita moraliter certa à celeberrimis Scriptoribus hodie reputatur, quæ ſunt ſigna opinionem non eſſe probabilem neque per principia extrinſeca, ut tradunt Vaſquez 1. 2. *diſput.* 62. *cap.* 4. *numer.* 17. & 18. Clavis Regia *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. & Sanchez *in Summâ lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 11.

a] Nota illud *ſaltem*, nã alii omnes Theologi volunt ut ſaltem per principia extrinſeca probabilis ſit.

An ſententia benigna communiter teneatur in praxi.

Ad illa verba, *Fere nullus ex Doctoribus audet abſolvere*, dico P. Verricellium vixiſſe inter ſanctos, ubi omnes Sacramenta frequentant, & ſimiles caſus non occurrunt. Addo Verricellium quæ *ſect.* 2. ſcripſerat oblivioni mandaſſe: ibi enim *num.* 4. *pag.* 326. *b.* contrarium aſſerit. *Scio*, inquit, *quoque plurimos* (non ergo unum, aut alterum) *doctos* (non ergo ignorantes, *ac timoratos* (non ergo ruptæ conſcientiæ) *Sacerdotes, hanc opinionem in praxim deduxiſſe. Nec dubitandum, quòd ex Sacerdotalis Romani authoritate, ac etiam ex Ritnali illo Bononienſi prope infiniti* (N. B.) *in tali caſu ſub conditione abſolutionem largiri non dubitaverint.* Et cur hic aſſentitur Vaſquezio dicenti hanc ſententiam extrinſecâ authoritate deſtitui, ſi ipſe oppoſitum ſcit, & *ſect.* 2. fatetur: ait enim. *Non eſt adeo gravium Doctorum authoritate deſtituta ut cenſuit Vaſquez: etenim ut omittam Eccleſiæ Sanctæ lumen Auguſtinum, de quo infra, ſic docuit S. Antoninus, &c.*

Ego autem habeo aures oculatas, credo video: & quia aliter me inſtituit experientia, pronuncio hanc eſſe ſententiam communem & ſolam in praxi tenendam. Porrò Lovanij, ubi Viri doctiſſimi ſunt, vocatus ut ſigniferum Hiſpanum lethaliter vulneratum juvarem, reperi miſerum hominem ſenſibus deſtitutum, & duos Patres Societatis, qui ipſum abſolverant. Prævenerunt me illi Sancti Religioſi, nam idem feciſſem, ſi ante quam venirent, ad moribundum acceſſiſſem. Et quia eſt res ſummi momenti, in quâ agitur de ſalute æternâ animarum, teſtor Deum me in diverſis Vniverſitatibus varia de probabilitate intrinſecâ hujus opinionis audiviſſe, at nullum, qui in praxi eſſe abſolvendum hujuſmodi miſerum moribundum negarit. In ſimili caſu Pat. Rodericus Arriaga, cujus doctiſſimi libri oſtendunt quantus fuerit, agonizantem Pragæ abſolvit, ut *num.* 3216. narrabo. Et ibi §. *Interim*, producam Leandrum de Sanctiſſimo Sacramento, qui inter alia ſic ait. *Secunda hæc, quia non caret probabilitate (ut ipſe Diana meritò fatetur) an praxi obſervari debet & practicari (quod Ego Romæ in occurrenti caſu ſemel & iterum feci, nec pœnituit,)* &c. Prætereà, Civitas Antuerpienſis eſt celeberrima, florent in eâ Viri

Illam practicant Patres Ieſuitæ.

Illam Arriaga:

Illam Leand. à ſanctiſſ. Sacramento:

Illam Patres Franciſcani:

Doctiſſimi, & Patres Franciſcani ibi Viros maximos habent. At publicam Diſputationem, ut num.3197. recenſebo contra Epiſcopum oppoſitam jubenti inſtituerunt. Erat Malderi decretum. *Nemo moribundum qui nullo ſigno Abſolutionem petiit abſolvat* Ergo, ut opponerentur huic decreto Patres Franciſcani debuerint dicere. *Moribundum ſenſibus deſtitutum, qui nullo ſigno abſolutionem petiit quicunque Sacerdos abſolvere tenetur ſub peccato mortali.* Et exiſtimo primò, hanc Theſim non fuiſſe diſputationi publicæ expoſitam privatâ alicujus authoritate: nullus enim Profeſſor ſine Guardiniani, Provincialis, imò Generalis, & Theologorum Ordinis expreſsâ licentiâ auderet ſe uni Epiſcopo, in reſidentiæ loco opponere. Et exiſtimo ſecundò, neminem Duaci, neminem Lovanij, neminem in toto Belgio tunc Virum magnum fuiſſe, qui in dubium verteret, quod Patres Franciſcani propugnabant: nam aliàs fuiſſent qui ſcripſiſſent pro Epiſcopo, & illum Regij Miniſtri defendiſſent, & Apoſtolicus Nuncius vilipendi ejus decretum non tolerâſſe. Ergo quidquid ſit de probabilitate intrinſeca, hæc tunc doctrina obtinebat in Univerſitatibus Belgij, *Poſſe ſub conditione abſolvi moribundum, qui nullo ſigno abſolutionem petiit, ſaltem ab extrinſeco eſt probabile. Ergo, ſi probabiliter poteſt, non tam probabiliter, ſed certò debet. Ergo peccabit mortaliter, qui talem agonizantem non abſolvat. Ergo peccabit, mortaliter, qui eum impediat abſolvi.*

Illam integra Univerſitates & pleriſque omnes Viri Docti, ut ſtatim videbimus.

Sacerdos, qui poteſt moribundũ abſolvere, etiam debet.

Immemor, ut dixi, fui, de probabilitate extrinſecâ hujus ſententiæ dubitat Vercellius, nam ſi non ſufficiant Authores, quos ipſe adlegat, ut aliqua ſententia ab extrinſeco probabilis ſit. Se legat, obſecro, nam ſect. 2. pag. 326. a. ſic ait.

[Plures Recentiores, qui affirmativam ſententiam tradiderunt afferamus; ita enim docuit Molfeſius noſter *in Summâ part. 1. tract. 7. cap. 5. n. 48. & 49.* qui ſic ſcribit: [Hanc opinionem, ut mihi retulit D. Gabriel Lottherius, Vir magnæ eruditionis, Romæ ſequuti fuerunt ipſe, ac Franciſcus Suarez, Pater Salmeron Societ. Ieſu, & Pater Lupus Capucinus, & audivi etiam, quod dum caſu cadebat Romæ quidam ex fabricâ Sancti [a] Petri, & reperiebatur ibi Clemens Octavus, Pontifex Maximus, Vir ſapientiſſimus, & vidiſſet illum cadentem, quod, dederit ei abſolutionem dicens: *Si capax es abſolutionis, ego te abſolvo à peccatis tuis.*] Ita Molfeſius. Hanc ſententiam ait Pellizzarius *tract. de Monialibus, cap. 10. num. 184.* Viri fide digni teſtantur, privatim docuiſſe Suarez, ac practicaſſe. [b] Eandem ſententiam ſequuti ſunt Homo-bonus *in Examine Eccleſiaſtico part. 2. tract. 7. cap. 18. quæſt. 84.* Bartholomeus à Sancto Fauſto *in Theologiâ morali tom. 1. lib. 4. quæſt. 204.* Iacobus Bayus profeſſor Theologiæ in Academiâ Lovanienſi *in Conſtitut. Religion. Chriſtianæ lib. 2 c. 91.* Antonius de Litteratis *in Summâ editâ Romæ cum approbatione Magiſtri Sacri Palatij anno 1611. part. 1. cap. 35. num. 7.* Lezana *in Summa Quæſtionum Regul. tom. 3. verbo. Confeſſio, num. 11.* Pellizzarius Societatis Ieſu *tract. de Monialibus cap. 10. num. 184. & tractat. de privilegiis, cap. 3. ſect. 2. ſub ſect. 2. q. 15.* ubi citat Naldum, Baldellum, Bordonum, Stephanum à Sancto Gregorio, alioſque Viros doctiſſimos à ſe conſultos: idem Pellizzarius *in manuali Regularium tom. 1. tr. 5. cap. 3. ſect. 1. num. 60 & tom. 2. tract. 8. cap. 1. ſect. 2. num. 114.* Petrus Marchantius *in Tribunali Sacram. tom. 1. tract. 4. tit. 4. dub.* Averſa *de Sacram. pœnit. quæſt. 10.* Victorinus Premoli ex Societate Ieſu *in Memoriali Clericorum part. 4. cap. 1. num. 14.* ex eadem Societ. Tamburinus *in Methodo expedita confeſſionis edito Romæ anno 1647. lib. 2. cap. 10. num. 11.* Leander *de Sacrament. tom. 1. tract. 5. quæſt. 46.* Ianſenius penes Leſſium *3. part. D. Thomæ, quæſt. 9. art. 2. dub. 2. num. 10.* Ioannes Caramuel *in Theolog. moral. lib. 3. diſput. 4. num. 154.* quos citat, quamuis non ſequatur Diana *part. 9. tract. 6. reſol. 10.* [c] Denique vir fide digniſſimus mihi teſtatus eſt, eandem opinionem docuiſſe, ac in ſuis manuſcriptis probaſſe noſtrum Leonard. Duardum, Virum doctiſſimum, qui præclara edidit Commentaria in Bullam Cænæ Domini: De Cenſibus, & alia, Diana *part. 3. tract. 3. reſol. 8.* aſſerit hanc opinionem eſſe probabilem ab extrinſeco. Alexander Ludoviſius Archiepiſcopus Bononienſis, poſteà Summus Pontifex Gregor. XV. *in Memoriali Confeſſariorum edito Bononiæ, cap. 1. de formâ Sacramenti pœnitentiæ, num. 16.* ubi præcipit obſervari. Antiquum Sacerdotale Romanum *in tract. de Sacramento pœnitentiæ cap 26.* quod à Leone X. approbatum refert Navarrus *de Oratior. Miſcell. 90.* Favet huic opinioni Doctorum, piorúmque Sacerdotum uſus: unde Eminentiſſ. Lugo *de pœnitentiâ, diſp. 17. ſect. 3. num. 35.* Audio, inquit, in Belgio à multis confeſſariis in bello ita fieri, qui milites moribundos, etiam ſi nulla ſigna dare poſſint abſolvunt.] Hos omnes Authores producit Vercellus, qui ſi ad extrinſecam Probabilitatem non ſufficiant, neſcio, an ſint in mundo aſſertiones, quæ ab extrinſeco probabiles ſint.

a] De abſolutione datâ à Clemente VIII. redibit ſermo num. 3197.

b] Volebat Suarez Sacramentale Tribunal eſſe per omnia ſimile foro Civili: & quia ibi judicantur abſentes, voluit poſſe ad abſentẽ Sacramentalem dirigi abſolutionem: unde cum in Iure Civili accuſatio etiam virtualis admittatur, debuit doctrinæ conſequentiâ ductus dicere, abſolui Sacramentaliter poſſe, qui tametſi peccata ſua realiter non confitetur, non etiam poterat, illa virtualiter confitebatur, Vide num 3113.

c] Cur, quæſo, dicis, quamvis nõ ſequatur, cùm illos ſequi, manifeſtum ſit? Hanc ſententiam tenet Diana, ut ab extrinſeco probabilẽ; non ergo rationes perpendit, ſed à perſonis, quæ illã tenent ducitur authoritate. Ergo illas ſequitur.

An, & quomodo milites in bello abſolvantur?

Et quia Lugo agit de Militum Abſolutione; dicam, quid in Belgio agebatur. Non omnes cohortium Sacellani (hi enim ſunt militares Parochi) ſunt æquè docti, cognovi, qui à militibus peteret, An, ſi poſteà vulneratos graviter non poſſe confiteri contingeret, tunc abſolutionem deprecarentur! Cui univerſi reſpondebant, quod ſic. Ergo in hoc caſu ceſſaret quæſtio, nam poſt hanc reſponſionem non poſſet dici aliquem militem non poſtulaſſe abſolutionem. Alij qui ſunt doctiores, monent ante conflictum, ut qui de peccatis ſuis dolent, & abſolvi deſiderant, genuflectant, & eos de facto abſolvunt. Qui milites, ſi priùs potuerunt integrè confiteri, & noluerunt, malè fecerunt proculdubio; at iam nunc, quia non habent tempus nec modum aliter confitendi, ſi veram attritionem habent, validam abſolutionem conſequuntur.

An poſſint omnes ſimul abſolvi, ſi prius exactè confiteri potuerint?

***

S. Auguſtinus

S. Auguſtinus.

MMMCXCI. *Quantus ſit Auguſtinus?*

PRimo loco eſt mihi recenſendus Auguſtinus, quo duce nemo poteſt errare. Remigius Antiſiodorenſis in Pſalm. dicens, *ſicus ſtellæ lumen à ſole recipiunt, ſic omnes Doctores ſcientiam ab Auguſtino*, non monet eam, quæ ſine Auguſtino eſt, non eſſe ſecuram doctrinam. Quod ita eſt verum, ut noſtri temporis Hæretici, ut ſuos errores ſub bonæ doctrinæ ſpecie in animos omnium inſtillent, illos adfingant Auguſtino; unde Melanchton, chariſſimus Lutheri diſcipulus, & poſt Magiſtri mortem Lutheranorum Moderator, in quâdam declamatione vociferatur, *In Scholâ noſtrâ gratam Auguſtini mentionem eſſe decet, cuius doctrina, cum ſit neceſſaria Eccleſiæ, meritò Auguſtinum amare debemus, qui Cæleſtem illum theſaurum ferè conſervavit*. Nota illud *præcipuè*, ut videas Lutheranos non omninò cæteros Eccleſiæ Patres vilipendere: at hoc facit Calvinus, qui *lib. 3. Inſtitut. cap. 3.* & *lib. 4. cap. 14.* poſtquam dixit eos tam perplexè, variè, & obſcurè de Fidei Veritatibus loqui, ut nihil ab ipſis certi hauriri poſſit, ait. *Vnus Auguſtinus ſufficere poteſt. Ex illo igitur ſumant Lectores ſiquid de ſenſu Antiquitatis habere certi voluerint.* Et quidem mihi unus Auguſtinus ſufficit: non quòd ipſe à cæterorum doctrinâ abſit, ut delirat Calvinus; ſed, quia in ipſo omnium Patrum & Doctorum Veterum ſententiam & conſenſum reperio; & quia Theologis S. Ildephonſus *ſerm. 2. de Beatâ Virgine* in aures intonat, *Audiant D. Auguſtinum, cui contradicere fas non eſt.* Illum attentè audiamus, & non audeamus contradicere.

Cur eum citant Hæretici?

Vide P. Matthiam Hazeus in Epitome Operum S. Auguſtini in ipſo initio.

An Patres contemnant Lutherani?

An Calviniani?

Cur unus nobis Auguſtinus ſufficiat?

Divinus itaque Doctor, *tom. 6. lib. 1. de adulterin. coniugiis cap. 18.* directè & efficaciter probat, *Adulterum in adulterino coniugio mortis periculo præoccupatum, quamvis nulla poſſit dare ſuæ voluntatis ſigna, tamen baptizandum eſſe, ſi catechumenus erat: & ſi baptizatus reconciliandum* (abſolvendum) *tales* [b] *enim tunc intra ſe pœnitentes eſſe credendum.* Et hîc de duobus rationem poſſem petere ab Auguſtino. Alterum, An ſenſibus deſtituti, ſint intrinſecùs ſuæ ſalutis ſoliciti? Alterum, An hi actus interiores ad abſolutionem ſufficiant? AD ILLVD PRIMVM: S. Pater poſſet hodie ſuadere dicens, eſſe verum & indubitatum Quia ratio naturalis dictat nullum eſſe Chriſtianum tam efferum barbarumque, qui in articulo mortis æternæ ſalutis ſit immemor. Ita Baldus *conſ. 476. vol. 5.* Natta *conſ. 537. num. 18. lib. 3.* Alciatus *de præſumpt. Regul 3. præſumpt. 4. in fin.* Cravetta *conſ 6. num. 51.* Grammaticus *conſ. 65. num. 1* & *deciſ. 34. num. 37.* Rolandus *conſ. 37. num 2. vol. 3.* Cephalus *conſ. 276. num. 34. vol. 2.* Menochius *li. 5. præſ. 5.* Maſcardus *de probat. concl. 899. num. 5.* & *concl 1003. num. 10.* & *concl. 1074. num. 1.* Verricellius *quæſt. Moral. tract. 6. quæſt. unic. ſect. 4. num. 17. pag. 328. a.* Si dicas tot illuſtrium Doctorum nominibus, nîl omninò probari, nam illi agunt de moribundo, cuius ſenſus ſunt integri, non de illo, qui ſenſibus eſt deſtitutus: hic enim de ſuâ ſalute ageret, ſi diſcurrere poſſet: at morbo oppreſſus: Deum non cogitat: non quia vult in æternum perire ſed quia non poteſt potentiis interioribus uti. Reſpondeo ægrotos, etſi ſenſibus deſtituantur externis, habere potentias internas liberas & expeditas: Lege, quæ *n. 3198.* tibi recenſebit Marchantius quam hiſtoriam ego alterâ ſimili confirmo. Narrabat mihi Pragæ Bernardus Martinitz, S.R.I. Comes, Bohemiæ Burgravius hoc eſt, Prorex: Vir ſanè integerrimus & eruditiſſimus, ſe in morbo, à quo Dei gratiâ jam erat liber, dum ſenſibus deſtitutus jaceret, & nec manus, nec oculos, nec labia movere poſſet, cognoviſſe non ſenſibus externis deſtitutum, & loqui non poſſe. Se audiviſſe omnia, quæ dicebantur ab adſtantibus: & timuiſſe, ne, quia reputabatur mortuus, vivus ſepeliretur: & ideò Deum oraſſe, ut ſuæ animæ & corporis miſereretur. Stat ergo eſſe verum illud primum, quod ſupponebat Auguſtinus. DE SECVNDO non eſt cur hîc uberiùs diſſeram; ſufficiunt enim, quæ inferiùs à n. 3123. ponuntur.

b] Etiamnū in Hiſpania *reconciliari ſe*, eſt *breviter confiteri.*

An moribundi quando externorum ſenſuū uſu carent, utantur interioribus liberè & expeditè.

Comes Bernardus Martinitzius laudatus.

Modò S. Auguſtini verba iterum relegamus, nam ex illis hoc poteſt argumentum deduci. Attende. Si adulter publicus in mortis agone conſtitutus, tametſi nullum externum ſignum interni doloris exhibuerit, ſi catechumenus eſt, eſt baptizandus; &, ſi Chriſtianus abſolvendus, à fortiori debebit. qui piè vixit, & improviſo morbo oppreſſus ſenſibus deſtituitur Et ut vides nullus modernus Doctor loquitur in terminis tam generalibus. Ergo, ſi Auguſtino contradicere fas non eſt; non eſt cur contradicere eis velis, qui eius ſententiam limitant & reſtringunt.

Plus, quàm noſtra Aſſertio poſtulat, S. Auguſtinus concedit.

Fit argumentum à fortiori.

S. Antoninus.

MMMCXCI. b. *Contrahit S. Antoninus S. Auguſtini ſententiam, & illam Orbi literario proponit.*

QVæ univerſim dixerat S. Auguſtinus, tanta amplitudine, ut etiam actuales peccatores comprehenderent, ad probos & modeſtos homines contraxit S. Antoninus, qui *in ſummul. Defecerunt. part. 3. ſeu tract. 2. cap. 17.* ſuam mentem nobis tradit his verbis.

Talis infirmus, qui amiſit loquelam, vel vſum rationis, ſi bene vivebat, ut bonus fidelis, & frequentabat confeſſionem, & communionem, quamuis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, vel etiam ſi malus diu perſeverans in peccatis, & diu non confeſſus eſt, ſi petiit ſacerdotem, ut confiteretur, oſtendit ſe velle facere omnia, quæ debet, & interea factus eſt mutus, vel phreneticus, & periculum eſt in mora, debet ſupponi contritus, & faciente aliquo confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententiâ & peccato, Deinde debet ei dari Eucbariſtia à proprio ſacerdote ſæculari; quamuis non ſit confeſſus, quia non potuit. Aſtantibus autem infirmo debet credi, ſi perhibent teſtimonium, quod petierit confeſſionem, & oſtenderit, ſigna contritionis. Si autem non eſt diu confeſſus, vel quia notorius peccator incurrit ſubito amentiam, vel mutitatem, vel infirmitatem; nec priùs, nec poſt oſtendit ſigna contritionis nil ei dare debet nec Sacramenta nec Eccleſiaſticam ſepulturam.

Inter probum & improbū Sanctus Doctor diſtinguit.

Improbus abſolvi poteſt ſi petat: probus, etſi non petat.

Publicus peccator in tali caſu debet deſeri.

Digitized by Google

An abſolutio de quâ agit S. Antoninus Sacramentalis ſit

Nec obſtat Cardinalis Lugo *de Pœnitent. diſp.* 17*.ſect.*7*.n.*36. aſſerens non ſatis conſtare, an S Antoninus loquatur de Sacramentali abſolutione: nam duo argumenta, quibus hoc probare conatur, ſunt debilia. Erat primum, quia jubet præmitti confeſſionem generalem ab alio Secundum, quia dicit eſſe Communicandum, etſi non ſit confeſſus.

Quid ſentiat & dicat S. Antoninus contra Lugonem demonſtratur.

Non obſtant hæc, inquam, quæ obiicit Cardinalis. Et minimè obſtat Primum, quia S. Antoninus agit de duobus moribundis, quorum alter piè & alter improbè vixerat, & præcipit hunc abſolvi ſi petierit, illum etſi non petierit. Sed quâ abſolutione debet juvari, qui fuit improbus, & petit à Deo miſericordiam, & abſolutionem à Parocho? Sacramentali. Ergo eâdem alter juvari, debet. Et, qui verba S. Antonini legat, hanc eſſe ſuam ſententiam minimè dubitabit. Sed neque obſtat ſecundum, quia neuter fuit confeſſus vocaliter, & tamen uterque eſt abſolutus propter confeſſionem virtualem. Et quando Sanctus illum non fuiſſe confeſſum aſſerit, agit de vocali confeſſione, quæ non præceſſit.

An in eodē caſu moribūdus poſſit communicari?

Et hic etiam obſerva S. Antoninum plus dicere, quam omnes Recentiores; non enim iſti eam ingrediuntur Quæſtionem, quæ interrogat, *An ſit moribundus hoc in caſu communicandus*? ſed tantummodò, *An ſit abſolvendus?* nam eſt diverſa utriuſque ratio, quoniam tametſi Abſolutio ſub conditione poſſit dari, non poteſt ſub conditione communio.

Poteſt dari ſub conditione abſolutio:

Et hoc videtur valde certum. Nam ſi ſacerdos dicit, *ſi es ritè diſpoſitus, Ego te abſolvo,* &c. futurum eſt, ut ſi purificetur conditio, conferat Sacramentum: &, ſi non purificetur, non conferat.

Non autem ſub conditione communio.

Cùm autem ſacerdos dicet, *ſi es ritè diſpoſitus, Ego confero tibi Eucharistiam*, & ægrum de facto communicat, Venerabile Sacramentum confert de facto, purificetur, aut non purificetur conditio. Et hanc ob rem, ſicut non auderem in abſolutionis puncto à S Antonino diſſentire, ſic minimè illi aſſentiri auderem in puncto communicationis.

Doctores Scholaſtici.

In Pragenſi Univerſitate P. Ioannes Moliter S. I. defendis ſeveriorem ſententiam.

MMM-CXCII. PRopoſita fuit hæc controverſia Pragæ in Univerſitate Fernandinâ in Theologicâ Promotione ab ex D. M. N. Patre Carolo de Grobendoncle Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctore, & Spectabili eiuſdem Facultatis Decano, Viro doctiſſimo, & reſoluta à P. Ioanne Molitore S. Th. Doct. & Profeſſore, etiam viro doctiſſimo. Sed quomodo? pronunciauit *eſſe improbabilem partem affirmatiuam.* Et quia quidam è meis hac doctrinâ præuentus dicebatur, ad eum ſcripſi contrà; videlicet literas, quæ ſequuntur.

Authoris ad ipſum Epiſtola.

ADſtiti promotioni Theologicæ, die tertiâ Septembris 1647. celebratæ, in quâ Domini Gaſparus, & Carolus, Monachi mei, aliique adoleſcentes ſæculares Baccalanteatûs Theologici honoribus decorati ſunt.

Quales ſint Patres Societatis Ieſu?

Multa ibi eruditè proponi, ingenioſè oppugnari, ſolidè & prudenter diſſolui audiuerunt Viri magni; hæc eſt enim Societatis felicitas, ut non plebi Academicæ tantùm, ſed doctiſſimis etiam hominibus illuminandis diuinitùs conceſſa ſit. Inter alia quæſitum, *An poſſit abſolui moribundus, qui nec ſacerdotem petierit, nec ullum ſignum doloris dederit?* Quam Quæſtionem, quoniam *Problema* inſcribebatur, putabant omnes problematicè ſoluendam, & decidendam eſſe: at contra ſpem in re ſummi momenti, negantem partem voluerunt eſſe certam, aſſerentem falſam & improbabilem: & quia in moralibus magna probabilitatis pars ab authoritate dependet huius ſententiæ defenſores diſſlaſtis, rationes nullas tetigiſtis, Concilij Tridentini litteram claram, & quæ non debeat limitari aut torqueri opinantes. Patere igitur; vt ego Paternitatis iure vtar, & ut filium te moneam, ne in re tanti momenti ſeueram opinionem ſequaris; es ſimul filius & amicus, ergo patere, vt Te confidenter accedam, & ſcrupulos meos in tuum ſinum exonerem: ſunt enim amicorum communia omnia, adeoque tibi debentur mei ſcrupuli, tua ſapientia mihi, ut tandem idearum communione veritas liquidiùs cognoſcatur. Quæſtio igitur, Te ſic permittente, reponitur. *An abſolui poſſit, qui nec ſacerdotem petiit, nec vllum ſignum doloris dedit*: & in ipſâ, vt certa ab incertis ſeparem, *ſuppono primo* Sacramenta omnia conſtare ſuâ quaſi materiâ, ſuâ quaſi formâ, id eſt moralibus materiâ & formâ.

Omnia Sacramenta conſtant materiâ & formâ. Illas inſtituit Chriſtus: & expoſuit Eccleſia.

Suppono ſecundò, non eſſe cuiuſcumque Theologi determinare Sacramentorum materias, formaſque, debemus enim omnes ſtare inſtitutioni Chriſti, & Eccleſiæ Romanæ expoſitioni.

Sacramenti Pœnitentia materia formaque.

Suppono tertio, Sacramenti Pœnitentiæ materiam eſſe ipſiuſmet pœnitentis actus, Attritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, vt ex Seſſionis XIV Capite III. colligitur; formam verò, *Ego te abſolvo*; breuiùs, *abſolvo te*, breuiſſime, ſi admittitur Patris Paludani Louanienſis Doctoris, & Eremitarum S. Auguſtini Prouincialis, ſententia, quam me præſente, & nullo Doctore condemnante, Louanij defendebat? *Abſolvo.*

Sed ponamus, id, quod nondum mihi MMM-CXCIII.
demonſtratum eſt; nimirùm etiam in caſu extremæ neceſſitatis, (quem omnes leges humanæ excipiunt, & diuinæ benigniùs quàm humanæ dirigunt) Pœnitentiæ ſacramentalis inſtitutionem, confeſſionis deſiderium, & petitionem, ſigno externo expreſſa, & Confeſſario manifeſtata exigere; & non obſtante hac hypotheſi ſic ſubſumo: Atqui ſæpè contingit moribundum omnibus ſenſibus deſtitutum taliter confiteri: Ergo in talibus caſibus debebit abſolui.

Neceſſitas caret lege.

Vt minorem probem, pono Sacerdotem pium & religioſum in morbum repentinum incidere, illicoque aut delirare, aut ſenſu omni carere; & illum in tali caſu poſſe abſolui perſuadeo.

An unuſquiſque quoties Orationem Dominicam legit, teſtetur ſe velle confiteri, & Sacramentaliter à peccatis abſolvi?

Tibi, inquam, non eſt probabile hunc Sacerdotem pium, & bonum, non legere ſuas horas quotidie, imò eſſes Iudex temerarius, ſi illum non recitaſſe officium diceres, aut ſentires: ergo eius vita certò certiùs eum illud legiſſe perſuadet. Ergo nemini eris iniurius, ſi eum illud legiſſe ſupponas. Tunc ſic Supponitur legiſſe ſuas horas? Ergo recitaſſe orationem Dominicam, & in ipſa oraſſe linguâ, Deum,

vt

Digitized by Google

Exemium periodus notabilis Orationis Dominicæ.

et ſibi peccata dimitteret. Cùm igitur illa Deus non aliter, quàm per confeſſionem dimittat, nec præſumendus ille æger ſit poſtulaſſe miracula, cenſendus eſt illam orationem intellexiſſe more ordinario; & communi, adeoque hæc verba: *Dimitte nobis debita noſtra*, cum omnibus circunſtantiis conſignificantibus conſiderata, moraliter & extrinſecè æquipollere iſtis: *Domine Deus, dimitte mihi per Sacramentalem Confeſſionem mea peccata. Volo ad tuam amicitiam redire, adeoque volo ponere omnia media ad iſtum finem neceſſaria: & quia confeſſionem eſſe vnicam ſcio: etiam illam petere volo.* An-non iſte Confeſſionem poſtulat ſingulis horis? Hac ante annos aliquot ratione armatus quempiam doctiſſimum Theologum (quem honoris causà cito; & vt ſuis verbis mea honorem, etiam in libris editis citare ſoleo) vrſi; & reſpondit mihi, meam rationem tenere, ſi certum eſſet illum attentè recitaſſe ſuum *Pater*: at eſſe plurimos, qui diſtracti horas legant. Mihi tamen hæc reſponſio viſa fuit inſufficiens.

Petit homo cùm dicit Orationem Dominicam ſibi peccata dimitti, ut ſecundum communem Miſericordiæ curſum remittuntur hominibus cæteris.

An plurimi orent diſtracti?

MMMCXCIV. *An attentio in horarum lectione requiratur?*

Primò, quia probabilis eſt illa ſententia, quæ attentionem requirit, & ſi dicatur ſatisfeciſſe ille Sacerdos, dicendus eſt, omnia neceſſaria poſuiſſe, adeoque attentionem etiam, quæ eſſe neceſſaria ab huius ſententiæ defenſoribus ponitur.

Secundò quia etiam multi veniunt malè diſpoſiti ad pedes Confeſſarij, & tamen cenſentur ex animo loqui, quamdiu non conſtet contrarium [a] Multi dicuntur Confeſſarium vocaſſe, qui illum non curarunt; & tamen Sacerdos tenetur teſtibus credere, & illos bonâ fide abſoluere: multi etiam ſigna animalia edunt, & in dubio abſoluuntur, ſi fortè fuerint rationalia: ergo quicunque recitat ſuum *Pater*, credendus eſt ex animo procedere, alioque petere confeſſionem ſaltem extremam, quamdiu non probatur contrarium. Hanc rationem ad omnes Orthodoxos extendo; Ego enim, qui certè moraliter ſcio, Sacerdotes legere ſuum *Pater*, probabiliter, aut fortè probabiliùs ſcio ſæculares pios, & modeſtos audire ſuam Miſſam, orare Deum, legere ſuum Roſarium: & vt ego poſſim quempiam abſoluere probabilis Confeſſio ſufficit. Impios, & nefarios homines vix excludo, quia & ipſi orant, & vt optimè dicit Hiſpanus: *Non ay ladron, que non tenga ſu deuocion*: omnes volunt adire cœlum, omnes ante mortem confiteri, & conuerti; & ſi quis aliter, monſtrum hominis eſt, nec propter ipſum debemus regulas generales contrahere:

a] Ante triginta aut plures annos ſcribebam has lineas, & tunc Veritatem, quã in Dialexi contemplor, ſui rimatus. Conſidera illud *Quãdiu non cõſtat contrarium*, & dic in iſtis paucis Verbis noſtram totam Dialexim contineri.

An omnes fideles Orationem Dominicam quotidie recitent?

MMMCXCV. *Quis cenſendus ſit petere confeſſionem extrinſecè?*

Dicta omnia calamo ſeueriore reſcribo. [Ille eſt dicendus extrinſecè petere confeſſionem, qui extrinſecè facit aliquid, quod omninò non faceret, ſi confiteri nollet: ſed, qui vellet mori impœnitens, & ad infernum ire, non ageret vitam Chriſtianam: ergo ſingulæ vitæ Chriſtianæ actiones ſunt totidem linguæ, quibus homo extrinſecè proteſtatur, ſe velle antequam moriatur, confiteri. *Accedit*, nullum ſignum huius voluntatis certius, & euidentius iſto reperiri: quam ob rem, qui conuerſationem orthodoxam, & piam diceret non ſignificare extrinſecùs animum petentem vltimam abſolutionem; deberet negare omnia ſigna; certius eſt enim viuentem chriſtianè velle mori chriſtianè, quàm confeſſionem peti ab eo, qui pectus manu percutit, aut cœlum aſpicit.

De ſignorum certitudine.

MMMCXCVI. *An milites, & ſigna non dederint, abſolui poſſint?*

Probo Secundò meam ſententiam, ratione, quam Laureandus in Gymnaſio propoſuit. Sic arguo. Eſt praxis recepta apud milites, vt abſoluantur, etiamſi nullum ſignum doloris dederint. *Reſpondit obiectione ille*, id in acie licere, quoniam iubentur omnes milites petere abſolutionem, ſi illos contingat ita vulnerari, ſenſibus vti non poſſint. *Sed hæreamus.* Putarem ergo potiùs eſſe quoddam extrinſecum impœnitentiæ teſtimonium nolle ante conflictum confiteri: ſed fortè milites voluiſſe, nec potuiſſe, præſumere iubet vrbanitas: rem non examino, ſiquidem ſic placet, eſto vera. Sed adhuc dubitarem, an ita inſtruantur illi à militaribus Sacerdotibus, qui ſæpius aut abſunt, aut fugiunt, cùm deberent adſiſtere ſibi commiſſis animabus. Sed condonemus Laureando hanc etiam eſſe reſponſionem legitimam; illâ ego meam ſententiam probabo, ſic diſcurram. Ideò miles ſenſibus deſtitutus abſolui poteſt, quia vult ſic abſolui, ſi ſine ſenſibus mori contingat: atqui omnes volumus eodem mod abſolui: ergo & abſolui poſſumus, aut debemus Probatur; quia cùm volumus reddere ſecuram noſtram ſalutem, volumus omnia media ponere, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, & in tali caſu illud omninò neceſſarium eſt: Ergo. *Rem vrgeo* Ille poteſt abſolui, etiamſi careat ſenſu, qui dixerit, *ſi eò venero, vt caream ſenſu, volo abſolui.* Et omnes id extrinſecè dicunt: ergo. Probatur minor. Quoniam omnes actiones conuerſationis orthodoxæ, quæcumque illæ ſint, ſunt extrinſecæ proteſtationes, quibus homo aſſeuerat, ſe velle ſanguine Chriſti frui. & ſaluari. Ergo quibus proteſtatur extrinſecè, ſe velle medium ponere vnicum, quod eſt confeſſio: Ergo nemo eſt, qui non ſignificet extrinſecè, ſe velle confiteri, & abſolui ante mortem. *Rem vrgeo ampliùs.* Ponantur duo moribundi, Petrus, Paulus: ille hæreticus formalis, iſte catholicus; vterque tamen carens ſenſu. Titius, Petri filius catholicus te vocat, dicitque patrem ſuum petiiſſe Confeſſarium. An-ne abſolues Petrum? abſolues; & tamen periculo res plena eſt; nam filius eſt teſtis ſuſpectus, & qui mentiri poſſit, ne patre in loco profano ſepulto ignominiam incurrat; & tamen vera loqui præſumitur. Ergo & poterit abſolui Paulus. Certius eſt enim Paulum virum catholicum (& probum ſi velit) noluiſſe ſine confeſſione mori, quàm Petrum formalem hæreticum fuiſſe in agone conuerſum, fortiùs Pauli bonam voluntatem probat, & publicat vita ante acta, cuius ſingulæ actiones catholicæ, totidem externæ confeſſionis extremæ petitiones videntur, quàm voluntatem Petri teſtimonium Titij, habentis, cur mentiatur; ergo ſi abſolui Petrus poteſt, etiam poterit Paulus, & obiter, ſiquidem de hæretico formali egi, & iſte non ita frequens ſit, aliquid de materiali dubitando ſubiungo; quia hæreticorum materialium in Germaniâ ſeges maxima eſt;

Nota benè

An à militibus ad cæteros legitimè argumentum trahatur?

An Catholicus per omnes actiones, quibus ſe eſſe Orthodoxum profitetur, teſtetur ſe velle mori, ut moriuntur Catholici?

An filius ſit teſtis ſuſpectus?

An dicente filio, ſuum Patrem petiiſſe confeſſionem, poſſim moribundum abſoluere?

De Confeſſione conditionatâ. Qualis illi abſolutio reſpondeat?

Venit

Digitized by Google

Venit ad meos pedes Franciſcus vir probus, catholicuſque: & ſic ait: *Nihil mihi conſcius ſum, at quia in hoc non iuſtificatus ſum, ſi poſt vltimam Confeſſionem peccaui, ego me accuſo.*

De materiali hæretico.

Quæritur. An-non poſſim dicere, *ſi peccaſti, Ego te abſoluo.* Hoc caſu expoſito ad Antonium hæreticum materialem tranſeo, & eum audio dicentem: *Confeſſionem auricularem eſſe neceſſariam, aut vtilem inuincibiliter ignoro; ſi ſcirem eam eſſe neceſſariam, eam peterem; & ſi de facto eſt neceſſaria, de facto confiteri volo.*

An conditionatè abſolui poſſit?

Erat opinio omnium, quod non liceret vouere caſtitatem, cùm illam B. Virgo vouit ſi Hugoni creditur.

An vouendo peccauerit?

Et inquiro, An illum etiam conditionatè abſoluere poſſim? Conditio enim in ambiguâ re poſita nemini videtur iniuria; nam ſi Beata Virgo contra omnium ſententiam votum Caſtitatis emiſit, ſub conditione, *ſi Deo placeret*, vt habet Hugo Carmelitanus *in ſuâ concordiâ Euang. Luc. cap. 1. verſ. 34.* cur non potero etiam contra omnes aliquem abſoluere ſub eadem conditione, *ſi placeat Deo*? Et ſi poſſim; An-non omnes hæreticos materiales cenſebo ſimiles eſſe hominibus moribundis, & ſenſu carentibus? omnis enim, qui vult fieri ſaluus, vult omnia media neceſſaria ponere; & tam impoſſibile eſt illos ponere medium, vt medium, cùm illud vires ſuas ſuperat, quàm cùm illud inuincibiliter ignorant.

MMMCXCVII. *De Authoribus, qui tenent hanc ſententiam.*

HÆc de intrinſecâ huius ſententiæ probabilitate ſint dicta: ad probabilitatem extrinſecam, & quæ ab Authoribus pendet, tranſeamus. Probabilem hanc opinionem benigniorem vocauit Diana; at contrà eximius D. M. N. P. Ioannes Molitor Theſes Antuerpiæ apud Patres propugnatas oſtendit, & in ipſis: *Decipi illos, qui iudicant probabile, quidquid Diana vocat probabile.*

De Diana authoritate

Hic ego non habeo multum, quod opponam. Dianam amicum meum amo, & veneror; illumque malè citare Authores non tam dici deberet, quàm probari: nam, ſi Dianam dicas aliquando in aliquâ aut aliquibus citationibus adlucinatum fuiſſe, Dianæ adtribuis, quod poſſes omnibus; cæterùm, ſi ſemper, aut plerumque erraviſſe illum aſſeras, magnam injuriam Viro celeberrimo inferes.

Diana defenſus & laudatus.

Sed quidquid ſit, huius ſententiæ authoritas non pendet ab vnico Diana: illam videtur habere Patrum Franciſcanorum Religio: audiui enim à viris fide dignis, Antuerpiæ Maldero Epiſcopo iubenti, ne moribundus ſenſibus deſtitutus, de quo agimus, abſolueretur, publicâ illos diſputatione reſtitiſſe, & in tali caſu moribundum non ſolùm abſolui poſſe, ſed & debere publicè propugnaſſe. Malderum inuitatum veniſſe; ſe contrarium iuſſiſſe inclamaſſe: nunquam tamen probaſſe, ſe ſanctè, & benignè iuſſiſſe Et hîc obiter nota, vnum Epiſcopum, & in Belgio præcipuè, eſſe maximæ authoritatis; nec pulſos fuiſſe Patres Franciſcanos in eum inſurgere, niſi certò cognoſcerent ſuam eſſe doctrinam certam & neceſſariò tenendam in praxi: nec auſum fuiſſe privatum Theologiæ Profeſſorem rem tantam aggredi, ſine Superiorum præcepto; nec hos voluiſſe indignationem Epiſcopi incurrere, niſi putaverint ſe teneri id facere ſub gravi, peccato Er contrà, ſi temerè Patres Franciſcani auſi fuiſſent, eorum cohibuiſſent audaciam Vniverſitates Belgicæ (nam Lovanienſis, & Duacena habent Viros doctiſſimos) Etiam Miniſtri Regij, in quorum numero ſunt etiam Epiſcopi ibidem. Etiam Apoſtolicus Nuncius. Ergo ſiquidem res hæc tranſivit ſine ſtrepitu, omnes hanc Poſitionem. *Poſſe Sacerdotem abſolvere moribundum ſenſibus deſtitutum, qui nullo verbo aut ſigno abſolutionem petiit, ſaltem ab extrinſeco probabile eſt. Sacerdos, ſi eum abſolvere probabiliter poteſt, etiam debet ſub peccato mortali,* &c. certam & indubitatam judicarunt.

PP. Franciſcani Antuerpiæ contra Malderi Viri doctiſſimi ſententiam & mandatum, de moribundi abſolutione publicam Diſputationem habent.

Opinionum probabilitas ſuos caſus & occaſus habet.

Vidi ſemel Lovanij, cùm defenderetur contraria, Profeſſorem quendam Franciſcanum frigidè argumentari, & Præſidem ipſâ argumentatoris tenuitate animatum dicere: *Vidimus veſtras rationes, & tamen omnes flocci facimus*: non iam ſolius argumentatoris, ſed totius Scholæ rationes contemnendo: ſed quia opiniones, ſicut omnia humana, ſuos caſus, & occaſus habent, quid hodie ſentiant Scotiſtæ non ſcio. Sed quia Authores meritò poſtulabis præter Dianam, qui hanc ſententiam probabilem iudicat *part. 3. tract. 3. reſ. 18. §. vnde ego.* Illam habent aliqui Patres Societatis, quorum meminit idem Diana: illam aliqui eiuſdem Societatis Profeſſores, qui illam vt probabilem in Vniuerſitate Viennenſi publicè dictarunt, & tuentur. Illam plerique Franciſcani; illam plurimi Clerici ſæculares, & militares præcipuè: illam aliqui Canonici Regulares, quorum mentionem Diana facit, *vbi ſupra.* & Henriquez *lib. 3. de pœnit. c. 10. num. 6.* & Petrus Fay *de Pœnit. in additione ad 3 quæſt. 6. art. 2. diſp. 2.* Illam olim habuit Clemens VIII. [a] qui de facto talem moribundum abſoluit. Illam Gregorius XV. nam cùm eſſet Archiepiſcopus Bononienſis, in Memoriali Confeſſ. c. 1. *de forma Sacram. Pœnit. num. 16. fol. 215. edito Bononiæ apud Ioannem Baptiſtam Pidelium anno 1623.* non ſolùm aſſeruit tales moribundos poſſe abſolui, ſed & debere: ait enim: [*Licet abſoluere moribundum, etiamſi nullum ſignum Pœnitentiæ det in præſentiâ Confeſſarij, tamen aliquis teſtetur, eum oſtendiſſe confitendi deſiderium. Ita docet Rituale Pauli V. Imò addit Sacerdotale Romanum* pagina 624. *ex doctrina Diui Antonini, poſſe etiam abſolui moribundum aſſuetum frequentare Confeſſionem, quamuis repentino caſu oppreſſus Sacramentum non petierit. Neque ſolùm poteſt Confeſſarius In his duobus Caſibus abſoluere; ſed etiam debet: quia contingere poteſt moribundum eſſe tantum attritum, vnde damnetur, niſi abſoluatur.*] Ita ille: è cuius verbis collige noſtram ſententiam etiam fuiſſe D. Antonini, illorum omnium Theologorum, qui Sacerdotale Romanum compoſuerunt; Cenſorum, qui approbauerunt, & Pontificum, qui edi permiſerunt, & permittunt. Habet etiam noſtram ſententiam Homobonus *in Exam. Eccl. part. 1. t. 7. c. 18. quæſt 84.* vbi ſic ait. [Prudenter aget Parochus, ſi fauorabiliori illi opinioni adhæreat, quæ ſentit abſolutionis beneficium moribundo impendi poſſe, etiamſi nullum confeſſus ſit peccatum, nec Confeſſarium petierit nec indicia exhibuerit, ex quibus actus contritionis, vel

attritionis

Vide Authores, quos nos ex Vercellio n. 3190. poſuimus.

a] Quia ſũt aliqui qui hanc ipſam hiſtoriam eſſe authenticã negent, teſtor, me ſub initium Iulij anni 1671. cùm ad Reſidentiam rediturus licentiã peterem à ſummo Põtifice, Clemẽte X. Sanctiſſimo Domino noſtro, rogatũ fuiſſe, quid ſentirẽ de abortiuorum baptiſmo. Et cùm in reſponſione meâ moribundos cum abortiuis componerẽ; vellemque Analogiam teneri, & ſicut de illorũ abſolutione, ſic de iſtorũ baptiſmo philoſophari, repoſuiſſe ſummum Pontificem, *Bene dicis D. Caramuel: quia, ſi Clemens VIII. in dubio moribundum ſub conditione abſoluit, etiam abortiuum in dubio poterimus ſub conditione baptizare.* Ecce illam hiſtoriam eſſe veram mecũ agens ſuppoſuit ipſemet ſũmus Pontifex. Hanc de Clemẽte VIII. hiſtoriam negat eſſe veram Cardinalis de Lugo *diſp. 7.* cùm enim *n. 39. pag 419.* ſuã

Digitized by Google

dicat eſſe certam ſententiam, deberet conſequenter aſſerere ſi hiſtoriam admitteret, Pontificem improbabili & certò falſæ adhæſiſſe Opinioni, & Theologos ſcandalizaſſe. Ergo, ne hoc diceret, maluit dicere ipſam hiſtoriam eſſe falſam. Bauny verò, quia non eſt auſus falsã dicere hiſtoriam, Romæ notiſſimam, & paſſim aſſertam; ne contra ſe haberet ſummi Pontificis authoritatem, ait in illâ abſolutione Clem. VIII. non proceſſiſſe ut Sũmum Pontificem, ſed ut Sacerdotem privatum, & ideò erraſſe. Sed anteqũ à Lugo, Bauny, & alij ad extrema hæc venirent, debuiſſent non iã dicere, ſuam opinionem eſſe indubitatam, ſed probare.

attritionis argui poſſit: modò talis in mortis articulo conſtitutus Chriſtiano more vivere ſoleret, & bonus, ac fidelis homo exiſtimaretur. Quod quidem placitum in praxi referunt amplexum fuiſſe Clementem VIII. Pontificem Maximum, & prudentiſſimum Virum: cùm enim quidam ex fabricâ D. Petri præceps ruiſſet, & illum cadentem vidiſſet, abſolutionem ei dedit dicens, *Si es capax, abſoluo te à peccatis tuis*. Quæ ſententia illa ſanè ratione confirmatur, quòd in neceſſariis ad ſalutem tutior pars eſt amplectenda, & certiori periculo occurrendum, & irreverentia Sacramenti, vel ſacrilegij periculum, tum conditione propoſitâ, tum authoritate Doctorum hanc opinionem tuentium ceſſare dicitur.] Sic Homobonus & bene: qui enim moribundis probabilem abſolutionem invidet, mihi videtur homo malus. Sequitur hic Author Molfeſium *in ſummâ tom. 1. tract. 7. c. 5. num. 48. & 49.* qui citat D. Gabrielem Lotherium Canonicum Regularem. P. Salmeronem è Societate, & P. Luppum Capucinum, Viros quidem pientiſſimos, doctiſſimoſque. Docet etiam eandem ſententiam Antonius de Literatis *in ſummâ editâ Romæ cum approbatione Magiſtri ſacri Palatij Anno 1611. part. 1. cat. 35. num. 7.* Eandem ſententiam habet P. Carolus Muſart è Societate Ieſu. S. Theologiæ Doctor, & Profeſſor Viennæ. Eandem tres Excellentiſſimi Theologi Societatis, & duo Franciſcani ab eo Viennæ conſulti. Eandem habent aliqui Patres Romæ, & ad praxim dirigunt Patres in Caſtris Belgicis, ut teſtatur P. Ioannes Sallarts in literis datis Romæ 3. Novembr. Anno 1545. quod ultimum teſtis oculatus affirmo. Cum enim Lovanij apud meam domum quidam Hiſpanus Signifer lethaliter vulneratus, ut lapis in terra iaceret, ad primum, non doloris, ſed vitæ ſignum me ſuperveniente, & vidente, à quopiam Patre Societatis abſolutus eſt. Bartholomæus à S. Fauſto *Theolog. quaeſt. 20.* Petrus Marchantius *in Tribunali tit. 1. tract. 4. tit. 4. quaeſt. 3. dub. 7. reſp. 3.* à nobis ſunt. Hæc ſententia à Leſſio *quaeſt. 9. ſupplementi a. 2. d. 3. in fin.* tribuitur Ianſſonio, & eadem Cordubæ ab eodem Leſſio *in Reſolutionibus variorum Caſuum, verb. Abſolutio. Caſu 1.* Eandem cenſet probabilem Stephanus Bauni *de Sacramentis in genere quaeſt. 17. Contr. 4.* licet oppoſitam dicat probabiliorem. Eandem ab extrinſeco cenſet probabilem P. Adrianus Crommius S. Theologiæ Profeſſor Lovanij conſultus à P. Muſart. Tandem anno 1649 in univerſitate Viennenſi ſex ſimul Lilienfeldenſes Religioſi, omnes Viri doctiſſimi ad ſupremam Theologici Doctoratûs Lauream evecti ſunt, è quibus duo ſententiam hanc ut probabilem publicè propugnarunt. Cùmque in Theſeon primâ paginâ Theologicæ facultatis approbatio legeretur, interrogavi Præſidem, Rectorem, Cancellarium, &c. An revera illam Theſim Theologica approbarit facultas? & reſponderunt aſſertivè. Igitur evidens eſt, eſſe probabilem noſtram ſententiam. Igitur etiam evidens eſt, eos errare, qui eam improbabilem iudicant.

Sententia quam approbat una Univerſitas, etſi alias nõ ſit probabilis, hoc ipſo probabilis redditur.

Sed cur tam multa homo occupatiſſimus Theologo valde occupato? Vt cauſam Dei agam, ſuccurram proximo periclitanti; ut Te inſtruam, aut ſaltem à Te inſtruar. Tuum igitur erit ſingula, quæ à me dicta, tuâ honorare Cenſurâ; puto enim plures eſſe, qui hanc benignam ſententiam dicant eſſe probabilem, illis, qui eandem improbabilem dicunt; & tamen quidquid ſit de teſtimoniis, ſi tu non das ſingulis inſtantiis evidentes, & Sole meridiano clariores ſolutiones, reor benigniorem contradictionis partem, adhuc probabilem eſſe dicendam. Vale.

Quàm certa eſſe debeant reſponſiones, quæ reddunt ſententiam aliquam improbabilem?

MMMCXCVIII.

Qualis liber ille ſit, qui inſcribitur Tribunal Sacramentale?

EſT P. Petri Marchantij Tribunal Sacramentale, cuius memini in præcedenti Epiſtolâ, liber maximæ authoritatis editus Gandavi anno 1642. ex Theologorum Conſilio ab Illuſtriſſimo DD. Franciſco Vander Burch, Cameracenſi Archiepiſcopo, & Duce, S. R. Imp. Principe, &c. nomine Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini recognitus, & commendatus à Nicolao Breydel S. Theol. Licentiato, librorum ordinario Cenſore; à Patre Matthiâ Hauzeur S. Theolog. Profeſſore emerito, Provinciæ Flandriæ Provinciali: & à P. Laurentio Dingeon S. Th. Lectore Iubilato Cuſtodum Cuſtode, &c. qui omnes debuerunt iudicare probabilem opinionem, quæ docet poſſe ſacramentaliter moribundum abſolui, etſi ſenſibus deſtitutus ſit, nec abſolutionem expoſcat. Quod ut innoteſcat clarius, dabo Marchantij verba, quæ illi approbant? ſic enim ait *tom. 1. tract. 4. titul. 4. quaeſt. 3. pag. 140. b.* [Ad primam partem huius quartæ reſponſionis, in favorem animarum revertamur, in qua dixi: *quod quando peccator Catholicus ita opprimitur, ut nullum appareat ſignum Pœnitentiæ, aut deſideratæ, ſive poſtulatæ Confeſſionis, nihilominùs poſſit ſub conditione abſolui, ſive abſoluendum eſſe.* Cui reſponſioni quamvis nonnulla ſuperiùs dicta, videantur adverſari, illam tamen ſic declaro. Etſi namque in tali peccatore ſic oppreſſo, nullum mihi ſignum appareat, quod materiam confeſſionis faciat mihi ſenſibiliter præſentem in ordine ad abſolutionem, nec mihi proinde certò conſtet, peccatorem ſic obmuteſcentem de peccatis, aut ſalute cogitare; imò nec appareat eum ratione uti: poteſt tamen fieri, ut non tantùm deſideret, ſed etiam ſigna aliqua edat, per ſe ſenſibilia, etſi mihi incognita, ut ſunt ſuſpiria gemitus, aſpirationes, oculorum fixi intuitus, aut alij in corpore motus, qui etſi doloris corporalis, aut naturæ patientis ſint ordinariè ſigna; nihilominus ab ipſo peccatore quandoque ordinantur, ut internæ pœnitentiæ notus. Vnde abſoluendo eum; ſub conditione, & muneri, ac charitati in hac extremâ neceſſitate ſatisfacio. & conditio omnem irreverentiam, & defectum, qui ſubeſſe poſſet, tollit, & anxietate tantâ animam Deo commendo, intentione communi Miniſtris Eccleſiæ, quæ ut ſuprà dicebat S. Auguſtinus. *Nullum ex hac vitâ ſine arrhâ ſuæ pacis exire velle debet.* Confirmor in hac ignotorum ſignorum declaratione, eò quòd mihi ſemel extremo periculo poſt extremam unctionem laboranti, & per omnia ſenſuum operatione deſtituto contigit. ſenſibus omnibus deſtitutus eram, excepto auditu,

Marchantij opinio.

Nota, quòd opinione Marchantij confeſſio debeat eſſe ſenſibilis, non tamen requiri ut à Confeſſario, aut alio homine ſentiatur.

An hoc verum?

Probatio ex experientiâ perſonali.

Multi in morbo habẽt ſenſus internos liberrimos, qui tamen nec linguâ nec manum exteriùs movere poſſunt.

auditu, Ratione autem, & Iudico firmo, & recto intùs utebar, ita cum me deficere, & ex Medico foris loquente, & ipſius naturæ debilitate, perciperem, firmiter me Dei miſericordiæ commendabam, & pium affectum aliquem foris conabar præſtare; Vnde mirum eſt, ſi fortè gemitu aliquo vel reſpiratione, vel doloris nutu illud non oſtenderim, quamvis adſtantes illa non, niſi forte, ut erant, ſigna naturæ patientis. Ab illo tempore in animum induxi, quòd ſi quovis modo aliquem Catholicum ſic oppreſſum reperirem, nec ſignum aliquod mihi intelligibile Pœnitentiæ dare poſſet; nihilominus ſub conditione abſolverem, eò quod fortè aliud ſignum pœnitentiæ edat, etſi mihi incognitum: Cùm (ut dixi) hoc ſit charitatis, & conditio omnem defectum auferat, qui in adminiſtratione Sacramenti contingere poſſet. Hæc latiùs deduxi ob ſcrupulos, quos nonnulli moverẽt, & ut fundamenta modorum aliquorum, qui in praxi inter doctos, & prudentes uſurpantur, melius intelligantur. Porrò ſimiles praxes antiquitùs in Eccleſiâ uſurpatas fuiſſe conſtat ex Concilio Carthaginenſi, &c.] Hæc Marchantius.

An ſententia benigna correſpondeat Eccleſiæ antiquæ praxi?

M M M-CXCIX. *P. Carolus Muſart valdè laudatus!*

EST Viennæ P. Carolus Muſart, Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor, pauperum ſingulorum Pater, ægrotorum ſolamen, & moribundorum adiutor. Longâ experientiâ didicit, multa ab inexpertis Theologis ſcribi in libris, quæ ad praxim reduci non debent: & quia præſens quæſtio à Viris practicis ignorari non poterat, multos ille conſuluit, & exaravit hanc doctiſſimam Reſolutionem, quam ſubſcribo.

Limitationes quas P. Muſart proponit.

QVæritur, *An abſolui poſſit, & debeat, ſaltem exiſtentibus his duabus conditionibus*; Primâ, *ut prudenter exiſtimetur eſſe Catholicus & Catholicè vixiſſe, id eſt, ut non ſciatur eſſe in ſtatu peccati mortalis, v. g. hæreticus, aut adhuc uſurarius, concubinarius, & præſertim ſi ſolitus fuit templa adire, & frequentare Sacramenta.* Secundâ, *ut abſolutio detur ſub conditione*, Si capax es, &c.

Etiam citati Theologi poſſunt, qui ſcripſerunt, modo Vir notabilis talem aut talem ſententiâ ab ipſorum ore audiviſſe teſtatur!

Suppoſitis iis duabus conditionibus, licere in caſu propoſito abſolutionem Sacramentalem affirmant, * & docent; *Primò* apud Dianam *part.3. l.iit. fol.*8. graves Authores: Primò Molfeſius *in ſumma tom. 1. tract. 7. cap.5.num.*48. *&* 49. ubi tradit ſecum ſenſiſſe, è Clericis Regularibus Gabrielem Lottherium virum Doctiſſimum, & è noſtra Societate Salmeronem, è P.P. Capucinis Luppum. *Secundò*, idem tenet Homo-bonus *in exam. Eccleſ. part.1. tract.7.cap.18.quæſt.*84 & pro ſe adſert factum Clem. VIII. qui fertur quendam è fabricâ Sancti Petri præcipitē caſu ruentem ita abſolviſſe. *Si es capax, abſoluo te à peccatis tuis.* *Tertiò*, hanc ſententiam Archiepiſcopus Bononienſis, qui poſt factus Pontifex, dictus eſt Gregorius XV. [b *in Memoriali Confeſſionis edito, Bononiæ ad* annum 1623. non ſolum approbat *cap.1. de formâ pœnitentiæ num.*16. ſed etiam vult deduci in praxim, iuxta Sacerdotale Romanum, & ex Doctrinâ D.Antonini. *Quartò*, idem docet Antonius de Litteratis in Summâ Romæ editâ cum approbatione Magiſtri Sacri Palatij *part.1. cap.35.num.7.* *Quintò*, Diana ipſe jam celebris Doctor toties, & tot in locis recuſſus *loco citato* cenſet eam ſententiam eſſe probabilem propter authoritatem DD. additque ita etiam ſentire, & tenere aliquos Patres ſui Ordinis, & Societatis noſtræ, quamvis ipſe ſpeculativè loquendo contrarium teneat: nam quoad praxim in eo caſu non modo poſſe, ſed etiam impendi debere docet in ſequenti reſolutione, ut conſtat ex literis, & toto contextu iſtius reſolutionis: *Ego vero*, conſului in hac provinciâ, præter alios tres. è noſtris DD. Theologis celebrioribus, & duos Sacræ Theologiæ Profeſſores præclaros ex Ordine S. Franciſci, qui etiam ſententiam probabilem; & tutam cenſuerunt, inter quos conſultos unus eſt Theologus, non minus in ſpeculativâ, quam in practicâ Theologiâ verſatus, & hanc ille ſententiam ſubjicere prælo parat. Meam verò ſententiam, ſalvis melioribus Iudiciis, conformiter ad Authorum jam citatorum mentem, Ego quidem ſic explico.

b] Die 30. Ianuar. ann. 1591. Cardinalis Hippolytus Aldrovandin. ad ſummum ſacerdotium promotus, Clem. VIII. nominatur. Et poſteà ann. 1621. Gregor. XV. adſumitur in Summum Pontificem.

Quàm ſit celebris Bononienſis Vniverſitas, & quàm ſint felices Archiepiſcopi, qui ibi à Theologis tam eximiis juvantur, cognoſcunt univerſi.

Ergo omnes hi characteres nos monent, ne cõtemnamus Opinionem, quam Viſitanti voluerunt in praxi obſervari.

M M M-CC. *Probatio prima ab authoritate Doctorum.*

Dico licere in Caſu propoſito, duabus ſuppoſitis conditionibus, impendere moribundo Sacramentalem abſolutionem. *Et probo primò* tot tamque præſtantium DD. Molfeſij, & trium, quos citat; Homoboni, qui factum Clementis VIII. adfert; Archiepiſcopi Bononienſis, qui poſtea Gregorius XV. in Memoriali Confeſſionis edito pro toto Archiepiſcopatu, ex Sacerdotali Romano, & iuxta D. Antonini ſententiam: Antonij de Litteraris in Summâ à Magiſtro Sacri Palatij approbata, & quidem Romæ editâ: denique ipſiuſmet Dianæ, qui inſuper tradit idem doceri, & tenere à Theologis ſui, & noſtri Ordinis: denique recenter idem docuit Bartholomæus à S. Fauſto *Theol. quæſt.* 10. dimitto illos quos ipſe conſului. *Contra hanc probationem objicies:* Nova eſt hæc opinio in re maximi momenti, & paucorum contra aliorum torrentem, qui fortiter repugnant, cum iſti authores novi nullam congruentem proferant rationem ſuæ opinionis. *Reſpondeo*, multos docere ad ſententiæ alicujus, quæ non ſit fidei repugnans, probabilitatem. ſufficere unius, vel alterius Doctoris celebris, & bonæ famæ authoritatem. Negari profectò non poteſt prudenter, ſufficere tot, tamque inſignium ſcriptorum, qui eruditione, & probitate noti eam ſententiam ex profeſſo, & ſinguli ex ſuâ mente docuerunt, & impreſſerunt libris editis cum gravium Cenſorum approbatione diverſis locis, & ſæpius. Quod ſi Ariſtoteli viſum eſt probabile, quod videtur uni, aut ſaltem pluribus ſapientibus, & inter locos topicos ad faciendam fidem unus eſt proprius ab authoritate: cur non erit probabilis iſta ſententia? *Scio* quendam Theologum, nomine, & re illuſtrem, ſcribere, quòd Romæ diligenter à fide dignis inquiſiverit de facto illo Clem. VIII. & nihil deprehenderit: ſed inde non ſequitur factum illud non remanere probabile, quod alij retulerunt, quia non videtur cauſa, cur id finxerint; tum quia multa privata, & ex privatâ ſententiâ fiunt, & dicuntur à Summis Pontificibus coram

Objectio ponitur,

Et diſſolvitur.

Quid requiratur, ut opinio aliqua dicatur probabilis?

Nota illud ex ſuâ mente, non enim cuandi ſunt, qui ſic vel aliter ſentire & ſcribere volunt.

Imò in materiâ facti ſufficit rem aſſertam ab eo, qui viderit ſtetèe, qui hodie vivunt, nihil ſciant.

paucis

paucis; tum quia id potuit cadere in mentem optimi Pontificis pro extremo illo Caſu, quod cecidit in alios Authores, qui id licere cenſent, & quorum authoritas ſalua eſt, quidquid ſit de facto Clementis.

Nota hoc ultimum.

At hi homines inquis ſunt novi. Quid tum? multa erant in materiâ Sacramentorum, imo fidei; quotidie euadunt probabilia, & tuta in doctrinâ & praxi propter D.D. novorum exculriora in dies ingenia, & ſtudia, quæ antea ne quidem probabilia erant, quod magni tes momenti ſit in neceſſitate ſalutis eò magis amplecti eam ſententiam debemus quæ prodeſſe poſſit, & nihil obeſſe; præſertim cùm ipſa neceſſitas, pro quâ maximè inſtitutum eſt Sacramentum Pœnitentiæ, & conditio oppoſita. *Si es capax*, tollant periculum irreverentiæ erga Sacramentum. NEQVE OBEST, quod repugnent ſcriptores alij numero plures. Namque in pleriſque Thomiſtæ, Scotiſtis, ver. gr. Scotiſtæ, Thomiſtis fortiter repugnant. Ergo ne nulla Thomiſtarum, nulla Scotiſtarum authoritas apud opinionum probabilitatem. At huius probabilitatis, quòd maximè urget, iſti ſcriptores nullam rationem afferunt congruentem, in contrarium verò eſt fortiſſimum argumentum, in iſto caſu nullam reperiri confeſſionem: atque ita nullam materiam, pro abſolutione Sacramentali, *Credet-ne* aliquis Vir prudens, tot & tantos viros, qui id ex animo ſenſerunt, ore profeſſi ſunt, in lucem ediderunt ſuis ſcriptis, id ſine mente, ſine ratione ſenſiſſe, dixiſſe, ſcripſiſſe? quamquam falſum eſt, quòd nullas ſuæ opinionis rationes, afferant, aut quod nullam materiam abſolutionis ſufficientem aſſignent. *Igitur eorum ſententiam ulterius nunc probo, rationibus per illos allatis.*

Quod hic oriuntur novæ opiniones probabiles, quæ antea non erant.

Objectio prima ab authoritate.

Objectio ſecunda à ratione.

MMM. CCI. *Probatur benigna ſent. Primò.*

Prima ſit Molfeſij. In tali caſu, inquit poteſt eſſe (prout in dubio præſumitur,) ut quis ſit memor ſalutis æternæ, & interiùs habeat aliquam attritionem, quâ rectè diſpoſitus ſit recipere Sacramentalem abſolutionem, & de attrito fieri contritus, nam experientia docet frequentius accidere, ut ita fiat, etſi contrarium aliquando accidat: leges autem adaptantur ad ea, quæ frequentius, non quæ rarò accidunt. Quæ ratio ſaltem probat in moribundo, qui Catholicè vixit, præſertim ubi Conciones, & Cathechiſmi vigent, poſſe prudenter præſumi habere diſpoſitionem ſufficientem ex parte recipientis talem abſolutionem, atque ita ex hac parte nihil obſtare.

MMM. CCII. *Probatur ſecundò.*

Ulterius iam pro ſecundâ ratione ita Homobonus. In neceſſariis ad ſalutem, ait, tutior pars eſt amplectenda, & certiori periculo occurrendum eſt, & irreverentia Sacramenti, vel ſacrilegij periculum, tum conditione appoſita tum authoritate DD. hanc opinionem tenentium ceſſare dicitur. Quæ ratio ſaltem probat, nullum hic eſſe periculum ſacrilegij, aut irreverentiæ, ex parte impendentis talem abſolutionem.

Probatur tertiò.

Datur materia præſens.

Denique oſtenditur eſſe ſufficiens materia, & confeſſio in tali caſu aliqualis, in quam poſſit cadere talis abſolutio, *pro quo ſit tertia ratio ex Diana.* Dici, inquit, poteſt, quod in hoc caſu adeſt aliquo modo materia, quæ per teſtificationem, & famam probitatis moribundi dicti efficitur præſens: probus enim vir ſupponitur omni die actum contritionis, & doloris elicere; Hanc Rationem, quia in ea tota vis eſt, partim magis declaro, partim confirmo novâ ratione. *Igitur ſic argumentor.* Licitè moribundo in caſu neceſſitatis Sacramentalis abſolutio impendi poteſt; cum is prudenter præſumitur bene diſpoſitus, & præbet per aliqualem Confeſſionem materiam ad abſolvendum: Atqui in caſu propoſito, & explicato, ita ſe res habet, Ergo, &c. Conſequentia eſt clara: maior ſatis certa ex principiis Theologiæ moralis: minor in quâ eſt difficultas, probatur per partes ſingulas. *Primò* talis moribundus in caſu ſupponitur vixiſſe more Catholico, & extra ſtatum peccati mortalis, hæreſeos, uſuræ, concubinatûs, ſolere adire templa, conciones, ſacramenta. Cuiuſmodi enim homines poſt lapſum in grave peccatum urgente deinde conſcientiâ; ſolent dolere, ante ſaltem nocturnum ſomnum, aut cùm vehementius pulſat recordatio, ſimulque proponere confiteri maximè antè ſuam mortem: ergo talis moribundus prudenter cenſetur ritè diſpoſitus: alia enim diſpoſitio hîc non requiritur, quàm dolor de peccatis, & deſiderium ſuo tempore confitendi. *Ulterius.* Dolor ille, & deſiderium in talibus communiter ſolet exprimi, aliquo actu externo, & ſenſibili voce orando, vel, ſigno tunſionis pectoris, & conjunctione manuum, genuflectione: ergo etiam prudenter hoc præſumi poteſt in caſu talis moribundi. *Tertiò.* Talis dolor ſenſibilis, & externum deſiderium confitendi ſuo tempore, præſertim in morte, eſt velle confiteri: hoc autem velle, eſt petere aliquo modo abſolutionem, & fateri ſaltem in genere, ſe habere aliquod peccatum, ſicut qui deſiderat Medicum, aut Medicinam, confitetur de ſe aliquam ægritudinem: ergò etiam hîc reperitur aliqualis confeſſio, & materia abſolutionis ſufficiens in caſu neceſſitatis, quando maior notitia haberi non poteſt: nam hoc modo communiter docetur, eum qui in caſu neceſſitatis dat ſigna doloris, aut deſiderium confitendi, ſufficienter confiteri ſe peccatorem. *Adde*, quòd præſente Sacerdote, ipſa vita Catholicè, & probè acta in circunſtantiis poſitis exprimit, & loquitur talis moribundi dolorem, & deſiderium, neque id multò minùs mihi innoteſcit ex illis ſignis Chriſtianæ pietatis iſtius hominis, quàm ſi puer, v.g. veniens ad me mihi ſignificet, parentem, vel Dominum ſuum optaſſe confiteri, ubi abſolutio non cadit in ſignificationem, ſed in Confeſſionem ſignificatam, ita hîc, nam vitæ iſtius profeſſio mihi ſignificat talem ſaltem non multo tempore ante exercuiſſe actum doloris, & deſiderij confitendi ante mortem, atque ita manet probata minor ſyllogiſmi.

Si non contritionis, ſaltem attritionis.

Confirm. 1.

An omnes habeãt propoſitum confitendi ante mortem?

An hoc omnes propoſitũ aliquo ſigno externo manifeſtent?

Quid ſit illud ſignũ & an ſemper Confeſſario notum?

An vita proba ſit quædã virtualis confeſſio.

An aliquãdo abſolutio cadat in cõfeſſionem ſignificatã?

MMM. CCIII. *Confirm. 2.*

Confirmatur hæc omnia ex Sacramento Extremæ-Vnctionis. Nam ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum etiam requiritur, ut recipiens prudenter præſumatur diſpoſitus per aliquem dolorem, ſi ſit in peccato, & ut aliquo modo deſideret, & petat hoc Sacramentum ſibi conferri; nam adultis peccatoribus

Digitized by Google

Cõſideretur hæc ratio, quæ ſemper mihi viſa fuit valde efficax.

nullum Sacramentum prodeſt, niſi ſuſcipiens ſit diſpoſitus, & petat ſibi Sacramentum applicari. Atqui Extrema-Vnctio datur, & dari debet etiam à ſenſibus alieno: qui Catholicè vixerit; quia talis prudenter præſumitur dolere de peccatis, & velle ſibi adhiberi ante mortem omnia remedia à Christo inſtituta pro eo articulo: Ergo hic ſimiliter in noſtro caſu, qui catholicè vixit, prudenter cenſebitur ritè diſpoſitus per aliquem Doctorem, & petere pro eo præſertim Caſu ſibi impendi Sacramentum pœnitentiæ; quòd Sacramentum eſt magis inſtitutum, pro tali remedio ad ſalutem eſt neceſſario, quàm Extrema-Vnctio

Reſolutio.

Maneat igitur in eo Caſu licitè impendi poſſe abſolutionem Sacramentalem, ſub conditione in animo ſaltem retenta. *Si es capax.*

Confir. 3.

Confirmatur iterum ex Sacramento Baptiſmi, qui in neceſſitate conferri debet, ſub conditione cum materia eſt dubia: Pœnitentiæ autem Sacramentum etiam relapſis eſt neceſſarium, ergo æquè conferri ſub conditione debebit, ſi materia ſit dubia.

Obiectio. Quid ſit ratio probabilis.

Dices, neque has rationes eſſe probabiles; quia non probant iis, qui contra ſentiunt. *Reſpondeo*, ſatis eſſe videri probabiles iis, qui eas ſeriò adferunt, & fortè aliis, qui necdum ſunt imbuti Contrariâ opinione. Nam ratio eſt probabilis, quæ ſapienti non uni modò, ſed pluribus probabilis videtur: alioquin plurimæ rationes Thomiſtarum v. g. non eſſent probabiles, quia eſſe non videntur tales Scotiſtis, neque Scotiſtarum Thomiſtis: neque requiritur, ut ſententia Thomiſtarum ſit probabilis, ut Scotiſtæ non poſſint ſoluere argumenta: ſic enim non eſſet ea ſententia tantum probabilis; ſed demonſtrativa; & licet hi non probent eas rationes, ſatis eſt alios probare veriſimiliter ſibi, & aliis contrario iudicio non præoccupatis.

Reſolutio altera.

An moribundus abſolvi poſſit, ſi putetur incidiſſe in novum peccatum mortale?

Addo prættereà, licere in caſu dictam abſolutionem, ut quidem mihi videtur, etiamſi an Caſum ſuſceptum fuiſſet Pœnitentiæ Sacramentum, ſi tantum temporis intervallum interceſſerit, ut talis moribundus conſideratis prudenter omnibus circumſtantiis, putetur incidiſſe in aliquod novum peccatum; neque ſciatur eſſe in ſtatu iſtius peccati; ſed præſumi poſſit; hæc enim diſpoſitio eſt materia ſufficiens iuxta ſupradicta, imò id verum eſt; etiamſi danda eſſet Extrema-Vnctio, ut dari debet in tali Caſu, tamen adhuc liceat præmittere ſupradictam abſolutionem, quia Extrema-Vnctio eſt Sacramentum vivorum; & licet magis piè, & probabilius Theologi doceant Sacramenta etiam vivorum conferre primam gratiam non ponentibus obicem, tamen hoc multi probabiliter negant; ideoque remanet talis moribundus in aliquâ neceſſitate reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ.

An omnia Sacramenta conferant primam gratiam per accidens?

M M M. CCIV. *Reſolutio 1. Nota hæc.*

Nunc addo, non modò licere in dicto Caſu Sacramentalem abſolutionem; ſed debere dari, & quidem ſub gravi peccato, ſaltem ex charitate, & Parochis etiam ex juſtitiâ. *Ratio* facilis eſt ex principiis communiter receptis, quòd in extremâ neceſſitate ſalutis proximi omnia remedia adhibenda ſint, quæ ſecundùm probabilem aliquorum ſententiam, ſine peccato conferri poſſunt, omiſsâ etiam propriâ ſententiâ, etſi fortè probabiliore: Charitas enim hoc dictat, & iuſtitia reſpectu eorum, qui ad hoc ex officio tenentur.

M M M-CCV. *Obiectio 1.* *Secunda.* *Tertia.* *Occurritur primæ.*

Verùm hic tandem exclamas, & quæris *Primò*, cur igitur id non practicatur? *Secundò*, cur non præſcribitur in Rituali Romano Pauli V. aut ſaltem in aliis Ritualibus Diœceſanis? *Tertiò*, cur populus non docetur de eâ re in concionibus, & Cathechiſmis? *Reſpondeo ad primum* practicari ab iis, qui id docent: & ab aliis nonnullis in locis, qui ita docti, & perſuaſi ſunt hoc remedium probabile eſſe.

Secundæ.

Quæ ſunt in Sacerdotali Romano, nõ obligant totam Eccleſiam.

Ad ſecundum, eſſe præſcriptum in Sacerdotali Romano, ut opinor, pro particulari illâ Eccleſiâ; nam de eo Sacerdotali id teſtatur Archiepiſcopus Bononienſis, qui poſteà Gregorius XV. Paulus V. in ſuo Rituali pro orbe toto Chriſtiano prudenter omiſit, quòd Summi Pontifices toti Eccleſiæ præſcribere non ſoleant, quæ adhuc dubia ſunt, nec ſatis conſtant, contenti hoc relinquere Doctorum ſententiis, & fortè expediret in Ritualibus Diœceſanis, impoſterum aliquid inſinuari ex memoriali Confeſſion. Bonon. & quorundam DD. ſententia in caſu propoſito, & bene explicato, licere abſolutionem concedere ſub conditione; ita tamen ut nullo modo negligatur ſed omninò etiam procuretur Extrema-Vnctio.

Non eſt negligenda Extrema-Vnctio.

Occurritur tertiæ.

Ad Tertium reſpondeo, populum necdum eſſe monendum neceſſariò publicè, quod adhuc res non ſit ita certa, & cæteroquin facilè inde caperent occaſionem non vocandi Sacerdotes, niſi quando moribundi eſſent in extremis, & ſine ſenſibus; expediret tamen, valde moneri populum, ut in talibus Caſibus recurrant ad Sacerdotem, pro Extrema-Vnctione, & aliis modis, & remediis ſalutis, quæ Sacerdotes melius norunt, quàm ipſi: deprehenduntur enim graves in hoc genere errores quorundam, qui putant fruſtra vocari Sacerdotem ad moribundos ſenſibus deſtitutos. Atque hæc hactenus ex Zelo animarum veſtrarum, an verò ſecundum ſcientiam ſapientiores judicent. *Hucuſque doctiſſimè & pientiſſimè P. Carolus Muſart, cuius ſententiam univerſis commendo.*

An fruſtra vocentur Sacerdotes, ut moribundis ſenſu deſtitutis adſiſtant?

M M M-CCVI. *P. Crommius qualis?*

Habuit meo tempore Lovanij Viros doctiſſimos Societas, & inter ipſos Pat. Adrianum Crommiũ, Theologici Stud j Regentem; floridiſſimo, & clariſſimo ingenio præditum; qui cum libentiſſimè diſſerebam: ſemper enim revertebar doctior, ſemper melior. Hic igitur eximius Vir conſultus à P. Carolo Muſart, ſic reſpondit: [Sententia iſta de moribundo, ſic ſub conditione abſolvendo ob auctores à Diana productos (quos videre tamen non licuit) probabilis videtur utrinque ab authoritate, & ſic probabilitate duntaxat extrinſecâ. Nam intrinſeca meo, & fere aliorum hic judicio exigua eſt: nam vita piè & Chriſtianè acta, quamvis præſumptionem dare poſſit, fore, ut confiteri, & abſolui vellet, ſi poſſet; iſta tamen formalis petitio aut accuſatio non eſt: talem verò requiri expreſsè patet ex Arauſicano c. 12. Chartaginenſi III. & IV citatis, quæ ad abſolutionem moribundi requirunt, ut voluntatis præteritæ teſtimonium habeat aliorum verbis aut præſentes in ſuo nutu: unde patet hanc quæſtionem non

Hæc opinio benigna ab intrinſeco eſt exiguè probabilis.

Verùm hæc quæſtio ſit antiqua?

Digitized by Google

non nunc modò; ſed & olim in Eccleſiâ fuiſſe agitatam: nec tamen admiſſa tunc alia fuit, niſi cum dictâ reſtrictione. nec poſteà hæc videtur practicata; quod contra præallegatam ſententiam magnum videtur adferre præiudicium. Ita ſentio, ſaluo Iudicio meliore] *Sic ille.*

An contra noſtram ſententiam militet Conciliorum authoritas?

Hanc quæſtionem eſſe antiquam, ait Crommius; eſto: Eam non fuiſſe practicatam in Eccleſiâ aſſerit, & vnde illud ſciat, interrogo. Quid ſcripſerint ſcribant-ne, veteres, & abſentes, ſcio; quid fecerint, aut faciant neſcioli, puto ignorari omninò. An fuerit practicata vel non? Concilia ab eo citata non agunt de caſu præſenti, nam ſi agerent, ceſſaret quæſtio, & opinio hæc hæretica dici deberet, probabilis verò non deberet. Et tunc noſtra condemnari non poſſet, quia ſentiendum nobis eſt cum Conciliis, & opinio, quæ contra illa inſtituitur, non eſt noſtra. Cæterùm, quia Crommius, & contrariæ ſententiæ Aſſertores concilia, & Theologos illuſtres citant, & allegant, eorundem verba accuratè expendamus.

MMMCCVII. *Exponitur Arauſicanum.*

SEd quid habet, obſecro, Arauſicana Synodus, quod noſtram opinionem eneruet? Hæc paucula cap. 12.

Subitò obmuteſcens baptiſari, aut Pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu. Sed quid hîc contra noſtram ſententiam? *Iuſtificari hominem per fidem*, dicit ſacra pagina diverſis locis, inferebat Lutherus, *Ergo non per charitatem*; & quia vidit cautus vir conſequentiam iſtam claudicare, corrupit textum, & additâ particulâ *tantùm*, maluit in Theologiam peccare, quàm in Logicam. Et quidem, ſi etiam quis particulam *tantùm* addat Canoni Arauſicanæ Synodi, ille poterit oppoſitam confirmare ſententiam; at manente textu prout nunc, *hæc nunquam igitur illuc.* Hæc conſequentia, *Hoc eſt animal; ergo equus non eſt animal*, mala eſt; bona hæc, *Solus Homo eſt rationalis: Ergo equus non eſt rationalis:* Igitur, vt etiam argumenteris bene, ſic textum Concilij corrumpens, [Subitò obmuteſcens baptiſari, aut pœnitentiam accipere poteſt, in eo tantùm caſu, quo voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu. At moribundus ille, de quo loquimur, neutrum facit: ergo abſolui non poteſt.] In hoc enim caſu, omnia concederem. At illud *tantùm* non reperitur in Concilij contextu: ergo nihil aduerſarij concludunt.

An iuſtificemur per fidem.

De conſequentiâ excluſiuâ.

De ſyllogiſmo excluſiuo.

MMMCCVIII. *Retorquetur aduerſariorum argumentum.*

Imò videtur à nobis ſtare illud Concilium, quoniam Baptiſmum cum Pœnitentiâ coniungit, & ſtante paritate ſic arguo. [Sicut de Baptiſmo, ſic de Pœnitentiâ diſcurrere poſſumus, & debemus: Sed catechumenus, qui in morbum lapſus ſenſibus deſtituitur, baptiſari poteſt: quia ipſa ſtatûs catechumeni profeſſio ſit Baptiſmi ante mortem ſuſcipiendi petitio: Ergo Catholicus, qui in morbum ſimiliter lapſus, ſenſibus deſtituitur, abſolui poterit: quia ipſa ſtatûs Catholici profeſſio ſit abſolutionis ſacramentalis ante mortem ſuſcipiendæ petitio.

An catechumenus ſenſibus deſtitutus ſit baptizandus?

An nouitius ſenſibus deſtitutus ſit ad profeſſionem promouendus.

Confirmatur. Quia profeſſio eſt alter Baptiſmus: & Nouitij ſunt Religioſi Ordinis Catechumeni: at ipſi, ſi in ſimilem morbum incidant, & ſenſibus ſint deſtituti, admitti ad profeſſionem ſimplicem poſſunt ex natura rei: & ad ſolennem, niſi aliter ab Inſtitutore ſolennitatis (Pontifice) diſponatur: (modò tamen aliter non diſponitur) Ergo Catholici, ſunt enim vitæ æternæ Nouitij & Catechumeni, admitti ad vltimam abſolutionem poſſunt, niſi aliter Inſtitutor (Chriſtus) ordinauerit: At ille non ordinauit aliter: Ergo poſſunt.

Quid ſit nutus?

MMMCCIX. *An vita Chriſtiana ſit vox?*

Accedit, quod etiam poſitâ illa particulâ *tantùm*, quam bonus Logicus in Concilij textu deſideraret, ille ſtaret à nobis: nam nutus eſt oculorum, capitis, aut manuum vox: Et vita orthodoxa non eſt aliquid purè ſpirituale, & mathematicum, ſed aliquid, quod oculis quod capite, quod manibus, imo, & interdum voce exprimitur, iuxta ea, quæ ſuperiùs notauimus.

De aliis Conciliis.

Hinc eſt, alia etiam Conciliorum teſtimonia, quæ non vacauit recognoſcere, à nobis ſtare. Sic enim arguo [Sicut Arauſicanum Concilium cap. 12. Sic Carthaginenſe III. cap. 34. & IV. cap. 76. cum decretali Leonis I. ad Theodorum Forolenſem, quæ eſt Epiſt. 91. loquitur: At Arauſicanum, nihil habet contra noſtram doctrinam. multa pro: Ergo idem de vtroque Carthaginenſi eſt dicendum. Et nota obiter, P. Petrum Marchantium in Tribunalis Sacrament. *tract.* 4. *tit.* 4. *quæſt.* 3 *pag.* 141. hæc eadem Conciliorum teſtimonia pro noſtrâ ſententiâ citare. Non ergo eſt euidens, quod ex illis obiicitur contra noſtram doctrinam, quam non volumus eſſe certam & euidentem, ſed probabilem.

Nota hoc.

MMMCCX. *Exponuntur verba Authorum, qui tenent opinionē contrariam.*

VT Conciliorum literam intellexerimus, recognoſcamus verba Authorum, qui dicuntur habere opinionem contrariam.

Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 10 *num.* 6. ſic ait. [Si infirmus amiſſo rationis iudicio nullum præbet, nec paulò antè dederat peccati, & pœnitentiæ ſignum, nullo modo eſt abſoluendus à peccatis. in quo quidam rudiores ſacerdotes errant.] Conſonat illi Layman *Theol. moral. lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 12. *num.* 4 ait enim. [Patres, & Doctores non aliter permittunt pœnitentiæ ſacramentum moribundo obmuteſcenti miniſtrari. niſi antea ſacramentalem abſolutionem verbis aut ſignis petiuerit.] Conſentit Petrus Fay *de pœnit. in addition. ad* 3 *quæſt.* 6. *tit.* 2. *diſp.* 2. Vbi ſic aſſerit [Nunquam abſolui poterit, qui ſubitò in ſupremum vitæ incidit diſcrimen, neque coram ſacerdote exprimere peccatum vllum poteſt, aut ſignis aliquibus dolorem peccatorum, & volitionem Confitendi patefacere, licet contrarium indiſcretè, & ignoranter ſatis, ac ſine vllo prorſus vel apparente fundamento à variis Sacerdotibus practicetur.] Et eodem modo, aut fere loquuntur Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 8. *cap* 3. *num.* 25. Turrianus *de pœnit. quæſt.* 9. *art.* 2. *diſp.* 30. *dub.* 1. *ad* 3. Bellochius *de Caſib. reſeruа p.* 1 *quæſt.* 2. *num.* 116. Pitigianus *in* 4. *ſent. tom.* 2. *diſt.* 17. *quæſt. vnica art.* 8. *concl.* 3. Iribarne *in* 4 *tom.* 2.

Nemo negat ſigna externa requiri; ſed ab Adverſariis oſtendendũ erat ipſam vitam Catholicam non eſſe vocem, quâ homo publicè proteſtetur, ſe mori velle, ut Catholici faciunt.

 diſt. 18.

Nota id bene.

diſt. 18. *quaſt. vnica diſput.* 16. *ſeſſ.* 5. Vaſquez *in* 3. *part. tom.* 4. *quaſt.* 91. *art.* 2. *dub.* 1.

MMMCCXI. *Corollaria.*

Ex quorum verbis tria ego colligo. *Primum*, eſſe multos, qui in praxi ſequuntur opinionem, quam nos admittimus, & iſti reiiciunt Authores. *Secundum*, ſufficere ad abſolutionem recipiendam; quòd æger ante illum morbum aut accidens illam ſignis petierit. *Tertium*, hos Authores laborare dialecticâ. Primum, ſecundumque concedis; tertium probo. Quoniam illorum verba mihi videntur ſimilia iſtis. [Qui linguâ maternâ petit abſolutionem, impetrare illam poterit: ergo debebit non abſolui, qui eam petat latine.] Pulchra Conſequentia: quaſi lingua latina non ſit lingua. Progredior [Qui antequam inciderit in vitæ diſcrimen, voluntatem recipiendi vltimam abſolutionem ſignis expreſſerit, abſolui poterit, & debebit: at Catholicus ſenſibus deſtitutus, antequam in eiuſmodi vitæ diſcrimen incidit, ſignis externis expreſsit voluntatem recipiendi vltimam abſolutionem: ergo abſolui poterit; & debebit. Probatur minor.

Quidam ſyllogiſmus examinatur.

MMMCCXII. *Vita Catholica eſt ſignum extrinſecum.*

Quoniam vita Catholica conſiſtit in actibus externis, quorum ſinguli ſunt ſigna, ſunt voces, ſunt linguæ, quæ poſtulant vltimam gratiam; non quidem miraculosè conferendam, ſed per media à Chriſto Domino ordinata: hoc eſt per Sacramentum Pœnitentiæ.] Fallitur igitur Petrus Fay, cùm benignam ſententiam crudeli Cenſurâ condemnat: non enim illam, ut ait, indiſcretè, ignoranter, ac ſine vllo prorſus vel apparenti fundamento varij Sacerdotes practicant: Sed illam diſcretiſſimè, ſapientiſſimè, & fundamento tam probabili, vt tota vita ſua ille illud non ſit euidenti aliquâ ſolutione debellaturus.

MMMCCXIII. *Examinatur alia ratio.*

ADdam etiam rationem, quam ex Maldero Antuerpienſium doctiſſimo Epiſcopo *tract. de ſigillo Confeſſ. cap.* 15 Alphonſo de Leone *tract. de officio & poteſt. Confeſſ. tom.* 1. *reſol.* 6. *num.* 131. Naldo *in ſumma verb. confeſſio. num.* 32. & aliis colligit Antoninus Diana 3. *par. tract.* 3. *reſol* 86. *Nec valet.* quâ exiſtimo noſtram potiùs ſententiam confirmari. Sic arguunt. [Abſolutio eſt actus iudicialis: Sed ad iudicium non proceditur, vbi nulla eſt accuſatio: Ergo.] Hac ipſi ratione mouentur, vt moribundo, de quo agimus, abſolutionem negent: hac Petrus Marchantius *in ſuo Tribunali*, vt concedat: & me Iudice, hic vltimus iuxta regulas, & fundamenta bonæ Logicæ. Huic igitur rationi reſpondeo, concedendo maiorem, eſt enim clara, certa, & ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 9. deſumpta. Progredior diſtinguendo minorem, eſt enim falſa, ſi agatur de accuſatione verâ, & reali: vera, ſi de virtuali, & præſumptione. Sæpè enim ex indiciis, & circumſtanciis concurrentibus ad iudicium proceditur; & ſæpe ipſummet delictum accuſat.

An in moribundi abſolutione detur accuſatio?

Quâ vtuntur vtriuſque ſententia defenſores.

Accuſatio duplex: realis & virtualis.

MMMCCXIV. *Caſus proponitur.*

Vt rem meliùs intelligas, hunc caſum à te decidendum propono. [Bacher captus Broxellis, dum arctè cuſtoditur in ſecretiſſimo carcere, laqueo inuenitur ſuſpenſus: & damnatur ſtatim: & quia fuit deſperationis reus, per pedes patibulo infauſto ſuffigitur.] An-ne ſanctè damnatur? In vrbe illâ fui, cùm caſus accidit, nec audiui, vel vnum, qui contra ſententiam muſſitaret. Sed quis eum accuſauit obſecro? quis conuicit? Accuſauit eum, & conuicit vita anteacta, proditiones & ſcelera, de quibus videbatur conuictus, ita vt omnibus conſideratis non aliter videretur occiſus, quàm à ſe. Ergo in tribunalibus indicia quæ vehementia dicuntur loco accuſationis, & probationis haberi ſolent: & indicia, quæ elidi non poſſunt, æquiualent informationi plenæ. Errant igitur Diana, & alij, ſi ſemper accuſationem, & realem in Iudicio requirunt: Et ipſi velint nolint, debent ſtare à nobis, ſi ſint contenti accuſatione virtuali, & interpretatiuâ.

An vita anteacta accuſet?

In tribunalibus politicis ſufficit accuſatio virtualis & interpretatiua.

MMMCCXV. *Ergo in tribunali ſacramentali eodem modo proceditur.*

Hinc ego, *quia præſtat ab hoſte doceri*, iam audentior, & doctior, eandem rationem ſumo, vt meam opinionem ſtabiliam. Sic diſcurro. [Abſolutio eſt actus Iudicialis. Ergo ſicut in Iudiciis Ciuilibus proportione ſeruatâ, ſic etiam in Pœnitentiæ Sacramento proceditur. At in Ciuilibus Tribunalibus non ſolùm accuſatio vera, & realis, ſed etiam virtualis moralis, & interpretatiua locum habet: ergo etiam in tribunali Sacramentalis confeſſionis] Recognoſcit obſecro, ſincerus Lector conſequentiam vtramque, videatque an ex Concilio Tridentino illi melius ſuam, quàm nos noſtram, deducant. Quod ſi euidens ſit nos melius dialecticari; erit euidens etiam noſtram ſententiam eſſe probabiliorem.

Sicut datur de veritate Certitudo, Probabilitas, ſic etiam poteſt dari de Probabilitate Probabilitas & Certitudo.

MMMCCXVI. *An omnes opiniones probabiles ſint tolerabiles?*

ROgas, An hæc doctrina ſit, quæ practicetur, non coram hominibus ſed coram Deo? *Reſpondeo*, multas eſſe opiniones verè probabiles, quæ coram hominibus locum non habent: vel propter inconuenientia, quæ parturiunt, vel propter ſcandalum, cui præbent anſam: multa enim probabiliter fiunt, quæ ob circumſtantium ignorantiam meliùs omitterentur. An-ne abſolutio moribundi eſt eiuſmodi? Fortè id ſentire potuit aliquis, ante annos viginti vel triginta, iam non poteſt. Rem ediſſero, & dilucido exemplo [Iacebat Pragæ Excellentiſſimus Dominus Balthaſar de Marradas, ſenſibus deſtitutus: accedunt Sacerdotes nonnulli, nec vllus eum audet abſoluere. Superuenit P. N. (hodie viuit hìc Pragæ in Societatis Collegio, & pientiſſimus, & doctiſſimus eſt) & ne ægrotum deſereret, aut ignorantes ſcandalizaret, iubet omnes egredi, & paulò poſt reuocat dicens, *Mihi ſigna doloris ſufficientes exhibuit, & eum abſolui*: & interim miſer ſenex iacebat moribundus vt anteà. Adfuit P. Bernardinus Caboco, Hibernus Minorita, à quo hoc habeo, & cenſuit illum doctiſſimum P. Ieſuitam, ne cogeretur ſui facti rationem ignorantibus dare, noluiſſe coram aliis dictum moribundum abſoluere. At hac hodie doctrinâ publicè vti poterimus; quia iam videtur magnâ Doctorum authoritate fulta non poſſe condemnari aut notari.

Ille Pater, quem pientiſſimum & doctiſſimū meritò dixi, eſt P. Rodericus Arriaga, ob libros ingenioſiſſimè ſcriptos in Orbe literario celeber, à quo benignitatem in re, & prudentiam in modo potes diſcere.

Interim, quod fecit Pater N (P. Arriaga) & tamen non voluit fateri ſe feciſſe; & fecit, & ſe feciſſe fatetur P. Leander è Sanctiſſimo Sacramento, Vir profectò doctiſſimus &

P. Leander laudatur.

eruditiſſimus,

eruditiſſimus, qui *part. 1. tract. 5. diſp. 5. quæſt. 46.* hanc ipſam Controverſiam proponit & examinat: Rationes & Authores pro parte negativâ à §. *Negant* proponit: & à §. *Affirmant.* noſtram Opinionem ediſſerit, & illam rationibus quatuor confirmat, & pro illâ Molfeſium, Lotherium, Suarium, Salmeronem, Lupum, Hominem bonum, Antonium de Literatis, Bartholomæum à S. Fauſto, Iacobum Bayum [c] Lovanienſem, Torreblancam, qui Vaſquez & Suarez adlegat; Marchantium, Averſam, Pellizarium, Baldellum, Naldum, Victorianum, & alios producit Ibi ait Alexandrum Ludoviſium, Archiepiſcopum Bononienſem, poſteà ſummum Pontificem, & vocatum Gregorium XV edidiſſe Bononiæ Memoriale Confeſſariorum: & in eius *cap. 1. de form. Sacram. Pœnit. num.* 16. iubere hanc in praxi obſervari ſententiam. Leander itaque, poſtquam, ut dixi hinc inde eruditè diſſeruit, claudit hanc Quæſtionem his verbis. *Ecce, mi Lector, pro utrâque parte Doctores & argumenta, quorum authoritate & vi conſideratâ mihi in hoc difficillimo puncto ſic reſpondendum videtur. Quòd ſcilicet, quamvis prima ſententia ſpeculativè ſit longè verior, longèque probabilior, ſecunda hæc tamen, quia non caret probabilitate (ut ipſemet Diana veritò fatetur) in praxi obſervari debeat; & practicari (quod Ego Romæ in occurrenti caſu ſemel & iterum feci, nec pœnituit) &c.*

c] Non eſt hic Bayus ille, cuius ſententias nonnullas Pius V. & Gregorius XIII. condemnarunt; nam ille, cuius caſtigatur doctrina Michaël vocabatur; Vir quidē Cardinalis Toleti teſtimonio, ſicut maximè doctus, ſic ſummè obediens, magnâ enim humilitate iudicio Apoſtolicæ ſedis ſuam doctrinam ſubmiſit.

An Confeſſarius, quādo abſolvere ægrotum poteſt, etiam debeat? Vide n. 3143 & 3189. 3220.

Poſteà rectè ait *quæſt.* 47. in caſibus, in quibus Confeſſarius ægrotum periclitantem poteſt abſolvere, etiam debere. Et, ſi interroges, An debeat abſolvere ſub conditione? producit Authores pro utrâque ſententia, & illas §. *Ego autem* ingenioſè conciliat, dicens, poſſe abſque expreſſa conditione abſolvere caſu, quo detur opinio probabilis, quod abſolutè poſſit; non verò caſu, quo talis opinio non ſit, ſed ſolùm, quod poſſit dari ſub conditione abſolutio. Tu autem ſic rem intellige. Quotieſcumque aliqua Opinio eſt verè probabilis, illâ poteris, abſolutè uti, & iuxta illam abſolutionem ſine conditione concedere: ſi autem talis Opinio ſit, ut de probabilitate dubitetur aut diſputetur, debet adhiberi conditio.

An, & quādo teneatur conditionem apponere?

APPENDIX

De Abſolutione mortui.

M M M. CCXVII. *An mortui abſolui poſſint?*

Egimus de moribundis, veniamus nunc ad mortuos, & videamus, Vtrùm abſolui poſſint? A cenſuris, quæ cadaver afficiunt, illud abſolui poſſe etiam exanime, clarum & certum eſt: at ipſâ è peccatis animâ ſemel ſeparatâ, non poteſt. Sed quid requiritur, vt aliquid mortuus eſſe dicatur? Quæſtio hæc potiùs eſt phyſica quàm ethica, & interim vno aut altero caſu illuſtrabitur.

Quando homo dicatur verè mortuus?

Proponuntur duo caſus, PRIMVS.

Primus iam olim mihi fuit propoſitus, & reponi poteſt per hæc verba. [Confitebatur Petrus, & dum lachrymas funderet & actus doloris eliceret, aut morbo aut contritione victus incidit in deliquium animi. Eum alij cenſent mortuum, alij viuum; & dum omnes dubitant, hæret ſacerdos, & abſoluere pœnitentem non audet: Dei tamen Petrus beneficio ad ſe rediit, & ſacramentaliter fuit abſolutus.] Sic caſus accidit. Et nunc Sacerdos, ne iterum in eiuſmodi anxietatem incidat, doceri vult, An hominem, aliàs bene diſpoſitum, ex hoc ſolo capite, quod dubitetur, an ſit mortuus, teneatur non abſoluere: aut potiùs teneatur abſoluere.

Sicut de rebus cæteris, ſic de vitâ & morte hominum eſſe poſſunt diverſæ & adverſæ opiniones.

M M M-C C X V-I I I. SECVNDVS, *Quid faciendum in dubio?*

Secundus ante paucos dies propoſitus mihi fuit à P. Moreto, S. Th. Profeſſore, qui ſic rem narrat. [Vocari iuſſit Confeſſarium Anſonius morbo repentino laborans; & dum ille quæritur, humorum violentiâ ſuffocatur. Condolent omnes, quod ante aduentum Confeſſarij deuixerit. At ſuperueniens iſte nil moratur ad cadauer accedit, & mortuum ſacramentaliter abſoluit & in ſummam admirationem omnes circunſtantes inducit.] Res ſic tranſiit. At iam hodie quæritur, An licitè, an validè potuerit mortuum iam defunctum abſoluere?

Propono, Amice Lector, caſus hoc cuicumque iuniori Theologo, & audies eſſe faciles, & ſolutione non egere. At ipſi difficillimi ſunt. Eos ſequentes Concluſiones diſſoluent:

An ſeparata anima poſſit abſolui.

PRIMA. *Anima ſeparata à corpore non poteſt à peccatis abſolui.* Eſt certa apud Catholicos; nam Pœnitentiæ Sacramentum eſt priuilegium, quod nec ſeparatæ Animæ, nec Cadaueri, ſed Homini viuenti conceditur.

M M M-CCXIX. *An detur vita dubia?*

SECVNDA. *Impoſſibilis eſt caſus, in quo dubitetur, vtrùm homo adultus ſit viuus, vel mortuus.* Et non iam ſuadetur, ſed demonſtratur hæc Concluſio: quia vbi ſuccurrit ratio aliqua grauis, non dari purum dubium euidens eſt: nam ſiue illud ſit negatiuum, ſiue poſitiuum, omnem grauem rationem excludit: Atqui in morte hominis ratio grauis ſuccurrit. Ergo. Probatur minor. Quia poſſeſſio fundat rationem grauem, & omni probabili (imò, omni probabiliore) certiorem: & in hominis morte poſſeſſio pro vita eſt: Debet ergo cenſeri viuus quouſque certò ſit mortuus.

In dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione.

TERTIA. *Si eſſet poſſibile eiuſmodi dubium, & de facto daretur, deberet homo habens dubiam vitam abſolui.* Patet: quia in omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione, quæ præceſſit hoc dubium. At ante mortem dubiam erat in poſſeſſione vita certa: Ergo erit ſtandum pro vitâ.

An habens dubiam vitam abſolui poſſit?

QVARTA. *Si fuiſſet verè mortuus, & miraculo dubio ad vitam dubiam, revocatus, deberet cenſeri non viuus.* Nimirùm ob eandem rationem. Quoniam in omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione, quæ præceſſit hoc dubium. At ante reſuſcitationem dubiam erat in poſſeſſione certâ mors. Ergo eſſet ſtandum pro morte.

Quid dicendum de reſuſcitatione dubia?

M M M-C C X X. *Probabiliter mortuus.*

QVINTA. *Caſus eſt poſſibilis in quo aliquis probabiliter dicatur mortuus.* Et oſtenditur; quia contra poſſeſſionem poſſunt, & ſolent formari probabilia argumenta.

Abſolui poteſt.

SEXTA. *Homo probabiliter viuus, (ſi aliunde non obſit, diſpoſitionis defectus) abſolui poteſt. Imò & debet.* Patet; quia in rebus practicis

Digitized by Google

practicis poſſumus ſequi opinionem probabilem. Et quia poſſumus minus probabilem, homo minus probabiliter viuus, & probabiliùs mortuus, abſolui poteſt.

Imò etiam probabilius mortuus.

Septima. *Homo minùs probabiliter viuus abſolui poteſt, debetque Nimirùm, ex iuſtitiâ à ſuo Parocho, & ex charitate à quocumque ſimplici Sacerdote.* Demonſtratur.

Charitatis præceptum.

Quoniam ego teneor ex charitate iuuare proximum in extremâ neceſſitate conſtitutum, ſi poſſum: & ex iuſtitiâ teneor iuuare filium in eâdem neceſſitate conſtitutum, ſi poſſum. At, qui inconfeſſus eſt in articulo mortis eſt in extremâ neceſſitate. Ergo iuuare eum debeo, ſi poſſum. At poſſum ſequi opinionem minus probabilem, & eum cenſere viuum, & poſito hoc dictamine eum abſoluere: Ergo & teneor; videlicet, ex charitate, ſi ſim proximus; & ex iuſtitiâ, ſi ſim Parochus.

An minùs probabilem ſententiam ſequi poſſim?

De abſolutione probabili.

Sed quantum valebit illa abſolutio? Sunt multa, quæ fiunt probabiliter, & certò valent; nam confeſſio facta cum opinione probabili (ſiue iſta ſe teneat ex parte integritatis, ſiue ex parte iuriſdictionis) certò valida eſt. Cæterùm, ſi probabilitas ſe teneat ex parte alicuius circunſtantiæ eſſentialis, erit abſolutio, non certa, ſed merè probabilis.

MMM. CCXXI. *An ſit ſufficiens ad abſolutionem dolor naturalis, ſi exiſtimetur attritio?*

Hinc eſt, quòd, ſi pœnitens probabiliter putet ſe attritum, & tamen attritus non ſit, probabiliter etiam putabit ſe abſoluendum, non tamen abſoluetur de facto. Hinc etiam eſt (& modò reſpondemus quæſtioni) quod, ſi pœnitentem probabiliter putemus viuum, & tamen reuerà mortuus ſit, probabiliter etiam putabimus eundem abſolui poſſe, & tamen abſolui de facto non poterit: quia ad abſolutionem requiritur vt viuat pœnitens, & opinionum probabilitas non dat veram & phyſicam vitam defuncto.

Quando moriantur homines?

Octava. *Non eſt euidens tunc mori hominem, cùm vltimò ſenſu priuatur.* Rem ediſſero. Solent ægri in deliquia profundiſſima incidere, & mortui putari, quouſque paulatim ſe recuperant, & ad ſe redeunt.

An vnio corporis & animæ ſit tenaciſſima? An detur inſtantanea mors?

Sed quid fieret illi, qui diceret nexum animæ & corporis eſſe ſubſtantialem, fortiſſimum, & fideliſſimum; nec rumpi tam citò quàm putamus: omnes ad vnum moribundos ad mortem per gradus tranſire? è valetudine venire ad morbum, è morbo ad deliquium, & è deliquio ad mortem?

An mortem deliquium præcedat?

An-non innumeri caſus ſunt in Hiſtoriis, qui hanc veritatem perſuadebunt? Legimus ſæpe ægros in cordis deliquium lapſos, & mortuos creditos, miſerrimè fuiſſe ſepultos. Legimus, ex iſtis nonnullos ſpeciali Dei miſericordiâ ab ipſis ſepulchris ereptos. Quid ergo vetat dicere, Omnes prius à ſenſibus & poſteà ab ipſa animâ deſeri? Quid vetat addere, ex deſertis à ſenſibus alios ad ſe rediiſſe, & alios ad ſe non rediiſſe? an non ſunt leges publicæ in communitatibus multis, quibus eſt cautum, ne ante vigeſimam-quartam à morte horam ſepeliantur cadauera, ſi fortè ad ſe redire poſſint? an non eadem ratio, quæ vrget ne ſepeliantur, vrgebit vt abſolui poſſint? nam ſic diſcurro. *Vel ſunt viua, vel non. Si non, terra mandari poſſunt: & ſi non poſſunt, viua ſunt; & ſi viuunt, etiam abſolui poſſunt.*

An defuncti ſtatim ſepeliri debeãt?

Et cur non debeant

MMM-CCXXII. *An detur ſanguinis circulatio. Corda exciſa à corporibus viuũt.*

Experientiæ harum legum æquitatem confirmant. Louanij enim cum controuerſia de ſanguinis circulatione ferueret, volui oculis credere, & ſanguinis motum & impetum examinare; & inter alia cor vnius porcelli excidi iuſſi, quod lacerum ſupra menſam hærebat, titubans, & motus ſuos contractionis & dilationis (ſyſtolen & diaſtolen Medici appellant) ad horæ ſemiſſem languidius, & languidius exercens. Habeo ob oculos, dum hæc ſcribo, Dentis viperini anatomiam à D. Ioanne Baptiſtâ Hodiernâ ſcriptam & Marco Aurelio Seuerino Medico Neapolitano inſcriptam & Panormi editam anno 1646. in cuius paginâ 10. hæc lego. *Cor ſibi ſedem in pectore ad trientem longitudinis à capite vendicat, quod occiſo Angue ad horam planè duas vel ampliùs palpitare molliter videbatur.* Poſitis igitur his experientiis ſic diſcurro. Cor eſt quod vltimò moritur in animali: quouſque igitur illud moriatur, animal non eſt mortuum. Ergo ſi exciſum à corpore adhuc viuit, ſi non excidatur, diutius viuet, poſtquam membra cætera mortua dicantur. Non ergo tam citò moritur animal, quàm putamus. Ergo ſæpe homo mortuus eſſe dicitur, & viuus eſt.

Patet in porco.

Patet in viperâ.

Diutiùs viuerent, ni exciderentur.

Quid de homine dicendum ſit?

COROLLARIVM.

De Fœtûs abortivi Baptiſmate.

MMM-CCXXIII. *Cur hoc Corollarium addatur?*

Analogia doctrinæ poſtulat, ut ſicut de Moribundi aut Mortui Abſolutione, ſic etiam, ſuo modo, de Fœtûs abortivi Baptiſmo philoſophandum ſit. Ergo attentè conſidera ſequentes Ecteſes, ſunt enim Concluſionibus, quæ in præcedenti Appendice poſitæ, correſpondentes. Eſt enim.

De ſubiecto baptiſmi.

Prima. *Fœtus, antequam Anima rationalis infundatur, baptizari non poteſt.* Eſt certa: nam ſoli homines ſunt baptizandi, & fœtus antequam animam rationalem recipiat, non eſt homo.

An in hac materiâ verum Dubiũ poſſibile ſit?

Secvnda. *Impoſſibilis eſt caſus, in quo dubitetur, utrùm fœtus animatus ſit, aut non ſit?* Et hæc Ecteſis poterit demonſtrari. Quia ubi ſuccurrit ratio aliqua gravis, non dari putum dubium evidens eſt, nam dubium qualecumque (videlicet, ſubdubium, aut ſuperdubium) illud ſit, omnem probabilem aut certam rationem excludit. Quia, ſi à poſſeſſione argumentum ſumatur (eſt enim Carentia Animæ prior, quàm Animæ infuſio) ceſſat dubium: ſi autem eſt ratio valens præjudicare poſſeſſioni, etiam id ceſſat. Ergo.

De Dubio, ſubdubio & ſuperdubio aliquid in ſequentis Diſputationis articulo I. dicturus ſum.

Fœtus debet in dubio baptizari.

Tertia. *Si eſſet poſſibile eiuſmodi dubium, & de facto daretur, fœtus abortivus, de quo dubitaretur, an informaretur animâ rationali, baptizari deberet.* Patet: quia in omni dubio favendum eſt proximo periclitanti Et quidem in caſu dubio deberet adhiberi conditio; quæ omitti poſſet, ſi rationes tales eſſent, ut

Dubium

Digitized by Google

Dubium in Probabilitatem converteretur,

Aliter ſtatuendum eſſet de homine, qui crearetur, ac de illo, cui modo ordinario genito anima ante tẽpus miraculosè infunderentur.

QVARTA. *Vt fœtus debeat baptizari, non eſt quærendum, an connaturaliter, an miraculosè animam rationalem habeat, ſed an habeat?* Patet: quia, ſi animam habeat (connaturaliter, aut miraculosè illam habeat) baptizari debebit.

QVINTA. *Caſus eſt poſſibilis, in quo fœtus probabiliter dicatur habere animam rationalem.* Quia ex motu ejus, poſſent argumenta probabilia deduci,

De fœtu probabiliter vivo.

MMMCCXXIV.

An baptizandus ſit?

SEXTA. *Fœtus abortivus, ſi probabile ſit eum habere animam rationalem, debet baptizari.* Nam alias, qui illum non baptizaret, illum periculo æternæ damnationis exponeret. Nam, ſi vere eſſet vivus, & baptizaretur, æternam beatitudinem conſequeretur; &, ſi non baptizaretur, ſortem illam miſeram, quam in limbo cæteri patiuntur, ſubiret.

De opinione minus probabili.

SEPTIMA. *Fœtus abortivus, etſi minùs probabiliter rationalem animam ſuſcepiſſe cenſeatur, debet nihilominus baptizari.*

Quem effectũ baptiſmus probabilis habeat?

Sed quantum valebit hic baptiſmus? Si fœtus reverà ſit vivus, ſi reverà habeat animam rationalem, erit verus baptiſmus: ſi autem fœtus ſit incapax, nec fructum baptiſmi ſuſcipiet.

OCTAVA. *Non eſt evidens fœtum abortivum, qui nullum motum, aut artuum humanorum delineationem exhibet, nondum habere animam rationalem.* Demonſtratur. Nam, ſi interrogem, quæ ſit in fœtu cauſa membrorum & artuum conformatrix, duas ſententias reperiam: altera enim poſtulat, ut corpus organizatum ſit, ante quam infundatur anima (& à quo, quæſo, organizabitur?) & altera embryoni infundit animam, ut illa ipſum organizet. Prior illa ſententia, nunquam à peripateticis bene probari potuit; non enim apparet, quænam cauſa externa illud poſſit corpuſculum organizare. Ergo hæc poſterior eſt tenenda. Ergo, ſi anima in illam materiam ſeminalem infunditur, ut eam organizet; cùm organizatio non poſſit in inſtanti fieri, ſed prævias diſpoſitiones poſtulet, per quas ſucceſſivè & paulatim procedat; ſequitur, ut debeat eſſe priùs, quàm organizatio percipiatur.

Quanam ſit cauſa organizationis conformatrix?

An anima rationalis eſſe in fœtu priùs debeat, quàm organizatio percipiatur?

Mola & maſſa, quæ in ventre generantur, nõ vivunt, & ideò non debent baptizari.

Cæterùm, ſi figuram jam habeat, qualem maſſæ molæ, & cætera excrementa, quæ ex corrupto ſemine in mulieris ventre formantur per accidens, habere ſolent, jam tunc ceſſabit quæſtio, & conſtabit poſitivè talem fœtum carere animâ rationali.

Hoc volui tanquam in parentheſi Corollarium inſerere, nam ea quæ intulimus dona Appendicis præcedentis ſuggeſſit, interim ſi hæc ipſa uberius deducta & dilucidata velis legere, quatuor priores Epiſtolas, quæ ſub initium Theologiæ Intentionalis reperies, recognoſce, nam in illis hæc Quæſtio accuratè & exactè ediſſeritur.

DISPVTATIO IV.

De Peccatis Dubiis & Probabilibus.

An *ſint in Sacramentali Confeſſione explicanda?*

MMMCCXXV.

EGi de moribundo, qui nullo ſigno præſente confeſſionem poſtulaverat: & eum poſſe, imò & debere abſolui dixi, & ut puto ſatis clarè probavi, nam poſitis conditionibus & limitationibus, quæ à nobis & à Doctoribus apponi ſolent, noſtra ſententia certa eſt. Egi tamen de abſolutione mortui, ubi oſtendi, non omnes illos eſſe verè mortuos, qui tales videntur.

Proponitur tota difficultas.

Volebam dimittere calamum, ſed nova & graviſſima difficultas occurrit, quæ diſputat de peccatis dubiis, & inquirit, *An exponi illa debeant in confeſſione ſacramentali?* Eſt quidem difficultas, quam omiſere Veteres, Iuniores vix audent reſoluere, ne à communi doctrina in graviſſimâ materiâ excedant. Vt autem eam intelligas, revocanda in memoriam venit Conſcientiæ diviſio; docuimus enim ſextuplicem apud Ethicos conſcientiam eſſe; nimirùm, Fidelem, Evidentem, Probabilem, Dubiam, Scrupuloſam Hypocondriacam.

Conſcientia ſextuplex.

Conſcientiam Fidelem vocamus revelationi innixam: *Evidentem*, quæ certa & clara: qualem habet, qui certò ſcit ſe peccaviſſe aut certò ſcit ſe non peccaviſſe: videlicet, illam, quæ naſcitur à ſcientiâ experimentali clarâ, contra quam vel nulla ratio militat, vel nulla gravis. *Probabilem* dicimus eam, quæ gravibus fundamentis ſubſtruitur; qualem haberet, qui ob rationes fortes ſe peccaſſe, & propter alias etiam fortes ſe non peccaſſe exiſtimaret. Conſultò utrobique *fortes* poſui; ille enim, qui haberet, vel fortes contra leues, vel contra nullas, non eſſet dicendus habere conſcientiam probabilem, ſed certam: probabilitas enim in moralem certitudinem evadit per accidens, quando rationes contrariæ ignorantur. *Dubiam* conſcientiam dico, quæ non innititur rationi gravi. *Scrupuloſam*, quæ naſcitur ex ignorantiâ & ſuperbiâ: & ſolet in viris piis nonnunquam reperiri, qui carent doctrinâ ſufficiente, ut veritatem examinent, & impediuntur ſublatente ſuperbiâ, ne doctiores interrogent. *Hypocondriacam* tandem dicimus

Nota hoc bene: quia fortè caſus eſt impoſſibilis.

Sine ignorantiâ & ſuperbiâ nõ ſunt ſcrupuli.

Digitized by Google

conſcientiam hominis humore melancholico afflicti, quem tædet actionum ſuarum: hæc enim deſpectu neſcio quo præventa, omnes & ſingulas actiones quas elicit, reprehendit. Hæc omnia dictis cohærent, ſed debuerunt breviter reſumi, ut clarius diſputatio aliàs difficilis & obſcura procederet. His poſitis ſit.

Protheorema I. *Peccata certò commiſſa, ſi gravia ſint, debent neceſſariò ſubdi tribunali ſacramentali Confeſſionis; & ſi levia poſſunt.* Ita omnes Authores.

Protheorema II. *Peccata certò non commiſſa, levia vel gravia ſint, non poſſunt ſubdi eidem tribunali Confeſſionis.* Ita omnes.

MMMCCXXVI. *Confeſſionis materia.* Vtrumque probatur evidenter; nam contra inſtitutionem Sacramenti Pænitentiæ; tam militat peccati perpetrati negatio, quàm non perpetrati confeſſio. Sed poſtulas. An confiteri peccatum veniale, quod certò ſcis non commiſiſſe, poſſis ſine culpa mortali? Si ſit pars confeſſionis, benignior reſolutio eſt, ſoma enim habet materiam ſupra quam poſſit cadere: ſi autem ſit tota confeſſionis materia, videtur eſſe peccatum veniale Philippo Fabro, in Academiâ Patavinâ publico S. Theologiæ Profeſſori *tract. de pænit. in 4. ſent. diſt. 17. quæſt. unic. diſp. 14. cap. 3. n. 51.* & reliquis omnibus, quos viderim, mortale.

An peccet mortaliter, qui non cõmiſſa confitetur?

MMMCCXXVII. *Quæ ſint peccata probabilia?* Protheorema III. *Peccata probabilia nemo tenetur confiteri.* Voco illa *probabilia*, quæ conſcientiam pungunt, quando vel aliquis probabiliter putat, ſe non peccaviſſe, vel ſe non peccaviſſe mortaliter: vel ſi certò ſciat ſe peccaviſſe, probabiliter putat, ſe legitimè iam confeſſum, & abſolutum eſſe.

Circa hanc veritatem inquirit P. Leander à Sanctiſſimo Sacramento *tract. 5. diſp. 5. quæſt. 28.* & quia doctiſſimè reſoluit, proderit eius verba producere. Sic enim ait.

[Affirmant (debere exponi in confeſſione probabilia peccata) Nugnus *in add. ad 3. part. quæſt. 9. art. 2. dub. 4.* (non, ſ. ut apud Dian. ubi infra invenies) *pag. mihi* 509. ubi pro hac parte citat Divum Thomam *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. & 21. quæſt. 2. art. 3.* & Palud. *quæſt. 2.* Ricardum *diſt. 16. art. 5. quæſt. 1.* Sot. *diſt. 18. q. 2. art. 4.* Navarr. *cap. 9. num. 14.* Victoriam *num. 130.* Idem docent Salas *in 1. 2. tract. 8. quæſt. unicâ ſect. 5. num. 60. ad 4.* & loquendo de ſecundâ parte noſtri quæſiti, Ægidius *diſp. 7. dub. 7. concl. 1. n. 68.* Sed probabiliùs reſpondeo: non teneri, quia liberum eſt unicuique ſequi opinionem probabilem, quæ ſicut in aliis materiis, ſic etiam in hac, ſufficit ad obſervandum præceptum. Sic Sanch. *loc. cit. 76.* Suar. *diſp. 22. ſect. 9.* Granado *tract. 9. diſp. 7. num. 1.* Fagundez *precep. lib. 1. c. 4. n. 2. & 3.* Dian. *part. 3. tract. 4. reſ. 107.* Lugo *diſp. 16 num. 58. pag. 316.* & communis. Nec oppoſitum docent Victoria, & Sot. pro oppoſitâ ſententiâ citati: quia ſolum loquuntur de peccatis omninò dubiiſſimò & Navar. *in cap. ſi quis autem num. 77. de Pænit. diſt. 7.* in noſtram inclinat ſententiam, ut advertit Sanch. *loco cit.* ſic etiam Filliuc. *tract. 7. cap. 4. n. 109.* Bonacina, & alij, quos ſequitur Machado *1. par. ſum. lib. 2. part. 4. tract. 5. docum. 3. in fi e*]

Leandri opinio.

De peccatis dubiis.

An loquatur Leander inconſequenter?

Hæc Leander, qui in hoc mihi videtur mirabilis, ſicut etiam Diana, quòd probabilia omitti poſſe dicat, & dubia nihilominùs aſſerat debere in confeſſione exponi; quod eſt dicere, niſi alio utatur Lexico (ſed hoc non poteſt, quia etiam peccata probabiliora dari admittit) hominem, qui ductus graviſſimis rationibus opinatur ſe peccaviſſe mortaliter, (iſte enim habet probabile peccatum) non teneri confiteri; illum verò teneri, qui habet peccatum dubium, hoc eſt, qui ſuſpicatur leviuſculâ aliquâ ratiunculâ, aut ſcrupulo punctus. Et quis quæſo negationem illam cum iſtâ aſſertione componat?

Si peccata probabilia exponi non debent, nec dubia debent.

MMMCCXXVIII. *An liceat ſequi opinionẽ minus probabilẽ, etiam in confeſſionis materia?* Protheorema IV. *Qui ſubſcribens communi Theologorum ſententiæ; aſſeruerit eſſe tutum ſequi opinionem etiam minùs probabilem, aut inconſequentiâ laboraturus, aut dicturus eſt peccata, quæ commiſſa fuiſſe, aut non fuiſſe probabile eſt, non eſſe in confeſſione neceſſariò explicanda, ſed poſſe pænitentem alterutri parti ſubſcribere, & ſequi ſuum arbitrium; nimirùm, vel iudicando eſſe commiſſa, & confitendo, vel iudicando non eſſe commiſſa, & non confitendo.*

Hanc concluſionem negare à fortiori debebunt omnes Authores, qui rejiciunt Protheorema III. Eandem expreſſè negant Ægidius *diſp. 7. dub. 8. concl. 1. num. 68.* & Fagundez *pag. 459 num. 7.* Eam tamen tuetur Leander, *ubi ſupra quæſt. 29.* ubi ſic ait. [Adhuc probabiliùs reſpondeo, (eum, qui minus probabiliter judicat, ſe non peccaviſſe, aut non mortaliter, aut jam fuiſſe confeſſum) ad confeſſionem non teneri: quia adhuc in materiâ conſcientiæ poteſt quis ſequi opinionem probabilem. Et id omninò erit certum, ſi pœnitens de aliis peccatis confeſſionem faciat quia hoc modo, nullatenus ſe exponit periculo peccandi, vel damnandi. Sic Sanchez *loco citato num. 76* & apud illum Navar. *loco citato.* Suarez *diſput. 22. ſect. 9. num. 6.* Sylvius, quem citat, & ſequitur Diana *3. part. tr. 4. reſol. 107.* Henriq. & Granado *loco cit.* & alij.

Quomodo opinio probabilis poſſit tranſire in certam?

Patet; quia alias falſum eſſet quidquid de probabilitate à viris ſanctiſſimis, & doctiſſimis benignè ſcribitur. Vnde Author Compendij Dianæ impreſſi Antuerpiæ ann. 1641. verbo Confeſſio n. 31. *Aliud eſt*, ait, *ſi probabiliter indicaret ſe, vel non commiſiſſe peccatum, vel non eſſe mortale, vel ſe eſſe confeſſum: tunc enim ad nihil teneretur, quamvis contrarium iudicet probabilius Marat. & alij,* & citat Dian. *part. 3. tr. 4. reſolut. 60. & part. 4. tractat. 3. reſolut. 5. & part. 5. tractat. 14. reſol. 113.*

MMMCCXXIX. *An hæc doctrina in articulo mortis locum habeat?* *An-ne eodem in vitâ modo, & in mortis articulo eſt philoſophandum?* Attende. Si Petrus probabiliter iudicet ſe eſſe in peccato; ſi ejus opinio eſt vera, erit in peccato; ſi falſa, in gratiâ. Et Diana, quia docet non eſſe peccatum ſe exponere probabili æternæ damnationis periculo, debebit dicere primò, eum qui ſic moriatur, probabiliter ſaluandum eſſe, & probabiliter damnandum: & ſecundò, hoc periculo non obſtante non teneri ſub mortali conteri, aut confiteri. At ego contrariæ inſiſtens viæ, ſic diſcurro. Primo, *Poteſt homo probabilia peccata confiteri: non tenetur dum vivit.* Secundò, *In mortis articulo debet reddere ſuam ſalutem ſecuram quantum poteſt: ergo, quia non poteſt certò cognoſcere ſe actum*

An poſſit aliquis ſe exponere probabili æternæ damnationis periculo?

contritionis

contritionis elicuiſſe, recurrere ad confeſſionem tenetur ſub mortali. Nota hîc obiter, aliud eſſe, Petrum, qui habet probabiliter mortale peccatum, debere confiteri, ut certò ſit in ſtatu gratiæ, & in Chriſto moriatur; & aliud, deberi in tali caſu illud probabile peccatum confiteri: qui enim habet verum peccatum, quod non habet obligationem, confitendi (puta ob ignorantiam oblivionem, complicem, aut reſervationem) modò alia peccata confiteatur, gratiam adquirit.

Aliud eſt, debet confiteri: & aliud, debet tale peccatū confiteri.

MMMCCXXX. *An dubium à probabilitate diſtinguatur?*

AD dubia tranſeo. Et hic obiter notari volo, benè dubium à probabilitate diſtingui à Sanchez *lib.1. in Præcept. cap.10.* malè autem à Lugo *de pœnitent. diſputat.16. ſect. 2. §. 3.* dubium poſitivum cum probabilitate confundi. Sed & Ioannes Præpoſitus *quæſt.5. de integritate Confeſſ. dubitat.3.* videtur omne dubium cum probabilitate confundere, ait enim. *Notandum, hominem propriè dubitare, quando fluctuat, nec poteſt in alterutram partem determinatum iudicium formare: quod interdum accidit, quia in neutram partem ſuppetit ratio: interdum verò contingit, quia utrimque apparent rationes probabiles.* Diſplicet illud verbum ultimum, quia ſi utrimque probabiles rationes ſuppetant, non eſt dicendus habere conſcientiam dubiam, ſed probabilem, hîc autem non inquirimus, An peccata, cùm non fuiſſe commiſſa probabile eſt, debeant in confeſſione explicari; hæc enim quæſtio omninò diverſa eſt: ſed examinamus, An debeas confiteri peccata, ſi dubites te commiſiſſe.

Conſilium dandum ſcrupuloſis.

Protheorema V. *Scrupuloſis optimè conſulitur, ut omittant in confeſſione omnia illa, quæ non ſunt evidenter peccata mortalia.* Ita Layman *Theolog. Moral. lib.1. tract.1.c.4. §.4. num.37.* quem laudat & ſequitur Diana *part.3. tract. 4 reſolut.60.* Scrupuloſis Hypocondriacos adnumera, nulla enim eſt diſparitatis ratio.

MMMCCXXXI. Pondus igitur difficultatis ad dubia peccata devolvitur, & quia hæc multis dubiis novis implicantur, explicentur curioſiùs neceſſarium eſt.

Conſcientia dubia, quæ ſit, & quotuplex.

Dubiam conſcientiam definivimus, ratione gravi deſtitutam: & in dubiam poſitivè & dubiam negativè diſtinguimus. Conſcientia poſitivè dubia illa eſt quæ caret gravi, habet tamen unam vel alteram rationem levem: at dubia negativè, illa, quæ non ſolùm caret ratione gravi, ſed & levi. Hæc diviſio ab ipſamet conſcientiâ deſumitur; ſed ſi objectum aut conſcientiæ contemplemur materiam aſſeremus quatuor conſcientiam ſolere modis dubiam dici: primò circa peccati commiſſionem: ſecundò circa quantitatem: tertiò circa qualitatem: quartò circa confeſſionem aut abſolutionem. Dixi conſcientiam tot modis ſolere dubiam dici, quia puto multa dubia eſſe impoſſibilia, quamvis poſſibilia dicantur: ſed de hoc ſtatim.

Quot modis dubium eſſe poſſit?

Dubitat de peccati commiſſione, qui utrùm fecerit vel non fecerit, neſcit: puta, ſi Petrus adhibito conſcientiæ examine dubitet, an fuerit furatus vel non, vel ſi tale dubium ſub hanc materiam cadere non poſſe credideris, ad actus purè internos non bene nobis cognitos tranſi, & experieris eſſe plurimos, qui dubiis torquentur, & utrùm aſſenſum præbuerint vel negaverint, neſciunt. MMMCCXXXII.

Dubitat de peccati quantitate, qui certò ſcit ſe rem feciſſe, an verò peccaverit graviter vel leviter, ignorat. Puta, ſi Petrus ſciret certò & evidenter ſe furatum fuiſſe; neſciret tamen an materiam gravem vel levem.

Dubitat de peccati qualitate, qui ſcit ſe peccatum commiſiſſe, illiuſque quantitatem non ignorat, neſcit tamen an ad talem infimam ſpeciem pertineat: v. g. ſi Petrus ſciret certò ſe peccaſſe mortaliter in fornicatione, dubitaret tamen an fœmina, quâ fuerat uſus, eſſet ſoluta, coniugata aut Monialis.

Tandem de peccati abſolutione dubitat, qui ſcit ſe illud commiſiſſe, & quantitatem & qualitatem peccati non ignorat, neſcit tamen an fuerit illud legitimè confeſſus? aut certè an fuerit legimè abſolutus?

Hæc dubiorum genera Authores nonnulli confundunt, nonnulli plus diſtinguunt quàm ratio & tribunalis inſtitutio requirit. Vt ergo ſolidè & clarè quæſtionem decidamus, controverſiam in tres Articulos ſubdividemus. *Primus* veras concluſiones ſtatuet & probabit: *Secundus* adlegabit Authores veræ ſententiæ conſonos: *Tertius* ſatisfaciet rationibus objectis pro contrariâ parte.

ARTICVLVS I.

Vera ſententia ponitur, & ratione probatur.

MMMCCXXXIII. *De Dubio, ſubdubio, & ſuperdubio. Quomodo inter ſe diſtinguātur?*

SI eſt in Morali Theologiâ quæſtio, in quâ Logomachiæ multæ, & multæ æquivocationes Lectorem ingenioſum impediant, iſta eſt, quam impræſentiarum ediſſerimus; & ideò, ut obviam eam iſtis inconvenientibus, nonnulla ſcitu neceſſaria præmittam. Et ante Reſolutiones, voces neceſſarias exponam. *Dubium* eſt, quando intellectus hæret anceps, & neſcit, utri debeat adhærere ſententiæ; & quia hæc ſuſpenſio poteſt Ex defectu & exceſſu procedere, dubium in *Subdubium* & *Superdubium* dividetur. Qui vel nullas, vel leves rationes hinc inde habet, *ſubdubitare* dicitur: quoniam hærere cogitur, & imprudens erit, ſi alteri parti aſſentiatur. Quando utrimque datur informatio plena in proceſſibus, aut demonſtratio in controverſiis Scholaſticis, hæret in bivio mens, & *ſuperdubitat*: non cum ſcit, quid adſerere debeat. Inter *ſubdubium*, &

& *ſuperdubium* ſuum locum *Probabilitas* obtinet, habet enim rationes fortiores illis, quæ gignebant ſubdubium, & debiliores illis, quæ ſcientiam, aut ſuperdubium generarent. Ergo nominibus ſic explicatis dico.

An certitudo opinio, & dubium poſſint eſſe ſimul?

An Chriſtophorus Columbus ſit Genuenſis, an verò Placentinus.

Primò; *Poſſe eundem hominem ſimul habere certitudinem, probabilitatem & dubium circa diverſas partes obiecti.* Et oſtenditur, quia Chriſtophorum Columbum ſcio certò fuiſſe hominem, probabiliter fuiſſe Placentinum, & dubito an fuerit in Italia dives: primum enim evincit ratio evidens, ſecundum ratio fortis ex ipſius teſtamento deſumpta, quam aliqui conantur elidere, opponendo objectiones probabiles: tertium hinc inde exagitant rationes & conjecturæ leves, quibus nemo prudens confidet.

Poteſt & ſolet una & eadem Aſſertio rationibus diverſis, quæ non ſint æque fortes, probari.

Secundò, *Poſſe eundem hominem ſimul habere certitudinem, probabilitatem, & dubium de eodem indiviſibili obiecto, nimirùm, ex diverſis præmiſſis*: nam, ſi eadem Concluſio probaretur tribus rationibus, unâ evidenti, aliâ forti, & aliâ levi, cognoſceretur ſimul certò, probabiliter, & dubiè.

M M M. C C X X X I V.

An intellectus poſſit ſimul elicere multos actus.

Inquiris, An in caſu propoſito, nimirum, quando homo habet ſimul certitudinem, probabilitatem, & dubium, habeat de facto tres in intellectu Concluſiones, an potiùs unicam, quæ ſimul ſit ſcientifica, opinativa, & dubia? *Reſpondeo*, huius quæſtionis diſſolutionem non concernere mores, & ideò non eſſe explicandam uberiùs, & hanc ob rem breviter dico videri facilem & probabilem eorum opinionem, qui docent, unum & eundem actum in hoc caſu, prout deducitur à præmiſſis certis & evidentibus, eſſe ſcientificum: prout à probabilibus, opinativum; & tandem prout à levibus, dubium. *Hac doctrinâ præmiſſâ*, nonnullas Reſolutiones proponamus.

An peccata dubia ſint eadem ac probabilia?

Prima. *Illi, qui dubij poſitivi nomine intelligunt probabilitatem, poſſunt dicere peccata dubia eſſe confitenda, & poſſunt dicere non eſſe confitenda.* Quia probabile eſt peccata probabilia debere in confeſſione exponi; & probabile eſt, eadem poſſe omitti, juxta illa, quæ paulò ante Protheoremate III. dicebamus. At nos loquemur rigorosè, & nomine *dubij negativi*, rationem nullam intelligemus; nomine *dubij poſitivi*, rationem levem; nomine *probabilitatis*, rationem fortem; & nomine *certitudinis*, irrefragabilem & evidentem.

M M M. C C X X X V.

Deeo, qui de peccati gravitate certus dubitat de qualitate.

Aliud eſt de ſubſtantiâ peccati, & aliud de circunſtantiâ dubitare.

Secunda. *Ille, qui certò ſcit ſe peccaviſſe mortaliter, & tamen dubitat de qualitate aut circunſtantia peccati omninò tenetur confiteri.* Aio igitur, Petrum debere abſolutè confiteri peccatum furti, verb. gr. ſi certò ſciat ſe fuiſſe furatum materiam gravem, dubitet tamen an profanam vel ſacram: ſi certò ſciat ſe abuſum fuiſſe fœminâ, dubitet tamen, an ſæculari an moniali: ratio eſt: quia peccata certa ſunt in confeſſione aperienda, & Petrus tametſi dicatur de qualitate & ſpecie infimâ aut fortè de circunſtantiâ aliquâ ſpeciem mutante dubitare, ſcire certò ſe mortaliter peccaviſſe ſupponitur: nemo autem unquam credidit poſſe ſubticeri in confeſſione mortalia crimina, quæ ſe commiſiſſe Petrus evidenter cognoſcit. Cùm Authores inter dubium de peccati ſubſtantiâ, & dubium de qualitate diſtinguunt, ſæpe nomine qualitatis (lubrij error eſt) ipſammet quantitatem intelligunt, ſæpe non, ſi qualitatem peccati ab eius quantitate diſtinguunt, bene poterunt obligationes ex illis dubiis ſubortas diſtinguere, aſſerendo peccata dubia eſſe in confeſſione, aperienda ſi dubium ſit de eorumdem qualitate; ſi ſit de ſubſtantiâ aut quantitate, non eſſe. Vnde

Nonnulli qualitatem cum peccati quantitate confundunt.

M M M. C C X X X V I.

Quid agendum ſit, quando poſſeſſio ſtat pro peccato.

Tertia. *Si dubium (hoc eſt ratio levis) ſequatur aut committetur certitudinem commiſſionis peccati gravis, aut certitudinem non confeſſionis, teneris confiteri: &, ſi hoc ſit confiteri peccata dubia, tam eſt certum te debere confiteri peccata hæc dubia, ut contrarium ſit omninò improbabile.*

Concluſionem expono. *Pone Petrum* certò ſcire ſe commiſiſſe aliquam culpam gravem, & poſteà incipere dubitare ob rationem aliquam levem, an commiſerit illam? Aio eum non obſtante iſtâ ratione dubitandi debere confiteri illam culpam: & hoc eſſe tam certum, ut non poſſit ab ullo viro docto negari. *Pone Paulum* ſcire certò ſe peccaviſſe graviter, & ſcire etiam certò ſe non fuiſſe hoc peccatum confeſſum: & poſteà ob rationes nonnullas parvi ponderis incipere dubitare, an illud peccatum ſit confeſſus. Aio eum non obſtante dubio confiteri debere; nec contrarium probabiliter admitti poſſe.

M M M. C C X X X V I I.

Axiomata de materiâ dubiâ.

Ratio Concluſionis iſta eſt: quia, ſi eandem rem ſimul ſcio certò, probabiliter, & dubie, debeo procedere ſecundùm certam & indubitatam notitiam, quam habeo, & rationes probabiles aut dubias negligere. Confirmant iſtud ratiocinium duo Axiomata: *In dubiis beatus, qui poſſidet*: & *In dubiis potioris pars potior eſt.* Ergo, ſiquidem eſt in poſſeſſione peccatum, & non confeſſio; debet ille dicere ſe peccaviſſe, ſe non fuiſſe confeſſum, & ideò confiteri debebit. Si ſimul ſit dubium & certitudo, ſtandum erit pro certitudine contra dubium, quia certitudo eſt potior. Ergo cùm certitudo ſit de peccato; ille debebit confiteri.

Quid agendum quãdo poſſeſſio ſtat contra peccatum?

Quarta. *Si dubium comitetur, ſequaturve certitudinem commiſſionis, aut certitudinem confeſſionis, nullo modo teneris confiteri.* [De articulo mortis §. *Petis*, diſputabo.]

Concluſionem his exemplis dilucido. *Scit hodie* certò Petrus nullum ſe commiſiſſe mortale: & cras de hoc ipſo dubitat ob levem aliquam ratiunculam, quæ ad probabilitatem non attingat: Aio Petrum in caſu non teneri confiteri: rationes enim leves vocantur *ſcrupuli*, & tametſi viros interdum pungant, & inducant obligationem rem examinandi; ſi non accedant aliæ rationes graves, non debent noſtris actibus imperare.

Scrupuli.

Conſcientia eſt res magni momenti & leuiuſculis ratiũculis gubernari non debet.

Pone alium caſum. Peccaverat mortaliter Ioannes: hodie confitetur, & ut putat, bene ergo quantum humanitùs poteſt, ſcit ſe fuiſſe confeſſum. Quid, ſi craſtinâ die levis aliqua ratio occurrat, quæ inſinuet non fuiſſe confeſſum? An propter quamcumque ratiunculam leviſſimam debebit iterum confiteri? Non credo.

Videtur

Digitized by Google

Analogia tribunalis Ciuilis & Sacramentalis.

Videtur hæc Concluſio poſſe manifeſtè probari. Nam confeſſionis tribunal eſt Analogum tribunali forenſi & litigioſo; vtrumque enim conſtituitur Actore, Reo, Teſtibus & Iudice. In confeſſionis tribunali iudex, qui Confeſſarius: Reus, pœnitens in quantum peccauit: Actor ipſemet pœnitens in quantum Deum amans, & peccata fragiliter commiſſa deteſtans. Teſtimonia ſunt rationes graues & infallibiles quibus actio fundatur. Atqui in tribunali Mechlinienſi, hæ accuſationes, *Appello de latrocinio Sortem, quia dubito, vtrùm furatus fuerit; Ambroſium, tametſi nullus teſtis id aſſerat, fortè furatus eſt: Anſelmum, quia eſt vnum indicium leue*, & huiuſmodi aliæ, admitti non debent: ergo nec in tribunali confeſſionis.

MMM. CCXXXVIII. *Notentur benè hæ confitendi formulæ.*

Confirmo primò. Pœnitenti legitimè confitenti debet Confeſſarius abſolutionem impendere: atqui abſolui non poteſt abſolutè, qui ad tuos pedes prouoluitur, & ait: *Domine, Vtrùm furatus fuerim dubito: ſi verè furatus ſim, me accuſo, aliàs non.* Vel fortè, *Scio quidem me furatum fuiſſe, at quantitatem neſcio: ſi fuerit leuis non me accuſo, non enim leuia teneor confiteri; ſi autem fuerit grauis, me accuſo.* Quod non abſolui abſolutè, demonſtro. Quia abſolutio abſoluta requirit materiam certam & abſolutam, quæ in huiuſmodi confeſſionibus non reperitur.

Solutiones duæ.

Huic argumento bifariam ſolent Authores reſpondere. Alij enim volunt certam aliquam materiam dubio peccato adiungi: alij nullam certam adiungi, ſed abſolutionem dari ſub conditione; ſed vtramque reſponſionem eſſe abſolutè inſufficientem clariſſimè probabo.

MMM. CCXXXIX. *Impugnatur prima.*

Prima ſolutio diſplicet. Nemo enim tenetur peccato dubio certum veniale adiungere, quia venialia non pertinent ad materiam neceſſariam confeſſionis, ſed ad liberam: nec tenetur adiungere mortale iam confeſſum, quia nemo tenetur vnum & idem peccatum benè confeſſum iterum confiteri: ergo materiæ dubiæ non tenetur, ſi mortifero non confeſſo careat, certam aliam adiungere. *Dices* tunc teneri per accidens, vel confiteri veniale aliquod determinatum, vel mortale, licet olim confeſſum. *Sed hæc* obligatio per accidens, leuiter protruditur; hæ enim poſitiones, *Nemo tenetur confiteri venialia, Nemo mortalia iam confeſſa*, vniuerſaliter veræ creduntur: nec debet exceptio admitti, quæ non probetur ſaltem aliquâ ratione graui. Regulam eſſe generalem conſtat ex Tridentini Seſſione XIV. in cuius capite V. ſic lego: *Venialia, quibus à gratiâ Dei non excludimur, quamquam rectè & vtiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum vſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque alijs remedijs expiari poſſunt.* Ecce vniuerſaliter Concilium loquitur: ecce non docet venialia aliquando debere exponi, & aliquando non debere, ſed abſolutè affirmat ſemper taceri poſſe. Non eſt ergo, cur contra vniuerſalem Concilij Tridentini doctrinam exceptiones & limitationes inuenias. Vbi obiter vellem ſcire, An credas illa verba Concilij eo ſenſu quo ab ipſo ſunt tradita, eſſe fide tenenda? ſi hoc ſcias, ſcies ſubinde eſſe hæreticum, qui pertinaciter aliquod dogma defenderit contra canonicam propoſitionem. Cùm autem hæc vniuerſalis ſit, omnem exceptionem excludit, futura aliàs falſa, ſi vel in vno caſu fallat. *Dices*; Ipſa Sacræ Scripturæ teſtimonia, tametſi vniuerſaliter dicta, ſolent ſæpè reſtringi & aliquas exceptiones pati; omnes enim habere peccatum originale multæ canonicæ periodi inſinuant, & tamen piè & laudabiliter Dei Genitricem excipimus: ergo ſimiliter tametſi verba Concilij videantur aſſerere poſſe ſemper omitti peccata venialia, poterit ſubintelligi aliqua exceptio, nimirùm, niſi adiuncta ſint mortalibus dubiis, ratione quorum debebunt explicari per accidens. *Et reſpondeo*, nemini priuato homini conceſſum, vt vniuerſales poſitiones dictatas & reuelatas ab Spiritu ſancto reſtringat; illæ enim, quæ hodie reſtringuntur, ſummo totius Eccleſiæ conſenſu & conſilio reſtringuntur, & hoc propter rationes fortiſſimas, quæ in præſenti locum non habent: ſi enim quæcumque ratiuncula ſufficeret, vt vniuerſaliter latas leges remitteret, & ad aliquos ſingulares caſus reduceret, periclitaretur decalogus, abblandireris enim tibi, & millenas exceptiones & limitationes delirares, ſtandum igitur verborum communi acceptioni in Canonum Catholicorum materiâ, vbi non docemur ab Eccleſiâ verba eſſe aliter interpretanda.

Vniuerſalis debet vniuerſaliter intelligi, quamdiu exceptio non probatur.

An venialia debeamus confiteri.

Quid ſit hæreſis?

De conceptione immaculatâ.

MMM. CCXL. *Impugnatur obligatio per accidens.*

Prætereà hanc confitendi venialia aut mortalia iam confeſſa repetendi obligationem, quæ dicitur ſuboriri per accidens, eſſe omninò fictam oſtendo. Habeat Petrus vnum & ſolum peccatum dubium, nullum veniale, & nullum aliud mortale: & inquiro. An & iſte teneatur materiam aliquam certam adiungere? Si caſûs poſſibilitatem negas, rem clariſſimam negas, quia Petrus poteſt donari priuilegio impeccabilitatis, vel ſaltem præſeruari ne peccet, & præter priuilegium, illis primis horis quibus vti ratione incipit, potuit habere mortale dubium ante certum mortale aut veniale: item adultus poteſt obliuioni mandaſſe omnia certa tam grauia quàm leuia, & ſolùm dubium memoria retinere: ergo vel peccata dubia non pertinent ad materiam pœnitentiæ, vel aliâ viâ deleri, quàm per additionem certæ & determinatæ materiæ. *An abſolutione conditionatâ?* minimè, nam &

Conſideretur iſta ratio.

Quid ſit ille facturus, qui habeat tantummodò dubia peccata?

MMM. CCXLI. *Impugnatur ſecunda ſolutio.*

Solutio altera diſplicet. Abſolutio enim conditionata non eſt certa abſolutio, ſed fortaſſis erit; & qui ſic abſoluit, non conficit Sacramentum conditionatum, ſed fortè conficit abſolutum & fortè non. Explico me. Aliud eſt, dari Sacramentum certum, quod abluat peccata dubia; aliud, & omninò diuerſum, dari formam quæ fortè ſit ſacramentalis, fortè non. Cùm dicis: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c. Si verè peccaſti, ego te abſoluo*; non deleat peccatum (originale vel actuale) dubium, ſed proferuntur verba, quæ fortè Sacramentum conſtituent, fortè non conſtituent. Ergo non eſt certum dari obligationem confitendi peccata dubia. Probatur conſequentia, quia in tali caſu ſacramentalis abſolutio fortè eſt poſſibilis & fortè

An detur Sacramentum?

An Sacramentum dubium?

 impoſſibilis:

Vbi agitur de obligatione dubiâ, ſtandum eſt pro libertate.

impoſſibilis : atqui impoſſibilia non obligant : ergo fortè obligat & fortè non obligat : ergo non datur obligatio certa : ergo nec dubia. Probatur, quia cùm dubitatur, an detur talis obligatio, ſtandum eſt pro libertate quæ præceſſerat ; vt oſtendam inferiùs cùm Baldelli mentem examinabo.

MMMCCXLII. *An condemnari aliquis poſſit antequam convincatur?*

Confirmo ſecundò. In nullo Forenſi tribunali poteſt quis condemnare pœnâ aliquâ determinatâ reum antequam ſit conuictus; ſententia enim, quæ virum condemnat, quem tueri & abſoluere poſſet, iniqua eſt. Ergo nec in Confeſſionis tribunali. Ergo confitenti crimen dubium, imponi nequit pœnitentia certa, nec dari ſine conditione abſolutio. Igitur cùm ais, *Si furatus ſum, me accuſo*, Confeſſarius, *Si verè furatus es, ego tibi talem impono pœnitentiam, abſoluo, &c.* Sed quidquid alij clament, hoc non eſt, ferre ſententiam, hoc non eſt reum mulctare, hoc non eſt eum abſoluere.

An ſcrupuloſis ſuaderi debeat, ne dubia peccata confiteantur?

Confirmo tertiò. Scrupuloſis ſuadetur, ne confiteantur dubia ; & nemo auderet ſuadere, ne confiteantur peccata certa : ergo non eſt æqualis obligatio. Conſequentia videtur euidens. Secunda antecedentis pars ab omnibus admiſſa, prima à quamplurimis; nempe à Layman *Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 4. §. 4. n. 37.* Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 60. ſub finem.* Præpoſito *quæſt. 5. de Confeſſione dub. 3. num.* 115. Tunc ſic. Omiſſio peccati certi in nullo caſu conſulenda eſt, & omiſſio dubij ſcrupuloſo pœnitenti conſulitur. Ergò hæc ommiſſio non militat contra inſtitutionem & integritatem Sacramenti ? ergò ſi contra hanc non militat, etiam non ſcrupuloſis conſuli poteſt, bene enim Confeſſio ſacramentalis fit, ſi ita fiat, vt inſtitutio & integritas inuiolata ſeruetur.

De non expoſitione peccati dubij, & de non expoſitione certi, Theologi diverſimodè ſtatuunt.

MMMCCXLIII. *Nemo debet mori cum ſcrupulis ſi quietè poſſit.*

PETIS, *An etiam in articulo mortis poſſit Petrus in caſu quo loquimur, non confiteri?* Reſpondeo rem ſummi momenti non poſſe vel periculo leuiſſimo exponi. Debet igitur Petrus ea facere, quæ eum certò & indubiè in ſtatu gratiæ conſtituant. Ergo debebit confiteri. Et hic iterum noto aliud eſſe debere eum confiteri : & aliud debere hoc dubium peccatum confiteri.

Quid ſit dubium negatiuum quid poſitiuum?

SVBPETIS, *An eodem debeas modo in dubio negatiuo, ac in poſitiuo procedere?* Reſpondeo, dubium me negatiuum habere, quando nullam rationem aſſerendi aut negandi : nam ſi interrogas, an Turca loquatur, an taceat? dicam me negatiua dubitatione præpediri, quia nullam habeo rationem, quæ alterutrum poſſit ſuadere. Addo me habere dubium poſitiuum, cum ratione aliquâ leui : nam, ſi interroges quid agatur in Aſiâ, dabo relationes leuis authoritatis, quibus prudenter non confidas. Pronuncio igitur debere homines eodem modo in vtroque dubio procedere : tam enim deſipit, qui ſuam gubernat conſcientiam ratione leui, quàm qui nullâ. Subiungo dubium poſitiuum virtualiter eſſe negatiuum, quia in regimine morum rationes leues ita ſe habent ac ſi verè eſſent nullæ.

Quo debeamus modo procedere?

An dubium poſitiuum virtualiter ſit negatiuum?

MMMCCXLIV. *An in propria conſcientia directione ſuccurrant dubia negatiua? an ſaltem dentur poſitiua?*

Cæterùm, ſi agamus de regimine propriæ conſcientiæ, dico non dari dubia negatiua; ſemper enim ſuccurrunt rationes aliquæ leues aut graues, iuxta quas actiones & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus. Addo, purum dubium poſitivum vix dari? (hoc eſt, vix eſſe caſum, in quo homo habeat aliquas rationes leues, nec tamen concomitanter aliquam certam aut probabilem, ſaltem ex prioris propoſiti poſſeſſione deſumptam) Licet enim interdum ſint aliquæ rationes leues, ſemper aliæ graues & probabiles concomitantur, quæ debent bene conſiderari, ne ſcrupulis aliquando vexemur.

Regulæ neceſſariæ ad regimen conſcientiæ in dubiis.

Sanè in examine conſcientiæ alienæ aut propriæ debemus his Regulis ſecuriſſimis vti. VI. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari: Ergo qui fecit quod potuit ; fecit quod debuit.* XV. *Odia debent reſtringi, & fauores conuenit ampliari.* XXX. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* XLVII. *Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur. Ergo præſumitur innocentia, vbi culpa non probatur.* LIV. *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure. Ergo in dubiis ſtandum eſt pro poſſeſſione quæ fuerat ante dubium.* LXV. *Melior eſt conditio poſſidentis.* XLV. *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſueuit.* Hæc fundamenta ſubminiſtrant rationes graues, quæ omnia tollant dubia (ſaltem pura) & ad certitudinem, aut ſaltem ad probabilitatem reducant.

Omnes hæ Regulæ ſunt concatenatæ, & Iure Poſſeſſionis fundantur.

Proponuntur quatuor Caſus, ex quibus cognoſcere poſſis, quomodo Dubia debeas ex Poſſeſſionis fundamento reſolvere.

Vt ſcias iſtis Regulis vti, quatuor caſus ſcitu dignos proponis. *Primus eſt.* Ioannes, dum per plateam tranſiuit, reſpexit Petronillam, & vtrùm illam concupiuerit, dubitat. *Secundus.* Franciſcus fuit heri confeſſus, & hodie dubitat, an omnia peccata dixerit? *Tertius.* Antonius mercator reperit in ſuo libro manu propriâ ſcriptum ſe recepiſſe centum aureos, & quia non meminit, dubitat, an non illam pecuniam debeat? *Quartus.* Henricus legebat memoriter, & quia ad finem Pſalmi peruenit, & non recordatur ſe dixiſſe omnes verſus, an aliquos omiſerit, dubitat.

MMMCCXLV. *Eorundem caſuum diſſolutio.*

Reſpondeo hos caſus eſſe valde communes, & poſſe præbere lucem Viris piis, vt proprias conſcientias examinent, & alienas dirigant & inſtituant.

Carentia rationis affirmandi, eſt ratio aliquando negandi.

Ad primum aio, Ioannem in circunſtantiis, quæ ponuntur, non poſſe habere dubium purè negatiuum, quia, ſi nulla ratio occurrit, ob quam ſe concupiuiſſe definiat, quia, *homo præſumitur innocens, quamdiu culpa non probatur.* At datur aliqua ratio leuis, quæ eum peccauiſſe ſuadeat. Sed quid inde? nam *ratio leuis virtualiter eſt nulla*, vt dixi. Prætereà, volo ſcire, quis eſt iſte Ioannes, de quo ſermo. Eſt, inquis, Religioſus, qui habet propoſitum non peccandi mortaliter, quia raro, aut nunquam cadit. Et iſte dubitat? Ergo inſpiciat in hoc dubio boni propoſiti poſſeſſionem, & ſtet pro poſſeſſione ſuæ innocentiæ contra dubium. Conſideret *quod plerumque facere conſueuit* : Ergo quia plerumque non peccauit : etiamnum ſe non peccauiſſe pronunciet. Sed dicis. Ioannes eſt iuuenis ſæcularis, vitæ perditæ, qui omnes concupiſcere ſolet. Ita ne? Ergo ſtat pro concupiſcentia & poſſeſſio, & præſumptio. Ergo datur ratio grauis, quæ illum peccauiſſe perſuadeat.

Ratio leuis eſt moraliter nulla.

Argumentum ſumptum ab experientia.

Ad

MMMCCXLVI. *De dubiis & ſcrupulis, quæ antiquas confeſſiones reſpiciunt.*

Ad ſecundum interrogo, An Franciſcus ſe diſpoſuerit bene? An in confeſſione aut immediatè poſt ſe aliquid omiſiſſe perceperit? Nam, ſi ſoleat integrè confiteri; ſi adhibuit diligentiam quam potuit; ſi poſt confeſſionem habuit quietam conſcientiam; cur hodie dubitare incipiet, niſi ſuccurrat vrgens ratio, de integritate confeſſionis?

De mercatorum libris.

Ad tertium ex eodem fundamento reſpondeo. Ideò enim habent ſuos libros mercatores, quia non poſſunt omnia memoriâ retinere. Eſt enim liber officij (Hiſp. *lib. de caxa*) *Memoria artificialis.* memoria quædam artificialis: & memoria eſt quidam liber naturalis, in quo intellectus *Liber naturalis.* cogitationes ſuas ſcribit. Ergo, ſi non ſoleant mercatores ſcribere vt receptas pecunias, quas non receperunt: & Antonius iſtas reperiat in ſuo libro manu propriâ notatas, dubitare non poterit de receptionis certitudine. Supponat igitur ſe illas tam certò recepiſſe, vt contrarium iudicet improbabile.

De lectione officij.

Ad quartum eodem modo, & ex eâdem Regulâ X L V. reſpondeo: quia ſi Henricus ſolet ceſpitare, dum memoriter legit, ſtat poſſeſſio pro errore: at verò, ſi habet memoriam firmam, promptamque, & ſolet ſemper bene legere, ſupponat ſe etiamnum integrum pſalmum legiſſe, nec perueniſſe ad verſum vltimum intermediis verſibus non recitatis.

Hinc patet, in his quatuor, & aliis ſimilibus caſibus Dubium negatiuum non eſſe poſſibile: non eſſe etiam poſſibile Dubium concomitans Certitudinem aut ſaltem Probabilitatem. Ergo Dubium, quod regula morum non ſit: hi enim debent Certitudine, aut ſi hæc non detur, ſaltem probabilitate gubernari. *Concluſionum Concluſio.*

Stat igitur, rationes leues, virtualiter loquendo (hoc eſt, in ordine ad gubernandam conſcientiam) eſſe nullas: adeoque qui illas habet, ita ſe habere debere ac ſi careret illis: ergo ſublatis rationibus & motiuis leuibus (vocentur *ſcrupuli*, aut *dubia*) debet homo perpendere, quæ in conſcientia ſua ſunt probabilia, aut certa; & iuxta iſta (certa) neceſſariò, & iuxta illa (probabilia) liberè) intra terminos tamen à nobis ſuperiùs *n.* 435. præfixos) poterit operari. *Reſolutio practica.*

ARTICVLVS II.

Eadem veritas probatur clariſſimis verbis Tridentini.

MMMCCXLVII. *Cur coactũ fuerit hoc Concilium?*

ERANT multa dubia in Eccleſiâ, quam non ſolùm Hæretici, ſed & Catholici nonnunquam liberiùs, quàm fas erat, ſentientes, perturbabant. Indigebamus Spiritus ſancti magiſterio, & ipſe in Tridentinæ Synodi Seſſ. X I V. Cap. V. ſic inquit: *An ſufficiat peccata cõfiteri in genere?* *Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, &c.* Quibus verbis ſic vtor.

An Tridentinum ſufficienter nos doceat? Quid nomĕ Conſcientiæ ſignificet?

Cenſendum eſt Tridentinum Concilium ſufficienter docuiſſe fideles Seſſione iſtâ X I V. in qua de pœnitentiâ ex profeſſo actum. At ibi apertè docet pœnitentem debere confiteri omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habet; ergo & docuit non debere confiteri illa, quorum poſt diligentem diſcuſſionem conſcientiam non habet, atqui illorum, de quibus quis dubitat, conſcientiam non habet: ergo. Probatur minor; quia conſcientia eſt notitia ſcientifica, & dubium ſcientifica notitia non eſt.

Quid alibi quid in Tridentino?

Dices, *Conſcientiæ* nomine non ſolùm notitiam euidentem, ſed & dubiam intelligi, datur enim Conſcientia Euidens, Probabilis, Dubia, Scrupuloſa, & Hypocondriaca. Reſpondeo tamen hoc eſſe verum in aliis Authoribus & locis, non tamen in præſenti. Ratio eſt, quia illa Concilij verba *Ex his colligitur*, ſuadent conſequentia ex antecedentibus inferri: atqui ex antecedentibus non infertur conſcientia dubia, ſed certa: ergo in loco *Conſcientiæ* nomine non intelligitur dubia, ſed certa: Maior videtur euidens, minorem probo. Ideo debemus ſingulorum peccatorum ſpeciem & numerum confiteri, *quia Sacerdotes iudicium hoc* (verba Concilij ſunt) *incognitâ causâ exercere non poſſunt, nec æquitatem in pœnis iniungendis ſeruare*: ergo dubia peccata non debemus exponere. *Cur peccatorum ſpeciem & numerum confiteri debeamus?* Patet conſequentia; quia cauſa dubia non eſt cognita, & causâ incognitâ iudicium hoc exerceri non poteſt. Confirmatur. Quia aſſerente Concilio debet æquitas in pœnis iniungendis ſeruari, ergo debet certò conſtare de delicti exiſtentiâ, aliàs enim quâ æquitate pœnæ certæ & determinatæ pro peccato incerto & indeterminato iniungerentur? *An pro peccatis dubiis imponi poſſint pœnæ certæ?*

MMMCCXLVIII.

Confirmant hanc doctrinam aliæ multæ eiuſdem Tridentini periodi; nam aliis omiſſis, quæ in illa X I V. Seſſione occurrunt, reſumemus ſequentes. *Neceſſum eſt omnium etiam veniam cum apertâ & verecundâ confeſſione, à Deo quærere*, & ſanè confeſſio dubia non videtur poſſe *aperta* vocari. *Confeſſio aperta.* Sed Concilium progreditur. *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, proculdubio omnia diuinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt; qui ſecus faciunt & ſcienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus.* [Hieronymus exponens illud *Eccleſ.* 10. Si mordeat *Nullum peccatum debet tacere pœnitens.*

ſerpens

An morbus dubius curari poſſit?

ſerpens in ſilentio] *vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.* Interim, ſi dicat ſe habere morbum, de quo dubitat, ſe periculo exponit. Ergo tenetur quis confiteri peccata, quæ occurrunt, nempe poſt diligentem ſui diſcuſſionem; dubia autem crimina poſt diſcuſſionem non occurrunt: Ergo malè confitetur, qui ſcienter peccata retinet; atqui dubia non retinentur ſcienter, non enim in dubiis datur ſcientia: ergo.

Nota bene iſta verba. — *Conſideretur illud, nihil aliud.*

MMMCCXLIX. Vniuerſa, quæ diximus, illuſtrat hæc periodus, *Conſtat nihil aliud* (nota bene, quia dum *Nil aliud* dicit, clariſſimè & vniuerſaliſſimè Concilium loquitur) *in Eccleſiâ pœnitentibus exigi, quàm vt poſtquam quiſque diligentiùs ſeſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit, reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eâdem confeſſione incluſa intelliguntur.* Attentè legat, obſecro. *Conſtat nihil aliud in Eccleſiâ a pœnitentibus exigi*, inquit S. Concilium; illi igitur contradicit, qui aliud requiri exiſtimat, hæ enim aſſertiones, *Nihil aliud à pœnitentibus exigitur*, & *Aliquid aliud exigitur*, contradictoriæ ſunt; cùm autem prior ſit expreſſa Concilij, altera ſine errore clariſſimo teneri non poteſt. Sufficit igitur, vt confiteatur ea peccata, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit; ergo nemo tenetur confiteri venialia, ergo nec dubia licet grauia, dubitare enim non eſt meminiſſe. *Scire eſt quoddam meminiſſe*, dicebat Plato, nullum tamen audiuimus dubitare & meminiſſe confundentem.

Conſiderentur iſta Contradictoria. — *Meminiſſe non eſt dubitare, ſed ſcire.* — *Quãdo agimus de vocum ſignificatione, non ratione, ſed authoritati & vſui ſtandum.*

ARTICVLVS III.

Eadem veritas ſuadetur Authorum Scholaſticorum teſtimoniis.

Senſus potiùs eſt cõſiderandus, quàm verba. — Regula 88. — *Legis anima eſt legiſlatoris voluntas.*

MMMCCL. FATEOR eſſe valde communem opinionem, quæ his verbis traditur, *Peccata dubia debemus confiteri.* An ergo omnes, qui hanc Poſitionem tuentur, nobis contrarij ſunt? hoc non dico. An aſſentiuntur nobis? neque hoc: ſed aſſero vltimam Regulam Iuris Canonici me dirigere, vt aſſeram impræſentiarum aliquid, quod poſſit Lectori prodeſſe. Illam ſubſcribo: *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Non ergo ſufficit conſiderare Legiſlatorum verba, non Theologorum voces, ſed oportet attentè videre, quid voluerint nobis illi verbis ſignificare. Exempla nonnulla produco.

An Chriſtus ſit æqualis Patri? an eſſentiâ conſubſtantialis? — *An habeat duas naturas?* — S.Athanaſ. *in ſymbolo.* — *An Chriſtus reſpectu Patris ſit ὁμόουσ.*

Ioan.14.28. Dicit Chriſtus, *Pater maior me eſt*, & Catholici, *Pater eſt maior Chriſto:* & eandem adſumit Poſitionem Arrius, & vna & eadem Aſſertio, quæ in Catholicorum ore eſt certa, in ore Arrianorum eſt hæretica: *Eſt enim fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, Deus & homo eſt, Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Æqualis Patri ſecundum Diuinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem, &c.* vnde patet Arrianos inſanire, cùm dicunt, *Verbum æternum non eſſe ὁμόουσιον, conſubſtantialem Patri, ſed eſſe minorem Patre.* Ergo eadem Propoſitio, *Pater eſt maior Chriſto*, aut quæ in idem recidit, *Chriſtus eſt minor Patre*: ſi agamus de naturâ humanâ, eſt certiſſima; ſi de diuinâ, eſt Arriana, & hæretica.

Ad Rom.8. — *An Spiritus S. ſit minor Patre.* — S.Athanaſ. *in ſymbolo.* — Vide ſuperius à n.282

MMMCCLI. Dicit Romanis Paulus, *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et hanc reponunt Catholici, hanc Arriani, & Macedoniani: & tamen, quæ in eorum ore eſt orthodoxa, in iſtorum eſt hæretica. Catholici ab Eccleſiâ docti, dicunt, *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, ſed tota tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*, & ab Auguſtino *epiſt.* 105. & Leone Papâ *ſerm.* 1. *de pœnit.* docti, illud verbum *poſtulat pro nobis* intelligunt in Hiphil, ita vt ſenſus ſit, *Spiritus poſtulare nos facit gemitibus inenarrabilibus.*

An ſtatus puræ naturæ ſit poſſibilis. — *An potuerit Deus creare primum hominẽ in peccato?*

Hæc propoſitio, *Non potuit Deus ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur*, Condemnata eſt in Michaele Bayo, & Cornelio Ianſenio, interim fuit repoſita, & propugnata Louanij à Patribus Franciſcanis Hibernis. Sed quo ſenſu? Aſſero illam in libris Ianſenianiſtarum eſſe falſam, in Theſibus Patrum Franciſcanorum veram; Illi enim negant temerè ſtatum puræ naturæ eſſe poſſibilem; & cùm vident naſci pueros ignorantes, ægrotos, & obnoxios miſeriis, exclamant, non potuiſſe ab initio Deum creaſſe hominem ægrotum, cœcum, claudum, &c. At iſti reſpiciunt originalem culpam, & aiunt, ſtatum puræ naturæ eſſe poſſibilem, potuiſſe Deum creare hominem primum, cœcum, claudum, aut debilem: at eundem in originali peccato creare non potuiſſe: & meritò; repugnat enim eſſe hominem primum, & habere parentem, in quo peccauerit.

Quantâ ſint cautelâ ſcriptores legendi? — *Conſiderentur iſta contradictoria.*

MMMCCLII. Hæc præmiſi, vt videat Lector, non ſemper fidendum eſſe literæ, ſed ſenſum eſſe quærendum omninò. Hæ duæ Propoſitiones, *Peccata dubia debemus confiteri: Peccata dubia non debemus confiteri:* viderentur eſſe contradictoria: & tamen priorem debito ſenſu admitto ſuperiùs *art.* 1. *reſol.* 3. & poſteriorem admitto. *ibid. reſolut.* 4. Præterea, multi

Digitized by Google

multi etiam horum Authorum alteram ex his propoſitionibus propugnant; & tamen, quia non utuntur communi Lexico, ſunt cautè, & attentè legendi: quam ob rem plerique, qui docent *debere hominem peccata dubia confiteri*, à nobis ſtant, ſi debito modo intelligantur. Interim eos miſſos faciamus, & illos tantummodò citemus, qui non obligant pœnitentes ad confitendum culpas dubias.

Ioannes Sanchez.

MMMCCLIII. *Materia in confeſſione duplex neceſſaria, & ſufficiens.*

SOlet pro hac citari ſententiâ, ipſe enim *in quæſt. ſelect. diſp. 1. num. 12.* peccatum dubium poſſe quidem eſſe materiam confeſſionis aſſerit; ſed an ſit materia neceſſaria, non exponit. Dabo verba formalia; *Et ſanè licet materia dubia poſſit ſubiici confeſſioni, non tamen conditionata, &c.* Et paulò infra. *Notandum tamen, quod quando materia dubia ſola ſubiiceretur confeſſioni, erit impertienda abſolutio ſub conditione, ſaltem mentaliter concepta, ſi fortè peccaſti, vel capax es abſolutionis: communiter tamen certa materia adiungitur dubiæ, ut abſolutio poſſit impendi abſolutè, & non ſub conditione: ſemper tamen liberum erit pœnitenti ſolam materiam dubiam confeſſioni ſubiicere, quando certam mortalem non habet, vel in ſolam venialem fuerit lapſus.*

Abſolutio duplex: abſoluta, & conditionata.

Suborientes quæſtiones.

Ex his verbis oriuntur quatuor dubia, quæ debent exponi & expendi. *Primum*: An in formis conditionatis Sacramentorum debeat conditio exprimi verbis; an ſufficiat, ſi mente ponatur? *Secundum*: An è peccatis conditionatis ad dubia valeat argumentatio: ita ut, ſi illa non debeas neceſſariò confiteri, nec debeas iſta? *Tertium*, An ex hypotheſi, quod velis dubia peccata confiteri, ſola poſſis; an verò tenearis neceſſariò certam aliquam materiam adiungere? *Quartum*. An peccata dubia confiteri tenearis? *Singula diſſoluamus.*

MMMCCLIV. *Quæſtionis primæ diſſolutio.*

PRimam Quæſtionem Ioannes Sanch. diſſoluit illis verbis, *ſub conditione ſaltem mentaliter concepta.*

Sed contra poſſet aliquis argumentari, & dicere. Hæc verba militant contra veritatem, & inſtitutionem Sacramenti: ergo non ſufficit conditio concepta mentaliter. Probatur antecedens. Non ſufficit, quod pœnitens peccata mente concipiat, ſed requiritur abſolutè, quod illa externo aliquo ſigno ita exponat, ut Confeſſarius numerum, & ſpeciem peccatorum, quantum fieri poſſit, agnoſcat. Nec contra militat, Sacerdotem Confeſſario notum ſi in peccatum aliquod fragilitatis, exempli gratiâ, fuerit lapſus, ſufficienter confiteri ſuam culpam, dicens, *Mœchatus ſum*, nec requiri, quòd ſacrilegij circunſtantiam. tametſi mutantem ſpeciem verbis confiteatur; illam enim confitetur tam clarè, ut confeſſarius non poſſit illam non intelligere: quod ſi eſſet Confeſſario ignotus, deberet hanc circunſtantiam ita explicare, ut ſacrilegij malitia Confeſſario innoteſceret, puta dicendo, *Voto obſtrictus ſum, Sum Religioſus, Sum Subdiaconus, Sum Diaconus*, vel *Sum Sacerdos.* Quia in omnibus iſtis gradibus

Confeſſio mentalis in Sacramento Pœnitentiæ non ſufficit.

An caſtitatis obligatio in voto ſimplici & ſolenni diſtinguatur ſpecie?

An Subdiaconi, Diaconi & Sacerdotes aliter, quam Religioſi teneantur.

unam, & eandem ſpecificam ſervandæ caſtitatis obligationem reperio. Ergo à fortiori Confeſſarius debet ſuam mentem extrinſecè manifeſtare, non ſolum nutibus, & ſignis, ſed ex inſtitutione Chriſti, verbis. Ergò quando datur abſolutio abſoluta, debet fieri per verba abſoluta; & quando conditionalis, per verba conditionalia: non igitur ſufficit conditio purà mente concepta. *Confirmatur*: Quia forma Sacramenti Pœnitentiæ conſiſtit in verbis, non in intentione, hæc enim non ſunt forma, ſed diſpoſitio, aut conditio ſine qua non, ex parte agentis requiſita: ergò qualia fuerint verba, talis erit abſolutio: erit ergò conditionalis, ſi conditionalia; abſoluta, ſi abſoluta. *Confirmatur iterum.* Pœnitens habens peccata dubia non bene confiteretur, ſi abſolutè diceret ſe commiſiſſe illa peccata, ſub conditione mentaliter conceptâ: ergò nec Confeſſarius bene abſoluet, ſi verbis abſolutis ſub conditione mentaliter conceptâ. *Confirmatur tertiò*, Intentio debet verbis correſpondere: ergò ſi illa ſit conditionalis, hæc conditionalia debent eſſe: & ſi hæc abſoluta ſit, illa debet eſſe abſoluta. Aliàs enim non eſſet verborum, & mentis conformitas, & verba illa plus mendacij, quàm abſolutionis haberent. Sed ſi circunſtantiæ conſignificantes tales eſſent, ut conditionem mente conceptam exponerent, tunc non videretur neceſſarium omnino, ut illa verbis exprimeretur.

N. B. Omnia hæc, quæ de conditione expreſſè ponendâ dicuntur, Scholam & ſpeculationē concernunt; nā in praxi Viri doctiſſimi, mente cōceptâ cōditione contenti ſunt, & ſunt multæ Sacramentorum formæ, in quibus conditio nō bene poneretur vocaliter.

MMMCCLV. *An in omnibus Sacramentis poſſit conditio exprimi? An in aliquibus debeat mente teneri?*

HÆc argumenta relego, & iudico, non eſſe tam facilem quæſtionem, quàm videtur: licet enim in pleriſque Sacramentis exprimi poſſit verbis conditio, non in omnibus. Poſſum dicere, *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, &c. *Si non es confirmatus, ſigno te ſigno Crucis*, &c. *Si verè peccaſti, ego te abſoluo*, &c. *Si es bene diſpoſitus, ego te abſoluo*, &c. *Si verum eſt, quod ſis filia Comitis, te accipio in meam*, &c. At in conſecratione Eucharicâ congruè exprimere conditionem neſcimus: nemo enim auderet dicere, *Ego dubito an hæc Hoſtia ſit conſecrata, aut conſecrabilis, ſi eſt conſecrabilis, & non conſecrata, hoc eſt corpus meum.* Ergo in Sacramento Euchariſtiæ conditio debet poni mentaliter, & vocaliter poni non poteſt. Firmant hanc veritatem Rubricæ Miſſalis Romani, quæ doctrinam ſecuriſſimam continent. Capitis enim ſecundi numero IV. lego, *Facta oblatione, ſaltem mente concepta, proſequatur*, & Cap. V. num. II. *Si verò valde probabiliter dubitat ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam, ſaltem ſub tacita conditione*, &c. [Et hîc obiter illam vocem *valde probabiliter* conſiderari iubeo, ne quis dubio purè negativo, aut poſitivo, hoc eſt, ne ob rationes nullas, aut leves ad repetenda verba conſecrationis feſtinet. Imò videtur Author Rubricæ inter *valde probabile*, & *probabile* diſtinguere, ſed de hoc alibi.] Sanè ex hac doctrinâ naſcuntur iſtæ Concluſiones.

De Euchariſtiâ.

An valde probabile ſit plus quam probabile?

MMMCCLVI. *Quomodo in Euchariſtiâ.*

Prima: *In panis. aut calicis Euchariſtica conſecratione, cùm debet apponi conditio, non poteſt exprimi illa verbis, ſed debet mente ſola concipi.* Patet ex dictis.

Secunda. *In alijs Sacramentis poteſt conditio,*

ſi

Digitized by Google

& quomodo in aliis Sacramentis poſſit poni conditio?

ſi neceſſariò apponi debeat, verbis exprimi: ſed hoc neceſſarium non eſt, nam ſufficit mente concepta. Prima huius Concluſionis pars eſt manifeſta: ſecundam probat rationis paritas, & plurium Theologorum authoritas: nam, ſi in Euchariſtiâ conditio concipitur mente, in aliis etiam Sacramentis tacitè poni poterit.

MMMCCLVII. *Satisfit obiectionibus.*

NEc oppoſitum probant Obiectiones, quæ pro contrariâ ſententiâ ponebantur. *Aio enim* confeſſioni reſpondere abſolutionem, & utramque debere verbis, aut ſignis extrinſecis exprimi; nec valere, ſi mente ſolâ concipiantur, nego tamen conditionatam intentionem debere ſigno extrinſeco manifeſtari.

An intentio miniſtri ſit conditio?

Ad confirmationem primam, reſpondeo negando antecedens; nam forma Sacramenti Pœnitentiæ in verbis, & Confeſſarij intentione realiter, & verè conſiſtit; ita ut ab intentione habeat quòd ſit valida, quòd ſit abſoluta, aut conditionata, &c. Vtrum autem debeamus dicere intentionem eſſe conditionem ſine qua non, & non rationem aliquam conformalem, non examino, non enim praxim quæſtio hæc, ſed ſcholam & ſpeculationem concernit.

Quomodo poſſit pœnitens confiteri probabilia peccata?

Ad ſecundam confirmationem, reſpondeo, Pœnitentem, qui haberet peccata probabilia (hoc eſt, quæ probabiliter putaret à ſe commiſſa) poſſe abſolutè dicere ſe illa commiſiſſe; nam multa in aliis materiis abſolutè affirmamus; & ſi in aliis, etiam in tribunali Pœnitentiæ poſſemus. Addo, de peccatis dubiis aliter philoſophandum eſt; quia cùm moraliter non ſint commiſſa; dubia enim (hoc eſt, rationes frivolæ, & leues non ſunt regulæ morum) poſſunt omitti abſolutè, aut ſub conditione dici: non tamen abſolutè proponi.

Purum dubium non eſt regula morum.

An poſſint eſſe verba abſoluta quando intentio eſt conditionata.

Ad tertiam confirmationem, dupliciter reſpondere potero: *Primò* enim negabo antecedens: quia in Euchariſticâ conſecratione verba ſemper ſunt abſoluta, & intentio ſolet, & debet aliquando eſſe conditionata. *Secundò*, condonabo antecedens, & dicam eadem verba, *Ego te abſoluo, &c.* ſi cadant ſupra confeſſionem abſolutam, eſſe abſoluta; ſi ſupra conditionatam, & dubiam, eſſe conditionata: quoniam inter circunſtantias conſignificantes recenſeri debebat ipſa confeſſio, cui abſolutionis reſpondet acceptio, & ſignificatio: nam æquivocatio reſponſionis tollitur ab interrogatione. Verbi gratia. Interrogat Altiſiodorus, *Equo-ne, an Leone vectus fuerit Antonius?* & reſpondet Prudentius, *Leone*, & Ego interrogo, An in iſta reſponſione vox *Leo*, ſit æquivoca? An Cœli ſignum quintum, & beſtiam reginam ferarum ſignificet? & reſpondebis, non eſſe in iſto loco æquivocam: ſed ſignificare beſtiam, & non aſtrum: quoniam ab interrogatione tollitur æquivocatio. Dictum puta. Aio, hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* dupliciter accipi poſſe, conditionatè, & abſolutè; & æquivocationem tolli à ſignificatione confeſſionis: nam ſi hæc ſit abſoluta, abſolutionis ſignificatio erit abſoluta; conditionata, ſi conditionata.

De circunſtantiis conſignificantibus.

Quomodo æquivocatio tollitur.

MMMCCLVIII. *De alterâ Quæſtione.*

SEcundam Quæſtionem recognoſcis, paritatem urges, & ſic diſcurris. Peccata conditionata poſſe ſubiici confeſſioni negaverat, & ſcire vellet quid aliud ſit confiteri peccata dubia, quàm confiteri conditionata? Quod ad hominem, ut dicitur, perſuades ſic. Qualia fuerint peccata, talis debet eſſe abſolutio: ergo ſi fuerint abſoluta, dabitur abſoluta: conditionalis, ſi conditionata. Atqui aſſerente Ioanne Sanchez, in peccatis dubiis datur abſolutio conditionata; ergò fuit analoga materia propoſita, aliàs materia, & forma non correſponderent. Ergo ſtando analogiæ rigori, huic confeſſioni, *Ego occidi*, correſpondet hæc abſolutio, *Ego te abſolvo*: huic *Accuſo me ſi fortè occidi*, reſpondet hæc: *Si occidiſti, te abſolvo*: huic etiam *Dubito utrùm occiderim*, quæ poterit reſpondere præter hanc, *Dubito utrùm poſſim te abſoluere*? Dubia igitur, ut poſſint ſubiici abſolutioni conditionatæ, debent in conditionata tranſire, ut ſi pœnitens dicat, *Dubito, an occiderim; ſi tamen occiderim, me accuſo*: Tunc enim viciſſim Confeſſarius, *Dubito, utrùm poſſim te abſoluere; ſi tamen poſſum* (vel ut Ioannis Sanchez verbis utar, *ſi fortè peccaſti, vel capax es abſolutionis*) *te abſolvo.* Ex quibus formas ſyllogiſmum tuâ ſententiâ fortiſſimum. [Peccata dubia, non ſunt capacia abſolutionis ne quidem conditionatæ, niſi tranſeant in conditionata: at conditionata teſte Ioanne Sanchez non ſunt materia ſufficiens ad Sacramentalem confeſſionem: ergo nec dubia.] Sic tu.

An peccata dubia à côditionatis diſtinguantur.

Quomodo à peccatis dubiis pœnitês abſolvi queat? An illa correſpondeat abſolutio conditionata?

Côſideretur illa ratio.

MMMCCLIX. *Diſcrimen inter peccata conditionata, certa, dubia, probabilia.*

At Ego ſcrupulo tuo ſatisfacio dicendo, *peccati conditionati* nomine illud intelligi, quod ſciamus non eſſe commiſſum, & tamen ad cautelam proponimus ſub conditione; videlicet, *ſi fortè illud commiſſum ſit.* Fruſtra enim & temerè in tribunali Pœnitentiæ, etiam ſub conditione confiteberis, quod te non perpetraſſe abſolutè cognoſcis. Ergo differt peccatum conditionatum à dubio, differt à probabili, differt à certo. Dabo definitiones. *Peccatum conditionatum* eſt, quod ſcimus non eſſe commiſſum, & tamen illud ſub conditione confitemur. *Dubium* eſt, quod eſſe commiſſum ſuadent ſcrupuli, aut leues aliquæ ratiunculæ; nulla gravis. *Probabile*, quod eſſe commiſſum rationes quidem graves ſuadent; nulla certa perſuadet. Et tandem *Certum* eſt, quod eſſe commiſſum certò ſcimus. Ergo ſiquidem differunt toto Cœlo, quid mirum, ſi aliter de conditionatis, aliter de dubiis, & aliter de cæteris philoſophetur Ioannes Sanchez?

Pluries hæ definitiones repetuntur & tamen adhuc multi abutũtur verbis, & voces in ſenſu non debito uſurpant.

Obiectio.

Hinc patet, quid dicendum ſit illis, qui nolunt peccata dubia diſtinguere à conditionatis: illos audiamus, quoniam ſententiam ſuam ſequenti ratiocinio roborant: argumentantur enim ſic: [Cùm Petrus dicit, *Si fortè occidi, me accuſo*, vel ſcit certò & evidenter ſe non occidiſſe, vel dubitat: ſi dicatur hoc ſecundum, ſtat mea ſententia, nempe peccata dubia, & conditionata non diſtingui in re, ſed in modo ſignificandi. Si autem dicatur illud primum; confitetur quod ſcit ſe non feciſſe, linguâ enim ponit illud *fortè*, aut illud *ſi* (particulæ ſunt dubitantis) cùm tamen ipſe evidenter ſciat, ut ponitur, ſe

An peccata dubia, & conditionata diſtinguantur?

non

non commiſiſſe homicidium: igitur non conditionatè conſcientiam ſuam exponit, ſed contra conſcientiam conditione illâ abutitur, ac ſubinde mentitur.

Logomachia ſemper vitanda.

Hoc illi dilemmate utuntur; & illis reſpondet Ioannes Sanchez totam illius partem ſecundam concedendo. Nec eſt, cur multum diſputetur de vocibus, nam in re convenitur, & ſolum quæritur, *Quo debeant nomine vocari culpa, quas Petrus ſcit ſe non commiſiſſe, & tamen eaſdem clavibus Eccleſia ſubijcit conditionatè?*

MMMCCLX. *De materiâ liberâ.* *Nota ſingula bene.*

VEnio ad tertiam, & quartam quæſtionem, quas ſimul decidendas aſſumo: placent enim illa Sanchezij verba, *Semper tamen liberum erit pænitenti ſolam materiam dubiam confeſſioni ſubijcere.* innuere enim videntur, peccata dubia non eſſe materiam neceſſariam confeſſionis, ſed liberam. Sed adhuc non audebo pro noſtrâ ſententiâ citare hunc Authorem, quia innuit quod verum iudico, non tamen reſoluit expreſsè, nam eadem verba aliter poſſunt exponi. Aliud enim eſt eſſe liberum pœnitenti ſubjicere confeſſioni ſolam materiam dubiam, vel ſubiicere non ſolam, ſed certam materiam adiungendo: aliud & omninò diverſum, eſſe liberum materiam dubiam ſubiicere confeſſioni, vel non ſubiicere, prima enim libertas bene componitur cum hac propoſitione, *Materia dubia neceſſariò eſt confeſſionis tribunali ſubijcienda.* Tu autem utram libertatem hic Author adſtruat, examina; nam ſi ſecundam, nobiſcum omninò conſentit.

Quando vnam circumſtantiâ afficit libertas, malè accenſetur alteri.

Baldellus, & Salas.

MMMCCLXI. *Baldellus qualis.*

AVthor eſt Baldellus ſubtilis, & curioſus, quem libenter lego; & tametſi hanc materiam expreſsè non tractet, agit de conſcientia dubia *Theolog. Moral. lib. 4. diſp. 8. n. 8.* & ſtatuit Theſes, quæ cum falſitate meæ ſententiæ componi non poſſunt: Baldello igitur mea ſententia eſt vera.

An ne iſta Theſis abſolutè & univerſaliter vera? Non puto. Nam ubi debiti contractio eſt dubia pro libertate ſtandum: ubi autem certi debiti ſolutio eſt dubia, ſtandum pro debito eſt, quoniam ſemper pro poſſeſſione.

Theſis Baldelli, qua præcipuè indigeo, eſt, *In dubiis nemo debet præſumi obligatus.* Et probat, nam habet Gloſſa in cap. Cùm ſunt de reg. iur. in 6. *quod reo ſit favendum, quando partium iura ſunt obſcura*, cap. Cùm ſunt cit. *& quod in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis*, cap In pari de reg. iur. in 6. *quando enim dubitatur, utrum aliquis ſit obligatus, an liber ab obligatione, & ſui iuris? ille eſt quaſi reus, contra quem, vel pro quo eſt ferenda ſententia, & qui eſt privandus, vel non privandus ſuâ libertate, & ideò eſt illi favendum quando partium iura ſunt obſcura, & dubia, & ipſe eſt poſſeſſor ſua libertatis; & ideò in pari cauſa melior eſt conditio ipſius, ut non ſpolietur ſuâ libertate*, & immediatè poſt docet cum Salas, hanc regulam non ſolùm habere locum in foro externo, ſed etiam interno; *quia etiam in foro interno exercetur iudicium, & idem ſeipſum conſtituit, non modò quaſi reum, & accuſatorem, & defenſorem ſui ipſius; ſed etiam quaſi iudicem: & ideò in ferendâ ſententiâ etiam ipſe, ut iudex, poteſt favere ſibi, ut reo, ſi iura partium ſint obſcura, id eſt, accuſatoris, & rei.*

MMMCCLXII. *An etiam in conſcientia foro ſit ſtandũ pro reo?*

Quibus verbis videtur clariſſimè ſequi noſtram ſententiam. Si enim in foro conſcientiæ ſtandum eſt pro reo, ſi materia ſit dubia; certum eſt ſtandum eſſe pro pœnitente, cùm dubium ſit, an peccaverit: poteſt igitur unuſquiſque ſe innocentem cenſere, quouſque ſe peccaviſſe certò, & evidenter, aut probabiliter ſaltem cognoſcat.

Nota hoc.

Confirmant hanc ſententiam omnes illi Doctores, qui ſupponunt tanquam ratum principium, *in omni dubio ſtandum eſſe pro poſſeſſione*; item & illi omnes, qui exiſtimant *omnia poſſe benignè interpretari.*

Ægidius Coninck.

MMMCCLXIII. *Notitia dubia probabili multò minor eſt.*

SCripſit de Sacramentis, & hanc materiam non obiter, ſed advertenter diſputat, & *tract. 2. diſp. 7. dub. 8. concl. 7.* ſic inquit, *Ad hoc ut peccatum tenear confiteri, requiritur, ut ſaltem probabiliter poſſim iudicare me peccaviſſe.* Atqui dubitans, non iudicat probabiliter: ergo qui dubitat, an peccatum aliquod mortale commiſerit, non tenetur illud confiteri. Quid clarius, vel dici, vel inferri potuit?

Layman.

MMMCCLXIV. *Aliqua obligant in articulo mortis, quæ in vita decurſu non obligant.*

VIdetur hanc ſententiam limitare, & docere, neminem teneri in decurſu vitæ peccata dubia confiteri, teneri tamen in articulo mortis, *Theol.* enim *Moral. lib. 1. tract. 1. cap. 4. §. 4. num. 37.* ſic ait, *Si in decurſu vitæ alia peccata ſua, quorum conſcientiam habet, confiteatur, tacito illo peccato, de quo poſt diligentem excuſſionem dubitat, an commiſerit, vel an fuerit mortale; tunc probabile apparet non incumbere eius confitendi obligationem: non enim ex lege poſitivâ Chriſti, & Eccleſia habetur, quia eſſet nimis ſevera obligatio accuſandi ſe de iis, quæ commiſiſſe ſe ignorat. Neque ex lege naturali charitatis propter periculum animæ, quandoquidem confitendo bona fide peccata reliqua, per accidens remittuntur ea, quæ ignorantur. Verum in hac re nihil determino: ſed aliorum iudicio committo.* Vltima periodus videtur contra dentes invidorum poſita, quia in prioribus ſatis clarè ſuam ſententiam expoſuit.

An eſſet nimis durum obligare aliquem ad cõfitendũ peccata dubia?

Conſcientia quid ſit?

In verbis huius Authoris noto PRIMO, vocem *Conſcientia* ipſi notitiam omni dubio liberam ſignificare, dubio enim conſcientiam opponit; quod ſi ſemel admittas, negare non poteris noſtram ſententiam eſſe definitam à Tridentinâ Synodo loco allegato. SECVNDO, bene inter mortis articulum & decurſum vitæ diſtingui: qui enim vitæ decurſu dubitat, an mortale commiſerit, ſi aliis certis, iiſque mortalibus, peccatis careat, non tenetur confiteri; at in articulo mortis reſultat nova quædam obligatio, ſuborta exiſtenti periculo; quia moribundus, tametſi non teneatur confiteri peccata dubia, non debet egredi ex hac vitâ ſub dubio; tenetur igitur reddere certam ſuam ſalutem, illud dubium peccatum delendo; nimirùm, *vel* directè, conditionatè confitendo illud ſub conditione, & conditionalem abſolutionem recipiens: *vel* indirectè per pœniten-

Qui habet peccata dubia, tenetur confiteri in articulo mortis.

Non autem illa peccata dubia. Vide n. 3229.

etiam ſacramentalem; alia peccata, tacito dubio peccato, confitendo: *vel aliud Sacramentum recipiens, ut per accidens conferat primam gratiam: vel ſaltem, ſi aliundè non obſtaret*, elidiendo actum contritionis. Conſultò, *ſi aliundè non obſtaret*, dixi; poſſet enim adhuc diſputari, an ille deberet confiteri, ut obediret Eccleſiæ confeſſionem in articulo mortis præcipienti.

Stephanus Bauny.

MMMCCLXV. *An dubiũ, & probabilitas diſtinguantur?*

EST Moſomenſis, è Societate IESV, ann 1649. Theologiam Moralem edidit Pariſiis, & *tract. 5. de pœnit. quæſt. 3.* hanc aſſertionem ſtatuit. *Non quilibet adultus, ſed duntaxat qui reus eſt, ſibique verè peccati alicuius actualis conſcius quod ſcit eſſe mortale; vel de quo probabiliter dubitat, an ſit tale, obligatur hoc* (confeſſionis) *præcepto.* Ergo ad mentem hujus Theologi non tenetur hoc præcepto, qui vel non ſcit eſſe peccatum mortale, vel non dubitat probabiliter, an ſit mortale. Atqui nos agimus de puro dubio, quod proſcribit utriuſque partis probabilitatem ergo qui purè dubitat, hoc Authore aſſerente non tenetur.

An probet ſuam ſententiam Bauny?

Subjungit duas rationes, alteram ex Tridentino, alteram ex Lateranenſi deſumptam: quarum utraque probat debere exponi in confeſſione omnia peccata certa; neutra, vel apparenter ſuadet eſſe exponenda probabilia; ſed & hoc debebat perſuaderi, ut tota Theſis ſubſiſteret.

Ioannes de Lugo, Ioannes Præpoſitus, Leonardus Leſſius.

MMMCCLXVI. *Summiſtæ interdum loquuntur ſine conſequentiâ. Sunt multi, qui ignorant Logicam; multi, qui illam non curant.*

AMat Lugo doctrinæ connexionem, & *diſp. 16. de Pœnit. Sacram. ſect. 2. §. 3. num. 61.* bonâ ratione arguit eos inconſequentiæ, qui cùm docent peccatum dubium quoad ſubſtantiam facti non eſſe neceſſariò confitendum, docent tamen dubium quoad qualitatem facti (nomine qualitatis non niſi quantitatem intelligit) eſſe confitendum, ideóque illis refutatis progreditur, & *num. 62.* ſic ait: *Alij videntur univerſaliter ſentire, non eſſe obligationem confitendi illud peccatum, quod poſt debitum examen dubium manet, an fuerit vel non fuerit commiſſum; vel etiamſi conſtet fuiſſe commiſſum, dubitatur an fuerit mortale aut veniale. Ita videtur tanquam ſibi probabile proponere Paulus Layman tom. 1. Theol. Moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 37. licet in fine concludat ſe nihil in hoc puncto velle decernere, & ſolùm aliis cogitandum proponere. Et poſteà Ioannes Præpoſitus in præſenti quæſt. 5. de integ. Confeſſ. dub. 3. num. 117. dicit eſſe ſpeculativè probabile, licèt in praxi non ſit à contrariâ recedendum.*

MMMCCLXVII. *Non eſt recedendum à ſententiâ communi in praxi.*

[Et verè ita eſt, nam examinavi Præpoſitum, & tantummodo loquitur de peccato dubio quoad facti ſubſtantiam, non verò de eo, quod eſt dubium ſecundùm quantitatem facti; hoc eſt, ſuppoſito, quod ſit commiſſum, dubitatur an ſit mortale, an veniale; nam loco ſupra citato *num. 116.* abſolutè docet peccatum dubium quoad quantitatem facti eſſe confitendum; de dubio autem quoad facti ſubſtantiam problematicè diſputat. & tandem num. 119. dicit hæc formalia verba: *Hæc pars* (nempe negans quempiam teneri ad confitendum peccatum mortale dubium quoad ſubſtantiam facti) *ſemper mihi viſa eſt ſpeculativè probabilis, ſimiliter, & Leſſio, & quibuſdam aliis à me conſultis*; & num. 120. *Dixi poſteriorem partem videri ſpeculativè probabilem, quia non audito in praxi recedendum à priori opinione.*]

Rationes Lugo oppoſita ſententia refutat.

Progreditur ulterius Lugo, & loco ſupra citato *num. 63.* ſententiæ affirmanti, peccatum dubium tam quoad ſubſtantiam facti, quàm facti quantitatem, eſſe neceſſariò confitendum, adhæret; inde ab illo *num.* uſque ad 67. efficaciter certè mihi videtur refutare rationes, quibus alij Authores eandem ſententiam tenentes nituntur, & ipſe tandem ſuam rationem affert: *Potiſſimum ergò fundamentum huius doctrinæ deſumendum eſt ex uſu & praxi totius Eccleſiæ, cuius initium non agnoſcitur; quare credendum eſt ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui vim & obligationem inclusam in huius Sacramenti institutione meliùs potuerunt intelligere.*

Cur tamen illã teneat?

Quanti facienda ſint opiniones antiqua?

Verùm ad hanc rationem reſponderi poſſet primò, non conſtare illam praxim & uſum eſſe in Eccleſiâ tanquam obligatorium. Secundò, licet id conſtaret, id ortum habere; ex eo quod omnes hucuſque Authores ita docuerint, & pauci à parvo tempore inceperint id reducere ad dubium: prout ſæpius contingit, & nunc & olim in ſententiis antiquari incipientibus. Videtur itaque mihi hoc argumentum tantumdem valere contra ſententiam contrariam, atque contra feſtum Immaculatæ Conceptionis valeret hoc. *Fuit praxis & uſus Eccleſiæ non celebrare feſtum Immaculatæ Conceptionis, & eius praxis non agnoſcitur initium: ergò credendum eſt ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui difficultatem de Immaculatâ Conceptione meliùs potuerunt intelligere.*

MMMCCLXVIII. *An à veteri teſtamento ad novũ ſit bona argumentatio?*

Poſtea confirmat rationem prædictam argumento deſumpto ab huius Sacramenti inſtitutione, & poteſt ad hanc formam reduci: Hoc viſibile pœnitentiæ tribunal ſucceſſit in locum inviſibilis tribunalis divini, ad quod anteà tenebantur homines recurrere per contritionem: ſed ad illud tenebantur non ſolùm recurrere pro peccatis certis, ſed etiam dubiis, ergo etiam pro dubiis modo tenentur recurrere ad hoc tribunal viſibile.

De remiſſione peccatorum venialium.

Sed maior non videtur mihi fundata: ſimiliter enim dici poſſet: ſuppoſito, quod ſi aliqui in veteri Teſtamento peccatorum venialium ſibi conſcij voluiſſent in hac vitâ eorum obtinere veniam, debuiſſent ad illud inviſibile Dei tribunal recurrere per contritionem; ergo ſi Lugonis argumentum ſit efficax, videtur ſequi à pari, quòd ſi in novo Teſtamento venialium ſibi conſcij velint in hac vitâ eorum obtinere veniam, debeant recurrere ad hoc pœnitentiæ viſibile tribunal, quod tamen conſtat eſſe falſum.

An debeamus proximo ſatisfacere in dubiis?

Poſteà ſibi objicit. Præceptum ſervandi æqualitatem cum proximis in materiâ iuſtitiæ; non obligat nos ad ſatisfaciendum illis, aut ad petendam veniam, quando dubitamus de iniuriâ aut offenſâ illis illatâ; ergo nec

præceptum procurandi pacem & amicitiam cum Deo obligat nos ad petendam veniam, & offerendam pœnitentiam, quando dubitamus de offenſa diuinâ à nobis poſitâ.

MMM. CCLXIX. Sed reſpondet negando conſequentiam. Rationem diſparitatis dicit eſſe, quod præceptum procurandi amicitiam & ſeruandi cum illis æqualitatem, ſit negatiuum; præceptum verò procurandi amicitiam cum Deo, & æqualitatem cum eo ſeruandi, ſit affirmatiuum; adeoque non ſufficiat, ſi neſcias te illum offendiſſe; ſed oportet procurare poſitiuè illius gratiam & amicitiam; atque adeò facere, vt ſcire poſſis aliquo modo te in eius pace & amicitiâ conſeruari.

An eſſe in conſcientiâ quietus poſſit, qui ſe onerari gravi peccato neſciat? An debeat poſitivè curare homo, ut ſe eſſe in gratiâ cognoſcat?

Reſponderi poteſt ad id, quòd licèt verum ſit, inde tamen non ſequatur quòd fieri debeat illa diuinæ amicitiæ procuratio per confeſſionem, cùm fieri poſſit per ſolam contritionem. Neque obſtat, quod in veteri Teſtamento dubiorum peccatorum ſibi conſcij tenerentur ad inuiſibile Dei tribunal recurrere: id enim fiebat, quia non erat aliud remedium: ſecundùm noſtram autem ſententiam iam pro peccatis dubiis duo ſunt remedia, nempe contritio, & confeſſio, vnde alterutrum pro libitu adſumi poteſt.

An peccata dubia bifariam expiari poſſint?

Pater Amicus.

MMM. CCLXX. PRodiit à paucis menſibus, & teritur doctiſſimorum hominum manibus, & agens de integritate Confeſſionis *diſp. 13. ſect. 3. num. 55.* ſic ait: Quæritur, An teneamur dubium peccatum confiteri? negant aliqui apud Dianam *tract. de Sacr. reſol. 60.* ... affirmant verò alij: poſtea ſubiungit ſuam ſententiam dicens: Vtraque ſententia probabilis eſt, ſed poſterior probabilior ſaltem authoritate Doctorum Legatur Suarez *diſput. 22. ſection. 9. numer. 7.* & loquitur ſic abſolutè, nullam faciens diſtinctionem inter peccatum dubium quoad facti ſubſtantiam, & dubium quoad facti qualitatem vel quantitatem.

An vtraque ſententia ſit probabilis? An Amicus ſine vllâ diſtinctione loquatur?

Ioannes Antonius Geloſus, & Decius Cyrillus.

MMM. CCLXXI. DIllingæ anno 1642. habuimus tertiam editionem libri, qui inſcribitur, *Breuis notitia eorum quæ ſcitu ſunt neceſſaria Confeſſariis ad audiendas confeſſiones, in lucem edita iuſſu Reuerendiſſimi Domini Domini Ioannis Antonij Geloſi, Abbatis S. Lucæ Metropol. Eccleſ. Decani & Vicarij Generalis Eminentiſſimi Domini Cardinalis Doria Archiepiſcopi Panormitani, per Decium Cyrillum.* Magnam igitur authoritatem liber habet, ſiquidem in Regulam & Legem, Paſtoribus vniuerſis proponitur: magnam etiam lucratus in Germania fuit, vbi Eccleſiæ Primores illum ab omnibus paſtoribus emi curarunt. Illum ergo legamus: de Sacramento Confeſſionis num. 13. mihi pagina 11. hanc periodum lego. [*Peccatum dubium non debeat eſſe integra materia confeſſionis, ſed addantur alia peccata, quamuis aliàs confeſſa; aut peccata venialia, vt poſſit dari abſolutio ſine conditione.*] Et ne quis dicat teneri neminem confiteri venialia, aut peccata aliàs confeſſa, agens de tertio Eccleſiæ præcepto num. 19. pag. 63. ſic inquit idem author [*Tenetur quilibet Chriſtianus, ex quo peccauit mortaliter, ſemel in anno confiteri. Si aliquis nullum haberet mortale quod confiteretur, non obligaretur hoc præcepto, ſed ad ſummum ſufficeret, ſi ſe præſentaret Confeſſario dicens ſe non habere neceſſitatem confeſſionis, cùm non teneatur confiteri venialia, ita & à fortiori nec peccata aliàs bene confeſſa.*] Ergo ſiquidem, teſtibus Antonio Geloſo, & Decio Cyrillo, peccata dubia ſunt materia inſufficiens minorem ordinem dicunt ad Confeſſionem, quàm ſufficiens, hoc eſt, quàm venialia aut mortalia confeſſa, quæ materia verè ſufficiens, non tamen neceſſaria ſunt.

An peccata dubia ſint confeſſionis materia? An quis ab illo ſine conditione abſolui poſſit? An teneatur confiteri, qui non habet mortale? An peccata dubium ſit materia inſufficiens?

Grenadus, Syluius, Meranus, Diana, Auſonius Noctinot, Authores caſuum Bononienſium, & alij.

MMM. CCLXXII. NOndum Grenadum vidi: at eum huius fuiſſe ſententiæ conſtat ex eis qui illum impugnant. Auſonius Noctinot in Dianæ Summa *verbo Communio, num. 52.* ſic ait. [Eſt autem peccatum mortale ad communionem accedere non ſolùm cum conſcientiâ, ſed etiam cum dubio peccati mortalis, quidquid nouiſſimè ſentiat Grenado *in 3. partem contr. 6. tract. 10. diſp. 7. num. 13.* & citat Dianam *part. 5. tract. 14. reſol. 44.*] Eiuſdem ſunt cum Grenado ſententiæ Marchinus *cap. 1. num. 17.* Authores *caſuum Bonon.* nouiſſimè tradentes non eſſe exponenda in confeſſione peccata mortalia: ſi dubium fuerit negatiuum. Referuntur ab Auſonio eodem *in ſumm. verb. Sacerdos num. 9.* Sed audiendus eſt ipſe Noctinot. *verb. Confeſſio, num. 18.* vbi hæc habet, [Ad integritatem confeſſionis pertinet vt explicentur peccata etiam dubia. Porro dubius, An aliquod peccatum commiſerit, vel an illud confeſſus ſit? vel ita dubitat, vt iudicium pro neutrâ parte ferre poſſit, & maneat ſuſpenſus ac negatiuus: vel habet aſſenſum probabilem in vtramque partem. Et quidem, qui dubitat primo modo, tenetur tale dubium confiteri. Ita Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 1. cap 10. num. 66.* & Doctores communiter, ac etiam indicat Tridentinum; putat neminem teneri ad explicandum aliquod peccatum, niſi ſaltem probabiliter iudicet, ſe peccaſſe Nam delictum præſumi non debet. Quod etiam latè probat Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 5. dub. 3. num. 117.* Et ſpeculatiuè probabile indicat, ſicut etiam Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 7. quæſt. 4. num. 37.* ſaltem extra mortis articulum. Quia nullum adeſt præceptum confitendi peccata dubia. At tu tene primam ſententiam cum Dianâ *par. 3. tract. 4. reſol. 60.* nam ſecunda improbabilis eſt, teſte Dianâ *par. 4. tract. 3. reſol. 7.* Si verò quis ſe peccaſſe dubitat ſecundo modo, ſcilicet cum aſſenſu probabili in vtramque partem & aſſenſus ſit æquè probabilis; ſatis probabile eſt non teneri ſe accuſare de illo: quia cùm

Communicare cum peccato dubio eſt-ne mortale? Dubium negatiuum. Probabilitas dubium non eſt. Sed nos probauimus contrarium inſinuari à Concilio ſeſſ. 14. c. 7. Vide, quæ dicta ſunt art. 2. à num. 3247. An ſit obligatio confitendi peccata dubia?

probabile ſit ſe non peccaſſe, vel illud confeſſum eſſe, poteſt hanc opinionem ſequi: ita Suarez *in 3.part. tom. 4. diſp. 22. ſect. 9. num. 26.* quamuis contra ſentiant Nugnus *in add.ad 3.part.quæſt,9.art.2. dub.4.* Videatur Diana *par.3.tract.4.reſol.* 107. *& part.4. tract.3.reſol.5.* Sed quia ſi probabilius iudicet ſe peccaſſe, vel non eſſe confeſſum? Reſpondet Conink *de Sacr. diſp. 7. dub.8. num.68.* confiteri illud debere cum dubio & gradu probabilitatis, ne ſe exponat periculo errandi circa integritatem confeſſionis: & ita nouiſſimè docet Quuallius *in 1.2. tractat. de hum. actib.q.4. art. 12.* Sed ego etiam in hoc caſu puto non teneri cum Syluio *in addit. ad 3. par. quæſt. 6. art. 4. quæſt. 3.* & Merano *tom.3.in 4.pro tract.de Sacram.pœnit. diſp.26. ſect.3.num. 4.* quia poteſt quis ſequi opinionem probabilem relictâ probabiliore, nec vlli periculo ſe exponit, cùm omnis opinio probabilis tutè & abſque formidine teneri poſſit. Diana *part.3.tr.4. reſol.107.& part.1. tract. 14. reſol. 13.* Hucuſque Auſonius. Ex his collige hanc propoſitionem: *Qui probabiliter imò probabilius putat ſe peccaſſe, non tenetur confiteri illud peccatum*, eſſe probabilem, indice Syluio, Merano, Dianâ, Auſonio Noctinot. Collige hanc, *Qui dubitat dubio purè negatiuo, aut ob rationes leues, quæ ſufficiant ad probabilitatem, non tenetur illud dubium peccatum confiteri*, eſſe veram Coninchio, Grenado, Marchino, Authoribus caſuum Bononienſ. probabilem ſpeculatiuè Præpoſito & Laymano. Cùm igitur dubium habere negatiuum ſit neutrius contradictionis partis habere vel leuem notitiam: habere poſitiuum ſit habere alterutrius partis leuiuſculam aliquam notitiam: habere probabilitatem ſit habere grauem & magnam notitiam; & habere probabilioritatem, ſit habere grauiorem, maiorem & clariorem notitiam: Quis non videat Auſonium Noctinot hanc controuerſiam non reſoluiſſe? Rem verbo demonſtraturus ſum. Nam ſententia ipſius, *Qui probabiliter aut probabilius ſcit ſe peccaſſe, non tenetur confiteri; tenetur tamen qui dubitat, ita vt probabilitatem non habeat.* Æquiualet huic. *Qui habet rationes fortes, etiam fortiores, non tenetur credere ſe peccauiſſe: adeoque nec confiteri: at qui habet debiles vel nullas, tenetur credere ſe peccauiſſe, ac illud dubium peccatum confiteri.* Quid hoc? non teneor ſubſcribere rationi forti: imò neque fortiori: & tenebor debili, vel nulli? ſunt nugæ. Verùmtamen notari oportet, illam ab Auſonio improbabilem ſententiam dici, quæ neceſſario infertur ab illâ, quam ſecuram tutam & probabilem nominant.

De probabili & probabiliori peccato. An debeat in confeſſione exponi?

An non ſolùm debeat exponi, ſed etiam debeat explicari, in quo probabilitatis gradu ſit?

Nimium turbaret Chriſtianorũ conſcientias, ſi daretur talis in Eccleſiâ obligatio.

Quid dubiũ negatiuũ ſit? Quid poſitiuum?

Auſonius impugnatus.

N. B. Anton. Cotonius vir hodie celeber, vt experiretur Criticorũ Cenſuras nomẽ Auſonij Noctinot ſub initium aſſumpſit.

Auſonius Noctinot, Valentia, Diana.

MMMCCLXXIII. SEd quia cœpi cum Auſonio diſſerere, aliquid additurus ſum; ipſe enim *in Dianâ ſummâ verb. conſcientia num.2. in margine* ſic ait: [*Probabile eſt ſolum eſſe veniale operari cum conſcientiâ dubiâ, an actus ſit venialis an mortalis*, & in corpore. [*Operari cum conſcientiâ dubiâ, an actus ſit peccatum mortale vel veniale, & proponente illum vt malum in confuſo, ſecundum Vaſquez in 1.2. diſput. 59.cap.3.num.10.eſt peccatum mortale, etiamſi poſteà comperiatur fuiſſe veniale. Quia voluntas dum non examinat, vult illud committere qualecunque ſit; & ſine dubio ſe exponit periculo peccandi mortaliter. Sed contraria ſententia Valentia tom. 2. diſp. 2. quæſt. 14. Punct. 4. eſt probabilis. Quia velle malitiam in genere, eſt velle malitiam quæ non excedit veniale: ſi enim excederet, non eſſet veniali & mortali communis. Diana part.1.tract.7. reſol.24.& part.3.tract 4. reſolut.162.& p.5. reſolut.31.§.ſed difficultas.*]

An ſit mortale operari actũ dubiũ; de quo quis dubitat, an ſit mortale?

Ex his igitur ſic argumentor. Strictiùs teneor non committere peccata, quàm commiſſa confiteri: nam venialia poſſum non confiteri, & mortalia poſſem in aliquibus caſibus non confiteri, nec tamen dabitur caſus, in quo licitè poſſim illa committere. At in dubio poſſum peccatum committere, peccabo mortaliter committendo. Ergo in dubio potero illud non confiteri, nec peccabo mortaliter non confitendo.

An major ſit obligatio nõ committendi peccata, quã confitendi commiſſa?

Theſes Louanienſes.

RECenſendæ etiam ſunt Theſes publicæ in noſtrâ Vniuerſitate defenſæ, quibus maiorem authoritatem attribuimus, quàm Placitis priuatorum Doctorum: cùm enim ſine contradictione defendi permittuntur, dicendæ ſunt iudicari probabiles à Superioribus & reliquis Doctoribus, qui poſſunt, & debent curare, ne improbabiles ſententiæ in publico Gymnaſio defendantur. MMMCCLXXIV.

Quanta authoritatis ſint Theſes, quæ in magnis Vniverſitatib. propugnantur?

Dico igitur, benigniorem ſententiam ſæpè Louanij in doctiſſimo PP. Ieſuitarum Gymnaſio me præſente defenſam.

Theſes Viennenſes.

EGi ſæpe de hac controuerſiâ Viennæ, ſed præcipuè cum Eximio Patre Carolo Muſerat S.I. Sacræ Theologiæ Doctore, qui teſtatur ſe Romam ſcripſiſſe, ibique Reſolutionem benignam, quam defendimus, multis Viris doctis viſam fuiſſe probabilem. MMMCCLXXV. Multos etiam alios conſului, qui ſubſcribere viſi, quorum omnium ſententiam iam ſecuriorem reddidit publica Diſputatio, quæ ſummo plauſu habita inſcribitur, *Sacra Theologia Ferdinando III. Cæſari, Pio, Iuſto, Forti in celeberrima & antiquiſſima Vniuerſitate Viennenſi, authoritate inclita Facultatis Theologicæ, pro conſequendo Doctoratu die 3. Febr. Anni 1648. defenſa ab adm. Reu. D. Gregorio Helnegger, nobili Styro, Protonotario Apoſtolico, Parocho in Baitoffen in Tayam. Præſide R. P. Martino Palkouicke SS. Ieſu. SS. Theologiæ Doctore, ac in eadem Vniverſitate Profeſſore ordinario*, & è titulo ſuppono multa. *Primò*, has Theſes prodiiſſe authoritate Facultatis Theologicæ. *Secundò*, fuiſſe propoſita à duobus viris doctiſſimis. *Tertiò*, fuiſſe pacificè defenſas, adeoque ab Vniuerſitate tales vt minimum iudicatas, quæ nihil contra Fidem, nihil contra bonos mores haberent. Poſito igitur omnes eſſe ſecuriſſimas, & probabiliſſimas, quinquageſimam

Aliquorum Theolog Romanor. ſententia.

Quãto examine & approbatione diſcutiantur Theſes Viennæ, antequã publicè defendi permittantur?

Citatur Caramuel. At ipſe aliter philoſophatur de dubio peccato, & aliter de certo peccato & dubiâ confeſſione?

Vide quæ ſuperiùs art. 1. ſunt dicta.

nam recognoſcamus. *Pagina 32. ſic lege.* [Controuertitur, An ſi quis certus, quod peccauerit mortaliter, dubitet negatiuè ſe tale peccatum eſſe confeſſum, eo ipſo liber ſit ab eius confeſſione? Negatiua placet ſententia (nimirum quæ docet non teneri tale peccatum confiteri) citant Caramuelem *hoc tract. de conſ. dub.* & probant, quia ratio multiplex reddi poteſt. Primum quidem, quia de ſcrupuloſis plurimi tenent non obligari eos ad confitendum, niſi iurare poſſint mortale fuiſſe peccatum, & nunquam confeſſum. Sà *v. dubium.* Palao *part. 1. diſt 4. par. 2. num. 4.* & alij. Deinde, ſi quis veniat ad confeſſionem cum peccato, de quo negatiuè inuincibiliter dubitat, an ſit confeſſus; & dicat, *Accuſo me de hoc peccato, ſi necdum ſum confeſſus: ſi autem fortè ſum confeſſus, me non accuſo:* tali inquam, ſi de nullo alio ſe abſolutè accuſet peccato, abſolutio impendi non poteſt; quia hæc certam requirit materiam propter periculum committendi ſacrilegium: ergo peccatum taliter confeſſum, non eſt ſufficiens materia, multo minus neceſſaria confeſſionis: talis autem non tenetur aliter confiteri, imo ſi fortè prius eſt confeſſus, nullo tenetur præcepto idem peccatum confiteri ſecundò, Prætereà, ſi dubium ſit poſitiuum, adeoque vtraque conditionis pars appareat probabilis, poſſet eligere, quamcumque volet; adeoque non confiteri, vt eximij tradunt DD. Suarez *diſp. 22. ſect. 9. num. 5. & 6.* Coninx. *diſp. 7. de pœnit.* Ergo à fortiori non tenebitur confiteri, ſi nulla ratio occurrat. Ratio à priori eſt, quia non poteſt eſſe certior obligatio confitendi quam ſit fundamentum & radix huius obligationis: atqui totum obligationis confitendi fundamentum eſt peccaſſe mortaliter & necdum eſſe confeſſum; ideoque alterutro deficiente non eſt obligatio confitendi, vt patet. Ergo, ſi non ſit certum obligationis fundamentum confitendi, hoc ipſo oritur dubium de obligatione: ſed dubia obligatio, nulla eſt obligatio; in dubio enim de obligatione ſtandum pro libertate. Palao *cit. diſt. 3. pag. 7.* cum multis Demum ex Trid. cit. ea ſolùm obligatur mortalia pœnitens confiteri, quorum conſcientiam habet, conſcientia autem ex communi DD. eſt iudicium de rebus agendis, aut de honeſtate aut turpitudine actionis: dubitans negatiuè hoc non habet: ergo nec conſcientiam: ergo non tenetur confiteri, de quibus negatiuè dubitat, an ea ſit confeſſus? Hinc ſat multi docent, vero dubio dubitantem, an habeat lethale peccatum, poſſe accedere ad Euchariſtiam ſine confeſſione. Gran. *de Euch. tract. 10. diſp. 7. num. 13.* apud quem Henriquez, Paludanus, Antoninus, Tabiena, ſed qui dubitat negatiuè, an commiſſum peccatum mortale ſit confeſſum; habet verum dubium de peccato mortali: ergo ſine vlteriori confeſſione poterit communicare. *Dices.* Certo debito non ſatisfit incertâ ſolutione: ſed qui mortaliter peccauit, & dubitat negatiuè, an ſit confeſſus, incertus eſt de ſolutione, certus de debito: ergo nec dum debito ſatisfecit confeſſionis. *Reſpondeo* argumentum, ſi vrget, vrgere in dubio poſitiuo, & contra communem de ſcrupuloſis doctrinam: deinde fortaſsè in debitis ex contractu oneroſo mutuâ contrahentium voluntate obligatio viget ſolutionis, qui videntur ita contrahere, vt ſit obligatio ſoluendi, donec certo conſtet factam eſſe ſolutionem. Vnde in externo foro ſic dubitans ad ſolutionem compelleretur, quia iudex in eo foro præſumit dubitantem non ſoluiſſe, cùm non probet ſoluiſſe; aliàs daretur occaſio debitoribus aſſerendi non ſe ſoluiſſe, & præiudicaretur creditoribus, cum quo ſtat cum fortè ſoluerint, & quod fortè in re nihil debeant. Quare in conſcientiæ foro, eſtò conſtet debitum ex contractu oneroſo contractum eſſe, ſi deinde debitor dubitet, an illud ſoluerit, excuſatur à ſoluendo, donec conſtet certè ſolutum non eſſe, cui doctrinæ multum fauet Medina *C. de reſt. quæſt. 20.* Secundum, quia præſupponunt, dum docet, eum qui malâ fide incipit rem alienam poſſidere, ſi poſteà dubitet an ſua ſit vel alterius, non obligari ad reſtitutionem, quia talis non tenetur alienam ſuæ idemnitati præferre. Ergo à fortiori non tenebitur ſoluere, quia bonâ fide per contractum v. g. mutui rem alienam cœpit poſſidere, ſi poſteà dubitet inuincibiliter, an mutuatori debeat nec ne? eſt enim paritas rationis. Demum in caſu noſtro, hoc ipſo quod inuincibiliter ſuboriatur dubium negatiuum, ceſſat certum debitum, adeoque certa obligatio: ſolùm enim tamdiu manet certum confitendi debitum quamdiu certum eſt non factam eſſe confeſſionem. Si ergo dubites de factâ confeſſione, hoc ipſo debitum quod ante certum fuit, labefactas. Nec inde ſequitur, certum debitum incertâ ſolui ſolutione: hoc ipſum enim quod inuincibile dubium de ſolutione incidit, incertum incipit, eſſe debitum. Atque iam dicta à paritate rationis, in dubio negatiuo, an mortale ſit commiſſum peccatum? locum habent. Sic opinamur, & humanæ conſulimus fragilitati, quæ opinionum vſque adeo roboratur probabilitate, vt ſine iis cum ordinariis præuenientis gratiæ auxiliis videatur moraliter ſubſiſtere non poſſe] *Huc vſque ex Theſibus Viennenſibus.*

De peccato dubio, ſi nullum certum addatur, concedi Abſolutio abſoluta nō poteſt.

Illud non eſt materia ſufficiens.

Hic malè confundit dubium cū probabilitate.

Non poteſt eſſe certior conſequētia præmiſſis.

An habens peccatum dubium poſſit accedere ad Euchariſtiam ſine confeſſione?

An certo debito ſolutio dubia ſatisfaciat?

An à Iure humano arguere poſſimus ad diuinum?

An qui dubitat, teneatur reſtituere?

An de incerto debito certa obligatio dari poſſit?

Quàm ſint vtiles opiniones probabiles?

MMM.CCLXXVI.

D. Ioſephus de Ianuario.

Hic liber modò imprimitur, & illum tanti facio, vt mora impatiens foliatim legam, & eius rationibus vbi occaſio poſtulat, meas ſententias confirmem.

EST Vir ingenioſus & doctus, & qui maioris facit vnam rationem fortem, quàm illos omnes, qui numerum Authorum ſe quuntur. Iſte igitur *part. 2. Reſolutionum ſelectiarum, Reſolution. 69. num. 6.* ſic inquit.

Probat ſecundò Merolla *num. 99.* his verbis. Quia ſi contraria opinio eſſet vera, ſequeretur eſſe omninò in arbitrio pœnitentis confiteri, vel non confiteri peccata dubia: ſed conſequens eſt falſum, vt omnes concedunt. Ergo &c. Probatur ſequela maioris. Nam duobus modis poteſt contingere, rem aliquam eſſe dubiam. Vno modo, quando pro neutrâ parte habemus rationes, ſeu coniecturas probabiles; ita dicimus eſſe dubium, An numerus hominum, qui modò ſunt in hac ciuitate, ſit par, vel impar? &c. hoc appellatur dubium merè negatiuum. Alio modo dicitur res dubia, quando pro vtraque parte habemus

Dubium duplex, negatiuum & poſitiuum.

An dubium poſitiuum à probabilitate diſtinguatur?

Digitized by Google

habemus coniecturas, ſeu rationes probabiles, vt in exemplo ſupra allato de eo, qui habet rationes æquè probabiles, pro vtraque parte, an res, quam inuenit, ſit Petri vel Pauli? & hoc appellari ſolet dubium poſitiuum. Peccatum igitur dubium, quod cadit ſub præcepto confeſſionis, non dicitur dubium primo modo, vt patet, quia nullam habeo coniecturam probabilem, me aliquod peccatum mortale commiſiſſe; quomodo poſſum obligari ad illud confitendum? Dicitur ergo peccatum dubium ſecundo modo: ergo ſemper erit in poteſtate pœnitentis illud confiteri, vel non confiteri. Probatur conſequentia, quia cùm habeat rationes ex vtraque parte probabiles, nempe & peccatum commiſiſſe, & non commiſiſſe, poterit ſequi hanc opinionem probabilem, ſe non perpetraſſe, & ita illud non confiteri, quamuis de oppoſito habeat rationes probabiles; quod eſt contra communem ſenſum, & vſum omnium fidelium. Hæc Merolla ibi.

Hic quod docet de dubio negatiuo eſt euidentiſſimũ & tamen à multis negatum.

An peccata probabilia ſint in confeſſione explicanda?

MMMCCLXXVII. At hoc fundamentum facilè corruit. Quia reſpondetur concedendo totum, dum poteſt pœnitens non peccata dubia, vt dixi *in primâ parte mearum Reſolutionum variarum* cum Coninch, Henriquez, Ioanne Præpoſito, & Leſſio, quibus nunc addo Amicum *tom.* 8. *diſp.* 13. *ſect.* 3. *num.* 55. Caramuel *in ſuâ Morali Theolog. lib.* 3. *diſp.* 4. *art.* 1. *num.* 1481. Et nouo fundamento id euidenter oſtendo. Quia peccata illa dubia, vel ſunt materia neceſſaria, vel voluntaria Sacramenti Pœnitentiæ; Non enim dici poteſt, quòd ſint voluntaria; ergo debemus dicere, quod ſint materia neceſſaria. Sed materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ trahit neceſſariò formam, ſeu, exigit neceſſariò formam abſolutionis ad componendum vnum Sacramentum Pœnitentiæ. Sed peccata dubia poſſunt non eſſe (res enim, de quâ dubitatur, exiſtimant eſſe, & reuera non eſt; & exiſtimatur non eſſe, & reuera eſt; hoc enim neceſſariò fert ſecum dubium) ergo ſi peccatum reuera non eſt, id quod non eſt trahit neceſſariò formam: ſed hoc eſt abſurdum, quia quod neceſſariò trahit, debet neceſſariò eſſe, cùm tractio ſit, ſiue moralis, ſiue phyſica. Ergo implicat etiam, quod peccata dubia ſint materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ. Nec valet dicere, quod trahat neceſſariò formam conditionatam: quia debet neceſſariò trahere formam dum eſt materia abſoluta, vt clariùs infra.

An & dubia?

An Ianuarius euidenter probet noſtrã ſententiam?

Materia, quæ non eſt, non poſſu[n]t [trahere] formam.

MMMCCLXXVIII. Confirmatur Quia peccata dicuntur dubia, non in ordine ad ſeipſa, quaſi reuera eſſent & non eſſent, ſed in ordine ad intellectum, qui certum iudicium ferre non poteſt circa tale obiectum, nempe circa peccata dubia; Sed implicat dicere, quòd peccata, quæ ſunt, trahant, ſeu exigant formam conditionatam, vel quæ non ſunt, trahant ſeu exigant formam, etſi conditionatam: quia operari ſequitur ad eſſe, & quod eſt operari non poteſt, & conſequenter nec trahere: & quod abſolutè eſt, abſolutè trahit, ſicuti abſolutè operatur. Ergo dici non poteſt, quod peccata dubia ſint materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, quia peccata dubia in ſe reuera vel ſunt, vel non ſunt. Et relatio obiecti, nempe peccati dubij, in ordine ad potentiam, nempe ad intellectum, ex quâ oritur dubietas, eſt relatio rationis, quæ nihil eſt, nec ingreditur ad componendum Sacramentum Pœnitentiæ.

Peccata hæc ſunt, vel nõ ſunt certa quoad ſe: at dubia dicũtur quoad nos.

MMMCCLXXIX. Oſtendo magis hanc veritatem alio medio. Nam ſi quis habet materiam certam in aliis Sacramentis, & vti vult materiâ dubiâ, peccat mortaliter. Qui enim habet aquam roſaceam: & habet aquam vſualem naturalem, & vtitur roſaceâ in baptizando, peccat mortaliter: Et ſi proferat formam ſub conditione; exponit enim ſe periculo probabili fruſtrandi Sacramentum; ſic etiam qui habet hoſtiam triticeam, & ſpeltricam, & vult vti ſpeltricâ, & ſub conditione proferre formam conſecrationis, ob eandem rationem peccat. Ergo ſic à pari, qui habet peccata venialia certa, quæ ſunt materia certa voluntaria Sacramenti Pœnitentiæ, & mortalia dubia, quæ ſunt materia neceſſaria) ſecundùm aduerſarios) Sacramenti Pœnitentiæ, peccat mortaliter, ſi confitetur peccata mortalia dubia, dum habet peccata venialia certa ob eandem rationem.

Nota hanc rationem.

An vti poſſis materiâ dubiâ in aliis Sacramentis.

MMMCCLXXX. Confirmatur primò, quia peccata venialia non ſunt neceſſariò confitenda ſecundùm omnes Catholicos, & Scholaſticos; ſunt enim materia voluntaria Sacramenti Pœnitentiæ ex vi Concilij Tridentini. Ergo ſi peccator haberet peccata mortalia dubia, & peccata certa venialia, teneretur confiteri neceſſariò peccata venialia ſub pœna peccati mortalis, ne vteretur materiâ dubiâ in Sacramento Pœnitentiæ, dum adeſt certa; ſed dicere, quod tenemur confiteri venialia ſub pœnâ peccati mortalis, eſt abſurdum, quia eſt nouum præceptum non impoſitum à Chriſto, nec à Conciliis, vel Patribus, imò ex iis habemus oppoſitum: ergo debemus dicere neceſſariò, quod peccata dubia nullo modo ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ.

An venialia ſint neceſſariò confitenda?

An aliquãdo teneamur illa confiteri per accidens?

Nec reſpondeas cum Bardo. Quod nemo tenetur ad confeſſionem venialium conceditur ſimpliciter, & abſolutè: cæterùm, ex ſuppoſitione aliquâ; ne ſcilicet periculo irritandi Sacramentũ exponamur, negari id debet: Neque eſt nouum obligari aliquem ex ſuppoſitione ad fatenda venialia, vt euenire poterit in multis aliis caſibus; v. g. ſi quis ex purâ deuotione votum emittat confitendi ſemel ſingulis menſibus, iſte vouens, quamuis mortalibus careat, tenetur tamen venialia fateri. Hæc Bardus.

An poſſit aliquis ſe obligare voto ad venialia peccata confitendũ?

MMMCCLXXXII. Quia contrà eſt. Nam peccata venialia, ſi eſſent neceſſariò fatenda cum peccatis mortalibus dubiis, ſequeretur, quòd venialia eſſent, ſeu euaderent materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, contra Concilium, vt dixi. Sed non poſſumus dicere, neque ſimpliciter, neque ex ſuppoſitione, quòd venialia ſint materia neceſſaria, cùm materia Sacramentorum nullo modo poſſit pendere à voluntate pœnitentis, vt patet. Nec exemplum allatum facit ad rem; nam, qui vouit confiteri ſemel in menſe, conſtituit materiam voti totum Sacramentum, nempe confeſſionem & abſolutionem, & ſic non facit, quòd peccata

An materia Sacramentorum pendeat à voluntate pœnitentis?

Digitized by Google

Nota bene hanc ſolutionem, quia eſt plena ingenio.

peccata venialia ſint materia neceſſaria Sacramenti, ſicut faceret præceptum confitendi peccata mortalia dubia; ſed conſtitueret Sacramentum materiam neceſſariam voti; quod Sacramentum ſive fiat ex peccatis venialibus, ſive ex mortalibus, alias confeſſis, ſive ex mortalibus non confeſſis, parum refert voto, cui ſatisfit per poſitionem Sacramenti Pœnitentiæ quomodocunque.

Imò addo, quod etiam ſi Pœnitens voveret confiteri peccata venialia, neque hæc eſſet materia neceſſaria Sacramenti, ſed Voti. Vnde teneretur illa confiteri non ex vi Voti, quia non traherent peccata hæc, etiam quatenus ſtarent ſub voto formam Sacramenti, ſed ipſa,& forma Sacramenti traherentur neceſſariò à voto, ex quo patet, paritatem non facere ad rem noſtram.

MMMCCLXXXII. *An poſſit ſe aliquis voto obſtringere ad confitendum peccata dubia, aut probabilia.*

Addo inſuper, quod etiamſi paritas procederet, poſſet ita retorqueri argumentum. Peccatum veniale ſit materia neceſſaria ex voluntate pœnitentis, qui votum emittit confitendi ſingulis menſibus. Ergo etiam peccatum dubium in caſu noſtro, ſi ſit materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, debet fieri dependenter à voluntate pœnitentis, qui vult confiteri peccata dubia mortalia ad evitandum periculum irritandi Sacramentum. Ergo peccata dubia nullo modo ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ.

Hucuſque Ioſephus de Iannario, & omnia ſolidè & ingenioſè.

Ferrantinus.

MMMCCLXXXIII. *Ferrantinus laudatur.*

SCripſit librum eruditum de Scandalo, in quo multas Quæſtiones difficiles ingenioſè pertractat, & prudenter decîdit: inter quas ſeptuageſima ſeptima inquirit, *Vtrùm peccatum dubium ſit neceſſariò confitendum?* & quia multa ſcitu digna adducit, ut ſuam opinionem ſtatuat, operæpretium indicavi totam hanc Quæſtionem huc reponere, addendo aliquas notas marginales. Ergo Ferrantinus ſic incipit.

MMMCCLXXXIV. *Dubium duplex. poſitivum & negativum.*

DVplex eſt Dubium, quantum ad quæſtionem præſentem ſpectat: poſitivum, & negativum.

Dubium poſitivum tunc eſt, quando quis habet pro utraque parte iudicium probabile, quod aliquid ſit, & etiam quod non ſit; vel (licet non ita propriè) quando illud habet pro unâ parte, & non pro alterâ.

Hic confundit dubium poſitivum cum probabilitate.

Dubium verò negativum eſt, quando pro neutra parte habet probabile iudicium, & ſic remanet ſuſpenſus, nec affirmando quod res ſit, neque negando, &c.

Repugnat dari rationē probabilem pro una tātùm parte. Fortè & hoc etiā eſt impoſſibile, ſi de actibus propriis agatur.

Et tunc propriè dicitur aliquis dubitare, ut benè advertit Ioannes Præpoſitus *quæſtion.5. de integ. confeſſ. num.* 113. quando nimirùm fluctuat, nec poteſt in alterutram partem determinatum iudicium formare.

Quid ſit dubitare?

Id autem, ut benè etiam ibidem advertit, evenit aliquando, quia pro neutrâ parte occurrit ratio iudicandi v. g. quod aſtra ſint paria, vel non ſint: aliquando verò, quod etiam advertit Sà *verb. Dubium num.*1. quia pro utraque occurrunt probabiles rationes:

An aſtra ſint paria.

unde fieri poteſt, ut Intellectus in neutram partem iudicium inclinet, ſed ſuſpenſus remaneat: ſicuti accidit interdum, quando quis, vel ſecum ipſe ſolus, vel unâ cum aliis concludit de aliquâ, re propoſitis hinc inde variis rationibus, ac motivis in contrarium: ita, ut non ſtatim definiat, quid agendum. Rurſus huiuſmodi dubia eſſe poſſunt.

Hic iterum dubiū cum probabilitate confundit.

MMMCCLXXXV. *Dubia poſſunt eſſe: primò circa ſubſtantiam actionis naturalis.*

Primò circa ſubſtantiam (*aut potiùs* exiſtentiam) actionis materialem, præſcindendo à malitiâ peccati: ut ſi quis dubitet, vel poſitivè, vel negativè, an fœminam aliquam aſpexerit.

Secundò circa malitiam præcisè.

Secundò, circa ſubſtantiam actionis, quatenus peccaminoſæ precisè, id eſt, præſcindendo à qualitate peccati, venialis, vel mortalis, ſed ſolùm, an talis aſpectus fœminæ, quem certò ſcit, habitum fuiſſe, fuerit peccaminoſus, vel non, propter inadvertentiam v.g. ac indeliberationem.

Tertiò, circa qualitatem peccati.

Tertiò, circa qualitatem (*vel potiùs*, quantitatem) ipſam peccati, id eſt, ſciendo, aſpectum illum verè fuiſſe peccatum, dubitando tamen, quale peccatum fuerit, veniale, vel mortale.

Quartò, de confeſſione.

Quartò denique circa effectum talis actionis, in quâ certò ſcit ſe peccaſſe mortaliter, id eſt, circa obligationem confitendi, reſultantem ex eâ actione mortaliter culpabili, an videlicet illud mortale confeſſus ſit, nec ne?

MMMCCLXXXVI. PRIMA CONCLVSIO, meis verbis reddita. *Qui probabiliter putat, ſe non feciſſe aliquam actionem, non tenetur illam confiteri.*

Dico primò. *Quando quis poſitivè dubitat circa ſubſtantiam materialem actionis, utrùm v.g. fœminam aſpexerit, vel non? obligatur ad confitendum.*

Hæc concluſio ſolùm ponitur, ut diſtinctè per ſingula procedamus; alioqui nec indiget probatione, quia huiuſmodi actio ſic materialiter accepta non eſt materia confeſſionis, quamvis etiam conſtaret de ipsâ.

SECVNDA CONCLVSIO, *Qui certo ſcit ſe aliquam actionem eliciuſſe & tamen putat probabiliter eā non fuiſſe peccatū, non tenetur illā confiteri.*

Dico ſecundò. *Quando poſitivè dubitat circa ſubſtantiam actionis, quatenus peccaminoſæ precisè: utrùm v. g. aſpectus ille, quem certò ſcit habitum eſſe, fuerit, propter inadvertentiam v. g. ac indeliberationem, præſcindendo ab eo, quod vel fuerit veniale, vel mortale; non obligatur ad confitendum.*

Quæ concluſio meliùs conſtabit ex dicendis.

TERTIA CONCLVSIO. *Qui certò ſcit ſe peccaviſſe, & tamē probabiliter iudicat ſe peccaſſe venialiter, non tenetur confiteri.*

Dico tertiò. *Quando pœnitens certus eſt quod peccarit, dubitat tamen poſitivè de qualitate, rationibus utrimque in contrarium ſuadentibus & quod non fuerit mortale, non obligatur confiteri. Et multo minùs obligatur ſi habet probabiles rationes, ad credendum, quod non fuerit mortale, nullam verò habet ad credendum, quod fuerit.*

Non poſſunt dari rationes probabiles pro unâ tantum parte quidquid dicat Ferrantinus.

Probatur primò ex communi Doctorum: & teſtatur Lugus *diſp.* 17. *de pœnit. ſect.* 2. ubi loquens de dubio poſitivo, quando ſunt rationes, vel motiva probabilia ad credendum, tale peccatum eſſe commiſſum, & ad credendum etiam oppoſitum: vel certè ſunt ſaltem rationes probabiles ad credendum unam parten: non obligati ad confitendum peccatum, quod probabiliter indicat, ſe vel non feciſſe, vel non peccaſſe mortaliter in illo, vel confeſſum iam eſſe tale peccatum.

MMMCCLXXXVII. Probatur ſecundò: Quia in his caſibus poteſt pœnitens formare iudicium practicum, non temerè, ſed prudenter, quod licitè poſſit tale peccatum non confiteri: quia nimirum habet prævium iudicium probabile, quod non peccârit mortaliter; & ita ſequitur ſufficientem regulam prudentiæ in iudicando practicè, ſibi licitum eſſe non confiteri.

Iudicium practicũ non eſt temerarium, ſed prudens.

Quia hic iterum ait Ferrantinus poſſe dari rationes probabiles pro unâ tantùm parte, pronuncio, Rationem probabilem eſſe quæ probabilem habet reſpõſionem: & quomodo, quaſo reſponſio erit probabilis, niſi naſcatur ex fundamento & ratione probabili?

Quæ eadem ratio videtur ſimiliter probare, quod poſſit pœnitens non confiteri peccatum, quando ſunt oppoſitæ rationes probabiles utrinque quod ſcilicet peccatum fuerit, & non fuerit mortale: & ſimiliter quando ſunt rationes huiuſmodi probabiles, quod non fuerit mortale, nulla verò probabilis ratio quod fuerit, videtur, inquam, ſimili modo probare, quamvis nullum ſit actuale, ac probabile iudicium, ſed illæ tantum probabiles rationes in actu primo.

Quia adhuc poteſt ſine temeritate formare pœnitens aſſenſum, quod non obligetur; ſicut poſteà dicetur, quando dubium eſt negativum.

Tertiò probatur concluſio. Quia ſicuti in aliis materiis ad obſervationem præcepti ſatis eſt, ſi ſequamur ſimile iudicium probabile, ita etiam in materiâ præſenti de peccato dubio.

MMMCCLXXXVIII. Dico quartò. *Quando dubitat pœnitens poſitivè circa effectum actionis, quam certò ſcit fuiſſe peccaminoſam mortaliter, id eſt, circa obligationem confitendi, reſultantem ex ea actione moraliter culpabili: an videlicet illud peccatum mortale ſit confeſſum, nec ne, non obligatur. confiteri.*

Concluſio quarta. Qui probabiliter putat ſe non debere confiteri, non tenetur confiteri.

Quia ſequi poteſt iudicium probabile, quod non teneatur iterum confiteri, & ita iuxta illud operari non confitendo.

Probatur ex dictis. Quia ſic nec iudicat, nec operatur temerè, ſed iuxta regulam rectam prudentiæ: Ergo.

MMMCCLXXXIX. Coninch aliqualiter noſtræ concluſioni contradicit *diſp.7.de integrit. Confeſſ. dub.S. num.68.* Vbi loquens de eo, qui ſcit, ſe peccaſſe, dubitat tamen, an tale peccatum ſit confeſſus probabilius eſſe credit, quod teneatur confiteri, ſicut is, qui ſcit, ſe debuiſſe centum, & ita dubitat, an ſolverit, non eſt liber, inquit, à ſolutione, ſaltem partiali: quia per ſolutionem incertam non poteſt ſatisfacere certo debito.

An debito certo ſatisfaciat ſolutio probabilis.

Addit nihilominùs exceptionem pro ſcrupuloſis, &c.

An eodem modo cum ſcrupuloſis ac cum cæteris agendum ſit?

Plus addit Sà *verb. Dubium, num.4. & 5.* Vbi poſtquam dixiſſet ſcrupulum deponendum eſſe conſilio docti viri, aut ratione probabili, aut cum dubitatur, an ſit ſcrupulus, ſubdit: *Scrupuloſus ne confiteatur, niſi quæ poteſt iurare fuiſſe peccata mortalia, & ſe nunquam illa fuiſſe confeſſum.*

Conſiderentur iſta verba.

Lugus *de pœnit. diſp.16. ſect.2. ubi ſupra,* reiicit id quod dicit Coninch; tum quia in aliis præceptis, ſatisfit per ſolutionem probabilem, quantumvis in illis obligatio ſit certa, verb. g. ieiunandi, audiendi ſacrum, &c. Tum quia Theologi excuſant à retirendâ confeſſione eum, qui confeſſus eſt confeſſario habenti ſolum iuriſdictionem, iuxta probabilem aliquam ſententiam de eius valore: tum denique, Quia opinio probabilis eſt, quod detur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, & per conſequens ea peccata non ſunt iterum explicanda in confeſſione, quamvis verè ſit tantùm probabilis valor præcedentis confeſſionis.

An qui cõfeſſus fuit Sacerdoti habenti probabilem iuriſdictionem teneatur iterum confiteri?

HActenus de Dubio poſitivo: nunc de negativo: de quo negativo non levis difficultas. MMMCCXC.

Meliùs diceret, Hactenus de probabilitate.

Primò, quando eſt de peccato, an fuerit commiſſum.

Secundò, quando ſcitur eſſe commiſſum, dubitatur autem negativè, an fuerit mortale.

Proponuntur dubia quæ occurrere poſſunt.

Tertiò; quando ſcitur fuiſſe commiſſum, & fuiſſe mortale, dubitatur tamen ſimiliter negativè, an dictum fuerit in confeſſione.

Dico quintò. *In primo caſu quando dubium negativum eſt circa ſubſtantiam actionis, quatenus peccaminoſa præcisè, v. g. Si pœnitens dubitet negativè, an in aſpectu fœminæ peccarit, præſcindendo à peccato veniali, & mortali, non tenetur confiteri.* Ita Coninch. *ubi ſupra num. 69.* & alij: rationes adducam infra. Coninch ita *loco cit. concl.2.* Qui tertio modo dubitat, id eſt: quando pro neutra parte occurrunt ſufficientes rationes, ut poſſit de ea probabile iudicium ferre, an aliquid fecerit, quod credit eſſe peccatum, non tenetur confiteri. CONCLVSIO 5.

At Ego puto hunc caſum impoſſibilẽ eſſe: quia cũ ſit in poſſeſſione innocentiæ, ipſa carentia rationis pro condemnatione, eſt ratio fortiſſima pro manutentione.

MMMCCXCI. Quia ad hoc requiritur, ut ſaltem probabiliter poſſim iudicare, me peccaſſe, quod talis nequit facere.

Dico ſextò, *Probabile eſſe, quod neque in ſecundo caſu peccet, qui non confitetur peccatum, quod ſcit, ſe feciſſe, dubitat tamen negativè, an fuerit veniale, vel mortale.* CONCLVSIO 6.

Quamvis enim melius facturus ſit, ſi confiteatur, nihilominus probabile eſt, tum ſpeculativè tum practicè, quod non peccabit, ſi non confiteatur.

Poſſem dicere hunc caſum eſſe impoſſibilem, & argumentũ à poſſeſſione reſumere.

Hanc concluſionem negat ibidem Coninch. *concl.2.* loquens de eo, qui ſcit ſe aliquid feciſſe, dubitans tamen negative, an ſit mortale.

Hic enim, inquit, tenetur confiteri: Quia ſcit, ſe aliquid commiſiſſe, quod eſt accuſabile in illo foro, & nequit illud ferre iudicium, quale ſit: Quare nullo modo poteſt probabiliter iudicare, non eſſe peccatum mortale, aut non eſſe materiam neceſſariam confeſſionis.

Aio poſſe formare iudicium probabile, iuxta ea quæ ſuperius diximus.

Lugus ubi ſupra §. *Aliqui dicunt:* refutat, & optimè, quod aſſeritur à Coninch; dicens aliquos aſſerere, quando eſt dubium negativum de peccato; an ſit commiſſum, non eſſe obligationem confitendi; ſecus quando conſtat, eſſe commiſſum dubitatur verò an fuerit mortale, aut veniale; & citans eundem Coninch. Et *num. 69.* Subdit hoc non videri dictum conſequenter: quia, ſi excuſatur in primo caſu, quatenus in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem in ordine ad non confitendum tale peccatum dubium; & quia non debet condemnari, aut cogi pati ſententiam propter delictum, quod non probatur; excuſari etiam debet in ſecundo caſu propter eaſdem rationes. Quamvis autem conſtet fuiſſe peccatum, non tamen,

Lugus refutat Coninch.

Inconſequẽter loquitur Æg. Coninch.

Digitized by Google

tamen, inquit, omne peccatum eſt materia neceſſaria confeſſionis.

MMM.CCXCII. *An omnes Theologi defendant cõtrariã ſent.* *S. Thom. Suarez. Sanchez.*

Deinde, ait omnes alios Theologos, duobus exceptis, docere peccata dubia eſſe neceſſariò confitenda, ſiue dubium ſit de ſubſtantiâ actionis, an fuerit facta, ſive, an fuerit mortalis, ſive an fuerit illud peccatum in confeſſione dictum. Et citat S Thom. cum aliis, quos referunt, & ſequuntur Suarez *diſp.* 22. *ſect.*9. & Thomas Sanchez *lib.*1. *Sum. cap.*10.*num.*66. dicentes eſſe rem omnino certam.

Pro prædicta tamen ſexta Concluſione citari poſſunt alij Authores, & quidem graves

An Coninch bene explicetur à Layman.

In primis Paulus Layman *lib.*2. *tract.*15. §.4.*num.* 37. non ſolum ipſe in eam inclinat (quamvis non ſine aliquali timore) ſed etiam pro eadem interpretatur Coninchum.

De qua tamen interpretatione, ut verum fatear, valde dubito.

Referamus verbatim utriuſque ſententiam, ut verè intelligamus; an huiuſmodi interpretatio ſubſiſtat.

MMM-CCXC-III.

Ibi igitur Layman in caſu, quo quis poſt diligentem animi diſcuſſionem dubius maneat, utrum mortaliter peccaverit, ita ut in neutram partem aſſentiendo inclinare poſſit, quærit, *An teneatur peccatum ſub dubio confiteri?* Poſteà reſpondet communiter Doctores affirmare.

Deinde ſubdit hæc verba: *Contrarium reperi apud Ægidium Coninch. tom.*2. *de Sacram. diſp.*7. *dub* 8.*concl.*2. Sed ego tale contrarium non invenio apud Coninch. *loco cit.* quod ſic oſtendo.

Quid Layman doceat, & quid ſit ſua doctrina contrariũ?

Dixerat Layman, communiter Doctores affirmare, quod dubius, utrùm mortaliter peccaverit, ita, ut neutram partem aſſentiendo inclinare poſſit, teneatur ſub dubio confiteri. Si ergo Coninch contrarium aſſereret, dicere deberet, quod dubius negativè de qualitate peccati venialis, vel mortalis, non teneatur confiteri ſub dubio.

Sed hoc non dicit: ſed ſolùm concedit, quod non teneatur confiteri, quando dubitat negativè de ſubſtantiâ actionis quatenus peccaminoſæ præcisè: nimirùm, utrùm peccarit, nec ne, preſcindendo à qualitate peccati venialis, & mortalis. Conſtat ex præcitatis ipſius verbis *eo num.* 69. *concl.*2. ubi ſic: *Qui tertio modo dubitat, videlicet negativè, an aliquid fecerit, quod credit eſſe peccatum, non tenetur confiteri; quia ad hoc requiritur, ut ſaltem probabiliter poſſim iudicare, me peccaſſe: quod talis nequit facere, &c. Secus eſt de eo, qui ſcit ſe peccaſſe, negativè tamen dubitat an ſit mortale: hic enim tenetur confiteri, quia ſcit ſe aliquid commiſiſſe, quod eſt accuſabile in illo foro, & nequit ullum ferre iudicium, quale ſit. Quare nullo modo poteſt probabiliter iudicare non eſſe mortale, aut non eſſe materiam neceſſariam confeſſionis.*

Aliud eſt dubitare, an actio ſit peccatum, aut non: & aliud, ſcire eã eſſe peccatum, & dubitare, an ſit veniale, vel mortale?

MMM-CCXC-IV.

Ecce qualiter in his duobus caſibus diverſimode ſentiat Coninch. In primo enim ait, dubitantem negativè circa ſubſtantiam actionis, quatenus peccaminoſæ præcisè, non teneri confiteri: in ſecundo verò dicit, ſcientem ſubſtantiam actionis, quatenus peccaminoſæ præcisè, dubitantem verò de qualitate peccati, teneri ad confeſſionem.

Non ergo videtur Coninch poſſe pro ſextâ hac concluſione adduci, in quam tamen, ut dixi, inclinat Layman, licet in fine dicat, nihil ſe velle in hac re determinare, ſed aliorum iudicio committere. Quamvis etiam *loco citato* conetur eam aliquo modo probare.

An Tridentinũ faveat huic Concluſioni

Primò ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ubi in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum exigit, ut confiteamur omnia, & ſingula peccata mortalia; quorum memoria cum debitâ deligenti præmeditatione habeatur, &c.

Ergo ea ſolum mortalia, quæ ſunt in memoriâ, & conſcientiâ pœnitentis poſt debitum examen; qualia non ſunt, quæ ſunt dubia negativè, cum non poſſint dici eſſe in memoriâ, & conſcientiâ pœnitentis. MMM-CCXCV.

Innocens eſt præſumẽdus, quem eſſe reum nulla ratio perſuadet.

Secundò, quia in dubio delictum non eſt præſumendum, & in nullo foro accuſandus aliquis de delicto, quod non poteſt ita oſtendi, ab eo eſſe commiſſum, ut indicia, & conjecturæ patiant aſſenſum.

An in mortis articulo aliter ſit agendum, quam in vitæ decurſu. Quãdo quis confitetur ea peccata, quæ tenetur confiteri, ea quæ non tenetur confiteri (puta, dubia, vel probabilia) remittuntur per accidẽs.

Deinde ℣. *Not. ſecundò* ſubdit pœnitentem de ſua contritione incertum, ſi vitâ exceſſurus ſit, teneri lege naturali ad confeſſionem peccati dubij negativè circa qualitatem; an ſcilicet fuerit mortale, vel veniale.

Nihilominus inquit, ſi appropinquante periculo mortis, ſeu in decurſu vitæ alia peccata ſua, quorum conſcientiam habet, confiteatur, tacito illo, de quo poſt diligentem inquiſitionem dubitat, an commiſerit, vel an fuerit mortale? tunc probabile apparet, non incumbere eius confitendi obligationem, &c. Quandoquidem confitendo bonâ fide, per accidens remittuntur etiam, quæ ignorantur.

Citatur à Lugo pro hac ſexta concl. Io. Præpoſitus qui tamen potiùs contradicit.

Io. Præpoſitus *in præſenti quæſt.* 5. *de integritate confeſſionis dub.*3. *num.*117. citatur pro hac ſextâ Concluſione à Lugo: ſed ut mihi videtur, cum bonâ veniâ tanti Authoris, potiùs contradicit: niſi quod per quandam conſequentiam colligi poteſt, eum ita debere ſentire, quando dubium huiuſmodi negativum eſt circa qualitatem, ſicuti ſentit, quando eſt circa ſubſtantiam actionis, quatenus peccaminoſæ. Examinemus rem diligentiùs.

MMM-CCXC-VI. *Authores, qui tuentur antecedens, non debent pro conſequenti citari: ſæpe enim negabunt conſequentiam.*

Lugo *ubi ſupra* poſt impugnatam Coninchij ſententiam dicentis, quando eſt dubium de peccato, an ſit commiſſum, dubitatur vero an fuerit mortale, aut veniale; ſubdit hoc non videri conſequenter dictum; ideóque alios videri univerſaliter ſentire non eſſe obligationem confitendi illud peccatum, quod poſt debitum examen, dubium manet an fuerit, vel non fuerit commiſſum; vel etiam ſi conſtet, fuiſſe commiſſum, dubitatur, an fuerit mortale, aut veniale?

Et citat Laymanum, & Io. Præpoſitum, quòd id ſit ſpeculativè probabile, licèt in praxi non ſit à contraria recedendum.

MMM-CCXC-VII.

De opinione Laymani, iam dictum eſt ſupra: Quid opinetur Præpoſitus, ex eiuſdem verbis colligendum eſt.

Præpoſiti opinio.

Sic igitur ait n.113. *Homo poteſt eſſe dubius de tribus conditionibus peccati. Primò, num*

Digitized by Google

peccatum commiſerit, v. g. habuerit delectationem moroſam? quo caſu dubium verſatur circa facti ſubſtantiam. Secundò, certus de facto, poteſt dubitare de qualitate peccati, v. g. certus eſt, quod commiſerit peccatum detractionis, poteſt dubitare, an in eo mortaliter peccavit, vel ſolum venialiter? Tertiò, certus de facto, eiuſque conditione poteſt dubitare, num illud in confeſſione clauibus ſubiecerit? Hæc ibi.

Quot modis homo conſcientiã dubiam habere poſſit de peccato cõmiſſo.

Poſtea num. 116. ait. *Obligatur confiteri is, qui poſt diligens examen dubius eſt de qualitate ſui peccati, num ſit veniale an mortale?*

De eo, qui dubitat de grauitate peccati.

Et immediate poſt ait num. 117. *De primo genere dubij videtur poſſe eſſe aliqua difficultas, quando ſcilicet præmiſſo examine remanet dubius, num aliquod peccatum commiſerit?*

MMMCCXCVIII. Deinde pro utrâque parte proponit rationes probantes: Primò, quod ſit obligatio confitendi: ſecundo, quod non ſit talis obligatio.

Hanc poſteriorem partem dicit *num.* 119. ſemper ſibi viſam eſſe ſpeculativè probabilem; ſimiliter, & Leſſio, & quibuſdam aliis à ſe conſultis. His dictis conatur etiam ſoluere argumenta pro ſententiâ priori.

Denique *num.* 120 explicat ſe, dum dicit, poſteriorem partem videri ſpeculativè probabilem, quia non indicat, in praxi recedendum à priori opinione.

Apertè igitur conſtat, Præpoſitum eo *num.* 116. aſſerere, quòd teneatur confiteri is, qui dubius eſt de qualitate ſui peccati, an ſit veniale, vel mortale? non verò aſſerere, quod ſit ſpeculativè probabile, quod non teneatur.

MMMCCXCIX. Quando vero *num.* 119. dicit, eſſe ſpeculativè probabile, quod non teneatur confiteri, qui dubitat; loquitur de dubitante circa ſubſtantiam actionis peccaminoſæ præcisè, non verò de dubitante circa qualitatem ſui peccati.

Hucuſque Ferrantinus; & in hoc eius commendanda eſt ſinceritas, quòd tanto ſtudio examinaverit Authores, quos bonâ fide pro ſuâ poterat allegare ſententiâ: malens eorum patrocinio carere, quàm quòd Lector notitiâ veritatis careat. Cæterùm huic Quæſtioni ſic promota has periodos addit.

MMMCCC. OPportunius viſum eſt hîc addere, quàm in fine totius Operis, ſequentes aſſertiones plurium aliorum, quorum authoritate, & doctrinâ meliùs firmari poſſint, quæ dixi in hac quæſtione de peccato dubio non confitendo neceſſariò.

Additio vlima Ferrantini ad præſentem quæſtionem.

Poſt abſolutum igitur totum hoc opus Theoreticarum, ac practicarum Diſputationum, ad eas manus pervenit præter alios, quos citat in ſuo poſtremo tomo Eruditiſſimus P. Dianâ, Ioannes Caramuel in Theologiâ morali Lovanij impreſſa anno 1645. qui valde favet iis, quæ à me dicta ſunt.

Diana. Caramuel.

Et primo quidem *lib. 3. diſp. 4. ſect. 1. n.* 1481. ſic ait.

Teneo ſecundò, *eum, qui dubitat de peccati commiſſione, quantitate, aut abſolutione, non teneri confiteri.* Ego vero in præſentiâ non diſputo de eo, qui dubitat de abſolutione.

Hæc Theſis intelligenda eſt iuxta ea, quæ ſuperius art. 1. ſunt dicta.

Deinde ad probandam aſſertionem ſuam proponit *art. 2. num.* 1493. Theſes Lovanienſes; & ait. Primo loco recenſendæ veniunt Theſes publicæ in noſtrâ Vniverſitate defenſæ; quibus maiorem authoritatem adtribuimus, quàm placitis privatorum Doctorum. Cum enim ſine contradictione defendi permittuntur, dicendæ ſunt iudicari probabiles à Superioribus, & reliquis Doctoribus, qui poſſunt, & debent curare, ne improbabiles ſententiæ in publico Gymnaſio defendantur. Dico igitur benigniorem ſententiam ſæpe Lovanij in doctiſſimo PP. Ieſuitarum Gymnaſio me præſente defenſam. Ita Caramuel.

Theſes Lovanienſes. Quanti facienda ſint Theſes publica in aliqua Vniver. Illuſtri Facultatis Theologicæ conſenſu aut approbatione defenſa.

MMMCCCI. Qui poſtea *num.* 1502. refert Laymanum limitantem hanc ſententiam., ac dicentem, neminem teneri in decurſu vitæ peccata dubia confiteri; teneri tamen in articulo mortis.

Layman de artic. mortis & decurſu vitæ.

Ad quam Laymani limitationem ſic ſubdit *num.* 1403. Bene inter mortis articulum & decurſum vitæ diſtingui. Qui enim in vitæ decurſu dubitat, an mortale commiſerit ſi aliis certis, iiſque mortalibus peccatis careat non tenetur confiteri, ſed poſſet ad venerabile Sacramentum accedere, confeſſione Sacramentali omiſsâ At in articulo mortis reſultat nova quædam obligatio ſuborta ex inſtanti periculo; quia moribundus, tametſi non teneatur confiteri peccata dubia, non debet egredi ex hac vitâ ſub dubio: tenetur igitur reddere certam ſuam ſalutem, illud dubium peccatum delendo, nimirùm vel directè, vel conditionatè, confitendo illud ſub conditione. & conditionalem abſolutionem recipiens; vel indirectè per pœnitentiam Sacramentalem, alia peccata, tacito dubio peccato, vel confitendo, vel aliud Sacramentum recipiens, ut per accidens conferat primam gratiam; vel ſaltem, ſi aliunde non obſtaret, eliciendo actum contritionis. Conſulò (ſi aliunde non obſtaret:) poſſet enim adhuc dubitari, an ille deberet confiteri, ut obediret Eccleſiæ confeſſionem in articulo mortis præcipienti: Et credo hoc præcepto non obſtringi peccato certo, illoque mortali carentes.

Quæ diſtinctio placet Caramueli.

MMMCCCII. Quod vero ſpectat ad Euchariſtiæ ſumptionem, non præmiſſa confeſſione Sacramentali de peccato dubio, non diſputo nunc, cum ſit Sacramentum vivorum per gratiam.

Quid Granadus de ſumptione eiuſdem, non præmiſſa cõfeſſione de peccato dubio.

Solum hic addo ad pleniorem notitiam. Iacobum Granadum *in 3. part. contr. 6. tract. 10. diſp. 7. num.* 13. relatum à Diana in compendio *pag.* 181. *num.* 52. etiam ipſum excuſare à mortali eum, qui cum dubio peccati mortalis accedit ad Communionem.

Cæterùm pro noſtrâ opninione videri poſſunt diſtinctè Authores apud Dianam *part.* 10. *reſolut. mor. tract.* 12. *reſol.* 2. Vbi de peccatis dubiis, an ſint materia neceſſaria confeſſionis.

Authores apud Dianam.

Præſertim Martinus de S. Ioſeph *Confeſſionis tom. 1. lib. 1. de pœnit. tract. 6. num.* 1. Qui ut fideliùs referatur, iiſdem verbis, quamvis non Latinis, referendus eſt. Sic ergo ait. *Obliga eſte precepto al que duda, ſi pecò mortalmente aunque otros Doctores probablemente affirman, que el, que eſta dudoſo ſi cometiò el pecado mortal, ò ſi le confeſsò, que no ſe inclina mas à una parte, que à otra,*

MMMCCCIII. *In dubio ſtãdum eſt pro poſſeſſione quæ præceſſerat dubiũ.*

puede

puede practicamente deponer la duda, con la qual queda deſobligado de confeſſar el peccado, de que duda, ſi lo cometiò, ò lo confeſsò, por ſer principio llano de derecho, que in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, *y como non obligan à confeſſarſe el peccado, que ſe ignora, que es mortal, tambien parece, que nò obliga al que duda ſi le cometiò.*

Hanc opinionem non practicè probabilem docet Ildelf. tom. 3. in 12. diſ. 109. dub. 14. concl. 1. n. 1372. ſed quid inde? Rationes quærimus, non nuda verba.

Denique confirmatur hæc opinio ex his, quæ decreuerunt doctiores quidam Patres in hoc Collegio Romano contra propriam opinionem, quam antea ſuſtinebant.

Cum enim ex Prouinciâ Auſtriæ propoſitiones aliquæ miſſæ eſſent Romam ad noſtrum admodum R. P. Generalem, ipſius iuſſu examinandæ à Patribus Reuiſoribus, quorum munus eſt libros diligenter expendere, antequam imprimantur: tale iudicium, quod mox ſubiiciam, tulerunt vnanimes circa nonam poſitionem factam.

MMMCCCIV. *Theologorũ Roman. S. I. cenſura.*

Nona poſitio hæc erat: *Peccata dubia ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè tantum dubia ſint, confiteri non tenemur.* Reſponderunt ita.

Miſeris hic quæſo hominum diuerſa eſſe ingenia. Eſt enim me iudice euidens minus teneri eum, qui negatiue dubitat, quam qui poſitiuè: nã ſi non tenetur confiteri, qui habet rationes graues, ob quas iudicat ſe peccauiſſe, cur tenebitur qui tantum habet leues? cur ille, qui ne quidem leues habet, quia nullas habet? Hic diſcurſus mihi videtur fortiſſimus, & euidentiſſimus.

D*E peccatis dubiis poſitiuè non eſt dubium permitti poſſe, cùm ſit opinio communis Doctorum. De peccatis dubiis negatiuè, circa quod eſt maior difficultas, iudicauimus olim non debere permitti ſecundum noſtras regulas, cum vix reperiatur vnus Scriptor, qui illam apertè tueretur: nunc verò, cùm iam illam apertè, & ex profeſſo in ſuis ſcriptis tueantur, præter P. Ægidium Coninch. de Sacram. pœnitent. diſp. 7. dub. 8. Petrus Marcantius in Tab. Sacram. tract. 4. tit. 6. Caramuel. in Theol. moral. lib. 13. diſp. 4. num. 1478. Ioſeph. de Ianuario reſol. moralium to. 1. reſol. 2. per totam. P. Io. Martinon. tract. 5. diſt. 50. ſect. 8. num. 91. & alij multi Scriptores illam iudicent probabilem, cenſemus poſſe iam in Scholis Societatis permitti.*

PRobatur ergo ex dictis noſtra concluſio, quod ſit probabile non eſſe neceſſario confitendum peccatum dubium de ipſius qualitate, id eſt, *Num fuerit mortale, an veniale?*

Et noto primò. Eam dici opinionem probabilem, quæ non leuibus nititur rationibus, vel extrinſecis, vel intrinſecis; hoc eſt, vel authoritate extrinſecâ Doctorum, vel intrinſecâ ex naturâ rei. Et ita Sanchez *in Summ. lib. 1. cap. 9. num. 5.* ait, opinionem probabilem eſſe, quæ rationi alicuius momenti innititur, ita tamen vt pro oppoſitâ parte nihil conuincens ſit.

MMMCCCV. *Quæ ſit opin. probabilis. Sanchez. Filliucius.*

Simili modo loquitur Filliucius *tom. 2. tract. 21. cap. 3. num. 133.* Vbi etiam addit *num. 134.* vnius Doctoris probi, & docti authoritatem reddere opinionem probabilem. Quia talis authoritas non eſt leue fundamentum opinandi.

An vnus Author ſufficiat ad probabilitatem? Eman. Sà Nemo tenetur tenere opinionem tutiorem, ſed ſufficit habere tutã. Vaſquez.

Et Emanuel Sà expreſſe docet *verb. dubium. num. 3.* poſſe aliquem facere, quod probabili ratione, vel authoritate putat licere, etſi oppoſitum tutius ſit; ſufficere autem opinionem alicuius grauis Doctoris, vel bonorum exemplum.

Sanchez *num. 9.* approbat opinionem Vaſquij 1. 2. *quæſt. 19. a. 6. diſp. 62. cap. 4. initio*, & Azorij *tom. 1. lib. 2. cap. 16. quæſt. 6.* dicentium, licere viro docto, qui non parum litteris vacarit, & rectè vtriuſque partis fundamenta expenderit, ſuam ſingularem opinionem probabiliorem iudicare, & illam ſequi.

Azor. An, & cui liceat habere ſententias ſingulares?

MMMCCCVI. *Sancius in ſelect. de opin. ſpeculatiuè probabili, &c. An etiam in praxi probabilis ſit?*

Noto ſecundò ex Ioanne Sancio *in Selectis diſp. 52. num. 11.* inintelligibile videri, aliquam opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, & in praxi tutò amplecti non poſſe.

Et ratio eſt. Quia inquit, probabilitas practica à ſpeculatiuâ differt, tanquam effectus à ſuâ causâ. Id enim quod quis opere exequitur iuſte, vel iniuſte, ab eo naſcitur, quod ſpeculatiue iudicauit, poſſe agi licite. Et tandem concludit, quod qui arbitratur ſpeculatiue, aliquid licite operari ſe poſſe propter rationes probabiles, id tutò executioni mandare poteſt.

Nota hic ſæpe in praxi addi neceſſariò circunſtantias, quæ non erant in ſpeculatione, & iſtæ debent ſpecialiter examinari.

Nec diſſentit Thom. Sanchez, qui *lib. 2. de matrim.* docuerat ex ſcientiâ, vel dubio ſpeculatiuis oriri ſimilem ſcientiam, & dubium practice; nec iudicia hæc poſſe licite diſcordare, niſi aliqua ratio ſpecialis ſufficienti adhibitâ diligentiâ ad veritatem aſſequendam, iudicium practicum à ſpeculatiuo variare cogat iudicando hìc & nunc licitum quod in commmuni iudicatur illicitum aut de eo dubitatur. MMMCCCVII.

His notatis probatur cõcluſio.

His ita notatis, probatur Concluſio, tum ratione extrinſecâ authoritatis omnium, ſcilicet illorum, quos hactenus citauimus, tum etiam rationibus aliis intrinſecis, quæ ad probabilitatem eiuſdem Concluſionis poſſunt adduci non ſine ſufficienti fundamento veritatis.

Rationes pro hac ſententiâ.

Prima ratio eſt ex Tridentino *vbi ſuprà*, quam affert Layman, quòd nimirum ea tantum peccata mortalia teneamur confiteri, quæ ſunt in memoriâ, & conſcientiâ pœnitentis. Ergo.

MMMCCCVIII.

Secunda ratio, quòd in dubio delicti nemo cogendus eſt ſententiam ſubire, & pœnam.

Tertia, quod melior ſit conditio poſſidentis ſuam libertatem in tali dubio negatiuo.

Sed pœnitens eſt in poſſeſſione libertatis, quâ liber eſt ab obligatione confeſſionis peccati, de quo non conſtat, ſed dubitatur modo dicto.

Ergo per tale dubium ſuperueniens non eſt obligandus. MMMCCCIX.

Quarta: quòd ſicut non tenetur pœnitens confiteri, quando dubium negatiuum eſt circa ſubſtantiam actionis peccaminoſæ præciſe, vt concedit etiam Coninch, Præpoſitus, Leſſius, & alij à Præpoſito conſulti; ita neque tenetur quando dubium negatiuum eſt circa peccati commiſſi qualitatem. Quæ illatio ex Lugo valida eſt

Hanc conſequentiã aliqui concedunt, negant alij.

Quinta, à paritate eorum, qui ſic dubitant negatiue de voto emiſſo, vel de debito contracto; in quibus caſibus ad nullam ſolutionem tenentur.

Dubitans de excommunicatione incursâ.

Item dubius, an fecerit contra legem habentem adnexam excommunicationem ideoque dubitans de excommunicatione in-

curſa, non tenetur ſe habere pro excommunicato.

MMMCCCX. *Objectiones contra eamdem ſententiam.*

SEd contra ea, quæ dicta ſunt. *Obiicies primò.* Certa pro certis confitenda, & dubia pro dubiis. Ergo peccata eo modo dubia negatiuè, ſiue circa ſubſtantiam actionis peccaminoſæ, ſiue ſolùm circa qualitatem confitenda ſunt vt dubia.

Reſponderi poteſt: ſi quis confiteatur peccata huiuſmodi dubia in caſu, quo non teneatur illa confiteri, velit tamen ad maiorem cautelam, debet ea dicere, vt dubia, reliqua verò certa, vt certa.

Peccata dubia ſola non ſunt materia, vt certò fiat Sacramentum.

Imò inquit Præpoſitus *vbi ſuprà num.* 120. §. *Adde*, quando dicuntur peccata dubia, adiungenda eſt alia materia certa, vt dari poſſit abſolutè abſolutio à peccatis. In quo caſu pœnitens debet elicere actum attritionis de eo, quod confitetur abſolutè. Quia fortaſsè peccatum illud dubium non eſt commiſſum, & ita ſi certum aliud peccatum cum attritione non adiungeretur, abſolutio caderet ſupra nullum peccatum doloroſum.

An teneamur eligere tutiorē partem?

Obiicies ſecundò: In dubiis tutior pars eſt eligenda. Ergo debet pœnitens talia peccata dubia confiteri, cum hoc tutius ſit.

Reſp. ſi Antecedens ſumatur propriè vt ſonat, hoc eſt, tutiorem partem eſſe eligendam, relictâ alterâ, quæ prudenter minus tuta, ſit tamen tuta; concedo, quod ſit eligenda tutior, ex conſilio tamen, non ex præcepto.

MMMCCCXI. *Sed hic nota partem, in qua eſt periculum peccandi, non eſſe tutam. Ergo hæc diſtinctio nō eſt ad rem.*

Si vero antecedens intelligatur de duabus partibus, parum altera tuta ſit, & non ſit in ea periculum peccandi; altera verò non careat tali periculo, ac proinde tuta non ſit, nec poſſit pro eâ formari iudicium probabile practicum, quod non ſit peccatum eam ſequi; concedo, quod teneatur ex præcepto partem illam tutiorem eligere, relictâ non tutâ, in qua ſubeſt peccati periculum.

Et ſic poſſet negari in vtroque caſu conſequentia.

Quomodo remittantur mortalia.

Obiicies tertiò. De lege ordinariâ quodcumque mortale in homine baptizato remitti debet extra Sacramentum per contritionem formalem, vel ſaltem virtualem incluſam in amore Dei ſuper omnia, & per conſequens remitti debet in ordine ad claues; ſeu cum voto ſacramenti pœnitentiæ. Ergo pœnitens obligatur ad confeſſionem cuiuſcumque peccati mortalis, etiam dubij.

MMMCCCXII.

Reſpondeo negando conſequentiam. Et ad antecedens, dico, quodcumque peccatum mortale extra ſacramentum remitti debere per contritionem, & per ordinem ad claues, id eſt, cum voto abſoluto confitendi peccatum: vel conditionato; nimirùm cum voluntate abſoluta confitendi peccatum certum: cum conditionatâ vero peccatum dubium: hoc eſt, ſi conſtaret tunc certò fuiſſe commiſſum.

Quam voluntatē habere debet homo circa confeſſionem peccatorum?

An præceptum ſit in poſſeſſione.

Obiicies quarto. Præceptum confitendi peccatum eſt in poſſeſſione: Peccatum verò ipſum ſupponitur dubium. Ergo præceptum confitendi illud prævalet, & ſeruandum eſt.

Reſp. præceptum confitendi peccatum commiſſum eſt in poſſeſſione, non verò præceptum confitendi peccatum dubium.

MMMCCCXIII *Petitio principij.*

Quando ergo in obiectione dicitur, præceptum confitendi peccatum eſt in poſſeſſione, & prævalet, ſi intelligatur ita, vt verè detur præceptum confitendi dubium, petitur principium, & hoc ipſum eſt in quæſtione; & iuxta contrariam opinionem negatur dari tale præceptum, & ſic negatur conſequentia poſita in obiectione.

Concluſio ſeptima.

Dico ſeptimo. *Si conſtet fuiſſe commiſſum peccatum mortale, dubitatur autem de ſpecie; tunc fatendum eſſe mortale in genere, addendo ignorantiam ſpeciei, ac ſub dubio dicendo v. g. vel fuiſſe peccatum violationis ieiunij, vel furti.*

De peccato certò cōmiſſo, & dubiè confeſſo.

Vtrum autem ſit opinio probabilis dicentium non adeſſe obligationem confitendi peccatum mortale, quod ſcitur eſſe commiſſum, ſed dubitatur negatiuè an fuerit dictum in confeſſione; nunc non diſputo.

Probatur autem prædicta ſeptima Concluſio. Quia præceptum cum ſuâ obligatione de confitendo peccato mortali certo, eſt in poſſeſſione. Ergo.

MMMCCCXIV *Soluitur dubium incidens circa præcedentiū confeſſionū diſpoſitionem.*

EX dictis colligitur ſolutio eius dubitationis, quæ contingere facile poteſt, præſertim in ſcrupuloſis.

Quando pœnitens dubitat, an in præcedentibus confeſſionibus habuerit dolorem de ſuis peccatis mortalibus, ac proinde an peccatum mortale commiſerit in tali omiſſione doloris?

De dubio poſitivo.

Neque eſt difficultas quando dubitat poſitiuè, dum pro vtraque parte iudicat probabiliter, aut dum habet ſufficientes rationes credendi probabiliter vtramque partem, & quod omiſerit dolorem, ac peccatit, & quod non omiſerit, & non peccarit.

De dubio negativo.

Difficultas ergo eſt; quando verè dubitat negatiuè, hoc eſt, quando poſt confeſſiones peccatorum mortalium dubius eſt, num de illis dolorem habuerit.

Duæ novæ difficultates ſuboriuntur.

Duo hic quæruntur. *Primum eſt*, An obligetur tunc pœnitens confiteri peccatum, illud dubium omiſſionis doloris. *Secundum eſt*, An obligetur repetere peccata mortalia iam dicta in confeſſionibus præcedentibus.

Concluſio octava.

Et quoad peccatum. Dico octauò, *pœnitentem non obligari, ſub mortali ſaltem, ad confitendum peccatum huiuſmodi dubium omiſſionis doloris.* Patet ex dictis.

MMMCCCXV.

Quoad ſecundum verò de iterandâ confeſſione eorum peccatorum, quæ iam dicta ſunt in confeſſionibus præcedentibus.

Concluſio nona.

Dico nonò, *pœnitentem nec etiam obligari ad ea iterum confitenda.*

Probatur.

Probatur ſimili ratione: Quia hoc ipſum dubium, an ea peccata repetenda ſint, reſoluitur in hoc aliud dubium, an ſcilicet peccata illa iam dicta remaneant vt confitenda.

Ergo

Ergo nec in tali dubio ſunt dicenda, ſi, vt dictum eſt, peccatum dubium dicendum non ſit.

Hæc nona concluſio probari poterit à fortiori ex dicendis q. ſeq. vbi videbimus quid dicatur, quando confeſſio eſſet ſacrilega ob peccatum certum omiſſum, aut ob certum defectum doloris, & non ſolùm quando de huiuſmodi omiſſione; ac defectu dubium eſt: cùm præſertim in caſu noſtræ concluſionis fecerit pœnitens actum validum ſaltem quoad præſumptionem, confitendo integrè, vt ſuppono, omnia peccata, quæ erant in memoriâ, & conſcientiâ ipſius; validitas enim actus præſumitur in ipſo actu, niſi probetur oppoſitum. [d]

d] An probandi obligatio in Adverſarios rejiciatur.

MMM.CCCXVI. *Pro ſcrupuloſis ex Præpoſito.*

ANtequam abſoluamus hanc quæſtionem, placet ea referre, pro ſcrupuloſis, quæ docuit ſupra Præpoſitus *de integr.confeſſ. quæſt. 5. ſub. 3. num. 115.* dicens, poſſe aliquem ratione ſcrupulorum excuſari, ne repetat in confeſſione peccata, de quibus dubitat, an illa fuerit aliquando confeſſus: præſertim ſi id faciat ex iudicio prudentis confeſſarij.

Dubia, quæ poſt longum tempus poſt confeſſionem excitantur, videntur fundamento carere.

Item excuſari poſſe, ſi ſuboriatur dubium diu poſt peccatum commiſſum, & pœnitens præmiſſo examine ſoleat bonâ fide confiteri. Quia moraliter, inquit, impoſſibile eſt, poſt diuturnum tempus poſitiuè recordari omnium, quæ confeſſus eſt, ac proinde onus intolerabile eſſet, ſi in eâ circunſtantiâ teneretur confiteri, ea de quibus dubitat num ſit aliquando confeſſus, & præſertim quando dubium eſt negatiuum, id eſt, rationibus pro neutrâ parte exiſtentibus.

Videtur ergo, quod quando bonâ fide quis procedit in confeſſionibus, ſi poſt diuturnum tempus de aliquo peccato ſolùm dubitat, num illud confeſſus ſit, non teneatur illud explicare. Ita Præpoſitus.

MMMCCCXVII. *Additio ſecunda poſita in fine eiuſdem libri.*

HÆc ſecunda additio, quæ per incuriam prætermiſſa fuit, debuerat immediatè poſt prædictam quæſt. adnotari, vt melius aliorum præſertim Ioannis Caramuelis teſtimonio confirmaretur.

Qui confeſſus eſt peccatum dubium vt dubiũ, ſi poſteà reperiat ſe verè illud commiſiſſe, non tenetur illud vt certum confiteri.

Io. igitur Caramuel, optimus opinionis meæ patronus (quod certè mihi non potuit non eſſe gratiſſimum, cum videam tam inſigni viro rationem meam non diſplicuiſſe) *lib.* enim *3. de conſcientiæ dictamine pag. 394. poſt obiectionem 12. in 4. concl. in fine primi capitis, immediatè ante caput ſecundum*, ſic ait. (Confeſſus peccatum dubium, vt dubium, ſi deprehendat deinde certum, non tenetur id vt certum confiteri.

Primo quia, &c.

Hæc ratio videtur valde fortis.

Secundo. Ex communi ſententia confeſſus ſe moroſe delectatum decies circiter, ſi certò deinde deprehendat, ſe duodecies, peccaſſe, non tenetur eas vices poſtea confiteri, & tamen eas non confeſſus eſt, vt certas, ſed modo dubio: Atqui ſimilis ratio vrget in caſu. Ergo.

Tertio dubius de voto &c.

Solent homines peccata dubia confiteri, & bene faciunt.

Poſtea ſubdit (Ex communi tamen ſententiâ, & praxi tale peccatum eſt confitendum deinde vt certum: ſed an praxis ex ſcrupulo, an ex ratione orta, non diſputo? Videtur enim homo pœnitens non velle diſputare, nec librare rationes, ſed ſequi ſecuriſſimam partem)

MMMCCCXVIII.

P. Diana *par.10.tr. 16.reſol.79. pag.466.* agit de eodem caſu, & refert Martinum de S Ioſeph. *in Man.Confeſſ.tom.2.lib.1.tract 8. de pœnit. num. 9.* ſic dicentem: *Deſpues que el pœnitente confeſsò en duda el peccado, que dudò auia cometido; aunque deſpues ſe acuerde con certidumbre que le cometiò, es muy probabile ſentencia, que no tiene, obligacion, deboluerle à confeſar. Deben aſſentir à eſta opinion los Doctores, que lleuan, que auiendoſe confeſſado de doze pecades, añadiendo la particula, poco mas, o menos, ſi deſpues ſe accordò el pœnitente de dos pecados mas, no tiene obligacion à confeſſarlos, pues corre la miſma razon en el vn caſo, que en el otro &c. La razon de lo dicho es, que aunque confeſsò el pœnitente el pecado en duda, le abſoluieron directamente del (He communicado eſto con hombres doctos, que ſienten lo miſmo.)* Ita ille.

An qui peccatum dubium confeſſus eſt vt dubium, ſi poſteà ſciat, ſe illud verè cōmiſiſſe, teneatur illud, vt certum confiteri?

Videri etiam poteſt Marcus Vidalis *in Arca Theol.mor. tit. de pœnit.ſacram.inquiſ.5. n.33. & ſeqq.*

Hæc omnia Ferrantinus, cuius totam Quæſtionem dare volui, eſt enim ingenioſus & doctus, & paucis multa optimè cogitata, & ſolidè deducta complectitur.

ARTICVLVS IV.

Satisfit obiectionibus.

MMMCCCXIX. *Qualia ſint fundamenta Opinionis contrariæ?*

SVbiiciam rationes nonnullas, quas contexunt Iuniores contra noſtram doctrinam, è quarum ſolutione conſtabit; opinionem contrariam ſcrupulis potiùs inſiſtere, quàm fundamentis; &, ne ſit neceſſarium eadem centies repetere, ſuppono, Dubium negatiuum à poſitiuo, & vtrumque à Probabilitate diſtingui: & poſtulo vt relegantur quæ ſæpius dixi, ne aliquâ æquiuocatione laboremus.

Obiectio I.

MMMCCCXX. *An, ſi peccatum eſt certum, ſufficiat confeſſio, ſi eſt dubiat*

QVando conſtat de facto, eiuſque qualitate & quantitate; verbi gratiâ quando aliquis certus eſt ſe commiſiſſe peccatum detractionis, idque mortale, dubitat autem num illud in Confeſſione aperuerit, neceſſariò debet illud in Confeſſione aperire. Ais, & probas; quia in illo caſu conſtat de obligatione præcepti, ſeu conſtat quod illud peccatum

Digitized by Google

catum debuerit in confeſſione aperiri, & non conſtat de executione præcepti; igitur remanet obligatio illud clauibus ſubiiciendi, cùm certæ obligationi non ſatisfiat, neque cenſeatur ſatisfactum per ſolutionem ſeu adimpletionem dubiam, v. g. dubius num legerit horas, ad quas certò obligatur, tenetur eaſdem legere, neque per dubiam illam executionem cenſetur ſatisfeciſſe obligationi certæ: ratio eſt, quod præceptum ſit in poſſeſſione, vt omnia mortalia in confeſſione aperiantur, quâ non debet deturbari propter ſuperuenieris dubium de adimpletione.

Præcepto certo non ſatisfacit obedientia dubia.

An ſolutio dubia debito ſatisfaciat

Reſpondeo hanc obiectionem non militare contra nos, qui docemus in omni dubio ſtandum eſſe pro poſſeſſione præcedenti: adeoque per confeſſionem dubiam non ſatisfieri pro peccatis certis. At quia ſtat contra alios: quos citaui, videamus, quo illi modo ſatisfacere velint.

Viennenſium opinionem, & quo illi modo ſe expediant iam vidimus, alios audiamus.

MMMCCCXXI. Reſpondet Præpoſitus *num.* 115. hæc quidem vera eſſe per ſe loquendo, per accidens tamen ratione ſcrupulorum poſſe aliquem excuſari, ne repetat in confeſſione peccata, de quibus dubitat, num illa fuerit aliquando confeſſus, præſertim ſi id faciat ex iudicio prudentis Confeſſarij; & addit excuſari etiam poſſe, ſi dubium ſuboriatur diu poſt perpetratum peccatum, & perſona præmiſſo examine ſoleat bonâ fide confeſſiones inſtituere; quia moraliter eſt impoſſibile poſt diuturnum aliquod tempus poſitiuè recordari omnium, quæ quis confeſſus eſt, & proinde eſſet onus intolerabile, ſi quis in eâ circumſtantiâ teneretur in confeſſione recenſere ea, de quibus dubitat, num aliquando confeſſus fuerit? & præſertim quando dubium eſt negatiuum, in quo homo pro neutrâ parte habet rationes. Vnde concludit dicens: Videtur ergò, quod quando quis bonâ fide procedit in confeſſionibus, ſi poſt diuturnum tempus de aliquo peccato ſolùm dubitet, num illud confeſſus fuerit, non teneatur illud in confeſſione explicare propter rationem dictam. Et addit multò minus teneri, pœnitentem peccatum clauibus ſubiicere, quando format probabile iudicium, quòd illud in confeſſione explicauerit, licèt non ſine aliquâ formidine de oppoſito: quia ad hoc vt aliquis cenſeatur legi ſatisfeciſſe, ſufficit iudicium probabile de eius adimpletione, & contrarium eſſet nimis graue, nam cum mens non poſſit ſemper formare certum iudicium de adimpletione legis, eſſet grauiſſimum onus ſi quandocumque occurrit aliqua formido, homo teneretur rurſum legi ſatisfacere, quamtumuis iudicaret probabiliter ſe ſatisfeciſſe. Hæc autem intelliguntur quando perſona iuxta ſuam conditionem præmiſit perſona diligens examen ad rei veritatem cognoſcendam. Ita Præpoſitus benignè quidem & doctè, & debeo tamen eidem rationi ex propriis principiis reſpondere.

An aliter de ſcrupuloſis, quàm de cæteris ſit philoſophandum?

Quid dubiū negativum ſit?

An pro peccato certo ſatisfaciamus per cōfeſſionē probabilem?

MMMCCCXXII. Reſpondeo igitur dicendo vix eſſe poſſibilem caſum propoſitum, adeoque ſuppoſitum negari poſſe; nam qui certò ſcit ſe peccatum illud commiſiſſe, debet neceſſariò ſcire certò aut probabiliter, an ſit illud confeſſus? Ratio eſt; quia dubia conſcientia definitur ambigua & anceps, quæ pro neutrâ contradictionis parte habet rationem, aut ſaltem pro neutrâ hebet grauem: atque talis conſcientia non eſt in preſenti poſſibilis: ergo impoſſibilis caſus obiicitur. Probatur minor; nam vel ille, qui dubitare an fuerit talem culpam confeſſus, aſſeritur, eſt perſona quæ ſoleat bonas confeſſiones ſemper facere, aut quæ non ſoleat; ſi primum dicatur, cenſendus eſt probabiliter etiam tunc adhibuiſſe diligentem animi diſcuſſionem; cumque poſt diligentem excuſſionem vix vnquam peccata grauia non occurrant (ſuâ enim mole ſeſe produnt, ni affectatâ aliquâ negligentiâ impediantur) cenſendum eſt certò eum huiuſmodi peccatum fuiſſe confeſſum, vita enim præcedens grauem rationem ſuppeditat, & vbi grauis eſt ratio, omne penum dubium tam negatiuum quàm poſitiuum exulat. Si autem ſoleat malas confeſſiones facere, aut defectu examinis, aut affectatâ aliquâ ignorantiâ, iam etiam habes rationem grauem credendi illud peccatum non fuiſſe confeſſum; vita enim præcedens rationem grauem miniſtrat, quæ quia nullâ ratione forti impetitur: fortè non tam probabilitatem, quàm moralem certitudinem infert: nam Iuris Canonici.

Quid ſit conſcientia dubia?

Eſt fortiſſima ratio, quæ ſumitur ab experientiâ.

Eſt probabiliter aut etiā moraliter certa.

Regula VI. *Inſpicimus in obſcuris quod plerumque fieri conſueuit, vt verſimilius (hoc eſt, probabilius) cognoſcamus.* infert hanc, *ergo quod ſemper fieri conſueuit, non iam probabilioritatem, ſed quamdam moralem certitudinem infert.* Tandem ſi non habeat experientiam [puta, ſi ſit puer, & incipiat confeſſionis Sacramentum frequentare, tunc enim quia non eſt ſæpe confeſſus, videtur non poſſe ex vita præterita iudicium ferre] ſi habuerit propoſitum bene confitendi, cenſendus eſt feciſſe diligentias ſufficientes, vt conſcientiam diſcuteret, atque ideò & fuiſſe illud etiam peccatum confeſſus; non enim eſt veroſimile, quòd non examinauerit conſcientiam; nec eſt veroſimile, quòd illud peccatum poſt debitum examen non occurrerit, cùm & alia communiter occurrant; nec eſt veroſimile, quòd ipſe ſciens, & volens peccatum occurens ſubticuerit: ergo veroſimile non eſt, quòd debeat iterum confiteri.

De illo, quod plerumque, & de illo, quod ſemper fieri conſueuit.

Qualiter diſcurrere debeant, qui experientia careant?

SEd obiicis remanere idem dubium materiâ ipsâ alteratâ. Nam poteſt quis certò ſcire ſe peccaſſe, & certò etiam ſcire ſe fuiſſe confeſſum, & tamen dubitare an Confeſſarius habuerit legitimam authoritatem abſoluendi? puta, ſi dubitet an ille ſit Sacerdos? an baptizatus? an approbatus? an voluntatem ſoluendi habuerit? MMMCCCXXIII.

Reponitur eadem difficultas mutatâ materiâ.

Reſpondeo hac inſtantia nihil omninò conuinci; quia vel pœnitens habet rationem grauem, vt credat Confeſſarium non habuiſſe abſoluendi poteſtatem aut voluntatem, vel non. Si habet, non dubitat, ſed probabiliter philoſophatur: ſi non habet, non dubitat, ſed errat, & iudicij temerarij eſt reus, improbabiliter contra rationem grauem, ſine ratione

De iudicio temerario.

Digitized by Google

ratione procedendo; Confeſſarius enim eſt in poſſeſſione, & credendus eſt eſſe in legitimâ, quamdiu non ſuadeatur contrarium.

Sed quid ſi per impoſſibile aliquis in hac materiâ dubitaverit? Obiectio VII. hoc reſumet, & ibi ſatisfaciam.

Obiectio II.

MMMCCCXXIV. *De gravitate culpæ dubiâ.*

OBligatur confiteri is, qui poſt diligens examen dubius eſt de quantitate ſui peccati, num videlicet ſit veniale an mortale? quia Chriſtus inſtituendo hoc Sacramentum, & præcipiendo, ut omnia mortalia ſubjicerentur clavibus, videtur voluiſſe ut peccator omnia ſubjiceret, de quibus non poſſet formare probabile iudicium, quòd ſolùm eſſent venialia; idque fuit conſentaneum; cùm enim non ſit cuiuſcunque noſſe quantitatem peccati, fuit congruum, ut ſaltem quando eſt dubium, peccata iudicibus deferrentur.

An Chriſtus iuſſerit, ut confiteamur culpas, de quarũ gravitate dubitamus?

Reſpondeo ex Regula XXX. Iuris Canonici, *In dubiis minimum eſſe ſequendum*: unde qui dubitat, an peccaverit graviter, vel leviter? poſſe ſequi partem. quæ ſtatuit minimum; hoc eſt, quæ dictat eum peccaviſſe venialiter. *Addo*, caſum hunc mihi impoſſibilẽ videri: nam cùm homo dicitur de quantitate ſuæ culpæ dubitare, ſemper habet rationes probabiles: non ergo purum dubium. Quid, ſi ſupponamus illum habere purum dubium? An ne confiteri tenebitur? Dicam te affirmativam, & me negativam Reſolutionem ex Chriſti Domini inſtitutione ab Eccleſiâ in variis Conciliis expoſitâ inferre.

An poſſit homo prudens de ſui peccati gravitate dubitare?

N. B. Eſt fortiſſimum argumentũ, quod ſumitur à poſſeſſione libertatis.

Nam ſi Chriſtus iuſſit quòd omnia mortalia ſubiicerentur clavibus Eccleſiæ, ſatisfaciet qui fecerit quod ipſe iuſſit; cùmque certum non ſit peccata dubia eſſe mortalia, nec certum erit contineri in Chriſti præcepto. Cùm autem ſimus naturâ liberi, & omnium Doctorum iudicio libertas certa, lege dubiâ limitari non poſſit, remanet ut dubia non ſint neceſſariò in ſacramentali confeſſione exponenda.

De illo, qui dubitat, an peccaverit.

De primo genere dubij videtur poſſe eſſe aliqua difficultas, quando ſcilicet homo præmiſſo examine remanet dubius num aliquod peccatum commiſerit: ex unâ enim parte videtur obligari illud confiteri: & ideò ait.

Obiectio III.

MMMCCCXXV.

IN dubio tutior pars eſt eligenda: atqui tutius eſt confiteri: ergo in dubio ad confeſſionem recurrendum eſt.

An debeamus eligere tutiorem partem?

Reſpondet Præpoſitus *num.* 119. quando dubium eſt omninò practicum, tutiorem partem eſſe eligendam: ſi verò ex dubio ſpeculativo, iunctis aliis principiis, elici poſſe concluſionem practicam, quâ concludamus nos non teneri aliquod onus ſubire, non ſemper tutiorem partem eſſe eligendam, ut variis exemplis oſtendi poteſt.

An omnes opiniones probabiles ſecundum ſe conſideratæ ſint æquè tutæ?

Ego autem nego abſolutè illam maiorem: non enim tenemur tutiorem partem, ſed ſufficit tutam eligere: qui autem peccata dubia ſubiicet, tutus eſt; nam probabilem (&, ſi rationum intrinſeca momenta reſpiciam, non ſolum probabiliorem, ſed certam moraliter) ſententiam eligit: omnes enim opiniones probabiles ſunt tutæ, imò etiam æquè tutæ. Vide num. 3.

Obiectio IV.

MMMCCCXXVI. *An notitia dubia nominetur conſcientia?*

IN tali caſu homo poteſt dici habere conſcientiam peccati: nam tale peccatum eſt in conſcientiâ ſaltem dubiâ: atqui Tridentina Synodus definit debere confiteri eum, qui habet conſcientiam peccati: ergo.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, illum poſſe dici habere peccati conſcientiam dubiam, concedo: certam & evidentem, nego. Minorem eodem modo diſtinguo, quia definit Sacroſancta Synodus exponi debere in confeſſione omnia peccata quæ fuerint in conſcientiâ, non quidem dubiâ, ſed certâ & evidenti, ut oſtendi ſuperiùs cùm verba Concilij expendi, & modò aptiſſimis exemplis confirmo. Nam, teſte Præpoſito, & aliis plurimis. qui dubitat de voto, non eſt dicendus habere conſcientiam voti in ordine ad obligationem, & ut teneatur aliquid ex vi voti exſequi; ſimiliter qui dubitat num commiſerit contra legem habentem annexam excommunicationem, ſi poſt, diligens examen non poſſit rei veritatem agnoſcere, non tenetur ſe habere excommunicatum: ergo ſimiliter videtur dicendum, quod is qui poſt diligens examen non poteſt iudicare ſe peccaſſe, non teneatur credere ſe peccaſſe, ſed poſſe ſe eſſe innocentem putare, & adſtruere; non ergo tenebitur cenſere ſe obligatum ad illud peccatum in confeſſione aperiendum.

An votum dubium obliget? *An excõmunicatio dubia obſtringat?*

Sit hæc prima ſolutio, cui ſecundam, faciliorem & clariorem adiungo: nego enim Obiectionis maiorem; quoniam ut paulò antè à Laymano didicimus, non quæcumque notitia poteſt dici. *Conſcientia*, ſed illa quæ ſuo modo eſt ſcientifica & moraliter certa.

Quid ſignificet hæc vox conſcientia?

Obiectio V.

MMMCCCXXVII. *An idem ſit obiectũ confeſſionis & contritionis?*

HOmo tenetur conteri de tali peccato; ergo tenetur illud confiteri; quia in homine baptizato illud, quod eſt neceſſarium contritionis obiectum, eſt etiam neceſſarium obiectum confeſſionis, cùm illud nequeat remitti ſine ordine ad claves, & ita tenent aliqui, quos citat & ſequitur Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 9.

Præcepti contritionis & confeſſionis differentia?

Reſpondet Præpoſitus *num.* 119. concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ad cuius probationem dicit per ſe loquendo obiectum neceſſarium contritionis in baptizato eſſe obiectum confeſſionis quando ſcilicet conſtat de peccato, per accidens autem non eſſe; nam inter præceptum contritionis ex unâ parte, & confeſſionis ex alterâ eſt diſcrimen quod de lege ordinariâ contritio formalis, vel virtualis de peccato mortali, ita ſit neceſſaria extra Sacramentum, ut nullus ſine ea poſſit conſequi remiſſionem peccati; confeſſio autem in re non ita ſit neceſſaria. Vnde licet homo propter neceſſitatem medij contritionis teneatur conteri de peccato etiam dubio, non idcircò tenetur illud ſub tali ſtatu conſideratum confiteri; quia in

An quis teneatur confiteri de peccato dubio?

eo ſtatu poteſt cenſeri non obligare ius diuinum poſitivum; & licet dicatur, quod nullum mortale commiſſum poſt baptiſmum remittatur ſine ordine ad claves, poteſt intelligi quòd præceptum ſolùm urgeat pro tempore, quo moraliter (hoc eſt certò & clarè) conſtat de peccato.

MMMCCCXXVIII. *An debeat quis conteri propter peccatum dubium?*

Sed ego illud antecedens, quia univerſaliter ponitur, ſemper nego. Ratio eſt, quia dantur multi caſus in quibus non debeat homo conteri propter peccatum dubium. *Primò* enim non tenetur conteri de illo peccato, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum alia confeſſurus accedat. *Secundò*, nec poſt confeſſionem, ſi Euchariſtiam aut illud Sacramentum recipiat. *Tertiò*, nec ſi immediatè Sacramentum aliud accedat, modò aliud mortale non habeat: unde tota difficultas mortem ſolam reſpicit; nam eum, qui conſcientiâ dubiâ repentè moritur, conſequi cœlum dubium eſt; verè enim peccavit aut non. ſi verè, damnabitur; ſi non, ſaluabitur. *De mortis articulo.* Cùm autem in mortis articulo debeat homo tutam reddere ſuam ſalutem, videtur quod tunc ſaltem debeat illud peccatum confeſſione aut contritione expiare. Sed reſpondeo, illud præceptum, quo in mortis periculo obſtringitur, eſſe iuris naturæ & naſci ex periculo, quo ſublato illud ceſſare neceſſarium eſt, auffertur tamen omne periculum, *ſi Petrus* peccati dubio anceps confiteatur ſacramentaliter aliud peccatum, tunc enim indirectè ab omnibus dubiis, etiam non confeſſis, abſoluitur; item, *ſi aliquod* aliud Sacramentum recipiat, omnia enim conferunt gratiam, & per accidens primam: *aut etiam*, ſi eliciat contritionem, nam ad aliquid ex his faciendum non tenetur ex præcepto Chriſti, ſed ratione periculi mortis æternæ incurrendæ, quod ius ipſum naturæ præcipit evitare, ubi notandum eſt, in illo contritionis actu ſufficere deteſtationem etiam conditionatam, puta ſi diceret, *Doleo de illo peccato, ſi illud commiſi.*

Hæ duæ propoſitiones nō coincidunt. Qui habet peccatū dubium tenetur in articulo mortis confiteri, & Qui habet peccatū dubium tenetur in articulo mortis illud confiteri. vide *num.* 3129.

An Sacramenta vivorum conferant primā gratiam per accidens?

Obiectio VI.

MMMCCCXXIX. *De dubio ſpeculativo.*

Dices, hoc dubium, quo aliquis dubitat num peccaverit, eſſe ſolùm ſpeculativum, cum quo ſtare poteſt moralis certitudo de obligatione illud confitendi. Et explicas. Ieſuita, qui promittit obedientiam in omni materiâ, quæ non ſit evidenter peccatum, bene poteſt componere dictamen, quo indicat talem actionem eſſe probabiliter contra Deum, & dictamen quo certò ſciat ſe debere ſub peccato mortali illam, ſi imperetur, elicere: Ergo in dubio confeſſionis eodem prorſùs modo philoſophabimur.

Qualem obedientiam promittant Ieſuitæ.

Aliter potuerunt Sacramenta inſtitui.

Reſpondeo potuiſſe quidem ita inſtitui Sacramentum Pœnitentiæ, ut etiam imponeretur obligatio recenſendi peccata dubia; tunc autem certum omninò eſſet debere peccata dubia in confeſſione exponi. Nunc autem illud ſic fuiſſe inſtitutum non conſtat; imò videtur ex Tridentinâ Synodo apertè conſtare contrarium: quamobrem exiſtimo nos prudenter procedere, cùm de hac obligatione, ſicut de aliis ortis ex præceptis [in quibus ex dubio ſpeculativo, quod rem ipſam afficit, iuncto hoc principio practico, *Melior eſt conditio poſſidentis*, libertatem defendimus] philoſophamur.

Modus philoſophandi in dubiis.

Obiectio VII.

MMMCCCXXX. *Aliter caſus ipſe proponitur.*

CVm reſponderem primæ, ſuppoſui vix eſſe poſſibile, quod homo prudens ſciret ſe mortaliter peccaviſſe, & utrum fuiſſet confeſſus dubitaret, quia meo iudicio hæc veritas debet illi eſſe evidenter aut ſaltem probabiliter nota; nam ubi datur aliqua gravis ratio, exulat purum dubium, de quo impræſentiarum diſputamus, & argumentum, quod ex vitâ præteritâ deſumitur, grave eſt. Nunc igitur vis caſum urgere, & ſcire, An quis teneatur confiteri peccatum, ſi per impoſſibile dubitet illud fuiſſe clavibus Eccleſiæ ſubjectum? & ut probes, quod ſic, argumentaris.

An ſit poſſibile purum dubium?

Primò. Solutione dubiâ non ſatisfit obligationi veræ: ergo nec confeſſione dubiâ pro peccato certo ſatisfit.

Secundò. In omni dubio ſtandum eſt pro certitudine & poſſeſſione quæ erat ante dubium; atqui ante illud dubium ſtat peccatum fuiſſe commiſſum, fuiſſe abſolutum non ſtat; ergo tenetur, iterum confiteri.

MMMCCCXXXI. *Nota bene illud ſtatim.*

Reſpondeo me ſemper ſuppoſuiſſe non eſſe in hac materiâ dubium poſſibile, & etiam ſupponere; credo enim nos ſemper aut habere certitudinem, aut ſaltem probabilitatem. Cæterùm hypotheſi admiſſâ, obligationem confitendi *ſtatim* non admitto. Cùm certò ſcis te recepiſſe à Petro mille aureos mutuos, & dubitas an ſolveris, non teneris *ſtatim* ſolvere; ſed teneris examinare, & potes in mortis articulum differre ſolutionem: nam, qui dubitat ſe debere, & ſoluit; exponit ſe periculo ſolvendi quod non debet; & ſi faciat, qui poſteà recuperabit rem ſolutam? ſi differat, poterit tandem, aut non ſoluere, ſi reperit ſe nihil debere; aut ſoluere, ſi ſe debitorem reperiat. Quamobrem durum mihi videtur, dubitantem de confeſſione ad eiuſdem peccati certam confeſſionem *ſtatim* faciendam obſtringere. [Sed hic obiter dicendum eſt, ſupponi exemplum quod hypotheſin admiſſam deſtruit. Illa erat, Dari verum & purum dubium circa confeſſionem peccati certò commiſſi, & aſſumitur debitum dubium, at ubi hoc? ſi tu dubites, & creditor petat, purum dubium non eſt, quia illius petitio eſt argumentum grave, quod tua ignorantia non elidit. Et tunc ſolùm eſſet debitum purè dubium, cùm debitor, creditor, teſtes, & libri eſſent ita ambigui, ut nullam rationem, aut nullam gravem haberent affirmandi aut negandi. Vbi iterum notandum eſt, apud homines ipſam non rationem affirmandi, eſſe interdum negandi fortiſſimam rationem; unde cùm ſoleamus, vel chirographa, vel in libris ſcribere, vel coram aliquo teſte contrahere, quidquid aliquod ex iſtis teſtimoniis careat, actus ſingulariſſimus eſt, nec cenſendus tam facilè potuiſſe excidere ex memoriâ quæ firmiter retinet actiones inſolitas & extraordinarias.]

An teneatur ſolvere, qui utrum debeat dubitat?

Quid ſit debitum dubium?

An ex non negatione affirmatio inferatur?

Obiectio

Digitized by Google

Obiectio VIII.

MMMCCCXXXII. *De confeſſione probabili.*

COnfeſſio probabilis non ſufficit pro peccato certo: ergo nec dubia. Probatur antecedens; quia ſolutio in caſu tantùm eſt probabilis, adeoque incerta; quia reverâ tunc non ſervatur æqualitas, ut patet in materiâ inſtitiæ; nam mercibus certò datis non reſpondet ex æquo ſolutio merè probabilis, ut fatetur Lugo ſed negat hîc reperiri paritatem; verùm cùm Deus ex dominio proprietatis exigat actum præceptum, æquale habet ius cum eo qui traditis mercibus exigit ſolutionem.

An detur cõfeſſio dubia?

Reſpondeo, ex hypotheſi quòd detur confeſſio dubia, non eſſe ſufficientem, ſed ſtandum pro poſſeſſione quæ erat ante dubium, prudenter tamen; indicta enim poterunt dici, dicta autem indicta reddi nunquam poterunt; unde tametſi certum ſit debere peccata verè commiſſa & dubiè abſoluta, clavibus Eccleſiæ ſubiici; non tamen ſcio, an ſubiici debeant *ſtatim*; ſcio enim debitorem dubium non teneri *ſtatim* debitum illud dubium ſoluere, maximè ſi deſit ſpes recuperandi, ſi fortè poſtea iam fuiſſe aliàs ſolutum conſtiterit, & in confeſſione omnis ſpes recuperandi deeſt, quia dicta indicta reddi nequeunt; ſed quia probabilitas aſſumitur, ut dubium debelletur, dico eſſe certiſſimum non teneri quempiam confiteri peccatum certò commiſſum, ſi probabiliter putet illud fuiſſe confeſſum. Ita Suarius, *3. part. tom. 4. diſputat. ſect.9. num.6* Pitigianus *in 4. ſent. tom.2. diſtinctione* 27. *quæſt. unic. articul.* 11. Diana *part. 2. tractat. 4. de Sacramentis reſolutione* 107. Vnde ad argumentum poſitum admitto in tali caſu ſolutionem eſſe probabilem; infers ergo, & incerta, & diſtinguo, incertam probabiliter concedo; at incertam eſſe evidenter, hoc eſt evidenter non certam, ſive evidenter non-veram, nego. Admitto debitum confitendi eſſe certum, illi autem non ſatisfieri ſolutione incertâ diſtingo evidenter incerto ad ſenſum prioris diſtinctionis, concedo; probabiliter incertâ, ſubdiſtinguo; non ſatisfieri evidenter, concedo; non ſatisfieri probabiliter, nego. Illud quod ex inſtitiæ materiâ ſubſumitur, elidi poteſt eodem modo; ſolutione probabiliter incertâ non ſatisfieri evidenter obligationi certæ concedo; non ſatisfieri probabiliter, nego; & conſequenter addo me Deo habenti ius certum & evidens petendi confeſſionem, ſatisfeciſſe probabiliter, cùm probabiliter exiſtimo me de facto confeſſionem poſuiſſe.

An quis teneatur confiteri peccatum probabile?

N. B. Conſidera hanc diſtinctionem bene: eſt enim ipſa bona, aut omnia falſa, quæ de probabilitate ab omnibus doctis dicũtur.

MMMCCCXXXIII. Hanc doctrinam omninò veram eſſe perſuadeo; nam ſi probabile eſt confeſſionem tunc eſſe poſitam; etiam probabile eſt omnem obligationem eſſe ſublatam, adeóque hoc iudicium licitè practicè ſequimur.

De baptizato aqua probabili.

Reſpondent aliqui negando conſequentiam; nam ex probabilitate cadente ſuper ſolutionem poſitam non ſequitur probabilitas practica de immunitate ab omni obligatione; ut patet cùm quis probabili tantùm materiâ eſt baptizatus; ſimiliter ex probabilitate extrinſecâ Doctorum non ſequitur probabilitas intrinſeca quam hîc indagamus.

Sed hoc non tam reſpondere, quàm repetere eſt; omnem enim probabilitatem in conſcientiâ ſufficere putamus, nec exemplis urgebimur, ubique enim eodem omninò modo philoſophamur, quia ſicut dicimus non teneri confiteri qui probabiliter confeſſus & abſolutus eſt, ſic etiam dicere poſſemus non teneri baptizari qui probabiliter baptizatus eſt. Sed adhuc diſcrimen valdè notandum ſublatet; quia confeſſio requiritur ratione præcepti, baptiſmus ratione medij: unde licet diceremus non ſufficere baptiſmum probabilem, non teneremur ſtatim negare confeſſionem probabilem ſufficere; ſed ſemper de utroque eodem prorſùs modo philoſophor. Sentio enim in vitâ meram probabilitatem ſufficere, at in mortis articulo maiorem certitudinem poſtulo; agitur enim de æternitate, & non videtur actio prudens & laudabilis ſe exponere damnationi probabili: ſed de hoc vide, *num.* 521.

An rebaptizari teneatur?

Non licet ſe exponere periculo æternæ damnationis probabili.

MMMCCCXXXIV. *An ex iuriſdictione probabili ſequatur abſolutio certa?*

Meam iterum ſententiam, nimirùm non teneri iterum confiteri, qui probabiliter iudicat ſe fuiſſe confeſſum, alterâ ratione perſuadeo. Satisfit præcepto confeſſionis. *Primò*, cùm ſubeſt iuriſdictio probabilis. *Secundò*, per confeſſionem tantùm probabiliter informent. *Tertiò*, legi & voto per ieiunium probabile: ergo etiam in caſu. *Reſpondent* aliqui negando conſequentiam; in primo enim caſu confeſſio eſt certa per hoc, quod Eccleſia tunc ſuppleat defectum, ſi fortè non habeatur iuriſdictio, illam pro eo actu concedendo. Sed hoc ſolummodo eſt probabile; non enim eſt evidens, aut fide tenendum, quod Eccleſia tunc ſuppleat; unde ſi talis confeſſio ſufficiens eſt, iam evidenter admittitur certæ confitendi obligationi per probabilem confeſſionem ſatisfieri. *Veniunt* ad alios actus, & inquiunt, ideò ſolutione purè probabili ſatis fieri, quod probabiliter tantùm ſit obligatio ad eos actus, quos conſtat eſſe poſitos; lex verò confeſſionis præcipit, confeſſionem correſpondentem debito certo, qualis non eſt tantùm probabilis. Hinc patet, tunc per actum probabilem ſatisfieri legibus poſitivis, quando probabile eſt per legem tantùm præcipi eum actum, quem conſtat poni. Sed neque hæc ſolutio placet; unde enim ſcitur alias leges ſolùm obligare ad actus ponendos probabiliter, & legem confeſſionis ad ponendos certò; maximè cùm admiſerint confeſſione factâ Sacerdoti habenti iuriſdictionem probabilem ſatisfieri præcepto? hæc enim ut vidimus ſolummodò probabilis eſt: & ſi ad Eccleſiæ benignitatem recurritur, aditur via merè probabilis, quia Eccleſiam ſupplere huiuſmodi defectus non evidens & certum, ſed ſolùm probabile eſt.

Nota hoc.

An inter alias leges & legem de cõfeſſione ſit adſignanda differẽtia, ut illis ſatisfiat per actus poſitos probabiliter, huic autem non ſatisfiat, niſi actus certò ponantur.

Nota iterum.

MMMCCCXXXV. Sed quia de probabilitate agimus, doctrinæ præcedenti aliam veritatem adiungam, ut omnia, quæ hanc materiam concernunt, ſimul habeas. Dico igitur, *Probabiliter iudicantem ſe non peccaſſe mortaliter, etſi oppoſitum putet probabilius, non teneri confiteri.* Ita cum aliis, Sanchez *ſupra num.*76. contra Salas. Ratio eſt, quia ſi dicamus confeſſionem probabilem non ſufficere, adhuc dicendum eſſet in caſu præſenti neminem ad confeſſionem obligari; nam probabile eſt deficere

An peccata probabiliora in confeſſione explicanda?

conditionem abſolutè, dependenter à quâ lex obligat, ac proinde talis licitè iudicaret ſe non comprehendi lege, nec eâ obligari; ergo ex quo ſequitur eum non teneri præcepto confeſſionis, qui amplexus eſt malum, omninò præſcindendo an id eſſet mortaliter vel tantùm venialiter malum; quia probabile eſt tunc non peccari mortaliter, ut cum Valentiâ & Salas docet Diana *ſuprà reſolut.* 62. Si autem dicamus, ut debemus, confeſſionem probabilem ſufficere ut pro peccato certo, ita ſatisfaciamus, ut non teneamur illud iterum confiteri à fortiori dicendum eſt eſſe liberum à confitendi obligatione illum, quem probabilitas conſcientiæ ſaluat, nemo enim tenetur ſe reum credere, quouſque evidenter ſe peccaviſſe cognoſcat.

An peccet mortaliter qui facit id, de quo dubitat, an ſit mortale?

Ex hac igitur probabilitatis doctrinâ ad dubia rediens, non eſſe de eſſentiâ confeſſionis peccata dubia, ratione efficaciſſimâ confirmo.

Minor notitia dubia, quàm probabilis. Et nota hoc.

Qui minùs probabiliter iudicat ſe non peccaſſe mortaliter, licet probabiliùs iudicet ſe peccaſſe, non tenetur confiteri ut oſtendi: ergo à fortiori qui ita dubitat ut ne quidem minùs probabiliter credat ſe peccaviſſe graviter. Ita Coninch, Layman, Leſſius, & alij, qui putant ſaltem ſpeculativè hanc poſſe teneri ſententiam. *Probatur primò.* Obligatio confitendi oritur ex lege præcipiente accuſationem de admiſſo peccato: hoc autem in caſu nequidem probabiliter eſt admiſſum, imò etſi conſtet commiſſum eſſe veniale, non tenemur id confiteri: quomodo ergo tenemur in caſu, cùm nequidem conſtet de veniali? niſi fortè dicamus liberari à confitendi obligatione, qui perfectiùs cognoſcit ſe peccaſſe, & tamen debere confiteri, qui minùs perfectè, aut nullo modo cognoſcit: quod, me iudice, diſſonum, & abſurdum eſt. Cognitionem autem probabilem eſſe dubiâ multò perfectiorem, eſt certum. *Secundò*, in omni foro quando dubium eſt an debitum ſit contractum, nihil eſt ſoluendum: ergo qui dubitat, an incurrerit obligationem confitendi, nihil debebit facere. *Tertiò*, dubius de ætate, an expleverit vigeſimumprimum annum, dubius de emiſſo voto, & dubius an incurrerit excommunicationem, ad nihil obligatur, ut docet Sanchez *ſup.* quia melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem, quæ regula locum habet in omni materiâ virtutum; ergo qui dubitat, an peccaverit, poteſt prudenter ſtare pro puritatis poſſeſſione, quæ erat ante dubium, & credere ſe non peccaviſſe, & conſequenter ſe non teneri confeſſionis præcepto. *Quartò*, quia non videtur dari obligatio confitendi eam materiam, cum quâ ſæpè nequidem conſiſtet Sacramentum: talis autem eſt peccatum dubium in noſtro caſu, ut vidimus: ergo non datur obligatio confitendi.

Ratio à fortiori.

Excommunicatio dubia:

Ætas dubia: & Votum dubium non obligat.

Obiectio IX.

MMMCCCXXVI. NOn eſt probabilis ſententia, quæ militat contra omnium Doctorum conſenſum; atque aſſerens certum ſe peccaviſſe, dubium an mortaliter, ita ut ne probabile quidem iudicium de eo queat elicere, non teneri confiteri, Doctorum torrenti, ut aiunt, opponitur; ergo. Minorem probas ex omnium Doctorum ſententiâ, quos citat Sanchez ſuprà *num.* 66.

Nota bene hanc rationem.

An ſit probabilis opinio quæ torrenti Theologorum opponitur?

Sed hæc ratio non urget. *Primò* quia poſſet aliquis diffidere ſententiis communibus: experientiâ enim conſtat, eſſe multis erroribus & hallucinationibus obnoxias: nam quæ omnes dicunt, pauci aut nulli examinant, & ideò crebrò erramus, quando torrenti hominum inconſideratè ſubſcribimus. Ergo, ſi ingredi placeret hanc viam, poſſemus negare maiorem, condonare minorem, & illatam conſequentiam negare. *Secundò*, communibus Theologorum ſententiis ſit ſua authoritas; cur autem tanta ut oppoſitæ non ſint aliquando probabiles? *Tertiò*, condonemus & hoc, & ad argumentum reſpondeamus. Illud erat: *Opinio, quam omnes Theologi reprobant, non eſt probabilis. At hanc reprobant omnes. Ergo non eſt probabilis.* Et nos tranſire maiorem permittimus, & minorem negamus: nam Theologi, qui negant noſtram reſolutionem, alio ſenſu voces ipſas uſurpant, & ideò non diſſentiunt in re. Imò noſtram ſententiam ex Doctorum conſenſu deduci, optimè Layman innuit *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. pro quo facit hæc ratio: ſubſtantia rei neceſſariò confitendæ eſt culpa mortalis, ut patet ex Conciliis & Patribus: atqui in caſu ſubſtantia rei neceſſariò confitendæ eſt dubia, quia ne probabiliter quidem conſtat admiſſum eſſe mortale; ergo dubium eſt an tale mortale lege comprehendatur, & conſequenter an lex ſit lata de eâ materiâ confitendâ; ergo cùm in dubio legis latæ prævaleat poſſeſſio libertatis, non eſt obligatio confitendi.

An ſententiæ cōmunes ſint ſecuræ?

Contra ſententiam cōmunem poteſt dari altera communis, aut communior.

Non ſemper diſſentiunt Authores, cùm differre videntur.

Obiectio X.

HAnc nonnulli prætenſam obligationem confitendi peccata dubia probant ex Tridentinâ Synodo, quæ *Seſſione* 14. *cap.* 5. docet *primò*, Omnia mortalia eſſe confitenda, quæ ſunt in conſcientiâ pœnitentis; atqui tale eſt peccatum dubium, ergo. *Deinde*, tantùm excipi ab hac intentione confitendi ſola venialia. VERUM nihil inde concludi patet, quia quando de mente alicuius Authoris dubitamus, quod verba Aſſertionis ſint dubia, prudenter ad Aſſertionis probationem recurrimus: cognito enim ſenſu, quo præmiſſæ ponuntur, cognoſci etiam debebit ſenſus, quo debet intelligi Concluſio. Ergo, ut Concilij verba intelligamus rationem, quam Concilium adducit, conſideremus. Illa eſt, *Quia univerſa mortalia hominem, iræ filium, & Dei inimicum conſtituunt.* Et hæc poſſunt bifariam accipi: nimirùm in ordine ad ſe, & in ordine ad nos. Sanè peccata dubia ſecundùm ſe conſiderata non conſtituunt hominem filium iræ, ſi commiſſa non ſunt; & fortè commiſſa non ſunt. Sed neque in ordine ad nos conſiderata: quia in omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione certâ, quæ erat ante dubium: cùm igitur pro reo faciat poſſeſſio libertatis, potius æſtimandum eſt veniale quàm mortale, & conſequenter non videtur confitendum; præſertim cùm Concilium non magis meminerit

MMMCCCXXVII.

Vt intelligatur aſſertio, bene ad eiuſdem probationem recurritur.

Quæcūque peccata mortalia hominem filium iræ conſtituunt.

In dubio ſtandum eſt pro libertate.

tit dubij mortalis, quàm circunſtantiarum aggrauantium intra eandem ſpeciem; ac proinde ſicut arguitur ex Concilio has non eſſe confitendas, ita nec dubium peccatum; vel diſcam vbi claudicet hic ſyllogiſmus, [Eccleſia docuit nos benè materiam confeſſionis; ſed quia non dixit circunſtantias aggrauantes debere in confeſſione exponi, probabiliùs poſſe omitti dicuntur: ergo etiam probabiliùs omitti poterunt peccata, quæ tametſi certò ſint peccata, ſunt mortalia minùs quàm probabiliter, hoc eſt, dubiè. Patet conſequentia, quia nec dixit Concilium talia peccata debere in confeſſione exponi.]

Ratio fortis à pari.

An, & quando argumentum negatiuum ſit forte?

Obiectio XI.

M M M-CCCXX-XVIII. *An liceat aliquem grauare in dubio?*

TOta ratio excuſandi pœnitentem in dubio, eſt ne grauetur in dubio; atqui vera non eſt hæc ratio: ergo. Probatur minor, quia non indicitur ipſi, ut confiteatur peccata dubia vt certa. tunc enim verè grauaretur; ſed quod confiteatur vt dubia, adeoque certum eſt non grauari vltra dubium.

Sed hæc ratio meritò infirma viſa eſt P. Lugo; nam, etſi reus non teneatur confiteri vt certum, tenetur tamen abſolutè confiteri, quod eſt certum onus limites dubij excedens, hoc enim non debet præiudicare libertati.

Obiectio XII.

M M M. CCCXX-XIX. *De libertate dubiâ. De voto dubio, an obliget?*

CErtus de emiſſo voto, dubius an adfuerit ſufficiens libertas, tenetur voto; ergo ob ſimilem cauſam lex confitendi in caſu eſt in poſſeſſione. *Reſpondetur* I. negando antecedens cum Soto, Maldero, Sà, &c. quia dubitatur de ſubſtantiâ voti, vt id eſt aptum obligare, & conſequenter etiam de voto ſimpliciter. II. negatur conſequentia; quia hîc conſtat de voto, idque eſt in poſſeſſione; in caſu verò dubitatur de lege latâ circa hanc materiam.

Obiectio XIII.

M M M-CCCXL. *Theſes defenſæ Romæ ſunt magnæ authoritatis.*

OBiiceret aliquis tandem contra doctrinam poſitam Theſes Theologicas Romæ in Collegio Societatis defenſas menſe Auguſto & Septembri an. M D C L V. quæ indicunt, vt peccata dubia clauibus Eccleſiæ ſubiiciantur. Sanè die Auguſti ſeptimâ num. X L V I I I. defendebatur iſta Theſis: *Iſtud Sacram. Eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij, vt in re quidem ſuſceptum ſolum indeterminatè; determinatè verò vel in re, vel in voto. Eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti diuini: atque hoc præceptum rectè colligitur ex verbis illius inſtitutionis, Accipite Spiritum Sanctum &c. Obligat ad integram confeſſionem omnium peccatorum quoad ſpeciem, & numerum, & quoad circunſtantias mutantes ſpeciem. Comprehendit ſub ſe peccata lethalia, etiam dubia.* Non ſine admiratione legi lineam vltimam, putabam enim demonſtrari peccata dubia non pertinere ad confeſſionem; ſed quia liberum cuique eſt in ſuo ſenſu abundare, interfui & contra aliam concluſionem vtilius argumentum aſſumpſi. Interim poſtridie Calendas Septembres habetur ſolennior diſputatio Eminentiſſimo Principi Imperiali dicta, in quâ multa pulchra & ſubtilia, & præcipuè propugnabatur iſta Theſis. *Confeſſio exterior peccatorum debet eſſe integra, quoad circunſtantias mutantes ſpeciem. Præceptum de hac confeſſione comprehendit ſub ſe omnia peccata lethalia etiam dubia.*

Confeſſio eſt neceſſaria.

Cadit ſub præceptum.

M M M. CCCXLI. *Tota controuerſia reducitur ad λογομαχίαν.*

Legi relegi: & quia videbatur impoſſibile propoſitionem hanc, ſi meo lexico ſtemus, à doctiſſimis Viris defendi, ſuſpicari incœpi latere aliquam æquiuocationem. Et quia doceri cupio, conuêni ſupremos Theologiæ Profeſſores, & didici quæſtionem eſſe purè nominalem, & vix à noſtris fundamentis differre.

Quid ſit probabile? An vtraque contradictoria poſſit eſſe ſimul probabilis? Quid ſit dubium? Quid ſit ſcrupulus?

Dicebant primò, illud eſſe probabile, quod plerumque fieri conſueſcit: adeoque repugnare duas contradictorias eſſe probabiles, ſi enim verum eſt quod altera plerumque accidat, non erit verum quod oppoſita plerumque accidat. Addebant ſecundò, dubium tunc eſſe, quando rationes fortes vtrinque videbantur æquales, nec habebat intellectus, cur potiùs in hanc quàm in illam partem conſenſum aut diſſenſum dirigeret. Subiiciebant tertiò, virum (præcipuè doctum) poſſe negocio facili conſcientiam dubiam in probabilem vertere: cæterùm conſcientiam illam, quam vel rationes, vel nullæ angerent, nolebant dici dubiam ſed ſcrupuloſam. Verbis ſic explicatis euidenter conſpicitur, alio ſenſu nomen *dubij* accipi ab illis, alio, à nobis. Aiunt conſcientiam ſcrupuloſam explicari in confeſſione non debere, dubiam debere: eum qui probabiliter putat ſe aliquod peccatum commiſiſſe, illud confiteri debere: qui autem probabiliter putat illud non commiſiſſe, illud confiteri non debere. Et hoc etiam notandum eſt ad eorumdem mentem, peccatum ſemel confeſſum, ut dubium, aut ut probabile, ſi poſteà certò conſtet fuiſſe commiſſum, non debere iterum ut certum clauibus Eccleſiæ ſubiici, ſed ſufficere primam confeſſionem.

M M M. CCCXLII. *De modo loquendi.*

Ergo duo adnota, alterum circa rem, alterum circa modum loquendi. Porrò vocant probabile, quod nos probabilius: dubium quod nos æque probabile, Scrupulum, quod nos dubium. Conuenimus igitur in re, (nimirùm, in iſtâ aſſertione. *Qui habet rationes nullas aut leues ad credendum ſe peccaniſſe mortaliter, non tenetur confiteri* & differimus in modo loquendi; hanc enim notitiam Ego dubiam, Illi ſcrupuloſam appellant.

An teneatur aliquis ſequi ſententiam probabiliorem?

Hoc mihi ſufficit, ut oſtendam peccata dubia eo ſenſu quo Ego loquor, &, ut puto, cæteri debent, non eſſe neceſſariò in confeſſione explicanda. Cæterum quidquid de nominibus ſit, videntur hic Profeſſores eiuſmodi obligare hominem ad probabiliorem opinionem, quid enim aliud eſt dicere, *Teneor iudicare ſecundum id quod plerumque fieri conſueuit: adeòque non ſecundum id quod æquè ſolet fieri, & æquè non fieri, aut rariùs ſolet fieri, pluries non fieri:* quàm dicere; *Teneor iudicare ſecundum probabiliorem opinionem,*

non ſecundum aquè probabilem, aut minus probabilem?

Quærenda eſt curioſè verborum ſignificatio, ne in authorum intelligentiâ erremus.

Hinc patet eſſe omninò difficile aliorum examinare ſententias, dum enim alio ſenſu accipiunt voces Ita, alio Hiſpani, alio Thomiſtæ alio Scotiſtæ alio cæteri Authores, niſi ſis religioſus in examinanda verborum ſignificatione, conuenire putabis eos qui maxime contrarij ſunt: oppoſiti, qui omninò conueniunt.

CORONIS.

MMMCCCXLIII. *Deſcribuntur Corollaria nonnulla*

HVc uſque puto, certiſſimè oſtendi peccata dubia non debere neceſſariò ſubiici clauibus Eccleſiæ: nunc autem ad ſedandas conſcientias & omnes abolendos ſcrupulos, aliquas Concluſiones addemus.

An dubiũ, niſi obludamus verbis, in hac materiâ repugnet.

PRIMA. *Repugnat in hac materiâ dubium purè negatiuum. Repugnat purum dubium poſitiuum.* Quid, ſi alterutrum detur? *Reſpondeo in caſu* (eſt enim, vt dixit, impoſſibilis) *qui hinc inde aut nullam rationem poſitiuam habet, aut nullam grauem* (hoc enim eſt, dubitare negatiuè & poſitiuè) *non teneri illud dubium peccatum confiteri.* Caſum repugnare conſtat, quia homo præſumitur bonus, quamdiu non dantur rationes, quæ illum malum eſſe perſuadeant. Ergo ipſamet carentia rationum contra innocentiam procedentium, eſt fortiſſima innocentiæ probatio. Sanè poteſt dari dubium poſitiuum (hoc eſt, ratio leuis concomitans) at tunc ſtandum eſt pro poſſeſſione innocentiæ, quam firmat ratio fortis & grauis, videlicet, *Plerumque recordatur homo peccatorum mortalium. Atqui Petrus non recordatur ſe hoc peccatum feciſſe. Ergo non fecit.* Quæ ratio tametſi non ſit demonſtratiua fortis eſt. Immo quoad praxim debet cenſeri demonſtratiua, nam temerè procederet, qui in caſu ſe peccauiſſe judicaret.

Quàm ſit ſecura hæc conſequẽtia, Non recordor me hæc feciſſe. Ergo non feci.

Non debet quis dubium vt certum confiteri.

SECVNDA. *Non poteſt homò peccatum dubium, ut certum confiteri.* Patet; quia qui aſſerit quæ dubitat, mentitur; aſſerit enim eſſe certa, quæ eſſe certa non ſentit.

Quomodo debeat homo peccata dubia confiteri?

TERTIA. *Poteſt peccatum dubium vt eſt, nempè vt dubium, clauibus Eccleſiæ ſubiicere; & Confeſſarius, ni adiungatur alia materia certa, debebit conditionatam abſolutionem dare.* Conſtat ex praxi communi omnium, qui non poſſunt dici ita errare vt ne quidem probabilitatem teneant.

An debeat homo, qui dubia confeſſus fuit vt dubia, poſtea eadem vt certa confiteri.

QVARTA. *Confeſſus peccatum dubium vt dubium, ſi deprehendit deinde certum: non tenetur id vt certum confiteri.* Ita Leander, qui *part.1.tract.5.diſp.5.queſt.27.pag.138.b.* ſic inquit. [Hanc ſequi decreui, quam abſolutè tenet Caramuel *in Theolog. Moral. lib. 3. diſp. 4. num. 1539.* & vt probabilem Pellizarius & Tamburinus, quos citat Diana *part.10.tract.16.reſol.79.*]

MMMCCCXLIV. *Si peccatum à confeſſario exiſtimatũ veniale, ſit mortale, non debet illud pœnitens iterum confiteri.*

Primò, quia cum expoſuerit illud, pro ut erat in conſcientiâ, quod tantum exigit Trident. ſeſſ. XIV. cap. V. eſt ab eo directè, tametſi conditionatè abſolutus, per inde ac is cuius peccatum à Sacerdote exiſtimatur veniale, cùm ſit mortale; ſicut enim ſacerdos tunc vult abſoluere à peccato, pro ut eſt à parte rei, ita etiam in caſu noſtro; atqui peccatum, à quo quis directè abſolutus eſt, non tenetur ex iure diuino iteratò confiteri; Ergo.

An, qui numerum incertum confeſſus eſt, ſi certum poſteà ſciat, teneatur certum confiteri?

Secundò. Ex communi ſententia confeſſus ſe moroſè delectatum decies circiter, ſi certò deinde deprehendat ſe duodecies peccaſſe, non tenetur eas vices poſteà confiteri; & tamen eas non confeſſus eſt ut certas ſed modo dubio; atqui ſimilis ratio urget in caſu; Ergo.

Abſolutus ab excommunicatione aut voto dubio, manet abſolutus, etſi poſteà conſtet excommunicationem aut votum fuiſſe certum.

Tertiò dubius de voto, excommunicatione, &c. ſi petat diſpenſationem, ſoluitur omni obligatione, etſi deinde deprehendat certò emiſſum eſſe, &c. Ergo idem eſt in caſu ſed dicis, *Excommuni tamen ſententiâ & praxi tale peccatum eſt confitendum deinde ut certum*; *ſed* Ego dubito primò, An talis praxis detur. Et ſecundò, An hæc ipſa, ſi detur, ex ſcrupulo, an ex ratione orta fuerit. Videtur enim homo pœnitens, non velle diſputare, nec librare rationes, ſed ſequi ſecuriſſimam partem. Et tertiò, An hæc ipſa praxis, ſi detur, & cum ratione introducta ſit, inducere obligationem poſſit. Nam in Iure Diuino conſuetudo, ſicut non poteſt leges abrogare, ſic nec intendere aut introducere.

Tollitur æquiuocatio, quæ etiam in multorum Doctorum mentes ingruit.

QVINTA. *In articulo mortis, qui habet peccatum dubium, probabile, etiam minùs probabile, tenetur confiteri; tamen illud ipſum dubium aut probabile peccatum confiteri.* Prior pars demonſtratur: quia tenetur quis in articulo mortis ſe reddere omninò ſecurum, nec prudenter ſuæ Animæ & totius Æternitatis negotium expedit, qui vult ex hac vitâ, egredi dubius, An in æternum damnandus ſit. Ergo debet ponere media, per quæ ſe conſtituat in gratiâ. Ergo debebit in caſu unam bonam Confeſſionem facere: per quam certo conſtituatur ingratiâ. At illa in quâ peccata dubia & probabilia ſilentur bona eſt. Ergo hæc Propoſitio, *Qui habet peccata dubia aut probabilia debet confiteri*: eſt toto cœlo diuerſa ab hac, *Qui habet peccata dubia aut probabilia, debet illa ipſa confiteri.*

De Confeſſione in articulo mortis.

DISPV

DISPVTATIO V.

De Peccatis Oblitis.

An, quæ in priori Confeſſione inculpabiliter oblita aut omiſſa, ſint in poſteriori confeſſione neceſſariò explicanda?

MMMCCCXLV. *An Sacramentalis Cõfeſſio debeat eſſe integra? Integritas duplex: materialis, formalis. Cauſa, ob quas aliqua peccata in confeſſione ſubticere poſſimus.*

VT certum & indubitatum (& meritò) ſupponebatur in ſcholâ & Eccleſiâ Sacramentalem Confeſſionem, integritatem poſtulare, & hanc eſſe duplicem; materialem videlicet & formalem. Fit enim Confeſſio materialiter integra, cùm in illâ omnia peccata, nullo dempto, explicantur; & fit formaliter integra, quando aliqua ex cauſâ neceſſariâ omittuntur; hoc eſt, cùm explicantur omnia, quæ dici poſſunt. Cauſæ, ob quas poſſit aliquando Confeſſio materiali integritate carere, multæ ſunt, & à Doctoribus, qui de Pœnitentiæ Sacramento ſcripſerunt, dilucidantur. [Vide Leandrum *part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 5. quæ de Confeſſionis integrit. tota eſt. S Thomam *in* 4. *diſt* 47. *quæſt.* 3. *art.* 4. Suarium *diſp.* 22. *ſect.* 1 Vaſquez *quæſt.* 91. *art.* 1. *dub.* 2. Bonacinam *diſp.* 5. *quæſt* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. § 3. *diff* 2. *num.* 1. Coninckium, Diatam, Bellarminum, Molfeſium, Henriquezium, & alios.] Et inter cauſas principales, ob quas aliquando non poſſit habere integritatem materialem Confeſſio, eſt naturalis Oblivio, defectus Temporis, ſi forte ob violentiam morbi vel vulneris, incendij, vel naufragij, &c. Et inquirenti, *An peccata ex naturali oblivione, aut ex quâcumque aliâ cauſâ in priori Confeſſione omiſſa, etiam in eâdem Confeſſione incluſa intelligantur, ita ut nulla maneat obligatio illa confitendi; an verò dicendum ſit pœnitentem, ceſſante cauſâ, ob quam illa licitè tacuit, teneatur eadem in ſequenti Confeſſione aperire?* erat una & communis Reſponſio: & his terminis comprehendebatur.

Proponitur modus Difficultatis.

MMMCCCXLVI. *Confeſſio debet eſſe integra ex præcepto Divino. Oblivio voluntaria nõ excuſat.*

CONCLVSIO I. *Præcipit Deus, ut confeſſio ſit materialiter integra.* Ergo pœnitens ſolâ poteſt impotentiâ excuſari. Ergo, ſi ſciens & volens aliquod peccatum mortale ſubticet, non ſolùm non abſolvitur à peccatis confeſſis, ſed novum peccatum committit, tamen omnis oblivio pœnitentem excuſat, qui enim ſine examine, aut ſine debito, ad Pœnitentiæ Sacramentum accedit, novo crimine ſacrilegij irretitur: & quia facit confeſſionem invalidam, omnia peccata tam omiſſa, quàm confeſſa tenetur in ſequenti Confeſſione exponere, & inſuper illud etiam peccatum, quod faciendo malam Confeſſionem commiſit. Vnde patet non omnem oblivionem pœnitentem excuſare à peccato: ſed naturalem tantùm, quæ in voluntaria eſt: ea enim, quæ ex examinis defectu provenit, eſt voluntaria, & ideò excuſare non poteſt.

Qui malam fecit Confeſſionem omnia debet peccata, confeſſa & omiſſa repetere.

De Confeſſione formaliter integrâ.

CONCLVSIO II. *Si pœnitens convenientem diligentiam adhibuit, & tamen ex oblivione naturali aliquod peccatum in Confeſſione ſubticuit, fecit Confeſſionem formaliter integram, & nullum peccatum commiſit.* Patet: quia ad impoſſibile nemo tenetur; & habere aut non habere oblivionem in hominis non eſt poteſtate. Ergo quia ob oblivionem excuſatur, ceſſante cauſâ quæ eum excuſat, redibit illa prior obligatio faciendi integram Confeſſionem. Vnde ſit.

An liberum ſit meminiſſe?

CONCLVSIO III. *Si ceſſet oblivio, ceſſat cauſa, ob quam illa peccata, quorum erat oblivio, ſubticebantur.* Ergo (1) *pœnitens, peccata, quæ in priori Confeſſione ex naturali oblivione inculpabiliter omiſit, ſi redeant in memoriam, debebit in ſequenti confeſſione explicare.* Ergo (2) *ægrotus, naufragans, incendio oppreſſus, &c. qui ob inſtans periculum mortis, uno aut altero peccato audito, fuerunt abſoluti, ſi ex periculo evadant, tenentur integrè confiteri.* Quia ceſſante periculo, ceſſat, ratio, obquam non omnia confiteri peccata tenebantur.

Ceſſante cauſâ, quæ excuſat, ceſſat excuſatio.

Quid æger, naufragans, & cæteri facere debeant, ſi maneant elapſo periculo?

MMMCCCXLVII. *Author oppoſitæ ſententiæ præcipuus. Illa maximè diſplicet ſummo Pontifici.*

Tametſi hæc in Eccleſiâ doctrina per tot ſæcula fuerit communis & præſcripta, ante paucos annos occœpit illam in dubium vertere, poſteà etiam negare, P. Nucatius (ſic lex ſteganographica jubet, ut quemdam Theologum ingenioſum & eximium vocemus) qui tametſi nihil ediderit, Diſcurſum ſuum manuſcriptum aliquibus communicavit, & diverſas Cenſuras obtinuit. Et hæc ipſa doctrina ita Alexandro VII. Pontifici Max antequam in publicum aboriretur, diſplicuit, ut in ſupremâ illam Inquiſitione die 24. Septembr. 1655. cum aliis quam pluribus condemnaverit. Eſt inter condemnatas Vndecima, & his verbis proponitur. *Peccata in Confeſſione oblita ſeu omiſſa, ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequente Confeſſione exprimere.* Et quidem, tam eſt ſingularis hæc ſententia, ut P. Franciſcus Bordonus, Vir Eruditiſſimus, & qui multos ſcriptores examinavit, ingenuè fateatur, in nullo ſe iſtam doctrinam reperiſſe. *In Propugnaculi Opinionis Probabilis Additione. Fund.* VI. omnes has ab Alexandro Poſitiones condemnatas proponit & Scholiis dilucidat, & quando ad hanc Vndecimam pervenit; ſic inquit. [Non habeo Auctorem huius Opinationis: eſt nihilominùs certa omnium ſententia, quod peccata, etiam inculpabiliter oblita, ſunt confitenda ſuis nominibus propriis, cùm occurrunt memoriæ in ſequenti Confeſſione, quæ primò facienda, cùm occurrit præceptum confitendi; de quâ

In ſupremâ Inquiſitione condemnatur.

P. Bordonus laudatus.

Propoſitiones ab Alexandro condemnatas proponit.

Exponit, quæ ſit omnium ſententia & neceſſariò tenenda.

Digitized by Google

quâ re Diana *part. 3. tract. 4. reſol.* 114. Baſſæus Capucinus *verb. Confeſſio Sacram.* 1. *num.* 17.] Eaſdem Propoſitiones condemnatas apud D. Auguſtinum ab Angelis de rectu uſu Opinion. Prob. pag 111. apud Cardenas, & alios Recentiores inuenies.

ARTICVLVS I.

Benigna opinio pœnitentem deobligans.

MMMCCCXLVIII.

An hæc Quæſtio fuerit ab aliis examinata?

HANC difficultatem nemo, quem viderim, tractavit in terminis, quod enim univerſi ſupponunt, nemo examinat. Ergo, ut habeamus, qui cum diſputare poſſimus, introducatur aliquis, qui benignam opinionem tuetur, & ut illum provocare poſſimus, P. Nucacius nominetur, cuius ſit hæc Concluſio.

P. Nucacij Reſolutio.

Peccata invincibiliter oblita, ſi poſtmodum in memoriam redierint, non ſunt neceſſariò in poſteriori confeſſione aperienda. Et hac poſitâ diſcurrat ſic.

Nemo eſt, cùm ex antiquis, tùm ex modernis Auctoribus, qui quærenti; *An pœnitens, qui facto diligenti examine, ſecundum ſuæ capacitatis intellectum, & prudentiæ, omnia peccata, quæ tunc memoriæ occurrunt, faſſus fuerit, cæteriſque adhibitis ad legitimè Sacramentalem abſolutionem recipiendam; ſi poſteà aliquorum peccatorum mortalium (in eo examine oblitorum) recordatus fuerit, teneatur neceſſariò clavibus in aliâ confeſſione ſubiicere?*

Theologorum Reſolutio communis contradicit Nucatio.

Vt videre eſt non reſpondeat affirmative. Ita communiter Theologi in ſent. diſt. 18. vbi Valentia, Sotus, aliique poſt Magiſtrum, & Divum Thomam *in tract. de Sacram. pœnit.* Cœteri idem quærere ſolent; præcipuè ex Catechiſmi Romani doctrinâ,

Catechiſmi doctrina.

quod *p. 2. de confeſſione n. 50* ſic ait: *At verò, ſi aliâ de cauſa confeſſioni aliquid defuiſſe videatur, vel quia pœnitens nonnulla crimina oblitus fuerit; vel quia conſcientiæ ſuæ latebras non ità accuratè perquiſierit; cùm tamen illud in animo habeat, ut integrè omnia peccata confiteatur, nihil opus ei erit confeſſionem iterare, ſatis autem habebit, ſi quando peccata, quæ oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea Sacerdoti alio tempore confiteri.*

Suam concluſionē Veteres ſuppoſuerunt potiùs, quàm probarunt.

Hoc video ab omnibus ſupponi non diſcuti: nemo enim eſt, qui ex profeſſo eam partem defendere voluerit, quam nunc ſuſcipiendam duxi; Scilicet: *non eſſe neceſſario peccata ità oblita in aliâ confeſſione clavibus ſubiicienda*: Et quamvis non arduam tantùm, ſed audacem, etiam provinciam ſuſcipere, videar; Si tamen ad Sacroſancti Conc. Trid præcipuè auctoritatem Doctorum non vulgarium mentem, ac rationum infrà explicandarum momenta aliquis advertat; certè ſine temeritatis nota; imò maximè pietatis officio; laudabilem, ac facilem viam ingreſſus cenſeat.

MMMCCCXLIX.

Omnis ab aliquâ lege oritur obligatio.

Principio igitur ſupponendum puto, omnem obligationem aliquâ lege, ſive divina, ſive humanâ, nobis advenire, ut fatentur DD. in tract. de legibus. Siquidem Homo talis ligaminis ſubiectum capax, ab iis regitur, & gubernatur, præcipuè verò lege Divinâ, ad quam unam, omnes tandem leges ordinantur: Certum eſt autem inter præcipuas legis divinæ (per Chriſtum inſtitutæ) obligationes, illam adnumerari, quæ eſt de Sacramento pœnitentiæ per modum iudicij conficiendo, ut Sacr. Concilium Trident. & DD. omnes docent ex Ioann. 20. ibi: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis,* &c. & Matth. 18 ibi. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram*, &c. & alibi paſſim Chriſtus ità diſcipulos miſit, ſicut ipſe à Patre miſſus eſt; Vnde ſequenter Trid. *ſeſſ. 14. cap. 1. de pœnitentia*, hæc verba declarans: colligit eodem Iure divino præcipi omnia, & ſingula peccata mortalia, non ſolùm quoad ſpecies, ſed etiam quoad individua, & numerum, Iudici eſſe manifeſtanda, ſic namque iudicium integrè fit, & æquitas in pœnis iniungendis ſervari poteſt, quare generales accuſandi modos, omninò ſubſtulit.

Iſt præceptum de Confeſſione facienda.

Obligatio confitendi omnia peccata quoad ſpeciē & numerū oritur à Iure Divino.

MMMCCCL.

Concilia Canonica Ius Divinū declarant.

Porrò illud etiam certò apud omnes Catholicos definitum habemus, Concilia canonicè in Spiritu Sancto congregata, quoties æcumenica ſunt; poſſe nobis Ius divinum declarare, ſi eodem jure expreſsè aliquid non eſt ſancitum, ut Theologi omnes fatentur poſt D. Thom. in materiâ de Conciliis: Quemadmodum Sanc. Conc Trid. modum manifeſtandi peccata mortalia in tali iudicio declaravit: Igitur quoties ex tali Concilio conſtaret, peccata oblita (modo dicto) non eſſe ampliùs neceſſariò confitenda, toties certum eſſet, aſſertionem hanc noſtram non modo eſſe veram, ſed etiam eſſe Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutioni conſonam; ſiquidem, quæ maximè ex lege dependent, niſi lege probentur, nullius roboris ſunt, cum ut Iuſtinianus in Auth. de Triente, & Semiſſe §. 7. ait: *erubeſcimus, ſi ſine lege loquimur*; vbi ſubdit Gloſ. *non valere reſponſionem à lege non probatam.*

Circa confitendi peccata oblita obligationem, id tenendū in ſentiendum, quod legitima Concilia definierint.

Quæſtiones, quæ à Legiſlatoris voluntate dependent non rationibus, ſed textibus probari debent.

MMMCCCLI.

Quia à fidelibus circa Pœnitentia Sacramentū exigatur.

Probatur ergo dictum ex Conc. Trid. *cit. ſeſſ. 14. cap. 5.* vbi ait: *Conſtat nihil aliud in Eccleſia Dei à pœnitentibus exigi; quàm ut poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur*: Ex quibus verbis apertè colligitur peccata oblita non eſſe incluſa indirectè in abſolutione, ut non benè multi opinantur; ſed directè, licèt non in individuo, ſed in univerſum confeſſa, ut infrà patebit; ergo non ſunt ampliùs neceſſariò confitenda.

An peccata oblita in confeſſione includantur?

Probatur nō eſſe confitenda.

Probatur conſequentia: Primò, quia ſacroſanctum Concilium Tridentinum ait: *Nihil*

Digitized by Google

Nihil aliud exigi in Eccleſiâ Dei; ſed ſi oblita poſteà deberent confiteri, aliud etiam exigeretur, ut patet; ergo non debent neceſſariò manifeſtari: quia aliàs: *nihil aliud exigeretur*; & *aliud exigeretur*, quæ oppoſita ſunt; quare ad hanc contradictionem vitandam, dicendum eſt, quòd ſufficiat unica illa confeſſio, eorum quidem, quæ recordatur in ſpecie cæterorum verò (ut in univerſum) in eâ contentorum.

Aliàs enim aliud exigeretur, & aliud non exigeretur.

MMMCCCLII.

Legiſlator illa, quæ ſtrictè obſervari vult expreſsè determinat, & ſe determinaſſe declarat. Firmat hanc doctrinâ regula 57. in Sexto. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.*

Secundò, quia Legiſlator, quæ vult conſtituere, tum maximè explicat, quando in iis ſtrictiſſima requiritur obſervantia, & præcipuè, quando ad alias ſuas leges explicandas pertinent; ſed confeſſio oblitorum eſt ad ſtrictiſſimam conſcientiæ rem pertinens, & tamen voluit ſacroſanctum Concilium Tridentinum ſufficere, ſi in univerſum incluſa cenſeantur, etiam ſi in individuo non ſint manifeſtata: ergo non debent iterum ex neceſſitate confiteri. Quapropter, cum ſacroſanctum Concilium Tridentinum *dicto capit.* 5. ſtatuerit omnia, & ſingula peccata eſſe manifeſtanda, intelligendum eſt, ſi omnia, & ſingula memoriæ occurrant; quòd ſi eorum, quis obliviſcatur, jam in eâdem confeſſione incluſa, non ampliùs manifeſtari oportet, ut ex verbis ejuſdem Concilij inferiùs patet. Vide.

Incluſa naturâ includentis ſequuntur. Firmat hanc doctrinâ regula 42 *Acceſſoriũ naturam ſequi congruit principalis.*

Tertiò probatur conſequentia: Nam, quæ ſunt incluſa in uno aliquo, continentur ab illo, & ſequuntur naturam illius includentis, ſecundum modum incluſionis, ſed peccata oblita in eâdem confeſſione per Concilium ſunt incluſa per modum confeſſionis, ergo ſequuntur naturam illius confeſſionis: certum eſt autem ex naturâ confeſſionis, ut peccata ſemel confeſſa, non ampliùs manifeſtari debeant, ſive in particulari, ſive in univerſum confeſſa fuerint, ergo oblita, quæ in univerſum confeſſa ſunt, non debent ampliùs confiteri.

Varia Concilij explicationes.

Sed ut apertiùs, iſta rationibus, & auctoritatibus confirmentur, operæpretium eſt reſpondere nonnullis Doctorum modernorum traditionibus, ex quibus facilè res fiet manifeſta.

MMMCCCLIII.

An peccata oblita, cùm in memoriâ redeant, ſint confitenda?

Habet peccator obligationẽ ſubjiciendi Eccleſiæ clavibus ſua peccata.

Dum manet ignorãtia & oblivio excuſatur per accidens.

Ergo oblivione & ignorantiâ ceſſantibus ceſſat ratio excuſans, & redit confitendi obligatio.

Primum; Nonnulli Concilium interpretantur, ut excuſetur quis à confeſſione oblitorum, quoties (ſcilicèt) manent oblita; At verò, cùm in memoriam venerint, non eſt ratio, cur non debeant ſubjici clavibus; Atque ita Sotus 4. d. 18. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *in fine*, inquit enim: *Illa, quorum poſt diligentem indaginem meminiſſe nequit, ſimpliciter quidem confiteri tenetur, ſed tamen pro tunc excuſatur ignorantiâ invincibili, cum antiqua obligatio ſemper maneat*; Vndè propterea putat in Concilio Florentino dictum eſſe *teneri hominem confiteri peccata, quorum memoriam, habet*, id eſt; *Cùm in memoriam ei venerint*; Atque hinc potiſſimum ducunt argumentum pro contrariâ ſententiâ, etenim Iure divino omnia debent, & ſingula peccata poſt Baptiſmum commiſſa; ſubdi clavibus Eccleſiæ; ergo, cùm ſemel Eccleſia jus in eâ acquiſierit, quouſque dimittantur per manifeſtationem judicialem; ſequitur quod quamvis oblita pro nunc poſſint manifeſtari; cum tamen memoriæ occurrunt, manifeſtanda ſint; Atque hoc, ut Sotus dicebat; non propter obligationem tunc exurgentem, ſed propter antiquam, quæ ſemper manet.

MMMCCCLIV.

Concilium Lateranẽſe definit omnia peccata poſt Baptiſmum cõmiſſa eſſe confitenda.

Sed quia impoſſibilia Deus non præcipit, Florentinũ omnium peccatorum nomine illa intelligit, quorũ pœnitẽs memoriam habet.

Verùm hæc communis conſideratio, & ſi ante Concilij declarationem vim habere videatur, nunc verò contrarium ex dictis apparet; Ad cujus evidentiam, notandum ex ſupradictis eſt, quod jus divinum, quoad manifeſtationem quorumlibet peccatorum, nobis ex Conciliis declaratum eſt, quibus acquieſcendum omninò eſt: Et primum ex Canone Lateranenſis Concilij *cap.* 21. (quod habetur *in tit. de pœnit. & remiſſ. ca. omnis utriuſque ſexus*) generaliter omnia, peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ſub obligatione confitendi declarantur. Deindè hæc generalitas ex Concilio Florentino ad ea tantùm accomodata eſt, quæ memoriæ occurrunt, quæ verba violentiam patiuntur, ſi explicentur, quando memoriæ occurrunt, cum facilè fuiſſet ſacrum Concilium Tridentinum ubi non ſolùm confirmata eſt Florentini declaratio, ſed inſuper ad eam ſuperiorem explicationem tollendam additum eſt; *peccata oblita in eâ confeſſione eſſe incluſa, atque in univerſum confeſſa*, ut ſic non ampliùs dubitaretur, an ſint neceſſariò iterum confitenda. Igitur ex hujus Concilij declaratione apertè conſtat ſublatam omninò eſſe antiquam obligationem, illa peccata iterum ſubjiciendi clavibus; cum jam ſufficiens Concilio viſum fuerit ad ſatisfaciendum Iuri divino, quòd in univerſum ſint confeſſa; Idcóque rectè Tridentinum dixerat: *Nihil aliud in Eccleſiâ exigi*, ut ſcilicet, oſtenderet peccata, oblitaque jam in univerſum confeſſa ſunt, non eſſe ampliùs confitenda, ne alioqui novum onus imponere videretur, quòd nimis durum eſt. Quare ex hoc tollitur præcipuum contrariorum fundamentum; nam talia peccata ſubduntur clavibus Eccleſiæ, ſecundum quòd ipſamet Eccleſia nobis Ius Divinum in iis declaravit; ſiquidem ad Eccleſiam pertinet modum declarare, quatenus peccata debeant clavibus ſubjici, cùm Chriſtus ſolùm inſtituerit judicandi facultatem, quæ poſteà per Eccleſiam in hoc Concilio Tridentino quoad talem modum in oblitis declarata eſt.

Cur peccata oblita, in priori confeſſione fuiſſe incluſa dicantur?

An in univerſum ſint confeſſa?

An debeant in particulari explicari?

MMMCCCLV.

An fuerint ſubjecta clavibus in univerſum?

An, & remiſſa?

Vnum peccatum non poteſt abſolvi ſine alio.

Confirmantur hæc, & ſimul declarantur; nam quando adverſarij, dicunt peccata ſubjicienda eſſe clavibus, ut ſic poſſint dimitti, nec dimittuntur, quouſque ſubjiciantur, tunc facilè reſpondetur, jam eſſe clavibus ſubjecta; ſed in univerſum, ut docet Concilium, atque adeò eſſe dimiſſa, quod certiſſimum eſt ex eodem Trid. Siquidem hæc non retinentur à Sacerdote, qui abſolutè, & ſine conditione, aut limitatione abſolvit ab omnibus, in quantum ſuâ auctoritate poteſt, alioqui peccaret mortaliter, ſi ab uno abſolvere vellet, & non ab alio; cùm non poſſit Sacramentum pacis cum animâ inimicâ conſiſtere; itá ut ſit amica ſimul, & inimica.

Quomodò intelligendũ

Proindè à fortiori patet, neque à Deo retineri, qui ad talem abſolutionem concurrit, nihil

Digitized by Google

ſit illud Axioma. Facienti quod in ſe eſt, Deus nō denegat gratiam.

nihil retinendo, quemadmodum Sacerdos tenetur abſolvere nihil retinendo; nam Clementiſſimus eſt Deus, ad ſuam gratiam, omne peccatum mortale expellentem, concedendam ei, qui viribus ſupernaturalibus facit quantum ex ſe poteſt: ut ſupponimus in eo, qui (ſublato obice) obliviſcitur tamen inculpabiliter peccati.

M M M. CCCL. VI.

Peccata ſemel ſubjecta clavibus nō remittuntur, niſi aperiātur; eo videlicet modo, quo poſſunt; nam oblita aperiuntur in univerſum.

Neque denique ab Eccleſiâ; quia, ut jam probatum eſt, Eccleſia per ſua Concilia, obligationem probandi ſe ipſum ante confeſſionem, ad ea dumtaxat peccata extendit, quæ diligenter cogitanti occurrunt; Cætera verò vult, ut in eâdem confeſſione includantur, ex quibus evacuatur argumentum Coninch. *de Sacram.pœnit.diſp.5.dub.9. num.68.* Vaſquez 3. *part. quæſt.91. art.3. dub.5.* cum aliis ſimilibus aſſerentibus: peccata ſemel ſubdita clavibus, non poſſe dimitti, niſi iiſdem aperiantur, etenim (ut dixi) ex Tridentino ſunt jam in univerſum manifeſtata, & confeſſa, quod ſufficit.

Adduntur adhuc alia Concilij expoſitiones.

Sed ut apertiùs noſtram ſententiam confirmemus, neceſſarium eſt quorundam modernorum reſponſionem ad Concilium refellere; Quare.

An in Confeſſione incluſa dicantur, quia delentur virtute abſolutionis?

Deinde aliqui moderni reſpondent; Concilij verba (*in eadem confeſſione incluſa*) intelligenda eſſe, quoad virtutem abſolutionis, quia verè omnia, etiam oblita, dicuntur remiſſa, ut jam breviter demonſtravimus; Atque hoc Concilium præcipuè declaravit ad piorum hominum animos ſedandos; unde ſubſequitur ibi, dicendo cum Prophetâ: ***Ab ocultis meis, munda me Domine,*** ergo non poteſt dici, quod ex hoc ſint confeſſa.

M M M. CCCL. VII.

Quam Regulā in expenendo aliquo textu debeamus obſervare?

Sed neque hæc explicatio ſubſiſtere poteſt, quod ex multis manifeſtè oſtenditur; Primò, quia ex ſubſtractâ materiâ, & ex titulo regulanda eſt tractatio, ut Doctores conſentiunt, ſed materia, & titulus illius capitis, eſt de confeſſione, ut patet, ergo de illâ, non de abſolutione Concilium loquitur.

An peccata oblita ſint in univerſum confeſſa?

Secundò, quia de abſolutionis virtute ſpecificè infra *cap.6.* tractat, ubi rectiùs illud; cùm igitur hoc capite de ipsâ confeſſione agat, neceſſariò fatendum eſt, non ſolùm eſſe abſoluta, ſed etiam in univerſum eſſe confeſſa.

An vera expoſitionis lux affulſerit Paſqualigo, licèt non inferat omnia, quæ juxta bonæ Dialecticæ leges deberet.

Tertiò, nam Concilium expreſsè dixit *in eadem confeſſione incluſa intelliguntur*; At verò, ſi de Abſolutionis virtute loquutum fuiſſet, magis, imò neceſſariò dicere oportuiſſet, *eadem abſolutione remiſſa eſſe*; quo caſu certum eſſet debere poſteà manifeſtari; cùm ſupponeret per accidens tantùm& indirectè abſoluta; ergo cùm dixit: *eadem confeſſione*: non oportet ampliùs clavibus ſubjicere, cùm pro confeſſis habentur. Quod à longè videtur aſpexiſſe Paſqualigus *diſput.116.ſect.5.* dum probat ex dicto Tridentino; quòd Sacerdos, qui ante celebrationem recordatur obliti, non teneatur ex precepto ad illud peccatum, tunc ſubjiciendum clavibus; quia (ſcilicet) peccatum oblitum (ex Concilio) incluſum eſt in confeſſione omnium peccatorum, ergo Sacerdos non tenetur tali præcepto: Ubi (ait idem Paſqualigus) *Nota; quod non dicit Concilium*; eadem abſolutione remiſſa eſſe intelliguntur; *ſed eâdem confeſſione incluſa eſſe: Quæ duo toto Cœlo differunt*; quare hic Author, etſi contrarium à nobis in ſuis diſputationibus ſentiat, & præcipuè in eadem dubitatione ſuprapoſitâ illud confirmet; tamen (ut infra patebit) ad hominem ſibi contradicit, ideóque pro noſtrâ ſententiâ non minimum facere videtur; ut infra clariùs declarabimus.

An, qui ante communionem peccati obliti recordatur, teneatur illud ante communionem confiteri?

An oblita peccata eſſe eâdem abſolutione remiſſa aliud ſit, ac eâdē confeſſione incluſa.

M M M. CCCL. VIII.

An inter conſolationes, quæ pœnitenti per abſolutionē conferuntur, deobligatio confitendi oblita, etſi in memoriam redeant, ſit numeranda?

Quartò, quia Tridentinum *dicto cap. 5.* poſtquam dixit: oblita eſſe incluſa in confeſſione, & inſuper eſſe etiam abſoluta, & remiſſa ex Pſal.18. utrùm ſcilicet determinando; ſtatim ſubdit; *Ipſa verò huiuſmodi confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis, & conſolationibus levaretur; quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſimè conferuntur.* Quæ non ſolùm applicanda ſunt Superioribus, quoad difficultatem, & verecundiam, quam quis ſentire videretur ex manifeſtatione peccatorum ſuorum, præcipuè occultorum alij facienda, ſed etiam ad difficultatem, & gravem verecundiam oblitorum, ut (ſcilicet) ſic oblita nunquam ampliùs teneatur quis manifeſtare: cùm ideò Eccleſia nihil aliud à Pœnitente requirat, quod ſi requireretur talis manifeſtatio, jam gravis, & difficilis res redderetur; debuit ergo tot, tantiſque commodis confeſſionis difficultas levari, ut (ſcilicet) oblita, in eâdem confeſſione dicta cenſeantur, nec aliter Pœnitens poſteà gravetur, & inſuper tot, tantiſque conſolationibus onerari, ut omnia, etiam oblita dignè accedentibus, per abſolutionem certiſſimè remittentur, ſiquidem contrarium nonnulli ex antiquis credebant, ut nunc patebit. Ex quo facilè occurritur objectioni; ex verbis Concilij factæ ibi: *Ab occultis meis, munda me Domine:* Nam dicimus utrumque Concilium voluiſſe, & quòd peccata oblita ſint in confeſſione incluſa, & quòd per talem incluſionem, ſint abſoluta: Ex quibus omnibus ita explicatis.

Si confitenda adhuc ſint, falſum eſt, quod nihil aliud, quàm ut confiteantur, peccata, quorum habent memoriam, exigitur à pœnitentibus.

Quomodo intelligenda ſint illa verba, Ab occultis meis munda me Domine, *Pſal. 50.*

M M M. CCCL. IX.

Ex incluſione infert Conciliū abſolutionem. Ergo, ſi incluſa in cōfeſſione ſunt, jam ſunt cōfeſſa; ergo non debemus illa iterum confiteri. Nemo tenetur bis eadem peccata confiteri.

Redditur quintò, maximè probabilis noſtra explicatio; nam Concilium, ut certiſſimam nobis oblitorum redderet abſolutionem, priùs voluit peccata oblita eſſe in univerſum in confeſſione incluſa, ut ſic nulla ſit dubitatio, an de iis factum fuerit verùm iudicium in univerſum, nam cùm dubitari ſemper potuiſſet, an ad aliud, quoad illa pœnitens teneretur, volens concludere ad nihil aliud ab Eccleſiâ obligari rectiſſimè dixit priùs, oblita eſſe incluſa, atque adeò confeſſa, ut ſic judicium directè conſtaret, & poſteà benè concluderet eſſe in eâdem confeſſione abſoluta; Quare optimè deduci poteſt; ut quemadmodum oblita non ſunt ampliùs neceſſariò abſolvenda, quia ſufficit ſemel legitimè eſſe abſoluta, ita etiam oblita non ſunt ampliùs neceſſariò manifeſtanda, quia ſufficit ſemel legitimè eſſe abſoluta, ita etiam oblita non ſunt ampliùs neceſſario manifeſtanda, quia ſufficit ſemel fuiſſe legitimè manifeſtata; nam legitima manifeſtatio; quoad oblita ex Concilio,

Digitized by Google

lio, ea videtur eſſe, quæ in univerſum ſit, non etiam ea tantùm, quæ ſit in individuo, niſi cum illa non ſunt oblita.

MMMCCCLX. *An Sacramentalis abſolutio ad oblita extendatur?*

Atque hæc ratiocinatio rectior videtur, quàm illa à Medinâ adducta *in codic. de confeſſione quæſtion.* 39. *titul. de abſolutione ab oblitis.* Vbi adverſus communem ſententiam nititur cum aliis probare; quòd abſolutio Sacramentalis non ſe extendat ad oblita, & præter alia argumenta inquit: *Quia ſi peccator poſt præfatam confeſſionem manet à Sacerdote abſolutus etiam ab oblitis; Sequitur eum non ampliùs teneri ad confitendum oblita, magis, quàm ad confitendum confeſſa, cum ab omnibus jam ſit abſolutus; qui enim à debito aliquo ſemel eſt legitimè abſolutus, non conſonat rationi, nec juſtitiæ, ut rurſus eodem teneatur debito, ſed cum ex ſententia omnium, ille peccator poſteà teneatur peccata oblita; quando (ſcilicèt) ad memoriam venerint, Eccleſiæ confiteri; Sequitur illum priùs non fuiſſe ab illis oblitis abſolutum*: Hæc Medina; & cum eo antiqui eam ſententiam probantes; ex quibus; pro Nobis primum notandum eſt, quòd ſi Medina, & alij eam opinionem ſectantes, Concilij Tridentini determinationem conſideraſſent, certò in noſtram ſententiam libentiſſimè inclinaſſent; cum jam certum ſit oblita eſſe abſoluta, ut *dicto cap.* 5. patet. Quare ſic ejus ſententia, & auctoritas deducitur; per Medinam, ſi peccata oblita eſſent abſoluta, non ampliùs ea clavibus ſubjici deberent, ſed per Concilium Tridentinum clarum eſt hodie oblita eſſe abſoluta, ergo, per ipſummet Medinam non tenetur ea confiteri, quia (ut ipſe ait) non conſonat rationi, nec juſtitiæ, ut qui à debito aliquo eſt legitimè abſolutus rurſus eodem debito teneatur, Deinde notandum eſt aliud argumentum pro noſtrâ ſententiâ, à nobis etiam tactum, ſcilicèt, contra Iuſtitiam eſſe, ut qui ſemel à debito legitimè eſt abſolutus, poſteà eodem debito teneatur; ſed jam ex dictis conſtat per confeſſionem in univerſum de oblitis factam, eſſe legitimè abſolutum, ergo, non debet per novam confeſſionem iterum obligari. Tertiò notandum eſt contra Medinam, non rectè ſuis temporibus concludere, nam quamvis ab oblitis remaneret quis abſolutus, hæc tamen abſolutio non habebat confeſſionem aliquam, in quâ oblita in univerſum continerentur, meritò debebant iterum ſubjici clavibus, quia non poterant dici, confeſſa, licitè virtute abſolutionis, & gratiæ Sacramentalis (quæ cum peccato ſtare, ſaltem connaturaliter non poteſt) etiam oblita per accidens remitterentur, imò illud argumentum contra ſeipſum vigebat cùm admitteret; poſſe ratione morbi, vel ſimilis cauſæ abſolutio impendi ab omnibus, etiam ſignis unum tantùm peccatum manifeſtaret, (ut nos infra declarabimus.) At verò hodie ex verbis Concilij abſolutio cadit ſuper oblitis, non quatenus oblita ſunt, ſed quatenus in univerſum in eàdem confeſſione includuntur, atque adeò, tanquam confeſſa; nam Eccleſia illa (veluti ſibi manifeſtata) abſolvit; quod eſt verè, & legitimè abſolvi.

Conſiderentur bene hæc verba.

N. B. Ex confitendi debito colligit Medina illa peccata non fuiſſe abſoluta. Ergo eſſe abſoluta & non debere in confeſſione exponi ſunt neceſſariò connexa. Ergo, ſicut Medina ex confitendi obligatione infert non eſſe remiſſa, ſic P. Nucacius poterit ex eorum ſententiâ remiſſione colligere, & ſore iterum confitenda.

Qui eſt abſolutus non tenetur debito.

Eſſet injuſtus, qui debitum exigeret ab abſoluto.

An hoc argumentum hodie ſit fortius, quàm tempore Medinæ, qui ut Navarrus notat, floruit ante Tridentinum Concilium.

An abſolutio cadat per oblita quatenus oblita ſunt.

MMMCCCLXI. *Cur aliquorum Theologorum ſententiæ proponantur, & diſſerantur?*

Antequam verò nonnullas difficultates, adverſus hanc ſententiam à quibuſdam propoſitas; enodemus, liceat pro nobis quorum jam graviſſimorum Doctorum opiniones examinare, ex quibus non modicam probabilitatem noſtram explicationem recipere conſtabit.

Qui confitetur, & dicit Peccavi decies plus minus, *& ſi poſteà recordetur ſe peccaſſe duodecies, non tenetur confiteri illa duo; quia fuerunt in priori confeſſione incluſa Ita Sotus* in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. Sà in ſumm. verb. Confeſſio, n. 32. *Vivaldus* de Cõfeſſione num. 55. *Suarius* diſput. 22. ſect. 5. n. 28. *Vaſq.* q. 91. art. 1. dub. 6. *Vega* 1. p. cap. 63. caſ. 22. *Ægid.* diſp. 7. dub. 7. num. 62. *Pet. Ledeſm.* in ſum. tom. 1. c. 17. *Villalob.* tract. 9. diff. 33. *Sancius* d ſp. 2. n. 13. *Granad.* tract. 9. diſp. 10. n. 3. *Lopez* 1. p. c. 31. *Fagun.* li. 3. de præcept. Conf. c. 5. num. 9. *Bonac.* diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punc. 2. § 1. diff. 2. n. 6. *Trullen.* lib. 4. cap. 6. dub. 1. n. 13. *Geſualdus* tr. 12. cap. 4. n. 33. *Boſſius* Cõf. 4. n. 10. *Diana* 3. p. tr. 4. ref. 94. & 4. p. tr. 4. ref. 104. *Nu.* *emu. Filliuc. Regin. Pitig. & alij.*

Multi ſunt, qui docent, quod ſiquis facto diligenti examine, decem peccatorum recordetur, licèt intra eandem ſpeciem; ſi in accuſatione, poſtquam ſigillatim decem illa peccata mortalia dixerit, generalem proponat accuſationem cæterorum, ſi quæ fortè feciſſet, & Deus ſcit commiſiſſe: vel (ut communiter dici ſolet) *decem in circa peccata commiſit*, tunc ſi poſteà recordaretur duorum aliorum peccatorum ejuſdem ſpeciei, non tenetur illa duo clavibus ſubjicere; Quod verò iſti in modico hoc numero admittunt, id Martinus Vivaldus *in Candelabro aureo de confeſſione titul.* 7. § *Sed dixi numer.* 3. *fol.* 100. ad maiorem numerum uſque (ſcilicet) quadraginta extendit, quam ſententiam, ſingularem appellat Verricellus *tractat.* 1. *ſingul. opin.* 98. ſed reverâ nulla poteſt convincens, diſpar ratio adduci, cur in numero minori, id permittatur, non etiam in majori; nam ſi bene conſideretur, utrobique ſtatus Peccatoris innoteſcit, utrobique adeſt bona fides, utrobique difficultas oblivionis: & eadem utrobique gratia, & abſolutio conſequitur, quæ ad finem præcepti pertinet: Quâlibet ergo ex his ſententiis, tanquam probabili, admiſſa, duorum alterum neceſſariò ſequitur, vel eam ſententiam omninò eſſe Concilio adverſantem (quod non eſt aſſerendum contra communem ſenſum) vel quemadmodum illud verum eſt, & Concilio conforme, ita etiam, & noſtrum effatum. Quod verò priùs ſequatur, patet apertè ex dictis ſupra; nam in *citata ſeſſione* 14. *capit.* 5. expreſſis verbis Concilium ſtatuit, peccata omnia, & ſingula eſſe confitenda non ſolùm in ſuis ſpeciebus, ſed etiam in ſuis numeris, ut patet ex verbis *in ſpecie*, & *ſigillatim*, & infra ait: *Ea peccata confiteatur, quibus ſe Deum mortaliter offendiſſe meminerit*; quòd certè per quodcumque peccatum cujuſcumque ſpeciei, & ſpecierum numeri fieri conſtat. Atque, qui rectè ſentiunt, ita ſtatutum eſſe affirmant, ut communiter omnes confirmant, ſed per ſupraproſitas ſententias, certum eſt non ſubjici omnia, & ſingula in ſuo numero, ergo hæ ſententiæ Concilio adverſantes, nullam habent probabilitatem; cum tamen DD. contrarium communiter teneant. atque adeò ſequitur, teneri poſtquam certus numerus in mentem venit, oblita manifeſtare; quod nimis grave DD. exiſtimant: Quod ſiquis pro Superiori ſententiâ dicat, illud poſſe admitti, tum ex rationibus ſupra tactis pro dicto Vivaldi, tum præcipuè, quia ly *in circa*, vel ly *accuſo me de quantum ... quod Deus ſcit*, &c. videtur talem exceſſum continere, præcipuè ſi modicus ſit: nam in communi æſtimatione idem eſt, ac ſi duodecim dixiſſet?

MMMCCCLXII. *An pœnitētia impoſita à Confeſſario debeat ſolùm ſpeciei, ſed & peccatorum numero correſpondere? An ob continuationem & recidendi facilitatem poſſit negari abſolutio?*

Reſponderi poteſt, negando hoc aſſumptum, nam dato, & non conceſſo, quòd videatur notus ſtatus Pœnitentis, & quod ſit acquiſitus ſtatus gratiæ, & inſuper, quod pœna (quoad proportionem ſpeciei) ſit æquè impoſita, negari tamen poteſt. Primò, quòd ſit data ad æqualitatem numeralem, quæ quandoque non levem proportionem requirit; cùm actus continuatio, & facilitas recidivum arguat, quo caſu non ſolùm gravior pœna exigitur, ſed etiam (ex multorum ſententiâ) denegari poteſt abſolutio, & uſque ad tempus aliquod differri: Secundo, quod quantumvis proponatur æqualis pœna à Sacerdote conſtituta, at verò nunquam verum eſſe poteſt, quod iſta oblita in numero, & ſigillatim fuerint Sacerdoti nota, atque adeò non eſt ſatisfactum Concilio, ad numeros obliganti, nam cum quis dicit *in circa*, numeros ſolùm generaliter, in eo verbo explicat, quòd nullus negare poteſt; ſed Tridentinum apertè ſtatuit non poſſe in genere peccata recitari, ſed omninò ſigillatim, ergo neceſſariò ſequitur per ea verba, hujuſmodi præcepto ſatisfieri minimè poſſe; atque adeò cùm numerus determinatè occurrit; debere oblitum iterum clavibus, ſubjicere: At verò communis aſſertio, & Vivaldi opinio non eſt ita ſimpliciter damnanda, ideò ex noſtrâ ratiocinatione ad Concilium facilè ſalvari poteſt; ſi dicamus numerum oblitum non confeſſario de novo manifeſtandum, quia ex eodem Concilio infra declaratum eſt, oblita cenſeri eâdem confeſſione incluſa in univerſum; ideoque legitima oblitorum manifeſtatio ea videtur eſſe, quæ per generalem accuſationem fit, & ex ipſius confeſſionis vi importatur; Quare quemadmodum eſt probabile ex vi hujus Concilij non teneri numerum oblitum de novo explicare; ita etiam ſpecies numerorum, quia in utriſque generaliter Tridentinum dixit in univerſum eâdem confeſſione includi: proindè remanet poſteriùs in conſequentiam, quòd ea ſententia admiſſa, recipi etiam noſtra ſententia debet.

An, quando, & quomodo peccata, quæ in illis verbis plus minus includuntur ſint clavibus Eccleſiæ ſubjecta?

N. B. Sunt tā connexæ hæc, quam poſui de verbis plus minus ſententia & altera P. Nuæcij, vt G. Hurtadus *diſp.9.dif 5* & Lug. *diſp. 16.num.78. pag.317.* videātur ideò à communi diſcedere, & jubere, vt nō obſtantibus illis verbis *plus, minus,* ſi duorum adhuc recordetur, illa confiteatur, ne videlicet cogerentur amplecti opinionē Nuæcij

Et ſic conceſſo, quod ſupradiximus; ceſſant omnes objectiones, quæ rationabiliter adduci poſſent contra varias, & quotidianas, Doctorum ad invicem altercantium, opiniones; & præcipuè notabilem doctrinam Fagundez, 2. *præcept. Eccleſiæ l. 3. cap. 4. num.10.* adductam à Tamburino *in Methodo confeſſionis cap.1.§.4. l.2. num.29.* & Lugo *de pœnit. diſ.16. ſect. 14. num. 58.* Vide etiam Dian. *part. 3. tract.4. num.89.* qui cum Fagundez affert Henriquez *de pœnit.l.2. c. 3. num.10.* omnes ita aſſerentes: [Ruſtici, mulierculæ, & pueri, qui bonâ fide ſuas confeſſiones coram Parocho (etiam indocto) groſſiori modo, ſine numero peccatorum exhibuerunt; licèt peritiores, vel grandiores effecti, videant in multis ſe defeciſſe; Vnde, & multa dubia pro certis, & è contrà, Vnumque numerum pro alio ſe dixiſſe animadvertant; non ſunt cogendi repetere confeſſiones,] & addit rationem Tambur. quia ſaltem in confuſo Confeſſarius peccata percepit, & directè abſolvit, ſed ut verum fatear, impropriè videtur dictum hoc verbum: *directè*, nam quâ ratione, quô canone, quâ lege poſſit hæc directa abſolutio legitimari, ſi Concilium Tridentinum obligat ad numerum, ut omnia, & ſingula manifeſtentur. Ergo nullo modo poteſt talis ſententia rationabiliter ſalvari, niſi authoritate ejuſdem Conſilij ſic ordinantis, ut peccata oblita habeantur pro confeſſis in univerſum, & nihil aliud à Pœnitente exigatur; ceſſant etiam in ſuprapoſitâ doctrinâ difficultates de abſolutione directâ, & indirectâ, ut Dina (licèt aliud agens) aſſerit *in parte undecimâ.*

MMMCCCLXIII. *An ruſtici, qui non expoſuerūt numerum peccatorum, ſed corā ignorāte parocho dicendo pluries iuraui, pluries blaſphemaui, &c. confeſſi ſunt, teneātur priores omnes confeſſiones repetere.*

MMMCCCLXIV. *An qui recordatur alicuius peccati in confeſſione omiſſi poſſit ire ad communicādū, an verò illud teneatur ante quam cōmunicet, cōfiteri?*

Deinde redditur probabilis noſtra ſententia ex Paſqualig. opinione dicente, contra multos: Sacerdotem, qui ante celebrationem, obliti præcedentis confeſſionis recordatur, non teneri ratione communionis tunc, cùm recordatur hujus peccati obliti, confeſſionem præmittere: Quam ſuam ſententiam (ait ipſe) amplexos eſſe Doctos, à ſe conſultos, recentiores, quorum æſtimatio non minimam noſtro dicto addit authoritatem, ſiquidem ex rationibus, quibus fulcitur, clarè patebit; aut omninò falſam eſſe, aut neque in poſterùm Sacerdotem obliti teneri; ex Concilio Tridentino *cit. ſeſſ. 14 cap. 5.* argumento ducto ex Divo Paulo ad *Cor. 1. cap.11. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat,* &c. conſtat non modo ſtatum gratiæ, ſeu obicis expiationem requiri, ſed etiam probationem per confeſſionem Confeſſario legitimè factam, ut omnes ibi fatentur: igitur quamvis in tali Sacerdote ſupponatur ſtatus aliquis gratiæ; quia tamen peccati recordatur, quo Deum mortaliter offendit, neceſſariò ſequitur teneri ſeipſum per novam confeſſionem probare, ne id exſequi omittens, novum obicem gratiæ Euchariſtiæ ſupponat, legi non obtemperando, cùm poteſt, & debet obtemperare.

Apoſtoli verba explicantur.

MMMCCCLXV. *An bene ſuam opinionem defendat Paſqualigus?*

Proinde non rectè Paſqualigus ad argumentum in oppoſitum reſpondet requiri confeſſionem omnium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, ſed tamen ad finem expiandæ conſcientiæ, & acquirendum ſtatum gratiæ, qui cùm per talem Sacerdotem acquiſitus fuerit, ideò non ampliùs tunc tenetur.

An ex alio debeat illam fundamento defendere?

Nam hæc reſponſio non poteſt tollere, quo minùs ex memoriâ novi peccati, non debeat homo ſeipſum probare per aliam confeſſionem; ne legi non parendo, novum obicem ponat, ut dixi. Alia igitur ratio perquirenda eſt, ex quâ Paſqualigi ſententia roboretur; Et quidem aliam ipſe non obſcurè innuit in toto ſuo diſcurſu, ex dicto Concilio Tridentino, quia (ſcilicèt) talis Sacerdos jam ſatisfecit præcepto generalem omnium peccatorum ſuorum confeſſionem præmittendo, quòd ex Tridentino probat; ubi dicitur: *Reliqua verò oblita in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe*; ubi (ipſe ait) *Nota, quòd non dicit, eadem abſolutione remiſſa eſſe intelliguntur, ſed eadem confeſſione incluſa eſſe;* Nota bene. Atque hæc ratio ſola potens eſt, rem omnem concludere, nam ex hoc (ut diximus) conſtat; nihil aliud ab hujuſmodi Sacerdote requiri quòd ſi hoc probabile & verum eſt, ut verum eſt; facilè adducor ad hanc illationem: *Sacerdos*

Conſequentia ex opinione Paſqualigi deducta.

cerdos non tenetur huius obliti confeſſionem præmittere ; ſi ante communionem) habita copia Confeſſarij) illius recordetur, ergo neque vllo alio tempore in futurum ; conſequenter, nunquam oblita neceſſario ſunt in nova confeſſione manifeſtanda , quamvis in memoriam poſteà venerint ; Antecedens per Paſqualig. admittitur ; conſequentia probatur ; ideo non

An fiat confeſſio, vt ſtatui gratiæ anima reſtituatur?

tenetur Sacerdos ad oblitum advertens; Novæ confeſſioni , quamprimùm illud ſupponere, quia ſatisfecit præcepto omnium peccatorum , confeſſionem præmittendo , ſtatum gratiæ acquirendo , ſed totum hoc , in futurum ſemper eſt verum (vt patet) ergo , ſemper in futurum excuſabitur ; Neque facit, quòd in futurum teneatur peccatum illud fateri , quia indirectè fuit abſolutum : at verò

An peccata oblita indirectè remittantur?

non teneatur Sacerdos quamprimùm ante communionem , quaſi pro eo tunc poſſit excuſari , non etiam in futurum ; ut Paſqualig. ait , nam reſpondeo, dato , & non conceſſo, dici indirectè abſolutum oblitum , tamen ea ratio apertè facit , ut Sacerdos quamprimùm

An detur præceptum præmittendi Confeſſionē ante communionem?

etiam teneatur , etenim præceptum iſtud præmittendi confeſſionem Sacramentalem ante communionem , eſt temporis determinatio generalis præcepti , quo Iure divino omnes ad confeſſionem quandoque tenentur, at Iure diuino per Paſqualig. talis Sacerdos poſteà tenetur , ergo etiam in tali determinatione tenetur quamprimùm poteſt ſiquidem Ius

An tempus muret præceptum quo ad ſubſtantiam?

diuinum eodem modo , quo in ſubſtantiâ obligat , ita etiam in tali temporis determinatione obligabit cùm in huiuſmodi determinationibus , nunquam ſubſtantia præcepti, ſed qualitas temporis ſolùm declaretur , idem de annuâ confeſſione : certum eſt autem, quòd ex tali præcepto ad novam confeſſionem teneretur , ut Paſqualig. putat , ergo

An, qui ſemel præcepto ſatisfecit, teneatur iterū ſatisfacere?

etiam in tali determinatione temporis : Adde his ; quòd in quâcumque temporis circunſtantia talis Sacerdos conſideretur , ſemper dicitur ſatisfeciſſe præcepto, nec aliam novam circunſtantiam advertit , ex quâ ad tale oblitum manifeſtandum de novo obligetur , ideòque rectè ex tali ſententiâ colligi poteſt nunquam teneri.

MMMMCCCLXVI.

P. Nuracy ad objectionem reſponſio.

Verùm ne videamur tanti Doctoris opinionem fruſtrati ; relicta eius reſponſione ; ex dictis noſtris , alia facilior , & Concilio accommodatior conſurgit , quòd (ſcilicèt) talis Sacerdos neque quamprimùm , neque in poſterùm ampliùs teneatur , quia ſatisfecit præcepto , etiam quoad oblita ; Quippè, quæ in eâdem confeſſione incluſa ita cenſentur , vt nihil aliud ab huiuſmodi Sacerdote requirat Eccleſia , atque adeò eadem Eccleſia eſt , quæ ab oblitis obligationem relaxavit, & tanquam ſibi nota, per iudicium in vniuerſum habitum , dimiſit ; quod Paſqualig. in dicto Concilio à longè ſalutavit.

Iterum ex ruſticorum confeſſionibus indefinito modo factis argumentum reſumitur.

Adde quod diximus, & probat Verricellus *quæſt.moral tract.1.quæſt.9.num.2.* cum aliis, & reſolvendo , dic , ſi confeſſiones factæ groſſo modo (& etiam indocto) affirmant eſſe validas , & ad illas repetendas nullam adeſſe obligationem & tamen iſtæ confeſſiones cum manifeſtatione omnium peccatorum explicitè non habentur, ut patet ; ergo quamvis peccata oblita explicitè non ſunt manifeſtata , quia in eadem confeſſione in vniverſum incluſa cenſentur , neque debent clavibus ſubiici , etenim minùs videtur manifeſtare peccata ſua , qui groſſò modo confitetur, cùm videatur aliquo pacto ſcienter peccata non manifeſtare , quàm qui invincibiliter ignorat , ergo ſi illa non debent ex neceſſitate explicari à fortiori , neque oblita.

MMMMCCCLXVII.

An, qui Iubilæi tempore fuit oblitus peccati mortalis poſſit illud poſteà cuicumque confiteri?

Præterea comprobat noſtram ſententiam, quod refert Amicus *tom.7.diſ.21.ſec.6.n.175.* qui ait : *Doctos recentiores credere , non teneri eum , qui tempore Iubilæi fuit oblitus peccati mortalis , poſt Iubilæum confiteri Sacerdoti poteſtatem habenti in mortalia quæcumque , ſed ſufficere , ſi illud fateatur cuicumque , Sacerdoti habenti poteſtatem in venialia* ; Ergo ex hoc facilè inferri poteſt , ut idem Amicus (contrarium docens) infert ; quòd hoc peccatum oblitum , quemadmodùm poteſt à tali

An poſſit poſteà illud non confiteri?

Sacerdote abſolui , ita etiam , nec vnquam neceſſariò ſubiiciendum eſſe clavibus , quia cum fiat materia voluntaria , eximitur à neceſſitate confeſſionis; Atque hoc idem clariùs

Amici illatio.

pro ſuprapoſitâ ſententia notavit Valerus *in differentiis vtriuſque fori , verbo , Nullitas, diff.5. num. 3* hiſce verbis : *Ego puto probabile eſſe , peccata oblita (cum iam ſint directè abſoluta in prima confeſſione) poſſe poſteà abſolvi à quocumque , etiam non expoſito , ſeu approbato* ; Hæc Val. Et ſicut certiſſimum eſt ſecundùm communem ſententiam , non poſſe

Valeri opinio.

An à materiâ voluntariâ poſſit ſimplex Sacerdos abſolvere?

Sacerdotem ſimplicem abſolvere , niſi à materiâ voluntaria , non autem à neceſſariâ , ita directam abſolutionem non poſſe legitimè cadere , niſi in materiam explicitè manifeſtatam : Ergo iuxta hos Doctores , neceſſariò concludendum deducitur , oblita eſſe legitimè confeſſa , etſi non in individuo , tamen in vniverſum.

MMMMCCCLXVIII.

De peccatis reſervatis oblitis.

Demum redditur probabilis noſtra ſententia ex Adriano *de Sacram. confeſſ. in 4.q.49.* vbi putat non eſſe neceſſarium peccatum reſervatum oblitum fateri Sacerdoti poteſtatem habenti in reſervata , ſed ſufficere, etiam ſimplici Sacerdoti manifeſtare , *quod eſt conſolatorium pœnitentibus* , addit idem Adrianus , & quamvis Vaſq. *3.par. quæſt 91.dub.5. num. 4.* explicet Adrianum , ut nomine *ſimplicis Sacerdotis* intellexerit eum,qui à proprio

Quis Sacerdotis ſimplicis nomine intelligatur?

Sacerdote diſtinguitur ; tamen Cano , & Ledeſma *tom. 1.c.13. fol. 294.* generaliter etiam de eo Sacerdote explicant , qui in venialia tantùm , vel mortalia, alioqui confeſſa, poteſtatem habeat : Cum ergo ex Cani , & Ledeſmæ explicatione ita ſint , ac materia voluntaria , ſequitur non teneri ampliùs fateri , & clarè affirmando , tenet Carolus Malletii *in Theolog.mor. tom.1. de Sacram. pœnit. traditio. 11 bractea 5.* ita dicens : *Peccatum mortale ex oblivione inculpabili oblitum , non eſt materia neceſſaria confeſſionis.* Ad quod

An peccata mortalia oblita ſint materia neceſſaria Confeſſionis.

ego ; ſi non eſt materia neceſſaria , per conſequens , nec illud confiteri tenemur : Et rationem adducit Malletus ; quia hæc peccata oblita , ſunt verè abſoluta , & remiſſa quoad culpam , & pœnam æternam , ſed verè de legitimâ abſolutione negatur , niſi authoritate Conc. Tridentini comprobetur (vt iam ſupra probavimus) & clariùs patebit in ſequentibus.

M M M. CCCLXIX. *Proponuntur, & reſolvuntur objectiones.*

Poſtquam ergo probabilem hanc ſententiam, rationum momentis, & graviſſimorum Virorum teſtimoniis reddiderimus, operæpretium nunc eſt; nonnullos obices removere, ex quibus remotis, ſolidior hæc noſtra traditio videatur.

De Catechiſmo. Continet bonam & ſecuram doctrinam. An ita certam, ut nullam habeat opinionem probabilem? An in Catechiſmo contra hujus Articuli doctrinam aliquid ſtatuatur?

Et ante omnia opus eſt facere ſatis Catechiſmo, cui dicimus, illius doctrinam non eſſe conſtitutiuam, & abſolutam, ſed directiuam, ſeu inſtructiuam, ut etiam docet, licèt aliter loquendò Diana *part. 9. tract. 7. reſol. 1.* ex Doctorum communioribus ſententiis collectam, vt fideles vulgaria quædam addiſcant, quibus plus veluti faciant, quàm ex neceſſitate obligentur; quare verba illa claré oſtendunt quamdam ſuper erogationem operis, non neceſſitatem, dicendo, *ſatis autem habebit alio tempore confiteri*, quod non inficior: At nunquam Catech. voluit neceſſariò eſſe alio tempore confitenda, quod probauimus, & ex eiſdem Catechiſmi verbis tacitè colligi poteſt, ſi non expreſsè, nam ſi conſtituiſſet, vt legem, non pœnitentis arbitrio reliquiſſet, ſed ſtatuiſſet etiam, & tempus, præcipiendo, vt ante communionem oblita Sacerdoti confiterentur; ſed quia ad inſtructionem, non verò ad neceſſitatem pœnitentis arbitrio reliquit, dicendo: *ſatis eſt, ut alio tempore*, ſcilicet, quo pœnitens voluerit: igitur ſatis habebit, cùm recordatur, alio tempore fateri, ſi fortè ei placuerit: Adde quod, ſi quid eſt in Catechiſmo, quod à Conc. Trid. claré conſtitutum eſſet, in margine, & apoſtillis ſaltem notare ſolet, quod in eâ doctrinâ factum non eſt, ideòque, ſi nullâ factâ de Concilio mentione, doctrinam illam expoſuit, ſequitur conſequenter directivè ad inſtructionem, & ex communi Auctorum ſententiâ, non etiam conſtitutiuè loqui.

Quæ à Concilio, & quæ à Doctoribus ſumpta, ſunt in Catechiſmo diſtinguenda.

M M M. CCCLXX. *Omnia peccata debent directè clavibus Eccleſiæ ſubjici.*

Arguunt igitur, primò nonnulli Peccata omnia, & ſingula (vt ſupra diximus) ex jure diuino debent ſubiici clavibus Eccleſiæ, ut dimittantur; ſed oblita non ſunt directè clauibus ſubiecta, ut patet, ergo ſemper remanet obligatio illa directè ſubiiciendi; Nam ſicuti in iudicio humano non cenſetur Reus ab eo delicto abſolutus; de quo, vel propter obliuionem non fuit à ſuo Iudice abſolutus; vel ab alio, quàm à ſuo legitimo Iudice judicatus: Ita, neque in hoc iudicio ſacramentali cenſetur Reus ab eo crimine abſolutus, de quo propter obliuionem non fuit à ſuo legitimo Confeſſario, vel ab alio judicatus.

An oblita indirectè tantummodo ſubjiciantur.

Confeſſarium cognitâ cauſâ debet præcedere.

Secundò, quia confeſſio peccatorum fit, vt cauſâ cognitâ rectè imponatur pœnitentia; quòd patet ex Tridentino *ibidem*, cùm ait: non debere incognitâ cauſâ Sacerdotes Iudices iudicium exercere; ſed in oblitis non eſt talis confeſſio, ut cauſâ cognita rectè pœnitentia imponatur, ergo non poſſunt oblita dici verè confeſſa: atque adeò nunquam de oblitis factum eſt iudicium per legitimam cognitionem.

M M M. CCCLXXI. *An ſicut de oblitis, ſic etiam de peccatis quæ ex iuſtâ causâ ſubticentur, philoſophari valeamus? An, qui in morbo fuit per ſigna cōfeſſus poſteà, ſi cōvaleat, priora peccata confiteri teneatur?*

Tertiò, quia ſequeretur, quòd qui peccatum ex iuſtâ cauſâ in confeſſione tacuit, nunquam ampliùs, ceſſante huiuſmodi cauſâ, illud clauibus ſubiicere deberet; quod ab omnibus omninò negatur, quare ſi ob mortale vulnus, vel morbum, ſiue pœnitentis, ſiue Confeſſarij, aut ſimilem cauſam, ex quâ permittitur confeſſio non integra, imò per ſola ſigna non poſſit quis ſua manifeſtare peccata; quia iam legitimè abſolutus ab omnibus exiſtit, & acquiſitus ſtatus gratiæ non debet ampliùs onerari ad ea manifeſtanda, etenim quemadmodùm ibi excuſat difficultas obliuionis, ita etiam hic excuſat difficultas morbi, vel alia iuſta cauſa; ſed hoc omninò repugnaret; ergo etiam illud.

M M M. CCCLXXII. *Solus D. N. Ieſus Chriſtus habet abſolutā in Sacramenta authoritatem.*

Quartò, quia ſi pœnitens non teneretur mortale oblitum legitimo Sacerdoti (directam in illum iuriſdictionem habenti) confiteri id aliundè prouenire non poſſet, quàm ex naturâ confeſſionis ſacræ, & Chriſti inſtitutione, quia nemo, præter Chriſtum, auctoritatem habet ſuper materiis Sacramentorum; ſed nullibi ex Chriſti inſtitutione, id conſtat, ergo neceſſariò, cum in memoriam venerit, clauibus ſubiiciendum eſt.

An ſuperior poſſit mortalia oblita reſervare?

Quintò, quia ſi ex naturâ confeſſionis ſacræ, & Chriſti inſtitutione non teneretur obliti, ſequeretur, quòd à nemine cogi poſſet ad illud tali) v. g. Sacerdoti habenti directam iuriſdictionem in mortalia) confitendum, ſicuti de venialibus dicimus; neque poſſet Superior mortale oblitum ſibi reſervare, ſed hoc non admittitur, ergo, & id unde ſequitur. Atque ad hæc cætera, quæ adduci in contrarium, reduci poſſunt. Vnde.

M M M. CCCLXXIII. *Quid per verba directè clavibus ſubjici intelligatur?*

Reſpondeo ad primum argumentum, Quia explicandum eſt, quid Doctores intelligant pro ly *directè clavibus ſubjici*, nam, vel volunt debere peccata omninò claré, diſtinctè, & explicitè in ſpecie, & indiuiduo, ore explicari, & hoc à nobis negatur; nam nullibi habemus expreſſum, id ità fieri debere, imò ex Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 3.* confeſſio ſimpliciter ponitur pro parte materiæ huius Sacramenti; quamvis in Florentino ſub Eugenio IV. diceretur: *oris confeſſio*, nam Tridentinum; rectè exiſtimavit ad directè hoc iudicium exercendum, ſi confeſſio fieret, ſiue in particulari, ſiue generaliter, & in vniuerſum, vt ſupra ex eodem Tridentino probauimus *cap. 5.* modò non ex malitia, ſed ex naturali, & inculpabili obliuione confiteamur in genere, quæ non poſſumus in particulari. Quemadmodùm docet Suarez *de pœnitentiâ diſp. 23. ſect. 1. num. 11.* & Lugo *de pœnit. diſp. 17. num. 15.* citati à Verricello *queſt. mor. tr. 8. quæſt. 21.* Quod poteſt peccatum abſolvi directè ſecundùm rationem communem, ſicut etiam alij docent, quod ſiquis confiteatur peccatum ſub ratione communi, tunc directè, etiam ratio ſpecifica (oblita) dicitur remiſſa, atque adeò confeſſa; v. g. qui confitetur fornicationem, nec recordatur ſpeciei Adulterij, directè dicitur abſolutus, non ſolùm à fornicatione, ſed etiam ab adulterio, & addit rationem Verricellus, *ubi ſuprà num. 5.* ergo ſicuti directè abſolvi iſta dicuntur, ita etiam directè clauibus ſubiecta fuerunt, ſic ex communi Doctorum ſententia? qui per nutus dumtaxat confitetur, directè abſolvi dicitur, quamvis reverà expreſsè ore non manifeſtet peccata;

An hujus Sacramenti materia ſit confeſſio in particulari?

An, & quomodo peccata in genere confeſſa remittantur?

An, qui in genere, aut per nutus confitetur directè abſolvatur?

Inſuper

Inſuper idem de peccato mortali in genere explicato, communiter concedunt, vt dicatur directè abſolutum, quamvis clarè non ſit ore patefactum; Igitur peccata oblita, quæ ex Tridentino ſunt in vniuerſum, & generaliter in eadem confeſſione incluſa dici neceſſariò debent, directè abſoluta, atque adeò antecedenter confeſſa, quod ſi illud *directè ſubiici*, intelligant aliquo modo in confeſſione contineri, & eſſe confeſſa, (vt intelligere debent) & tunc id concedimus, quia ex citato Tridentino peccata oblita in tali confeſſione includuntur; ergo directè confeſſa, & directè abſoluta. Quare ex doctrinâ Card. de Lugo *de pœnit. diſput. 16. num.* 586. noſtram explicationem confirmamus: nam (inquit ipſe) *Remitti indirectè, eſt remitti peccatum non ſubiectum clauibus, remitti directè, eſt remitti peccatum ſubiectum clauibus*: ſed nos probauimus, oblita eſſe ſubiecta clauibus ex Trid. quod vult eſſe in confeſſione incluſa, ergo ſunt directè dimiſſa; Vnde diſtinguo minorem, non ſunt clauibus directè ſubiecta, expreſsè, & proprio (modo dicto) concedo minorem; in vniuerſum, & generaliter nego minorem; Vnde nego conſequentiam.

Si hoc aſſeritur, etiam peccata oblita directè fuiſſe remiſſa dicendum erit.

Quid ſit remitti directè ex Lugone?

M M MCCCLXXIV N. B. Etiam Princeps poteſt & ſolet causâ cognitâ in genere omnia crimina vſque ad talem diē commiſſa condonare. Et hūc pertinet ἀμνηστία, ſeu ἀμνηστεία, quæ in omnibus Tractatibus Pacis publicatur, vi cuius omnia crimina ratione belli cōmiſſa remittuntur, etſi non in ſpecie aut indiuiduo, ſed in genere tantùm noſcātur.

Ad ſimilitudinem Amici, negatur paritas; nam diuerſi ſunt caſus propoſiti, ſiquidem Amicus loquitur de delicto oblito, ubi Iudex nullam fecit indulgentiam, & remiſſionem, meritò non poteſt Reus videri abſolutus à tali delicto; Iudici incognito; At verò nos loquimur in peccatis oblitis, quæ ab Eccleſiâ ex Tridentino habentur tanquam confeſſa & jam abſoluta; nec aliud in iis Eccleſia requirit: igitur non debet iterum clauibus ſubiici, nam in hoc judicio Sacramentali Reus eſt à crimine abſolutus (propter obliuionem) in vniuerſum confeſſo, & dimiſſo, vt ex Tridentino citato patet; & tamen non eſt expreſsè a pœnitente manifeſtatum, nec à confeſſario (vt cognitum) judicatum; Quare facilè poſſet paritas retorqueri, nam ſi delinquens in cœteris delictis habeatur, vt abſolutus, non deberet iis iterum abſolui; ſed in oblitis habetur, vt confeſſus, & abſolutus, ergo non debet iterum neceſſariò confiteri. Et quia Amicus Iudicem cum Confeſſario compoſuit, notandum eſt Iudicem, qui ſupremus eſt Princeps, cognitâ in genere causâ frequenter iudicare, & pronunciare, cùm favere vult reis. Hinc *amniſtia* (obliuio) initium habuit: nam cùm rebellat populus, & tandem in Principis gratiam admittitur, non ſolùm condonatur rebellio, ſed omnia etiam crimina, quæ ob rebellionem facta, ita vt hæc in deprecatione, & abſolutione rebellionis in vniuerſum incluſa intelligantur. Sanè Chriſtus eſt ſupremus Princeps, & peccatores ſunt rebelles: ſi hi pœniteant, & confiteantur, quæ ſe commiſiſſe meminerint, condonat, non ſolùm quæ ſunt expreſsè, ſed etiam illa, quæ ſunt vniuerſim confeſſa. Ergo, ſiquidem amniſtia generalis conceditur, non eſt cur poſteà ſic abſolutus, vt iterum veniam petat, cogatur.

Inferiores Iudices debent ſecundum leges iudicare: ſupremus poteſt reo favere præter leges. D.N. Ieſus Chriſtus eſt ſupremus Iudex.

Nec ſunt peccata oblita, vt peccata reſervata; nec vt peccata voluntariè (iuſtâ causâ exigente) relicta; nam iſta indirectè abſolvuntur.

Quis debet centum aureos, ait Dominus, (cui debentur) cum dederis quinquaginta; volo, vt reliqua habeantur pro ſolutis: non dicit, vt donatis, ſeu remiſſis, ſed pro ſolutis, tunc ſi debitor ſolvit quinquaginta, ſtatim alia quinquaginta habentur pro ſolutis: idem in caſu noſtro.

M M MCCCLXXV. *Sumitur argumentū à Creditore & Debitore.*

Peccator debet ſubiicere clauibus Eccleſiæ explicitè, tot peccata, quot delicta perpetravit: v. g. centum peccata, accedit lex, & ait, ſubiice peccata Iudici (Confeſſario) & volo, vt omnia, & ſingula ſubiicias, de quibus recordaris, poſt diligens examen; quòd ſi quæ memoriæ non ſuccurrunt, volo, vt intelligantur ſubiecta clauibus, & incluſa in illis peccatis, eâdem confeſſione confeſſis. Certè iſte pœnitens dicitur ſolviſſe, & ſubieciſſe omnia peccata clauibus, quando actu confitetur peccata, quorum recordatur, licèt non recordetur omnium, & omninò eſſe liberam ab omnibus oblitis, quia ſic vult lex; ideò ab omnibus remanet abſolutus, & ratio eſt, quia illa peccata oblita (quamvis non ore proprio inculpabiliter: prolata in individuo; ore autem legis, in vniuerſum, & nihil aliud requirentis) implicitè includuntur in confeſſione explicitâ, ex decreto Sacroſancti Concilij Tridentini, quod vult peccata oblita intelligi incluſa in præmiſsâ confeſſione, & conſequenter abſoluta, & quidem directè, vt diximus, & ſentit Valerus, *ubi ſuprà*, ſic dicens. *Ego puto probabile eſſe, talia peccata oblita (cum iam ſint directè abſoluta in prima confeſſione) poſſe poſteà abſolui à quocumque etiam non expoſito, ſeu approbato.*

Chriſtus eſt Creditor, peccator Debitor.

Quid ex hac ſimilitudine infertur?

An peccata oblita in confeſſione explicitâ includantur implicitè?

Valeri opinio.

M M MCCCLXXVI N. B. Ad mentem Nuecacii duo genera peccatorū ſimul in Sacramētali ἐξομολογήσει confitemur, illa videlicet, quorum recordamur, illa quoad ſpecies & numeros exponendo; & illa quorum non recordamur, dicendo in genere Ab occultis meis munda me Domine, aut aliā ſimilem deprecationē. Et quia hæc poſteriora peccata in priorum ἐξομολογήσει comprehenduntur, ſuper utraque cadit directè abſolutio; ita, ut neutra teneatis iterum confiteri.

Ad ſecundum reſpondeo: diſtinguendo maiorem: Confeſſio peccatorum in ſpecie (quorum quis recordatur) fit, vt causa cognitâ rectè pœnitentiâ imponatur, concedo maiorem; confeſſio peccatorum in vniuerſum, quorum quis non recordatur, fit vt causâ cognitâ, rectè pœnitentiâ imponatur, ſubdiſtinguo. Vt pœnitentiâ imponatur causâ cognita ſaltem in vniuerſum, concedo: causa cognita in particulari, (ſcilicèt, in ſpecie, & indiuiduo) nego. Vnde data minore, diſtinguo conſequens: non poſſunt oblita dici confeſſa in ſpecie, & in indiuiduo, concedo conſequentiam; non poſſunt dici confeſſa in vniuerſum; nego conſequentiam nam vt ſuprà latè probauimus ex Concilij Tridentini verbis; quatenus ſpectat ad peccata oblita, ſufficit confeſſa cenſeri in vniuerſum eadem confeſſione. Quare neceſſariò verba Tridentini in argumento ſecundo allata intelligenda eſſe cenſeo, de peccatis quorum quis recordatur ante confeſſionem, ſeu in ipſo confeſſionis actu, quæ omninò aperienda ſunt ad cauſæ cognitionem faciendam, & pœnitentiam juſtè imponendam, ſecùs verò ſi eſſent oblita; quia de his, cum Propheta dicimus, *Ab occultis meis, munda me Domine*, vt idem Concilium ibidem docet: quare ad eorum peccatorum pœnas delendas, poterunt indulgentiæ lucrati, vt communiſſima ſententia docet: teſte Dian. *par.* 5. *tr.* 12. *reſol.* 3. aut ſufficiet pœnas in Purgatorio ſubire; Quapropter, judicium ad ſeruandam æquitatem pœnæ (quod eſt pœnitentiæ impoſitio) non

De pœnâ peccatis oblitis debitâ. An per indulgentias remittatur?

eſt

Digitized by Google

An ſatisfactio ſit de eſſentiâ hujus Sacramenti?

MMMCCCLXXVII.

eſt de eſſentia, & neceſſitate ſimpliciter huius Sacramenti, ideò nec Eccleſia obligat, quia ſatisfactio non eſt de eſſentia ſatisfactionis culpæ, quantùm ad culpam; benè tamen quantùm ad pœnam, quæ niſi imponitur à Sacerdote, taxatur à Deo; proindè multi probabiliter docent, poſſe pœnitentiam à Confeſſario impoſitam, non acceptari, aut per æquipollens impleri (ſcilicèt lucrando indulgentias.

N. B. An non magis conſequenter reſpõderet Nucacius concedendo ſequelas? Vbi, enim eſt par ratio, eadem Iuris diſpoſitio eſſe debet. Quam ob rem, cùm Peccata oblita habeant privilegiũ, vt cenſeantur incluſa in confeſſione, & hoc privilegium non habeãt quia oblita, ſed quia illa pœnitẽs cõfiteri nõ poteſt, conſequẽs erit, vt omnia, quæ omittuntur, quia illa pœnitens confiteri nõ poteſt, cenſenda ſint ſimiliter in priori confeſſione incluſa, & non debere poſteà in aliâ confeſſione aperiri. At argumentum, quod nim ũ probat, nihil probat.

Ad tertium reſpondeo negando ſequelam: nam in præfatis caſibus tenetur poſteà (iuſta cauſa recedente) pœnitens fateri: diſpar autem ratio ex eo conſtat, quod (vt diximus) ex Eccleſiæ declaratione, oblita tantùm in vniverſum in confeſſione incluſa cenſeri debent; nec aliud poſteà Eccleſia exigere voluit; quod ad Eccleſiã declarare ſpectabat; vt initio monuimus: at verò in aliis iam dictis nullibi idem legimus declaratum. Quare ſemper Conciliorum verba vigent, quibus obligantur homines ea peccata fateri, quorum memoriam tenent; Certum eſt autem ex quacumque ratione quis impediatur, nunquam tamen verum eſt, non occurrere memoriæ; ideòque nunquam poſteà excuſabitur Concilius ſatisfacere. Igitur obliuio inuincibilis, ſola eſt, quæ à tali obligatione facit homines exemptos; ita Concilio declarante; non etiam alia quacumque cauſa.

Ad quartum Reſpondeo negando maiorem, ſi loquamur directè, & per ſe, ſed per quandam conſequentiam, & per interpretationem; ſiquidem (vt dixi, & probaui) hoc per Eccleſiæ declarationem nobis conſtat: verum eſt, quod videatur Eccleſia ſuper materiis Sacramentorum diſpenſare directè, & per ſe (quod facere non poteſt) quaſi eximat peccata, quæ ſunt materia pœnitentiæ Sacramenti, ab eius materia. Etenim Eccleſia, neque vnquam fecit, neque id facere poteſt, quod haud aſſerimus: Sicuti quoad ſubſtantiam Sacramenti; vt non per modum iudicij fiat; neque poteſt diſpenſare, aut quòd non ſit per accuſationem, ſaltem præſuppoſitam. At verò, quod circa peccata, ac delicta, quæ memoriæ occurrunt, clarè, diſtinctè, & ſingulatim iudicium fiat; circa verò cœtera, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, fiat in eadem confeſſione in vniverſum, hoc vtique declarare potuit. Siquidem Chriſtus generalem abſoluendi, & retinendi (per modum iudicij) facultatem inſtituit; quam poſteà Eccleſia per talem, & talem modum in particulari declarauit. Nec eſt in hoc Sacramento novum, ſed nonnullis aliis commune; præcipuè matrimonio (nam conſenſus vtriuſque Conjugis) licèt ad materiam, & formam contractus pertineat, & ſimul ad materiam, & formam Sacramenti; cum eadem ratio contractus ſit elevata ad rationem Sacramenti; attamen Eccleſia ſtatuit, vt talis contractus, & Sacramentum non valeat; ſi metu gravi fiat, quod facere potuit, quia Eccleſia habet poteſtatem ſuper contractibus, & eorum ſubſtantia; ideò indirectè potuit etiam ſuper materia huius Sacramenti diſponere, vt ita, vel ita fieret, vel non fieret: peccata igitur oblita non eximuntur ab obligatione, vt confiteantur ſimpliciter, ſed vt

MMMCCCLXXVIII.

An Eccleſia in Sacramẽtorum materiis poſſit diſpenſare? Tametſi Eccleſia non poſſit de materiis & formis Sacramentorum diſponere, poteſt definitivè & infallibiliter, quid & quomodo diſpoſuerit Chriſtus declarare. An, & cur Matrimoniũ ex gravi metu cõtractum ſit invalidum?

non oporteat ea in ſpecie ſigillatim explicari; cum cenſeant in vniverſum incluſa: & hoc non per diſpenſationem, ſed per declarationem, vt dixi.

MMMCCCLXXIX

N. B. Ego quidquid Nucacius, & alij Viri docti inculcẽt, nego poteſtatem à Chriſto Sacerdotibus datã ab Eccleſiâ reſtringi. Sicut enim homo licèt habeat potentiã viſivam nõ ideò poteſt videre aërẽ, niſi coloretur, ſic ſimiliter Sacerdos, licèt habeat poteſtatem abſolutivã, nõ poteſt quoſcũque homines à peccatis abſolvere, ſed ſibi ſubditos. Et modò Penũ Madriti ad audiendas confeſſiones approbatum conſideremus. Poteſt illas excipere Madriti, & Pariſiis non poteſt. Cur poteſt Madritenſes abſolvere? Quia illos ei Archiepiſc. Toletan. cõmiſit. Et cur Pariſienſes non poteſt? An quia Eccleſia datam ei à Chriſto poteſtatẽ reſtrinxit? An quia Pariſienſes ei à Chriſto cõmiſſos, Eccleſiæ providẽtia ſubduxit? Nequaquam. Cur ergo? Quia Chriſtus illi dedit poteſtatem, non ſubditos; & illam exercere nõ poteſt, niſi hos recipiat ab Epiſcopo.

Ad ultimum Reſpondeo, dicendo; quia quilibet Sacerdos facultatem habet peccata mortalia judicandi, ex Chriſti Domini verbis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* At verò Eccleſia; ex capitis poteſtate (quam ab eodem Chriſto recepit) eam facultatem in eiſdem (tanquam ſuis Miniſtris) ex juſtis cauſis reſtrinxit. Vt, ſcilicèt non quilibet ſit cuiuſlibet peccati legitimus Iudex (niſi per Eccleſiam talis declaretur) materiæ factâ legitimâ applicatione, ſubditiſque declaratis. Proindè, quatenus ad venialia ſpectat, nullam fecit reſtrictionem, quatenus verò ad mortalia pertinet; iis dumtaxat, quibus ab ipſa ſpecialiter concederetur, facultatem abſoluendi, retinendivè dedit. Igitur, vt ad rem noſtram deſcendamus; quoties Eccleſia peccata ſibi ſpecialiter reſeruat, non poteſt quilibet ab eis abſoluere; quoties verò habet ea pro confeſſis, iam nullatenus reſeruata ſunt: certum eſt autem peccata inuincibiliter oblita ex Sacro Concilio Tridentino, eſſe in confeſſione peracta (licèt non in indiuiduo, tamen in vniverſum) incluſa; ergo ex tali confeſſione remiſsâ reſeruatione, omninò voluntaria erit eorum confeſſio; atque hoc totum Tridentinum tùm clariùs expreſſit, cùm ait: *Nihil aliud ab eo exigi, qui ita peccata ſua faſſus fuerit*, apertè oſtendens, quoad oblita ſufficere eam confeſſionem, ita in vniverſum factam; cùm alioqui ſi iterum neceſſariò fateri ea teneretur, aliud certè exigeretur. At hæc ratio manifeſtè de reſervatis oblitis etiam conuincit, nam ly *cætera verò, quæ diligenter cogitanti non occurrunt*, &c. quod in Tridentino dicitur, generale verbum eſt, omnia peccata indiſcriminatim continens, ſiue ſimpliciter mortalia ſint, ſiue reſervata, quam legem, & modum rectè potuit Chriſtus ſtatuere: & ſi Chriſtus ſic ſtatuit, hoc potuit ſtatutum Eccleſia promulgare: & ſiquidem ſic illa expoſuit, certum eſt, ſic & non aliter hoc eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum: nam Eccleſia errare non poteſt: eſt enim Iuris divini legitima, & ſola interpretatrix, & quemadmodùm illud ſtatuit de mortalibus oblitis, ita à fortiori) cum de Iure divino ſit talis poteſtas à mortalibus abſoluendi; aliqua verò reſervandi, à Iure humano ex eodem iure divino deſcendens) idem voluit de oblitis, ab ipsâ ſpecialiter reſeruatis; vt (ſcilicèt) in eâdem confeſſione in vniverſum contenta cenſeantur; Atque ideò maximè admittendum eſt, quò maxima eſt Eccleſiæ benignitas; quæ generaliter, nihil aliud à tali pœnitente exigit.

Ad id verò, quod de peccatorum oblitorum reſernatione dicitur; obſervandum eſt, quòd ſi loquamur de oblitis præcedentis confeſſionis, poſtquam in memoriam veniunt, rectè poſſint reſervari ab Eccleſia, ita tamen, vt ſiquis vellet ex clauibus ſubiicere, ratione Sacramenti, quod recipit, non poteſt alteri ea confiteri, quàm ei, cui Eccleſia per reſervationem præcepit (cum reſervatio nihil aliud

MMMCCCLXXX.

An Eccleſia poſſit peccata oblita reſervare?

N. B. Si quis dicat reſervationem debere fieri ex cauſâ, & nullam poſſe ſuccurrere ob quam venialia, aut iam ritè cōfeſſa reſerventur. Reſpondeo Epiſcopum, ſi ipſe ſolus ſufficiat non habere obligationē approbādi cōfeſſarios, & reſervatio non eſt alicuius poteſtatis reſtrictio, ſed non cōceſſio poteſtatis. Et quod non detur cauſa concedendi, eſt cauſa ſufficiēs negandi: & è converſo

aliud ſit, quam limitare, ſeu tollere iuriſdictionem) ut de venialibus, ac mortalibus (aliàs confeſſis) declarat Suar. *tom. 4. diſſ. 29 ſect. 13. num. 1.* qui ait; *De venialibus, ac mortalibus, ritè abſolutis, volens recipere Sacramentum pœnitentiæ, concedimus poſſe Eccleſiam reſervare tale peccatum, ac proindè eſt, ut non poſſit, ex confeſſione talis peccati, confici hoc Sacramentum, niſi coram tali Iudice fiat*: At verò non poteſt Eccleſia ſimpliciter homines obligare ad venialia confitenda, cùm ſint materia voluntaria Sacramenti pœnitentiæ, (ut communiter Doctores) & itâ poſitâ Tridentini determinatione de oblitis (jam in univerſum confeſſis) pro quibus nihil aliud à pœnitente exigere intendit, ſequitur neceſſariò, quòd eximit ea à reſervatione abſolutâ, & antecedenti; cùm habeantur pro confeſſis. Verùm poterit conſequenter ea reſervare, ſi (ſcilicèt) velit quis, poſtquam eorum recordatur, oblita clavibus ſubjicere; ut de mortalibus (alioqui confeſſis) diximus; Quòd ſi loquamur de oblitis generaliter loquendo; tunc concedimus, & negamus ſubiici reſervationi: Concedimus quidem, quatenus conſiderantur in ſe, tanquam delictum, & mortale peccatum: Negamus verò, quatenus conſiderantur, ut oblita; Siquidem, quia ea, invincibiliter ignorās in confeſſione omittit, eo ipſo à reſervatione ſunt relaxata; cùm voluerit Tridentinum cenſeri in eâ confeſſione (in univerſum) incluſa; atque adeò ab eodem Tridentino relaxata eſt omnis reſervatio, ut meritò dicat à tali peccatore, nihil exigere ampliùs velle. Neque ex hoc ſequitur contradictio, quaſi idem peccatum ſit, & non ſit reſervatum, nam cùm hoc totum fiat per eamdem reſervationis poteſtatem, & ejuſdem relaxationem habentem; ſub diverſis ejuſdem peccati conſiderationibus nulla ſequitur contradictio, ſiquidem, ita res ſe habet, ac ſi Legiſlator dixiſſet: *Peccatum illud v. g. ſit reſervatum, niſi diligenter cogitanti, in confeſſione non occurrat*; quo caſu (id eſt cum in memoriam in actu examinis, & confeſſionis non occurrit) in eâdem confeſſione incluſum intelligatur, ita, & taliter, ut nihil aliud pro eo unquam exigatur, quare apertè reſervatio remiſſa cenſetur. Ex quibus.

An ſit bona conſequētia, Poteſt Eccleſia peccata oblita reſervare, Ergo illa pœnitēs cōfiteri tenetur?

Peccatum veniale reſervatū nemo tenetur confiteri: at ex ſuppoſitione, quod illud pœnitens confiteri velit, ad confeſſariū, qui poſſit abſoluere à reſervatis, debet accedere. Et eodem prorſus modo de oblitis reſervatis Nucacius nunc philoſophatur.

Reſpondeo ad argumentum: diſtinguo maiorem: non poſſet cogi ad illud, tali Sacerdoti habenti iuriſdictionem in mortalia confitendum; quatenus peccatum in ſe conſideretur, nego maiorem, quatenus oblitum eſt, concedo maiorem: Vnde eodem modo diſtinctâ minore, nego conſequentiam; nam (ut diximus) per legem Tridentini, oblitum, cum in eâdem confeſſione; ubi eſt oblitum, intelligatur incluſum, non dicitur ampliùs reſervatum; Ad id quod de venialibus dicitur, vel de oblitis; poſtquam in memoriam venerint, an poſſint reſervationi ſubiici, jam patet ex Suario, ſupra quid ſentiamus.

MMMCCCLXXXI. HActenus huius controverſiæ reſolutionem pertractare libuit; non quidem, ut ſubtilem agere doctrinam videar, ſed ut rei veritate hodie ex Sacro Concilio Tridentino (uberrimo fidei fonte) excerptâ, piorum præcipuè hominum conſcientiam pacarem; quippè, quæ peccatorum oblitorum anxietate, ſuimet veluti oblita, ſterilis quodam modo facta, quamvis per gratiam in Paradiſo conſiſtere videatur; at verò in torrente voluptatis divinæ haud ſpatiatur; & niſi per quatuor hæc flumina (nimirùm Auctoritatis Sacri Concilij Tridentini, non levium rationum, gravium Doctorum momenta, & contrariorum reſolutiones) irrigaretur, certiſſimè periret.

Cur hunc articulum ſcripſerit, P. Nucacius exponit.

CENSVRA, & IVDICIVM *Adm. R. P. Leandri à Murciâ Lectoris S. Theologiæ jubilati, in utróque laureati, Exprovincialis, & primi pro Generali Capitulo Cuſtodis Provinciæ Veteris Caſtellæ Ordinis Capucinorum.*

MMMCCCLXXXII. HVnc Articulum *de peccatis oblitis* à Doctiſſimo, & Eruditiſſimo Patre inſtructum, in quo *peccato oblita neceſſario confeſſioni non ſubjacere*, & aſſeritur, & nervosè probatur, maxima animi mei, non ſolum alacritate, ſed etiam ſingulari delectatione legi, & perluſtravi; nihilominùs tamen in eo, & ex eo ipſo aliqui irrepſerunt ſcrupuli, quos ut præfata doctrina clariùs eniteat, & oppoſitis juxta illam poſitis, magis eluceſcat, breviter proponam; ad quod

Aliquos proponit ſcrupulos.

In primis ſuppono, ex communi Theologorum ſententiâ in quolibet peccato duas diſtinctas rationes, ſeu formalitates includi, ſcilicèt rationem peccati, ſeu culpæ, quæ conſiſtit in privatione boni, ſeu debitæ rectitudinis in actu humano, v. g. in actu Adulterij culpa conſiſtit in carentiâ rectitudinis caſtitatis, & juſtitiæ, & reatum, qui ſequitur ad hanc privationem, ſeu carentiam, qui reatus eſt quædam obligatio, quæ conſurgit ex ipsâ culpâ, & peccato ad pœnam, ex quâ etiam ſubiicitur, & manet ſubjectus Iudici, qui ipſam infligere poſſit, eſtque quidam moralis effectus, qui neceſſariò conſequitur ex culpâ, & eſt omninò ab illâ diſtinctus tanquam effectus à cauſâ, & nullatenus in ipsâ includitur, nec includi poteſt, quia ut omnes Philoſophi, & Theologi fatentur cauſa, & effectus eſſentialiter diſtinguuntur, cum cauſa ſit principium, per ſe influens eſſe in aliud, licèt in aliquid à ſe omninò diſtinctum: quo ſuppoſito contrà præfatam Concluſionem, ſic argumentor.

In omni peccato duæ reperiuntur formalitates: videlicet ratio culpæ & debitum pœnæ.

Naſcitur à priori poſterior.

Effectus diſtinguitur à cauſâ

MMMCCCLXXXIII. Pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum eſt à Chriſto Domino per modum Iudicij: ſed in judicio non poſſunt abſolvi directè delicta, ſeu peccata, de quibus non eſt facta accuſatio, nec libellus inſtructus; ergo cùm de peccatis oblitis non ſit facta accuſatio in confeſſione, ipſa in eâdem confeſſione abſolvi non poterunt.

Sacramentum Pœnitentiæ eſt Iudicium.

Sed reſpondet doctiſſimus Pater, jam illa peccata eſſe directè abſoluta, quia Concil. Trid. expreſsè affirmat, peccata illa oblita in eâdem confeſſione includi.

Quomodo peccata oblita in confeſſione includantur?

Contra quod ſic inſurgo. Culpa, & Reatus ſunt omninò diverſa, & diſtincta, tanquam cauſa, & effectus; ergo quamvis omnes

 culpæ,

culpæ, & peccata includantur in illâ confeſſione, ut aſſerit Concilium, & conſequenter maneant remiſſa: Reatus non includitur in illa, ſed Reatus eſt obligatio, non ſolùm ad pœnam, ſed etiam ſubjectio ad Iudicem, potentem illam imponere; ergo quamvis in illâ confeſſione peccata includantur, ſemper manet peccator obligatus ad ſubjiciendum illa peccata Eccleſiæ, quæ eſt Iudex in foro conſcientiæ, & ejus clavibus.

An includatur quoad culpâ, & nõ quoad pœnam?

M M M. CCCLX. XXIV.

An poſſit deleri culpâ, & remanere pœna debitum.

Nec ſufficit, ſi reſpondeat; quod Reatus fundatur in culpâ, quæ eſt radix, & fundamentum ipſius Reatûs, & ſublato fundamento, & radice, tollitur Reatus; quia Reatus pœnæ, & ſubjectionis ad Iudicem nullatenus tollitur per oblationem culpæ, quia ſi hoc verum eſſet; peccata mortalia confeſſa, & remiſſa, quoad culpam, non lucrentur in Purgatorio, quoad pœnam; quod eſt omninò contrà fidem, & aſſerit decretum Conc. Trid. *de juſtific. ſeſſ.6.can.*30.

Lege attente hanc inſtantiam, eſt enim doctiſſimè poſita.

Diſtinguenda ſunt tempora.

Neque videtur etiam efficaciter probare doctiſſimus Pater ſuam Concluſionem, per illud Conc. Trid. dicentis, *poſt exactam conſcientiæ diſcuſſionem, & confeſſionem, nihil aliud à peccatore exigi.* Neque exemplum debitoris, ad hoc adductũ aliquid convincit, imò revincit præfatam doctrinam, quia Concilium non dixit, quod nihil aliud peccator debeat, ſed quod nihil aliud ab eo exigitur; ſcilicèt, pro tunc, quia ſi Deus aliquid ampliùs à Peccatore exigeret, dum non recordatur, eſſet injuſtus, quia obligaret peccatorem ad impoſſibile, quamvis tamen tunc nihil ampliùs exigatur; quando, ſcilicèt, non recordatur peccati obliti, poſt recordationem tamen peccati, ampliùs ab eo exigetur, ſicut Creditor nihil ampliùs poteſt a Debitore exigere, quàm, quòd det omnia ſua bona creditori, quòd ſi majus ſit debitum quàm bona æſtimantur, pro tunc quidem nihil ab illo ampliùs exigeret: quia ipſum non poteſt obligare ad impoſſibile, cùm depauperatus ſit, non ideò tamen dicetur debitorem non ampliùs debere, quàm ſolvit, quia ſi ad meliorem fortunam venerit, tenebitur pro integro debito, & tunc ampliùs exigetur; ſic dicas de peccatore memoriæ inope, quia dum non recordatur, ab illo ampliùs non exigitur, tamen illud, quod ab eo, ob memoriæ inopiam, non exigitur; realiter debet, & ſi ad ditiorem memoriæ ſtatum, & pinguiorem fortunam venerit, ampliùs ab eo exigetur.

Simile de Creditore, & Debitore, contra Nucacium militat, ſi bene exponatur.

M M M. CCCL- XXXV.

Ceſſante ratione ob quã non exigitur debitum redit prior ſolvendi obligatio.

Et confirmatur; quia non exigentia illa ut manifeſtè patet ex Concilio, eſt propter oblivionem, & impotentiam; ergo ceſſante oblivione, & impotentiâ ceſſat non exigentia, & neceſſariò exigentia ſequitur; quia debitor tenetur ad debitum ſolvendum, & obligationem à ſe factam, ſeu incurſam ex debito; ſed peccator incurrit per peccatum in reatum, quod eſt obligatio ad pœnam, & ad Iudicem, ſeu ad ejus poteſtatem, quæ conſiſtit in clavibus Eccleſiæ, ergo debet ſua peccata, primò oblita, cum de eis recordatur, Eccleſiæ clavibus ſubjicere.

An debitor teneatur ſolvere, ſi ad meliorẽ fortunam veniat?

Probatur prætereà, quia contra Iuſtitiam faceret debitor, qui fuit in non ſolvendo, propter inopiam, & impotentiam, ſi pinguiorem fortunam adeptus non ſolveret, ex eo quia aliquando habuit impotentiam ſolvendi; ergo contra præceptum confeſſionis faciet, qui propter oblivionem aliquando fuit impotens confiteri, ſi poſteà factus potens, propter recordationem, non confiteatur.

Probatur denique: quia tam impotens ſt confitendi, qui morbo correptus non poteſt integrare confeſſionem, & dimidiatam reliquit, quàm propter oblivionem eſt impotens confiteri integrè; ſed non obſtante priore impotentiâ, & quod illi ſint remiſſa peccata, & indirectè ab eiſdem ſit abſolutus; tenetur illa, quæ non expreſſit; ſubjicere clavibus; ergo peccator oblitus peccatorum ad idipſum tenetur; non obſtantibus eiſdem, &c.

N. B. Hic deberet Nucacius vel utrumq; admittere, vel utrumq; negare. At non poteſt illud, ergo debebit hoc.

Hi ſcrupuli, pro tuâ maximâ eruditione, facillimè ſolventur.

REPLICATIO, & RESOLUTIO *ad ea, quæ de peccatis oblitis, non neceſſariò in aliâ confeſſione explicandis, ſi memoriæ occurrant, opponuntur à quodam doctiſſimo Magiſtro.*

M M M- CCC- LXXXVI.

Cur peccata ſint Iudici manifeſtanda?

Optimè explanata Theologorum doctrina concludit, quodlibet peccatum, ratione reatûs, retinere obligationem manifeſtandi illud Iudici, à quo per notitiam cauſæ poſteà abſolvitur. At verò quatenus hæc manifeſtatio, & judicium abſolutionis fiat, hoc in dubium vertitur.

Siquidem antiquitus fiebat generali confeſſione, Iudici factâ, quam poſteà Concilium Tridentinum, citato loco, ſubſtulit, & ex facultate à Chriſto traditâ, quâ per modum Iudicij voluit abſolutionem fieri; ſtatuit omnia, & ſingula peccata mortalia, oportere Confeſſario explicari, quorum peccator memoriam habet, quod ſi aliqua peccata, invincibiliter, & ſine culpâ, memoriæ non occurrant, ſtatuit eſſe incluſa in eâdem confeſſione.

N. B. Non placet hæc Reſpõſio: nõ enim Concilium decrevit, ut aliter impoſteriùm confiteremur, quàm ante Concilium Catholici confitebantur: ſed declaravit, quomodo Chriſtus Sacramentum inſtituit, & quid pœnitentes debeant facere, ut juxta legẽ à Chriſto præſcriptam confiteantur.

Quæ ultima verba oſtendunt clarè, Concilium talia peccata, tanquam Confeſſario nota dici jam abſoluta, non ſolùm, quoad culpam (quod certè eſt irrefragabile) cum gratia, quæ per Sacramentum, non ponenti obicem, confertur, omnem culpam tollit, ſed etiam quoad reatum, id eſt, quoad obligationem ſubjiciendi illa clavibus, quod ex eo patet manifeſtè, quia Concilium in dicto capite loquitur, non de culpâ peccati, ſed de obligatione manifeſtandi, ſeu ſubjiciendi judicio Eccleſiæ, ut patet legenti, dum obligat peccatorem ad confeſſionem omnium, & ſingulorum peccatorum mortalium, cum anteà non ſolerent omnia, & ſingula confiteri. Igitur Concilium peccata invincibiliter ignorata, voluit eſſe jam confeſſa.

M M M- CCC- LXXXVII.

Gratia omni gravi culpa opponitur, & hinc ob rem unum peccatum mortale non poteſt remitti ſine alio.

Confirmatur hoc ex eodem Concilio, quia peccata invincibiliter oblita, non ait eſſe abſoluta, quod eſſet, quoad culpam tantùm delere, ſed ait in univerſum eâdem confeſſione incluſa eſſe intelligantur, quod eſt idem, ac eſſe confeſſa in univerſum, ubi apertè

Digitized by Google

An, qui cōfeſſus eſt in genere, in particulari poſteà cōfiteri teneatur?

apertè oſtendit, ſe declaraſſe, ea tantùm peccata debere in particulari, & in individuo manifeſtari, quæ memoriæ occurrunt, cœtera verò dici in univerſum confeſſa, & ſufficere, ut in confeſſione manifeſtata dicantur per quamdam generalitatem.

MMMCCCLXXXVIII.

An liceat tunc nihil amplius à peccato re poſſit exigi, plus poſteà, cùm recordetur, exigatur?

Roboratur idem, quia Concilium non ſolùm ait, illa eſſe in confeſſione incluſa, ſed etiam addit, *nihil aliud à pœnitente exigi.* Vndè conſtat Concilium, omnem obligationem confitendi tollere, & ſolùm ſufficere ei, in univerſum dici nota, quia ſunt in illâ confeſſione incluſa, ut judicium de illis in univerſum feciſſe dicatur.

Neque doctiſſimi reſponſio ad id facit, quâ dicit; Concilium non dixiſſe, quòd nihil ampliùs peccator debeat, ſed quod nihil amplius ab eo exigitur, ſcilicèt pro tunc, quia ſi Deus aliquid ampliùs à peccatore exigeret, dum non recordatur, eſſet injuſtus, &c.

An ne idem ſit, nihil aliud exigitur, ac nihil aliud debetur?

Nam reſpondetur facilè, ſiquidem ab eo aliquid exigitur, qui aliquid debet, cum exactio debitum ſupponat, ſed jam Concilium nihil aliud exigit, ergo jam nihil iſte ampliùs debet. Igitur idem eſt, *nihil aliud exigi*, & *nihil deberi*, ideóque fateri oportet, quod doctiſſimus Pater negat. Nec illa explicatio benè procedit, quâ ſubdit, pro tunc nihil exigi, quaſi poſteà exigat, tum quia jam fateri videtur, neque pro tunc aliquid debere, atque adeò, neque in poſterùm debeat, tum quia Concilium non ait tantùm, nihil deberi, (quod ſpectat ad debitorem) ſed nihil aliud exigi (quod ad creditorem pertinet) Vndè oſtendit manifeſtè in poſterùm nullam aliam eſſe in peccatore obligationem confitendi.

Hæc duo eſſe diverſa probat ſimilitudo, quæ à Debitore ſumebatur. Ab eo enim, qui non eſt ſolvendo, nihil exigitur, & tamen manet debitū, ut quando debitor ſit ſolvendo, ſolvatur.

Ex quo ſolidatur dicta ſententia, quia dum Concilium loquens de obligatione ſubjiciendi peccata judicio Eccleſiæ, ratione reatûs, ſtatuit ea tantùm in ſpecie ſubiici, quæ memoriæ occurrunt, cœtera verò ſufficere in univerſum includi in confeſſione, ut ſint ſubjecta, & judicio clavium abſoluta, nihil aliud exigens; ſequitur evidenter, quod quamvis deindè memoriæ occurrant, nullam retineant obligationem in ſpecie confitendi, nam facile fuiſſet Concilio dicere, ut poſteà confiteri in ſpecie debeant. quòd ſi hoc non dixit, imò nihil aliud exigi voluit, clarè oſtendit, non debere de neceſſitate in particulari confiteri, quod maximè debuiſſet exprimere, cùm de confeſſione ageret, ſi voluiſſet tale onus imponere. Prondè dicendum eſt, ita eſſe peccata oblita in confeſſione incluſa, ut non ſolùm ſint abſoluta quoad culpam, (quòd etiam ante Concilium certum erat apud omnes ferè Doctores) ſed etiam quoad reatum, de quo Concilium omnìnò loquitur.

MMMCCCLXXXIX.

Hanc conſequentiam, quam evidentem vocat, non ſolùm nego, ſed & aſſero nō eſſe probabilem.

Hoc onus nō impoſuit Concilium, ſed fuiſſe impoſitū à Chriſto declaravit.

Quare humiliter dico; decipitur, qui putat Concilium loqui de abſolutione quoad culpam, cum toto illo capite agat de reatu, ſeu de obligatione ſubjiciendi peccata clavibus, & judicio Eccleſiæ, ut patet ex principio capitis, ubi de modo judicandi peccata, & abſolvendi, vel ligandi, pœnitentiaſque imponendi, agat: ſicuti etiam, cùm declarat, venialia non habere neceſſitatem, ut nec in genere, nec in particulari ſubjiciantur judicio Confeſſarij. Vnde mirum eſt, cùm

MMMCCCXC.

N. B.

At et à nos humiliter dicimus, peccatū cōfeſſum in genere, cùm ratio ceſſet ob quam nō potuit explicari in ſpecie, debere in particulari explicari.

in re tam obviâ inveniatur, quod dicat Concilium; de hoc non loqui in dicto capite.

Reponitur ſimile ſumptum à Debitore.

An, qui dat omnia, quæ habet adhuc plus debeat?

Hinc reſolvitur, quòd Eruditiſſimus Pater de debitore non benè aſſumpſit: ſicuti creditor nihil ampliùs poteſt à debitore exigere, quàm, quòd det omnia ſua bona creditori, quod ſi majus ſit debitum, quàm bona æſtimantur, pro tunc quidem nihil ab illo ampliùs exigeret, quia ipſum non poteſt obligare ad impoſſibile, cùm depauperatus ſit; non ideò tamen dicitur debitorem non ampliùs debere, quàm ſolvit, quia ſi ad meliorem fortunam venerit, tenebitur pro integro debito, & tunc ampliùs ab illo exigetur: ſic dicas de peccatore memoriæ inopi, quia dum non recordatur, ab illo ampliùs non exigitur, tamen illud, quod ab eo ob memoriæ inopiam non exigitur realiter debet, & ſi ad ditiorem memoriæ ſtatum venerit, ampliùs ab eo exigitur.

MMMCCCXCI.

Non videtur bene reſpondere Nucacius.

Bene ſtaret hæc Nucacij Reſponſio ſi dixiſſet Cōcilium, nihil amplius à peccatore exigitur, aut exigetur. *at, quod durante oblivione nō exigitur, veniente recordatione exigetur.*

Reſolvitur inquam, quia exemplum hoc ſupponit debitorem ſolvere, quod habet ex proprio beneficio, vel beneficio legis, factâ ceſſione bonorum, & nullâ habitâ creditoris indulgentiâ, quâ ex contributione eorum, quæ debitor habet, promittat ſe nihil aliud exigere, nec acceptet in iis bonis, quæ creditori ipſi dantur, ut cenſeatur etiam totum ſuum creditum contineri, & includi; nam rectè dici poteſt, quod quamvis pro tunc nihil exigat, tamen poſteà exigere poſſit. cùm adhuc debitum remaneat. At ſecùs eſſet, ſi per modum veluti tranſactionis, totum debitum in eo dicatur incluſum, quod debitor dat, & ita pro toto acceptetur; ſic Eccleſia creditrix, à peccatore exigit, quod actu præſtare poteſt, & memoriæ occurrit, ita tamen, ut cœtera, quæ memoriæ non occurrunt, dicantur in illo incluſa, & judicio generali per ſententiam abſoluta, & nihil aliud exigatur, meritò non tenetur poſteà peccator, ſi recordetur, aliquid aliud Eccleſiæ præſtare.

N. B.

Hic paragraphus duos defectus habet; nam ſupponit peccatorem ab Eccleſiâ onerari aut liberari, cùm Eccleſia nihil aliud faciat, quàm declarare, quid Chriſtus iuſſerit & inſtituerit: & deberet probare, quod Chriſtus liberet peccatorem totaliter, ita ut non teneatur cōfiteri, etiamſi poſteà recordetur.

Igitur exemplum debitoris optimè rem confirmat, & infirmat apertè, quod conſideravit doctiſſ. Pater, aliud ſupponens, cum ait, facere contra juſtitiam peccatorem qui cùm recordatur, non confiteatur, non ſecùs, ac debitor non ſolvens, ſi ad pinguiorem fortunam venerit; nam ſuppoſito, quòd creditor totum creditum ſe recepiſſe fateatur, in eo tantùm, quod debitor præſtare potuit, iam debitor non tenetur ampliùs, licèt ad meliorem ſtatum venerit, imò injuſtus eſſet creditor, ſi poſteà aliquid exigeret: ſic Eccleſia totum peccatoris debitum, in eo, quod recordatur, conſtituens, liberat eum totaliter à debito, etiam ſi poſteà recordetur.

MMMCCCXCII.

An ſicut de oblitis, ſic de peccatis, quæ ob cauſam legitimam ſilentur, debeamus philoſophari?

Vnde tollitur etiam ejuſdem confirmatio, quia Eccleſia non ſolùm voluit oblita, non debere ex neceſſitate in confeſſione explicari, ad quod neque poterat obligare, ſi voluiſſet, quia impoſſibile fuiſſet, ſed inſuper voluit in confeſſione includi, id eſt, ut dixi, confeſſa in univerſum eſſe, ideò non ampliùs ad confeſſionem obligat.

Quod tandem adducit, idem debere dici de iis, qui morbo, vel impedimento correpti, non poſſunt peccata manifeſtare; & tamen

tamen conſtat, poſteà quàm impedimentum ceſſat, debere manifeſtare ſatis luculenter in illâ diſputatione declaratum fuit, ut ibi videre eſt; ſicuti cœtera ſupradicta facilè inde colligi poſſunt.

MMMCCCXCIII. *Diſputatur non obtinuit Nucacius.* Ex his igitur conſtat, quòd ex Chriſti facultate, quâ Eccleſia de peccatis judicat abſolvendo, vel ligando; eadem Eccleſia modum ſubjectionis explicavit, qui à Chriſto in ejus poteſtate, & declaratione commiſſus eſt; ut (ſcilicèt) in particulari judicet de notis; de incognitis verò (quæ memoriæ non ſuccumbunt) in univerſum, utpotè in eâdem incluſa; ſicuti quilibet Iudex poſſet judicare. Vnde primum, & principale fundamentum adductum tollitur.

N. B. Connexionem & analogiam doctrinarum aliarum cũ Nucacij opinione fatebimur, ſed non ex illis hanc volemus ſuadere, ſed ex huius impugnatione illas reformare conabimur eſſe contentus.

Tandem pro coronide acutiſſimum Patrem monitum velim, ejus ratiocinationem, non ſolùm noſtro dicto obſtituram videri, ſed etiam probatiſſimis Auctoribus, ſentientibus non deberi ampliùs ſubjici clavibus peccatorum numerum, invincibiliter oblitum, licèt peccator minorem numerum ante ſubiecerit, ſicuti aliis idem aſſerentibus de confeſſione factâ indocto Parocho, & his ſimilia, quæ in noſtrâ diſputatione habentur. Quòd ſi omnia hæc probabiliter practicari poſſunt, non video cur prædicta noſtra ſententia explodenda ſit: imò cur non ſit ad pacandas animas vehementer, amplectenda.

POST RESPONSIONEM Auctoris ad Patris Leandri cenſuram, ipſemet Pater facit digniſſimam approbationem, & eſt, ut ſequitur.

MMMCCCXCIV. MAgnâ animi mei alacritate, gaudio vidi, legi, & oculis luſtravi quæſtionem de peccatis oblitis, iterum Eccleſiæ clavibus neceſſariò non ſubjiciendis, à doctiſſimo, & eruditiſſimo Patre, agitatam, in eâque æquâ lance acre ingenium, ſolida doctrina, efficax argumentandi, & refellendi ratio, ad maximam ſui Authoris gloriam, ſimul elucent; quapropter, non ſolùm probabilem, ſed probabiliſſimam, piam, & in praxi tutam, & ad conſcientiarum (maximè timoratorum) hominum, quietem, & tranquillitatem valdè conducentem, & verè dignam, ut publicam lucem videat, & prælia fatiget; judico, & obteſtor; ſalvo meliori judicio, &c. in Conventu Sanctiſſimæ, & Puriſſimæ Conceptionis Deiparæ Neapolitano primâ die Februatij 1656. *Pater Leander à Murcia Lector jubilatus Exprovincialis, & primus Caſtella Cuſtos.*

N. B. P. Leandrũ ingenij eſſe fœlicis præmiſſæ objectiones demonſtrant; at illas fuiſſe à Nucacio ſufficienter diſſolutas non video; capio, cur P. Leander potuerit datis à Nucacio ſolutionibus eſſe contentus.

N O T A.

MMMCCCXCV. *ILla opinio, quæ pro ſe habet quatuor Doctores, eſſe probabilem, omnes affirmant: Ego hanc opinionem* de peccatis oblitis, non de neceſſitate in aliâ confeſſione confitendi) *ut inferiùs probabo, ſedecim Doctoribus, & doctiſſimis Lectoribus cenſurandam commiſi, & probabilis fuit indicata, & à ſingulis cum ſingulari approbatione, hilarique animo acclamata. Scio tamen inſurrecturos contra, ſed non conſuluiſſe tam multos, ut me impugnarent, quàm ego ut affirmarem, quòd impugnabunt: Si verò tanta diligentia non ſufficit, ut culpa caream, Iudices ſeveri iudicandi erunt; nam ſi quam docent quatuor, talis probabilis eſt (hoc enim omnes ſentiunt) noſtra, quæ à ſedecim ſpecialiter conſultis admittitur, & probatur ab illis ſolùm qui ſupra homines ſapiunt, improbabilis vocari poteſt.* Sumpſi hæc à ſummo Mundi Oraculo Caramuele.

N. B. Hæc ſunt verba Caramuelis de aliâ Cõtroverſiâ diſputantis; quoniã de hoc argumento, de quo agit Nucacius, nunquam ille diſſeruit, nam ſemper cõmunem ſententiam eſſe veram & tenendam putavit.

MMMCCCXCVI. *Et in ſylvâ illâ Caſuum forenſium dignabitur D. Antonius Objectionibus, quas P. Leander propoſuit, nam à luce ſumuntur, ſatisfacere, & experietur, an reſpondere poſſit bene.*

LEgi opuſculum iſtud Incogniti Adm R P. Nucacij, cuius tamen non patentis nominis, nimium panditur, ex his ſcriptis, doctrina; quandoquidem eleganti, & profundâ methodo, verùm exarat Sacr. Conc. Trid. ſenſum in propoſitâ quæſtione, ubi ſolidè, & lucidiſſimè aſſeritur, non eſſe de neceſſitate peccata oblita clavibus ſubjicienda, & hanc, quam tradit ſententiam veriſſimam, & ad animarum tutam quietem, tendentem dijudico, proindè, ut omnibus ad medelam animæ deſervientem, neceſſarium eſſe cenſeo, ut publicè typis mandetur, ac luci perpetuò commendetur; & ut ad præſens probabiliſſimum arbitror, ita *in 2. tom. mea Sylvæ caſuum forenſium* (qui nunc ſub prælo jacet) ampliùs commendandam (cum debitis incogniti hujus Adm. Rev. Patris Authoris laudibus) mihi reſervo.

Ego D. Antonius Moccia Nobilis Neapolitanus de Sedili Portanova, & in ſupremis hujus Civitatis ſubſelliis Advocatus Primarius.

MMMCCCXCVII. *Eſt Clariſſimus D. Iulius inter Iuriſtas celeberrimus, & modò ſe ipſo clarior ob præclara Volumina, quæ in lucem emittit.*

ADm. R. P. hic incognitus ſuo proprio Marte, ac Peregrino ingenio Sacr. Concil. Trident. ſenſum adeò acutè penetravit, ut nullus alius uſque modò eum attigerit in hac defendendâ, eruendâque ſententia, ut meritò ad publicam utilitatem fidelium, ſcrupulorumque omnium anxietatem ſedandam publicari perneceſſarium judicem, quem rogo, ut typis imprimat. Ita cenſeo, ut omni probabilitate vallatam, tum à principiis intrinſecis, & rationibus, tum ab extrinſecis, tutâque conſcientiâ ſequendam, quam approbo, & confirmo.

Ego Iulius Caponus S. T. P. V. I. D. ac in Neapolit. Gymnaſio Lector, olim quidem Pandectarum, poſtmodùm Gloſſarum, & Bartoli, tandem Primaria Veſperina Cathedra Profeſſor.

MMMCCCXCVIII. *Clariſſimũ D. Ioſephũ ſæpe diſputantẽ audivi, & ab ingenij vivacitate collaudavi, & eius ſcripta cum utilitate ſuſpexi.*

EGo D. Ioſephus Pulcarellus S.T.P.V.I.D. ac in Neapolitano Gymnaſio Canonum Veſpertinæ Cathedræ publicus Lector, Superiorem Doctrinam: *de non neceſſariò in poſteriori confeſſione peccata, invincibiliter in priori oblita, Clavibus ſubiiciendi*, Sacro Concilio Tridentino oppoſitam, & adverſantem non eſſe affirmo, imò ex illius viſceribus depromptam, ad animarum difficultatem ſedandam perappoſitam, rationibus inſuper rectè munitam, & vallatam ſatis ſuperque probabilem, & ſequendam reor, & comprobo.

Senten

MMMCCCXCIX.

N. B. Hanc Nucacij doctrinam cum multis aliis opinionib. quæ in Scholâ iudicantur probabiles connexã eſſe, ingenuè fateor. illis ipſam P. Nucacius eruit: at ego ex ipſius negatióne ad illarũ impugnationẽ argumẽta deduco.

Hæc ratio æquè probat in caſu, quo quis ob morbum, periculũ, aut aliam cauſam fecit confeſſionẽ materialiter incompletã. nam etiam tunc dicit Cõfeſſarius *Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, &c.*

SEntentiam, quam ſuſtinet Adm. R. P. taciti nominis, Dominus meus præcipuus, ſcilicèt, *quòd peccata oblita in confeſſione, obligationem ea iterum confitendi, non includant*, eſſe *probabilem*; *imò ex multis* (quas ego nunc typis dedi) opinionibus, & quæ hactenus in diverſis Auctoribus (de aliis materiis tractantibus) legi, mihi maximè arridentem; quapropter lucis vſuram aſpicere (ad omnium animarum ſolamen) neceſſarium, necdum dignum exiſtimo, tum authoritate Tridentini, ex quâ potiſſimum ipſam probat, tum tot, tantorumque Doctorum judicij robore firmatam, tum demùm hac ratione (vltra ſupra doctiſſimè enumeratas) videlicèt: quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum iudicij, (vt communiter docent Theologi) in omni autem iudicio, quando eſt prolata ſententia diffinitiva, imponitur finis toti controverſiæ (vt docet Rodulcus Prateius *in l. 1. ff. de re iud. & l. qualem 19. §. 1. ff. de recept. arb. & l. 3. C. de ſent. & interl.*) Ergo, cùm in hoc iudicio ſacramentali, per abſolutionem, ab omnibus peccatis ſit prolata ſententia diffinitiva, iam eſt finita cauſa, & controverſia: ergo non remanet diſcutienda in alio iudicio pœnitentiali, per aliam confeſſionem oblitorum, quia peccata oblita pertinent ad hanc cauſam, & controverſiam, finitam in hoc iudicio, cum non ſolùm in hac abſolvantur per abſolutionem ab omnibus, ſed etiam confiteantur impliciè, (adde, & explicitè in vniverſum, virtute Concilij ita ordinantis) quia pœnitens confitetur, vt abſolvatur ab omnibus peccatis, ergo etiam oblita, &c.

D. Franciſcus Staybanus Neapolitanus, S.T.P. Sacerdos, & Lector.

MMMCCCC.

Vt aliquam opinionem ſepultam dicamus, neceſſariũ eſt, vt illa aliquando obtinuerit, hãc autem nullam obtinuiſſe non legi.

IStam opinionem (vt legi) non ſolùm probabilem reputavi, ſed cur tanto tempore ſepultam, admiratus ſum; eſt enim vera, & realis intentio S. Conc. Trid. nec deſtituta robuſtis rationibus, ideò probabiliſſimam approbo, & tutiſſimam in conſcientiâ reputo.

Ego D. Severus Carrafa Monachus Congregat. Montis-Virginis, S.T.P. & in eadem per 25. annos publicus Lector.

MMMCCCCI.

Tametſi ejus non adhæream doctrinæ, ſemper Nucacij ingenium & eruditionem cõmendo: & quod eumdem collaudet D. Marcus Anton. mihi perplaceat, interim ſi velẽ laudes ab eo dictas retundere producerem verba Cyrilli, qui *lib. 11. Comment. in Ioan. cap. 31.* ſic inquit. *Vt in Paradiſo malorũ initium factum eſt, ſic in horto, paſſio Chriſti inci*pit, *per quã à malis liberati, &c.*

ASſertio tua de non confitendo peccata oblita (vt ſupra probatum eſt) quæ ab excellenti ingenio tuo, tanquam à Paradiſo voluptatis egreditur, florens ſtabiliſſimis rationibus, vt dignam omnium conſpectu, & ab omnibus practicari poſſe, probabilem appello, & iudico.

Ego D. Marcus Antonius Canonicus Monachus Congregationis Montis-Virginis S. T. publicus Lector.

HAnc opinionem ſic ſubtiliter, rationabiliterque pertractatam à P. Nucacio familiariſſimo meo, quam lætiſſimè perlegi; non ſolùm probabilem, ſed tutiſſimam in praxi iudico; cum ſit magis conſona Sacro Concilio Tridentino, cuius vt legitimus fœtus eſt ab omnibus defendendus; cùm etiam ſit cauſa veræ quietis omnium fidelium animarum, ideo impolluto calle poſſe ab omnibus practicari, affirmo.

Ego Fr. Matthias à Neapoli Prædicator Th. Capuccinus, Diffinitor Provincialis, Guardianus in Conventu Immaculatæ Conceptionis Neap. 1653. Viſitator Generalis, & demum Miniſter. Provincialis in Provincia Neapolitana 1655.

MMMCCCCII.

Noto illa verba, *non ſolùm probabilem, ſed tutiſſimam*, & colligo, non omnem opinionem probabilem in Sacramẽtorum materiâ eſſe tutam. Doctè ergo P. Matthias, quia non ſufficiebat aſſerere hãc eſſe opinionem probabilem, vt illam in praxi complecteremur, addidit eſſe in praxi tutiſſimam, vt illius ſecuritatem cõmendaret.

SVpradictam opinionem, in quâ *peccata in peractâ confeſſione oblita, non eſſe neceſſariò ampliùs Confeſſario aperienda*, à P. Nucacio optimè defenditur, ſtabilibus in fundamentis (meo iudicio) locatam; germano Sacri Tridentini Conc. ſenſui (ni fallor: quod Eccleſiæ judicandum relinquo) valdè conſonam, conſcientiæ pœnitentis quieti rationabilibus ſuffragantem omnium ſcrupulorum angoribus metam tandem affigentem, vti probabilem, omnes inoffenſo pede ſequi poſſe cenſeo.

Ego Fr. Franciſcus ab Argentio Prædicator Th. Capuccinus, Diffinitor Provincialis, Viſitator Generalis, Cuſtos in Capitulo Generali, & Guardianus olim in Conventu Sancti Effrem Neap. & nunc Immaculatæ Conceptionis 1652.

MMMCCCCIII.

Quod hic P. Franciſcus expreſsè, id omnes Viri Catholici in omnib. noſtris ſcriptis, ſaltem implicitè dicimus; omnia enim quæ dicimus aut ſcribimus, ſemper volumus S. R. E. correctioni ſubeſſe.

TVtam, ac ſolidis ex Sacri Concilij Tridentini fundamentis roboratam opinionem iſtam (*de neceſſitate*, videlicèt, *non eſſe, oblita peccata, clavibus ſubiicienda*) reputo; & ad quietem conſcientiæ aptiorem, magiſque piam contrariâ exiſtimo; omnium irrequietionum finis; nihil mali, imò omnia bona generans, tollit etiam ſuperfluam Confeſſariorum, necnon, & pœnitentium moleſtiam, ideò probabiliſſimam eſſe, nec minùs neceſſariam, vt typis mandetur aſſero, & affirmo.

Ego Frater Baſilius à Nolâ Concionator Generalis Capuccinorum Theologus, & publicus Lector.

MMMCCCCIV.

Etſi Nucacij eſſet vera ſententia, moleſtia, quam Confeſſarij & pœnitentes ex frequenti huius Sacramẽti adminiſtratione ſuſcipiũt, vt vt aliquãdo neceſſaria non ſit, nunquam tamen dici poteſt ſuperflua.

OPinionem hanc *de non ſubiiciendo peccata oblita in ante actâ confeſſione clavibus* (vt inferiùs viſum) probabiliorem contrariâ confeo (remittendo me tamen in hoc, & in omnibus judicio Eccleſiæ) cùm ſit validis rationibus, ſolidiſque fundamentis defenſa, & ſingulariter habeatur ex germano ſenſu Sacroſancti Concilij Tridentini. Ideò ab omnibus, pro maiori conſcientiarum ſerenitate, practicandam iudico, atque tutiſſimam approbo.

Ego Fr. Franciſcus Maria à Neapoli (Iunior) Prædicator Generalis Capuccinus S. T. in præſenti, & olim Sacrorum Canonum in hoc Conventu Immaculatæ Conceptionis Neapolis publicus Lector.

MMMCCCCV.

Tranſeunt, ut tranſeant, quia ſemper ſub intelligantur, ratiò explicantur.

Hæc ideò Remiſſio ad

PEregrinam hanc opinionem (vbi, peccata oblita non eſſe Iudici Confeſſario de neceſſitate explicitè manifeſtanda, doctiſſimè probatur) ab acutiſſimo tuo ingenio exortam, vidi, & probabilem cenſeo, quippè quæ meritis non poſtrema, at vario eruditionis ſplendore inſignis, nam ante obſcura, nunc iuxta ſenſum S. C. T. ac ob ſoliditatem rationum, claritatem præ ſe fert notitiam, quare ob publicum commodum, ac tanti Au-

 thoris

Iudicium Eccleſiæ, vbique ſubauditur, tametſi expreſsè non dicatur.

thoris meritum, prælo ſubire Iudico.

D. Marcus de Maſellis Monachus Congregationis Montis Virginis, Ordinis S. Benedicti, S.T.P. ac olim publicus Lector, Magiſter Novitiorum, Prior, ac eiuſdem pluries Procurator Generalis, & in Ciuitate Neapolitanâ Confeſſarius.

M M M. CCCCVI. In materiâ morum, & præcipuè cùm agitur de Sacramentis, commodes ſunt doctrinæ ſecuræ, & peregrinæ ſuſpectæ.

NVperam hanc, & ingenio tuo dignam opinionem, nempè, quòd peccata inculpabiliter in præteritâ confeſſione oblita, non ſint ultra neceſſariò ſubiicienda iudicio Confeſſarij) vtpotè afflictarum conſcientiarum pacatricem, ſcrupuloſorum, & anxietatum expultricem, nulliuſque patrandi criminis impultricem, ſed animarum inquietis, ac ſecuritatis arcem aduertricem, lubens legi, & ſatis probabilem exiſtimavi. Quandoquidem ſolidè fundata eſt authoritate Sacroſancti Concilij Tridentini, & rationibus unde quaque fulta, atque ab impugnationibus probabiliter vindicata; unde meritò tibi applaudetur, & gratias agent quotquot conſcientiæ ſtimulis, & ante actis confeſſionibus, miſerè cruciantur. Ita cenſebam *Fr. Ioannes Baptiſta Adeodatus Sancti Petrinus, Dominicanus, Magiſter Novitiorum, publicus Lector, & Vicarius Generalis in Neapolitano Conventu Sanitatis.*

M M M. CCCCVII. *Nuperam*, hoc eſt, *nouam* appellat: &, ut quo loco habere debeas novas in materiâ Sacramentorum opiniones ſcias, lineas iſtas ſubſcribo. In Inſtructione Clementis VIII. authoritate Regulis Indicis adiecta *Artic. de Correctione librorum.* §. 2. hæc leguntur. *Quæ contra Sacramentorū ritum & cæremonias, contraque receptum uſum & conſuetudinem S. R. Eccleſiæ, nouitatem inducunt*, ſubintellige, *ſunt corrigenda.*

EGO FRATER THOMAS Cano Sacræ Theologiæ Lector, Prædicator Generalis, & Prior Conventus S. Mariæ Sanitatis de Neapoli Ordinis Prædicatorum.

NOn modica delectatione attractus, exactiſſimè Opuſculum hoc (quod de peccatis oblitis *inſcribitur*) æquiſſimo perlegi animo. *Nihil enim ab ipſis primordiis ſeſe tibi obtulit, quod non eò magis placeret, quò diligentius legebatur; nihilque reperi à Catholicâ Fide diſſonum, quinimò Conciliorum, & Doctorum authoritatibus redundans. Vnde animadverti perutile propemodum eſſe, ad animas fluctuantes ſcrupulis, ſedandas, deſp rationem arcendam, æternæ Vitæ ſpem ſtabiliendam, Divinam Bonitatem admirandam, complectendam, amandam. Et ſi enim Volumen modicum, non tamen ſpernendum; creſcet enim ſicut Evangelij Synapis granum in maximum, cuius foliis, & flantes dæmonis ſuggeſtiones eludentur, & peccatorum reparabuntur imber: Quapropter apprimè cenſeo, necdum typis poſſe mandari, imò eſſe demandandum. In quorum fidem hæc omnia manu propriâ ſubſcripſi in prædicto Conventu Sanctæ Mariæ Sanitatis de Neapoli hac die 25. Martij 1662.*

Fr. Thomas Cano qui ſupra, manu propriâ, &c.

M M M. CCCCVIII. Docet nos S. Thomas, quo animo debeamus libros legere, qui enim illos non æquali, ſed in alteram cōtradictionis partem præponderante lege rit, ſincerè iudicare non poterit.

ILluſtriſſimus Epiſcopus Caramuel; qui, quamvis per literas tantùm mihi notus; in ipſis Epiſtolis loquens de meo libello [*De peccatis oblitis*] à me ſibi, vt luci detur, miſſo, hiſce verbis, tacitè affirmando, ita reſpondit: *Libellum veſtræ Eximiæ Paternitatis legi; nobile ſui ingenij partum; quidam Bernabita eadem ſententiæ eſt; circa impreſſionem, cum tranſibo Neapoli os ad os loquemur. Vale.*

Ita Caramuel.

Lib. 9. Pauſan. *Neque ad aſſentiendum procliuior quiſquam eſſe debet, neque ſe omninò incredulum ad ea, quæ ſunt rariora, præbere.* Et obediet Pauſaniæ, qui ſine præiudicio ad libri lectionem & examen accedet.

OPuſculum, cui titulus, *De peccatis oblitis inculpabiliter, amplius confeſſioni non ſubiiciendis*, attentè à me ſubſcripto, perlectum, diligentiſſimèque trutinatum, illi exiſtimaui comparere Soli quo illuſtratus Malachias Propheta ſanitatis pennas Orbi attuliſſe teſtatus eſt Quæ etenim penna ita ſalutis, ut qua, iſtud eſt exaratum, in quo quibuſlibet animarum peremptis ſcrupuloſorum infirmitatibus, deſperati que vulneribus, ſanas, fortes, alacres ad mandatorum Dei currendam viam, imperturbatis reddit veſtigiis, dilatato calle; Opinio ſola quidem, quia vnus Sol, ſed quamplurimis ſtipata rationibus, vt ille, radiis; Neceſſarius Orbi Sol, vt erumpant flores, & Tellus parturiat fructus; Orietur igitur ex typis Sol iſte, illuceſcat fidelium animabus, vt florum virtutibus micantes, non ampliùs gelido Aquilone, ſint Dei hortus delicioſus, in quo Sponſa Dei, Sancta Eccleſia, poma carpat dilecto ſuo dulciſſima ad guſtandum. Sic ſentio, ſemper Sanctæ Eccleſiæ ſubmiſſus iudicio. Datum Neapoli die 3. Iulij 1662.

Frater Franciſcus à Vetro Prædicator Capuccinus, Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ Lector; pluries Provincialis, Viſitator Generalis, & ad præſens Diffinitor, & Cuſtos pro Capitulo Generali.

M M M. CCCCIX. Ex his verbis, quæ pro ſe P. Nucacius profert bene videtur hîc Doctris præ- vt in hoc articulo iacet, non placuiſſe Caramueli, volebat enim vt objectionem proponi, & non vt concluſionem defendi.

M M M. CCCCX. Verba Prophetæ, quorum meminit, ſunt, *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iuſtitiæ & ſanitas in pennis eius: & egrediemini & ſalietis ſicut vituli de armento. Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis ſub plãta pedũ veſtrorum in die, quâ ego facio, dicit Dominus exercituum. Mala. c.4. verſ. 2.*

N O T A.

IN iſto Articulo totus P. Nucacij Tractatus *de peccatis oblitis*, cum ſuis Cenſuris & Approbationibus poſitus eſt. Notas nos marginales addidimus, vt quid in textu vberiùs dicebatur, verbulo inſinuaremus: vel etiam vt de ipſo Contextu noſtrum Iudicium proponeremus, & illo qualicumque confirmaremus antiquam communem & præſcriptam Theologorum doctrinam.

Addamus alterum Articulum, quem in tres ſectiones dividemus; & in ipſarum primâ adducemus rationes, quæ favere videbuntur Nucacio: in ſecunda decidetur & reſolvetur Quæſtio: & in tertia ſatisfiet rationibus, quæ in primâ ponebantur, & obiiciebantur Quoniam.

Tertius Articulus, qui etiam addetur, diluet argumenta Nucacij.

ARTI

ARTICVLVS II.

Vrgentur adhuc & roborantur argumenta Nucacij, Quæſtio reſolvitur, & confirmationes enervantur.

MMMCCCCXI. SECT. I.

Argumenta adduntur pro Nocacio. Eſt ſuaviſſima Chriſtiana lex. D. N. Ieſus-Chriſtus in Sacramentorum inſtitutione liber fuit.

CHriſtus eſt Princeps ſanctiſſimus & potentiſſimus; Deus Homo; infinitè clemens, qui ſuo pretioſiſſimo ſanguine Mundum redemit qui tametſi Sacramenta inſtituerit, & leges de illorum adminiſtratione & vſu tulerit, etiamnum dicit, *Iugum meum ſuave eſt, & onus leve.* Leges has tulit liberè: potuit non ferre: potuit ſic vel aliter ferre; potuit his vel illis verbis (clarioribus aut etiam obſcurioribus proferre) eſt enim Dominus, & Sacramenta ſunt favores & gratiæ, quæ hominibus clementer indulſit.

Quot modi proponuntur, quorum vno vel altero potuit Chriſtus Sacramentū Pœnitentiæ inſtituere.

Hac doctrinâ (quæ eſt indubitata) præmiſsâ; dico primò. Potuit Chriſtus inſtituere Sacramentum Pœnitentiæ his verbis. (1) *Debet in Confeſſione pœnitens peccatorum, quorum recordatur, explicare numeros & ſpecies (2) peccata, quorum non recordatur, confiteatur in genere, & ſic abſolvetur.* (3) *Præter hæc aliquid adhuc aliud exigitur; videlicet, vt habeat pœnitens obligationem confitendi eadem, (nempe, peccata inculpabiliter oblita (cùm recordetur.* Et potuit iſtis. (1) *Debet in confeſſione peccator.* &c. vt anteà (2) *peccata, quorum,* &c. vt anteà (3) *Nihil aliud Eccleſia exigat à pœnitentibus.* Sed vtro Chriſtus modo Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit? Hoc cognoſcere clarè poterimus, ſi Tridentini verba cum vtraque Inſtitutione (nam vtraque poſſibilis fuit) componamus: illa enim, quæ Concilij verbis per omnia conſonat, eſt quam Chriſtus elêgit: illa autem, quæ diſſonat, quam non elêgit.

Vero ex his duobus modis Sacramentum inſtituerit de facto?

MMMCCCCXII.

An Tridentina Synodus omnia neceſſaria nos doceat?

Igitur Sacroſanctum Concilium *ſeſſ.* 14. *cap.* 5 nos docet omnia, quæ ſcire debemus; & qui plus velit, quàm Tridentinum ſapere, non ſapit ad ſobrietatem. Spiritus-Sanctus igitur per Concilium ſic inquit. (3) *Conſtat enim nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi (1) quàm, vt poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: (2) reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.* &c. Tres partes complectitur hæc Definitio: quæ eo ordine, quo notantur, debent conſiderari.

Concilij verba cum præcedentibus formulis cōparantur.

In primâ & ſecundâ parte Inſtitutiones illæ conveniunt, & etiam ipſæ in eiſdem partibus cum Concilio Tridentino concordant: ergo ſolùm eſt agendum de tertia: vtra videlicet Inſtitutio (prior, an poſterior) Concilio Tridentino exæquetur.

Ponderantur & comparantur illa Sancta Synodi verba.

Dicit prima Inſtitutio, *Aliquid aliud adhuc exigitur.*

Dicit ſecunda, *Nihil aliud exigitur.* Ergo in tertia ipſæ parte opponuntur.

Dicit Tridentinum Concilium. *Nihil aliud exigitur.* Ergo, aut cœcus ſum, aut conſonat Concilium Inſtitutioni poſteriori, & priori diſſonat. Ergo, ſiquidem vtraque Inſtitutio eſt poſſibilis; & quam Chriſtus elegerit quærimus eum elegiſſe ſecundam ex Concilio inferri manifeſtè videtur. Hanc rationem Lector doctus & pius accuratè perpendat.

Conſtat enim nihil in Eccleſiâ à pœnitentibus exigi.

MMMCCCCXIII.

Chriſti verba ſunt vera.

Non vult Deus, vt jugum ſuum homines grave, aut intolerabile reddant.

PROGREDIOR; & aliam viam tento, vt Veritatem adſequar, quam inveſtigo. Dixit Chriſtus, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Eſſet igitur Chriſto inobediens, qui coniunctos divinitùs ſepararet humanitùs. Dixit Chriſtus ipſiſſimus, *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Ergo opponeretur Chriſti reſolutioni, qui vitæ Chriſtianæ jugum, quod Deus eſſe voluit dulce & leve, humanitùs amarum & difficile redderet novis præceptis & obligationibus aggravando. Ergo in materiâ, quam dilucidamus, niſi aliunde de veritate conſtet, illa via cenſenda erit Chriſti voluntati conformior, quæ reddat jugum ſuavius & onus levius. [Hæc ratio generalis eſt, & nos docet non præcipere Chriſtum, vt in Opinionum concurſu, benigniore relictâ, ſeveriorem intellectu amplectamur. Conſultò, *generalis eſt*, dixi: nam inſiſtit naturali Prudentiæ, & eſt Legibus (Divinæ & Humanæ) communis. Vnde Ariſtoteles *lib.* 5. Nicomachum his verbis inſtituit. *Vir bonus & æquus eſt, qui non amplectitur Ius in partem deteriorem* (rigidiorem) *ſed potiùs acerbitatem Iuris* (nempe intra Probabilitatis terminos) *temperat & imminuit.* Conſultò etiam *intellectu* dixi: benè enim ſtat, vt qui juxta benignam ſentit, iuxta ſeveram operetur. Tunc autem hæc practici operandi ſeveritas, non ſub conſilium cadit. Pono exemplum. Quæritur, an in Canonicarum horarum lectione intentio interna requiratur? Benignior ſententia non requiri aſſeverat: & ſeuerior requiri. Vt jugum vitæ Eccleſiaſticæ ſuavius ſit, & onus levius, eam ſententiam eligo, quæ aſſerit, non requiri: vt autem ſanctiùs orem, deſidero habere attentionem internam, & vt illam Eccleſiaſtici habeant, ſemper conſulo. At tu Lector conſilium à præcepto diſtingue.]

An in opinionum concurſu benigniorem amplecti debeamus?

Quid jubeat Chriſtus?

Quid lumen naturale definiat?

Vir prudens iuxta ſententiam benignam ſentit, & iuxta ſeveram operatur.

MMMCCCCXIV.

Iuris Canonici Regula 57. in ſexto. Fuit ex Iure Naturali deſumpta.

Quid vox Contritio in Synodo Tridentinâ ſignificet?

PERGO VLTERIVS. Eſt Iuris Regula, *Debet fieri interpretatio contra Principem, qui clariùs potuit loqui, & non voluit.* Hæc non eſt Iuris Humani, ſed à ratione naturali deſumitur: Princeps enim, cùm vult aliquid determinatè fieri, clarè loquitur: & cùm clarè loqui non vult, ſed profert verba ambigua, cenſetur nolle ſubditum ad alteram partem obſtringere determinatè. Pono exemplum. *ſeſſ. XIV. cap.* 4. Concilium Tridentinum Contritionem requirit, cùm autem detur duplex Contritio, imperfecta, quæ vocatur

Digitized by Google

Legum voces ad ſignificationē benigniorem ſunt reſtringendæ.

tur Attritio ; & perfecta , quæ à perfectâ Charitate procedit , ſi quæras , vtra ſit neceſſaria , vt ſit Confeſſio Sacramentalis & legitima , reſpondent communiter Doctores, perfectam conſuli, ſed imperfectam ſufficere. Et cur ? Primò , quia benignior pars videtur benigniſſimi Legiſlatoris voluntati conformior Secundò , quia ipſe Legiſlator potuit loqui clariùs , & noluit : non ergo nos voluit ad ſeveriorem partem obligare.

MMMCCCCXV.

An, & quomodo cōfeſſa poſſint dici, peccata, quæ fuerunt oblita.

Gratia peccato opponitur.

An poſſit vnum remitti ſine alio?

Hinc ad quæſtionem principalem *Peccata oblita in priori Confeſſione ritè factâ , fuiſſe in vniverſum confeſſa* , inquit Sacroſanctum Concilium. Fuiſſe & remiſſa inferunt Theologi : & hoc per neceſſariam conſequentiam: nam vel gratia , quæ in Confeſſione confertur , ex naturâ rei opponi omni mortali peccato ; & tunc non poteſt vnum remitti ſine alio : vel opponitur moraliter , & tunc de potentiâ Dei ordinariâ non remittitur vnum peccatum ſine alio. Ergo hæc prima conſequentia eſt doctiſſima & neceſſariiſſima. Inferunt ſecundò , debere Pœnitentem , ſi poſteà alicuius peccati obliti recordetur , illud in ſequenti Confeſſione explicare. Sed hæc non videtur conſequentia neceſſaria : (1) quia non ſequitur ex naturâ rei; potuit enim Chriſtus ſine hoc onere hoc Sacramentum inſtituere , vt vidimus. (2) quia hoc onus eſt grave : & oblita peccata debere in ſequenti Confeſſione explicari Oecumenica Concilia non dicunt : (3) quia Tridentinum videtur nos docere contrarium : (4) quia in dubio ſtandum eſt pro Chriſto dicente, *Iugum ſuum ſuave eſſe , & onus leve* , adeoque illud dicendum & tenendum , quod ſit ſuavius & levius : (5) quia in obſcuris debet fieri interpretatio ad favorem ſubditi , quando Princeps loqui potuit clariùs, & non voluit. Cùm ergo nemo dubitet potuiſſe Spiritum-Sanctum per ſua Concilia , & nuper per Tridentinum loqui clariùs , & noluiſſe ; manet voluiſſe , vt pro pœnitente fieret interpretatio.

An pœnitens poſtquā peccati obliti recordetur, illud confiteri teneatur?

Qualis eſſe debeat obſcurarū vocum interpretatio?

MMMCCCCXVI.

SECT. II. Reſolutio Quæſtionis.

Concil. Tridentini Dialectica.

FOrtè iſta viderentur convincere , vt abſolutè diceretur neminem teneri peccata in priori oblita , in poſteriori Confeſſione explicare : at hoc ipſum cogitantem me terret Logica , quâ utitur idem Tridentinum Concilium , vt perſuadeat auricularem Confeſſionem eſſe Iuris Divini Poſitivi , & nihil habere , quod Chriſti præcepto obverſetur. Illud igitur *ſeſſ. XIV. cap. 5.* ſic inquit.

An Sacramentalis Cōfeſſio debeat eſſe ſecreta?

Ceterùm , quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem , etſi Chriſtus non vetuerit , quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum , tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem , delicta ſua publicè confiteri poſſit : non eſt tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè (N. B.) *humanâ aliquâ lege præciperetur , ut delicta , præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Vnde, cùm à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus magno unanimique conſenſu , ſecreta Confeſſio Sacramentalis , qua ab initio Eccleſia ſancta vſa eſt , & modò etiam vtitur , fuerit ſemper commendata , manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia , qui eam à Divino mandato alienam , & inventum humanum eſſe , atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe , docere non verentur,* &c.

An poſſit Eccleſia præcipere , vt ſit publica?

An ſit novum inventum?

Et hinc infero duo. Alterum generale, quod multas quæſtiones concernat ; alterum ſpeciale , quod ad præſentis controverſiæ deciſionem pertineat. Ergo

Quænam hinc Corollaria inferantur?

Infero primò. Senſiſſe Patres Eccleſiam poſſe de actibus occultis leges ponere & iudicare. Si enim oppoſitæ ſententiæ adhæſiſſent , non dixiſſent , *nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur.* Sed dixiſſent rotundè , *invalidè aliquâ humanâ lege præciperetur.* Poteſt igitur Eccleſia de actibus occultis & ſecretis leges ferre , licèt non ſemper id faceret ſatis conſultè. Nec hîc actus externos ſecretos ab internis diſtinguas ; nam agunt Patres de peccatis ſecretis , quæ in Confeſſione Sacramentali Confeſſario exponuntur , & hæc non ſolùm externa , ſed & interna ſunt.

An Eccleſia poſſit iudicare de occultis?

An de actibus ſpiritualibus & purè internis?

MMMCCCCXVII.

Maxima, quam vbi agitur de morum ſubſtantiâ, adſumere neceſſariò debimus.

Infero ſecundò. Eoſdem Patres ſenſiſſe hanc eſſe bonam conſequentiam , *Sanctiſſimi & antiquiſſimi Patres in materia Sacramenti Pœnitentiæ ſic docuerunt ; ſic Fideles, qui conſtituunt Eccleſiam , ab initio fecerunt , & ſic modò faciunt. Ergo eſt ſecundum præceptum Divinum.*

Subſumo. *Atqui peccata in priori confeſſione oblita omnes nunc Fideles in poſteriore, ſi recordentur, clavibus Eccleſiæ ſubiiciunt. Hoc omnes iuniorum libri docent , hoc omnes libri veterum : Ergo hoc habuerunt à Sanctiſſimis & doctiſſimis Patribus , quos colit vt Doctores Eccleſia : quia de huius traditionis initio non conſtat, & oppoſitum in nullo Sancto antiquo legitur.*

Quæ fuerit veterum de oblitis peccatis ſententia?

Et concludo. *Ergo hoc eſt ſecundum præceptum & inſtitutionem Ieſu-Chriſti.*

Et quid tandem ex illâ inferatur?

MMMCCCCXVIII.

CVm igitur in re tanti momenti temerarium ſit præcipitare Iudicium, reſolvendum eſt ,potiùs authoritati , quàm rationi eſſe ſtandum , dicendumque eſt , rationes à P. Nucacio cogitatas eſſe vtiles , vt exercitij gratiâ indubitata Veritas, quod ſolet in Scholâ impugnetur, & Reſpondens rem profundè indagare cogatur. At verò non eſſe tales tantaſ-ve , ut propter illas debeant Chriſtiani cum tanto ſalutis periculo à viâ tritâ diſcedere , & ſemitam ſingularem inire.

An in morum materiâ authoritati potiùs , quàm rationi ſtandum ſit?

Examinabit ſingulas Apoſtolica Sedes, quæ eſt columna & firmamentum Veritatis; & , ſi fortè benigniorem ſententiam, vt probabilem haberi & defendi permittat , illam amplectere. Quandiu verò deſit expreſſum Suæ Sanctitatis Oraculum , ſta à communi totius mundi & omnium ſæculorum doctrinâ , quæ ſiquidem omnium ætatum & provinciarum eſt à Chriſto & Apoſtolis eſt.

In rebus arduis Iudiciū eſt penes Apoſtolicā ſedem , à cuius infallibili oraculo pendent omnes privata Theologorū ſententiæ.

MMMCCCCXIX.

De Vivaldi opinione An P. Nucacio conſentiant

H*Æc ſcripſeram , & typis mandabam anno M. DCLXIII. quando inter Theologos examinabatur hæc ſententia ; nec erant reſolutiones vnanimes. Nam Vivaldus de* Confeſſione. num. 55. (*neſcio, an alius illam typis mandaverit) hanc fuerat opinionem amplexus*

Digitized by Google

plexus; eamque *Diana*, 3. part. tract. 4. reſol. 94. (*erat enim ſuaviſſimus, & urbaniſſimus*) *doctiorum judicio committit, ſed Leander* 1. part. tract. 5. diſp. 5. quæſt. 9. pag. 134. a. *improbabilitatis condemnat. Eum audito.*

Proponitur Vivaldi opinio.

Addit Vivaldus unum valde notandum ſcilicet, quòd ſiquis in Confeſſione dixit, *Peccavi decies in hoc peccato, & de omnibus aliis, quæ Deus ſcit me commiſiſſe in hoc caſu, quorum non recordor dico meam culpam.* Si poſteà aliqua venerint in memoriam, non teneatur illa confiteri, dummodò ſufficiens examen ac debitum priùs fecerit. Sic Vivaldus: Cujus additum, an ſit probabile? aliis Diana judicandum relinquit. Mihi certè improbabile videtur, Eò quod illa peccata oblita, & tali modo confeſſa, nullo modo directè ſubjecta ſint clavibus, nec directè conſequenter abſoluta ſed ſolummodo indirectè, ut ex quæſtionib. ſeqq. præcipue ex LXXII. conſtabit.

Hæret Diana, nec illā condemnare audet.

At eam Leander abſolutè condemnat.

An Leander multa, & minus neceſſaria polliceatur.

Sed multa, quæ non ſunt neceſſaria, pollicetur Leander: alterum, illa peccata fuiſſe abſoluta indirectè, alterum debita indirectè remiſſa, eſſe iterum neceſſariò ſolvenda: non enim hic de abſolutione, ſed de confeſſione differitur: & quia eſt de peccatis, confitendis præceptum, ſint illa per contritionem, aut confeſſionem remiſſa vel non; &, ſi remiſſa, directa aut indirecta dicatur hæc remiſſio, ſi verum eſt nondum fuiſſe confeſſa, debent in confeſſione exponi, & Clavibus Eccleſiæ ſubjici. Ergo, quia hæc apud Philoſophos adverbia directè *&* indirectè *variè accipiuntur & explicantur, non eſt cur de abſolutionis directo aut indirecto modo imò nec de ipſamet abſolutione diſputemus, ſed ad ſolam confeſſionem oculos convertamus: peccata enim omnia (ſint, aut non abſoluta) ſaltem ſemel confiteri debemus.*

An debitum indirectè remiſſum debeat ſolvi.

An termini directè, & indirectè, variè accipiantur? An ad præſentē controverſiā pertineant?

M M M-CDXX.

Sed unde habemus, ut tam animosè reſolvamus? Deſiderabant Viri docti (quod paulò antè innui) ut in tam arduo, & tanti momenti negotio Apoſtolica ſedes ſuam interponeret authoritatem. Et quia piis illorum votis annuit Deus, Feriâ V. die 14. Septembris, M. DC. LXV. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ & Vniverſalis Inquiſitionis habitâ in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. Alexandro VII. &c. fuerunt propoſita viginti octo Propoſitiones, &c. Et intereà idem Sanctiſſimus, re maturè conſiderata, ſtatuit & decrevit prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat & prohibet, &c. Eſt autem inter illas.

An, & quid in hac materiâ reſolverit Apoſtolica Sedes?

Viginti octo Propoſitiones ut ſcandaloſas condemnat.

VNDECIMA. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita, ob inſtans periculum vitæ aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

In undecimâ Nucacij doctrina cōdemnatur.

Vbi, ut conſpicis Omiſſionem ex cauſa, cum Oblivione Pontifex bene coniungit, ut connexio neceſſariò innoteſcat: non ut ex opinionibus, quæ circa Omiſſionem ex cauſa in Schola apud Theologos circumferuntur, ad oblivionem argumenta traducas; ſed ut ex Apoſtolica Condemnatione, quæ Nucacij & Vivaldi opinionem concernit, ad reformationem opinionum priorum vaticinia convertas.

Cur oblivio cum Omiſſione ex causā ab Apoſtolicā Sede componatur?

M M M-CDXXI.

SECTIO III.

Satisfit Objectionibus, quæ ſect. I. ponebantur.

SVpereſt, ut reſpondeamus confirmationibus, quæ in huius articuli principio ponebantur.

Aſſerit §. *Chriſtus*, jugum Domini ſuave eſſe, & onus leve. Quis hoc negare audeat? At hoc erit verum, etſi Nucacij ſententia rejiciatur. Et tametſi confitear ſuavitatem poſtulare regiminis, ut verba legum dubia, benignè, & non rigidè & ſeverè exponantur, negabo doctrinam hanc habere impræſentiarùm locum, quoniam Tridentini verba per veterum Patrum & Theologorum ſententiam & praxim reſtricta non ſunt ambigua & indeterminata: & præcipuè poſt Alex. VII. declarationem, qui ſuâ Apoſtolicâ Conſtitutione impoſuit finē Scholaſticis diſputationib.

An ſint ambigua verba Tri. Concil.

Ad §. *Hæc doctrina* reſpondeo, non bene ibi illas duas poſſibiles formas proponi: debetent enim ad quatuor, & ad tria capita reducuntur tantummodò. Et ideò illa repono. Aſſero igitur potuiſſe D. N. Ieſum-Chriſtum pronunciare Confeſſionis præceptum: primò his verbis (1) *Debet in Confeſſione pœnitens peccatorum, quorum recordatur explicare numeros, & ſpecies*; (2) *peccata, quorum non recordatur, confiteatur in genere, & ſic abſolvatur*; (3) *præter hæc tunc* (*quando confitetur, & durat oblivio*) *nihil aliud exigitur:* (4) *verùm enim verò poſteà* (*cùm recordetur peccatorum, quorum fuerat oblitus*) *adhuc aliquid aliud exigetur, videlicet, ut illa confiteatur.* Et ſecundò iſtis (1) *Debet in Confeſſione pœnitens*, &c. ut anteà, (2) *peccata quorum*, &c. ut anteà. (3) *præter hæc tunc*, &c. ut anteà, (4) *ſed neque poſteà* (*cùm recordetur peccatorum, quorum fuerat oblitus*) *aliquid aliud exigetur: & ideò poterit poſteà pœnitens illa non confiteri.* Sic illi caſus poſſibiles debuerunt proponi, ut cum verbis Concilij Tridentini componantur.

Potuiſſe D. N. Ieſum-Chriſtū duobus modis præceptum Confeſſionis imponere.

Primus modus.

Secundus.

N. B. Conſideretur in vtrāque formulā differentia inter numerū tertiū, & quartum.

In §. *Igitur.* Concilij verba cum illis formulis conferebantur; ſed, quia illæ non erant bene propoſitæ, non fuit mirum, ſi ipſa non ſit congrua collatio. Formalia Sacri concilij verba habes ibi.

Hæ ipſæ formulæ ad Concilij literam examinantur.

In primâ, ſecundâ, & tertiâ parte illæ poſſibilium Inſtitutionum formulæ conveniunt inter ſe, & etiam ipſæ in eiſdem tribus partibus cum Concilio Tridentino concordant. Ergo ſolummodò eſt agendum de quartâ, ut ſciamus, utra videlicet formula (prior, an poſterior) Concilio Trident. exæquetur.

Illarum inter ſe conſenſus & diſſenſus.

M M M-CDXXII.

Vtraque cū Concilio cōponitur.

Porrò de quartò Caſu nihil in ſpecie habet Concilium. Ergo ex generali ejuſdem Concilij doctrinâ, & ex ratione Caſus tertij, ſcietur, quid ſit reſpondendum ad quartum. Erat Reſolutio Caſus tertij *Præter hæc tunc quando confitetur, & durat oblivio*) *nihil aliud exigitur a pœnitente.* Et cur? Quia, tunc oblivio pœnitentem excuſat: quoniam ſi tunc plus exigeret Deus, impoſſibilia pœnitenti præciperet; eſt enim impoſſibile, ut confiteatur peccata, quorum non recordatur. Ergo non obſtante illo generali præcepto, *Vnuſquiſque omnia ſua peccata confiteatur*, pœnitens quandiu duret oblivio, confiteri peccata oblita non tenetur; videlicet, quia non poteſt. Ergo ab eodem pœnitente, quandiu duret oblivio ut confiteatur peccata oblita non exigitur; videlicet, quia non poteſt: ipſi enim, ut dicebamus, aliàs res impoſſibi

Deus non præcipit impoſſibilia.

Quamdiu ſtat impoſſibilitas, ceſſat obedienti obligatio.

C c impoſſibi

impoſſibilis præciperetur. In quarto igitur caſu, quoniam in ipſo ceſſat ratio, ob quam illud generale præceptum de integritate confeſſionis obligare non poterat, præceptum obligat, & pœnitens peccata omiſſa, ſiquidem jam illorum recordatur, confiteri tenetur.

Ceſſante impoſſibilitate redit obligatio præcepti.

MMMCDXXIII. In §. *Progredior*, rem eſſe dubiam ſupponebatur; & in dubiis certa ſunt, quæ ad Nicomachum dicebat. Ariſtoteles: at nos ſumus in certis.

Quo modo exponi debeant leges dubiæ?

Eodem modo ad ea, quæ dicuntur §. *Pergo*, reſpondeo. Admitto enim doctrinam Regulæ illius, quæ ibi proponitur: nego autem illam habere impræſentiarùm locum, noſter enim Princeps Chriſtus per Tridentinam Synodum, non obſcurè, ſed clariſſimè loquitur: ubi enim ait nihil aliud tunc à pœnitente exigi, debemus ſcire oblivionem eſſe rationem, ob quam nihil aliud exigitur. Ergo, & ſcire debemus, hac ceſſante ratione, ceſſare excuſationem, & redire generale præceptum, & à pœnitente tunc exigi, ut illud obſervet: hoc eſt, ut quæ priùs ex oblivione omiſerat & jam ad memoriam reduxit, peccata confiteatur

An verba Tridentini ſint dubia?

Cur nihil aliud à pœnitente exigatur?

ARTICVLVS III.

P. Nucacio reſpondetur.

MMMCDXXIV. His præmiſſis ad Articulum hujus Diſputationis primum oculos convertamur; & ne adlucinationi obnoxij ſimus, Sectionem III. Articuli II. recogitando, & P. Leandri à Murciâ meditationi inſiſtendo, diſcurramus hoc modo.

Peccator eſt debitor. Oblivio non eſt ſolutio.

Peccator eſt debitor (nam ex præcepto debet omnia confiteri peccata) At oblivio non eſt ſolutio, ſed circumſtantia pro tempore (quandiu duret) excuſans; non enim Deus præcipit impoſſibilia. Ergo recedente oblivione (hoc eſt, ſuperveniente peccatorum commiſſorum memoriâ) redit prior illa (& ob poſitionem obicis impedita) generalis præcepti obligatio.

Res notiſſimo exemplo illuſtratur.

De debitore, qui debitum oblivioni mandavit.

Doctrinam hanc, tametſi certam & expeditam, clariſſimo exemplo dilucido. Quoniam ſi Petrus debeat Antonio centum aureos, & debiti non recordetur, quandiù non recordatur, non tenebitur ſolvere; non quia illos aureos tempore oblivionis non debet: nam illos etiam tunc debet; ſed quia ſe illos debere ignorat. Sed ſi recordetur, & hæc ignorantia recedat, non venit nova obligatio, ſed venit veteris obligationis cognitio, & ſolvere Petrus tenetur. Sic ad Concilium. Explicat Chriſti præceptum, & aſſerit debere pœnitentem Eccleſiæ clavibus ſubjicere omnia peccata, tam quoad ſpeciem, quàm quoad numerum. Ecce debitum. Pœnitens, verbi gratiâ, quatuor peccatorum non recordatur. Ritè confitetur, ſi cætera exponat; gratiam accipit; ab omnibus peccatis abſolvitur: ſed tamen remanet præceptum, & illa quatuor confitendi obligatio. Recedit oblivio, venit illorum recordatio: & tunc non incipit novum debitum, ſed debiti antiqui cognitio. Ergo pœnitens peccata oblita confiteri in alterâ confeſſione, quando recordatur, tenetur.

Ad verba Concilij reditur.

Quid pœnitens manente oblivione: & quid rediunte memoriâ debeat facere?

MMMCDXXV. At, objicis, id non dixiſſe Concilium Tridentinum expreſſè. Hoc non eſt verum, nec ad rem. *Non eſt verum*: quia præcipit, ut confiteatur omnia, quorum recordatur. Ergo, quando recordatur. Ergo in priori confeſſione excuſatur per accidens, quia non recordatur. Ergo illa eadem peccata in Confeſſione poſteriori explicare tenetur, quia recordatur. *Non eſt ad rem*: quia Concilium non dixit expreſſè contrarium. Et Concilia ſingula non debent docere nos omnia, ſed illa, ob quæ congregantur. Cùm ergo de hac quæſtione nulla fuerit, inter Catholicos & Hæreticos, nulla inter Catholicos ipſos concertatio, nam hi doctrinam communem tenebant, & illi totum Pœnitentiæ Sacramentum negabant, non fuit cur hanc quæſtionem Tridentinum clariùs & liquidiùs exponeret.

Vi generalis præcepti debet omnia peccata pœnitens confiteri.

Excuſat eũ oblivio, quãdiu durat.

Non debent nec poſſunt in ſingulis locis nos omnia docere Concilia.

An fuerit ante Concilium de hoc argumento controverſia?

MMMCDXXVI. Sed inſtat P. Nucacius Opinio quatuor Authorum eſt probabilis. At benigna, quæ docet peccata in priori confeſſione oblita non debere in poſteriori dici, non ſolum habet quatuor Authores, ſed ſedecim, aut etiam plures. Ergo eſt probabilis.

Quot Authores requirãtur, & ſufficiant, ut aliqua Opinio judicetur probabilis?

Reſpondeo quatuor Authorum Opinionem eſſe probabilem, ſi toleretur ab Eccleſiâ; ſi verò ab Eccleſiâ damnetur, non eſſe probabilem, Addo huic, de quâ agimus, omnia ſæcula, & omnes Chriſtiani Orbis provincias contradicere: unde illam ipſam ab Eccleſiâ tolerari non video. Aſſero tamen eandem ipſam, ſi cras à Sede Apoſtolicâ approbetur, aut toleretur, poſſe judicari probabilem.

An & quãdo quatuor Doctores ſufficiant?

Sententia ab Eccleſiâ dãnata non ſunt probabiles.

CVm igitur poſtquam ſcripta & in lucem miſſa præcedentia ſunt folia, ut vidimus in Notâ, quæ Articulo II. adjungitur, P. Nucacij Opinio fuerit ab Apoſtolicâ ſede damnata, & ſcandaloſa labe inuſta, non eſt cur in illius expoſitione & examine diutiùs immorari velimus.

Ceſſat omnis Diſputatio, quando ſupervenit Apoſtolicæ Sedis authoritas.

ARTICV

Vide n.3371. 3392. 3399.

ARTICVLVS IV.

An peccata in priori Confeſſione non jam ob oblivionem, ſed ob aliam cauſam inculpabiliter omiſſa, debeant in poſteriori Confeſſione, quando ceſſat impedimentum, explicari?

MMMCDXXVII. *De integritate materiali & formali. Vnde proveniat, quod multa peccata ſileri in Confeſſione debeant?*

CONFESSIO dupliciter dicitur integra: nempe, materialiter, cùm omnia omninò (nullo omiſſo) peccata recenſentur; formaliter, quando recenſentur omnia, quæ poſſunt: ac propterea ſilentur illa, quæ dici & exponi non poſſunt. Et, certè, non poſſe omnia peccata dici ex multis capitibus oriri poteſt. *Primò*, ratione oblivionis naturalis, ut ſi pœnitens præmiſſo debito examine non omnium peccatorum meminerit. *Secundò*, ratione periculi mortis; ut, ſi morbus acutus, aut vulneris violentia urgeat, & timeatur, ne æger ſit moriturus antequam integram Confeſſionem abſolvat; vel etiam in naufragio, nam timetur navim ſubmerſum iri ante finem integræ confeſſionis: vel ſunt multi, qui confiteri debent, & dum unus integram confeſſionem facit, alij ſubmerguntur, aut pereunt inconfeſſi. *Tertiò*, ratione complicis. Sed hîc multæ ſunt diverſæ & adverſæ ſententiæ.

Non ſervat Conſequentiam Nucacius.

Peccata omiſſa priori modo (propter oblivionem) non eſſe in alterâ confeſſione aperienda P. Nucacius perſuadere conatur; & tamen omiſſa poſteriori modo eſſe in alterâ confeſſione explicanda fatetur. Et ego inconſequentiam incriminor: quam etiam P. Leander incuſat; & ſic argumentor.

MMMCDXXVIII. *Oblivio non excuſat, ſed impoſſibilitas ab oblivione proveniens.*

Eædem rationes, quæ probant in priori caſu non eſſe poſteà in alterâ confeſſione peccata oblita confitenda, probant nec eſſe in ſecundo, vel tertio. Ergo hæ rationes, vel ſunt leves, vel fortes. Si leves, ſemper (in omnibus tribus caſibus) debent illa peccata in ſequenti confeſſione exponi. Si fortes, ſemper (in omnibus tribus caſibus) poterunt in ſequenti confeſſione non exponi. Probatur primum antecedens: quia oblivio non excuſat quà oblivio, ſed quà impedimentum impoſſibilitatem inducens. Ergo eodem modo de quocunque impedimento, quod impoſſibilitatem inferat, debebimus philoſophari. Et oſtenditur: nam, ſi ille, qui ſua peccata oblivioni mandavit, habeat ipſa notata in chartâ, non excuſabitur oblivione, ſed recognoſcere chartam tenebitur. Ergo oblivio non excuſat quà oblivio, ſed quà impoſſibilitatem adnexam habet. Ergo major conſequentia in P. Nucacio requiritur.

Conſequentia doctrina poſtulat, ut eodem prorſus modo de peccatis ob alias cauſas omiſſis, ac de omiſſis ob oblivionem philoſophemur.

MMMCDXXIX. *A paritate cõtra P. Nucium argumentum urgetur. Quanti facere debeamus in rebus Moralibus omnium Patrũ & Doctorum conſenſum?*

Imò hinc Ego ſic arguo. Eodem modo de peccatis oblitis & de peccatis ob periculum inſtans omiſſis philoſophandum eſt. At hæc ceſſante periculo debet pœnitens confiteri. Illa igitur debebit ſimiliter ceſſante oblivione confiteri. Minorem probat omnium ætatum, locorum, Patrum, & Authorum conſenſus; eſt enim impoſſibile, ita à Deo Eccleſiam ſuam deſeri, ut per omnia ſæcula & loca in re tam eſſentiali erraret. Hæc ergo Reſolutio, ſicut & præcedens, eodem argumento probatur.

ARTICVLVS V.

Supponitur ut certum ex dictis, *peccata in priori Confeſſione inculpabiliter omiſſa debere in alterâ neceſſariò explicari*; & quæritur, *An hæc ipſa Confeſſio debeat Communioni præmitti?*

MULTÆ ſunt Quæſtiones, quæ huc faciunt, & deberent proponi, & decidi. Interim, ne te multis onerem, intermiſſis illis, quæ minùs neceſſariæ videntur, proponam duas, quarum nolim te notitiâ deſtitui. Eſt ergo.

MMMCDXXX. *De animi præparatione, quæ ad Euchariſtiã recipiendam requiritur.*

PRIMA. *An Euchariſtiam recepturus, ſi ſit in peccato mortali, teneatur confiteri, an verò ſatisfaciat, ſi actum contritionis eliciat?*

Pluries in hanc Quæſtionem incidit Cajetanus, illam enim *in 3.p.queſt.*80. *art.*4. & exponens verba illa Pauli ad Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo*, &c. & iterum *in ſumm.verb.Communio.* Et ſemper aſſerit contritionem ſufficere, addit tamen peccaturum venialiter, qui, cùm poſſit, confeſſionem non præmittat, ſed unde hoc veniale peccatum colligat, non percipio; quia præſcindendo ab Euchariſtiâ, alia Sacramenta confecturi aut ſuſcepturi, ſi in mortali ſint, conteri jubentur, & confiteri non jubentur. Ita Suar. *diſp.*16. *ſect.*3. §. *ſed quæret.* Lugus *diſp.*8. *n.*145. Hurtad. *diſp.*4. *diff.*9. Vaſq. *diſp.*136. *c.*1. Dicaſtill. *tr.*1. *diſp.*3. *dub.*10. Leand. *part.*1. *tr.*1. *diſp.*4. *q.*10. *pag.*15. *a.* Bonacin. Philibertus & alij. Vnde ſic arguo. Qui contritus, non tamen præmiſsâ Confeſſione recipit Euchariſtiam peccat venialiter. Ergo, vel quia Sacramentum recipit; vel, quia tale Sacramentum recipit. Non primum: quia contritus alia Sacramenta recipit ſine veniali. Non ſecundum, quia, ſi daretur de Euchariſtiâ præceptum, ſub mortali obligaret: eſt enim materia gravis, in quam levis obligatio non cadit. Interim reſpondebo, duas Concluſiones proponens.

Sacramenta in gratiâ debent conſici & recipi. An, ut quis bene diſpoſitus ſit, ſufficiat habere contritionẽ, an verò cõfeſſionẽ debeat neceſſariò præmittere?

Præceptum de Confeſſione, ſi datur, obligat ſub mortali.

De Cajetani ſententia.

Concluſio I. *Ante Concilium Tridentinum probabilis fuit Cajetani ſententia.* Oſtenditur : nam illam habuerunt Viri clari : videlicet , Armilla *verb. Communio* , *§.ult.* Abbas *in cap.de celebrat. miſſar.* apud Canum *rel.*5. *de Pœnit.*§. *in ſecundo, fol.*107. Ricardus *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 3. *quæſt.* 6. Paludanus *quæſt.*2. Adrianus, *quæſt.*3. *de Confeſſ.* & alij , qui ante Tridentinum ſcripſere.

An probabilis in improbabilem converti poſſit?

Declaratio Concilij Tridentini.

Concluſio II. *Eadem ſententia eſt poſt Tridentinum improbabilis.* Patet : nam ſeſſ.13. cap.7.& can.11.hæc pronunciat. *Siquis dixerit ſolam Fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit. Et, ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem ſumatur , ſtatuit atque declaravit ipſa Sancta Synodus, illis , quos conſcientia peccati mortalis gravat , quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment , habita copiâ Confeſſoris , neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Siquis autem contrarium docere , prædicare , vel pertinaciter aſſerere , ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit , eo ipſo excommunicatus exiſtat.*

Ad Euchariſtiam ritè recipiendam fides ſola non ſufficit.

Sed nec ſufficit ſine confeſſione contritio.

An hoc de Confeſſione Euchariſtiæ receptioni præmittendâ præceptum, Divinũ aut Canonicum ſit?

Porrò , ſi nihil Concilium de hac materiâ in ſpecie decreviſſet , de hoc Sacramento, ſicut de cæteris philoſopharemur : Si tantùm dixiſſet *ſtatuit* , agi de præcepto purè Eccleſiaſtico judicaremus : & , ſi tantùm dixiſſet, *declaravit* , agi de Divino prudenter exiſtimaremus : cæterùm , quia *ſtatuit & declaravit* dixit , dum Theologi quærunt & diſputant, An hoc præceptum Eccleſiaſticum aut Divinum ſit ? nos utrumque dicamus , Vide Leandrum *part.* 2. *tract.*7. *diſp.* 7. *quæſt.*12. *pag.*115.*b.*

An peccata priori Confeſſione oblita debeamus ante Communionem confiteri?

Secunda. *An Sacerdos vel laicus , qui in Confeſſione alicuius peccati mortalis fuit oblitus, ſi debeat , aut celebrare miſſam , aut Euchariſtiam recipere , teneatur Confeſſionem præmittere ? an ſaltem elicere contritionem ?*

Quid ſupponatur , & quid interrogetur exponitur.

Hæc Quæſtio unum ſupponit , & duo interrogat : ſupponit enim peccata inculpabiliter omiſſa (ſive ob oblivionem , ſive ob morbi, vulneris, naufragij, incendij, &c. periculum , ſive ratione complicis : ſive ob aliam quamcumque cauſam excuſantur omiſſa fuerint debere ceſſante impedimento oblivione, periculo , &c.) in ſequenti confeſſione explicari. & interrogat , An qui communicare, aut Miſſam celebrare voluerit , ſiquidem eſt in gratiâ , poſſit immediatè ad Euchariſtiam accedere , etſi ceſſaverit impedimentum. An ſaltem teneatur de illo non confeſſo peccato ſpecialiter conteri : & cur id debeat ? an verò etiam debeat ſecundam facere confeſſionem ante quam ad altare veniat , & ſacram ſynaxim accipiat ſit igitur.

An ad recipiendam Euchariſtiã ſit ſufficiens diſpoſitio eſſe in gratiâ?

An debeat Cõtritio, aut etiam Confeſſio præmitti?

Quid de Contritione,

Concluſio I. *Neuter in caſu tenetur conteri:* nam uterque eſt in gratiâ : & illud peccatum mortale per præcedentem Confeſſionem cum cæteris remiſſum eſt. Ita Præpoſitus 3. *part. quæſt.*80.*art.*5.*dub.*3. Vaſquez *quæſt.*86.*art.*2. *dub.*2. *num.*12. Granadus *tract.*10. *de Euchar.diſp.*7. *n.*14. Leander *part.*19. *pag.*117. *a.b.* Lugo *diſp.*14. *ſect.*6. *num.* 121. Diana 2. *part.tract.*14.*reſ.*48.

Et quid de Confeſſione dicendum ſit?

Concluſio II. *Vterque in caſu tenetur confiteri.* Eſt communis. Ita Diana *part.*9. *tractat.*3. *reſ.*4. Suarez *diſp.*66. *ſect.*4. §. *ſed huius.* Lugus *diſp.*14.*num.*224.*pag.*462. Leander *part.*2.*tract.*7.*diſp.*7. *quæſt.*21.

Et quid dicemus de Oppoſitâ , quam Zacharia Paſqualigus defendit ? ſe nullum pro illâ Authorem inveniſſe inquit Lugo : eſſe omninò improbabilem aſſerit Diana : conſentit Leander , noſtram enim certiſſimam eſſe teſtatur. Eandem ut improbabilem in Expurgatorio pro totâ Hiſpaniâ edito ann.1640. in append. Inquiſitores deleverunt.

DISPVTATIO VI.

De Confeſſionis ſigillo.

Quàm ſtrictè obliget ? Quot, & qualia peccata committat , qui illud violat ? An præter Sacrilegium etiam Injuſtitiam committat ? An Deus , cùm voluit ut potius periret totus mundus, quàm illud frangeretur , in Lege Naturæ contrariè de facto diſpenſaverit ?

MMMCDXXXI.

Cur ſigi [illegible] *dicatur?*

EST firmius ſigillo ſecreti naturalis ; quoniam hoc ſuas interdum exceptiones & interpretationes tolerat ; illud nullas admittit. Et meritò vocatur *ſigillum,* ſicut enim quæ in thecis aut epiſtolis ſigillatis conduntur, ſecreta ſunt , *leg.*1. §. *fin.* D. *quem teſt. aper.* ſic, quæ ſub ſigillo Sacramentalis confeſſionis clauduntur , ita ſecreta manent , ut nemini poſſint revelari. Vide S. Thomam *in* 4.*diſt.*12.*quæſt.*3.*art.*1. *quæſtiunc.* 3. Et hîc obiter notent , qui Deum aſſerunt in Naturæ Lege diſpenſare non poſſe, tale eſſe huius Sacramenti ſigillum , ut præſcribi minimè potuerit , niſi ab eo , qui poſſet , & in Lege Naturæ diſpenſaret de facto. Pono Caſum.

An poſſit Deus in lege naturæ diſpenſare?

Petrus ſub ſigillo naturalis ſecreti Aurelio revelat

An, quando Pœnitentiæ Sacramentū inſtituit in illa diſpenſarit de facto?

revelat coniurationem contra Caſtri Antuerpienſis Gubernatorem textam, decem enim milites, è quibus Petrus unus eſt, ſub ſpe magni præmij ab Hollandis promiſſi, pollicentur, & Gubernatorem occidere, & caſtrum tradere.

An ſecretū naturale cum publico damno obliget?

Ius Naturæ jubet, vt Aurelius damno publico occurrat; &, ſi non poteſt aliter, etiam detegendo conjurationis reos, & ad hoc illum obligat ſub peccato mortali: quia ratio & naturalis prudentia bonum publicum anteponit privato, & non poteſt Aurelius Petri vitæ aut commoditati proſpicere cum damno graviſſimo Communitatis.

An obliget Sacramentale?

Sed pone *Petrum Ioanni in Sacramentali Confeſſione eandem coniurationem detexiſſe.* Quid Ioannes faciet?

Quàm ſtricta ſit lex de Sacramentali ſecreto.

Chriſtus iubet, ne cum ſigilli Sacramentalis violatione damno publico occurrat; &, ſi non poteſt aliter, vt potiùs Gubernatorem caſtri Antuerpienſis trucidari, illud ab hoſtibus intercipi, incolas occidi & ſpoliari, ſuperſtites in hæreſim compelli, & omnia cætera, gravia, ſcelerata, propudioſa, ſacrilegia, quæ poſſent ex ſilentio ſuo provenire, permittat, quàm ut peccatum detegat, quod in Sacramentali confeſſione percepit. Ergo Chriſtus contrariè in Lege Naturæ diſpenſavit, quando ſigillum Pœnitentiæ addidit Sacramento.

Quando obliget, & quando non obliget Naturale Secretum?

P. Gabriel à S. Vincentio Secreti Naturalis efficaciam *tr. de Sacram. Pœnitent. diſp.* 10. *quæſt.* 1. *pag.* 416. *b.* exponit: & agens de re, quam eſſe ſecretam intereſt boni privati & publici, ſic inquit [Exemplum habes in ſecreto purè naturali, quod habet obligare ſemper, & pro ſemper, & ad ſemper prout eſt de ſuâ materiâ formaliter; vel, prout eius obiectum eſt taliter circumſtantiatum: prout minimùm eſt ita circumſtantiatum, quod ſit in proximi bonum, [N. B] Secus, ſi oppoſitum contingat. Vnde, ſi ex tali ſecreto ſequitur proximi damnum [vt ex ſecreto conjurationis propoſitæ] ſiue temporale, ſiue ſpirituale; ſiue particulare, ſiue commune, non obligat] Immò Ius Naturale obligat ad oppoſitum, vt videlicet per fractionem ſigilli Communitati, aut innocenti periclitanti ſuccurratur. At aliter res in ſecreto Sacramentali decurrit.

Secreti Naturalis, & Sacramentalis differentiā.

[Obligat enim ſemper, & pro ſemper, & ad ſemper: non ſolùm prout eſt de ſuâ materiâ formaliter: hoc eſt, prout eius obiectum eſt taliter circumſtantiatum, quod ſit in bonum proximi particulare, vel commune: ſed etiam, ſi oppoſitum contingat, etſi ex tali ſecreto ſequatur proximi malum, & ex revelatione bonum, ſiue temporale, ſiue ſpiritualie; ſiue particulare, ſiue commune, æquè graviter obligat.] Ergo, quia lex Naturalis præcipiebat oppoſitum, nempe, vt per fractionem ſecreti, Communitati, aut innocenti periclitanti ſuccurreretur, Chriſtus ob ſacramenti honorem in Iure Naturali diſpenſat, & tam Communitatem, quàm priuatos mavult in diſcrimine manifeſto relinquere, quàm ſecreto Sacramentali præiudicare.

MMMCDXXXI. *b.* Dices. Hoc non feciſſe Chriſtum liberè, ſed præſcripto Legis Naturalis adhærendo. Quia tametſi fuerit liberum Domino noſtro Ieſu-Chriſto inſtituere, aut non inſtituere Pœnitentiæ Sacramentum; ex ſuppoſitione, quod illud inſtituerit, debuit præcipere omnia, quæ ad illius dignitatem requirebantur. Ergo, quia Lex Naturæ præcipit, ut quoties maius malum ex violatione ſequitur, quàm ex obſervantiâ ſecreti, debeat id obſervari: videndum eſt in Sacramentali ſigillo, an-non ſemper maiora ex violatione mala, quàm ex obſervantiâ ſequantur. Quoniam in ſpecie loquendo, in noſtro ſanè caſu, ſi ex ſecreti obſervantiâ ſequatur plurimos homines occidendos, quia ex ſecreti fractione ſequeretur fideles habituros eſſe averſionem circa Confeſſionem Sacramentalem; & maioris faciendum eſt, quod fideles hac averſione careant, quàm quòd plurimi homines, non occidantur; ideò Naturæ Ius præcipit, vt etſi milleni & milleni innocentes occidi debeant, ſigillum omninò obſervetur.

An Chriſtus neceſſariò Sacramentalis ſecreto præſcripſerit, vt in nullo poſſit caſu violari.

Fuit Chriſto liberum ſacramentale ſecretū ſubjicere Iuri naturæ.

Sic tu diſcurris; &, vt putas bene inconvenientia hinc inde emergentia præponderas. At libram tuam condemnat *loc. cit.* P. Gabriel: ait enim præcepta naturalia, alia eſſe imperfecta, alia perfecta. Eſſe prioris generis aſſerit, quæ in ſuâ materiâ aliquam patiuntur mutationem; quæ videlicet ſub talibus circumſtantiis obligans, ſub talibus autem non obligant: & eſſe poſterioris affirmat, quæ ita obligant, vt ſub nullius circumſtantiis poſſint non obligare. Prioris generis dicit eſſe Legem Naturalem de ſervando ſecreto: quæ quamdiu ſecretum, nec contra Communitatem, nec contra aliquem innocentem, &c. militat, obligat: quando autem in Communitatis, aut innocentes, &c. damnum vergit, non obligat. Addit etiam exempli gratia Legem aliam, etiam Naturalem, nimirùm, *Non occides*, quæ tametſi manentibus circumſtantiis, quas Legiſlator ſupponit, ſemper obliget (ita vt nemo reum authoritate privatâ, nec innocentem publicâ poſſit occidere) nihilominus authoritate priuatâ cum moderamine inculpatæ tutelæ invaſores occidimus: & rei conuicti authoritate publicâ, capite condemnantur. Poſterioris generis eſſe ait eam Naturalem Legem, quæ mendacia interdicit: non enim poſſunt ita diſponi circumſtantiæ, vt mendacium ſit licitum. Et probat. [Si namque imaginabilis eſſet caſus, in quo licitum eſſet mentiri, mutua hominum depravaretur communicatio & contractus; quia poſſet ſemper quis ſuſpicari, fortè ille mihi mentitur; quia fortè putat, in hoc caſu id eſſe ſibi licitum. [a] Addit etiam Legem peccata contra naturam inhibentem, quam etſi mutentur circumſtantiæ ſemper remanſuram pronunciat.

Præceptorū Naturaliū in Perfecta & in Imperfecta diuiſio.

Quomodo obliget Naturale ſecretum?

Quomodo ſextum præceptum Decalogi?

Quomodo octavum?

a] Hæc ratio æquè probat contra reſtrictiones mētales, quia, ſi eſſent licitæ, ſemper poſſet quis ſuſpicari eū, qui ſibi loquitur, aliquâ uti reſtrictione mentali.

Et quidem pleræque omnes humanæ leges, naturales illas, quæ imperfectæ dicuntur, & in primâ claſſe ponebantur, ſuâ conſtantia & perennitate imitantur; ſtant enim, quamdiu circumſtantiæ, ſub quibus latæ, ſtant: & illis mutatis mutantur. Profundè hanc percallebat Veritatem Sanctus ille Gregorius, cui Sanctitas & Eruditio Magni nomen accenſuit, inquit enim *Regulæ Sanctorum Patrum pro tempore, loco perſonâ, & negotio, inſtante neceſſitate traditæ ſunt. Ergo etiam pro tempore, loco, &c. inſtante neceſſitate*

An Decreta Pontificum mutari queant?

Et habetur apud Gratia. *diſt.* 29. *reg.* 1 *& diſt.* 30. *illud.* & Timan Geſſel. *in hiſt. Sacr. tom.* 1. *p.* 394. *ad ann.* 314.

 mutari

mutari poſſunt, & debent. Et quidem vim huius conſequentiæ optimè percallebat Melleus Doctor, qui *libelli de præcept. & diſp. cap. 2. num. 5.* ſic ait. [Porrò inventa atque inſtituta fuerunt, (Regularia de morum correctione Decreta) non quia aliter vivere non liceret, ſed quòd ita magis expediret, nec planè ad aliud, quàm ad lucrum & cuſtodiam Charitatis. Quamdiu ergò Charitati militant, immobiliter fixa ſunt, mutarique omninò, ne ab ipſis quidem Præpoſitis ſine offenſa poſſunt At ſi ècontrario, contraria fortè aliquando Charitati viſa fuerint, his dumtaxat quibus hoc poſſe videre datum eſt, & providere creditum eſt: Nonne iuſtiſſimum eſſe liquet, quæ pro Charitate inventa fuerunt, pro Charitate quoque ubi expedire videtur, vel omittantur vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Sicut è regione iniquum proculdubio foret, ſi ſtatuta pro ſola Charitate contra Charitatem tenerentur. Tenent ergo fixam firmamque immobilitatem, etiam apud Prælatos, quæ ex ſtabili neceſſariò ſunt, ſed quatenus Charitati deſerviunt. Nunquid autem hoc ego vel ſolus ſentio, vel primus dico? An non hoc ipſum & Papa Gelaſius ſenſit? Ait ſiquidem: *Vbi neceſſitas non eſt, inconvertibilia maneant Patrum Sanctorum Decreta.* Leo quoque Papa, *vbi*, inquit, *neceſſitas non eſt, nullo modo Sanctorum Patrum Inſtituta violentur.* Et infert, *Vbi ergo neceſſitas fuerit ad vtilitatem Eccleſiæ, qui poteſtatem habet, ea diſpenſet.* Ex neceſſitate enim fit mutatio legis.

Humanæ leges Naturalibus, quæ imperfectæ dicuntur, ſunt ſimiles.

Cur lata ſint Regularia ſtatuta? An, & quando mutari queant?

Sunt pro Charitate ſtatuta: &, ſi mutatis circūſtātiis contra Charitatem militent, debent neceſſariò mutari ſed à quibus?

An diſpenſatio poſſit concedi ſine cauſa?

Et redeundo ad Sacramentale ſigillum: aio illud ad primam reduci claſſem à Legiſlatore potuiſſe, ſed hodie pertinere ad ſecundam; non, quia Chriſtus ſic faciendi obligationem habuit; ſed, quia ſic voluit. Ita P. Gabriel, qui ſic inquit. [Chriſtus ergo Dominus potuit Confeſſionis ſigillum facere, quod primi eſſet præcepti (imperfecti) tamen ob commune bonum Eccleſiæ voluit eſſe ſecundi (perfecti) quod nimirùm nullus ſit caſus, in quo licitum ſit tale ſigillum frangere.] Ecce Chriſtus, nec neceſſitatem, nec obligationem vllam habuit faciendi, vt præceptum de Sacramentali ſecreto ad legum claſſem illam ſecundam ſpectaret: nam, ſicut potuit Pœnitentiæ Sacramentum non inſtituere, ita & potuit in illo præter ſecreti naturalis ſigillum nullum aliud addere. Ergo ferendo Sacramentalem de ſecreto legem, in naturali diſpenſavit contrariè. Ioannes enim in caſu ſub initium poſito, ſi non teneretur lege Sacramentali, ſed naturali ſolâ, ſicut Aurelius, teneretur ſub mortali revelare illam conjurationem; & modò vi Sacramentalis præcepti ſub mortali tenetur illam non revelare.

Præceptum de Sacramentali ſecreto ad claſſem præceptorum perfectorum ſpectat.

Chriſtus fuit liber in ferendâ lege de Sacramentali præcepto.

MMMCDXXXII.

De ſigilli fractione. Quæ in illâ peccata reperiantur? Diana duplex admittit.

SEd opportunè interrogas, *Quale, & quotuplex peccatum committat Confeſſarius, qui peccata, quæ in Pœnitentiæ Sacramento didicit, detegit & revelat.*

Diana *part. 5 tract. 11. reſol. 1.* duas aſſerit in revelatione Confeſſionis ſemper inveniri malitias; alteram contra Religionem, & alteram contra Iuſtitiam.

Priorem illam admittit P. Gabriel, & ſecundam hanc vt ſæpe inveniatur, nunquam tamen abeſſe poſſe negat. Fatetur in caſu Confeſſarium ſacrilegium committere, ait enim. [Conveniunt omnes ſemper intervenire peccatum graviſſimum contra Religionem ob grandem irreverentiam huic illatam Sacramento] Et veniens ad Injuſtitiam culpas graves à levibus diſtinguit, & ait. [Dico, quod, ſi res quæ manifeſtatur, ſit parvi momenti, vt peccatum veniale, tunc eſt peccatum grave irreligioſitatis, & leve injuſtitiæ: [*b*] quia frangitur naturale ſecretum in re levi. Si verò peccatum, quod manifeſtatur, eſt mortale, tunc diſtinguendum puto; vel enim peccatum, quod propalatur, aliàs potuiſſet propalari, quia redundabat in damnum boni communis, vel particularis, & tunc dico eius fractionem continere ſolam ſacrilegij malitiam, non injuſtitiæ contra ſecretum naturale, quod reſpectu huius non ligat: vel peccatum, [*c*] quod propalatur, non redundat in damnum boni communis vel particularis, & tunc talis propalatio eſt contra Iuſtitiam. Hoc ſecundum admittit Lugo *diſp. 23. num. 16.* non primum. Quia ille, qui rem accipit ſub ſecreto, obligat ſe ad illam non revelandam, quamdiu non fuerit neceſſe eam revelare: [nemo enim poteſt ſe obſtringere ad ſervandum ſecretum, etiam in caſu, in quo ſit neceſſarium & obligatorium illud manifeſtare. [Atqui Confeſſarium nulla neceſſitas obligat ad revelandum. Ergo tenetur ratione pacti impliciti non revelare. Sed hæc Lugonis doctrina diſplicet Primò, quia, &c. Secundò, quia, &c.] Hucuſque Gabriel.

Quid P. Gabriel ſentiat?

b] Et quid, ſi ex peccati levis detectione grave malum immineat pœnitenti?

c] Et quid, ſi gravis peccati revelatio, nullum, aut leve dãnum inferat pœnitenti?

Nemo ſe poteſt obligare ad ſecretū, ita, ut in nullo caſu id debeat frangere.

Ego autem in hoc aſſentiar Gabrieli, & à Dianâ & Lugone diſſentio, quod exiſtimem, non ſemper contra Iuſtitiam Confeſſarium, ſi revelat confeſſionem peccare: ſed quia non omnia, quæ aſſerit Gabriel, approbo, has Concluſiones, quæ mihi ſunt certæ, ſubiici, eſt.

Cur ſequentes Concluſiones addantur?

PRIMA. *Qui peccatum auditum in confeſſione (mortale aut veniale ſit) revelat, ſacrilegium committit.* Patet, quia violat legem Sacramentalem: & infert gravem injuriam Sacramento.

Semper ſigilli Sacramētalis fractio eſt ſacrilegium.

SECVNDA. *Qui peccatum auditum in confeſſione, ſe neſcire, aut in confeſſione non audiviſſe aſſerit, non mentitur, ſed verum dicit: & ſuam negationem licitè poteſt iuramento firmare.* Et idem omninò dicito, *de illo, qui ſe ſcire negat, quæ audivit ſub ſigillo ſecreti naturalis.*

Quæ realiter ſciuntur ſub ſecreto, virtualiter neſciuntur.

Hæſerunt Veteres, vt exponerent, cur non mentiretur Confeſſarius, qui Sacramentaliter audivit Liviam ſe de adulterio accuſantem; & tamen à Principe Tyranno interrogatus, *Livia, an vxor ſua, illi adulterium confeſſa fuerit? Non.* Videtur enim hoc modo reſpondendo mentiri: nam, ſi hæc propoſitio, *Livia eſt adulterium confeſſa*, vera eſt, hæc erit falſa, *Livia non eſt adulterium confeſſa.* Et, ſi illa eſt verax, hæc eſt mendax. At illa eſt vera & verax, vt ſupponitur: ergo hæc eſt falſa & mendax. Hæc autem dicitur à Confeſſario. Principem ergo Confeſſarius decipit, & mentitur.

An mentiatur qui ſe ſcire negat, quæ in ſecreto didicerat?

Hoc argumentum ita vexit Veteres, vt nonnulli

Digitized by Google

An Deus in octavo Decalogi præcepto diſpenſaverit?

nonnulli abſolutè dixerunt Confeſſarium in hoc caſu reverà mentiri, non peccare, quia Chriſtus, ut faciliorem ad Pœnitentiam viam ſterneret, & ſecretum ſecurius redderet dignatus fuit in octavo Decalogi præcepto, quod mendacia interdicit, diſpenſare. Hæc opinatio Hadriano, & aliis adtribuitur.

An Confeſſarium, vt neget, quæ in confeſſione audivit, indigeat reſtrictione mentali?

Illud etiam ita viſit recentiores, ut adæquivocationes, & mentales reſtrictiones, vt poſſint excuſare Confeſſarium, recurrant. P. Carolus Malletus *malleat.* 15. *tract.* 40. *pag.* 147. *b.* interrogat [Quomodo ſe debeat gerere Confeſſarius, quando interrogatur de peccato in confeſſione audito?] Et reſpondet [Poſſe vti æquivocatione, & non reſpondere iuxta mentem interrogantis. Ratio: quia non poteſt vti ſcientiâ in confeſſione habitâ extra confeſſionem. Vnde contra perſeverantem in ſuâ interrogatione poſſet abſolutè dicere, *ſe nihil ſcire.* Ita citati apud Bonacinam *de Sacram. diſp.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 5. *punct.* 4 *n.* 31.]

M M M-CCCC-XXXII. *b.* *Vera ſententia.*

At illud me non vrget, qui aſſero Confeſſarium nec æquivocatione, nec mentali reſtrictione indigere, ne dicens, *ſe nil ſcire*, mentiatur: qui addo re verà mentiturum eſſe, ſi diceret, *Livia fuit adulterium confeſſa.* Hanc doctrinam, quam vberius ediſſerit Haplotes, breviter explicabo

De reali & virtuali exiſtentia.

Rerum exiſtentia duplex eſt: realis, virtualis. Realiter exiſtunt, quæ reverà: at virtualiter dicuntur exiſtere, quæ licèt realiter non exiſtant, prudentum judicio & ſuppoſitione ita ſe habent, ac ſi reverà exiſterent.

De vitâ morali.

Hæc doctrina paſſim habet locum in Eccleſiis & Vniverſitatibus, in quibus, vt pompæ funereæ proſpiciatur, conceditur, vt Canonici & Cathedratici poſt realem & naturalem mortem, per tot aut tot menſes moraliter & virtualiter vivant, & ordinaria ſtipendia lucrantur.

De Teſtamentu.

Habet etiam in Teſtamentis locum: nam poſt mortem realem & naturalem Teſtator ſolet per annum integrum civiliter vivere, vt poſſit rerum dominium in hæredem transferre. Et, quia hæc civilis vita à Republicâ ſœculari conceditur, multa ſunt in Tractatu de Teſtamentis aliter reſolvenda, quàm ſolent. Pergo vlteriùs? & eodem prorſus modo de non exiſtentiâ philoſophor.

De reali & morali rerū non exiſtentiâ.

Quoniam habent realem non exiſtentiam, quæ reverà non ſunt: virtualem tamen, quæ realiter ſunt, & tamen prudentum judicio & ſuppoſitione ita ſe habent, ac ſi reverà non exiſterent. Et eodem modo de vitâ & morte, & aliis rebus diſcurrimus.

Servi ſunt civiliter nulli.

Servi realiter conſiderati ſunt homines; quis de hoc dubitet? at civiliter conſiderati ſunt *nulli*, ita enim ſe habent ac ſi non eſſent homines, vocantur

Cur σώματα, corpora, nominentur?

σώματα, corpora; & in Iure Cæſareo, non inter perſonas, ſed inter res numerantur. Petrus condidit teſtamentum, legavitque Phyllidi centum, ſi Lunam tetigerit digito: & Theodomiræ alia centum, ſi ſe Clodio proſtituat.

De conditionibus, quæ virtualiter non ſunt ſcriptæ?

Sanè hæ duæ conditiones (impoſſibilis altera contra bonos mores) realiter in illo teſtamento ſcriptæ ſunt, realiter leguntur, & tamen civiliter ſunt non ſcriptæ (non leguntur, non ſunt) tametſi enim realiter ſint, reſpectu hæredis, & executorum teſtamenti, aut etiam reſpectu Iudicum, ſi illud contingat in tribunal venire, habentur pro non ſcriptis, hoc eſt, ita ſe habent, ita operantur, ac ſi nec fuiſſent dictatæ nec ſcriptæ. Progrediamur vlterius, & in tribunalia ingrediamur. In illis diſcuntur & expiantur crimina: non tamen omnia, quæ commiſſa realiter, civiliter cenſentur commiſſa.

Multa crimina perpetrata ſunt realiter, quæ civiliter nō ſunt cōmiſſa.

Senatores ſecundum adlegata & probata judicare tenentur. Ergo crimina, quæ probari non poſſunt, vt vt realiter commiſſa fuerint, Iuridicè non ſunt commiſſa: quoniam in iudicio, vt ſecundum Cæſarea Iura v. g. per legitimam pœnam expientur, ita ſe habent, ac ſi nunquam commiſſa fuerint. Pulchra & ad hanc rem ſunt S Bernardi verba, qui *libell. de præcept. & diſperſ. cap.* 18. *num.* 55 ſic adloquitur Monachos Carnotēnſes. [*Subiungitur.* Præſertim ſi Electionis irregularitas adeò involuta ſit & intorta, vt licèt de eâ coram Deo non dubitetur, coram hominibus tamen, aut vix, aut nullatenus convincatur. *Venit nunc in mentem ſapiens elogium: Occa*ſionem quærit, qui vult recedere ab amico. *Quonam modo vos irregularem dicitis Electionem, quæ caſſari regulariter non valet, aut reprobari? Et quidem legitur.* Quod probari non poteſt, mihi infectum [d] eſt, &c.] Ex quibus conſtat alias propoſitiones eſſe veras quoad ſe (vel, vt Carnotenſes loquuntur, quoad Deum) alias quoad nos: alias regulariter alias non regulariter: alias in foro poli, & alias in foro fori: &c. Vtque hæc doctrina dilucidetur, vnum aut alterum exemplum proponam.

Verba digniſſima S. Bernardi.

Quod probari non poteſt, mihi infectum eſt.

Prov. 18. a.

Quandò electio cenſenda ſit irregularis

d] Infectum eſt non factum.

De propoſitionum diſtinctione.

Petrus Religioſus vnam fœminam tetigit, & per conſequens votum violavit, ſacrilegium commiſit. Venit ad Confeſſarij pedes, & ait, *Semel vnam fœminam tetigi.* Nihil aliud. An bene confitetur? Videretur quod non: quoniam ſacrilegium eſt circunſtantia addens novam ſpeciem, & debet in confeſſione explicari. Reſpondeo tamen illum bene fuiſſe confeſſum, & totum ſuum peccatum aperuiſſe, quod enim ipſe tacuit, veſtis dixit: dantur enim conſignificanter circunſtantiæ, quæ, verba latioris ſignificationis, ad minùs patentem reſtringunt. Et hanc ob rem hæc generica verba, *ſemel unam fœminam tetigi*, per veſtes conſignificantes contracta, ſpecifica ſunt, & æquivalent his. *Semel tangendo vnam fœminam votum violavi, ſacrilegium commiſi.*

M M M-CDXXX-II. *c.* *An veſtes loquantur.*

An genericæ aſſertiones reſtringantur?

Laurum occîdit Carolus cum moderamine inculpatæ tutelæ. Capitur. Adducitur ad tribunal, & interrogatur à Prætore, his videlicet verbis. *Occidiſti-ne Laurum?* & Carolus reſpondet, *Non.* Et quia jubetur, vt juret, negationem ipſe ſuam juramento confirmat. Quæritur, An mentiatur, & perjurium committat? Reſpondeo nec mentiri nec pejerare Carolum, ſed verum dicere. Sed quomodo? Attende.

An, & quomodo licitum ſit invaſorem occidere?

Tribunalia ſunt inſtituta, vt expientur crimina. Expiantur, cùm illi, qui ea commiſerunt, puniuntur. Ergo Iudices, cùm reum examinant, de criminibus admiſſis inquirunt. Ergo hæc Prætoris verba, *Occidiſti-ne Laurum?* per officium, tribunal, & vtriuſque obligationes contracta & reſtricta, æquivalent

M M M-DXXX-II. *d.* *Cur facta ſint Tribunalia.*

Digitized by Google

Cur, qui ſe defendendo invaſorem occidit, poſſit ſine mendacio homicidium negare?

valent his, *Commiſiſti-ne homicidij crimen in perſona Lauri?* Reſpondet rotundè Carolus, *Non*: & non mentitur, qui enim in defenſione ſui inculpatæ tutelæ moderamen obſervat, etſi interficiat invaſorem, nullum crimen committit.

Cur etiam qui crimen in ſecreto commiſit?

Pergo vlteriùs. Injuſtè & ſine causâ Aurelius Ferdinandum occidit. Nemo adfuit: nemo vidit. Eum citat, advocat, & interrogat ſenator, qui civitatem regit, dicens. *Interfeciſti Ferdinandum?* Et Aurelius reſpondet & jurat, *Se illum non occidiſſe*. An-ne mentitur? Minimè. Quomodo ergo non mentiri dicendus eſt, ſi reverà Ferdinandum occidit? Dicam.

MMMCDXXXII. e. Tribunalia ſunt erecta, vt expientur crimina. Iam audiviſti. Hæc expiari non poterunt, niſi probentur: & probari non poterunt, niſi deponantur à teſtibus, &c. Ergo hæc ſenatoris verba, *Interfeciſti Ferdinandum?* per eius munus, per tribunal, per vtriuſque obligationes reſtricta & determinata, æquivalebunt his *Meum eſt expiare crimina, quæ probantur: dicas ergo, an in Ferdinandi perſonâ tale homicidium commiſeris, quod poſſit probari & expiari?* Et Aurelius, reſpondet abſolutè *Non*: quia non commiſit homicidium, quod ad ſenatores officium & tribunal pertineat; quia non commiſit, quod poſſit probari; & ideò juridicè loquendo, non commiſit. Vnde ad Senatoris interrogationem reſponſuro, inclamat in aurem Bernardus, *Quod probari non poteſt, tibi infectum ſit.*

Non ſunt facta civiliter, quæ non poſſunt probari civiliter.

De Depoſitarij obligatione.

Addamus adhuc alium caſum. Auſonius deponit apud Leonardum aureos, hac lege, vt illos nemini det, nemini conſignet aut concredat. Supervenit Theopompus, Leonardi amicus & ait, *Premor neceſſitate: numera mihi mutuos centum aureos.* Et reſpondet Leonardus, *Non habeo*. Dicam-ne illum mentiri? minimè. Sed cur, cùm ſciam eum habuiſſe ab Auſonio centum aureos? Quia Theopompus Leonardi pecuniam ſibi dari poſtulat, & illi centum aurei, qui apud Leonardum ſunt ab Auſonio depoſiti, non ſunt Leonardi, ſed Auſonij: & iterum, quia Theopompus de ſibi numerandis aureis agit: & quos Leonardus ab Auſonio habet, non ſunt alij dandi, ſed juxta ſui domini præceptum cuſtodiendi. Stat ergo non fuiſſe Leonardum mentitum; nec, vt ſe à mendacio eximeret, indiguiſſe aliquâ reſtrictione mentali.

Depoſitarius pecunias, quas habet in depoſito, virtualiter loquendo, non habet.

MMMCDXXXII. f. Et quia huius Caſus deciſio me juvat, vt alterum ſupparem intelligam, illum adhuc propono. Contra Semphronium Titius obloquebatur. Iubetur tacere, non vult. Et tunc Semphronius irâ percitus, fuſtem arripit, & primo illum ictu deiicit in terram, & occidit. Conſilij impos, vt ſciat quid debeat facere, venit ad Caſſimirum, & ait. *Habeo vnius rei notitiam, quam depoſiti iure fidelitati tuæ conſigno, hac lege, vt illâ vtaris, vt mihi ſalubria conſilia ſuggeras, & nemini des aut communices. Scias igitur, me primo furore percitum, Titium percuſiſſe & occidiſſe. Hanc notitiam cuſtodias: & illâ me iuva, prudenter conſulens, quid poſſim facere, ne in manus ſatellitum incidam.*

Sicut pecunia, & aliæ res, ſic etiam notitia in depoſito apud fidum amicum deponuntur.

Sunt gemelli & germani iſti Caſus: & per omnia Caſſimirus & Leonardus ſunt ſimiles. Vterque depoſitarius eſt. Ille centum aureorum, hic vnius notitiæ, quæ fuit ſuæ prudentiæ concredita. Ergo eodem debent modo procedere, ſi ſuperveniat tertius, qui rem depoſitam ſibi tradi poſtulet aut præcipiat. Dicebat Leonardus. Non habeo tales centum aureos. Ergo Caſſimirus illum imitetur & dicat *Non habeo talem notitiam*. Ergo, ſi aliqua contra Semphronium ſuboriantur indicia, & quia eſſe eum amicum Caſſimiri vniverſi cognoſcunt, illa ipſa ſicut illum eſſe reum, hunc eſſe conſcium criminis tacitè ſuggerant, vtrumque Iudex ad tribunal citabit & vocabit. Interrogatus Semphronius, quid reſpondere debeat, didicit ab Aurelio. Se in perſonâ Titij non perpetraſſe homicidium dicet: videlicet, quod poſſit probari. At quomodo ſine mendacio ſe expediet Caſſimirus? Verba Iudicis ſunt *ſcis-ne, Semphronium interfeciſſe Titium?* & æquipollent his, *Habes-ne notitiam, quod Semphronius interfecerit Titium?* Et reſpondet Caſſimirus *Non*. non violat Veracitatem. Petit Iudex notitiam ſibi communicandam: & hanc non habet Caſſimirus; quoniam illa, quam à Semphronio accepit, debet vt Depoſitarius cuſtodire, & nulli tradere. Nam, ſi Leonardus cogi nequit, vt pecunias apud ſe depoſitas alij conſignet, quo Caſſimirus jure cogi poterit, vt notitiam, apud ſe depoſitam, alteri tradat.

An; qui habet aliquam alterius notitiâ in depoſito, poſſit aliis communicare?

Non ſolùm rei, ſed eorū amici à Iudicibus citantur, & examinantur.

Depoſitarius, ſive pecunias, ſive res alias, ſive notitias in depoſito conſervet, nemini tenetur illas tradere.

At omnes notitiæ, quas ab ore pœnitentis hauſit Confeſſarius, habet tanquam depoſitarius, hac lege traditas, vt nulli eas tradere poſſit. Ergo, ſi interrogetur, *An habeat talis aut talis peccati notitiam?* reſpondeat *Non*. Non enim habet notitiam, quam Tyrannus petit, licèt enim habeat cuſtodiendam, non habet aliis communicandam. MMMCDXXXII. g.

Hæc doctrina Confeſſario applicatur.

Tertia, *Qui peccatum auditum in confeſſione revelat, mentitur: &, ſi aſſertionem ſuam iuramento confirmet, ſacrilegium periurij addit revelationis ſacrilegio.* Et idem omninò dicito, *de illo, qui revelat, quæ audivit ſub ſigillo ſecreti naturalis.* Hæc Concluſio facillimè ex præcedente demonſtrabitur. Nam Contradictoriæ ſunt Affirmatio & Negatio eiuſdem de eodem. Cùm autem impoſſibile ſit, vt duæ Contradictoriæ ſint ſimul veræ, quando Negatio vera eſt, Affirmatio erit falſa. At, vt vidimus, in omnibus caſibus propoſitis omnes Negationes fuerunt veræ. Ergo in eiſdem omnes Affirmationes erunt falſæ.

An, & cur mentiatur, qui ſecreta revelat?

An periurus ſit, ſi revelationē ſecreti iuramento cōfirmet?

Quarta, *Qui audita in confeſſione (aut ſub ſigillo naturali) revelat, ſemper peccat contra Promiſſionem (Fidelitatem, aut Iuſtitiam) Sacramentalem.* Explico terminos. Illum qui vel confeſſiones Sacramentales excipit, vel ſibi aliqua dici ſub ſigillo ſecreti naturalis permittit, tacitè aut expreſsè ſe ſecretum illud fideliter ſervaturum promittere, indubitatum eſt: at diſputatur, quo iure dicatur obligare promiſſio: quoniam, vt alibi oſtendi, Viri illam doctiſſimi obligare ex Iuſtitiâ aſſeverant: & alij valde docti hanc promiſſionis obligationem ad Fidelitatem & Veracitatem reducunt: vnde jam Recentiores inde adductas perpendendo rationes aſſerunt, vtrumque videri probabile. Et nos, MMMCDXXXII. h.

An Confeſſarij & Cōſiliarij ſe ſecretum ſervaturos promittant?

De Promiſſione.

An ex Iuſtitiâ, an ex Fidelitate tantùm obliget?

quia

Digitized by Google

quia hæc Quarta Concluſio ab hac Quæſtione non dependet, *Promiſſionis Sacramentalis* nomine utimur; erit enim eruditi Lectoris ſub illo, aut Iuſtitiam, aut Veracitatem intelligere, prout alteri aut alteri ſententiæ adhærere voluerit.

Caſus proponitur.

Hinc ergo, ut hanc Concluſionem dilucidem, & ſequentis expoſitioni & probationi viam aperiam, hunc Caſum conſiderandum & intelligendum propono. [Cælestius, quia non habebat domi ſuæ locum tutum, ut illam cuſtodiret, pretioſam veſtem, quâ illum Rex honoraverat, apud Livium depoſuit. Et ſcire vult ad quid teneatur Livius, qui illam recepit in depoſitum.] ℞. Cæleſtius duo jura habet; alterum ratione dominij, & alterum ratione depoſiti. Quia eſt veſtis Dominus, habet jus, ut ſe invito veſtis illa non teratur, aut labefactetur: & quia eſt depoſitor, habet jus, ut illa non egrediatur ex manibus depoſitarij. Livius igitur trifariam poterit contra Cæleſtij jus peccare: (1) ſi illam induat: (2) ſi ad manus tertij transferat, tantùm ut apud illud ſit: (3) ſi indulgeat, ut illâ alius utatur. Si primum fecerit, peccat contra dominij legem; quoniam Cæleſtij, veſte non debet uti ſine ejuſdem conſenſu. Si ſecundum, peccat contra leges depoſiti; nam retinere apud ſe veſtem illam, & nemini tradere ex promiſſionis contractu (adeoque, vel ex Iuſtitiâ, vel ex Fidelitate) tenetur. Si tertium, peccat contra utramque legem, quoniam contra Dominij, quod Cæleſtio ineſt, jura, & depoſiti, quod apud ſe eſt, obligationem operatur.

Ad quæ obligatus ſit depoſitarius? Quot modis contra depoſitorem poſſit peccare?

M M M. CDXXXII. i.

Confeſſor notitiarũ de peccatis ſuis fideliſſimè depoſitarius.

Ex his patet eum, qui peccata excepta in confeſſione revelaverit, ſemper peccare ut Sacramentalem depoſitarium, apud quem pœnitens ut abſolvatur & inſtruatur notitias ſuorum peccatorum depoſuit: & hoc eamdem ſenſu Iuſtitiam, aut ſaltem Fidelitatem Sacramentalem temerare.

Vnde ſciendum ſit, an in fractione ſigilli violetur Iuſtitia Naturalis.

Ergo, ut ſciamus, an ſigilli violatione lædatur Naturalis Iuſtitia, ulteriùs adhuc progrediendum eſt, & inquirendum, utrùm ex peccati auditi in confeſſione detectione reſultet aliquid in damnum & præjudicium pœnitentis: nam, ſi reſultet grave, violabit Confeſſarius Iuſtitiam naturalem graviter: ſi leve, leviter. Et, ſi denique ipſamet revelatio conduxerit ad ſpirituale, aut temporale bonum pœnitentis, non franget Naturalem Iuſtitiam, ſed committet officioſam etſi ſacrilegam Injuſtitiam aut Infidelitatem. Vnde ſit Concluſio.

Concluſio generalis.

QVINTA. *Culpæ audita in confeſſione propalatio, aliquando graviter, aliquando leviter, & interdum nullo modo violat Naturalem Iuſtitiam: Imò non repugnat, ut ſacrilegium officioſum illa ipſa infidelitas ſit.* Omnia exemplis dilucido.

Nõ hic gravitas peccati erga Deũ, ſed magnitudo damni ex peccati revelatione contra pœnitentem proveniẽtis debet conſiderari.

Dico ergo primò, ut ſciatur, quale peccatum committat contra Iuſtitiam Naturalem, qui alterius peccatum ſub naturali aut Sacramentali ſigillo receptum revelat, non eſt quærendum quantum illud ſit apud Deum, ſed quantum damnum ejus revelatio pœnitenti inferat apud homines: ſunt enim aliqua, quæ ſunt gravia peccata, & nullum damnum inferunt, etſi reddantur publica; & ſunt alia, quæ ſunt peccata levia aut nulla, quæ maximè nocerent, ſi ſcirentur. Vnde patet, P. Gabrielem non fuiſſe ingreſſum viam, ut Concluſionem, aliàs veram, contra Dianam & Lugonem probaret.

In fractione ſigilli eſſe poteſt ſine injuſtitiâ ſacrilegium.

Dico ſecundò, Qui revelat peccatum, quod, ſi ſub ſecreto naturali audiviſſet, potuiſſet aut etiam debuiſſet detegere, committit ſacrilegium, non autem violat naturalem Iuſtitiam.

Non omnia peccata gravia infamiã inferunt.

Dico tertiò, Qui revelat peccatum (grave, aut leve) ſi ex revelatione hac nullum damnum pœnitenti ſequatur, committit ſacrilegium, non verò violat naturalem Iuſtitiam. Et quidem eſſe peccata, etiam mortalia, quæ nullum inferant dedecus, in hoc exulcerato ſeculo paſſim experimur: nam nobiles, & milites præcipuè, habent & tolerant publicè ſuas amaſias: & qui de milite diceret, quòd fœminam aleret, quia ille hoc honoris loco ducit, etſi verum non eſſet ad nullam reſtitutionem teneretur. Hinc patet, quid dicendum ſit de Leontio, qui audivit meretricis confeſſionem, & poſteà amicis dixit, *Illam abſolvi à ſuis fornicationibus.* Reſpondeo meritò Ariſtotelem dicere, *Ad pauca reſpicientem, facilè errare*: cujus verborum meminero propter Medinam, qui *quæſt. de his, quæ à Confeſſore celanda ſunt*, ait, licuiſſe Leontio ſic loqui de peccatis in confeſſione auditis. Sed tu tene Pat. Gabrielis ſententiam, qui *tractat. de Sacramen. Pœnit. diſput. 10. quæſtion. 3. pagin. 439. a.* ſcitè ait [Contrarium eſt ſuſtinendum cum aliis omnibus Theologis; quia reverà peccatum in confeſſione auditum manifeſtatur, & eſt per accidens, quòd aliundè ſciatur. Et hoc ipſum juxta meam doctrinam ſic intellige, ut Leontium illa verba dicendo ſacrilegium, commiſiſſe, & contra promiſſionem & obligationem Sacramentalem (Iuſtitiam, aut Fidelitatem) proceſſiſſe aſſeramus, non autem violaviſſe naturalem Iuſtitiam, nam ex illis Leontij verbis nullum recepit illa pœnitens damnum.

An peccata confeſſa, ſi aliàs ſint publica, poſſint licitè revelari?

Qui, ubi ſunt multa conſideranda, reſolvit ex paucorum examine, ſe errandi exponit manifeſto periculo.

M M M. CDXXXII. k.

An ſacrilegium officioſum poſſibile ſit?

Dico quartò, Qui revelat peccatum (grave, aut leve) ſi ex hac revelatione nullum damnum immineat pœnitenti, & tamen utilitas ejuſdem pœnitentis, aut aliorum ſequatur, committit ſacrilegium, non verò violat naturalem Iuſtitiam, ſed crimen officioſum perpetrat. Et hoc Dictum habere locum poteſt in omnibus caſibus, in quibus, quia ſecretum obeſt, dicitur non eſſe locus correctioni fraternæ. Et huc pertinere ille poteſt, quem apud Sylvium *variar. Reſol. part. 1. verb. Sigillum* I. *pag. 318. b.* legimus, ibi enim [Berta puella honeſta & innupta, ſemper fuit ac etiam nunc eſt bonæ famæ. Incidit in morbum gravem, ita, ut periclitaretur de vitâ. Vocato Sacerdoti confitetur ſacramentaliter, eique in confeſſione aperit ſe gravidam eſſe, & fœtum, quem utero geſtat, vivere; neminem tamen id ſcire, nec audere

An ſemper obſervanda ſit correctio fraterna?

An puella gravida teneatur fra-

Digitized by Google

gilitatẽ ſuâ detegere, ne infans ſine Baptiſmo moriatur?

ſe ulli rem iſtam patefacere, ne famam ſuam, hactenus illæſam, perdat. *Quæritur*, quid acturus ſit Confeſſarius, ne infantulus pereat, & ne confeſſionis ſigillum violetur. *Reſpondetur*, ipſum debere Bertam urgere ut fidæ alicui perſonæ rem declaret, ſicque fœtui proſpiciatur, *&c.* Si contumaciter perſiſtat, nolitque ulli extra confeſſionem aperire, deneget ipſi abſolutionem tanquam eâ indignæ prorſus, & indiſpoſitæ, *&c.*] Hucuſque Sylvius. Berta nil voluit declarare, *&c.* Quid autem cõſideratâ fœminæ contumaciâ & infantis periculo, faciet in caſu Confeſſarius? [Non poteſt (inquit *ibid.* Sylvius) quidquam de fœtu vel de ejus animatione loqui, etiam ſi fœtus ſit ſine baptiſmo moriturus: quia ſigillum confeſſionis tam eſt ſanctum, ut ne indirectè quidem liceat ullo caſu illud citra pœnitentis conſenſum frangere.] Et quid, ſi frangeret? quid, inquam, ſi ſecretum detegeret, ut vel ſic infans baptizaretur? Primò contra Religionem graviſſimum ſacrilegium committeret. Secundò violando confeſſionis ſigillum frangeret promiſſionem, & Iuſtitiam ſeu Fidelitatem Sacramentalem temeraret. Tertiò mentiretur: contra Bertam peccatum injuſtitiæ committeret illi falſum teſtimonium imponendo; habet enim Berta jus, ne notitia aliis communicetur, quam illa apud Confeſſarium depoſuit nemini communicandam. Quartò hoc ipſum mendacium, etſi ſacrilegij, injuſtitiæ aut infidelitatis, graviſſimâ malitiâ infectum, erit reſpectu infantis officioſum, ipſum enim ab æternâ damnatione eripit, & divinâ aquâ lotum in cælum transfert.

N B. Hanc patet, quam tenue aut quàm nullum ius habeant ad bonam famam peccatrices. Sed de hoc fuſius Haplotes.

Quomodo in hoc caſu violando ſecretum Confeſſarius peccaret?

MMMCDXXXII.*l.* *An ex licẽtia pœnitentis poſſit ſigillum frangi?*

QVi dicunt poſſe Confeſſarium frangere ſigillum confeſſionis ex pœnitentis licentiâ, verum dicunt, ſed male loquuntur. Verum, inquam, dicunt, quia ex pœnitentis licentiâ licèt Confeſſario audita in confeſſione narrare: at ideò dico, quòd illi male loquuntur, quia hoc non eſt ſigillum frangere, ſed recenſere, quæ dicta ſunt ſine ſigillo.

Quàm cautè procedere debeat Confeſſarius in narrandis peccatis in Confeſſione auditis, etſi poſtulet pœnitens.

Interim oportet, ut cautè procedat Confeſſarius, quando peccatum in confeſſione auditum ex pœnitentis permiſſione revelat: poſſet enim contingere, ut pœnitens negaret poſteà ſe talem conceſſiſſe licentiam. P. Gabriel *loc. cit. quæſt 4. pag. 446. in fin.* [Si de revelato crimine conſtet, & Sacerdos dicat. ſe revelaſſe ex pœnitentis licentiâ, ad ipſum Sacerdotem probandi onus ſpectabit.] Conſonat Sylvio. qui *variar. Reſol. 2. part. verb. Sigillum.* III. *pag. 329. b.* ait [ſi aliquis Sacerdos loqueretur de peccatis alicujus, & prætenderet, ſe de ejus licentiâ hoc facere, immineret iſti Sacerdoti onus probandi, ſi inde accuſaretur, juxta S. Thomam *in 4. diſt. 21. quæſt. 3. art. 2. ad 3.*] Videant igitur quàm cautè agere debeant Confeſſarij, cùm à pœnitentibus jubentur de rebus auditis in confeſſione cum aliis perſonis tractare. Quando accuſatur Confeſſarius de revelatione confeſſionis, nunquam fiet ſufficiens informatio: & non omnes ſciunt quo debeant modo in re obſcurâ procedere. Varias Theologorum ſententias refert Diana *part. 5. tract. 11. reſol. 52.* quas poteris apud ipſum videre.

Quando agitur de revelatâ Cõfeſſione, uter (Confeſſarius, an pœnitens) debeat probare?

An ſemper debeat accuſator probare.

MMMCDXXXII.*m.* *Oſtendere ſe aliunde habuiſſe illius peccatĩ notitiã Confeſſarius tenetur.*

Magiſter Novitiorum N. cujus meminit Sylvius *loc. cit. pag. 323. a. num.* 8. vult, ut pœnitenti incumbat onus probandi. [Vult Confeſſarius itaque, inquit Sylvius, ut probet pœnitens, ſe in confeſſione dixiſſe, quæ ſibi objecta fuiſſe conqueritur: quod, quia fieri non poſſe ſcit, audacior eſt in urgendo, exiſtimans ſe hoc clypeo munitum ſatis, &c.] Conſonat P. Gabriel à S. Vincentio, *tract. de Sacram. Pœnit. diſp. 10. quæſt. 4. pag. 446. b.* dicens. [Rationabilius tamen videtur, quòd ſi pœnitens Sacerdotem accuſet de ſigilli fractione. Sacerdos neget probandi onus ad pœnitentem ſpectabit.] Et hujus opinionis ratio eſt, quia in omni causâ accuſatoris intereſt ea probare, quæ dicit, nam accuſatore non probante, reus abſolvitur, & indignatio Iudicum reſilit in accuſatorem. Si objicias non poſſe pœnitem ad rem impoſſibilem obligari: ergo nec ad probandum ſe illa peccata, quæ revelavit Sacerdos, eidem fuiſſe confeſſum: non enim per teſtes probari poteſt, quod in ſecretò ſine teſtibus dicitur. Si hoc, inquam, objicias, nîl ab adverſariis obtinebis; omnis enim vir prudens antequam accuſationem inſtituat, debet perpendere, an poſſit probare omnia illa, de quibus reum incriminatur: &, ſi non habeat teſtes idoneos, debet ab accuſatione abſtinere.

Re autem bene conſideratâ & perpenſâ, & decipiuntur iſti Authores & bene diſcurrunt. Decipiuntur, ſi jubeant pœnitenti, ut poſitivè probet, quæ poſuerat in accuſationis libello: bene autem diſcurrunt, ſi jubeant ut probet negativè, puta dicendo. [Ego heri Petro confeſſus ſum tale peccatum: hodie ille me illud commiſiſſe narravit Florimundo. Ergo meam confeſſionem detexit.] Tunc Petrus aut oſtendet ſe aliunde illud ſciviſſe, aut confeſſionem revelaſſe cenſebitur. Sylvius, *ubi ſupr. pagin. 328. b.* [Ideircò Confeſſarius, de quo jam quæritur, nequaquam effugere poteſt notam revelati ſigilli, ſi non probaverit ſe aliunde habere ea, quæ pœnitenti objecit.] Et mox *pag. 329. a.* [Etſi Confeſſarius ſimpliciter negaret ſe illa in confeſſione audiviſſe, poſtquam tamen pœnitens paratus eſt juramento affirmare, quòd illa eodem die, quo Confeſſarius ipſi in capitulo objecit, fuerit ipſi confeſſus: ipſi Confeſſario incumbit probare quâ aliâ viâ cognoverit, *&c.* Hinc Angelus *verb. Confeſſio, ult. num.* 21. quærens, cui incumbit probatio, quod talis revelavit confeſſionem, ita ex Panormitano reſpondet. *Si Confeſſor confiteatur ſe dixiſſe tale peccatum, ſed negat ſe habuiſſe illud à confeſſione: niſi probet ſe aliunde habuiſſe, quàm per confeſſionem, præſumeretur contra eum, quod ſcilicet à confeſſione habuit.* Ita Angelus in cujus ſententiam ſcribunt Sylveſter *verb. Confeſſio 2. quæſt.* 9. Tabiena, *verb. confeſſion. celatio, n.* 17. Henriquez *lib. 6. cap. 19. n.* 10. ac etiam Navarrus *in cap. Sacerdas, de pœnit. d. 6.* admonens, omnes Confeſſarios, revelatores confeſſionum

N. B. Debetur iſta reverentia Sacramẽti ſigillo, ut Confeſſarij prudentiores nolint, de rebus aliàs viſis, aut ab amicis auditis agere, ſi fortè eaſdem pœnitens ſibi confeſſus fuerit.

confeſſionem judicandos eſſe, ſiquis eorum delictum cujuſpiam, quod in confeſſione audivit, propalet; & confeſſus aſſerat, ſuam confeſſionem eum revelaſſe, niſi probet ſe id aliunde habuiſſe.

An in aliis etiam materiis reus ad probationem poſſit cogi?

Nec eſt ſpecialis hæc Dialectica; nam in aliis etiam materiis locum habet: quoniam in Senatores poteſt & ſolet fieri talis ab Accuſatore probatio. [Theodoſius eſt homo ex pauperibus parentibus natus. Erat inops, cùm fuit ad Senatum promotus. Muneris ſtipendia vix ſufficiunt, ut ſe modeſtè toleret. Et tamen hodie in monte [a] ſupra ducenta millia aureorum habet. Ergo vel habuit illa ex officio, vel aliunde. Si ex officio: illa à clientibus injuſtè extorſit, & in Senatu non judicem, ſed furem egit. *Si* aliunde, ipſius erit oſtendere, quiſnam eum in teſtamento conſtituerit hæredem, quænam ex Indiâ navis in domum ſuam exoneraverit: aut quiſnam aureus Iupiter in ſuum muſæum hos theſauros depluerit.]

a] *Mons* Latinè, Hiſpan. *Banco.* locus, in quo deponuntur pecuniæ.

MMMCDXXXII. *n.* *Dupliciter poteſt ſigillum frangi.*

ET hîc obiter ita, peccata in confeſſione expoſita ſpecificativè & reduplicativè poſſe detegi. Nam, ſi confeſſus fuerit Ioanni, Paulus, ſe commiſiſſe ſimoniam: & Ioannes dicat Titio, *Ioannes commiſit ſimoniam*, revelavit peccatum ſpecificativè: &, ſi dicat Theodoro, *Ioannes mihi eſt confeſſus ſe commiſiſſe ſimoniam*, inſolentiùs peccabit, quoniam revelabit peccatum reduplicativè, hoc eſt quà confeſſum. Rarum eſt, quod peccata Confeſſarius revelet: &, ſiquando hoc contingit, illa ſpecificativè revelabit: vix enim invenietur Sacerdos tam effrons, qui audeat fateri ſe revelare confeſſionem: volunt enim videri probi, etiam quando ſacrilegium committunt, & ſe ab amico fide digno audiviſſe aſſerunt, quæ in confeſſione didicerunt. De ſpecificativâ revelatione *loc. cit. pag. 328. b.* audi Sylvium. [Ad ſigilli violationem, ait, non eſt neceſſarium, ut Sacerdos dicat, quòd ex confeſſione hæc aut illa peccata noverit, ſed pluſquam ſatis eſt, ſi vel unum peccatum alicujus perſonæ eam deſignando manifeſtet, quod non aliunde, quàm ex ejus confeſſione ſcivit, quemadmodum habet certa & communis Theologorum doctrina.]

Non ſolùm qui reduplicativè, ſed etiam, qui ſpecificativè, peccatū auditum in ſolâ confeſſione revelat, ſigillum frangit, & ſacrilegium committit.

Et quia ſæpe citavi Sylvium, moneo Lectorem ut totum illum caſum, qui tertio loco, *pag. 321.* ponitur dignetur legere, & condolêre miſeris Religioſis, qui talibus Prælatis, Prioribus, Novitiorum Magiſtris ſubjiciuntur: totâ enim illa cauſa, ab initio ad finem, nec Deum illi timebant, nec homines reverebantur. Vnde ſanctè & doctè concludit Sylvius [Confeſſarium (is erat Novitiorum Magiſter) teneri ad reſtituendum honorem pœnitenti juxta ſententiam Iudicis; quia graviter & injuſtè eum læſit, tam in capitulo, quàm extra ſecundum ea, quæ in caſu proponuntur. Ex his porrò evidenter colligi poteſt, quàm Regularibus neceſſaria ſit ſcientia Theologica; non tantùm Prælatis, ſed etiam reliquis; iis prælertim, qui Confeſſarij munus exercent.] Quoniam in monaſteriis, in quibus non florent literæ, reprehenſiones, quæ in capitulo fiunt, & eſſe deberent paternæ, ſunt ſatyræ calumniatrices; & quæ ad ædificationem inſtructæ, ſunt miſeris Religioſis ſcandalo; nam vident Superiorem interdum ex ignorantiâ & ſuperbia audere dextrorſum ſiniſtrorſum in ſingulos; celebrare quotidie; & tamen nulli honorem detractum reſtituere. Deus nos juvet: & præſtet ut viri ſemper docti & probi ad munera Regularia adſumantur.

Moderatiſſimè debent loqui Prælati in Capitulo.

Sine Theologiâ mille errores cōmittent.

N O T A.

Tametſi de Indulgentiis ſcripſerim ſpeciale Syntagma, ne aliquâ notitiâ neceſſariâ careat meus Lector, ſequentem interſero Diſputationem, in quâ vera doctrinæ Fundamenta ponuntur, & præcipuæ Reſolutiones illuſtrantur.

DISPVTATIO VII.

De Indulgentiis.

MMMCDXXXIII. *An pœnitentia à Cōfeſſarius injuncta, debeant acceptari & impleri?*

N. B. Non omnes circunſtantiæ in pœnitentiâ dictæ, sūt indictæ, niſi ſit ſpecialis ratio, ob quam illæ circunſtantiæ imponantur; unde, cui unum *De profundis* injungitur, ſatisfaciet, ſi unum *Miſerere mei* recitet: videtur enim

SATISFACTIO, quæ pœnitenti à Confeſſario imponitur, acceptari debet. Non enim ſolent Confeſſarij tantas imponere, ut ſibi præſcriptam poſſit pœnitens velut nimiam rejicere: at forte eſſe poterit talis, quæ ob hoc vel illud inconveniens, commodè impleri non poſſit: & tunc poterit pœnitens rationes, ob quas putet ſe non poſſe illam acceptare, proponere; interim ſupponat, ſe eſſe reum, non Iudicem, non Arbitrum, ſuumque eſſe Confeſſario (hoc eſt, Chriſto) obedire, non autem præcipienda dictare. Semel acceptata, niſi legitimè commutetur, impleri debet: nimirùm, quoad ſubſtantiam & circunſtantias omnes, quæ creduntur injunctæ; nam, ſi prudenter judicetur aliquam circunſtantiam dictam potiùs fuiſſe, quàm indictam, locus erit interpretationi; non tamen tali, quæ excedat terminos probabilitatis. Et ſi quis totam pœnitentiam impleverit, non ideò ſtatim ab omni pœnâ liber erit, ſed interdum

Digitized by Google

Cōfeſſarius ad quantitatem, & non ad qualitatem reſpexiſſe.

terdum manebit debitor, & ſolvere uſque ad ultimum apicem in purgatorio tenebitur. Hinc Indulgentiis, & Suffragiis Eccleſiaſticis locus relinquitur. Nec eſt cur hîc Chritici obloquantur Theologis, ſcimus enim, quid ſit *indulgere criminibus*, at nos verbum non ad crimina, ſed ad penas referimus: & non ſine veterum Latinorum exemplo: Nam *in Antonin.* ait Spart. *Ad indulgentias proniſſimus fuit.*

Ens Indvlgentiale.

MMM. CDXXXIV.

An dentur Indulgentiæ?

SVpponit multa Titulus, quæ breviter debent dilucidari. Suppono primò ut certum & indubitatum *dari indulgentias*, quod fruſtra & ſine ullo fundamento olim negavere Waldenſes, Wicleffiſtæ, quibus hodie Lutherani, Calviniſtæ & alij Novatores adhærent. Profectò, eſſe in Eccleſiâ Indulgentias concedendi poteſtatem in Lateranenſi, Viennenſi, Lugdunenſi, Conſtantienſi, & aliis Conciliis definitur: & nuper in Tridentino per hæc verba. *Cùm poteſtas concedendi Indulgentias à Chriſto Eccleſia conceſſa ſit, atque adeò hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi traditâ antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit, & eſt*, &c. Sed unde ſciemus antiquiſſimis etiam temporibus Indulgentias Eccleſiam conceſſiſſe? reſpondeo ex Coninckio *de Sacram. diſp.* 12. *dub.*1. *pag.* 531. *b.* 9.5. [quia Gregorius I. circa annum 600. Leo III. circa annum 800. Sergius II. circa annum 844. & alij deinde ſequentes Pontifices apertè indulgentias conceſſerunt, ut pluribus docet Card. Bellarminus *lib.*1. *de Indulg. cap.* 3. Ex quibus clarè oſtenditur eam conſuetudinem fuiſſe in Eccleſiâ antiquiſſimam: tum quia illi Pontifices clarè inſinuant ſe in eo facto ſequi antiquum Eccleſiæ morem: tum etiam quia omninò incredibile eſt, tantos viros in tantâ re aliquid feciſſe, quod à Majoribus non acceperint.]

Tridentin. ſeſſ. 25. *in decreto de Indulgentiis.*

An olim Pontifices conceſſerint Indulgentias?

An detur Theſaurus in Eccleſiâ?

Suppono ſecundò dari in Eccleſia ſatisfactionum theſaurum, ex quo Pontifex Indulgentias concedat. Quæſtio, quæ inquirit, *An hic ipſe theſaurus ſimplex, multiplex ſit?* videtur mihi eſſe de mero nomine. Ecce plures in Eccleſiâ theſauros aſſerit Fabius Incarnatus *in ſuo Sacerdotali Sacram. part.*2. *tr.*5. *pag.* 519 nam in uno gazophylacio Chriſti merita collocat, in altero merita Sanctiſſimæ Virginis, in tertio S. Ioannis Baptiſtæ, & Sanctorum Apoſtolorum & omnium Martyrum, & tandem in quarto merita Sanctorum Confeſſorum, Virginum, & omnium aliorum electorum. At conſtans & communis ſententia unicum theſaurum cognoſcit. Dico ergo (1) omnia illa merita, quæ à Fabio in Eccleſiæ theſauro ponuntur, etiam ab aliis poni. Dico (2) Fabium, ſicut apud Vivaldum tres, & apud Leandrum quatuor theſauros numerat, poſſe triginta vel quadraginta numerare per Sanctorum gradus; qualitates, & dignitates diſcurrendo; quia tota ab ipſo interjecta diſtinctio eſt arbitraria. Dico (3) quas alij ejuſdem theſauri partes, vocant, Fabium theſauros appellaſſe.

An ſit unicus?

N. B. Si Eccleſia dicatur habere unicum Theſaurum totalem, in quo multi partiales ſint, *λογομαχία* tollitur, & æquivocatio.

Suppono tertiò Durandum *in* 4. *diſt.* 20. *quæſtion.* 3. & Angelum *verb. Indulgent.* & Franciſcum Mayronium, quos citat Vivaldus *de Indulg. numer.*4. *pag.*41. (licèt male in illos citare dicat Leander *part.*1. *tractat.*5. *diſp.*14. *quæſtion.*8. *pag.*310. *b.*) non contradicere Extravaganti. *Unigenitus, de pœn. & remiſſ.* ſi bene exponantur. In illâ Extrav. ſic habetur. *Ad cuius quidem theſauri cumulum Beata Dei Genitricis & omnium Electorum à primo Iuſto uſque ad ultimum merita adminicula præſtare noſcuntur.* Et, ut rem bene intelligas, pone eſſe veram communiſſimam illam ſententiam quæ aſſerit omnia in cœlo ſydera eſſe corpora opaca, & non lucere propriâ luce, ſed à ſole receptâ: quæ ſententia, ſi agamus de Planetis eſt certa: & , ſi de Fixis, communiſſima. Et hac doctrinâ præmiſsâ non ſunt oppoſitæ hæ duæ Propoſitiones, *Unica tantum lux eſt in cœlo*: & *Plurimæ luces ſunt in cœlo*, nam prima de luce propriâ intelligitur, & ſecunda de participatâ. Nunc ad Empyreum oculos convertamus. Sol eſt Chriſtus, & ſtellæ ſunt Sancti. Tolle à materiali cœlo Solem, & nulla erunt in Firmamento corpora, quæ coruſcent. Præſcinde à Chriſto, & exclamabit Paulus, *Non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam*: nam humanæ actiones, niſi eleventur Chriſti ſanguine, æternâ gloriâ non ſunt dignæ. Ergo non ſunt oppoſitæ iſtæ Propoſitiones. *In Eccleſiæ theſauro ſolius Chriſti ſunt merita*, & *In Eccleſiæ theſauro ſunt plurima Electorum merita*: nam prima intelligitur, de meritis propriis, quæ elevatione non indigent: & ſecunda de meritis Chriſti ſanguine tinctis & elevatis. interim, ubi de re conſtat, non eſt cur de modo loquendi diſſeramus.

Quidquid de authoribus ſit, citentur benè aut non, eorum ſententia prout hîc exponitur, eſt bona, nec cōmuni advertatur.

An ſydera habeāt propriam lucē: an fulgeant lumine, quod recipiunt à Sole?

Chriſti ſanguis non indiget elevatione, ut meritorius ſit. Sanctorū actus ſunt meritorij, quia à ſanguine Chriſti elevantur.

His doctrinis præmiſſis, Quid ſit Ens Indulgentiale exponamus. Attende. Ens Indulgentiale eſt quidam communis & univerſalis conceptus, qui prædicatur de omnibus rebus, quæ ad Indulgentias ſpectant: ſive eſſentiales, ſive accidentales; ſive cauſæ, ſive effectus dicantur.

Quid ſit ens Indulgētiale?

Svbstantia Indvlgentialis.

MMMCDXXXV.

Quid ſit indulgentia?

MVltæ definitiones ab Authoribus variis traduntur: hanc admitto. *Indulgentia Eccleſiaſtica, eſt liberatio à pœna temporali, iudicio divino peccatis mortalibus, aut etiam venialibus poſt remiſſam culpam debita, per applicationem theſauri Eccleſiæ, qui aggregatus eſt ex ſuperabundantibus Chriſti & Sanctorum operibus ſatisfactoriis, facta extra uſum Sacramenti, ab eo, qui ex iuriſdictione ad hanc rem legitimam habet authoritatem.* Quâ periodo (definitiva ſit, aut deſcriptiva) tota indulgentiæ eſſentia, & multæ circunſtantiæ concomitantes explicantur.

Concedere Indulgētias non eſt actus Ordinis, ſed Iuriſdictionis. Ita omnes contra Durand. in 4. diſt. 20. quæſt. 5.

Poteſt Indulgentia activè & formaliter conſiderari Primo modo conſiderata, eſt actio ipſa indulgentis: & ſecundo conſiderata modo eſt pretium aliquod ex ſuperabundante Chriſti & Sanctorum operum

Peritior explicatio & nominis æquivoci diviſio.

rum

rum ſatisfactione ſumptum, & opus noſtrum elevans, vt ſupra connaturale pretium valeat. Nam cùm Pontifex Summus (hic habet legitimam authoritatem concedendi Indulgentias) indulget, vt qui Orationem Dominicam legat à centum dierum pœnâ liberetur, Indulgentiæ materia eſt Dominicæ Orationis recitatio: Cauſa formalis, ſunt materia Chriſti & Sanctorum: Cauſa Efficiens, nempe Orationem illam elevans & meritis iſtis condecorans eſt Summus Pontifex: effectus, qui etiam dicitur Indulgentia, à centum dierum debitis pœnis liberatio. Vt rem intelligas, pone ditiſſimum Mercatorem eſſe Pariſiis, habere ſuum Vicarium Neapoli, cui ſigillum concredidit, & promiſit ſe ſoluturum literas (Hiſp. *las libranzas*) quæ illius ſigilli impreſſione muniantur. Scribis in chartæ folio tibi eſſe numerandos mille aureos Quantum hoc chartæ folium valet? Folium chartæ, non eſt aliud, quàm folium chartæ, & ſcriptum fortè minùs valet, quàm album. At Mercatoris Vicarius ſubſcribit, & ſigillum apponit. Et tunc? Aio chartæ illud folium elevari, & valere mille aureis. Et progredior. Hominum opera, immò ipſimet homines, quid aliud ſumus, quàm vilis folium charta. Fatetur hoc Iobus, cùm dicit, *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam ſuam.* Omnes humani actus ſecundum ſua naturalia merita ſunt ſtipula ſicca; & in ordine ad gloriam æternam conſequendam, nihil valent. At ſummus Pontifex, illius ſummi Mercatoris Vicarius (illius inquam, qui hominem ſuo ſanguine mercatus eſt) ſi hoc folium (actum humanum) ſuâ ſubſcriptione, & Chriſti ſigillo (concedendo Indulgentias (muniat & roboret, illud elevabit, vt valeat plurimi, & poſſit ſatisfacere pro pœnis, quæ in Purgatorio debebantur.

Quæ ſit in indulgentiis, materia, forma, cauſa efficiens, effectus, &c.

Exponitur quomodo actus humani, qui pauci valent ſecundum ſe conſiderati, per indulgẽtias, & Chriſti ſanguinem in illa communicatum, eleuentur?

Iob 15.16.

QVANTITAS INDVLGENTIALIS.

MMMCDXXXVI.

An indulgentiæ valeant quantum ſonant.

AVdis hoc anno MDCL. Eccleſiæ aperiri theſauros, Iubilæum publicari, & plenarias Indulgentias concedi. Et interrogas, *An illa valeant, quantum ſonant? An Pontifex, cùm œconomus & adminiſtrator theſauri Eccleſiaſtici ſit, validè concedat, quantum velit?* Reſpondeo Miniſtrum theſauros ſibi commiſſos expendere poſſe, ſed dilapidare non poſſe; adeoque exiſtimo ex cauſâ rationabili Indulgentias debere & ſolere concedi. Sed hic iterum ſuboritur dubium: *An ſcilicet, cauſa debeat eſſe vera, an ſaltem vera iudicata, & ſi reverà non ſit vera, ſufficiat?* Vltimam ſufficere exiſtimo: commiſit enim Chriſtus Vicario ſuo Eccleſiæ theſauros, vt prudenter expendat, rata habiturus, quæcumque ille prudenter ſolverit: cùm ergo prudenter procedat, quando ſtat opinioni probabili, ratas habebit Indulgentias Chriſtus, quas ille ex probabili cauſâ conceſſerit: cùm ille quoties plenarias Indulgentias concedit, aut habet, aut prudenter ſe habere putat, ſufficientes rationes, ſequitur Indulgentias (niſi obſit pœnitentium tepor & negligentia) quantum eſt ex parte Chriſti & Eccleſiæ, tantum valere, quantum ſonant

Ad an valorẽ Indulgentiarum probabilis cauſa ſufficiat?

Hæc pauca de Indulgentiæ magnitudine & certitudine adnotaſſe ſufficiat: ad diſcretam quantitatem ſubvenio, & quam multiplex ſit illa, inquiro. MMMCDXXXVII.

Quotuplex ſit indulgẽtia?

Reſpondes omnem Indulgentiam eſſe liberationem à pœnâ temporali debita ob peccata (mortalia vel venialia) remiſſa. Addis hanc ipſam liberationem poſſe fieri dupliciter; aut per modum abſolutionis, quâ ſubditus à pœnis liberatur: aut per modum ſuffragij, cùm ſcilicet tantum ſubſidium ex Eccleſiæ theſauro offertur alicui non ſubdito, quo fiat in foro Dei pœnæ ſolutio. Et infers duplicem eſſe Indulgentiam Eccleſiaſticam, alteram viventium; alteram defunctorum: quoniam illi ſunt ſubditi, iſti non ſubditi, & tamen vtrique liberantur à pœnâ: illi per authoritatem & iuriſdictionem, & iſte per modum ſuffragij;

N. B. Homines, dum vivunt, ſubditi ſunt Summi Põtificis: poſt mortẽ, ſicut in Pontifice mortuo ceſſat dignitas, ſic in homine mortuo ceſſat illa ſubordinatio. Põtifex ergo vivis indulgentias concedit, & vt Chriſtus illas mortuis concedat, ſuffragatur.

QVALITAS INDVLGENTIALIS.

DIſpoſitionem, Potentiam, Impotentiamque conſiderabo: cæteræ enim Qualitatis ſpecies huc minùs conferre videntur Porrò diſpoſitio neceſſariò requiſita, vt indulgentias lucreris, eſt ſtatus gratiæ: quidquid enim Mayron *in 2. diſt. 17. quæſt. 2.* & Rubion *quæſt. 1.* pro contrariâ opinione argutentur; certum eſt, nullas lucrari eum poſſe, qui eſt in peccato mortali: vnde non ſolùm eſt gratia diſpoſitio, ſed & potentia quæ dat ſimpliciter lucrari poſſe: & gratiæ carentia eſt impotentia quæ hominem reddit omnium indulgentiarum incapacem. Ita D Thomas *quæſt. 2 . art. 1.* Navarrus *notab.* 19. Sotus *diſt. 21. quæſt. 2. art. 3.* Granadus *tract. 5. diſp. 4.* Bellarminus *lib. 1. cap. 13.* Suarius *diſp 52.* Henriquez *lib. 7. cap. 9 num. 3.* Sylveſter, Corduva, Valentia, Bonacina, Nugnus, Reginaldus, Sà, Toletus, Vivaldus, Graffius, Ægidius, Fillincius, & poſt Leonis X. declarationem editam ann. 1518. omnes Authores, vt Machadus *tom. 1. lib. 3. part. 1. tract. 4. docum. 1. num. 3.* & Villalobos *tom. 1. tract. 26. diff. 13. num. 1.* teſtantur. Et ratio eſt clariſſima; quia Deus, ſicut nec culpam, ſic nec pœnam remittit per extrinſecam condonationem, ſed per gratiæ infuſionem: & hæc ſubiecto incapaci non infunditur. Ergo, ſiquis ſit in peccato mortali, vt Indulgentias lucrari valeat, antequam vltimam diligentiam faciat, confiteri, aut ſaltem conteri debebit: qui verò in gratiâ ſit, non debebit. *Nota tamen* aliquando Pontificem ipſammet confeſſionem & communionem inter alia opera pia ad indulgentias obtinendas requirere; & tunc hæc Sacramentorum ſuſceptio non ſe habebit vt mera conditio aut diſpoſitio, ſed vt medium.

MMMCDXXXVIII.

An ad lucrandas indulgentias debeamus Confeſſionem præmittere?

Non culpa remittitur, nec pœna relaxatur per extrinſecam condonationem.

Nota bene. Confeſſio aliquãdo requiritur, vt conditio & aliquando vt medium

Digitized by Google

RELATIO INDVLGENTIALIS.

Habitudines variæ.

An in Indulgentiis pœna ſit cõdonatio, an ſolutio?

MMMCDXXXIX. SVnt in Indulgentiis habitudines variæ, variæque Relationes & Correlationes: nam *Indultor* eſt, qui concedit: *Indultum* quod conceditur: & *Indultarius*, cui conceditur. *Abſolutio* viventes in hoc mundo concernit: *ſuffragium* in purgatorio detentos, ſuſpiriis ad gloriam anhelantes: ſolutio ad vivos & ad mortuos ſpectat: debita enim, ubi agitur de rigore Iuſtitiæ ære (proprio aut alieno) ſolvuntur: quam ob rem, cùm ſatiſpatiendo pro pœnis in Purgatorio debitis ſatisfaciamus, eſt neceſſarium vt paſſio (noſtra, aut Chriſti) ſolvat, quæ debemus. Et hunc patet per Indulgentias non condonari nobis pœnas, ſed ſolvi: nam Pontifex ex Eccleſiæ theſauro extrahit, & offert Deo, quantum debemus. Et ex his fundamentis plurimæ relationes reſultant.

QVANDO INDVLGENTIALE.

De anno Iubilæi. Ludi ſæculares.

De anno centeſimo.

Cur Iubilæus dicatur?

De anno quinquageſimo: & Vigeſimo-quinto.

MMMCDXL. POſſunt concedi Indulgentiæ quocumque die, quâcumque hora: at ſolent liberaliùs ſolennioribus. Nam & Romani Veteres ludos habuerunt ſœculares, quos centeſimo quoque anno celebrabant, nec tolerandum, vt ingenioſior ſit ſuperſtitio, quàm devotio. Hanc ergo ob rem centeſimum quemcumque annum favoribus & ſolennitate honoravit Eccleſia; & à communi Orbis Chriſtiani iubilo *Iubilæum* nuncupavit, & favorum gratiarumque conceſſione celebrem, reddidit. At centeſimum annum non omnes attingere poterant, & ideò ad fidelium ſolamen, quinquageſimo cuique eædem gratiæ à Pontificibus conceſſæ ſunt: & tandem viceſimo etiam quinto, & ſeptuageſimo quinto; vt multiplicatis favoribus, creſceret fidelium omnium pietas, & ſecuriùs tenderetur ad gloriam.

ACTIO INDVLGENTIALIS.

Cauſa publica, ob quas Indulgentiæ generales conceduntur.

PRæter annos eiuſmodi numeri celebritate venerabiles, ſunt alij circunſtantiis notabiles; quoties enim miſeriæ publicæ poſtulant, vt ad Deum ſpeciali devotione & oratione recurramus, concedi ſolent Indulgentiæ, vt potiùs & confidentiùs divinam imploremus clementiam: videlicet, vt novâ favorum conceſſione peccatores allecti, conſcientias expient, vitia corrigant, & miſericordiæ opera, Deo gratiſſima, exerceant.

EFFECTVS INDVLGENTIALES.

Quibus nõ proſint indulgentiæ?

MMMCDXLI. PRroſunt Indulgentiæ Eccleſiaſticæ, ſolis quidem Chriſtianis, ſed non omnibus, ſed illis ſolùm, qui in ſtatu ſint gratiæ, & aliquo debito pœnæ temporalis in hac vita aut alterâ apud Deum tenentur. Conſultò *apud Deum* dixerim; quoniam in hac materiâ, ſicut etiam in Moralibus aliis communis Dialectica claudicat: non enim licet argumentari in Moralibus à maiori ad minus, quod in Realibus licet. Eſt enim bona hæc conſequentia, *Habeo decem, Ergo à fortiori quatuor.* Etiam hæc, *Eſt maior Gigante, Ergo te Pygmæo.* At hæc mala, *Poteſt abſolvere à debitis, quibus homo obſtringitur Deo, Ergo & à debitis, quibus obſtringitur Pretori.*

Argumentum à majori ad minus non valet in morali materiâ.

Quid debeamus facere, vt Indulgentias lucremur?

Vt Indulgentiæ effectum habeant, adimplere debemus, quod & quomodo, concedens Indulgentiam, requirit.

VBI INDVLGENTIALE.

Indulgentia loco, imagini, grano, &c. conceſſa.

SVnt gratiæ plurimæ loco alligatæ, ita vt qui eadem, quæ à Summo Pontifice requiruntur, in alio loco fecerit, nullas lucretur. Sunt gratiæ imagini, aut grano portatili conceſſæ, quæ nunquam dependent à loco. Legenda ergo & bene perpendenda ſunt ſingula diſplomatis verba, quia cùm gratiæ à voluntate concedentis dependeant, contra voluntatem eiuſdem effectum habere non poſſunt. MMMCDXLII.

Indulgentia intra probabilium explicationum terminos latiſſima ſunt intelligenda?

Quæ Miſſæ de requiem nomine intelligatur?

Fateor interdum hic, ſicut in aliis rebus, eſſe locum interpretationi, & aliquando voluntatem implicitam aut interpretativam ſufficere: non quæ eſſet (hunc enim valorem habere non credo) ſed quæ implicitè eſt, & à ſignis colligitur, & à poſteriori probatur. Pono exemplum. Conceſſerat cuidam alteri in Belgio, indulgentias Vrbanus VIII. annuens, ut una extrahatur anima Purgatorij, quoties Miſſa *de Requiem* dicatur. Ergo-ne ſummus Pontifex voluit, vt diebus feſtis, in quibus non licet miſſam *de Requiem* dicere, animæ carerent ſuffragio? Erant variæ Reſponſiones Lovanij: interim conſultus Pontifex, reſpondit, *Mea intentio eſt, vt Miſſa dicatur pro defunctis, quidquid in Bullâ ſcripſerit ſecretarius.* Alibi hanc hiſtoriam ſcripſi, & ibi nomina loci & perſonarum notavi: quæ impræſentiarum non occurrunt. Ergo Vrbano VIII. declarante, Miſſæ *de Requiem* nomine, quoad Indulgentiarum effectum, intelligitur quæcumque Miſſa, quæ pro defunctis offeratur Volui hanc hiſtoriam ponere, vt pii Lectores videant, ſanguinem, quem tantùm non prodigè pro nobis effudit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſine ſuſpicione avaritiæ etiam nobis à ſede Apoſtolicâ communicari. At omnia debent temperari prudentiâ; & nihil temerè debet hic cenſere pœnitens: ſed non erit ſtatim condemnandus, ſi temerè cenſeat: nulli enim ſe exponit peccandi periculo, qui falsò credens ſe lucraturum plenarias gratias, ſincerè confitetur, divinam Euchariſtiam recipit, & alia opera miſericordiæ cedulus & devotus exercet.

Error facto nullum parit periculum.

An diligentia quæ in Bullæ præſcribuntur,

Ex hac doctrinâ naſcitur multarum Quæſtionum diſſolutio, & ego proponam vnam, cuius deciſio per analogiam multis aliis deſerviat. Pono hunc Caſum. In Bulla Iubilæi deſignantur tres dies, in quibus debeamus eleemoſynam facere; at Petrus non illis, ſed MMMCDXLIII.

aliis

non ex malitiâ, ſed ex negligentiâ leviter alterentur, ſatiſ eſt, ne quis Indulgentias conſequatur.

a] Tene Navarri ſententiam, at illam Gloſſam non admittas, non enim, quæ juberemur, tacitè præcipiuntur. Interim negativè bene ratiocinamur cũ dicimus, *In generali cõceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſſimiliter in ſpecie cõceſſurus.* Reg. 81. Ergo *in generali præcepto nõ veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſſimiliter in ſpecie præcepturus.* Et hæc Maxima ſufficit, vt Opinio Navarri defendatur.

aliis diebus eleemoſynam erogavit, & interrogat, an ob hanc levem negligentiam favore à ſede Apoſtolica conceſſo carere debeat? Adhærent crudæ literæ Sanctarellus, Leo, Lavorius, Reginaldus, Filliucius, Diana, Philippus de la Cruz, quos & probabilius loqui aſſerit Leander *p.1.tr.5.diſp.14.q.57. pag. 329.b.* At Ego nec percipio, cur ipſi tam ſeverè cenſuerint, nec capio, cur eorum ſententiam Leander vocet probabiliorem, & ideò adhærebo Navarro, qui *de Oration. Miſcell. 58. num. 128. fol. 337.* ſic inquit. *Qui per probabilem ignorantiam, oblivionem vel incogitantiam ſive inadvertentiam abſque aliâ culpâ & negligentiâ omitteret orare & eleemoſynam facere vſque ad ſabbatum, & tunc haberet orationem, & faceret eleemoſynam notabiliter maiorem, quàm tribus diebus facere tenebatur, ex quâdam æquitate & tacitâ indulgentis intentione quæreret illam. Quia rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* cap. 2. de conſtitution. *Et quia quædam Gloſſa ſingularis & recepta.* leg. tale pactum. §. fin. D. de pactis. *Dixit, pro tacitè ſtatuto habendum id, quod veriſimiliter ſtatutum fuiſſet, ſi ab ſtatuente quæſitum fuiſſet.* [a] *Et veriſimile eſt Papam, ſi de hoc caſu interrogatus fuiſſet, ita pro ſuâ maxima pietate & æquitate reſponſurum.* Et ſubſcribunt Navarro Boſſius *de Iubilæo ſect. 4. caſ. 8. n. 9.* Vega *tom. 2. cap. 27. caſu. 48.* Philippus de Cruce *tract. 1. §. 11. num. 4. & §. 18. num. 5. fol. 154.* Diana *part. 5. tract. 12. reſol. 22.* & alij.

Sitvs Indvlgentialis.

MMMCDXLIV.

An in Indulgentiis diligentiarum ordo ſervandus ſit? Nemo tenetur indulgentias lucrari. Nolle Indulgentias lucrari non eſt peccatum.

QVæris, *An, qui invertat ordinem in exſequendis iis, quæ præſcribuntur ab Eccleſia ad obtinendas Indulgentias peccet?* &, *an ill* [illegible] *lucretur?*

Hanc alibi quæſtionem pluribus diſcuſſurus, reſpondeo impræſentiarùm paucis; videlicet licet non peccare, qui indulgentias conceſſas non lucratur; adeoque neque eum, qui invertendo diligentiarum præſcriptarum ordinem, ſe exponit periculo nullas lucrandi. Quia à circumſtantiâ contemptûs, ſcandali, &c. præſcindendo, licèt arguendus ille ſit ſummæ negligentiæ & ignaviæ, non tamen vel venialis peccati reus eſt, nullâ enim lege indicitur, vt gratias & indulgentias obtineamus.

An, & quænam diligentiarum ordo eſt neceſſariò obſervandus?

Addo eſſe aliquarum rerum ordinem eſſentialem, qui mutari non poteſt: nam ille qui eſt mortiferi peccati reus, non debet Euchariſtiam Confeſſioni præmittere; ſed contrà. Et Confeſſarius tenetur priùs audire peccata, quàm abſolutionem concedat. De his non eſt dubium: adeoque de eiſdem nil me rogas. Agis ergo de ordine rerum, quæ connexionem neceſſariam non habent; & puto melius eſſe, vt ſervetur ordo ab Eccleſiâ præſcriptus: melius eſſe, vt ante primam diligentiam exploretur & Sacramentaliter expietur conſcientia, & Sacramenta frequententur, & diligentiæ quæ ſemel petuntur, repetantur. Omnia hæc partem decentiorem aut etiam ſecuriorem concernunt. At non video ſtando rigori, cur non poſſit probabiliter dici mentem

Inverſio ordinis accidentalis non obeſt.

Summi Pontificis non eſſe tam ſeveram, vt nolit lucrari Indulgentias, qui ordinem diligentiarum immutarit. Eſt enim Pater vniverſalis, & propter negligentiam levem non debet filios ſuos favoribus gravibus & eximiis privare. Et etiam opinionem illam, quæ docet ſufficere vt vltima diligentia fiat in gratiâ, iudico ſufficienter probabilem: & præcipuè propter Authores, qui eam tuentur.

Saltem vltima diligentia fiat in gratiâ.

Habere Indvlgentiale.

MVlta hoc poſſem congerere nam & Indulgentiæ multa habent, à multis habent, & à habentur: & qui eas concedunt & lucrantur, & habentur, & habent. Interim è multis eligam paucula, quæ magis vtilia videntur.

MMMCDXLV.

Quæram primo, *Qualem cauſam habere debeat Pontifex, vt validè Indulgentias concedat?* hoc eſt, *An Pontifex, quando probabili motivo inductus illas concedit, concedat certas vel probabiles?* Vt quæſtionem intelligas, revocare in memoriam debes ea quæ iam ſuperiùs diximus; videlicet, ad conceſſionem gratiarum & diſtributionem ſanguinis Chriſti, qui virtualiter exiſtit in theſauris Eccleſiæ, cauſam requiri piam: & ad magnas concedendas magnam nam cùm Pontifex Summus non ſit theſauri Eccleſiæ dominus, ſed Adminiſtrator, non debet temerè illum prodigere, ſed prudenter expendere. Et hanc ob rem ponendo Indulgentias validè concedi, quando cauſa eſt certò pia: & invalidè concedi, quando eſt certò non pia: excito hoc dubium, quo inquiro, *An Summus Pontifex, ſi probabiliter iudicando cauſam piam & legitimam, quæ revera eſſet non pia, & non legitima, concederet magnas Indulgentias validè illas concederet? an illas probabiliter tantum?*

Quæſtio neceſſaria & ſubtilis.

An, quando cauſa eſt probabiliter ſufficiens, Indulgentia ſint tantùm probabiliter validæ

Ratio dubitandi.

MMMCDXLVI.

An conſequentia eſſe poſſit certior, quàm præmiſſa?

Hoc vltimum placeret alicui: nam conſequentia non poteſt eſſe certior & ſecurior antecedenti. At cauſa pia, eſt antecedens, ex quo naſcitur Indulgentiarum conceſſio: Ergo, ſi illa ſit certò pia, valor iſtarum erit certus: ſi certò non pia, valor iſtarum erit nullus. Ergo, ſi illa ſit probabiliter pia, iſtæ erunt probabiliter validæ.

Resolvtio

At iſtâ ratione non obſtante exiſtimo in tali caſu Indulgentias conceſſas eſſe certas. Summus enim Pontifex & theſaurorum Eccleſiæ œconomus & homo eſt non Angelus. [nota id bene] Ergo debet habere officium, cui humanitùs ſatisfacere poſſit. At habere ſententias certas non eſt hominum, ſed Angelorum, nos enim rarò aut nunquam in rebus practicis ſupra probabilitatem intellectum erigimus, Ergo theſauros ſuos Chriſtus commiſit Pontificis dictamini humano, hoc eſt probabili. Ergo tacitè aut expreſsè Petro, & eius ſucceſſoribus dixit. *Quidquid in gratiarum aut indulgentiarum materiâ prudenter (hoc eſt, vt homo prudens) ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quidquid eodem ſenſu ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* At, quæ Pontifex ex ſententia probabili facit prudenter, & tanquam homo prudens facit. Ergo & validè facit. Sic verba Chriſti intelligo. Loquebatur enim homini, &

An homines in rebus practicis ſupra probabilitatem ſapiant?

Quidquid in hoc genere Pontifex probabiliter facit, validè facit.

Digitized by Google

& non Angelo, & debebat capacitati ſubditi attemperare ſua præcepta. Ita Suarez, Sotus, Corduva, Caietanus, Gerſon, Sylveſter, Granadus, & alii. Hanc ſententiam amplectitur Henriquez, eamque nomine S. Thomæ confirmat. Eamdem vocat probabilem & piam Lugus *diſp. 27. num.* 145. & probabiliorem Leander *part. 1. tract. 5. diſp. 14. quæſt. 30. pag. 314. a.*

MMMCDXLVII. *Quæſtio altera etiã de probabilitate.*

Quæram ſecundò, *An privatus homo, qui ductus opinione probabili (aliàs falsâ) ſe lucraturũ Indulgentias ſperet, illas verè lucretur?* Stando rigori, deberemus negativè reſpondere. At, ſicut ex probabilitate collegimus Chriſti voluntatem, cur non etiam poterimus Summi Pontificis colligere? Fuit olim privata perſona, qui hodie caput Eccleſiæ: has omnes opiniones, quæ dicuntur probabiles, & in Scholis controvertuntur didicit, aut etiam docuit: modò tolerat: ergo ſuas gratias & favores opinionibus eiſdem attemperat, & quantum eſt ex parte ſua eſt contentus obedientiâ probabili. Fortè id negabit aliquis: at manebit probabile, nam eius negatio non inſiſtet fundamento evidenti ſed probabili. Fortè aliquis diſtinguet inter probabilitatem circa exiſtentiam Indulgentiarum, & erga lucrandi illas modum: & aſſeret me non eſſe reverà lucraturum indulgentias, quæ verè conceſſæ non ſunt, etſi probabiliter exiſtimem conceſſas eſſe, at me reverà lucraturum illas, quæ verè conceſſæ ſunt, ſi media adhibeam eo videlicet modo quo docet aliqua opinio probabilis. Et Ego hanc eamdem diſtinctionem non improbo.

An Purgatorium ſit?

Ex dictis neceſſariò colligitur eſſe Purgatorium, nempè locum, in quo debita, quæ nondum erant ſoluta in hac vitâ, exſoluuntur. Eſt tam clarus & manifeſtus locus qui ex 2. Macch. 12. ſumitur, vt hodie Hæretici malint totum illum librum reiicere, quàm admittere illius doctrinam capitis. Certum eſt eos, qui ſolo peccato veniali grauati moriuntur, in Purgatorium duci; at modus ſe liberandi à maculâ ipsâ incertus. Non videtur repugnare illi loco debita ſatisfactio: ſunt tamen, quibus vel hoc nomen diſpliceat, vel ad voces latè ſumptas recurrant. Sunt qui *ſatisfactionis* loco, nomen *ſatiſpaſſionis* inuenerunt, & multis quæſtionibus de nomine, Eccleſiæ conſtantem doctrinam perturbarunt. Nos de Purgatorio alibi vberiùs & exactiùs diſcurrimus, nunc tantùm illum debere admitti ponimus, & Lectorem ad alios locos aduocamus.

Satisfactio Satiſpaſſio.

NOTA I.

De Abſolutione ſeu Benedictione; nec non de Indulgentiis illi adnexis, quæ in ordine S. Mariæ de Mercede, à ſuperioribus concedi ſolent.

MMMCDXLVIII.

Magno Eccleſiæ bono fuit erecta Beatæ Virginis de Mercede Religio; cuius Religioſi quarto voto obſtringuntur ad redemptionem captivorum. Omnes, qui illam profitentur, ſunt deſignati Martyres. Tranſeunt in Africam, vt captivos redimant; &, ſi pecunia deſit, ſe cum illis commutant, & ut proximi liberi ſint, in ſervitute durâ remanent. Res frequens & manifeſta, quæ poſſet plurimis demonſtrari: ſed ne omnia omittam, meminero S. Raymundi Non-nati, quem ob vitæ merita Gregorius IX. ann. 1237. Cardinalem creavit. Hic redemptionis gratiâ Argeliam miſſus, multa mancipia periclitantia reperit, quorum alii erant in diſcrimine perdendi corpus, alii perdendi animam: tantâ enim Selimus Beni provinciæ Rex (vel vt ipſi loquuntur, Baſſa) crudelitate gubernabat, & tam ferox & inexorabilis contra Chriſtianos erat, vt multi aut debuerint occidi, aut Fidem Chriſtianam negare. Omnes emit Raymundus; & quia pecunia, quam tranſvexerat, non erat pro lytro ſufficiens, amore Dei accenſus, vt voto ſolenni ſatisfaceret, pro pignore manſit in Africâ. Sed quia concionabatur, & decem Hebræos, & duos nobiles Mauros converterat, iubetur in palum induci, & ſubiiſſet martyrium, niſi ſpes exſpectatæ pecuniæ, & domini, à quibus ſervos emerat, ſe opponerent furori Baſſæ. Interim fuſtibus cæditur, in ergaſtulum truditur, & non ceſſabat concionari; jubet Tyrannus, vt conſuantur Sancto labia, & maceretur ſiti & fame. Duravit hoc martyrium octo menſibus, quouſque hic Redemptor, à ſocio ſuo, ex Hiſpaniâ reduce & lytrum referente, tandem redemptus eſt.

De quarto voto Religioſorum B. Mariæ de Mercede. — *S. Raymundus Non-natus.* — *Tranſit vt redimat captivos in Africam.* — *Manet pro lytri pignore.* — *Tandem redimitur.*

Hinc collige me Patres de Mercede & captivorum redemptione meritò *deſignatos Martyres* nominaviſſe. Sed quia ex hoc ipſo nomine, quod ipſis meritò accenſui deſumetur Reſponſio, interrogabo, *Cur ipſi tantâ ſolennitate abſolutionem impertiantur?* Res nota eſt. Ipſi in Eccleſiis ſuis, & cum ſolennitate notabili: & ipſi ſoli (non enim ſcio alios authoritate tali frui) huiuſmodi Indulgentias concedunt. Vt rem ediſſeram debebo convertere oculos ad prima Eccleſiæ ſæcula, & aliqua, ex probatis Authoribus legere, quæ multis inuiſa & ignota.

Martyres deſignati, qui?

Cæcilius Cyprianus, *defuncto Donato, iudicio Dei & plebis fauore, ad officium ſacerdotij, & Epiſcopatus Carthaginenſis gradum, adhuc Neophytus, & vt putabatur, Novellus electus eſt*, ait Pontius Diaconus in eius vitâ ad ann. 250. MMMCDXLIX. *Qualis S. Cyprianus fuerit?*

Erat ingenio facili, ſuavi, & quæ ſermonis maxima eſt virtus, aperto, vt diſcernere nequeas, utrum-ne ornatior in loquendo, facilior in explicando, an promptior in perſuadendo quiſquam fuerit. Sic de illo loquitur Lactantius *lib. 5. cap. 1.* Nec minoris factus apud Græcos; nam Nazianzenus Orationem in laudem eiuſdem compoſuit, ex quâ vnam aut alteram periodum dabo. *Vir erat genere illuſtris, potentia clarus, ſuaque civitatis ſenator ampliſſimus; cuius Ordinis primariam obtinebat dignitatem* (erat igitur Conſilij Præſes) *Philoſophicis diſciplinis inſigniter ornatus*, &c. *Si me tua doctrina aut eloquentia ſibi conciliet, qua tu tantùm reliquos mortales anteibas, quantùm nos brutis animantibus præſtamus*, &c.

Digniſſimũ de eius virtute & doctrinâ Teſtimonium.

Digitized by Google

&c. Erat teſte S. Hieronymo *totus in exercitatione virtutis*, unde Baronius in illo *temporis antiquitatem, doctrinæ praſtantiam,& martyrij dignitatem* veneratur.

Vtrique Philippo occiſo ſuccedit in Imperio Decius.

Eo ſedente Carthagine Philippus Imperator, cum ſuo filio Philippo etiam Imperatore occiditur: ſuccedit Decius. Hunc fuiſſe primum Imperatorem Chriſtianum aſſerit Euſebius *in Chronic.* contradicit ſcaliger *ibid.*

Fabiano Papa poſt annũ ſuccedit Cornelius.

Fabianus Papa coronatur martyrio. Anno & ampliùs ob acerbam Decij perſequutionem, & temporum difficultatem vacat ſedes, ut Clerus Romanus *Epiſt.ad Cyprian.*teſtatur. Et quis tandem ſucceſſit; Dabo Cypriani verba. *Factus eſt Epiſcopus Romæ Cornelius de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum Virorum collegio*, id eſt, ex Epiſcoporum etiam exterorum, qui tunc in Vrbe commorabantur numero, ut Geſſerius & alij interpretantur.

M M M-CDL. Quis & Qualis Novatus fuerit?

Erat Cypriano Clericus cognomento Novatus (alij malunt fuiſſe Epiſcopum Afrum) homo ſchiſmaticus, & ſceleratus; ita impius, ut patrem inediâ permiſerit mori, nec fuerit ſepulturâ dignatus; quique uxorem gravidam ita percuſſerit, ut & abortum fecerit: unde fuit de parricidio & filicidio ad tribunal delatus. Patiebatur Eccleſia ſub Decio ſeptimam perſequutionem; & Epiſcopis ut inſontes Clericos animadverterent. erant ligatæ manus. Vrgebant Africani Antiſtites,ut deponeretur Sacerdotio, qui ſuis criminibus provinciam ſcandalizaverat. Inſtabat dies, quo erat proferenda ſententia, & Novatus prævenit, & fugâ conſiſtorij judicium præoccupavit.

Venit Romã, & contra Cornelium Novatiano adhæret.

Vt venit Romam, & ſcivit Novatianum ambitione nimiâ contra Cornelium concitari, homo ad ſchiſmata natus, illi adhæſit, & affictis criminibus à Cornelio Confeſſorum animos alienavit: rebuſque perturbatis ſeduxit tres Epiſcopos, qui Novatianum, in Epiſcopum Romanum conſecrarent. Hoc primum fuit Romanæ Eccleſiæ ſchiſma, quod totum Orbem Chriſtianum perturbaret. Fretus Antipapæ favore Feliciſſimum in Africâ Diaconum creat, ut augerentur turbæ, & contra Cyprianum Fortunatum conſtituit Epiſcopum Carthaginenſem.

Fortunatum creat Pontificem Carthaginenſẽ

An ſint admittendi relapſi?

Vt ſchiſma eſſet periculoſius, Novatianus Antipapa, & Feliciſſimus Diaconus ad Hæreticos tranſeunt. Docebat Feliciſſimus omnes lapſos,ſive ſacrificantes,ſive libellatici eſſent, admitti debere ad communionem, ſi literas Martyrum præſentarent: Novatianus lapſos, non dico ad communionem ſed ne ad pœnitentiam quidem poſſe admitti cenſebat; ut vel ſic magis abeſſet à Cornelio; quem & omnes cum ipſo Catholicos eſſe immundos dicebat, quod ſe lapſorum communione polluerint; & ſuos vocabat *καθαρὺς mundos*, debuiſſet verò *mundaros* Dicere, ut S. Auguſtinus obſervavit. Alij ut Novatianum & Feliciſſimum diſſentientes componerent, mediam inibant viam,& indulgentiam quam libellatis concedebant, ſacrificantibus debere negari affirmabant.

Καθαροὶ, Heretici, qui? An mundi dicantur per antiphraſim? Sacrificãtes, qui?

Hic Eruditio poſtulat ut hæreamus tantiſper, & ſciamus quinam illi fuerint, qui in antiquis hiſtoriis,*Sacrificantes, Libellatici,* & *Martyres* vocati ſunt.

Sacrificantes dicebantur Apoſtatæ,qui poſt baptiſmum ad Idololatriam lapſi, aut ſacrificando aut thus offerendo, Ethnicis cultum præſtitiſſent ſtatuis.

Libellatici, qui? M M M-CDLI. Tria illorũ genera.

Libellaticorum duo erant genera: nam alij coram Præfecto per ſe aut per procuratorem comparebant,negabant Chriſtum,& libellum ſecuritatis impetrabant. Et hos tantùm *libellaticorum* nomine Baronius intelligendos putat. Alij vexationem redimebant pecuniâ, & non negato Chriſto libellum impetrabant: quos etiam Tertullianus, ſed jam Montaniſta, condemnabat. Cæterùm hoc ſecundum poterat fieri duobus modis: nam vel Præfecti literæ reddebant hunc ſenſum, *Nemo moleſtus eſto Titio, quem ſcimus Religionem Gentilem profiteri*, vel hunc, *Nemo moleſtus Claudio ſit, cui permiſimus, ut vivat in Religione Chriſtianâ.* Imo etiam addamus tertium modum, videlicet. *Nemo Arſindo in causâ Religionis moleſtus ſit.* Aſſero primum libellum ſacrilegum & impium eſſe, erat enim quædam externa Fidei Orthodoxæ negatio: nam ſe non eſſe Chriſtianum per hujuſmodi literas Præfectum adducebat in teſtem, ergo per Præfectum ſe Idola colere profitebatur. Hunc libellum meritò Tertullianus damnavit. In ſecundo nihil mali reperio;nam hodie Chriſtiani apud Turcas (Conſtantinopoli, Hieroſolymis,&c.) tributum ſolvimus, & impetramus literas ſecuritatis. Tertius etiam caret ſcrupulo, ſecuritas enim indulgetur, & ſubticetur cauſa, & hoc Præfecti causâ, ne forte, ſi accuſari contingeret,convinci poſſet. Videretur alicui difficile Præfectos auſos fuiſſe libellos juxta formam ſecundam vel tertiam concedere. Sed ceſſat admirationis occaſio propter duo: nam Præfecti erant prædones publici, & nihil pecunias offerenti negabant: & perſequutio ob lucrum intendebatur à Miniſtris, quod manifeſtum fiet, ſi ad Commodum Cæſarem oculos convertamus. Marcus Aurelius inediâ ſe occidit ut narrat Iulius Capitolinus: ſucceſſit Commodus Nerone & Caligulâ ſævior, & tamen ut habet Euſebius, *Commodi Imperatoris tempore furor ille Gentilium contra nos mitigari cœpit.* Sed cur? Geſſelius. *Sub hoc Imperatore pax data Eccleſiæ ob immanem crudelitatem, quam exercuit contra Senatores & provinciarum Præfectos, per quos anteà quàm ſæviſſimè ſunt cruciati Chriſtiani.*

Tutâ-ne potuerint conſcientiâ libellum à Prætore ſuſcipere?

Quales fuerint Prætores ſub Ethnicis Imperatoribus?

Martyres dicebantur, qui ob Catholicæ Fidei confeſſionem captivi, expectabant hoc ram, quâ deberent fuſo ſanguine teſtimonium de Religione dare. Ad hos recurrere ſolebant lapſi; &, ſi obtinerent indulgentiam, propter illorum merita ab Epiſcopis ad communionem ſuſcipiebantur. Sed ad Cyprianum redeo.

Commodus M. Aurelio in Imperio ſuccedit.

M M M-CDLII. Crimina S. Cypriano obiecta.

Novatus, Feliciſſimus, Fortunatus & alij Preſbyteri in antipapæ tribunali incriminabantur Cyprianum (1) quòd non eſſet legitimus Epiſcopus,non enim à ſecundo ſegeſtario Primate, ſed à vicinis fuiſſet conſecratus. (2) quòd in amphitheatro omnium voce ad Leonem poſtulatus, relicta ad tempus ſuâ Ec-

An Indulgentias à Martyribus conceſſas contemneret?

Qualis fuerit Cypriani & Feliciſſimi Diſputatio?

cleſiâ ſe ſubduxerit, noluerique ſubîre martyrium: (3) quòd contemnebat Martyres: nam qui indulgentiæ ab illis literas impetraverant, non continuò ad communionem admittebat, ſed dicebat debere Eccleſiæ priùs reconciliari: & hoc prætextu, tempus, quo pax Eccleſiæ reſtitueretur expectando, indulgentiam per Martyrum literas conceſſam fruſtrabat.

Sub Iaimo Aragoniæ Rege redēptrix Religio exordiū ſumit.

Hinc manifeſtè liquet qualis ſub illud tempus fuerit, differentia inter Feliciſſimum, Cyprianumque. Contendebat ille lapſos ſtatim recipiendos eſſe, modò exhiberent indulgentiæ literas, quas conceſſerant Martyres: contra iſte reponebat adverſari id diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quo non mediocriter offendebat Confeſſores, & Lucianum præcipuè, Martyres ipſos; & lapſos etiam, qui vel Cypriano invito Feliciſſimo adhærebant, & cum eo in monte communicabant: unde & *Montenſes* dicti.

Cur hujus Ordinis Religioſi impertiantur Abſolutiones publicas.

Huc reſpicientes Sanctiſſimi Summi Pontifices (& Honorius III. ſub quo B. Mariæ de Mercede Sanctiſſima incepit Religio, & Gregor. IX. qui ann. Domini MCCXXX. eam approbavit, præcipuè) quâ horâ voluerunt hujus Sanctiſſimi Ordinis Religioſos ex vi voti eſſe *Martyres deſignatos*, ad Dei Majorem gloriam, & Martyrum antiquorum honorem, & populi ædificationem, ſtatuerunt ut ſicut illi ad Epiſcopos ſic & hi ad Summum Epiſcopum Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum Indulgentias concederent. Peccator, quem ſuorum criminum pœnitebat, Indulgentiis olim à Martyribus deſignatis conceſſis fultus, veniebat ad Epiſcopum, & in illorum gratiam pœnarum veniam conſequebatur. Et, ut hæc Antiquitatis conſervetur memoria, vult Eccleſia, ut qui peccavimus, à Martyribus deſignatis (Patribus Mercenarlis) ſolennem Benedictionem & Abſolutionem impetremur, quæ per Apoſtolicæ ſedis authoritatem elevata, & Summo Pontifici (Domino noſtro Ieſu-Chriſto) præſentata pœnarum relaxationem, & gratiarum incrementa conſequatur.

NOTA II.

De Oratione, Pœnitentiâ impoſitâ, & iterum aliqua de Indulgentiis.

An quis teneatur orare? An qui, quoniam non oravit, tentationi ſuccumbit; duplex peccatum committat? Pro quibus orare debeamus? An inutiles ſint orationes, quæ fiunt in peccato mortali? An Pœnitentia in peccato mortali impleri poſſit? An qui in mortali peccato eſt, poſſit Indulgentias & Iubilæa lucrari?

MMMCDLIII. *Unde Oratio dicatur?*

ORatio, ut ab ipſomet nomine incipiam, duplex Etymon habet: vel enim *oratio* dicitur, quaſi *os & ratio*: vel quaſi *os & actio*.

Prior derivatio hujus vocis.

Prior derivatio placuit Angelico Doctori *in 4. diſt. 15. & in 2. 2. quæſt. 85. art. 4.* ipſi enim Oratio *eſt oris ratio, per quam intima cordis Deo manifeſtamus*. Et meritò ab ore & à ratione *Oratio* dicitur, mentiuntur enim Deo, qui bona recitant & mala cogitant, horum enim Deus incriminatur orationem cùm dixit, *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

Derivatio poſterior.

Placuit aliis derivatio poſterior, nam *Orationis* nomen ab ore & actione deducunt: ut ſciamus, oris vocem activam eſſe, & actiones vocales. Loquimur & oramus linguâ, manibus, pedibus, gladiis, calamis: qui enim ſervit Deo, illum collaudat, & bene orat, qui Dei legem obſervat. Orat arando ruſticus, & dedolando ligna faber, rumpendo ſaxa latomus, nam in ſudore vultûs ſui lucrantur panem, & ſuam familiam ſuſtentant. Legendo; ſcribendo, dictando, orant Doctores, Iudices, Præſides, & qui ſunt ſuperiores, & populum commiſſum gubernant. Bombardis & gladiis orant milites; & ut hoc firmem, pulcherrimum recenſebo apophthema, quod in Caramuelis Dominico uberiùs enarratum invenies. De ſummâ rerum agebatur in monte Albo apud Pragam: exercitus Cæſareus erat debilis, morbo & inediâ exhauſtus: hæreticus numeroſus, ſuperbus & arrogans. Die ſabbati in Catholicis caſtris miſſæ & conciones habitæ toto mane, & toto veſpere litaniæ decantatæ: Die Dominicâ dum utrimque ad conflictum decretorium ſe præparant, adſcendit equum Maximilianus Dux Bavariæ, Generaliſſimus Catholicorum exercituum, & voce altiore intonans ad Principes Militiæ orthodoxæ ſic inquit. *Heri, heri, fortiſſimi Commilitones pugnavimus noſtris roſariis. hodie hodie noſtris gladiis & noſtris moſquetis oremus.* [a] Et quidem orarunt tam fortiter, ut deleverint hoſtes, ceperint urbem, & pernitioſo bello finem aliquando impoſuerint. Ergo, Domini mei, Canonici, Beneficiati, Clerici: Ergo Domini mei, Nobiles, Cives, & cæteri, qui hanc illuſtrem Civitatem conſtituunt, hanc ipſam Civitatem eſſe Chriſti domum jam ſcitis, hoc veſtra pietas & Fides illibata perſuadet: ergo vobis loquitur Chriſtus cùm dicit, *Domus mea, domus Orationis vocabitur.* Cantent in choro, qui munere aliquo in Cathedrali fruuntur: privatim recitent beneficiati, etiam Sœculares Marianas horas & Virgineum Roſarium non negligant: ſed, quia non ſolùm ore, ſed etiam ratione & actione Deum orare debemus, ita vivamus & mores noſtros gubernemus, ut noſtra vita ſit quædam perennis oratio.

a] *Non tam gladiis, quàm orationibus ſtrenua Victoria obtinentur.*

D. Sebaſtianus de Villaviciosa, *&* D. Ioannes de Matos *compoſuerūt Comœdiam, qua inſcribitur* El Letrado del Cielo, *& in ipſâ Dux Spolets ſic inſit.* Cartas tengo del Papa en que me embia ſu Beatitud las gracias de aquel dia Que vinci los infideles eſquadrones La Igleſia batalló con oraciones, Y aſſi todos decid con voz feſtiva, Viva la Igleſia ſancta: viva, viva.

An, & cur Campanienſis civitas Dei domus?

MMMCDLIV. *Quid ſit Oratio?*

Ex nominis expoſitione quid ſit ipſa colligitur, Eſt actus latriæ: nam *orare ad Deum eſt adorare Deum*, quia Deus poſtquam immenſa beneficia nobis contulit, ſolam adorationem hoc eſt orationem poſtulat, non ſui gratiâ, non enim noſtris ille indiget orationibus, ſed propter nos, ut occaſionem habeat impertiendi nobis gratias & miſericordias ulteriores

Quid adorare ſit?

Quotuplex ſit Oratio?

Oratio eſt triplex: purè mentalis, purè vocalis,

Digitized by Google

calis, & mixta. Rem ipſa nomina exponunt. quoniam, quæ ſolâ mente habetur, purè mentalis eſt : quæ linguâ ſolâ, purè vocalis, dicitur : & quæ ore & mente, eſt mixta : qualis conſulitur recitantibus Divina Officia ; quibus S Benedictus in undeviceſimo ſuæ Regulæ. *Conſideremus, qualiter oporteat nos in conſpectu Divinitatis & Angelorum eius eſſe: & ſic, ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ.*

Quomodo ſint Divina Officia recitanda?

Pro quibus orare debeamus?

Oratio ex Charitate fit : & quia à ſe ipſâ incipit Charitas, debet homo Chriſtianus pro ſe, pro parentibus, filiis amicis, & tandem pro defunctis orare.

M M M-CDLV. *An, quando, & ſub quo onere teneatur Chriſtianus orare?*

Sed pro ſe quando: Qui notabili tentatione laſciviæ vel furoris affligitur, tenetur orare ſub peccato mortali. Eſt ſententia communis, & probatur clariſſimè. Qui enim tentatione gravi periclitatur, tenetur adhibere media, quæ reddant ſuam conſcientiam ſecuram ; ſed rebus in diſcrimine poſitis Oratio unicum & efficaſſiſſimum remedium eſt: Ergo tunc tenetur orare ſub mortali.

An duplex peccatum committat, ſi non oret?

Et quid ſi non oret ? pono caſum. Petrus graviſſimâ carnis tentatione angebatur: eam ſuperaſſet, ſi voluiſſet orare : orationem neglexit & tentationi ſuccubuit. Et interrogat, An duo peccata commiſerit, alterum non orando, & alterum libidinando ? Ioannes Sancius *in ſelect. diſp.21. n.12.* affirmat : nam Petrus in caſu peccavit contra duas Virtutes, videlicet contra Caſtitatem libidinando, & contra Religionem non orando. Iubet itaque Sancius, ut qui duo peccata commiſit, etiam in confeſſione Sacramentali utrumque exponat. Quod nemo facit : ergo deberemus neceſſariò affirmare, aut malas eſſe omnium fidelium confeſſiones, aut Sancij ſententiam. Hoc ultimum poterimus dicere, & Tannero *in 2.2. diſp.2. quæſt.4 dub.4. num.83.* Dianæ *part.3.tract.5. reſol.16.* & aliis ſubſcribentes aſſerere eum, qui, quoniam non oravit, tentationi ſuccubuit, non duo, ſed unicum commiſiſſe peccatum.

Eſt optima legũ Interpres conſuetudo & bene coſitetur, qui facit, quod Catholici probi & prudentes ſolent facere?

Sub eâdem obligatione, qui quis tenetur ponere finem, tenetur etiã ponere media ad eundem finem

Et oſtenditur. Qui ſub peccato mortali tenetur finem ponere, etiam media ad finem neceſſaria ponere tenetur ſub mortali : nam, qui tenetur die feſto audire miſſam ; tenetur ſurgere ex lecto, egredi domo, venire ad Eccleſiam : interim, ſi fortè miſſam non audierit, non committit multa peccata, ſed unicum : quoniam illæ omnes omiſſiones ſunt malæ, non malitiâ propriâ, ſed malitiâ finis; nam ad non audiendam miſſam ordinabantur, & ſic ſufficiet in confeſſione dicere, *Non audivi miſſam die feſto.* Ergo ſiquis furore percitus, ideò percuſſit Clericum, quia non oravit, ſi enim oraviſſet illum non percuſſiſſet, omiſit quidem orationem & Clericum percuſſit. Et in caſu illa ipſa Orationis omiſſio mala fuit : non malitiâ propriâ, quia tunc non tenebatur orare : ergo erat mala percuſſionis malitiâ. Ergo ſatisfaciet in Oratione dicens *Percuſſi Clericum*, nec ſe orationem omiſiſſe confiteri debebit.

N. B. Tunc mediorũ omiſſio non eſt mala malitiâ propriâ, quando non ſunt præcepta præſcindendo à fine.

Pro quibus teneamur orare?

Orare pro parentibus tenentur filij, & orare pro filiis tenentur parentes ſimiliter: fratres pro fratribus, amici pro amicis, & pro proximis proximi. At in hoc rarò committi poterit culpa mortalis. Vide Dianam *part.9.tract.9.reſol.60.*

M M M-CDLVI. *An ſint utiles orationes, quæ fiũt in peccato mortali?*

SEd gravior occurrit difficultas, quæ inquirit, *An ſint utiles orationes, quæ fiunt ab homine exiſtente in peccato mortali? An is, ſi roſarium parthenium recitet, & pro animabus Purgatorij offerat, proſit animabus, quas Suæ Divinæ Majeſtati commendat?* Lege attentè, quia ex mala hujus Quæſtionis intelligentiâ, multa mala oboriuntur.

Attributa Orationis quæ ſint?

Reſpondeo primò quatuor eſſe Orationis attributa, quæ debent bene conſiderari : Oratio enim, niſi aliunde impediatur, meritoria, impetratoria, ſatisfactoria, & ſatiſpaſſoria eſt. Dicitur meritoria, quia meretur gratiæ augmentum, cui & etiam æternæ gloriæ incrementa reſpondent. Dicitur impetratoria, quia quæ poſtulat impetrat, unde per Apoſtolum Dominus, *Petite & accipietis*. Ecce Deus : loquitur ut Deus ; non dicit, *Petite hoc, vel illud*, nec menſuram imponit noſtris votis dicendo, *Petite tantum, vel tantum* : ſed dicit abſolutè, *Petite.* Et in alio loco, *Quidquid petieritis à Patre nomine meo, dabit vobis.* Notate illud *quidquid.* At multa, dicet aliquis, à Deo petimus, quæ non impetramus. Nego, ſi bene petimus. Debemus enim noſtram orationem prævenire oratione alterâ, & dicere, *Pateant aures miſericordiæ tuæ Domine precibus ſupplicantium, & ut petentibus deſiderata concedas, fac eos, quæ tibi ſunt placita, poſtulare.* Eſt etiam ſatisfactoria Oratio, imò & ſatiſpaſſoria, nam & ſatisfacit pro peccatis interdum ; & aliàs pro eorumdem pœnis ſatiſpatitur. Et oportet inter ſatisfactionem & ſatiſpaſſionem explicare diſcrimen. [non enim eſt eadem ratio de ſatisfactione & ſatiſpaſſione. Nam cùm ſatisfactio naturâ ſuâ tendat ad compenſandum honorem iniuriâ ſublatum perſonæ offenſæ, tantæ dignitatis & moralis æſtimationis fuit honor à perſona offenſa ſublatus : & quia hic cenſetur ejuſdem ordinis cum perſona offenſa increata: cùm nulla perſona creata ſit ordinis increati, nulla ſatisfactio eſt condigne compenſativa honoris Deo per mortale ſublati. Satiſpaſſio verò, quia naturâ ſuâ non tendit ad compenſandum honorem à perſonâ offensâ ſublatum, ſed ſolùm ad deprimendum offendentem, quantum ipſe contra præſcriptum ordinem, quem ſervare debebat, ſe erexit, &c. Apocalyp. *Quantum ſe glorificavit, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*] Ita Amicus *tom.3. diſp.23. ſection.5. pag.252. à num.172. ad 5.* Et poſtea *ſect. 5. pag. 254.* poſtquam dixerat poſſe in inferno condemnatos ſatiſpati pro pœnâ peccatorum mortalium & venialium remiſſorum quoad culpam, ait. [Nec eſt eadem ratio de ſatisfactione, quæ non acceptatur ab offenſo, niſi fiat à perſonâ gratâ: quia ſatisfactio per ſe primò dirigitur ad reſarciendum per modum obſequij honorem ſublatum à perſonâ offensâ, cui ut ſit grata, provenire debet à perſonâ amicâ. Pœna autem (& ad hanc ſpectat ſatiſpaſſio) per ſe primo dirigitur ad corrigendam culpam delinquentis.]

Quid mereatur Oratio?

An omnia, quæ petuntur, concedat Deus?

Quæ, & quomodo debeamus Deũ orare?

An ſatisfaciat, & ſatiſpatiatur Oratio?

MMMCDLVII. *Peccatores in duas claſſes diviſi.* Reſpondeo ſecundò duo eſſe genera, ad quæ debent peccatores reduci. Alij enim ſunt rebelles & impœnitentes, qui *peccantes* veriùs, quàm *peccatores* poſſent dici: alij ſunt, qui tametſi ex fragilitate peccaverint, dolent ſe peccaviſſe: & licèt contritionem non habeant, ſunt attriti, & per Sacramentalem confeſſionem expiare ſuam conſcientiam deſiderant. *An peccatores Deus exaudiat?* De illis prioribus cœcus Evangelicus oculatiſſimè dixit, *Peccatores non exaudit Dominus*, quid enim peccans ab illo orare ſeriò poteſt quem actu peccando contemnit? De his poſterioribus canit Sancta Mater Eccleſia, *Peccatores, te rogamus, audi nos.*

Proponuntur Quæſtiones. Agendo igitur de his poſterioribus examinandum erit primò, An utiliter orent pro ſe: ſecundò, An poſſint pœnitentiam implere? tertiò, An eorum orationes proſint Purgatorij animabus.

Peccator utiliter orat pro ſe. Reſpondeo ad primum utiliter & laudabiliter pro ſe peccatorem orare. Eſt enim pius hic actus, *Ego volo legere Roſarium Virgineum, ut preces Deiparæ interponendo impetrem à Deo gratiam, quâ bene me ad Confeſſionis Sacramentum diſponam, ritè mea peccata explicem, & perditam recuperem gratiam.* Oratio igitur peccatoris eſt impetratoria.

MMMCDLVIII. *Poteſt pœnitentiam implere.* Reſpondeo ad ſecundum poſſe in peccato mortali pœnitentiam implere: nec eſſe audiendos qui docent peccare mortaliter, qui pœnitentiam implet in mortali. Fateor ſententiam Laymani *lib.5. tr.6.c.15. n.15.* quem probabilem eſſe fatetur Diana *part.6.tr.6. reſol.45.* *An validè & licitè illā impleat?* illam videlicet, quæ docet peccare venialiter, qui implet pœnitentiam in mortali, eſſe valde communem, at putarem ſuos Authores agere de illâ priori claſſe peccatorum de quibus nos non diſputamus. Dico igitur homini exiſtenti in mortali melius eſſe orare, quàm orationem omittere; *An teneatur quis implere pœnitentiam ſub mortali?* melius eſſe, ut pœnitentiam impleat, quàm, ut illam, aut omittat, aut differat: nullum ergo peccatum eſt implere pœnitentiam in mortali. Ita Lugo *diſp.25.ſect.3. n.32.* Sed quia quando quis in gratiâ conſtitutus implet pœnitentiam impoſitam duo præſtat, nam ſatisfacit præcepto à Confeſſario impoſito, & ſe liberat à Purgatorij pœnis, quas ſubiret, ſi hanc pœnitentiam non impleret: interrogas, *An ſatisfactoria ſint opera facta in peccato mortali?* Quid peccator faciat cùm pœnitentiam implet in mortali? Reſpondet Hurtadus *diſp.14. de Sacram.diff.14.* illum implere quidem præceptum, at non ſatisfacere pro Purgatorij pœnis, quia non ſunt ſatisfactoria opera facta in peccato mortali Et, ne reſpondeat aliquis, pœnitentiæ impletionem habere ſatisfactoriam ex opere operato virtutem, & ideò poſſe etſi ex opere operantis ſatisfactoria non ſit, ex opere operato ſatisfacere; Et, ne hoc inquam reſpondeat aliquis, ſcitè præoccupavit inſtantiam, dicendo, quod ſemper ad ſatisfaciendum ex opere operato adſumuntur ea tantùm opera, quæ ſunt ſatisfactoria ex opere operantis. *An ſatisfaciant altem recedente fictione?* Henriquez *lib.5. c p.20.num.7.* aſſerit ejuſmodi pœnitentiam habere vim ſatisfaciendi, non quando fit, ſed poſteà recedente fictione. *Cur in baptiſmo adquiratur gratia recedente fictione?* Hoc autem doctè impugnat Hurtadus, & alij: nec enim omnes ſciunt, cur in baptiſmo cum fictione ſuſcepto adquiratur gratia recedente fictione; nam, ſi ibi gratia, ut cum Cajetano ego ſentio, provenit à charactere, hæc doctrina Henriquezij non ſubſiſtet, nam characterem Pœnitentiæ Sacramentum non imprimit. Vaſqez *tom.4. in 3. part. quæſt.9.art.2.dub.5.n.10.* fatetur impletionem pœnitentiæ in mortali non eſſe ſatisfactoriam, *An pœnitens ſatiſpatiatur in caſu?* delere tamen pœnæ debitum non quidem ſatisfaciendo ſed impetrando, & illam eſſe impetratoriam nemo negare poſſe. At nos ſatiſpaſſoriam eſſe dicimus: & in re conſentientes Vaſquezio tantum in modo explicandi & loquendi differimus.

MMMCDLIX. *An orationes noſtræ Deo nomine Eccleſiæ præſententur?* Et ex hac ſatisfactionis & ſatiſpaſſionis diſtinctione colligitur, quid ad tertium dicendum ſit. Aſſero ita quetantam Eccleſiæ Orthodoxæ clementiam, ut noſtras orationes velit ſuo nomine Deo præſentari. Poſſe id, ſi velit, facere, aſſerit Coninckius *quæſt.83.art.1.dub.9. pag.323.a.n.170.Concl.13.* his verbis. [Eccleſia poteſt præcipere certas preces in Miſsâ ad ſuam intentionem recitari (ſicut etiam de facto præcipit) quas ſi Sacerdos recitet, valent ſecundum Eccleſiæ intentionem, etſi Sacerdos contrarium intendat. Idemque dicendum de fructu Sacrificij, qui per modum impetrationis reſpondet Sacrificio prout in perſonâ Eccleſiæ offertur.] Et hoc de facto Eccleſiam facere probant multa in ſolo Miſſali teſtimonia. In vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Ego eram, qui ſolus celebrabam & tamen dicebam, *Sumat Eccleſia tua Deus B. Ioannis Baptiſtæ generatione lætitiam*, &c. & in commemoratione S. Pauli. *An Eccleſia offerat Deo orationes profuſas in peccato mortali?* *Eccleſia tua quæſumus Domine preces & hoſtias B. Petri Apoſtoli commendet oratio.* Et aliis diebus dico. *Eccleſia tua quæſumus Domine preces placatus admitte*, &c. Ergo quoties oramus, Eccleſia orat, Eccleſia loquitur, & nos ejus nomine ſuæ Divinæ Majeſtati noſtras preces offerimus, & præcipuè cum Canonicas horas, Officium pro defunctis, Roſarium Marianum, aut alias quaſcumque orationes ab Eccleſiâ approbatas, recitamus. Ergo, quia Eccleſia offert fidelium orationes Deo, etſi dicantur in peccato mortali, proſunt Purgatorij animabus: nam licèt indignus ſit, qui audiatur peccator, qui illas orationes recitat, eſt digniſſima, ut audiatur, Eccleſia, quæ illas offert. *An peccator indignus ſit, qui audiatur.* Accedit eum, qui orat, indignum quidem eſſe, ut coronetur, non autem ut audiatur; quia ille non eſt rebellis & impœnitens, ſed ad Deum per orationem convertitur, & orat veniam, & eſt impetratoria ejus oratio. Et tandem quidquid de impetratione & ſatisfactione ſit, ſatiſpaſſoriæ ſunt orationes in culpâ mortali profuſæ, & paſſio ſufficiens ab animâ Purgatorij oblata poterit ex Divinâ clementiâ in ſatisfactionem tranſire. Ergo ex hoc fundamento dicendum eſt, orationes exiſtentium in peccato mortali, ſi pro animabus Purgatorij offerantur, eiſdem animabus prodeſſe. Ita Navarra *de reſt.lib.2. cap.1. num.254.* Diana *part.5. tract.14. reſol.79.* & alij multi.

N. B. Hæc doctrina eſt valde utilis in praxi, nam peccatores, ubi ſuas orationes eſſe inutiles putant, orare nolūt, & non oſ..do in malitiâ obdurantur.

Doctrinæ ſimilitudo poſtulat ut examinemus *An Indulgentias & Iubilæa lucrari poſſit, qui eſt in mortali?*

MMMCDLX. Aſſerit Mayronius *in 4. diſt. 17. quæſt. 2.* Rubion *quæſt. 1.* & alij quorum ſententia poſſet

Digitized by Google

Prima ſententia omnes nullâ demptâ fieri poſſe diligẽtias in peccato mortali aſſeverat.

poſſet ratiocinio roborari. Debita poſſunt condonari inimico & invito: nam, ſi Petrus ſit inimicus meus, & debeat mihi mille aureos, & ego illi condonem debitum, erit liber ab omni obligatione ſatisfaciendi. Ergo poteſt Deus condonare peccatori, etſi inimico ſuo, omnem pœnam. At Indulgentiæ nihil aliud ſunt quam pœnarum in purgatorio debitarum relaxatio. Ergo illæ concedi poſſunt inimico Dei: hoc eſt homini exiſtenti in peccato mortali. Confirmatur. Graſſatores viarum ſunt inimici Reipublicæ: ſi capiantur, ſuffiguntur patibulo; & eorundem bona publicantur. Sed ſæpe contingit, vt concedatur venia illi, qui occîdat cohortis Caput. Ergo hæc tunc venia Reipublicæ inimico conceditur, Ergo eodem prorſus modo de Indulgentiis poterimus philoſophari.

Secunda omnes nullâ demptâ debere in gratiâ fieri ſtatuit.

Ex diametro opponitur Caietanus *tom. 1. Opuſc.tract.15.cap.9.* cui adhærent Fabrinus, Petrus Soto, Armilla, Canus, Navarrus, Adrianus & alij, Aſſerit autem Caietanus, eum qui lucraturus fuerit Indulgentias, debere ante omnia ſuam expiare conſcientiam; &, ſi in mortali fuerit, aut confiteri, aut actum contritionis elicere, & hac prævià diſpoſitione implere diligentias in Bullâ Iubilæi aut Indulgentiarum præſcriptas. Et ratio eſt, nam opera noſtra per Indulgentias,& Chriſti ſanguinem, qui in illis conceditur, elevantur. At hominis in mortali peccato exiſtentis opera ſunt mortua, & elevationis incapacia. Ergo prodeſſe nequeunt, vt aliquis Indulgentias conſequatur. Hanc doctrinam probabilem eſſe dicit Leander *part. 1. tract.5. quæſt.41.pag.316.a.* &, ſi nudæ rationi ſtaremus, poſſemus eandem veram dicere. Cæterùm, quia tota Quæſtionis diſſolutio maximâ ex parte dependet à Legiſlatoris voluntate, Leandri verba ſubſcribo. [Probabiliùs reſpondeo, (ſtatum gratiæ) non requiri pro toto eo tempore;ſed ſatis eſſe,hominem eſſe in gratiâ tempore operis finalis: quo poſito conceditur effectus indulgentiæ. Quia hæc abſque dubio eſt intentio Pontificis, vt docet praxis Eccleſiæ; ſiquidem, quando ad Indulgentiam exigit, ieiunia & confeſſionem ſupponit hanc non præmitti,ſed ſubſequi (poſt) ieiunia, & conſequenter hæc non fieri in ſtatu gratiæ. Ita Henriquez *lib. 7. cap. 9. num. 5.*] Et, vt vides, non cohærent, illud *probabiliùs*, & illud *abſque dubio*: nam, ſi abſque dubio hæc eſſet Pontificis mens, Leandri opinio non eſſet probabilior, ſed certa. Inter ea probabilior aut certa ſit, doctrina Leandri eſt communis, & iuxta illam erit noſtra Concluſio. *Vltima diligentia eſt, per quam conſequimur Indulgentias. Ergo illa in gratiæ ſtatu debet fieri. Ergo cætera vt diſpoſitiones ad illam reputantur.*

Tertia aſſerit ſatis eſſe, ſi vltima diligentia fiat in gratiâ.

MMMCDLXI. Oportet modo, vt rationibus pro oppoſitis Mayronij & Caietani poſitis ſatisfaciamus.

Erat Mayronij opinio gratiam ad lucrandum Indulgentias non requiri, adeoque eſſe illas lucraturum, qui omnes diligentias faceret in mortali. Argumenta, quibus roborator, non vrgent: nam Omnipotentia Dei latiſſimè patet: & non eſt quærendum quid ſua Divina Majeſtas facere poſſit; ſed quid faciat. Si per extrinſecam condonationem pœnas Deus peccatorum remitteret, actum eliceret puræ Miſericordiæ, non Iuſtitiæ; at ipſe ita eſt miſericors, vt etiam iuſtus ſit; ergo eius Miſericordia Iuſtitiâ temperatur. Vt rem meliùs intelligas, ſic diſcurro. Erant Coſmopoli duo Principes, Primatius, & ſecundinus, qui multos habebant debitores. Ioannes debebat Primatij fiſco centum aureos: alios centum fiſco Franciſcus ſecundini. Neuter habebat vnde ſolveret. Commotus miſericordiâ ſecundinus debitum Franciſco condonavit, & à Liberalitate commendari promeruit. At Primatius Ioannis; volo; vt fiſco ſolvas vſque ad vltimum obolum, ſed quia ſcio te non habere vnde poſſis, ecce dono tibi centum aureos numeratâ pecuniâ, vt fiſco ſatisfacias. Et in Primatij actione Iuſtitia & Miſericordia relucent: Iuſtitia, quia non vult, vt condonetur debitum, ſed vt ſolvatur: Miſericordia, quia ipſemet dat vnde illud ſolvatur. Modò ad Indulgentias. Si in ſuarum gratiarum diſtributione debitorum remiſſione Deus eſſet ſimilis ſecundino, bene decurrerent argumenta Mayronij, quoniam ad effectum extrinſecæ condonationis nulla diſpoſitio ex parte recipientis requiritur. At Deus eſt ſimilis Primatio: nullum crimen, nullam pœnam condonat, vult vt Iuſtitiæ læſæ ſatisfaciamus: & quia non habemus vnde poſſimus, ipſe dat nobis gratiam & in ipsâ pretium ſatisfactionis. Et, vt hanc recipiamus gratiam, eſſe debemus bene diſpoſiti; nec erit vnquam bene diſpoſitus, qui fuerit in culpæ mortalis ſtatu.

An remittantur peccata per extrinſecam condonationem?

In peccatorum remiſſione non ſolùm Gratia, ſed etiam Iuſtitia relucet.

Vt recipiatur gratia, opportuna diſpoſitiones requiruntur.

Hinc tranſeo ad Cajetanum. Omnes diligentias ab Eccleſiâ in Bullâ præſcriptas fieri debere in ſtatu gratiæ dicebat. Hoc deſidero, & conſulo. Interim vltimum opus eſſe quod Indulgentias conſequitur aſſero, & ideò hoc ſolùm Chriſti ſanguine & meritis elevari pronuncio. Et addo, cætera, etſi in mortali fiant,eſſe impetratoria, & præmitti, vt à Deo impetrent, quòd vltimum fiat in gratiæ ſtatu. Et hanc eſſe ſedis Apoſtolicæ Indulgentias concedentis intentionem eſt hodie communis omnium Theologorum opinio. MMMCDLXII.

Quænam ſit Pontificis in Indulgentiarum conceſſione voluntas?

Sed, quia aliud eſt, diligentias à Bullâ præſcriptas facere *in peccato*, & aliud facere *cum peccato*, & aliud facere *propter peccatum*, dubitare meritò Theologus poterit, an periude ſit hoc vel illo modo præſcriptas diligentias exſequi. Vt tollatur omnis æquivocatio, terminos explicemus. Heſterna dies erat ieiunij, cœnavit Ferdinandus, violavit jejunium, & peccavit mortaliter. Et hoc eſt eſſe in peccato habituali: &, ſi, aut Eccleſiam viſitet, aut eleemoſynam eroget, aut aliam diligentiam ad Indulgentias neceſſariam præſtiterit, dicetur illam præſtitiſſe in peccato Iubet Bulla vt tot Eccleſiæ viſitentur. & Antonius quando in vnam ingreditur, hinc videt inimicum, inde amaſiam, iracundiæ & concupiſcentiæ aſſentitur, & actualiter peccat: & ideò dicetur viſitaſſe illam Eccleſiam cum peccato At Titius eleemoſynam dedit Clori di, vt eam lucraretur, & ſuæ proſtitueret voluptati: & hic dicetur eleemoſynam propter peccatum erogaſſe.

Quomodo In peccato, Cum peccato, & Propter peccatum *diſtinguantur?*

Hac doctrinâ præmiſsâ *operum præceden-* MMMCDLXIII.

 tium

Digitized by Google

Quanam opera præcedentia votentur?

tium nomine omnia illa intelligendo, quæ præcedunt vltimum, per quod aſſerimus Indulgentias obtineri, DICO PRIMÒ, *Homo conſequitur Indulgentias, etſi præcedentia opera fecerit in peccato.* Eſt communis.

An eleemoſyna data ob finem leviter malũ, ſit totaliter mala?

DICO SECVNDÒ. *Conſequitur etiam Indulgentias, etſi præcedentia opera fecerit cum peccato.* Eſt Concluſio præcedente difficilior, ſed paſſim admittitur ab Eruditis. DICO TERTIÒ, *Circa opera, quæ fiunt propter peccatum, ſunt tres ſententiæ.* Prima eſt Thomiſtarum aſſerentium diligentiam factam propter peccatum, non prodeſſe, etſi illud peccatum, quod tanquam finis ponitur, ſit veniale. Ita Sylvius *lib 3. part. D. Thom. quæſt. 27. art. 1. concl. 2.* Navarrus *notab. 19. num. 6.* & *notab. 32. num. 44 verſ. devotè* nec non etiam Adrianus apud ipſum. Inſiſtunt illi Axiomati. *Bonum ex integrâ cauſâ, malum ex quocumque defectu.* Et inferunt eleemoſynam datam ob levem vanam gloriam eſſe totaliter malam, nec poſſe ad Indulgentias obtinendas prodeſſe. Secunda ſententia peccatum mortale à veniali diſtinguit, non enim actus Charitatis eſſe totaliter malus poterit, etſi propter levem vanam gloriam eliciatur, vt ſiquis fortè deſideret ſupra merita laudari apud Angelos Dei. Ergo licèt in circunſtantiâ finis aliquod veniale committatur, diligentiæ erunt vtiles ad Indulgentias conſequendas. Ita Bellarminus *lib. 1. Indulg. cap. 13. quæſt. 2.* Nugnus *quæſt. 27. art. 3. dub. 5.* Layman. *lib. 1. tract. 7. cap. 6. num. 4.* Et clariſſimè Faber *diſp. 19. quæſt. vnic. diſſ. 38. cap. 7. num. 214.* Tertia tandem ſententia, etiam diligentias valere quæ fuerint propter mortale factæ, admittit. Eamque probabiliorem eſſe *part. 5. tract. 5. diſp. 14. quæſt. 45. pag. 327. a.* Leander aſſerit; & pro eâ Suarium, Henriquez, Filliucium, Ludovicum à Cruce, Lugonem, Boſſium Andream Mendo, & Quintanadueñas producit DICO QVARTO, *Tametſi Tertia ſententia plures Authores habeat, & probabilior extrinſecè ſit, ratio præcipit, vt nos ſecundæ ſubſcribamus.* Opera igitur facta ob finem, qui eſt peccatum mortale, vt quis Indulgentias conſequatur, non deſerviunt.

An opera facta ob finem, qui eſt peccatũ mortale, ad lucrandum indulgentias ſerviant.

MMMCDLXIV. Sed quid de illo dicemus, qui diligentias omnes, etiam vltimam, in mortali aut cum mortali eſt exſequutus? An dicendus vtiliter nullam feciſſe?

An, qui omnes diligentias fecit in mortali, lucraturus indulgentias ſit, cùm recuperet amiſſam gratiam?

Reſpondet benignè Sylveſter *in ſumm. verb. Indulg. q. 7. & 9.* qui putat, Indulgentiarum conceſſionem ad hanc formulam poſſe vel debere reduci. *Illi, qui tales diligentias fecerit, concedimus tantas Indulgentias, quas quando fuerit capax (hoc eſt, quando per contritionem aut confeſſionem ſtatui gratiæ ſit reſtitutus) conſequetur.* Ita etiam Paludanus *in 4. diſt. 20 quæſt. 4. art. 3.* Panormitanus, Antonius Andreas, & Cardinalis. Conſonat Henriquez *lib. 7. cap. 9. num. 3.* & Granadus *tract 2. diſp. 1. num. 5.* Nec eſt cur hic Author excipiat caſum, in quo Pontifex petat confeſſionem aut contritionem vt diligentiam adhiberi: quia Caſus hic Quæſtionem præſentem non concernit: ſi enim ille actum contritionis elicuit, ceſſat Quæſtio, quia jam eſt in gratiâ, nec verum eſt omnes diligentias feciſſe in peccato mortali: ſi autem actum contritionis non elicuit, ceſſat iterum quæſtio, quia non poſuit omnes diligentias, quas Pontifex in bulla præſcripſit. Diana diverſis temporibus oppoſitas ſententias habuit: nam hanc tradidit *part. 5. tract. 12. reſolut. 4.* & tamen *part. 4. tract. 4. reſol. 94.* contrariam habuerat. Ratio pro hac ſententiâ eſſe poteſt, Non repugnat, vt favor alicui incapaci concedatur; vt illo videlicet fruatur, quando ſit capax. Sic minorenni deſpondetur ſponſa, non vt ſtatim ducat illam, ſed vt ducat cum ad ætatem opportunam pervenerit. Die veneris poteſt quis licitè & validè quatuor pullos. v. gr. donare amico, non vt illos comedat tunc, ſed poſteà die Dominicâ, aut aliâ, quæ abſtinentiæ non ſit. Denominatus Epiſcopus, ſi Religioſus ſit, eſt voto Paupertatis obſtrictus, & non poteſt recipere aut expendere pecunias ſine ſui ſuperioris conſenſu. At Princeps poteſt illi deſignare mille aureos, quos poſt conſecrationem recipiat. Ergo Pontifex facientibus tales diligentias poteſt favores, gratias, & indulgentias concedere, quas tamen, ſi non tunc, ſaltem poſteà cum fuerint in gratiâ, lucrentur.

Poteſt Pontifex indulgentias concedere, quas cùm ſit incapax lucretur

MMMCDLXV. Hæc eſt Sylveſtri Opinio, quam Navarrus *notab. 17. num. 2.* hac cenſurâ perſtringit. *Infertur nimiâ fiduciâ dictum videri id quod ait Sylveſter, ſcilicet eum, qui infectus culpâ mortali facit id, quod Indulgentia quærenda exigit, eam quærere, non pro illo tempore ſed pro eo, quo in gratiæ fuerit ſtatu eò quòd intentio Concedentis videtur eſſe, vt Indulgentia proſit ad eam requiſita facienti, quàm optimo modo poſſit. Quod etiam nobis aliquando viſum fuit probabile: ſed nunc perpendo id eſſe contrarium, non ſolùm communi ſententiæ, ſed etiam huic Notabili, & prædictæ Extravaganti, vnde id elicitur, quatenus habent hunc theſaurum diſpenſandum eſſe ſolùm verè pœnitentibus, &c. Nec obſtat ratio Sylveſtri de intentione Concedentis, quia contrariam eſſe illi apparet, ex eo quod Extravagans prædicta declaret, theſaurum hunc ſolis verè pœnitentibus eſſe communicandum.* Ecce fatetur Navarrus ſententiam ſe Sylveſtri vt probabilem aliquando admiſiſſe. Et cur eam nunc reiicit. Quia Extravaganti contrariatur, inquit ille: ſed non contrariatur, inquam ego. Quia, ſi Extravagans declarat Eccleſiæ theſaurum ſolis verè pœnitentibus eſſe communicandum, hoc ipſiſſimum aſſeverat Sylveſter, nam duo tempora conſiderari debent: alterum, quando Bulla expeditur: alterum quando theſaurus de facto communicatur. Nemo dixit, quod illo priori tempore Chriſtiani eſſe debeant in gratia: & in hoc poſteriori illos eſſe debere in gratia Sylveſter non negat; qui potiùs tam neceſſariam ad Indulgentias lucrandas gratiam eſſe aſſeverat, vt quouſque fidelis ad gratiæ ſtatum redeat, theſauri communicatio differatur. Ergo Navarrus, vt priorem Opinionem relinqueret, rationem manifeſtam non habuit. Nos ergo mentem noſtram ad ſequentes Concluſiones reducamus. Sit.

Navarri de Sylveſtri opinione Iudicium.

Qualis ſit intentio Sũmi Pontificis

Quibus Eccleſia theſaurus diſpenſandus ſit?

An Sylveſtri opinio extravaganti contradicat.

Duo in Bullis tempora veniunt cõſideranda.

MMMCDLXVI. PRIMA. *Poterit Pontifex, quâ die voluerit Indulgentias concedere, quales Sylveſter & alij illum conceſſiſſe putarunt.* Patet: quia nulla

Eccleſ. tra

Digitized by Google

Indulgentiæ Pōtifex nullum tempus determinare.

nulla repugnantia invenitur. Et ita proculdubio concederet, ſi pro vltima diligentia Sacramentalem Confeſſionem adſignaret, cui nullum tempus certum & determinatum præſcriberet.

Illud de facto determinet in dubio laus.

SECVNDA. *Intentio hodie ſummi Pontificis eſt, vt ſaltem vltima diligentia debeat in gratiâ fieri: & non vult, vt qui omnes diligentias fecit in mortali, eas poſt menſem aut annum lucretur, ſi ad Deum per contritionem aut confeſſionem convertatur.* Hanc ſententiam veriſimiliorem eſſe Iudicat Leander *part. 1. tract. 5. diſp. 14. quæſt. 42.* & pro illâ Cajetanum, Suarium, Sà, Reginaldum, Zerollam, Lavorium Sanctarellum, Leonem Bonacinam, Nugnum, Lugonem, Filliucium, Machadum, Villalobos, & alios adlêgat.

FVNDAMENT. LXVII.

De Sacramento Euchariſtiæ.

MMMCDLXVII.

Euchariſtia quid?

CIRCA eſſentiam Euchariſtiæ, non multum differunt, quo ad rem, Theologi; licèt variè loquantur. Placet hæc definitio, aut deſcriptio. *Euchariſtia eſt Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, ad ſpiritualem Animæ refectionem diuturnitus inſtitutum.*

E quibus hoſtia granis poſſit confici.

Siquidem ἄζυμος *ſumitur pro ſincero, iam percipitur, quid hæc cæremonia in Eccleſiâ Latinâ ſigni ficet.*

Materia eſt panis; & vinum: nempe panis ex ſolo frumento; apud Latinos azymus, & apud Græcos, fermentatus: An ne ex aliis granis poſſet confici panis ad conſecrationem ſufficiens? an ex aliis liquoribus conueniens vinum? An-ne Hippocraticum aſſumi poterit? Reſpondeo eſſe quæſtiones Phyſicas, non Theologicas; nam ſi daretur granum, quod à frumento non differat ſpecie eſſentiali; poſſet Euchariſtiæ miniſterio ſeruire; idem de vino dico; & addo, aſſumi non poſſe panem, vinum-ve, quod differat ſpecie à frumento, & vino communi.

Sacramentū in fieri & in facto eſſe.

Forma Euchariſtica.

Forma panis eſt: *Hoc eſt enim Corpus meum*, & Calicis. *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei.* Particula illa *Enim* non eſt de eſſentia, Sunt qui diſtinguant Euchariſtiam *in fieri*, *& in facto eſſe*. Ita, vt eius forma *in fieri* ſint verba prout ponunt ſub ſpeciebus illis Chriſti corpus & ſanguinem: & *in facto eſſe* forma ſit corpus & ſanguis Chriſti, prout vi verborum ſub ſpeciebus continentur: ſed ipſi fortè ſubtiliùs eloquuntur, ſed nihil alterant in re. Miniſter in Euchariſtia eſt triplex; qui conficit, *Miniſter.* qui diſtribuit, qui ſuſcipit. Primus debet eſſe Sacerdos: Secundus poteſt eſſe non Sacerdos: Tertius quicunque Catholicus, qui in gratia: ago de ſuſceptione Sacramentali; nam phyſicè comedere, & bibere Corpus, & Sanguinem Chriſti, non ſolùm Infidelis? & Atheus ſed etiam beſtia quæcumque poteſt.

MMMCDLXVIII.

Quid ſit Euchariſtia?

Sunt omnia in ipſo ſupra vires naturæ.

Ioan. 6. 60. Fuerunt, qui illam impoſſibilem crederent, antequam inſtitueretur.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑ Græca vox eſt, quæ in Novo Teſtamento ſæpe legitur, & gratiarum actionem ſignificat. Interim corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu-Chriſti Sacramentum, hodie paſſim à Theologis *Euchariſtiæ Sacramentum* vocatur. Eſt ſupra leges Phyſicæ, & captum Philoſophorum ſuperat, & antequam inſtitueretur, cùm à Chriſto promittebatur, habuit multos qui audirent; paucos qui crederent. Concionabatur in Capharnaumæâ Synagogâ Dominus & dicebat; Καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν πατὴρ κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα· καὶ ὁ τρώγων με, κἀκεῖνος ζήσεται δι' ἐμέ. *Sicut miſit me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem, ſic manducans me, & ipſe vivet propter me.* Verba erant profectò, in quorum ſubſtantia, in quorum modo (videlicet in illo καθὼς *ſicut*) magnam repererunt difficultatem Auditores; & exclamarunt non pauci, Σκληρός ἐστιν οὗτος ὁ λόγος· τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν. *Durus eſt hic ſermo. Quis poteſt audire?*

Illud ſicut ſpeciali indiget conſideratione.

Hoc Sacramentum hodie Novatores diſcredunt.

Et hoc ipſum reponunt hodie Hæretici, & ex hoc capite contra Romanam Eccleſiam tela dirigunt: &, cùm nos impoſſibilia docere aſſerunt, infinitam ſummi Numinis Omnipotentiam vlna volunt ſui ingenij arroganter metiri. Quæ ſupra naturæ vires ſunt, credi poſſunt. *In Epiſt.* S. Bernardus. *Sacramentum Dei Altiſſimi ſuſcipiendum eſt non diſcutiendum: venerandum, non diiudicandum: Fide ſortitum, non innatum: traditione ſancitum non traditione adinventum.* Et rurſus *ſerm. 76. in Cant.* exclamat. *Credere, inveniſſe eſt. Norunt Fideles Chriſtum habitare per Fidem in cordibus ſuis. Quid propriùs eſt?*

Fide illud debet, non autem ratione comprehendi.

Hæretici,

Digitized by Google

MMMCDLXIX. *Hæretici ob loquuntur: & cur? An in Euchariſtiâ ſit ἀνθρωποφαγία? An ἀρτολατρεία? Cyrillus modum ob loquendi reprehendit.*

Hæretici, quia non credunt, ideò non inveniunt; & ideò non norunt, quid debeant negare, & aſſerere; & ideò, quia ſermonem Chriſti & Catholicorum durum indicant, durè obloquuntur contrà, & hoc Divinum Sacramentum, jam ἀνθρωποφαγίαν & jam ἀρτολατρείαν, quaſi in illo aut caro humana comedatur, aut panis adoretur, vt nos irrideant, & contemnant, appellant. *Ad Eutropium* Cyrillus. *Nam ἀνθρωποφαγίαν Myſterium* (Sacramentum) *noſtrum pronuncias, & irreligioſè ad craſſas cogitationes urges Fidelium mentes, & humanis cogitationibus attentas ea tractare, quæ ſolâ purâ & exquiſitâ fide accipiuntur.*

Quæ ſint in Euchariſtiâ?

Profectò, in Euchariſtiâ panis & vini ſpecies ſunt, & corporis & Sanguinis Chriſti ſubſtantia: illæ ſenſibus percipiuntur, hæc non videtur, ſed creditur Fide Divinâ. Chryſoſtomus in Matth. *Chriſtus ſanctus ſancta diſtribuit. Eſt cibus, qui replet mentem, non ventrem, Menſam iſtam vide cuius gratiâ conſtituta ſit: tremiſce; & vltra in cœlum ipſum adſcende.* Sanctis ſancta diſtribuit? An ſolis ſanctis? Gregorius in Homil. *Cibus dulcis eſt, corpus & ſanguis Chriſti, quod iudas accepit indignus.* Cibus eſt, vt ſanctè, & à ſanctis ſumatur, inſtitutus: interim occulto peccatori, ſi accedat, non negatur. ὃς τι ἐς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον τοῦτον, ἢ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ κυρίου ἀναξίως, ἔνοχος ἔσαι τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου. *Cæterùm, qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Vnde ſolenniter canit Eccleſia.

An detur malis?

An eam Iudas receperit?

1. Corinth. 11. 29.

De illis, qui eam recipiunt indignè.

Sumit vnus, ſumunt mille,
Quantum iſti, tantum ille,
Nec ſumptus conſumitur.
Sumunt boni, ſumunt mali,
Sorte tamen inæquali
Vita vel interitûs.
Mors eſt malis, vita bonis,
Vide paris ſumptionis,
Quàm ſit diſpar exitus.

Levit. 7. Leproſus aut patiens fluxû ſeminis, non veſcetur de his, quæ ſanctificata ſunt mihi, donec ſanetur.

DISPVTATIO I.

METETHICA.

De Sacramento Euchariſtiæ.

MMMCDLXX. *Cur fuſiùs, quàm de aliis de hoc Sacramento diſſeratur?*

PAVLÒ vberiùs de hoc ſum Venerabili Sacramento diſputaturus, eſt enim ſummè illud ſublime & neceſſarium, & debet copioſè explicari, ne in panis noſtri quotidiani ſumptione Sacerdotes erremus.

De vſu & abuſu Euchariſtiæ.

Sanè cibi, tametſi ad vitæ ſuſtentationem neceſſarij, poteſt eſſe vſus, abuſuſque illo enim nihil eſt convenientius; & iſto nihil eſt pernitioſius: vnde qui cibo àbutitur efficit, ut quod ſalutis causâ divinitiùs productum eſt, fiat humanitùs cauſa internetionis. Cùm igitur Euchariſtia Sacramentalis cibus ſit animorum, dicatque Apoſtolus, *eum, qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducare & bibere*, debet ſe homo probare, ne vnde vitam deberet, mortem & æternam damnationem recipiat. Hac eâdem ſimilitudine vſus fuit. S. Ioannes Chryſoſtomus, nam *homil. 5. ſuper Matth.* ſic declamat. *Sicut corporalis cibus, cùm ventrem invenerit adverſis humoribus occupatum, ampliùs lædit, magis nocet, & nullum præſtat auxilium: ita & iſte ſpiritualis cibus, ſi aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non ſuâ naturâ, ſed accipientis vitio.*

Inter corporalem & ſpiritualem cibum exponitur analogia.

MMMCDLXXI. *Quid ens Euchariſticum ſit, ſi univerſim ſumatur? An hæretici omnes iſtud Sacramentum admittant? Quale illud ſit?*

ENS EVCHARISTICVM.

QVidquid ad Euchariſtiam pertinet, hoc nomine intelligi poteſt: verba enim huius Sacramenti, Euchariſtica; ſpecies Euchariſticæ; circunſtantiæ, Euchariſticæ, & cætera Euchariſtica ſunt

Hieronymus *ſuper Lucam.* Accepit Ieſus panem & benedicens fregit, tradens corpus ſuum in pane, quod eſt Eccleſia præſens; &c. formans ſanguinem ſuum in calicem vino & aquâ cōmixtum vt alio purgaremus à culpis, alio redimeremur à pœnis, ſanguine namque Agni ſervatur domus à percuſſione Angelis & aquâ maris rubri extinguntur inimici; quæ myſteria Eccleſiæ Chriſti:

Vix hodie acatholicus eſt, qui hoc Sacramentum neget: tametſi omnes hodie Europæi ita illud explicent & intelligant, vt nihil præter nomen relinquant. Si omnia inter ſe comparemus, eſt Euchariſtiæ Sacramentum, omnium, ſimpliciter loquendo, & potiſſimum & præſtantiſſimum, tum ratione contenti, quod eſt Chriſtus ipſe, tum ratione ordinis, quo omnia alia Sacramenta ad hoc tanquam ad finem ordinantur, tum ratione ritûs, omnia enim ferè Sacramenta in Euchariſtia conſummantur: tum denique ratione effectûs, quo perficit hominem per coniunctionem ad ſuum principium, à quo habet eſſe, ac poſtremò habet etiam rationem vltimi finis ipſius hominis, dum illum Chriſto iungit, qui eſt principium & fons Chriſtianæ vitæ. Quare præclarè admodum D. Dionyſius *lib. de Eccleſ. Hier.* hoc Sacramentum eſſe perfectionem omnium perfectionum, & hoſtiam hoſtiarum, teſtatum reliquit.

MMMCDLXXII. *De Entis Euchariſtici attributis. Quanta inter Veritatē & Bonitatē ſit connexio?*

Entis attributa ſunt Veritas, Bontias Vnitas. Vnitatem dilucidabo, cùm de Quantitate diſſeruero; nunc de Veritate, & Bonitate diſputabo. Et quidem, ſi non ſunt vera, quæ de hoc Sacramento dicimus, nec erunt bona, quæ in eius cultu & adoratione patramus. Ergo erit meum oſtendere Euchariſticæ Conſecrationis verba realiter & in ſenſu proprio, & non in metaphorico & alieno debere intelligi. Audi S. Hieronymum, qui

in

An verba conſecrationis debeant metaphoricè intelligi?

in cap. 25. *Matth.* ſic ait. *Chriſtus aſſumpto pane, qui confortat cor hominis veritatem corporis ſui præſentavit.* Ecce, non dicit ſymbolum, metaphoram, ſimilitudinem, ſed veritatem. Conſonat S. Ambroſius, qui in Oratione ante Miſſam dicendâ hæc digniſſima verba præſcribit. *Quantâ cordis contritione & lachrymarum fonte, quantâ reverentiâ & tremore, quantâ corporis caſtitate, atque animi puritate illud Divinum & Cæleſte Myſterium* [a] *eſt celebrandum, Domine Deus, ubi caro tua in veritate* (non ergo in metaphorâ) *ſumitur: ubi ſanguis tuus in veritate* (non ergo in ſymbolo) *bibitur: ubi ſummis ima, Divinis humana junguntur? Ubi adeſt Sanctorum præſentia Angelorum: ubi tu es Sacerdos & ſacrificium mirabiliter, & ineffabiliter. Quis dignè celebrare hoc Myſterium* [a] *poteſt, niſi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum*, &c. Et quidem fieri tranſſubſtantiationem realem *lib. 3. de Sacr.* exponit & perſuadet his verbis. *Si tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit ſermo Chriſti ut ſpecies elementorum mutentur? De totius Mundi operibus legiſti;* quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt. *Sermo igitur Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, mutare in illud, quod non ſunt? Non enim minus eſt novas rebus dare formas, quàm mutare naturas.* Et ibd. *Liquet, quia præter Naturæ ordinem Virgo generavit: & hoc, quod* (in miſsâ conſecrando) *conficimus corpus, ex Virgine eſt. Quid quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe partus ex Virgine.* Et quis, quæſo, Hæreticus [b] ſi homo ſinſerus ſit, negare audebit S. Gregorium his verbis veram & realem panis & vini in corpus, & ſanguinem Domini noſtri converſionem aſſeruiſſe & docuiſſe. Et ſanè hanc ipſam doctrinam prout à Magiſtro ſuo Ambroſio Auguſtinus didicerat, ſic nobis tradidit: nam *lib. de Eccleſ. dogm.* ſic ſcribit. *Non Sacramentum, non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur Creatoris: nec bonorum diſpenſatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur.* Stat ergo non eſſe novum figmentum, ſed antiquam Eccleſiæ Orthodoxæ doctrinam, quæ Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum verè & realiter ſub ſacramentalibus ſpeciebus exiſtere confitetur. Sunt igitur nobis injurij Novatores, qui ἀρτολατρείαν nobis adfingunt: non enim panem adoramus, ſed Chriſtum: nam ſpeciebus viſibilibus Chriſtus inviſibilis ſubeſt: & creditur, quia non videtur; non enim credi poſſet, ſi ſenſibus perciperetur.

a] Sacra, quæ Latinè dixêre ſecluſa, Græci nominarunt μυστήρια: ſed cur? quod ea [illegible] inde: quòd ea intùs oporteat occludere, & nulli profano explicare. Et hodie noſtra Sacramenta meritò nominantur μυστήρια: nã cùm naturam ſuperent, per rationem demonſtrari non poſſunt.

Pſalm 32. 9. & 148. 5.

Illud ipſiſſimum corpus, quod ſumptum ex Virgine, & affixum fuit cruci exiſtit ſub ſpecieb. panis in Euchariſtiâ.

b] Non quemcumque Hæreticum, ſed ſincerum in arenã vocabam; ſcio enim illos, Hiero. Ambro. Aug. & cæteros omnes contemnere, & imitari Martinum Lutherum, qui in initio Aſſertionum per Bullã Leonis X. condemnatarũ ſic inquit. *Primum ſcire conteſta[illegible] volo, me nullius prorſus, quantulibet Sancti Patrũ authoritate cogi velle.* Et mox. *Non ergo mihi opponat Papa aut Sãcti cuiuſvis authoritatem, niſi ſcripturis munitã.*

Stat igitur, (& hoc erat, quod debebit probari) ea, quæ à Catholicis de Euchariſtiæ Sacramento dicuntur, eſſe *vera*: adeoque adorationem, quâ ab eiſdem hoc Sacramentum colitur, eſſe *bonam*.

Subſtantia Euchariſtica.

MMMCDLXXIII.

Quid ſit hoc Sacramentum?

Eſt *ſignum Sacramentale gratiæ alimentativæ*: vel ſi uberiorem habere definitionem volueris, dicam Euchariſtiam *eſſe ſpecies panis & vini debitis verbis conſecratas, ſignificantes gratiam quæ ad alimentum & nutritionem ſpiritualem animorum conceditur.*

Materia remota in ipſo quæ?

In hoc Sacramento Materia remota intrinſeca & tranſiens, eſt panis & vinum: [Lege Cap. *Firmiter de ſummâ Trinitate*, & capit. *Cùm Martha de celebratione Miſſarum*, & Concilium Carthaginenſe III. 23. *capit.* Florentinum *in Inſtruct. Armen.* ac Tridentinum *ſeſſ. XIII. capit. 1.*]

Qualis eſſe debeat panis?

An azymus, an fermentatus?

Panis debet eſſe, qui talis communiter cenſeatur & dicatur: at poteſt eſſe fermentatus vel azymus ſi Sacramenti veritatem requiras: at ut licitè celebres, Eccleſiæ tuæ præſcriptam conſuetudinem ſequere: nam azymo utuntur Latini, fermentato Græci.

Quale debeat eſſe vinum?

An mixtum aquâ?

Vinum exprimi debet ex uvis vitis: quam ob rem liquores omnes artificiales, etſi *vina* appellari contingat, non poſſunt conſecrationi deſervire. Aqua modica adhiberi debet: ſed ex præcepto Eccleſiæ. Et cur illa hoc indixit? Velut exemplum Chriſti ſequeretur, qui traditur vinum aquâ dilutum conſecraſſe, vel ut paſſionis Dominicæ clarior memoria fieret, nam è latere Chriſti ſanguinem & aquam fluxiſſe, certum eſt.

MMMCDLXXIV.

Materia proxima.

Materia proxima, & quæ permanet, ſpecies ſunt panis & vini; nempe, quatenus corporis & ſanguinis Chriſti realem corporalem, & ſubſtantialem præſentiam continent: vel ſi malis ſic philoſophari, Corpus & ſanguis Chriſti prout ſubſtant realiter corporaliter & ſubſtantialiter ſpeciebus panis & vini.

Subſtantiæ præcedentis deſitio.

An ſubſtantia panis poſt conſecrationem remaneat?

An tanta hodie Materia ſit, quàm in principio Mundi?

Ad præſentiam corporis & ſanguinis ſub ſpeciebus, hoc eſt, ſub accidentibus ſubſtantia panis & vini deſinit: non enim hoc Sacramentum ad impanationem, ut Hæretici juniores ſomniant, nec ad unionem hypoſtaticam, ut veteres nonnulli crediderunt, reducitur. Et hîc obiter nota hodie eſſe minus Materiæ, quam in principio Mundi. Et hoc non tollit, quod Ariſtoteles, & Peripatetici inter Materiæ proprietates bene ingenerabilitatem & incorruptibilitatem recenſeant. Sanè à Mundi principio uſque ad Chriſti nativitatem, quæ Gordono in Appar. Chronol. capit. 2. aſſerente incidit in annum Mundi 4001. ne una quidem mica Materiæ primæ periit: at hodie multum Materiæ deficit; quæ enim panis & vini fuerat, jam non eſt in hoſtiis, calicibuſque conſecratis.

De Forma huius Sacramenti.

Quæ ipſa ſit?

Quænam verba eſſentialia, & quænam accidentalia ſint?

Quale peccatum ſit omittere accidentalia?

Dubia, quæ olim multos torquebant, circa Euchariſtiæ Formam, jam fuerunt à Concilio Florentino ſub Eugenio IV. *in Decret. Fidei* ſubblata: hodie enim apud omnes Catholicos indubitata & eſſentialis in conſecratione panis forma eſt hæc: *Hoc eſt corpus meum*, & in conſecratione calicis hæc; *Hic eſt calix ſanguinis mei*: vel *Hic eſt ſanguis meus*: cætera autem verba, etſi ad Sacramenti valorem neceſſaria non ſint, omitti ſine

ſine culpâ non poſſunt. Si quæras Quanta hîc materia ſufficiat ad peccatum mortale? reſpondebo eum qui caſtè & integrè omnia verba protulerit, quod facillimum eſt, hujus quæſtionis ſolutione nullo modo indigere. Sed de hoc Diſp. 3. differemus.

QVANTITAS EVCHARISTICA.

MMMCDLXXV. *De terminis magnitudinis & parvitatis.*

Quantam materiâ cõſecratio requirat?

SI res creatæ habeant terminos magnitudinis & parvitatis aliter omninò erit philoſophandum; aliter, ſi non habeant. Quam ob rem ſic diſcurro. Si detur aliqua materia tam magna quæ formam panis (ſubſtantialis ſit, aut characterica & eſſentialis; de quo non diſputo) in tantâ mole retinere non poſſit, non erit verus panis, adeoque nec vera materia Sacramenti. Idem dicendum eſt, ſi ſit tam parva, ut incapax ſit formæ panis.

An cõſecrari poſſet particula tam parva, quæ viſum fugeret?

Si daretur aliqua panis particula tam parva, ut omninò inſenſibilis eſſet, videretur demonſtrari non poſſe, adeoque nec eſſe capax quæ conſecraretur per ſe. Conſultò poſui illud *omninò* & illud *per ſe*; ſcio enim aliqua eſſe inviſibilia relativè, uni nimirùm & non alij; & exiſtimo materiam parvam, quæ ſeorſim non eſt capax formæ panis, aut ſeorſim eſt inſenſibilis, poſſe reddi capacem & ſenſibilem per concomitantiam, ſi alij maiori addatur.

De ipſâmet communione.

Sanè, ſi Euchariſtia ad Communionem referatur, non quantamcumque poſſe ſumi manifeſtum eſt, non enim æqualis monti panis totus (ſed hoc non eſt neceſſarium ad veritatem Communionis) poſſet comedi: nec tam parva particula, quæ viſum aut ſenſum effugiat.

De præſentiâ.
An quæcunque ſufficiat?

Cùm certum ſit ad conſecrationem, præſentiam requiri, certum eſt deficiente hac præſentiâ conſecrationem eſſe nullam. Hinc inferunt aliqui per accidens fieri, ut non quævis magnitudo vel multitudo conſecrabilis ſit.

MMMCDLXXVI. *Species quid? Cui inſint?*

Accidentia Euchariſtica, quæ Eccleſiaſtico Lexico nominantur *ſpecies*, nulli inhærent ſubjecto ſubſtantiali: abeſt enim tota panis ſubſtantia, tota vini. Quo ergo modo perſiſtunt? An in ſingulis novum datur miraculum? An ſingula aut modo perſeitatis donantur, aut actione creativâ ſuſtinentur? Aſſerunt Authores multi & graves: at malunt alij cætera omnia quantitati etiam extra Euchariſtiam hærere, & hanc miraculosè conſervare.

Omnia alia accidentia inſunt quantitati, & hæc miraculosè extra ſubjectum conſervatur.

De Quantitate Diſcretâ in ordine ad Euchariſtiã conſideratâ.

Hæc Concernunt Quantitatem continuam, dicamus nonnihil de Diſcretâ, quoniam in Euchariſtiæ Sacramento Vnitatem Pluralitatemque ſub diverſo conceptu & conſideratione reperio: quamvis enim multa conſiderari in illo debeant, ut conſecratio, ſpecies conſecratæ, corpus & ſanguis Chriſti, uſus ac ſumptio ſpecierum:

In quo verè conſiſtat hoc Sacramentum?

ſolæ tamen ſpecies panis & vini permanentes poſt conſecrationem prout videlicet, corpus & ſanguinem Domini noſtri complectuntur, etiam ante omnem ipſarum uſum & ſumptionem; verè & propriè Sacramentum in Euchariſtiâ denominantur. Et hîc hæreamus, & attende. Chriſti corpus & ſanguis, quatenùs ſub ſpeciebus panis & vini continentur, & cum illis Sacramentaliter conjunguntur, ſi ita conſiderentur, ut per ſpecies ſenſibilia reddantur [a] Sacramentum ſunt, reſpectu corporis ſui myſtici, quod eſt Eccleſia, cuius unitatem per gratiam ſignificant & efficiunt; per ſe tamen conſiderata, (videlicet, ab ſpeciebus præciſa) cùm ita in Sacramento exiſtant, ut ſenſu aliquo percipi nequeant, Sacramenti rationem non habent, unde aliqui non libenter audiunt nonnullos Recentiores, qui cùm reliqua ſex Sacramenta rebus & verbis conſtituant (illis ut materiâ, iſtis ut formâ) in Euchariſtiâ nullâ ſervatâ philoſophandi conſequentiâ, docent Species eſſe materiam, & Corpus Dominicum formam; Videntur enim errare in primis principijs Grammaticæ Sacramentalis, & velle ignorare quid vox *ſignum* importet. Sed probabiliter ab hac objectione ſe expediunt Sacramentum *in fieri*, & *in facto eſſe* diſtinguentes.

[a] Sacramentum eſt ſenſibile ſignum inſenſibilis gratiæ: Ergo, quo ſenſu Chriſti corpus inſenſibile ſit, vocari *Sacramentum* non poteſt: prout ſpecies ſẽſibile redditur, poteſt.

An Euchariſtia Sacramentum eodem modo, an diverſo, quàm cætera conſtituatur?

MMMCDLXXVII. *Sacramenti Euchariſtiæ pluralitas.*

Sacramentum Euchariſticum materialiter ſumptum non eſt unum: plura enim ſunt, quæ habent rationem materiæ, in quibus ratio Sacramentalis ſignificationis fundatur: (non enim panis vinum, eſt, nec vinum panis) Sed neque formaliter ſumptum eſt unum, diverſis enim verbis & diverſam habentibus ſignificationem hoſtia, diverſis calix conſecratur.

An Panis & Vinum conſecrata, ſint duo Sacramenta partialia, & ſimul unum Sacramentũ totale?

Si æquivocationes & logomachiæ abſint, poteſt dici, Hoſtiam & Calicem eſſe duo Sacramenta partialia, & ex utroque conſtare ſacrum illud Convivium & Sacramentum totale. Nam ex utráque formâ totalis ſignificatio reſultat, quâ cœleſte, & ſuperſubſtantiale convivium, quo Animâ corpore & ſanguine Chriſti per modum cibi & potûs ſpiritualis, non ſecùs ac corpus pane & vino reficitur, ſignificatur. Cæterùm tametſi illud Sacramentum, quod ex Hoſtiâ & Calice componitur totale poſſit nominari, deficit à proprietate Totîus, quia & Hoſtia & Calix deficiunt à proprietate Partium: nam tametſi panis & vinum ante conſecrationem ſint duæ condiſtinctæ ſubſtantiæ, & differant etiam ab aggregato quod conſtituunt, poſt conſecrationem ſunt idem ſubſtantialiter, tum inter ſe, tum etiam cum toto quod reſultat: totus enim Chriſtus ſub ſpeciebus panis; totus ſub ſpeciebus vini; unus & idem ſub utriſque invenitur.

Quomodo Panis & Vinum ante conſecrationem, & quomodo poſt conſecrationem differãt inter ſe?

Vnde Laici (vel etiam Sacerdotes extra Miſſæ ſacrificium) ſub alterâ tantùm ſpecie communicantes, totum & integrum Chriſtum ſumunt, ac proinde totum illius corpus, totum illius ſanguinem, nec ullo fructu vel gratiâ ad ſalutem neceſſariâ fraudantur. Sic docemur à Tridentinâ Synodo *Seſſ. XXI. Cap. III.*

Sub alterutris ſpecieb. continetur totus & integer Ieſus-Chriſtus.

MMMCDLXXVIII. *Æquipollentia Euchariſtica.*

Dico igitur loquendo æquivalenter, Hoſtiam conſecratam (eodem omninò modo de vino conſecrato Philoſophandum eſt) non eſſe partiale Sacramentum, ſed totale; & Hoſtiam æquipollere Vino, & alterutrum

toti

An in pane cōſecrato ſolo, aut in calice conſecrato ſolo, detur ratio integri convivij? Synonyma.

toti convivio, imò in alterutro eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, atque ideò integrum & verum convivium, non tamen formaliter & ex vi verborum, ſed ſolummodò per concomitantiam & æquipollentiam operandi. Et hoc exemplo clariſſimo illuſtrabimus. Conſidera duas voces ſynonymas, & illas compara cum Euchariſtiâ. Sanè *Gladius* & *Enſis* duo ſunt nomina, ſed eadem res, & idem ſubſtantialiter ſignum. Et eodem omninò modo,

An Panis & Vinum poſt conſecrationē ſint ſigna ſimilia ſynonyma?

Panis & Vinum conſecratum, duæ, ſunt ſpecies ſacramentales, una verò ſubſtantia, eadem res ac propterea idem ſignum ſacramentale: nam ſicut *Gladius* & *Enſis*, ſunt ſigna ejuſdem omninò rei, ſic etiam conſecratus Panis, & conſecratum Vinum ſunt ſigna eiuſdem gratiæ & terminativè ſumpta idem omninò ſignum ſunt: & eundem Chriſtum in ſe continent.

M M M-CDLXXIX.

1. Cor. 10. 2.

Diverſa poſſunt ſigna in ſignificatione Coïncidere.

Auguſtinus tract. 26. in Ioan. poſt med.

Vt hoc meliùs intelligas adducam S. Auguſtinum, qui horum ſacramentorum æquipollentiam pulchrè exponit. Verba Pauli ad Corinthios explicare debebat, illa videlicet, *Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & mari: & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt: & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt, (bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.)* Et, ut dilucidet, demonſtrat poſſe dari Sacramenta, quæ tametſi materialiter diverſa ſint, ſint unum & idem formaliter: & ſic inquit. [*Hic panis, qui de cælo deſcendit. Hunc panem ſignificavit manna, hunc panem ſignificavit altare Dei. Sacramenta illa* (manna & altare) *fuerunt. In ſignis* (quæ percipiuntur ſenſibus) *diverſa ſunt; ſed in re, quæ ſignificatur, paria ſunt. Apoſtolum audi.* Nolo enim vos, *inquit*, ignorare, Fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſiverunt; & omnes per Moyſem baptizati ſunt in nube, & in mari; & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt. *Spiritalem utique eandem; nam corporalem alteram: quia illi manna, nos aliud: ſpiritalem, verò quam nos: ſed patres noſtri, non patres illorum, quibus nos ſimiles ſimus, non quibus illi ſimiles fuerunt. Et adjungit.* Et omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. *Aliud illi, aliud nos: ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpiritali. Quomodo enim eundem potum?* Bibebant, *inquit*, de ſpiritali ſequente petrâ; petra autem erat Chriſtus. *Inde panis, inde potus. Petra Chriſtus in ſignum, verus Chriſtus in verbo & in carne. Et quomodo biberunt? Percuſſa eſt petra de virga bis. Gemina percuſſio duo ligna crucis ſignificat*, &c.] Ecce Manna, Altare, Nubes, Mare, Eſca, Potus, Petra, &c ſunt materialiter ſumpta diverſa Signa; &, ſi ſic velis loqui, etiam diverſa Sacramenta: quæ tametſi formaliter coïncidant, & eundem ſignificent Chriſtum, differunt etiam in modo Chriſtum ſignificandi.

Eſt hæc inter Veteris Legis Sacramenta ſeu ſimbola, & Panē & Vinum Euchariſticum: nā illa moraliter & virtualiter tantùm, hæc realiter trans ſubſtantiantur in rem ſignificatā; dixi enim in Logica ſignificationem ad placitum eſſe virtualem quandam tranſſubſtātiationem; quam Euchariſtiæ Sacramentum dilucidat, â quâ illud dilucidatur.

Qualitas Eucharistica.

M M M-CDLXXX.

Quid fiat poſt conſecrationē de Panis & Vini qualitatibus?

DE qualitatibus panis & vini jam dixi: poſt conſecrationem remanent: aut naturaliter ſi quantitati inhærere dicantur: aut miraculosè, ſi ſubjecto etiam careant. Poſt conſecrationem illæ omnia agere & pati poſſunt, quæ potuerunt, quando à panis & vini ſubſtantiâ ſuſtentabantur. Hæc ſunt certa & facilia: ad qualitates ſuſceptori Euchariſtiam tranſeamus. Non examinabo univerſas, ſed Diſpoſitionem, Potentiam, Impotentiamque.

M M M-CDLXXXI.

Conficientiū & recipientium hoc Sacramentū diſpoſitio.

Ad conficiendam & recipiendam Euchariſtiam diſpoſitio requiritur. conſtat ex Veteris teſtamenti ritu; conſtat ex D. Paulo: conſtat ex S. Ioan. Chriſoſtomo, qui illum exponit, & hunc dilucidat. Coram Antiocheno populo perorabat, & *homil.* 60. (eſt 83. *in Matth.*) ſic dicebat. *Si Iudæi ſtantes, & calceamenta in pedibus habentes, & baculos manibus geſtantes, agnum cum feſtinatione comedebant: te multò magis oportet eſſe ſolertem. Nam illi quidem in Palæſtinam erant profecturi, & proptereà formam viatorum habebant; tu verò debes in cœlum migrare.* Hanc diſpoſitionem Corinthios (1. *cap.* 11.) monebat S. Paulus his verbis. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Dixerat paulò antè. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* At tu audax peccator illum indignè manducaſti & bibiſti. Ergo reus es corporis & ſanguinis Domini. *Cogita igitur quantum adverſus proditorem* (Iudam) *indignaris, & contra eos, qui eum* (Chriſtum) *crucifixerunt.* Itaque *conſidera, ne tu quoque ſis reus corporis & ſanguinis Chriſti. Illi ſanctiſſimum corpus occiderunt, tu verò polluta ſuſcipis animâ, poſt tot beneficia. Neque enim illi ſatis fuit, hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi; verùm & ſe netipſum nobis commiſcet, & non fide tantùm, verùm & ipſa re nos ſuum efficit corpus. Quo non oportet igitur eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc dividentem; os, quod* (hoc) *igni ſpiritali repletur; linguam, quæ tremendo, nimis ſanguine rubeſcit?* Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris, &c. Sic te ad divinum hoc epulum præpara, ut non ejiciaris à dicente. Amice, ad quid intraſti non habens veſtem nuptialem.

Greg. lib. 1. de ſum. bono. *Qui ſcelerate vivūt in Eccleſiâ & communicare non deſinunt, putantes ſe tali communione mundari, diſcant nihil ad emundationem proficere ſibi.*

Remigius in Gloſſ. ſuper Matth. *Væ tradentibus Chriſtum ad crucifigendū ſiue Iudæ cum malignâ cōſcientia ſub Sacramento ſumentibus illum: & ſi non tradant Iudæis ad crucifigendum, tradūt tamen ipſum mēbris inimicè adſumendum.*

In hoc profectò Sacramento duplex diſpoſitio requiritur: animi & corporis. Illa in conſcientiæ puritate conſiſtit: unde, qui peccati mortiferi ſit reus, non cenſebitur bene diſpoſitus ad hoc Sacramentum recipiendum, etſi per actum contritionis ſe reſtituat ſtatui gratiæ, ſed debet omninò Confeſſionem Sacramentalem præmittere ſi copia Confeſſarij ſit: & ſi hæc non ſit, actum amoris & contritionis ſupernaturalem excitare. Præterea, qui in Sacramentali Confeſſione aliquod mortale ex merâ oblivione ſubticuit, per abſolutionem gratiam recipit: ſed tamen. ſi illius omiſſi peccati recordetur, niſi illud confiteatur priùs, non poterit communicare. Præter diſpoſitionem animi, etiam corporis diſpoſitio, requiritur, ut dicebamus. Anne, ut quis bene diſpoſitus cenſeatur, debet

eſſe confirmatus, antequam Euchariſtiam recipiat? Aſſerit Sotus *in 4. diſtinct. 7. quæſt. unic. art. 7. prop. 3.* & peccati venialis eum accuſat, qui ad Euchariſtiam non dum confirmatus accedit. Hoc autem peccàtum negat Præpoſitus *in 3. par. q. 72. art. 8. n. 38.* Dian. *part. 4. tr. 4. reſol.* 50. §. *Nota ſecundo.* Coronius *in ſumm. verb. Communio, num.* 32. DISPOSITIO corporis conſiſtit in jejunio naturali; videlicet, à mediâ nocte, unde dies naturalis juxta Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem incipit.

Initium diei in Eccleſiâ Romanâ.

RELATIO EVCHARISTICA.

MMMCDLXXII. *An cõſecratio immutet Chriſtum? Quid de eius ſubſtantiâ; quid de eius Quantitate, aut Qualitate dicendum ſit?*

QVærunt Theologi, An conſecratio, quæ Sacramentum venerabile conficit, Chriſtum aut immutet aut alteret? & ipſi reſpondent, nullam ibi concedendam in Chriſto mutationem ſubſtantialem, nullam verè accidentalem: ſed negari non debere aliquam Relativam. Gregorius de Valentiâ & Ioannes Hylin S. Th. Doctores, diriment Quæſtionem his verbis. [Factâ tranſſubſtantiatione corpus Chriſti eſt terminus illius formalis, prout eſt ſubſtantia ac ſuccedit in locum panis, & incipit eſſe ſub eius accidentibus, nullâ tamen factâ mutatione ipsîus ſubſtantiæ corporis Chriſti: admitti tamen poteſt mutatio quædam accidentaria, quatenûs nimirum ex non eſſe ſub accidentibus panis, incipit eſſe ſub accidentibus panis unde & dicitur acquirere quoddam eſſe relativum, nulla autem ponenda eſt mutatio accidentalis, quâ vel augeatur quantitate, vel alteretur qualitate, hæc enim non incipiunt de novo eſſe in corpore Chriſti, ſed retinet hæc omnia præexiſtentia.]

N. B. Totã Chriſti ſubſtantiâ, & quantitatem, quæ in cœlo ſunt circumſcriptivè, eſſe in Sacramẽto definitivè (totã in toto, & totam in quâlibet parte) certum eſt. An Chriſti corpus, quod ante conſecrationẽ vno erat modo, & poſt illam duob. ſit dicendũ mutati, erit quæſtio de nomine.

QVANDO ET QVANDIV EVCHARISTICA.

MVlta hic moveri dubia poſſent; ſed omiſſis quæ minùs neceſſaria judico, inquiram PRIMO, *Quando incipiat Chriſtus eſſe ſub ſpeciebus?* SECVNDO, *Quando incipiat non eſſe?* hoc eſt, *Quandiu ſub eiſdem ipſe futurus ſit?*

MMMCDLXXIII. *Duplex quæſtio proponitur.*

Solutio prima.

Reſpondeo ad primum, tunc incipere Chriſtum ſub ſpeciebus eſſe, cum panis & vinum non eſſe; incipiunt tunc, inquam, quando illæ transſubſtantiativæ propoſitiones verificantur. Vt autem ipſæ veræ eſſe dicantur & ſint, non eſt neceſſe ut ſint veræ quando proferuntur, tunc enim nondum ſunt, ſed incipiunt. Quando ergo? *Satis eſt*, ait Valentia, *ut ſint vere in inſtanti tempus prolationis immediatè ſequente.* Sed cur non erunt veræ, cùm ultima littera profertur? cur expectanda prolationis deſitio? Sentio eum, qui ultimam ſyllabam protraheret, & diutiùs in ultimæ litteræ prolatione hæreret puta ſi in calicis conſecratione illud I vocis *mei* produceret per ſex inſtantia) antè quàm taceret conſecrare, nam me judice in inſtanti in quo eſt verum dicere, *Nunc ſonat ultima litera conſecrationis*, in eodem etiam eſt verum. *Nunc abeſt materia remota Sacramenti, nunc adeſt Chriſtus.*

An verba operentur cùm non ſunt?

An, cùm ultima ſyllaba profertur?

Solutio ſecunda.

Reſpondeo ad ſecundum panem & vinum ſolere alterari & corrumpi, adeòque cùm ſpecies ſacramentales ita alterantur, ut non ſint ampliùs vini aut panis ſpecies, tunc deſinit eſſe ſub illis Chriſtus Dominus; quoniam ex inſtitutione tandiu voluit ſub ſpeciebus his latêre, quandiu aliàs ſub eiſdem eſſet forma panis, quæcumque tandem & qualiſcumque illa ſit.

Tandiu manet Chriſtus ſub accidentibus, quamdiu panis ſubſtantia, ſi nulla interfuiſſet conſecratio, maneret.

PLacet hîc ſpecialem excitare Quæſtionem, & inquirere, *An conſultum ſit ſingulis diebus communicare?*

MMMCDLXXIV. *De Communione quotidianâ. An, & quibus ſit permittẽda, aut conſulenda?*

Profectò in primitivâ Eccleſiâ quotidie communicabant Chriſtiani: at hæc conſuetudo, nam erat multis obnoxia inconvenientibus, perennare non potuit. Poſteâ ſaltem diebus Dominicis erat generalis communio. Et tandem refrigeſcente Charitate decretum, ut non differatur ultra annum.

Eccleſia primitiva mos. Quid hodie fiat?

Modò conſiderando mores communes hominum, reſpondeo Quæſtionem propoſitam ſenſum duplicem habere poſſe, nam quæritur, *An conſultum ſit jubere in unâ civitate, ut omnes quotidiè communicent?* aut quæritur, *An expediat permittere in illâ, ut unus aut alter, aut etiam aliqui, in quibus ſpeciales inveniuntur rationes, quotidie poſſint communicare?*

Quæſtio exponitur, & in duas dividitur.

Reſpondeo illud præceptum pernitioſum videri, & multa ſacrilegia importare; nam in civitate, in quâ multi vivunt diſſolutiſſimè, non poteſt lex indici, quæ ſingulos ad tantam ſanctitatis perfectionem vel invitos propellat. Ergo relicto præcepto de permiſſione, de quâ agebat Quæſtio ſecunda, differamus.

Præceptum, ſi univerſale eſſet periculoſum.

Hæc ipſa difficultas fuit olim propoſita Auguſtino, & judicavit tam eſſe difficilem & arduam, ut non fuerit auſus eam reſolvere. *in lib. de Eccleſia dogmat.* ſic inquit. *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen dominicis diebus ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine voluntate peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purgari: & ideò quamvis peccato qui oneratur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, communicaturus, ſatisfaciat lachrimis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione qui confeſſione peccati piè peccata condonare conſuevit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus; ſed hoc de illo, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam, quem peccata vel crimina poſt baptiſmum gravant, hortor priùs publicâ pœnitentiâ ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communicatione ſociare, ſi vult non ad iudicium, ſeu ad condemnationem ſui Euchariſtiam percipere; ſed & ſecreta ſatisfactione ſolui mortalia crimina, non negamus.* Faciamus hîc unam brevem parenteſim, & ſtatim ad Quæſtionem redibimus.

MMMCDLXXV. *Quid ſentiat S. Auguſt.*

N. B. Voluit Spiritus ſanctũs hæc verba Auguſtino dictare, vt Lutheri & Calvini Hæreſes, antequam naſcerentur ſuffocaret.

Dantur peccata mortalia & venialia.

Quid facturus ſit, qui habet mortalia?

An debeat ad Sacerdotem, vt reconcilietur, recurrere?

PRIMÒ, S. Auguſtinus inter peccata venialia & mortalia diſtinguit: hoc enim important illa verba, *capitalia & mortalia peccata.* SECVNDÒ, etiam actuale ab habituali diſtinguit, vt patet ex illis, *mens ſine voluntate peccandi ſit.* TRTIÒ, Confeſſionem

MMMCDLXXVI. DIGRESSIO circa verba Auguſtini.

De peccatorum venialium & mortalium, nec non Actualium & habitualium diſtinctione.

nem & ſatisfactionem ſecretam & publicam cognoſcit, illam pro peccatis occultis, hanc pro publicis, vt ex vltimis verbis colligitur.

De venialium remiſſione.

QVARTÒ, pro peccatis venialibus extra Confeſſionem *lachrymis & orationibus* ſatisfieri aſſeverat.

De eo, qui cum peccato veniali ſumit Euchariſtiam.

An Layman ſeverior Auguſtino ſit?

QVINTÒ peccata venialia habitualia non impedire Communionem teſtatur. SEXTÒ ſeverè de eo pronunciat, qui communicat cum intentione committendi aliquod peccatum veniale, dicit enim *eum magis gravari, quam purgari*. Et quia alicui videri poſſet nimis rigida hæc Auguſtini reſolutio, placet ſubſcribere aliquas, quæ huc pertinent, ſententias Recentiorum. Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 5.* Exiſtimat accedere ad Communionem cum peccati venialis conſcientiâ eſſe ſacrilegium veniale. Et ſtrictiùs loquitur, quàm Auguſtinus, nam hic ſolùm hoc de veniali actuali, non verò de habituali pronunciat: non enim à Communione arcet eum, qui heri leviter mentitus eſt, hodie dolet ſe peccaviſſe; ſed illum tantùm, qui ad Euchariſtiam accedit cum intentione committendi aliquod peccatum veniale.

Sà verb. Euchariſtia. num. 1.

An duplex peccatum ſit ob vanã gloriam cõmunicare?

Emanuel Sà hoc ad eum ſolum caſum limitat, in quo ipſa Communio ad illud veniale ordinaretur, vt ſiquis ob vanam gloriam communicaret, tunc enim præter vanæ gloriæ peccatum, eſſet irreverentia; nam contra Religionem eſt Euchariſtiam ordinare ad peccatum, Fillincius vt decenter quis communicet attentionem requirit,

An ad recipiendam Euchariſtiam attentio requiratur?

Ioann Sanctius *in ſelect. diſſ. 23. num. 32.* eam non requirit: nam aliter de Oratione, & aliter de Comeſtione philoſophandum eſt: qui enim cum aliquo distractus loquitur, facit eidem iniuriam; non autem qui cum alio diſtractus comedit. Accedit, quod ne quidem purè vocalis Oratio poſtulet internam attentionem.

An Oratio Vocalis attentionem neceſſariò requirat?

Vide Dianam *part. 3. tract. 4. reſol. 31.* Volui hunc Auguſtini locum articulatim ediſſerere; nam eo bene intellecto de Hæreſibus noſtri temporis jam conclamatum eſt. Ad principalem Quæſtionem revertamur.

AD LINEAM REDEO.

MMMCDLXXXVII.

Communionem quotidianam conſulit Auguſtinus: ſed quibus?

Illam, vt vidiſti, non eſt auſus *in lib. de Eccl. dogm.* Sanctus Pater decidere: at tractans illud 6. *Pan.* &c. re accuratiùs perpenſâ ſic inquit. *Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic vive, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* Et hinc ſumunt reſolutionem nonnulli Confeſſarij permittendi alicui aut aliquibus, vt quotidie communicent. Ego in hac materiâ ſic diſcurro. Dico enim.

Cui negari illa debeat?

Primò. *Illi, qui ſolet mortalia committere, ſufficit ſi diebus Dominicis & ſolennibus communicare permittatur.* Et de eo intelligere volo S. Auguſtini verba *omnibus tamen Dominicis diebus*, &c.

Cui concedi illa poſſit.

Secundò. *Illi, qui tam purè vixerit, vt longo tempore (puta, anno integro) nullum commiſerit mortale, poteſt permitti, vt quotidie Venerabile Sacramentum recipiat.* Et hæc eſt doctrina hodie valde communis.

Tertiò. *Ille laicus, qui heri dignè Communicauit etſi tota die nihil boni, nec mali fecerit, hodie communicabit digniùs.* Et oſtenditur. Quia, ſi heri antequam accederet ad Euchariſtiam habebat gratiam vt 4. quia per ipſam Euchariſtiæ ſumptionem aliquos gratiæ gradus adquiſivit (pone 2) hodie antequam communicet habebit gratiam vt 6. Ergo hodie erit meliùs diſpoſitus, quàm heri fuit.

Vna Communio ritè ſuſcepta, eſt diſpoſitio ad alteram.

Conſultò de laico agere volui. nam Eccleſiaſticus, præter ſumptionem Euchariſtiæ, Officium Divinum recitavit, & alia opera pia exercuit, propter quæ hodie multò meliùs diſpoſitus, quàm heri, ſit.

Bona opera quotidiana ad digniorẽ Euchariſtiæ ſuſceptionem diſponunt.

ACTIO EVCHARISTICA.

MMMCDLXXXVIII.

An prædicantes, ſint Sacerdotes?

CAuſa ſecunda conficiens Euchariſtiam eſt omnis & ſolus Sacerdos. Prædicantes omnes aut ferè veri Sacerdotes non ſunt, quia non fuerunt à veris Epiſcopis ritè & canonicè ordinati: quam ob rem in cœnâ, quam vocant, non eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti, verum eſt; cùm, quia veram intentionem non habent; tum, quia laici illi ſunt, & conſecrandi poteſtatem non habent.

Presbytero duo omninò incumbunt: alterum vt corpus & ſanguinem Chriſti conficiat: alterum, vt à ſe, vel ab alio confectum diſtribuat. Et in neceſſitatis caſu abſente illo, Diaconus hoc vltimum præſtare poteſt.

Diaconi & Presbyteri officium.

De diſtributione Euchariſtiæ?

Paleotus Theſ. 118.

Probabilis eſt eorum ſententia quæ docet Sacerdotem, cui cura animarum nulla incumbit, debere ſub mortifero ter vel quater vt minimùm in anno celebrare: eumque cui cura animarum incumbit tam ſæpe quàm neceſſarium ſit vt ſuo muneri probè & decenter ſatisfaciat.

PASSIO EVCHARISTICA.

An ſimplex Sacerdos celebrare teneatur.

OMnis homo baptizatus, etſi non confirmatus, modò in ſtatu gratiæ ſit, & excommunicatione non gravetur, poteſt venerabile Sacramentum recipere: nimirùm, ſemel in die, nam ob maiorem reverentiam bis illud eâdem die recipi poſſe rarò Eccleſia, & ex gravibus cauſis permittit. Nam Dominicæ Nativitatis die conceditur Sacerdotibus vt tertiò celebrent, & in locis pauperibus,
MMMCDLXXIX.
vbi duo Parochi tolerari non poſſunt vt vnus bis celebret, etiam aliquando permittitur.

Quinam poſſint ſuſcipere Euchariſtiam, & quoties?

Quis, & quãdo poſſit dicere plures miſſas?

Quid fiat in Miſſâ?

An pronomen qui in Calicis conſecratione ad Calicem, an verò ad ſanguinem, an tandem ad vtrumque accommodâ diſtributione referatur?

Et quid in Miſsâ fit? Gregorius *in Dialog. lib. 4.* reſpondet. *Hæc ſingularis victima ab æterno interitu animas ſolvit, quæ illam nobis mortem Vnigeniti reparat: qui, licèt ſurgens à mortuis iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur, tamen in ſeipſo immortaliter atque incorporaliter vivens, pro nobis iterum in hoc Myſterio Sacræ Oblationis immolatur; eius quippe ibi corpus ſumitur: eius caro in ſalutem populi patitur. Eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus, quale ſit pro nobis iſtud Sacrificium, quod per abſolutionem noſtram Vnigeniti Filij paſſionem ſemper imitatur.* Chriſtus in cœlo incorporaliter vivere dicitur, quod eius ibi vita in perfectionibus corporeis non ſubeſt: & vbi eſt *patitur*, fortè legendum eſſet *datur*, aut *partitur*. Et illud verbum, *funditur*, inſinuat, in Conſecrationis formâ *Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. qui

Digitized by Google

pro vobis effundetur, &c. pronomen *qui*, ad calicem & ſanguinem referri poſſe: ita vt in cruce ſanguis, & in altari calix effuſus ſit.

EFFECTVS EVCHARISTICVS.

MMMCDXC. *Quid ſit gratia Sacramentalis? An gratiæ, quæ per diverſa Sacramenta conferuntur, diſtinguantur ſpecie.*

SIngula Sacramenta gratiam quamdam Sacramentalem conferunt, quæ eſt ſingulorum propria; & illa in multorum ſententiâ, non eſt aliqua qualitas ſuperaddita gratiæ iuſtificanti, ſed ipſa gratia iuſtificans, prout includit particulares quoſdam effectus & Dei auxilia, quibus ſpecialiter iuuatur ſuſcipiens Sacramentum, hæc autem in Euchariſtiâ eſt gratia iuſtificans, includens ſpeciale auxilium Dei, quo is qui ſuſcipit illam, nutriatur ſupernaturaliter: hoc eſt, devotè & ferventer ſecundum gratiam & charitatem operetur.

Fervor charitatis. An per Euchariſtiæ ſuſceptionem peccata venialia remittantur?

Hinc ſequitur proprium effectum huius Sacramenti eſſe remiſſionem venialis peccati, huic enim propriè opponitur fervor Charitatis, qui in hoc Sacramento non ponenti obicem confertur, quod non ita proprium eſt aliorum Sacramentorum; & hinc eſt, quod licèt omnia Sacramenta augeant gratiam iuſtificantem præexiſtentem quoad habitum, Euchariſtiæ tamen proprium eſt augere eandem quoad actum: fervor enim ille, quem diximus, facit vt gratia præexiſtens habitualis exeat in actum.

An Euchariſtia conferat. Primã gratiam per accidens.

Præter hunc autem effectum habet etiam illum, vt conferat aliquando ipſam primam gratiam iuſtificantem, quâ tollantur mortalia, idque non ex ſola liberalitate Dei, Sed ex vi ipſius Sacramenti; vt, ſi quis inſcius invincibiliter peccati mortalis, accedat ad hoc Sacramentum, ſufficienter ſaltem attritus.

MMMCDXCI. *An Communio debeat fieri ſub vtrâque ſpecie? An ſit aliquod Chriſti præceptũ de vtrâque ſpecie ſuſcipiendâ?*

Hos autem & omnes alios fructus, qui ex Euchariſtiâ fidelibus dignè accedentibus provenire ſolent, pleniſſimè confert communio ſeu ſumptio ſub alterâ tantùm ſpecie panis, quippe in quâ totum id, quod requiri poteſt in hoc Sacramento, ſcilicet ipſe Chriſtus, continetur: nec vllum exſtat divinum præceptum de vtraque ſpecie ſumendâ, neque verò id exigit natura rei vel Sacramentum. Eccleſia autem habuit veras, ſufficientes, & legitimas cauſas inſtituendi communionem ſub alterâ tantùm ſpecie, inter quas ſunt periculum effuſionis ſanguinis, difficultas aſſervandi pro infirmis, natura quorumdam vinum ferre non valens, penuria vini in quibuſdam Orbis partibus; Vniformitas Eccleſiæ, extirpatio hæreſum, aſſerentium vel Eccleſiam ab annis 4 o. erraſſe, vel ſub alterâ tantùm ſpecie non contineri totum Chriſtum, & his ſimiles quàm plurimas ac demum omnes, qui vſum hunc ab Eccleſiâ tollere adniſi ſunt, hæretico id ſpiritu fecere. Quòd, ſi tamen aliquis caſus, vel temporum varietas occurreret, nil eſt quod Eccleſiam contrarium quoque ſtatuere prohibeat, vnde & Tridentinum *ſeſſ.* 2 2. omnem huius negotij diſpoſitionem Romano Pontifici, rectiſſimè remiſit.

Cur detur ſub vnicâ ſpecie Communio?

An Pontifex poſſit concedere vt laici ſub vtrâque communicent?

VBI EVCHARISTICVM.

MMMCDXCII. *Quid ſit Locus & Vbi? Quomodo inter ſe diſtinguantur? Quomodo Christus ſit in loco?*

LOcus eſt Corporis locati Vbi extrinſecum; & Vbi eſt corporis vbicati locus intrinſecus; adeoque *Loci* nomine intelligimus ſuperficiem corporis ambientis immobilem, & nomine *vbi* corporis in tali ſpatio præſentiam: & his poſitis moveri poteſt, Quæſtio, *An Chriſtus in Sacramento ſit in loco? & , ſi ſit, an diffinitivè, an circumſcriptivè?* Chriſtum in loco eſſe admittunt vniverſi, vel ferè, at veteribus iunioribuſque difficile viſum, ſit-ne Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus tanquam in loco definitivè, quam tamen ſolutâ æquivocatione vocis facilè ſolvi conſtat: ſi enim definitivè eſſe alicubi accipitur pro eo, quod ita eſt in loco, vt totum ſit in toto, & totum in qualibet parte, non coextenſum loco, veriſſimum eſt corpus Chriſti eſſe definitivè in Sacramento: ſin autem definitivè in loco eſſe intelligatur ita eſſe in certo loco, vt non ſit alibi, corpus Chriſti neutiquam eſſe definitivè in Sacramento, nemo negabit.

Quid ſit eſſe alicubi definitivè? An Chriſtus in Sacramẽto ſit definitivè?

MMMCDXCIII. *An Chriſtus ſub ſpeciebus moveatur, & quomodo?*

Motis ſpeciebus nil inconveniens eſt moveri & ipſum corpus Chriſti, etiam ſubiectivè, ita vt locum amittat, & alium acquirat, quando tamen fit conſecratio non movetur Chriſtus localiter, ſicut etiam cùm ſpecies deſinunt nil in Chriſti corpore corrumpitur, nec vlla fit amiſſio alicuius formæ abſolutæ, nec ſubſtantialis, nec accidentalis, ſed tantùm deſinit habere illam habitudinem præſententiæ realis, quam anteà habebat ad ſpecies & locum ſpecierum.

An dari caſus poſſit, in quo manente corpore Chriſti ſub ſpeciebus hæ moveantur, & tamen illud non moveatur?

Quando autem movetur Chriſti corpus motis ſpeciebus, licèt non negetur moveri præcedente Dei & Chriſti voluntate, nihilominùs tamen etiam movetur à Sacerdote vel movente ſpecies ipſas, per accidens, licèt, verùm cùm ſit ibi corpus Chriſti, vt ex dictis conſtat, indiviſibiliter ac totus in toto ſpacio, vbi ſunt ſpecies, totuſque in qualibet eius parte, fieri poteſt, vt ſpecies moveantur ſub illo aëre ambiente localiter, non autem corpus Chriſti, ſi videlicet hoſtia motu circulari non recto circumferatur; ſed hoc ipſum accidere non poteſt naturaliter: primò, quia non poteſt ab homine hoſtia perfectè plana & perfectè circularis formari: ſecundò, quia nulla arte poteſt in eodem indiviſibili ſpatio moueri.

SITVS EVCHARISTICVS.

MMMCDXCIV. *Quid ſit & quomodo cõſideretur?*

PArtium ordo vocatur ſitus, & quidem in ordine ad ſe & in ordine ad ſpacium conſideratur, & vtroque modo poſſe Sacramentales ſpecies mutare ſitum, certum eſt; nam ſpecies vini, cùm ſint liquidæ variè mutari & immiſceri poſſunt & ſolent, & hoſtiam poſſum in eodem ſpacio convertere, & iam in plano, iam perpendiculariter, iam rectè, iam obliquè ponere, iam plicare, iam flectere, & eius ſituationes mutare.

De ſitu in ordine ad ſe, & in ordine ad locum. Vide, quæ n. 3565. dicuntur.

An Chriſtus mutet ſitũ?

An in tantâ poſitionum varietate, ſpecies localiter mutantur non Chriſtus? Et ſub eiſdem *ſerm.* 20. *in Cant.* aſſerente Bernardo, *Chriſtus tangi poteſt, ſed affectu, non manu: voto, non oculo; fide, non ſenſibus. Tanges manu fidei, deſiderij digito, devotionis amplexu;*

An eius partes integrales habeant ſitum in ordine ad ſe?

plexu; tanges oculos mentis. Nam modum, quo eſt ſub accidentibus, rimari mente poſſumus, percipere ſenſu non poſſumus. An ſpeciebus motis mutabit ſitum Chriſtus Dominus? Minimè. Quoniam ipſe ſub ſingulis indiviſibilibus verè & realiter eſt, & in ſpatio indiviſibili nullus in ordine ad locum ſervari ſitus poteſt. Cæterum corporis Chriſti partes inter ſe conſervant naturalem ordinem, nam ſicut extra ſic etiam in ipſo Sacramento digitus vnitur manui non cordi, manus brachio non pedi, brachium humero, &c. at omnes iſtæ partes penetratæ ſunt, & ſub ſingulis ſpecierum indiviſibilibus verè & realiter replicatæ.

H A B E R E
EVCHARISTICVM.

MMMCDXCV.

An accidentia Chriſto inhæreant?

An vnio realis poni debeat?

Cur, & quomodo Chriſtus & ſpecies vniantur?

An detur Vnio, quæ ad Prædicamentũ Habere pertineat?

SVb ſpeciebus Euchariſticis Chriſtus totus & integer continetur. Sed quomodo? An ne illæ Chriſto inhærent, & ipſe illas exercens munus ſubſtantiale ſuſtentat? Peccaret in rationem & decentiam, qui id aſſereret. Sanè intereſt vnio intima, vt cuius motis ſpeciebus, etiam movetur Chriſtus. Hanc aliqui moralem eſſe exiſtimant: ſed multiplicant prodigia ſine cauſâ: nam motus eſt realis & phyſicus, & debet adſignari cauſa aliqua connaturalis. Confugiunt ad actionem nonnulli, voluntque Chriſtum ad accidentium conſervationem aut elevationem concurrere; ſed horum erudita ſententia non caret plurimis difficultatibus. Facilior eſt & clarior illa, quæ aſſerit intercedere inter Chriſtum & ſpecies intimam & veram vnionem, quæ nec ſit informatio nec inhæſio, ſed quæ ad prædicamentum *Habere* pertineat, & omnem illam perfectionem, propter quam aliæ vniones reiiciuntur, non habeat, ſic ante multos annos philoſophabar Lovanij, vbi in noſtrâ Philoſophia hanc ipſam Propoſitionem edidi; & modò confirmo teſtimonio Chryſoſtomi, qui *homil. 60. ad popul. Antioch.* & 83. *in Matth.* ita ſpecies Sacramentales concipit, ac ſi eſſent Chriſti ſubſtantis veſtes. Eius verba ſunt hæc

An accidentia Euchariſtica ſint ſimilia veſtium?

ſi incorporeus eſſes nuda & incorporea tibi dediſſet ipſe dona: ſed quoniam (in te) *anima corpori conſerta eſt in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet. Quot nunc dicunt: vellem eius formam adſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta. Ecce eum vides, eum tangis, ipſum manducas. Et tu quidem veſtimenta cupis videre: ipſe verò tibi concedit, non tantùm videre, verùm & manducare, & tangere, & intra te ſumere.*

An Miniſtri poſſint non habere Ornamenta?

Si ad Miniſtrum, qui Euchariſtiam conficit, & ad eum qui diſtribuit, convertas oculos, meritò Eccleſia vt habeat ornamenta requirit, vt vel ſic myſterij dignitatem commendet.

Modus habendi eſt triplex: intrinſecus, extrinſecus, & medius.

ANte triginta annos edidi ſpecimen Philoſophiæ Lovanij, & quia ille liber auctus & fractus aliam omninò formam in ſecundâ Editione eſt habiturus, ne pereant, quæ *ibi. lib. 8. diſp. 9. num* 4091 de Euchariſticâ vnione accidentium dicuntur, illa hic addere placuit. Ibi igitur ſic.

Quid Duratio? Et quid Vbicatio ſit?

Quæ ſit unio Chriſti ad accidentia in Sacramento Euchariſtiæ?

Modus habendi intermedius eſt modus habendi extrinſecè formalitatem penetratam Et hic Modus habendi competit Primò rei duranti, & rei vbicatæ: quia habent & participant intrinſecè formalitatem aliquam Æternitatis, aut Immenſitatis ſibi penetratã: ſecundò competit Chriſto in Sacramento Venerabili; ibi enim ipſe habet ſpecies, non vt actum informantem, aut ab extrinſeco denominantem: hoc eſt, non, vt formam intrinſecam, aut extrinſecam; verum, vt formam extrinſecè habitam, ſed ſibi penetratam: panis enim accidentia, non ſunt forma Chriſti intrinſeca, non enim illi inhærent: ſed neque ſunt forma purè extrinſeca, quia nec ſunt contigua Chriſto Domino, vt veſtes; nec remota, vt termini extrinſeci & diſtantes: ſunt enim cum Chriſto penetrata: ſunt igitur forma intermedia, hoc eſt, media inter extrinſecam & intrinſecam ſunt qui illa vocent *formam extrinſecam penetratam*, ſed impropriè loquuntur: quia ſi ſunt forma penetrata, *intima*, potiùs, quàm *extrinſeca* deberent dici.

MMMCDXCV.b.

An Chriſtus vniatur ſpecierum ſpatio?

Quo modo penetratio fiat?

Alij dixerunt Chriſtum Dominum, dum eſt ſub ſpeciebus Sacramentalibus, non vniri eiſdem aliquo nexu reali, ſed ſolùm vniri ſpatio ipſarum ſpecierum, & hoc vt explicent, recurrunt ad penetrationem, & ſic ſuam ſententiam exponunt. Quando Chriſtus, inquiunt, in reſurrectione penetravit ſaxum ſepulchrale, non fuit ſaxo vnitus immediatè reali aliquo vinculo, ſed ſolùm illud & Chriſtus fuerunt vniti vni tertio nempè eidem ſpatio ergò ſimiliter adhoc vt corpus Chriſti & ſpecies ſint penetrata, non requiritur, quod habeant aliquam vnionem realem inter ſe; ſed ſufficit, quod eidem ſpatio per vbicationem vniantur.

An Chriſtus ad motum ſpecierum moveatur?

Quid requiratur, vt vnus ad motum alius moveri poſſit?

Falluntur tamen, quia ſi nulla vnio inter Chriſti corpus & accidentia intercederet, motis ſpeciebus Chriſtus non moveretur, quod eſt contra fidem; ergò ſpecies ita vniuntur ipſi Chriſto, vt moveri non poſſint, quin Chriſtus etiam moveatur. Hanc vnionem inter Chriſtum & ſpecies accidentales adſtruit probabiliter P. Ægidius de Coninck. *lib. de Sacram. quæſt.* 73. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 93. addit, rationem præmiſſam eſſe difficilem, non tamen convincentem; nam vt quis moveatur ad motum alterius, videretur ſufficere vnio, qualem habet qui vehitur curru vel navi vnde dicendus eſſet Chriſtus quaſi vehi in ipſis ſpeciebus, & ita putat ſe enervaſſe argumentum.

An in ſpeciebus, an verò ſub ſpeciebus Chriſtus ſit?

De liberâ penetrabilitate.

An Chriſto ſub ſpeciebus & Beatis in cœlo conveniat?

Hæc tamen ſolutio eſt inefficax, quia Chriſtus Dominus non vehitur in ſpeciebus, ſed ſub ſpeciebus, vt tota Eccleſia loquitur. Prætereà, Corpus illud eſt penetrabile; ergò vel caderet penetrando inferiora corpora, vel ſaltem ſpecies motas non ſequeretur Reſpondet, illud eſſe quidem penetrabile, ſed non neceſſariò penetrabile; & ideò poſſe alia corpora excutere, & reſiſtere penetrationi cum velit, quod *num.* 95. ex penetrabilitatis dono Beatis corporibus conceſſo confirmat: ſed quis non videat eſſe debilem hunc philoſophandi modum? Quærimus rationem, propter quam corpus Chriſti ſequatur motas ſpecies, & cùm deberet dare cau-

ſam

ſam naturalem, ad voluntatem Chriſti recurrit. Ergo ex vi verborum non ſolum ponitur Chriſtus ſub ſpeciebus, ſed Chriſtus quà volens penetrare ſpecies, & volens reſiſtere penetrationi aliorum corporum; quod inauditum eſt. Ne igitur ad ſimiles anguſtias reducamur; dicamus dari veram & realem vnionem inter Chriſtum Dominum & Euchariſtica accidentia.

Quid ex vi verborũ ſub ſpecie ponatur?

Poſitam hanc vnionem aliqui explicant aſſerendo, eam eſſe vnionem effectivam, vi cuius Chriſtus vnitur illis accidentibus, ea conſeruando, & quaſi producendo; talem autem vnionem nemo eorum admittet, qui aſſerunt Sacramentales ſpecies conſeruari creatiuè.

De Vnione effectivâ.

An in Sacramento accidentia creativè cõſerventur.

Secundò alij voluerunt eſſe vnionem affectiuam, vi cuius accidentia dicerentur affecta & adtracta virtute aliqua magneticâ, inferente intimam connexionem Chriſti & ſpecierum Talem vnionem admittit ConincK. *lib. de Sacram. quaeſt. 75. art. 4 num. 93.* Sed hæc vnio fortiſſimè impugnari poteſt: præter cauſalitates debemus dare virtutem formalem in cauſis: non enim bene diceremus inter ignem & paſſum calefactum dari vnionem calefactiuam ni daremus in agente etiam virtutem calefaciendi, quam calorem vocamus: malè igitur aſſignatur inter Chriſtum & ſpecies vnio adtractiua, niſi ponatur & virtus adtrahens. Hæc virtus aut debet eſſe in ſpeciebus reſpectu Chriſti, ita vt illæ adtrahant Chriſtum; aut in Chriſto, vt is adtrahat ſpecies: aut ſaltem in vtroque virtus adtrahendi corpus Chriſti non inerat ſpeciebus ante conſecrationem: ergo ex vi verborum illa virtus in ipſis ſpeciebus, producitur: ergo præter tranſubſtantiationem factam ſpeciebus datur alia conuerſio, aut mutatio facta ſuper ſpeciebus, nimirùm de non eſſe virtutis magneticæ ad eſſe talis virtutis, quam Eccleſia hucuſque non cognouit. Iterum, Hæc eadem virtus non erat in Chriſti corpore ante conſecrationem: quia ante conſecrationem Chriſti Domini corpus non petebat connecti cum accidentibus alterius corporis, ergo per conſecrationem datur ipſi Chriſto accidens reale, & phyſicè inhærens quo carebat; ergò in conſecratione phyſicè & realiter mutatur ipſe Chriſtus. Videant igitur aduerſarij baratrum, in quod præcipitantur, Indicant eſſe inconveniens concedere vnam vnionem quæ non ſit inhæſio, & vt euadant, concedunt inhæſionem.

De vnione affectivâ, aut adtractivâ.

An præter effectum & actionẽ virtus in causâ debeat dari?

In quo hæc adtractivâ virtus ſit collocanda?

An Chriſtus per conſecrationem mutetur?

Tertiò alij aſſeruerunt hanc vnionem, quæ intereſt corpori Chriſti & ſpeciebus, pertinere ad prædicamentum *Habere*; hoc eſt, non eſſe *ſubſtantialem*; quia illa accidentia non ſunt formæ ſubſtantiales Chriſti: nec eſſe *inhæſionem*, nam accidentia Sacramentalia corpori Chriſti non inhærent: nec eſſe *purè extrinſecam*, quia cùm Chriſti corpus ſpecies illas Sacramentales penetrat, & ad illarum motum moueatur, dicendum eſt, arctiùs & intimiùs vniri, quàm ſimile alteri ſimili, & æquale æquali. Vnio igitur, de quâ agimus, eſt maior & intimior, quàm ſimilitudo aut æqualitas, minor quàm inhæſio: & aſſeritur pertinere ad prædicamentum *Habere*: quia cùm non ſit ſubſtantialis, ad *ſubſtantia* categoriam reducenda non eſt: & cum inhæſiua non ſit, nec ad *Quantitatis*, nec ad *Qualitatis* prædicamentum pertinebit: cumque Sacramentales ſpecies non ſint connotata Chriſti purè extrinſeca, non pertinebit ad ſeriem *Relationis*. Chriſtus nihil effectiuè operatur in accidentibus nihil ab illis patitur: ergò ad *Actionem*, aut *Paſſionem* reduci non poteſt. Ad *Quando*, aut *Temporis* prædicamentum non ſpectat; quia etiam ante conſecrationem pani Chriſtus coëxiſtebat, & in Sacramento habet modum eſſendi ſpecialem. Hanc vnionem non eſſe *Vbicationem* ſuperiùs oſtendi; *Situs* eſſe non poteſt, tum quia extrinſeco *vbi* Chriſtus Dominus caret, & intrinſecus partes corporis Chriſti in corpore in ordine ad ſe coordinat, non in ordine ad ſpecies Sacramentales. Supereſt ergò hanc vnionem reducere ad prædicamentum *Habere*, ne dicere cogamur eſſe vnionem innominatam. Vide Ludouicum Meratium *tom. 3. tract. de Euchariſt. diſp. 16. per totam*, qui curioſè hanc vnionem exponit.

An Chriſti & ſpecierũ vnio ſpectet ad prædicamentũ Habere?

Ad aliud illam non poſſe prædicamentum pertinere probatur.

N O T A.

ARiſtotelem Prædicamentum Habere non intellexiſſe; immò nec Peripateticos, qui Naturalia cum Artificialibus, & Moralibus paſſim confundunt: nam habere capillos, dentes, vngues, cornua, &c. eſt naturale, habere veſtes, arma, &c. artificiale: & habere fundos, dignitates, amicos, &c. eſt morale. Ergo ſub vno Ente Naturali Corporeo conſtituenda ſunt decem Prædicamenta Naturalia Corporea: & ſub vno Ente Artificiali enumeranda ſunt decem Prædicamenta Artificialia: & ſub vno Ente Morali (& hoc eſt ſummè neceſſarium) decem Prædicamenta Moralia, &c. Et hæc dicta ſint propter Ariſtotelem & Peripateticos qui in Prædicamento *Habere* Naturalia Moralia & Artificialia confundunt. Sed de hoc iam vberius *num. 1949* diſputavimus.

DISPV

DISPVTATIO II.

METETHICA.

De Sacrificio Miſſæ.

MMMCDXCVI. *De Miſſa excellentiâ.*

IPsa doctrinæ ratio poſtulare videtur, ut poſtquam egimus de Sacramento Venerabili, de ſacrificio Miſſæ diſſeramus: illud enim in Miſsâ, ſemper & tantùm conficitur (ſemper, quia non poteſt legi Miſſa, quin illud conficiatur: tantùm, quia confici non poteſt extra Miſſam. Et quia Myſterium hoc ſublime eſt, debet accurate tractari.

An verum ſacrificium ſit?

Hoc hodie ſacrificium multi negant Hæretici, ut Catholicis liberiùs inſultent. At certum eſt Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum, quando in ultimâ cœnâ panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum conſecrando convertit, verum & propriè dictum ſacrificium obtuliſſe, ut à Concilio Tridentino *ſeſſ.22. cap.1.* docemur. Hanc fusè Veritatem dilucidant, & probant Theologi, & inter eos præcipuè Valentia *in 3. part. q.83. art.1. diſp.6. q.11.* Bellarminus *lib.1. de Miſsâ c.6. & 7.* Coninck *de Sacram. quæſt.83. art.1. dub.2.* & alij.

Vox Miſſa qualis ſit? *Quid ſit Miſſam facere.*

Et quidem vox *Miſſa* antiquiſſima eſt; nam in Ambroſio & Auguſtino reperitur. Ille enim lib.5. epiſt.33. *ſub init.* ſic ſcribit. Ego manſi in munere. Miſſam facere cœpi; quâ phraſi etiamnum utimur, nam *miſſam facere*, pro *miſſam celebrare* dicimus: iſte autem *ſermon.91. de tempor.* ſic exclamat, *In lectione, quæ nobis ad miſſas legenda eſt.*

משע. Vngere. משיע. Vnctus. Meſſias, Chriſtus. משעה. Miſſa. *Mitto. Obſoletum verbum.* *Miſſa eſt miſſio: & Remiſſa remiſſio.*

Sed unde hæc vox ſuam originem trahit? Fruſtra aliqui eam volunt Hebraicè eſſe משעה & deduci à verbo משע Maſchiah, *ungere*, unde dictus eſt משיע, Maſcia, *Vnctus*, *Chriſtus*, *Meſſias*. Et volunt ex ſpeciali privilegio Altaris ſacrificium à nomine Domini denominari. Fruſtra etiam & minori fundamento alij eam eſſe Græcam aſſerunt, eamque à verbo antiquo μίσω, derivant, eſt enim purè Latina, & provenit à verbo *mitto*, ut idem ac *miſſio*, ſeu *dimiſſio* ſit: nam à *remitto* verbo noto, *remiſſa* pro *remiſſio* Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem*, Cyprianus *libr. de bon. patientiæ*. Et alij antiqui Scriptores dixerunt.

Quid debeant ex officio ſuo Sacerdotes facere?

Sed cur hoc ſacrificium *Miſſio* dicitur? ſunt qui ita illud dici exiſtiment, quia per Sacerdotem populus mittit ad Deum ſua deſideria, & hoſtiam ſalutiferam; & ideo in fine dicitur: *Ite miſſa eſt*, ſcilicèt, *obligatio ad Deum*. Hoc enim eſt Sacerdotis officium ut orationes populi ſuis adjungat, & offerat Deo. Averſa de Sacram. Ordin. quæſtion.2. ſection.9. pag. 69. a. ſic ait. [Prædicare ac rogare & mediare pro populo, eumque regere ac dirigere in rebus ſacris, ex ipsâ etiam inſtitutione convenit Sacerdoti, & conveniebat antiquis etiam Sacerdotibus.] Alij dicunt, quia in hoc ſacrificio mittitur filius Dei, ut ſit nobiſcum. Alij meliùs, quia finìto Symbolo dimittebantur Catechumeni; & finito toto ſacrificio, dimittebantur fideles, quod conſonat moribus Sacerdotum Gentilium, qui peracto ſacrificio dicebant: *Ilicet*, hoc eſt, *Ire licet*; ut refert Plutarchus & Servius 6. *Æneidos*; & videre licet Calepinum verbo *Ilicet*: ſicut etiam Græcorum ſacrificuli Græcos ſequuti, finito ſacrificio dicebant: λαοῖς ἄφεσις, id eſt, *Populis miſſio*, ut notat Beroaldus *in Apuleium*, *lib.11. de aſino aureo*. Et in eodem ſenſu Chryſoſtomus *Miſſam* vocat ἀπόλυσιν, id eſt, *ſolutionem*, quia populus ſolvebatur: Et Caſſianus *lib. 3. capit. 7.* & S. Benedictus *in Regul. capit. 17.* & alij *Miſſam* ſumunt pro fine, & terminatione alicujus rei. Quia ergo in Miſsâ bis miſſio fiebat ſcilicet Catechumenorum dicto Evangelio, & concione, & poſteà altera omnium in fine miſſæ, quæ, priore jam omiſsâ, adhuc retinetur, dum dicitur, *Ite miſſa eſt*; ideò dici ſolet, in Miſſarum ſolennia, quia in uno ſacrificio duæ Miſſæ, ſeu miſſiones fiebant; de quo videri poſſunt Covarruvias 4. *variarum* 22. Lindanus 4. *Pano* (*cap.37.* Torrenſis *3. Confeſſ. Auguſt. capit.7.* Claud. de Saintes *præfatione in Liturgiam*, *capit.4.* Quò reſpiciens Ægidius Coninckius *de Sacrament. quæſt.83. dub. 3. pag. 299. a.* rem exponit his verbis. [Eſt autem jam olim hoc ſacrificium ita dictum, quia eo peracto per Diaconum populus olim ſolebat, & adhuc ſolet his verbis dimitti, *Ite Miſſa eſt* q. d. *Licet abire peracto ſacrificio*, *Fit miſſio*, ſive *Dimittimini*; atque inde totum ſacrificium dictum eſt *Miſſa*. Et quia ante oblationem ſolebant dimitti Catechumeni, prima illa pars Officij ſolita eſt vocari *Miſſa Catechumenorum.*] Alij, ut eruditionem remotiorem oſtendant, malunt *Miſſam* vocari, quia olim cùm Infideles eſſent frequentes in noſtris Eccleſiis, ante ſacrificij initium ab aliquo Miniſtro ad hoc deputato dimittebantur: quod hodie in Oriente obſervari Archiepiſcopus Montis Libani (olim Magiſter meus) aſſeverabat. Et ille Miniſter non debet eſſe Diaconus; ſed oſtiarius, aut Exorciſta, quibus tale munus injunctum eſt. Oſtiariis enim in ipsâ Ordinatione dicitur, *Certis horis domum Dei aperiatis Fidelibus & ſemper claudatis infidelibus*, & Exorciſta ex officio *debet dicere populo, ut qui non communicat, det locum*, ut in Pontificali ipſo legitur. Hæretici cauſantur vocem,

Cathecumenorum & fidelium, dimiſſio. *Ilicet, quid ſit?* *Λαοῖς ἄφεσις. Populis miſſio.* *An miſſa ſit ἀπόλυσις?* *Quid apud S. Benedict. miſſa ſit?* *Cur in miſſæ fine dicatur. Ite miſſa eſt?* *Cur incruentum Sacrificiũ vocetur Miſſa.* *Miſſa Catechumenorũ, quæ?* *An in Oriente Ite Miſſa eſt ante initium dicatur?* *Oſtiarij, & Exorciſtæ officium.*

Vana Hæreticorum obloquutio.

& non eſſe ſatis Latinam conqueruntur: nos ridemus : de re diſſerimus, &, ſi res ipſa fuit Ciceroni ignota, quid mirum, ſi non poſſit exprimi vocabulo Ciceroniano?

Ens Missale.

MMMCDXCVII. *Quid ſit ens Miſſale?*

ESt conceptus latiſſimus & univerſaliſſimus, & omnes Miſſæ partes intrinſecas & extrinſecas omnes etiam ceremonias, & omnia omninò, quæ ad Miſſam ſpectant, percurrit.

Miſſale eſt libri nomen.

Interim hodiè hæc vox *Miſſale κατ' ἐξοχὴν* illum librum ſignificat, qui Miſſas quæ à Sacerdotibus leguntur, continet. Et, quia alibi non occurret occaſio, hîc monere volo eruditum Lectorem duos Eccleſiaſticos libros (Miſſale, & Breviarium) ſufficientes eſſe, ut Clerici, ſi bene illos legant, in doctiſſimos Viros evadant. Sunt in utroque ſelectiſſimi Veteris & Novi Teſtamenti paragraphi; & pulchriora, quæ in ſermonibus Patrum habentur, in ſolo Breviario leguntur. Libri ſunt, quos à devotione præſcindendo, debet maximi habere Eruditio; Et hanc ob rem Logicam Phyſicam & Theologiam Realem Moralemque ſcripſi, in quibus ex his tantummodò libris Concluſiones univerſas deduco; ut Clerici, qui paucos habent, ſine multorum ſcriptorum apparatu inſtituantur, & ſine labore juventur.

An Miſſale, & Breviariũ ut Clericus ſit doctus ſufficiant?

Substantia Missalis.

MMMCDXCVIII. *Quid ſit Miſſa?*

MIſſa vocatur *incruentum Sacrificium propitiatorium verè & propriè; in quo Chriſtus Dominus offertur in remiſſionem peccatorum.* Quid autem Sacrificium eſt? Coninckxius *de Sacrament. quæſt. 83. articul. 1. dub. 1. pagin. 296. a. num. 30.* hanc definitionem nos docet, *Sacrificium eſt oblatio externa, legitimâ authoritate inſtituta, quâ res aliqua ſenſibilis immutatur, per legitimum Miniſtrum, legitimo loco & ritu, Deo vero facta, in proteſtationem ſummi ipſius in res omnes dominij.* Dicit hanc oblationem debere fieri vero Deo, quia ſi alteri fiat; non ſacrificium, ſed ſacrilegium eſt. Et hoc ipſum ſacrificium conſtat materiâ & formâ.

Materia.

Materia eſt ſubſtantia illa, quæ ſub panis & vini ſpeciebus continetur: nimirùm corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eſt expreſſa Concilij Tridentini *ſeſſ. 22. capit. 1.* dicentis. *Corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Et mox. *Novum inſtituit Paſcha, ſe ipſum ab Eccleſiâ per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum.*

Forma.

Forma Miſſæ eſſentialis, & moraliter ſubſtantialis, conſiſtit in actione, quâ certo modo & ritu iſtud divinum ſacrificium conficitur.

MMMCDXCIX. *An Miſſa ſit verum ſacrificium?*

Et hîc obiter nota rem certam Ægidium Coninck diverſis argumentis, ſed non æquè certis probare Concluſio ab eo ſuadenda erat, *Miſſa eſt verum ſacrificium.* Et inter alia pagin. 397. a. num. 37. producit pulchra Sanct. Leonis verba, qui *ſermon. 7. de Paſſ.* ſic inquit. *Vt ergo umbra cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentiâ Veritatis, antiqua obſervantia novo tollitur Sacramento: hoſtia in hoſtiam tranſit: ſanguinem ſanguis excludit: & legalis feſtivitas, dum mutatur, expletur.* Pergit ulteriùs, & *num.* 38. adducit Chriſti verba Matth. 26. dicentis, *Hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effundetur,* &c. At illa verba formalia non Matth. 26. ſed Lucæ 22. 20. reperiuntur. Et *num.* 40. ait. [*Patet ex Græcis, quæ ſic habent,* τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Vbi notandum eſt,* ἐκχυνόμενον, qui effunditur, *nullo modo poſſe connecti cum* αἵματι, *id eſt*, ſanguine, *ſed cum* ποτήριον, *id eſt*, calix. *Quare expreſsè Chriſtus dicit calicem Effundi.* At Ego Dico (1) idem poſſe ex textu Latino & ex Græco formari; nam ſicut in lingua Latina utrumque nomen *Calix*, & *ſanguis* eſt maſculinum: & illud *qui effundetur*, æquè poteſt intelligi de alterutro, ſic ſimiliter in Græcâ utrumque nomen ποτήριον, & αἷμα ſunt neutr. & illud τὸ ἐκχυνόμενον, *quod effundendum*, æquè etiam poterit intelligi de alterutro. Dico (2) eſſe falſum, quod illud ἐκχυνόμενον cum αἵματι non poſſe connecti: nam τὸ ibi habet vim relativi *quod*, & æque ad utrumque refertur.

Cum agni veteris immolatione comparatur.

Et ex textu Latino, & ex Græco conſtat, tam calicem, quam ſanguinem fundi. Ergo utrumque ſacrificium (cruentum, & incruentum) illis verbis Chriſtus ſignificabat.

Articulus ſæpe apud Græcos ponitur pro Relativo.

MMMD.

Hæc dixero ſtando communi ſententiæ, quæ putat Articulum apud Græcos Præpoſitivum pro ſubjunctivo ſumi: illi enim adhæſit Latinus ipſe Interpres, nam, *qui effundetur*, & non hic *effundetur*, ſcripſit: & eadem nititur Homeri numeris, quoniam *Iliad.* 1. legimus.

> Ἣν διὰ μαντοσύνην, τὴν οἱ φοῖβος
> Ἀπόλλων
>
> *Propter ſuam ſcientiam quam illi dedit*
> *Apollo.*

Græca melius exprimimus Hiſpanicè, quã Latinè, quoniam lingua Latina articulos neceſſarios non habet.

Vbi, ut conſpicis, τὴν, *hanc* pro ἣν, *quam*, Poëta poſuit. *Interim*, ſi velimus, ut vim propriam retineat Articulus Præpoſitivus, & quia Latina caret Articulis, ad linguam Hiſpanam recurramus, non male Coninckxium diſcurriſſe videbimus. Attende.

Sicut ποτήριον & αἷμα Græcè, & calix & ſanguis Latinè, ſic etiã ejuſdem Generis Hiſpanicè ſunt taza & ſangre.

Dixit Dominus noſter Ieſus-Chriſtus Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Hiſp. *Eſta (es) la taza, el nuevo teſtamento en la ſangre mia: la derramada por voſotros.*

Non autem dixit, Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, ἐν τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ. Hiſp. *Eſta (es) la taza, el nuevo teſtamento en la ſangre mia, en la derramada por voſotros.*

Cur Chriſtus priori & non poſteriori formâ uſus fuerit?

Et in poſteriori loquendi formâ, ſi illâ voluiſſet uti Chriſtus, ſe non de calicis effuſione, ſed de ſanguinis effuſione agere expreſſiſſet: at uti voluit alterâ, in quâ, cùm æquè effuſio ad calicem & ad ſanguinem referri poſſet, oſtendebat apertè ſe illis utrumque ſacrificium verbis (incruentum, & cruentum) velle ſignificare.

NOTA

Digitized by Google

NOTA.

M M M-D I. *In Miſſâ alia ſubſtãtialia, & alia accidentaria ſunt.* *Accidentaria ſi omiſſa ſint non debent repeti.*

IN Miſsâ, ſicut in omnibus aliis rebus, poſſunt & debent diſtingui ab accidentariis ſubſtantialia. Et, ut meliùs id fiat, dabo Coninckij verba, qui *loc. citat. quæſtion.* 83. *art.* 6 *dub.* 7. *pag.* 342. *a. num.* 276. 6. *Sed hæ*, ſi inquit. [Ritus omnes illi ſunt ſolum inducti ab Eccleſiâ; & conſequenter ſunt omninò accidentales ipſi ſacrificio. Vt autem docet D. Thomas *hic ad* 5. quando aliquid accidentale omiſſum eſt in ſacrificio, nihil ideò eſt repetendum. Et confirmatur: quia ex omnibus his ceremoniis fere præcipua eſt ipſa fractio hoſtiæ cum certo ritu facta: nam aliquid putant, hanc eſſe eſſentialem ſacrificio. *An fractio ſit accidentalis.* Atqui ut docet D. Thomas *ad* 6. quando hoſtia ante fractionem cadit in calicem, non poteſt hæc fractio fieri, & tamen ideò non eſt conſecranda alia hoſtia. Ergo, ut aliæ cæremoniæ poſſint debitè fieri, non erit alia hoſtia conſecranda, &c. *An ante hoſtiæ ſumptionem neceſſariò conſecrãdus ſit calix?* Nullus eſt eſſentialis ordo inter conſumptionem unîus ſpeciei & conſecrationem alterius: nam quando Chriſtus celebràvit, Diſcipuli ſumpſerunt corpus ante conſecrationem calicis: & tamen Chriſtus perfectum ſacrificium obtulit.] *Quid fecerit D. N. Ieſus-Chriſtus.*

QVANTITAS MISSALIS.

M M M-D I I. *Quàm longa Miſſa debeat eſſe?*

ERat olim, ut conſtat ex hiſtoriis antiquis, arbitraria. Multi Epiſcopi diverſas Miſſas (longiores, breviores) inſtruxerunt. Iam hodie plerique utuntur Miſſali Romano: plerique, inquam; non enim omnes illo utuntur, nam aliqui habent libros Eccleſiaſticos proprios ut vel in hoc Sponſa Chriſti (Eccleſia) pulchrior ſit circumamicta varietate.

De Miſſæ effectu. Et hic utiliter inquiri poteſt, *An effectus hujus ſacrificij ſit ſimpliciter infinitus?* *An infinitus ſit?* Prima ſententia tenet Miſſæ efficaciam eſſe ſimpliciter infinitam: atque ita tantùm prodeſſe ſingulis, ſi offeratur pro pluribus, ac ſi offerretur pro unico. *Quid Cajetanus ſenſerit.* Paſſim hanc ſententiam adtribuunt Cajetano *quæſt.* 7. *art.* 5. & *tom.* 2 *Opuſc. tract.* 3. *quæſt.* 2. Sed hanc Opinionem Cajetanum non bene digeſſiſſe conſtat ex Coninckio, qui *quæſt* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *pag.* 323. *b. n.* 174. ſic inquit *An ſibi cõtradicat?* [Fatetur tamen (Cajetanus) ſingulorum oblationi, etiam Sacerdotis, reſpondere fructum omninò finitum, qui conſequenter multis diviſus, ſingulis datur minor, quàm ſi uni totus daretur. Cujus ratio eſt, quia fructus, qui ex hoc ſacrificio accipitur, non reſpondet dignitati ipsîus hoſtiæ, ſed devotioni offerentis. Vnde 6. *Et confirmatur*, infert hoc ſacrificium oblatum pro pluribus, qui illud non offerunt, non prodeſſe illis tantùm, quantum prodeſſet, ſi pro uno ſolò offerretur. *Oportet in Miſſâ valorem ab effectu diſtinguere.* Quâ in re, vel apertè ſibi contradicit, vel valde æquivocè loquitur, vel non reſpondet ad præſentem Quæſtionem.] Rejectâ itaque hac primâ ſententiâ, quæ ſi Cajetani non eſt, nullius eſt, admittenda eſt ſecunda, quæ *Valorem in Miſſâ S. Th. infinitum conſtituit, & Scotus finitum; ſed uterque aſſerit effectum eſſe finitum,* docet effectum hujus ſacrificij eſſe ſemper finitum. In eam tametſi ex diverſis fundamentis D. Thomas & Scotus conveniunt: hic quia *quodl.* 20. cum Gabriele *lect.* 26. *in Can.* exiſtimat Miſſam habere valorèm abſolutè finitum: ille quia tametſi *in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 5. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2. valore Miſſæ infinitum concedat, negat illam effectum ſortiri infinitum. Sed habere ſemper finitum & determinatum, & minorem in ſingulis cùm pro multis, quàm cùm pro paucis offertur. Cur Miſſa, tametſi infinitum in D. Thomæ ſententiâ habeat valorem, non habeat effectum infinitum, inferiùs *num.* 352. explicabo.

M M M-D I I I. *Miſſæ fructus dividitur in tres partes.* *Cuinam applicetur prima?*

Fructus Miſſæ, quem eſſe finitum certum eſt, aut ex inſtitutione Chriſti, aut ex prudenti diſpoſitione Eccleſiæ, in tres partes dividitur. PRIMA applicatur toti populo Chriſtiano, & præcipuis præcipuè: adeoque principaliſſime Papæ, Imperatori, Regibus, Principibus, & perſonis, quæ ſuo labore & authoritate ſerviunt Fidei Catholicæ propagationi; quod ſic intelligo, ut plus participent, qui plus ſerviunt & proſunt: & quia Pontifices & Reges regulariter loquendo plus ſerviunt Eccleſiæ, quàm privati, ſic ipſi regulariter loquendo plus participabunt, quàm illi. *An plus aliquando aliquis privatus quàm aliquis Princeps participet?* Hoc autem non tollit, quod S. Thomas, & præcipuè cùm librum contra Gentes ſcribebat, ſiquidem plus Eccleſiæ proderat, quàm aliqui Principes, ipſe in ſuæ cellæ angulo copioſiùs ex hoc Miſſarum fructu quam iidem Principes, participari. *Cuinam applicentur aliæ duæ?* SECVNDA intentioni Sacerdotis relinquitur, ut illam applicet, cui voluerit. TERTIA eſt ipsîuſmet Sacerdotis, qui Miſſam celebrat. *An ſint æquales?* An ſint hæ partes æquales, interrogari nolo, non enim habeo fundamenta unde poſſim affirmativè, aut negativè reſpondere.

An Sacerdos ſecundã & tertiam applicando duplex poſſit ſtipendiũ recipere. Primæ partis applicationem non pendere à voluntate Sacerdotis privatâ, admittunt univerſi: de tertiâ differentes audivi: interim tu dic Sacerdotem non poſſe illam ita applicare alteri, ut pro illâ ſtipendium accipiat. Sic docent Et bene Bonacina *de Sacrament. diſput.* 4. *quæſt. ult. punct.* 10. *num.* 16. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 21. *num.* 6 Diana *part.* 1. *tractat.* 14. *reſol.* 14. & 80. & *part.* 5. *tractat.* 14. *reſol.* 45. & *part.* 10. *tractat.* 12. *reſol.* 21. & ex eo Cotonius *in ſumm. verb. Miſſam applicare*, *num.* 1.

QVALITAS MISSALIS.

M M M-D I V.

QValitates multas conſiderare poſſem: ex ipſis ſolùm diſpoſitionem, potentiam & impotentiam, necnon idioma contemplabor.

Diſpoſitio ad celebrãdum. Non eſt bene diſpoſitus ad licitè celebrandum, qui non habeat conſcientiam ab omni ſcelere mortali immunem; qui non ſervarit naturale jejunium; qui (excepto Nativitatis die, in quo tres Miſſas celebrare ſolemus) prius communicaverit vel celebraverit.

Impotens eſt, validè hoc divinum conficere ſacrificium non poteſt, qui non eſt baptizatus;

Digitized by Google

aut ſi baptizatus ſit, ſi non eſt ad ſacrum ordinem Sacerdotij promotus.

Miſſa idioma. Sed quâ linguâ fiet Miſſa? Hæc circunſtantia extrinſeca eſt, & poſſet ad formam & figuram, ultimam ſpeciem qualitatis reduci: & maneret libera, ſi nullum eſſet præceptum Eccleſiæ; non enim Chriſtus Miſſam fieri iuſſit in aliquo idiomate determinato. Occidentales utimur linguâ Latinâ: Orientales diverſis: quorum ritum & præſcriptam conſuetudinem Eccleſia approbat tacitè vel expreſsè. Particulares ſequi tenentur Eccleſiæ propriæ ritum: & Romæ Græci Græcè celebrant, Armeni Armenicè, &c. Ergo id etiam fieri debebit alibi.

Relatio Miſſalis.

M M M-D V. *Miſſa habitudines.* Multi reſpectus & habitudines poſſunt in Sacrificio hoc conſiderari: non ſolùm ſi ipſam rem quam offerimus (Chriſtum Dominum) ad diverſa extrema comparemus, ſed etiam ſi ipſammet Miſſam, ad Deum, ad Angelos, ad Sanctos, ad Purgatorij Animas, ad Dæmones, & ad Mortales: quia Sacerdos, qui ſine legitimo impedimento miſſàm omittit, quantum in ſe eſt, privat Sanctiſſimam Trinitatem gloriâ, Angelos & Eccleſiam triomphantem lætitiâ, viventes auxilio, & animas in purgatorio hærentes refrigerio.

QVANDO ET QVANDIV Miſſalia.

Sed quando Miſſa eſt celebranda? Regulariter ab Aurorâ ad meridiem. Conſultò poſui illud *regulariter*, ſcio enim multis privilegia conceſſa, ut vel ante auroram, vel poſt meridiem unâ aut alterâ horâ poſſint Miſſam conficere. Cum igitur nullum ſit inſtans in quo ſol non oriatur aliquibus, & nullum, in quo non ſit ſol aliis Meridianus ſequetur nullum eſſe momentum in quo multæ & multæ Miſſæ in diverſis Mundi locis à Sacerdotibus Chriſtianis aut etiam Orthodoxis non dicantur. Et quia eſt pia curioſitas & eruditio, quæ hanc Veritatem firmat Tabellam ſequentem adjungo. M M M-D V I. *An ſemper ſit in mundo aliquus locus, in quo nunc & nūc Miſſa dicantur?*

HOROLOGIVM VNIVERSALE.

Quo reſcire licet, quota ſit nunc hora per Orbem.

Hora.		Provinciæ.	Civitates.
24	XII	Italia.	*Roma.*
1	1	Polonia.	*Camenecum.*
2	2	Syria Palæſtina.	*Alepum.*
3	3	Arabia Fœlix.	*Adenum.*
4	4	Perſia.	*Ormuſium.*
5	5	India intra Gangem.	*Goa.*
6	6	India extra Gangem.	*Bengala.*
7	7	Regnum Sinarum.	*Quiam.*
8	8	Inſulæ Philippinæ.	*Mindanao.*
9	9	Iaponia.	*Meacum.*
10	10	Nova Guinea.	*S. Thome.*
11	11	Inſulæ Salomonis.	*Portus novus.*
12	12	Regnum Tolm.	*Tiquex.*
13	I	Calefornia.	*Cinaloa.*
14	II	Nova Granata.	*Coliacan.*
15	III	Nova Hiſpania.	*Guadalaxara.*
16	IV	Mexicum.	*Tepozorlan.*
17	V	Peruuia.	*Lima.*
18	VI	Novum Regnum.	*Santa fee.*
19	VII	Paraquaria.	*La Conception.*
20	VIII	Braſilia.	*Fernanbuco.*
21	IX	Inſulæ Heſperides.	*Cabo verde.*
22	X	Inſulæ Canariæ.	*Madera.*
23	XI	Hiſpania.	*Toletum.*
24	XII.	Italia.	*Roma.*

Omnes hæ Civitates horâ unâ, hoc eſt 15. plùs minùs ſecundum longitudinē gradib. differūt inter ſe. Vide in noſtræ Matheſeos *tom.* 1. *in Hiſtiodromicâ, ar.* 19. *pag.* 627. ubi hāc Tabellam ob oculos pono & dilucido.

Vſus

Digitized by Google

Exponitur Tabella præcedens.

Vſus Tabulæ eſt facilis. Prima columna diei horas exhibet & quando Romæ eſt Meridiana, quota ſit hora in locis præcipuis totius Orbis terrarum ob oculos vniuerſorum ponit. Porro quando Romæ eſt Meridies, eſt Media nox Tiquexij in Regno Tolmio: & cum Romæ eſt ſexta veſpertina, eſt ibi ſexta matutina, aut decima-octava poſt meridiem. Provinciæ notiſſimæ Mundi in Columnâ Secundâ ponuntur: & ex ſingulis in Tertiâ columna vna Civitas. Cùm autem ab aurorâ, hoc eſt ſex ſaltem ante meridiem horis Miſſæ regulariter incipiant legi, reſcire ex hac Tabellâ ſtatim poteris, quocumque diei momento, in quibus Mundi regionibus miſſæ dicantur.

N O T A.

MMMDVII. *Quantum tempus in vnâ Miſsâ ritè dicendâ impendi debeat?*

SEd quamdiu eſſe debebit in altari Sacerdos ſi mediâ hora Miſſam legerit iuxta noſtri ævi mores, nec feſtinus, nec moroſus videbitur. Si horæ quadrante expediat Miſſam, non properare, ſed feſtinare dicetur: ſi tres quadrantes, aut integram horam inſumat, onerat Auditores notamque alicuius ſingularitatis incurret. Vidi, qui tribus horis, vidi qui quinque Miſſam privatam diceret:at ſicut experientia docuit in D. Ioanne de Alarcon, & Equite deGratiâ, quos ſũ Madriti in meâ pueritiâ veneratus, illam in Miſsâ moram ex pietate & merâ devotione procedere, in aliis res agebatur aliter. & præter Dominum N. cuius ſpiritum Reverendiſſimus D. Bernardus de Quiros noſtri Ordinis Generalis, & Sacræ Scripturæ Primarius Interpres Salmanticæ, examinauit & approbauit: & tamen fuit ab hypocrita ingenioſo deceptus, non paucos nominare poſſem, qui fingendo pietatem voluerunt ſibi ad promotiones viam ſternere; quorum tamen diſſimulatio & ſimulatio diu latere non potuit.

D. Ioannes de Alarcon, & Eques de Gratiâ Viri pientiſſimi, tres, quatuor, aut etiam quinque horas in Miſsâ legẽdâ impendebant. Vivebant Madriti ſub annum 1614.

A C T I O M I S S A L I S.

MMMDVIII. *In Miſſâ Agens principale eſt Chriſtus.*

PRimarium in hoc ſacrificio Agens eſt Chriſtus Dominus; non ſolùm ob rationem generalem, omnibus Sacramentis communem, nam illa inſtituit, & ob particularem, quia & illud ipſe celebrauit, ſed ob particulariſſimam, quia ſuo etiam nomine quotidie fit, vt ſatisfiat eius præcepto, *Hæc quotieſcumque feceritis in meam memoriam facietis.* Et quidem Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum verum & propriè dictum in Euchariſtiâ cœnâ ſacrificium Patri Æterno obtuliſſe certum eſt. & ſuadetur argumento communi, quo paſſim vtuntur Theologi. Sic inquam. [Actio, quam tunc Chriſtus exercuit, habuit omnia, quæ ad rationem veri ſacrificij ſunt neceſſaria. Fuit ergo verum ſacrificium. Probatur antecedens. Quia in ipſa fuit vera & externa oblatio rei alicuius permanentis per realem immutationem Chriſtus enim panem & vinum verè in ſuum corpus & ſanguinem convertit, atque ita ſe ipſum ibi præſentem ſub Sacramento ſtitit; idque ad honorem veri Dei, & ipſius veræ Divinitatis teſtimonium: quod etiam non verbis tantùm, ſed & nutibus ſignificauit, ſiquidem hanc oblationem facturus oculos in cœlum ad Deum elevauit, gratias egit, & Sacramentalia verba protulit. Prætereà hæc etiam oblatio à legitimo fuit facta ſacerdote, in menſâ, hoc eſt, altari. &c. Ergo nihil deeſt huic oblationi vt verum fuiſſe ſacrificium dicatur.] Vide ConincKium *de Sacram. quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 2. *pag.* 198. *a. num.* 41.

Ipſe poſt cœnam ſacrificium Deo obtulit.

Quænam ad verum ſacrificium requirantur?

An Chriſtus fuerit Miniſter legitimus?

MMMDIX. *Signa (Sacramenta, ſacrificia) licèt materialiter diſtinguantur, ſi rem eamdem ſignificent, coincident formaliter.*

Hic eſt catholicus & vniuerſalis Eccleſiæ militantis ſenſus: quam Veterum Patrum expreſſa teſtimonia confirmant. S. Cyprianus *lib.* 2. *Epiſt.* 3. *alias* 62. *ad Cæcilium* ſic ſcripſit. *Quis magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit: & obtulit hoc idem, quod Melchiſedec obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem.* Et meritò ſic Sanctus Pater loquitur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, *eſt ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec*, & illa nocte *ſic ſacrificium illud inſtituit, Cuius officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris.* Sed quomodo hæc duo ſacrificia erant idem? Quia hoc Chriſti reale ſacrificium, illud, quod Melchiſedec obtulit ſignificabat. Audiamus & S. Gregorium Nyſſenum hom. 1. de Reſurr. circa med dicentem, *Non iniquam Pilati ſententiam exſpectat* (Chriſtus) *vt eorum malitia, ſit communis hominum ſalutis principium & cauſa, ſed conſilio ſuo anteuertit, & arcano ſacrificij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, ſeipſum pro nobis hoſtiam offert, & victimam immolat ſacerdos ſimul exiſtens & agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id præſtitit? cùm corpus ſuum diſcipulis congregatis edendum, & ſanguinem bibendum præbuit: tunc apertè declaravit agni ſacrificium iam eſſe perfectum: nam victima corpus non eſt ad edendum idoneum, ſi animatum ſit. Quare cùm corpus edendum, & ſanguinem bibendum Diſcipulis exhibuit; iam arcanâ, & non adſpectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipſius myſterium* (Sacramentum) *peragentis poteſtati collibuerat.* Relego, & multa in paucis verbis doceor; multa diſco. Patet (1) hos Patres non de Symbolis, ſed de vero & propriè ſumpto agere ſacrificio. Patet (2) hunc fuiſſe Eccleſiæ Antiquæ ſenſum: nam hi Patres antiquiſſimi ſunt. Cyprianus enim ſcribebat anno 155. & Gregorius Nyſſenus anno 369. Et quia, vt ſcitè *lib.* 4. *de Baptiſm. cap.* 24. nos docet Auguſtinus, *Quod vniverſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; non niſi auctoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur.* Habuerunt igitur ipſi, & nos per ipſos ab Apoſtolis verba Conſecrationis in ſenſu reali & vero, non autem in mortali & metaphorico intelligi & exponi debere. Patet (3) aliter eſſe ſub ſpeciebus Chriſtum realiter, & aliter ex vi verborum. Et huc reſpexiſſe Gregorium, cùm dixit, *Corpus non eſt ad edendum idoneum, ſi animatũ ſit.* Quoniam tametſi verum ſit, quòd Chriſtus *reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominatur*, nihilominùs

Pſal. 109. 5.

Nyſſa, vnde Nyſſenus aliter, & aliter ſcribi ſolet: vnde B. Gregor. Coninc. p. 198. §. 41. eſt Nyſſenus, & Gordon. in Chronol. ad ann 369. eſt Nyſſenus.

An hoſtiæ vt immolentur, occidantur?

An hoc in Euchariſtiâ verificetur?

Quomodo ex vi verborum fiat immolatio?

Ad Rom. 6. 9.

arcanâ & non adſpectabili ratione corpus Domini immolatur, nam tametſi realiter & per concomitantiam vivum ſit, ex vi verborum non ponitur cum ipſo vita, non ponitur cum ipſo ſanguis.

MMMDX. *Quinam ſint, qui ſacrificium Miſſæ offerunt.*

Hoc ſacrificium offert Chriſtus, Sacerdos, qui celebrat; & Circunſtantes qui miſſam aut dici curant, aut deſiſtunt, dum agitur. ſed multa paucis comprehendi, quæ poſtulant, vt fuſiùs exponantur. Sequentes Concluſiones conſidera. Eſt enim.

Agens Principale & Primariũ.

PRIMA. *In Miſsâ primarius & principalis offerens eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Id docet expreſsè Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. dicens, *Idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit.* Aliàs enim non verificarentur illa verba, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei.* quò reſpiciens D. Anſelmus ſuper *Pſalm.* 38. ſic ait. *Ipſe offerre manifeſtatur in nobis cuius ſermo ſanctificat ſacrificium, quod offertur.* Conſonat. S. Thomas 3. *part. quaſt.* 83. *art.* 1. *ad* 3. & omnes Doctores communiter. Vnde infer, non eſſe audiendos Scotum *quodl.* 20. *in fin. a.* 2. Gabrielem *lect.* 26. *in Canon. lit G. & H.* & alios, qui exiſtimant, hac ſolâ ratione dici Chriſtum hoc ſacrificium offerre, quatenus totus eius valor & virtus ab eius meritis procedit. Hæc enim ratio eſt omnibus Sacramentis communis, præter quam eſt alia ſpecialis, nam Sacerdotes Chriſti nomine loquuntur, quando hoc ſacrificium peragunt.

An, & cur Chriſtus offerre Miſſæ ſacrificium dicatur?

MMMDXI. *Soli Sacerdotes illud peragunt.*

SECVNDA. *Soli Sacerdotes conſecrare validè poſſunt: ac per conſequens ſoli poſſunt conſecrativè offerre.* Eſt de Fide, tametſi à Novatoribus hodie negetur.

An omnes?

TERTIA. *Omnes Sacerdotes, etſi hæretici & excommunicati, ſi verâ formâ & materiâ utantur, & habeant intentionem legitimam, validè conſecrant, & conſecrando offerunt.* Ita Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. & eſt omnium Doctorum. Hinc patet allucinari Magiſtrum *in* 4. *diſt.* 13. dum ait hæreticos & excommunicatos invalidè conſecrare. Scotus autem *ibid. quaſt.* 2. concedit illos validè quidem conſecrare, ſed invalidè offerre: nam putat conſecrationem eſſe actum Ordinis, & oblationem eſſe actum Iuriſdictionis, & conſiſtere in verbis quæ poſt conſecrationem in nomine Eccleſiæ dicuntur: cùm autem excommunicati ſint ab Eccleſiæ gremio ſeparati, Eccleſiæ nomine operari non poſſunt. Scoto adhæret Gabriel *ibid. quaſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Sed contra eos ſit Concluſio.

An excommunicati validè conſecrent? An validè offerant?

De oblationibus ceremonialibus, quoad eſſentiam ſacrificij non pertinent.

QVARTA. *Nec oblatio, quæ præcedit conſecrationem; nec ea, quæ eam ſequitur; neque ipſa fractio, eſt pars eſſentialis aut integralis huius ſacrificij: ſed tota eſſentia eius conſiſtit in ſolâ conſecratione.* Ita Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 5. *concl.* 3.

De communione, & ſumptione.

QVINTA. *Sumptio huius Sacramenti, vt à laicis fit, etſi ſub duplici ſpecie illud ſumant, nullam habet ſacrificij rationem: prout ab eo, qui conſecravit, fit, ad aliquam integritatem & perfectionem ſacrificij ſpectare videtur.*

MMMDXII. *An, & cur Sacerdos, poſt cõſecrationẽ debeat ſumere?*

Communicare tenetur, qui miſſam celebrat. Sed quo id ipſum iure? Divino-ne, an merè Eccleſiaſtico? Dubitat Suarez *diſp.* 75. *ſect.* 5. At ratio convinij poſtulare videtur, vt qui invitat, edat etiam & bibat.

Solus Sacerdos ſacrificiũ peragit: at multi, & diverſimodè offerunt.

SEXTA. *Non conſecrativè, ſed miniſterialiter, adſiſtendo, ſerviendo, cooperando, hoc ſacrificium offerunt, qui procurarunt Miſſam dici, qui illam audiunt; & per participationem omnes Catholici non excommunicati.* Conſtat clariſſimè ex ipſis verbis quæ dicuntur in Miſsâ. Satis expreſſa hæc ſunt. *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus.* &c. *Orate fratres, vt meum ac veſtrum ſacrificium*, &c. *In primis, quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica*, &c. *Et omnium circunſtantium, quorum tibi fides cognita eſt & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus*, &c. Et in ultimis verbis: ſic Sanctorum Communione poſtulante, videntur includi quodammodo omnes Catholici non excommunicati.

An, & cur illud offerãt omnes Catholici?

Hi ſunt, qui offerunt: qualis autem fructus ex ſingulorum proveniat oblationibus, conſtabit ex Concluſionibus ſequentibus, quas Coninckius *de ſacr. quaſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *à pag.* 324. *b. num.* 179. ex communi doctrinâ Theologorum deſumpſit. ſit ergo.

Non ſemper effectus ſunt æquè nobiles ac cauſa.

SEPTIMA. *Dignitas & æſtimatio huius ſacrificij, tam ratione rei oblatæ, quam primarij Offerentis* (Chriſti) *habet valorem abſolutè infinitum.* Oportet hic valorem ab effectu diſtinguere; ſæpe enim contingit, pretioſiorem minorem effectum præſtare, quàm rem minùs perfectam, ſi enim duo enſes proponerentur; aureus, calybeus; aureus eſſet pretioſior, & tamen maiores à calybeo effectus ſperare poſſemus. Et quare aurum cum calybe compono, quando charitatem, virtutum nobiliſſimam, & gratiam eius comitem, poſſum cum attritione comparare. Actus Charitatis (ſeu amoris ſint, ſeu contritionis) ſemper ſunt entitativè nobiliores actibus attritionis. An-ne ideò ſemper effectum maiorem præſtabunt. ConincKius *de Sacr. quaſt.* 62. *art.* 1. *dub.* 3. *pag.* 31. *b. num.* 52. reſpondebit. [Fieri poteſt, ait, vt quis tantâ cum attritione ſuſcipiat Sacramentum ut accipiat maiorem gratiam aliquo iuſto qui cum valde remiſsâ ac imperfecta diſpoſitione id recipit.] Stat ergo non ſemper effectûs magnitudinem entitativæ perfectioni cauſæ commenſurati.

De ſacrificio quà nomine Chriſti oblato.

OCTAVA. *Hoc ſacrificium quatenus offertur in perſona Chriſti nullam habet vim de novo aliquid merendi aut operandi novam aliquam ſatisfactionem.* Ita Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 2.

Quantam impetrationẽ habeat?

NONA. *Hoc ſacrificium, quatenus offertur in perſona Chriſti, habet, quantum eſt ex ſe, infinitam vim impetrandi:* quoniam & res oblata & primarius Offerens ſunt infinitæ dignitatis: & Chriſtus etiamnum eſt in ſtatu, quo poteſt Deum pro nobis interpellare, & quæ voluerit etiam impetrare.

MMMDXIII. *De eodẽ ſacrificio quà oblato à perſonâ privatâ.*

DECIMA. *Hoc ſacrificium prout offertur à perſona privata* (*ſive ſacerdos ſit, ſive alius ſacrificio cooperans*) *ſemper habet actu vim limitatam producendi ſuum effectum.* Et hinc ſumitur actualis in hoc ſacrificio limitatio: quoniam,

Digitized by Google

quoniam, vt docet S.Thomas *quæſt.79.art.5.* in hac oblatione magis attenditur dignitas & devotio offerentis, quæ reverà finitæ ſunt, quàm dignitas rei oblatæ.

An forma, & potentia ſint tota ratio agendi?

Vt dilucidetur hæc Concluſio oportet ſupponere aliquas Aſſertiones, quæ erunt in Scholâ Thomiſtarum receptæ, aut valde ſimiles illis, quas tradidit Doctor Angelicus. Si Prima. *Forma eſt totalis operandi ratio.* Hanc bene intelligunt & propugnant Thomiſtæ: male Adverſarij exponunt, & impugnant: non enim dicimus formam eſſe totale agens, ita vt nihil operetur ſubjectum, ſed eſſe totalem operandi rationem, per quam ſubiectum operatur. Vnde intellectus in Animâ eſt totalis ratio intelligendi: quia Anima per intellectum operatur & determinatur, nam tametſi radicaliter ſit volitiva, per intellectum contracta, intelligere debet, non amare. SIT SECVNDA, *effectûs perfectio non ſubiecto aut radici, ſed rationi agendi commenſuratur.* Pono exemplum Angeli in viâ S. Thomæ diſtinguuntur ſpecie, & omnes ſunt perfectionis inæqualis. Quid, ſi duo habeant æquale lumen gloriæ? Reſpondeo lumen gloriæ eſſe totam rationem agendi in Beatitudine: & addo in caſu Angelum nobiliorem non eſſe viſurum clariùs Deum: quia viſionis perfectio, non intellectuum aut ſubſtantiarum intelligentium perfectioni, ſed lumini gloriæ (totali rationi agendi) commenſuratur. Ita S.Thomas 1.*part. q.12. art. 6.* & *3. contra Gent. cap.* 58. ait enim, *Intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit.* Conſonant Sotus *in 4.diſt. 49. quæſt. 3. art. 2.* Palatius *diſp.* 1. Ferrarienſis *3.contra Gent.cap.58.§ ſed contra.* Medina *in 2.part. quæſt.3. art. 2. ad 4.* Bañez *in 1.4 art.quæſt.12.art.6.* Zumel *diſp.1.* Valentia *punct.4.* Vaſquez *diſp.* 47. *cap.* 7. Suarius *lib.2.de attrib.cap.11.* Arrubal *diſp.22.* Gonzalez *diſp.27.ſect.2.* Faſolius *dub.3.* Et probatur in phyſicis, nam, ſi habeam duos æquales globos (alterum aureum, & æreum alterum) & in vtroque ſit calor æquè intenſus, non calefaciet paſſum perfectius, aureus, & æreus imperfectiùs. Poſui exemplum in auro, quoniam non cognoſcimus nobilius & præſtantius metallum: ſed pone (aut finge) vnum metallum infiniti valoris, an-ne hoc, ſi habeat quatuor gradus caloris, poterit infinitè calefacere? Minimè: quoniam non obſtante entitativâ ſuæ ſubſtantiæ infinitudine calefaciet finitè, nec intenſiùs, quàm quatuor: quoniam actio & effectus calori, & non ſubſtantiæ debet commenſurari. Et quidem tametſi hæc doctrina in Realibus bene decurrat, in Moralibus eſt manifeſtior. Deponere pileum eſt actus reverentiæ: Ergo-ne, quò pretioſior ſit pileus, erit actus maioris reverentiæ? ſunt hic duo chirographa à Mercatore N. ſubſcripta (Hiſp. *dos libranzas*) alterutrum importat 100. aureos. At alterius charta eſt duplò perfectior quàm charta alterius: Ergo ne ideò vi chirographi chartæ pulchriori ſcripti, plus quàm centum aurei adquirentur? Iuvat hìc convertere oculos ad mortale peccatum quod in genere mali eſt infinitum teſte D. Thoma 3.*part. quæſt* 1. *art. 2. ad 2.* & *in 3.diſt.20.quæſt.1. art.2.* quam doctrinam, etiam à S. Bonaventurâ *in 3. diſt.* 20. *art.1.quæſt.3.in rat.* 2. Richardo *in 3.diſt.20. quæſt.4.* Ioannes de Medina *in Codic.de ſatisfact.quæſt.1.* Almayno *tract.3. Moral.cap.20. in fin.* Coninckio *de Sacram.diſp.2. num.21.* & *diſp.10.dub.* 2. aſſertam, innuunt Alenſis *in 3.quæſt.* 1. *m.6. art.* 2. & alij: at maxime promovet Caietanus *in 3.part.quæſt.1.art.2.§. Ad alteram,* Medina *ibid.* Interim hoc ipſummet peccatum mortale, quod infinitum Thomiſtæ dicunt, habet multa accidentia & effecta finita. Nam, ſi in forti materiâ commiſſum ſit: actus ille voluntatis, quo perpetratum fuit, in entitate, duratione, & intenſione finitus: finitus fuit etiam proximus, cui illata iniuria; & finitum fuit damnum illatum; & ius, quod violatum fuit, erat finitum. Et, ſi fur, moriatur impœnitens, tametſi in æternum paſſurus ſit, pœnarum, quas patietur, intenſio erit finita. Hæc omnia dicta ſint vt Aſſertio Decima intelligatur, quam ad terminos ſequentes reduco. *Tota ratio applicationis eſt devotio offerentium.* Corollarium. *Ergo ſi offerentis devotio ſit vt quatuor v. g. ſive Chriſtus merita ſint infiniti valoris, quod S.Thomas aſſerit; ſive ſint finiti, vt arguitur Scotus effectus erit vt quatuor, non vt quinque.* Probatur, quia Chriſti merita etſi in ſe ipſis ſint valoris infiniti, poſſunt habere accidentia finita; &, ſi per rationem agendi finitam operentur, habebunt effectum finitum. Cùm ergo Chriſtus Dominus decreverit & determinaverit, tantæ Offerentis hoc ſacrificium devotioni tantum fructum communicare, illæsâ theſauri infinitudine, à tantitate devotionis quæ in Oblatione reperitur, Chriſti Miſericordia, quæ in ſe limitem neſcit, extrinſecùs limitabitur & determinabitur. Et ex hoc fundamento deducitur Concluſio.

An, & cur intellectus ſit, tota ratio intelligendi?

Cui commenſuretur effectus?

An intellectus nobilior per lumen gloriæ æquale, clarius intueatur Deum?

M M M D X I V. *An metallis pretioſius per calorem æqualem paſſum intenſius calefaciat?*

An pilei pretioſioris depoſitio ſit maior reverentia?

An plus valeat chirographum, ſi charta meliori inſcribatur?

An mortalis peccati malitia ſit infinitum ſimpliciter in genere mali?

An, & ſi infinita ſit, habeat paſſiones & proprietates finitas?

Cur Chriſti ſanguis in Miſſâ infiniti valoris ſit, & tamen operetur finitè?

VNDECIMA. *Hoc ſacrificium nullo prorſus modo poteſt dici ita habere infinitam efficaciam, vt vel poſſit actu aliquem effectum infinitum impetrare, aut æquè facilè fructum quantumvis magnum, quàm parvum impetrare; aut vt tantum valeat ſingulis, quando pro multis offertur, quàm vni quando offertur pro vno.* Demonſtratur: nam eius valor (finitus aut infinitus ſit) habet rationem agendi finitam: & ſicut metallum infinitè perfectum, ſi daretur, per calorem intenſum vt quatuor, paſſum non poſſet infinitè calefacere, ſed calefaceret vt quatuor, non vt quinque: ſic infinitus valor Miſſæ per Offerentis devotionem intenſam vt quatuor operaturus, non poterit effectum infinitum producere, ſed producet vt quatuor. Ergo, ſi hic dividatur inter plures & plures, minorem & minorem partem ſinguli participabunt.

M M M D X V. *Finitus eſt effectus Miſſæ. Minuitur, quando inter multos diſtribuitur.*

DVODECIMA. *Vis huius ſacrificij poteſt dici ſyncategorematicè infinita, quatenus fructus eius, qui per modum impetrationis obtinetur, ratione devotionis aut multitudinis offerentium poteſt in infinitum ſemper creſcere.* Et hic difficultatem non invenio; quia & humana devotio eſt ſyncategorematicè infinita, quia ſemper poteſt eſſe intenſior, & intenſior: & offerentium miſſam multitudo ſimiliter eſt ſyncategorematicè infinita, nam poteſt ſemper eſſe numeroſior & maior.

An huius Sacrificij virtus ſit infinita ſyncategorematicè?

Sed

Digitized by Google

Sed quam proportionem in incremento ſuo cum ſacrificij effectu obſervat offerentis devotio ? Geometricam, an Arithmeticam? ſi diſpoſitio vt 4. decem gradus fuit gratiarum & favorum ſortita, quot ſortietur diſpoſitio, quæ fuerit vt 8 ? Reſpondet Arithmeticus effectum futurum vt 16. quia ſicut 10. ſuperabant 4 per 6. ſic 16. ſuperabunt 10. per 6. Reſpondet Geometra, effectũ futurum vt 20. quia ſicut poſterior diſpoſitio eſt dupla primæ; ſic poſterior effectum debet eſſe duplus comparatus cum primo.

De proportione devotione & fructus. An Arithmetica, an verò Geometrica ſit ?

Sed quid hîc reſpondebit Theologus ? Sot. *in 4. diſt. 11. q. 2. art. 5. §. Reſpondetur* Arithmeticam ponit: alij autem cum ConincKio *q. 62. art. 1. dub. 3.* & *q. 83. art. 1. dub. 10. num.* 189. malunt obſervari Geometricam. Tu his aſſentiaris, quoniam Soti opinio in multa Mathemata impingit.

An fructus ſemper finitus ſit?

Vltima. *Fructus, qui habetur ex opere operato ex hoc Sacrificio prout communiter offertur, nullo modo poteſt eſſe infinitus.* Patet: nam *fructus* nomine effectum à ſacrificio provenientem intelligo: & hic, vt vidimus, ſemper finitus eſt.

Passio Missalis.

MMMDXVI.

Miſſa. ad Beatorum gloriam dicitur, non tamen pro illis offertur.

SEd pro quibus offerri Sacrificium poteſt? quibus prodeſſe ? ſuppono vt certum non poſſe offerri pro Cælitibus eorum enim gloria ob noſtras orationes non creſcit. Nec obſtat, quod poſt Offertorium poſtulemus, *vt hoc ſacrificium ſanctis proſit ad honorem, & nobis ad ſalutem:* nam illa oratio nos concernit, qui quo ferventiùs Deum oramus, maiori honore ſanctos omnes proſequimur. Quod, ſi impropriè loqui velimus, poterimus aſſentiri ConincKio, qui *q. 83. art. 1. dub. 9. pag.* 310. *b. num.* 158. ſic ait. *Sacrificium* (Miſſæ) *etſi non ita propriè, poteſt tamen aliquo modo dici, offerri pro Beatis*, impropriæ enim & metaphoricæ denominationes latè patent.

An pro Dæmonibus, aut condemnatis offerri poſſit ?

An Dæmonũ pœna minuantur?

Suppono etiam vt certum non poſſe offerri pro condemnatis. Nec contrà eſt Auguſtinus *in Enchirid. cap.* 110. vbi ait, *Hoc ſacrificium quibuſdam valere, vt iis plena ſit remiſſio; aliis, vt tolerabilior ſit damnatio.* Errat etiam author Gloſſæ *in cap. tempus. 13. quæſt.* 2. (cui conſonat Author libri, qui inſcribitur *Berrina*, ſic enim vocat quemdam Dœmonem, cuius pœnæ, vt hic ſomniat ſcriptor, à Numine, imminutæ ſunt) ex hoc Auguſtini loco colligens damnatorum in orco pœnas, etſi per oblationem Miſſæ tolli nequeant, minui poſſe.

An pœna, peccatis venialibus, aut ſaltem jam remiſſis debita, in inferno minuantur, & finiantur?

Errat inquam, quia ibi S. Auguſtinus agit de animabus ad pœnas Purgatorij damnatis. At maior eſſet difficultas, ſi de pœnis peccatorum jam remiſſorum ageretur: nam poſſet aliquis ſic argumentari. [Eſt probabilis ſententia, quæ docet pœnas inferni pro venialibus debitas imminui, & tandem aliquando finiri: nam peccatis venialibus non deberi in inferno pœnam æternam ſine diſtinctione tradunt Scotus *in 4. diſtinct. 21. q. 1. §. in iſta quæſt.* Mayro *ibid. quæſt.* 2. Rubius *quæſt. 2. art. 2. concl.* 1. Maior. *concl. 2. quæſt.* 1. Gabriel. *diſt. 16. quæſt. 5. art. 3. dub.* 2. Almainus *tract. 3. Moral. cap.* 23. Vega *lib. 14. in Trident. cap.* 16. Ioannes Medina *Codic. de Confeſſ. tract. 2. tit. de confit. veniat.* & inter peccata remiſſa & non remiſſa quoad culpam diſtinguendo Durandus *in 4. diſt. 21. part. 1. art. 1. quæſt.* 2. quem citat & ſequitur Amicus *tom. 3. diſp. 23. ſect. 6. pag. 253. n. 192. §. Dicò ſecundò.* Et poſita hac doctrinâ poſſet hoc formari argumentum. Iudas in inferno debet aliquas ſatiſpaſſiones pro peccatis quoad culpam remiſſis. Ergo poterit offerre Claudius ſuorum operum ſatiſpaſſionem: ergo etiam ſatiſpaſſiones Chriſti. Ergo orationes & Miſſæ in inferno exiſtentibus prodeſſe poſſunt.] Sed lego D. Thomam *in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 2. ad 3.* & *de malo quæſt. 7. art.* 10. & diſco in inferno damnatos eſſe incapaces omnis, gratiæ. At quando Deus admittit orationes fidelium, pro Purgatorij animabus oblatas, illis ſpecialem fauorem facit; non enim illas admittere ex iuſtitiâ tenetur. Ergo, nunquam oblatas pro animabus inferni admittet. Ergo nemini eſt licitum pro his, qui inferno cruciantur, ſatiſpaſſiones offerre.

MMMDXVII.

An pro relaxatione harum pœnarum, Animæ in inferno exiſtentes, à viventibus per ſuffragiorum oblationem iuuari poſſint?

An ſint omnis gratiæ incapaces?

MMMDXVIII.

An pro excommunicatis offerre Miſſa ſacrificium poſſimus?

His præmiſſis videamus quinam illi ſint, quibus fructus tanti ſacrificij applicatur. Sequentes Concluſiones conſidera. Sit ergo.

Prima. *Validè, ſed illicitè ſacerdos miſſam directè & vt perſona publica (hoc eſt, nomine Chriſti & Eccleſiæ) offeret pro excommunicatis.* Validè, quia hæc eſt poteſtas Ordinis, & non dependet à iuriſdictione Apoſtolicâ. Illicitè, quia eſt ſtrictè prohibitum *cap. à nobis de ſentent. excomm.* Cæterùm vt perſona privata, puta in *Memento* orare etiam directè poterit pro excommunicatis: & vt perſona publica orat pro iiſdem indirectè quando pro extirpatione hæreſum & Fidei Catholicæ propagatione Divinum fauorem implorat.

An pro non baptizatis?

Secunda. *Validè & licitè offertur pro infidelibus non baptizatis.* Suadetur: quia Apoſtolus 1. *Timoth.* 2. iubet fieri orationes pro Regibus, qui tamen tunc erant infideles. Vnde ait Tertullianus ad Scapulam, *Sacrificamus pro Imperatore.* Ita Suarez *diſp. 78. ſect.* 1. nec enim Eccleſia huiuſmodi rationes prohibuit.

An ipſi fructûs Sacramentalis capaces ſint?

Interim eſt difficile explicare modum quo Ethnicis fructus Miſſæ applicatur: & ideo adhæreo ConincKio *in q. 83. art. 1. dub. 9. pag. 321. a num.* 160. dicenti. [Nota hoc ſacrificium non prodeſſe iis (non baptizatis) ex opere operato.

Debet Chriſtus, qui offertur ab Orationibus, quibus offertur diſtinguit.

Cùm enim ſit ſacrificium Eccleſiæ, hoc modo ſolùm prodeſſe poteſt iis, qui per baptiſmum facti ſunt membra Eccleſiæ. His enim ſolis, ſiue per ſacrificium, ſiue per reliqua Sacramenta ſingulari illo modo Chriſti merita applicari poſſunt. Ita D. Thomas *3. part. q. 79. art.* 7.] Et hoc confirmat Auguſtinus *lib. 1. de orig. anim. cap.* 8. dicens, *Quis offerat ſacrificium corporis Chriſti, niſi pro his, qui ſunt membra Chriſti.* Ergo in Miſsâ hoſtiam, quæ offertur, ab orationibus quibus offertur diſtinguamus. Illa opus operatum & Eucharistiæ Sacramentum concernit, cuius fructus ſine baptiſmo eſſe non poteſt: hæc ſunt actiones noſtræ, quæ impetratoriæ ſunt, & poſſunt pro infidelibus quibuſcumque offerri.

MMMDXIX.

An, & quomodo opus operatum &

Tertia. *Fructus huius ſacrificij ita eſt ex opere operato, vt etiam ſit ex opere operantis.* Sotus in *4. diſp. 13. quæſt. 2. art. 1. §. Iſti ergo.* quem

operantis in hujus ſacrificij fructu reperiatur?

quem Coninckius *loc. cit. pag. 321. §. Pater.* minùs propriè fuiſſe loquutum aſſerit. Et hanc Concluſionem ita intellige, quod ex opere operantis iſte fructus, à Miſſæ ſacrificio proveniens, habet quod maior non ſit. Quod ita expono.

Nuper, quia ſanguinem D. N. Ieſu Chriſti per modum Agentis conſiderabā, ei rationē operandi (nēpe, Devotionē noſtram) recenſui, per quam cauſæ infinitæ actiuitas limitaretur, Modò, quia eundem ſanguinem, vt Paſſum ab hominib. hauriendum cōcipio, placet paulò aliter philoſophari.

Proſtat immenſus Oceanus, in quo aquarum loco pretioſi liquores inundant. Vt hauriant inde quantum velint, Princeps, illius Oceani Dominus, univerſis concedit. Superveniunt diverſi; & omnes vaſa important diverſæ magnitudinis & capacitatis. Ecce hauriūt,& hauriunt inæqualiter Et unde hæc ipſa inæqualitas provenit? Ab Oceano? minimè. Immenſus eſt: patens eſt: obvius eſt. A Principe? neque ab hoc. Eſt infinitè liberalis, & tantùm non prodigâ munificentiâ ſuum theſaurum: (ſuum Oceanum divitem & pretioſum) exponit. Sed unde tandem ſumitur hæc differentia? A vaſorum inæqualitate, non enim tantum haurire poterit ſuo ſcypho Anſelmus, quàm Titius cantaro, quàm Gelſus dolio. Ergo magnam doctrinam in hoc exemplo reperimus. Oceanus ille, in quo pretioſiſſimi liquores inundant, eſt ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratiis, favoribus & beneficiis exuberans Infinitus eſt, immenſus eſt: tantus, ut nec eum hauriendo exhaurias, aut imminuas. Princeps huius theſauri Dominus eſt, Ieſus-Chriſtus; ille nimirùm Divinus Pelicanus, qui ſuo perfundens pullos ſanguine, vivificat, vitæ reſtitutos nutrit. Nos ſumus, quibus tantus aperitur theſaurus. Nos ſumus quibus dicitur, Haurite. Sed, cur nemo ex nobis gratiam infinitam ſortitur? cur inæquales ſinguli? An-ne ab ipſomet theſauro provenit limitatio? minimè. Immenſus eſt, & æquo jure univerſis apertus. An hæc inæqualitatis differentia ſumitur à Chriſto? minimè. Pro omnibus ipſe ſuum ſanguinem ex charitate infinitâ profudit. Vnde ergo? Exponam. Omnes huius ſacrificij effectus ſunt finiti, & inter ſe inæquales; quia vaſa, quibus hujus pretioſiſſimi ſanguinis fructus haurimus, devotio eſt. Hæc in nullo infinita: adeò in nullo percipiendi favorem infinitum eſt capax. Hæc diverſa & inæqualis eſt in ſingulis, & ideò diverſimodè & inæqualiter gratias conſequitur. Ergo, ut omnia paucis verbis comprehendam; ſanguis Domini noſtri Ieſu-Chriſti, qui in Miſſæ ſacrificio Patri offertur, trifariam poteſt conſiderari: ſecundum ſe, & ut eſt ab hominibus participabilis: &, ut eſt ab hominibus participatus. Primo modo habet valorem infinitum ſimpliciter; eſt enim æſtimationis infinitæ ſumptâ denominatione ab Hypoſtaſi. Secundo modo, habet valorem infinitum potentiâ (*ſyncategorematicum* dicunt Philoſophi quod deberent *indefinitum* appellare) nam hominibus pluribus & pluribus ſine termino prodeſſe poterit: & à ſingulis copioſiùs & copioſiùs ſine termino participari. Tertio modo habet valorem abſolutè finitum; nam determinato continentur numero, qui illo fruuntur: & ſinguli illum recipiunt in numero pondere & menſurâ à propriæ devotionis magnitudine determinatis. [a]

a] Sed vnde hæc ipſa devotionis inæqualitas provenit? A Dei miſericordiâ, qui eam diſtribuit prout vult Bernar. ſuper Cant. *Non omnib. eodem modo data eſt gratia, iſta ſcilicet devotio. Porrò Thomas in latere, Ioannes in pectore, ſinu Patris, Paulus in tertio cœlo, ſecreti huius gratiam ſunt adſequuti. Prior mulier ſtravit in talo loco humilitatis, poſterior in ſolio ſpei, Thomas in fundamento fidei, Ioannes in lecto charitatis; Paulus in intimo ſapientiæ, Petrus in luce veritatis. Sic apud ſponſum manſiones multæ ſunt,* &c.

M M M D X X. *An alius ſit*

Et hic obiter nota ſummâ pleróſque Theologos inconſequentiâ de Miſſis, quæ ex gratiâ, & de illis, quæ recepto ſtipendio leguntur, agere: illas enim volunt habere infinitum effectum, has autem ita contrahunt & limitant, ut valde limitatum habeant. Audi Cotonium, qui *in ſumm. verb. Miſſa, n.* 8. ſic ait. [Sacerdos, qui liberaliter alicui promittit unum ſacrum animo ſe obligandi, ſi promiſſum non impleat, non peccat mortaliter. Ita Leander *de ſacram. tom. 2. tr.* 8. *diſp.* 4. *q.* 16. qui etiam *q.* 14. docet me citato pluribus petentibus ſine ſtipendio poſſe unâ Miſſâ ſatisfieri, quod tenet etiam Martinus de S. Ioſeph, Eſcobar, Lezana, Dicaſtillo; quia cùm Miſſæ ſacrificium ſit infiniti valoris, æqualiterque proſit omnibus ſecundum cujuſlibet devotionem, nec unus ex participatione alterius in re minimâ lædatur, hinc eſt, quod qui dedit ſtipendium, ut pro illo offeretur, non debet eſſe rationabiliter invitus, ut alij idem ſacrificium ex charitate applicetur.] Et citat Dianam *part.* 10. *tr.* 15. *reſ.* 43. Ecce idem ſacrificium oblatum pro uno, poteſt pro aliis offerri ſine detrimento prioris: videlicet, ſi gratis fiat. Et, cur non etiam, ſi eleemoſyna habeatur? Idem Cotonius *loc. cit. n.* 4. interrogat, An quando non datur ſtipendium ſecundum juſtam taxam poſſit Sacerdos à pluribus illud recipere, & ſingulis partem fructûs applicare? Et reſpondet [Sacerdos recipiens exiguum ſtipendium ab aliquo pro Miſsâ dicendâ non tenetur totum fructum ei applicare ſecundum ſententiam Tamburini *Opuſc. de ſacrif. Miſſ. lib.* 3. *cap.* 1. §. 3. *n.* 53. quia non eſt credibile (ipſe aſſerit) voluiſſe Congregationem fraudare Sacerdotes juſto ſtipendio, *&c.* Sed ego non recedo à ſententiâ contrariâ, quam docui, & ſequitur Lugo, Trullench, Baſſæus & P. Franciſcus de Lugo. In aliquibus caſibus puto admitti poſſe opinionem Tamburini, *&c.* (proponit duos (Et in ſimilibus caſibus nulla fit injuria dantibus ſtipendia, ſi Sacerdos pro ſingulis Miſſis taxatam ſtipem recipiat. Ita Coninch *q.* 83. *n.* 194. & Dian. *part.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 71.] & cur non dicit etiam hîc, [quia cùm Miſſæ ſacrificium ſit infiniti valoris, æqualiterque proſit omnibus ſecundum cujuſlibet devotionem, nec unus ex participatione alterius in re minimâ lædatur, hinc eſt, quod qui dedit ſtipendium, vt pro illo (ſe) offeretur, non debet eſſe irrationabiliter invitus, vt alij idem ſacrificium (ob datam eleemoſynam, quæ actus eſt Charitatis) participent?] Ecce inconſequentiam manifeſtam. Et tu dic Miſſæ hîc valorem cum Miſſæ fructu à Cotonio confundi: ille infinitus, iſte finitus, & per diviſionem minuitur, ſine gratis, ſive propter ſtipendium Miſſa legatur. Hoc quidem certum eſt, & poſteà admittitur ab ipſo Cotonio *Miſſam applicare. n.* 1. dicente. [Miſſam applicare eſt Miſſæ fructum conferre: fructus autem ſeu valor (interiice, fructus) ſacrificij duplex eſt: alius ex re oblata (nota bene, valorem rei oblatę à valore ex re oblata ſecernit) & dicitur *ex opere operato*, alius ex actu offerentis, & dicitur *ex opere operantis.* Vterque eſt finitus: quia quamvis res oblata ſit infinita, cùm tamen offerens ſit finitus, & actus ejus (devotio) finitus, valor (inde proveniens hoc eſt fructus) etiam limitatus eſt.] Cæterùm inter eum, qui Miſſam ex Charitate, & eum qui ſtipe recepta Miſſam dicit, ex alio poſſet capite differentia deſumi: nam, qui merè promiſit, te-

Miſſarū valor, ſi gratis & alius, ſi propter ſtipem dicatur?

An Miſſa ſit infiniti valoris? An æquè proſit ſingulis pro paucis aut multis oblata?

An vnicâ quis poſſit Miſſâ multis, ſi parva ſtipendia dederint ſatisfacere?

M M M D X X I. *Alius eſt Miſſæ valor & alius Miſſæ effectus. Ille infinitus, iſte finitus eſt.*

Operis operati, & operis operantis diſtinctio.

netur ex Veracitate, qui autem recepit eleemoſynam, ex Iuſtitiâ obligatur. Ergo tametſi in uno & altero caſu ſacrificij fructus eodem modo inter plures dividatur, quia in altero caſu violatur Iuſtitia, & in altero humana Fidelitas eſſe poteſt, quod ibi ſit mortale peccatum, ſi eleemoſyna data tanta ſit, ut ad mortale ſufficiat, & hîc ſit ſolùm veniale: quia ibi furtum, & hîc mendacium, & non injuſtitia committitur. Et, quia hæc doctrina magnas in aliis materiis parturit conſequentias, ut percipias unde ſtandi promiſſis obligatio naſcitur, recognoſco Leandrum, quem Cotonius citavit. *Parte ipſe ſecunda, tractat.* 8. *diſput.*4. *quæſtion.* 16. *pagin.* 175. *b.* interrogat, An Sacerdos, qui liberaliter alteri (videlicet, quia non ſit pro illo recepturus ſtipem) unum ſacrum promiſit, animo nimirùm ſe obligandi, peccet mortaliter non implendo promiſſum? Citat pro affirmativâ P. Navarram, Navarrum, Bonacinam, Mart. de Ledeſma, Corduvam, & Thomam Hurtadum, qui videntur Promiſſiones acceptatas ad Iuſtitiam reducere: aitque [Sed probabiliùs reſpondeo in nullo ex propoſitis caſibus peccare mortaliter, ſed ad ſummum venialiter ratione fractionis datæ fidei.] Et Sanchezij *lib.* 1. *de matrim. diſput.* 5. *num.* 25. Dianæ 2. *part. tractat.* 17. *reſol.* 9. *in fin.* & 10. *part. tractat.* 15. *reſol.* 43. necnon Malderi, Rodriguez, Fagundez, & Philiberti teſtimonio confirmat.

An Sacerdos, qui unã Miſſam ſe lecturum promiſit, ex Iuſtitiâ, an verò ex Veracitate obligetur?

Effectus Missalis.

M M M-D. XXII.
Effectus proximus.

DVplex eſt; proximus & remotus. Proximus & primarius eſt incruenta cruenti Chriſti in cruce peracti ſacrificij repræſentatio: pro redemptionis beneficio, quod in arâ crucis peractum eſt, gratiarum actio: necnon divinæ omnipotentiæ & miſericordiæ proteſtatio.

Remotus.

Effectus remotus & ſecundarius complectitur per ſe remiſſionem peccatorum venialium, & per accidens mortalium), relaxationem pœnarum ob culpas remiſſas debitarum.

Addi & tertius effectus debet: nam & Sacerdos celebrando, cùm ſibi, tum aliis pro quibus Sacrificium offert, impetrat auxilia & beneficia tam corporis, quàm animi; tam naturalia quàm ſupernaturalia.

Per Miſſam multa à Deo gratiæ & favores impetrantur.

Ex his tribus effectibus priores duo à certâ lege Dei, & opere operato: tertius magnâ ex parte ab opere operantis dependet, non tamen nudè ſumpto, ſed elevato concomitantiâ quâdam ſanguinis Chriſti, & Dei ſingulari clementiâ: citra tamen ullam Dei, etiam ſenſûs compoſiti obligationem.

Sacerdotis Orationes in Miſſâ rei oblatæ æſtimatione elevantur.

Vbi Missale.

M M M-D. XXIII.
An Miſſæ poſſint in ædibus privatis celebrari?
An in navibus etiã?

LOcus, in quo regulariter celebrandæ ſunt Miſſæ, eſt Eccleſia: non enim citra neceſſitatem aliquam concedi debet, ſoletve, ut Miſſæ in domibus privatis legantur. Veteres vix permittebant, ut Miſſæ dicerentur in navibus, propter calicis fundendi periculum: at hodie, quia ſæpè navigationes diuturnæ graviſſima inconvenientia important, ni Miſſæ frequenter legantur, concedi ſolet, ut Sacerdotes poſſint in Navi celebrare.

Situs Missalis.

Sedere-ne, an ſtare debeat, qui Miſſā celebrat? An, & quando genuflectere, qui illam audit?

SAcerdos in Miſſâ privatâ ſemper ſtat: cæteri genuflectunt, excepto utroque Evangelio, totâ Miſſâ. In ſolenni, ut locus detur Muſicis Sacerdos & Miniſtri interdum ſedent, ut Ceremoniale præſcribit. Singulæ ceremoniæ ſunt myſteriis plenæ: & libris integris & pulchris etiam iconibus à variis Authoribus repræſentatæ.

Habere Missale.

M M M-D. XXIV.
Ornamenta. Qualia eſſe debeant?

SAcerdos habere competentia ornamenta ſemper debet: etiam Diaconus, & Subdiaconus, ſi ei adſiſtant: cæteri Miniſtri etiam ornamenta officio congruentia habere ſolent. Olim majori devotione, ſed minori apparatu Veteres celebrabant; at hodie refrigeſcente Charitate, ne omnia dicamur operari remiſſiùs, in cultûs Divini pompa Antiquos univerſos excedimus.

An maiori hodie, quàm olim pompâ, Officia Divina peragantur?

DISPVTATIO III.

Ediſſerens aliquas Difficultates, quæ in Euchariſtiæ Sacramento, & in Miſſæ celebratione reperiuntur.

M M M-D. XXV.
De Ordine Sacramentorum.

DIgnitate eſt ſummum & primum: at ordine exequutionis Baptiſmum ſequitur: imò & Pœnitentiam regulariter; qui enim reus eſt culpæ mortalis, non poteſt Venerabile Sacramentum recipere, quin priùs ad Pœnitĕtiæ Sacramentum acceſſerit. Sed quid de Confirmatione dicemus. An permittendus Euchariſtiam ſuſcipere, qui non ſit confirmatus? Reſpondeo Confirmationem non eſſe Sacramentum neceſſarium: & ideò à nullo alio ex neceſſitate prærequiri: & produco Comnexium *de Sacramen. quæſtion.* 72. *articul.* 8. *dub. unic. pagin.* 144. *b.* dicentem. [Omiſſio Confirmationis abſque contemptu per ſe loquendo, nunquam eſt peccatum mortale. Ita D. Thomas, *&c.* Dixi per ſe loquendo quia ex accidenti poteſt eſſe peccatum mortale, *&c.* Addunt aliqui eſſe peccatum mortale ſuſcipere Ordines ante Confirmationem;

An ſit neceſſaria Cõfirmatio?

An ſine peccato omitti poſſit.

An, ut illã ſuſcipiant, debeant adulti

confeſſionem præmittere? An alia debeat Sacramenta præcederel

nem ; ſed melius hoc negat Navarrus, &c. Vnde patet multò minùs peccare, qui alia Sacramenta ante Confirmationem ſuſcipit. Imò Baptiſmus neceſſariò præmittendus eſt & omninò convenit adultos Confeſſionem præmittere:& quando differtur Confirmatio, ſive ex cauſâ, ſive ſine cauſâ nullo modo ideò differenda eſt Communio, &c.]

ARTICVLVS I.

De Euchariſtiæ Materiâ.

Quid nomine Panis & Vini *intelligendum ſit?*

MMMDXXVI.

Panis eſſe debet triticeus.

TRITICEVS intelligi debet, non alius: ut enim ſit triticeus ita eſt neceſſarium, ut ſi quis in alio pane conſecrare attentaret, non ſolum lethale ſacrilegium committeret, verùm etiam irrita eſſet omninò conſecratio. Quod quidem tametſi ante Florentinum Concilium in utramque partem fuerit diſputatum, jam hodie omnes ſumus edocti, nec habemus cur in materiâ tam conſpicuâ ambigamus. *Tritici* autem ſignificatio, cùm apud Authores variet, id quod cauſa variarum opinionum exiſtit, hîc pro quâlibet eius ſpecie, ſi plures ſint, omnique frumento quod tritici naturam & nomen aſſequitur, accipimus. Vinum autem ex vite ſit Sacramenti valor omninò requirit.

Quid ſit triticum?

Vinum eſſe debet de vite.

Panis aut azimus, aut fermentatus eſſe poteſt.

Hic verò panis ſive azymus, ſive fermentatus ſit ad rationem Sacramenti, veramque conſecrationem nil attinet, ut planè docet Florent. Concil. in literis ſanctæ unionis, definiens corpus Chriſti in pane triticeo azymo ſive fermentato veraciter confici: conveniens tamen eſt, ut quiſque Sacerdos ritum Eccleſiæ ſuæ obſervet in huius Sacramenti celebratione, ut ibidem præcipitur, verùm accommodatior eſt conſuetudo Latinæ Eccleſiæ, tum ob Chriſti inſtitutionem, quem in azymis conſecraſſe certum eſt, tum ob varias azymi ſignificationes & figuras.

Græci, & Latini Sacerdotes ſuæ Eccleſiæ ritum obſervare tenentur.

Vter ritus ſit melior?

MMMDXXVII.

Veritas in mediis ſententiis frequentiùs, quàm in extremis invenitur.

Veritatem eſſe virtutem vel ex eo collige quod in medio conſiſtat, videmus enim illos, qui à recto tramite deviarunt, ſemper declinâſſe in extrema; inter quæ tanquam inter procelloſos fluctus, tranquillo mari media incedit Eccleſia, incidant neceſſe eſt, Quidam olim & hodie reperiuntur hæretici, qui purum omninò vinum ſine ulla aquæ mixtione offerendum in calice cenſent, quos rectè rejicit Eccleſia; quidam è contrario, eodem tamen ſpiritu, puram aquam vino ſubſtitui voluerunt, quos D. Aug. *lib. de hæres, cap.* 44. impugnat: quidam verò lac vini loco aſſumi contenderunt, quia hoc Sacramentum per modum convivij Legiſlator inſtituit. Ergo ſe voluit regionibus omnibus attemperare. Ergo voluit, ut in regionibus, in quibus eſſet vini penuria, & convivia in lacte acido, aut alio liquore ab indigenis celebrarentur, etiam ad Sacramentale convivium ille liquor ſufficeret. Et, ſi hæc ratio valeret, Sacerdotibus, in Hyperboreis mundi tractibus cereviſiam, mulſum, hydromel, &c. conſecrare liceret. Cæterùm hanc opinionem Iulius I. Pont. epiſtolâ ad Epiſcopos Ægyptios, hæreſeos meritò damnavit. Inter errores media, ut dixi, Orthodoxa verſatur ſententia: Vinum nimirùm aquâ mixtum offerri debere pronuncians.

Vinum è vite debet eſſe & aquâ mixtum.

An aqua conſecrari poſſit?

An lac poſſit loco vini ſubſtitui?

ARTICVLVS II.

De Euchariſtiæ Formâ.

Quæ in Conſecratione verba, & qualiter debeant proferri?

MMMDXXVIII.

Qua linguâ celebrare liceat?

MVLTA poſſent in præſentiarùm in controverſiam duci, ſed præcipua tantùm examinabimus. Et

PRIMO, Quæritur, An liceat in linguâ patriâ aut aliâ quacumque celebrare? An Martinus Lutherus, aut alius quicumque Sacerdos noſter, qui ritu ſaxonico miſſam linguâ Germanicâ celebrat, verè & licitè conſecret? an verò irritum aut nullum Sacramentum faciat?

Vt validè conficiatur Sacramentū in quâcumque linguâ: ut licitè in eâ, quam Eccleſia præſcribit.

Et reſpondeo, conſecrationem, quâcumque linguâ fiat, eſſe validam: eſſe tamen mortaliter peccaminoſam, ſi aliter fiat, quàm permittit Eccleſia. Vnde in miſſâ Saxonicâ, quoties à Sacerdote noſtro celebratur, verum Sacramentum confici poteſt; ſed committitur grave peccatum.

MMMDXXIX.

Varia intentiones.

Conſultò dixi *confici poteſt*, non verò *conficitur*, quia Sacerdos noſter apoſtata, *cùm verus* Preſbyter ſit, conficiet Sacramentum, ſi veram intentionem habeat; non

Digitized by Google

Qualem intentionem habeant noſtri Sacerdotes Apoſtatæ, cùm miſſam ſaxonicam celebrant?

An quis ſimul habere poſſit intentiones contrarias?

verò ſi eſſentialiter malam. Intentio illius poteſt conſiſtere in iſtis mentalibus verbis I. *Ego volo conficere Sacramentum quale Chriſtus inſtituit.* I I. *Non volo conficere quale dicunt Romani, ſed quale Chriſtus iuſſit.* I I I. *Non volo conficere quale dicunt Romani, ſed quale docent Lutherani.* Si habeat primam intentionem Sacramentum conficiet; & non conficiet, ſi tertiam; in ſecundâ contradictiones reperiuntur, adeóque cùm impoſſibile ſit Sacramentum ſimul confici & non confici, dicendum eſt ſecundam non eſſe intentionem legitimam, nec talem vi cuius confici Sacramentum poſſit.

Prædicantes non ſunt Sacerdotes.

Hæc de noſtris transfugis notata ſunto: nam eorum Prædicantes, cùm non ſint veri Sacerdotes, etſi haberent intentionem legitimam, hoc Sacramentum non conficerent.

S e c v n d o. Quæritur, *An Romanus poſſit miſſam Græcam, & Græcus miſſam Latinam celebrare?* Et eadem Quæſtio de Miſsâ Chaldeâ, Armenicâ, & aliis ſimilibus moveri poteſt.

M M M-D X X X.

De Miſſâ Græcâ.

De mutatione officij.

Reſpondeo hanc Quæſtionem videri ſimillimam illi, quæ inquirit, *An poſſit Benedictinus Religioſus legere Breviarium Romanum, aut Monaſticum Presbyter ſæcularis?* Vnde ſoli Rationi ſtando exiſtimarem licere cuicumque Græco ſe accommodare Romanæ Eccleſiæ ritibus, & poſſe quandocumque voluerit miſſam Latinam celebrare. Negarem tamen poſſe Sacerdotem Latinum legere miſſam Græcam ſine ullo peccato, non tamen dicerem eum ex naturâ rei peccare mortaliter? & cur eſſet dicendus mortaliter peccare vellem à meliore doceri. At hodie, quia Romæ, nec permittuntur Græci miſſas Latinas legere nec Latini Græcas, eſſe ſpecialem interdictionem neceſſariò dicendum, & eam, quia materia eſt notabilis, obligare ad mortale.

M M M-D X X X I.

De his qui proferunt malè.

T e r t i o. Cùm multi ſint qui male proferant, inquiritur, An validè & licitè conſecraret qui diceret, *Hocque es enim corpus meion*; & *Hicque es enim calis ſanguinis meij*? Et hanc quæſtionem excito ob Germanos, qui aſſueti duriſſimæ ſui idiomatis pronunciationi, cùm audiunt Hiſpanos vel Italos dulciùs proferentes, exiſtimant hoc illos modo pronunciare.

Difficulter profertur C finale.

Reſpondeo C finale eſſe duræ pronunciationis, & à multis proferri non poſſe; novi ingenioſum iuvenem, qui dicebat *Hiche*, aut *Hicque*, non *Hic*: & formæ valor à linguæ imperfectione naturali non pendet, reliqua tangunt diverſos modos pronuntiandi eãdem linguam Latinam, qui à diverſis approbantur nationibus ſalvâ integritate ſubſtantiæ quam ob rem concludo illum bene proferre, qui ita ſingulas ſyllabas effert, ut ſua gens, aut ſaltem alia quæcunque ſolet.

Nemo poteſt dici male proferre voces Latinas, ſi ita literas proferas ut in maternâ linguâ ſoles.

Q v a r t o Poſtulas, an eadem conſecrationis verba debeant dici perſonaliter, an recitativè?

Sacerdos in altari repræſentat Chriſtum. Ergo illa verba Chriſtũ dixiſſe narrat: & ſimul illa Chriſti nomine profert.

Subſcribo Ioanni Hylin & Gregorio de Valentia S. Thom. Doctoribus dicentibus [Quando Sacerdos conſecrans profert dicta verba, ſumit illa & recitativè ac materialiter, ut dicta à Chriſto, quaſi referendo quod ſint dicta à Chriſto; & ſimul quoque ſignificativè & perſonaliter, quippe quæ Chriſtus iuſſit ut ita dicerentur à Sacerdote in perſonâ ipsîus, & hinc (nota hoc bene) habent vim convertendi panem præſentem, quem habet Sacerdos in manibus, in corpus Chriſti, cuius perſonam repræſentat.]

Vnde verba vim habeãt.

M M M-D X X X I I.

De ignorantiâ & intentione exorbitante.

Q v i n t o. Proponis caſum cujus ſolutionem inquiris. In Civitate enim Ceſtrenſi erat Parochus infimæ eruditionis, qui quando conſecrabat particulas diſtribuendas fidelibus dicebat de Hoſtiâ magnâ, Hoc eſt corpus meum, & de parvis, Et iſta ſunt corpora Apoſtolorum. Et dubitas, An hoſtiam ullam conſecrarit.

Summa eſt ignorantia Parochorũ, & præſtuâ in pagis, in quibus ruſtici pauperes ſunt nec habent unde tolerent Parochum eruditum.

Reſpondeo non eſſe ridendum, ſed lugendum cùm ſimilia vel audimus vel legimus, dantur enim ignorantiſſimi Parochi, & noſco aliquos, quorum Epiſcopum non aliter abſolverem quàm ſi illos deponeret; quos non aliter, quàm, ſi cederent, nec animas haberent regendas. Sed hoc alij examinent, ad rem venio. Dico iſta verba, *H c eſt corpus meum, & iſta corpora Apoſtolorum*, vel ſumi per modum unîus formæ, ita ut intentio proferentis non ſit conſecrare majorem hoſtiam per priorem periodum, & minores per poſteriorem; ſed conſecrare omnes per totam iſtam formam, adeoque in prolatione ultimæ ſyllabæ: vel ſumi per modum duarum formarum, ita ut prior maiorem & ſolam hoſtiam reſpiciat, & minores poſterior. Si primum, nec maior nec minores hoſtiæ conſecratæ ſunt. Si ſecundum (& hoc fortè Sacerdos intendebat (maior maneret conſecrata, nulla tamen ex aliis minoribus.

N. B. Mulæ ſunt cauſæ, ob quas Parochi imperiti ſubrepunt: ſæpe enim beneficia patrimonialia dicuntur, nec volunt ruſtici ut Parochia ſuo negata cognato conferatur peregrino, & ignoto: & ſæpe tantâ pẽſione gravantur beneficia, ut à nullo viro docto aut prudẽte admittantur.

A R T I C V L V S III.

An qui omitteret particulam Eſt, *conficeret Sacramentum?*

M M M-D X X X-I I I.

Exponitur quæſtio.

O M i t t e r e t qui panem conſecraret his verbis, *Hoc corpus meum*: vinum iſtis, *Hic calix ſanguinis mei*: & quæritur, *An hæc mutatio tanta ſit, ut dirimat valorem & veritatem Sacramenti?*

P. Franciſcus Amicus *Curſûs ſui Theologici tom. I X. diſp. V I I I. ſect. IX. num.* 77. putat

omiſsâ

omiſsâ particulâ *eſt* Græcos validè conſecrare: & Latinos invalidè: quod dilucidat & probat his verbis. [Infertur, Cur Græci validè conſecrent corpus & ſanguinem Chriſti Domini omiſſo in formâ conſecrationis verbo *eſt*: quia hoc, etiam ſi omittatur, ex communi vſu & conſuetudine apud eos ſubintelligitur, cùm non niſi elegantiæ causâ omittatur; apud Latinos verò, quia talis vſus & conſuetudo non eſt conſecratio, non valeret eo omiſſo. Dixi *communiter*; quia non ſat eſt vt quis illud privatâ authoritate omiſſum ſubintelligat, eò quod Chriſtus non inſtituit formas Sacramentorum per verba privata ſed publicâ authoritate ſignificantia.] Et hic obiter nota verbum ἐστὶ, poſuiſſe expreſsè Chriſtum in panis & calicis conſecratione *Matth.* 26. 27. & *Marc.* 14. 23. & Luc. 22. 19. & illud expreſsè Apoſtolum 1. *Corinth.* 11. 24. tradidiſſe. Ergo, quidquid arguetur Amicus, in panis & vini conſecratione Græci omittere non debent verbum ἐστὶ, *eſt*.

Græcus elegantiâ gratiâ omittit. ἐστὶ eſt.

Verba Sacramentalia accipi debent in ſignificatione communi, & non in particulari, quam imponerent verbis viri pauci privati.

MMMDXXXIV. Stando huic Amici doctrinæ ſequitur primò hanc eſſe validam formam: *Hoc eſt corpus meum: & hic calix ſanguinis mei*, quia poſterius illud *eſt* quod omittitur, & communi vſu & conſuetudine ſubintelligi debet, & elegantiæ causâ omittitur.

An detur caſus, in quo eſt in linguâ Latinâ ſine ſenſus turbatione omittatur?

Infeto ſecundò poſſe contingere, quod olim apud Græcos *eſt* omitti non poſſit, & apud Latinos poſſit: quia, cùm idiomata ab vſu & conſuetudine communi pendeant: quæ eſt apud Græcos poteſt excidere, & tranſire ad Latinos.

Infero tertiò formas Sacramentorum non eſſe validas, ſi in paraglotiſmo (qui ab Hiſpanis *Germaniâ* aut etiam *Gerigonza* vocatur) pronuncientur: & ratio eſt, quia paraglotiſmus eſt idioma privatâ authoritate formatum: & voces quibus in Sacramentorum validâ adminiſtratione vti poſſumus, debent ſignificare publicâ authoritate. Ago de validâ adminiſtratione, nam tametſi in omni idiomate poſſit quis validè conſecrare, non in omni licitè; Eccleſia enim meritò decrevit Miſſam apud Occidentales Latinè celebrari debere, permittens Orientalibus mores & ritus antiquos ſuarum Eccleſiarum obſervare.

Phraſes mutantur.

Quid ſit paraglotiſmus? An in illo Sacramenta validè conficiantur?

Quo idiomate debeat Miſſa dici?

ARTICVLVS IV.

An Sacerdos qui omitteret particulam enim, *conficeret Sacramentum? & ſi conficeret, An eſſet peccaturus mortaliter?*

MMMDXXXV. FORMA conſecrationis panis eſt, *Hoc eſt enim corpus meum*; & forma conſecrationis Laticis, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei*, aut ritu Græco *Hic eſt ſanguis meus*. Et hîc non ſunt multa dubia, pleraque enim quæ movebantur fuerunt ab Eugenio IV. *in Decreto Fidei* ſublata. Et primò inquiritur, *An illa particula* ENIM *ita ſit neceſſaria, vt ſine illa non conficiatur Conſecratio?*

Proponitur quæſtio.

An particula enim ſit eſſentialis?

Reſolutio. Communis Doctorum ſententia negat illam particulam ad valorem Sacramenti requiri, aſſeritque poſſe illud confici, etſi illa omittatur. At contra communem hanc ſententiam vrget ratio, quæ videtur ſolutione indigere: illam propono. [Hæc propoſitio, *Hoc eſt enim corpus meum*, eſt cauſalis: Hæc verò, *Hoc eſt corpus meum*, non eſt cauſalis: At poſitio Cauſalis & Non-cauſalis non ſunt æquipollentes: Ergo ſi primâ conficiatur Sacramentum, non poterit illud confici ſecundâ. Probatur minor, Nam propoſitio vera non æquipollet falſæ, & ſæpe vbi Non-cauſalis eſt vera, Cauſalis eſt falſa nam hæc propoſitio. *Ferdinandus eſt Imperator & Philoſophus*, eſt vera; & tamen hæc, *Ferdinandus, quia eſt Imperator, eſt Philoſophus*, eſt falſa.] Sed hæc ratio capax eſt claræ & evidentis ſolutionis; Primò, quia tametſi ex Non-cauſali ad Cauſalem non valeat conſequentia, valet à Cauſali ad Non-cauſalem; & qui particulam *enim* excideret, tranſiret ex Cauſali ad Non-cauſalem. Quod tranſitus iſte veritati non noceat, oſtendo; quoniam ſi iſta eſt vera, *Homo, quia eſt rationalis, eſt admirativus*, etiam iſta erit vera, *Homo eſt rationalis & admirativus*, &c. Secundò, quia in rigore loquendo Conſecrationis forma non eſt propoſitio cauſalis; einſmodi enim propoſitio debet eſſe hypothetica & ex duabus compoſita, quarum altera, quæ dicitur Antecedens, alterius, quæ Conſequens vocatur, ſit cauſa; vt patet ex exemplis poſitis. Hinc patet ſolutio ad inſtantiam.

Obiectio.

Duæ propoſitiones, ſi altera Cauſalis, & altera Non-cauſalis ſit, non poſſunt eſſe æquipollentes.

Sacramentorum forma in alias, quæ æquipollentes non ſint, tranſire nequeunt.

A cauſali ad non-cauſalem eſt bona conſequētia.

Conſecrativa Propoſitio ſecundū ſuam eſſentiam conſiderata, non eſt Cauſalis.

MMMDXXXVI. Ad ſecundum variæ ſunt Authorum ſolutiones. Eum, qui omitteret particulam *enim*, non poſſe excuſari à Mortali ſentiunt Fernandez *in Examine Theologorum part.* 3. *cap.* 4. 5. 6. *num.* 1. & Didacus Nugnus *in* 3. *part. tom.* 1. *quæſt.* 78. *art* 2. qui particulam *enim* volunt dupliciter conſiderari; nimirùm ſecundum ſe, & prout continetur in formâ, primo ſenſu fatentur eſſe rem leviſſimam, at ſecundo aſſerunt rem gravem eſſe; quia maxime conveniebat ad excellentiam iſtius Sacramenti, vt expreſsè ſignificaretur certitudo conſecrationis. *Confirmatur.* Quia particulæ leves in ſe, ſunt graviſſimæ ſi conſiderentur relativè; quid enim leviùs quàm particula *non*, quæ tamen poſita vel ſublata articulos ipſos Fidei in Hæreſes vertere poteſt.

An illud enim omittere mortale ſit?

Verborum duplex conſideratio.

De gravitate relativâ. Res leviſſima ſecundū ſe, eſſe graves poſſunt propter circunſtantiā extrinſecā.

An Eccleſia illud enim ponat tanquam rem gravem? Non indigeremus Logicâ, ſi vnicuique ſupponere permitteretur, quod debebat probare.

Vtitur aliâ ratione Nugnus apud Dianam *part. 2. tract. 17. reſol. 14.* Quia vniuerſa Eccleſia ponit illam particulam tanquam rem gravem: At eſſet temerarium aſſerere Eccleſiam totam allucinari in Sacramentorum materia. Igitur, qui illam particulam omitteret, peccaret graviter. Sic Nugnus, ſed deberet maiorem probare. Lego enim libros & ſæpiſſime ea ſupponi vt certa video, quæ tam ſunt falſa, vt probari non poſſint. Et hìc à Nugno inſtitui vellem. Volo ſcire, de quo ſit diſputatio? Non-ne quæritur, An omittere *enim* ſit res gravis? ſi hoc quæritur, eſſe rem gravem probare debet Nugnus, non ſupponere.

Illud enim cenſetur eſſe res parva: & cur?

Vnum verbulum eſt nihil moraliter.

MMMDXXXVII. Eum tamen peccare venialiter docent alij Theologi, & inter eos Henriquez *lib. 8. cap. 16. num. 4.* Coninch *in 3. part. queſt. 78. art. 1. dub. 2. num. 37.* Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 59. ſect. 1.* Diana *2. part. tract. 3. miſcell. reſ. 14. §. Sed ego*, & Cabrera *3. part. de Sacram. queſt. 60. art. 8 diſp. 2. num. 2.* Probat Diana, quoniam ſine illâ particulâ *enim* adhuc ſalvatur ſenſus ipſius formæ: & levitas materiæ excuſat à peccato mortali: Ergo. At Ego rationem Dianæ bene perpendens, exiſtimo illâ nihil probari, aut æquè veniale peccatum excludi. Quia, ſi levitas materiæ excuſat á peccato mortali, excuſabit à veniali materiæ nullitas: At particula *enim* non habet gravitatem extrinſecam, & intrinſecè conſiderata non iam dicit materiam levem, ſed materiam moraliter nullam; quia in Miſsà aut Officio Canonico vnum verbum ſecundum ſe conſideratum (hoc eſt, præſcindendo ab omni gravitate extrinſecâ) eſt materia moraliter nulla: eſt enim phyſicè aliquid, & prudentum æſtimatione nihil. Ergo aut debet Diana ad extrinſecam gravitatem recurrere, aut non ſolùm mortale, ſed etiam veniale negare. Sed quid, ſi Diana extrinſecâ levitate illud *enim* inveſtiat? Reſpondeo, ſicut non repugnat, vt materia levis intrinſecè adquirat gravitatem extrinſecè: ſic nec repugnare, vt materia intrinſece nulla, adquirat extrinſecam aliquam levitatem? Eum, dicam, ſatis ingenioſè & probabiliter philoſophari. Nam voculæ *ſic* aut *non*, quæ intrinſecè non leves, ſed moraliter nullæ poſſunt dici, ſi leve aut grave damnum inferant, erunt extrinſecè leves aut graves.

Parum pro nihilo reputatur. Et quod moraliter eſt nihil, non ſufficit ad peccatum veniale.

An res intrinſecè nulla poſſit reddi extrinſecè levis aut gravis?

ARTICVLVS V.

An qui omitteret nomen calicis *conficeret Sacramentum? &, ſi conficeret, An peccaret mortaliter?*

Proponitur quæſtio.

MMMDXXXVIII. HANC formam, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe ſufficientem ſupponis: & inquiris, Quid dicendum ſit de iſta, *Hic eſt ſanguis meus?*

An-ne rationis paritas habeat locum in Sacramentis? An eſſet ſufficiens conſecrationis forma, Hæc eſt patina corporis mei? Theſes Ingolſtadienſes citari poſſunt, nã

Reſpondeo ſufficientem eſſe: idque ratione, & authoritate probari. Ratione, quia paritas & analogia poſtulare videtur, vt ſicut de conſecratione panis, ſic etiam de conſecratione vini philoſophemur: at ille conſecratur his verbis, *Hoc eſt corpus meum.* Ergo iſtud conſecrari poterit iſtis, *Hic eſt ſanguis meus*: aut fortè iſtis *Hoc eſt ſanguinis meus.* Sed huic rationi non omninò confidendum videtur; nam, ſi ex hac forma, *Hoc eſt corpus meum*, paritas infert hanc, *Hic eſt ſanguis meus*: ex hac *Hic eſt calix ſanguinis mei*, poſſe videretur inferri *Hæc eſt patina corporis mei.* An ne qui ſic conſecrare panem præſumeret, Sacramentum conficeret? Neſcio an Theologi volent reſpondere aſſerendo. Authoritate, quia in Theſibus propugnatis Ingolſtadij (notiſſima & celebrima Vniuerſitas Bavariæ eſt) die Octobris vndecimâ anni 1588. Præſide Ioanne Pelecyo S. I. & reſpondente Sebaſtiano Fieger Canonico Regulari num. 111. hæc lego: *Forma ſubſtantialis conſecrationis panis in Euchariſtiâ his verbis continetur:* Hoc eſt corpus meum: *& conſecrationis calicis his*, Hic eſt calix ſanguinis mei, *vel* Hic eſt ſanguis meus.] Hæc vltima forma deſumitur ex Matthæi *cap. 26. 28.* ibi enim Dominus noſter Ieſus-Chriſtus vinum conſecravit his verbis, Τῦτο γδ' ἐςὶ τὸ αἷμά μυ. *Hic enim eſt ſanguis meus.*

Ingolſtadiū eſt hodie in Bavariâ celebrrima Vniverſitas.

An mutare vnam formam in alteram æquivalentem, ſed contra Eccleſiæ præſcriptum ſit mortale?

Si dicatur forma ſufficiens, qui illâ vtatur damnabitur de peccato mortali? Videretur mutatio notabilior, quàm ſi omitteretur *enim*, & ideò qui omittentem particulam *enim* condemnant, debebunt omittentem nomen *calicis* condemnare.

ARTICVLVS VI.

De Commixtione Vini & Aquæ.

An neceſſaria ſit

MMMDXXXIX. NON eſt de neceſſitate Sacramenti, vnde licèt conſecrans purum vinum mortali ſe ſcelere, niſi oblivio inculpabilis aut negligentia levis factum excuſet, obſtringeret, conſecratio tamen vera fieret. Et cùm tempore conſecrationis faciendæ totum quod in calice eſt in ſanguinem Chriſti converti debeat, atque ideò iuxta probabilem aliquorum

Digitized by Google

aliquorum ſententiam, aquam ante mixtam in vinum tranſiiſſe oporteat, aqua ipſa in modiciſſimâ quantitate iuxta Flor. Concilij decreta addenda erit vino. Vnde haud immeritò Honorius III Pont. *C. Perniciosum de cel. miſſ.* affirmat eorum conſuetudinem pernicioſam eſſe, qui contra Eccleſiæ vſum plus aquæ, quàm vini adhibent Et prudentiſſimè pronunciat ſummus Pontifex, quia in vino lymphato, non autem in aquâ vinatâ hoc eſt Sacramentum à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtitutum & à nobis confici debet. Vbi autem aqua & vinum commiſcentur, à maiori parte ſumitur denominatio: ergo ſi plus fuerit vini, quàm aquæ, erit Vinum lymphatum; ſi verò contrà erit Aqua vinata.

An aqua immediatè convertatur in ſanguinem?

De illorum intentione, qui Euchariſtiam adorant.

Nemo intendit aut paleæ particulam, aut acinum, ſi fortè in pane aut vino reperiretur; ſed omnes tantummodo volunt adorare Dominum noſtrũ Ieſum-Chriſtum.

Sed interrogas, Quid fieret de aqua, ſi qua adhuc inconverſa maneret in conſecratione? Reſpondeo duas eſſe opiniones probabiles: altera docet illam tranſire immediatè in ſanguinem Chriſti: altera id negat: & debet hæc conſequenter aſſerere, quod ſiquid aquæ tempore conſecrationis ſupereſſet, quin tranſiret priùs in vinum, & poſtea in ſanguinem, maneret aqua cum vini accidentibus, à quibus paulatim in vinum converteretur, & poſteà cum ſanguine ſumeretur nec tamen in adoratione huius calicis vlla idololatria, ne materialis quidem, committeretur, cùm nemo totum & omne id quod in calice eſt, ſed ſanguinem duntaxat Chriſti adorare intendat. Cùm tamen certum ſit in vino eſſe interdum granula & aliquas particulas heterogeneas, quæ vinum non ſunt, & ideò minimè convertuntur in ſanguinem.

MMMDXL. *An aqua ſit incorruptibilis?*

Hæc omnia ſupponunt aquam poſſe in vinum converti. Sed quid ſi illa incorruptibilis ſit? P. Valerianus Magnus de incorruptibilitate aquæ libellum curioſum edidit, cuius doctrina, ſi vera, quæſtiones plurimas non tam ſolvet, quàm tollet.

An vinum in aquam, aut aqua in vinum poſſit verti?

Quid de hac re ſcripſerit Ariſtoteles?

Præterea, etſi Aqua corruptibilis ſit, non ſtatim concedi debet per mixtionem corrumpi: nam agendo expreſsè de aquæ & vini commixtione Ariſtoteles *lib. de Gener. & Corrupt. lib. 1. cap. 10. text.* 89. docet guttam vini mixtam decies millenis menſuris aquæ in hanc converti: at aquam in vinum converti non docet: ex eo enim, quòd ligna convertantur in cineres, non ſequitur poſſe cineres in ligna converti. Præterea, *ibid. cap. 5. text.* 34. apertè aſſerit vinum in aquam non tranſire. Verba eius Græca, & interpretationem litteralem apud Coninckium *de Sacr. quæſt.* 74. *art. 8. dub. unic. pag.* 183. invenies: & ſtatim hoc Monitum. [Nota, ait, Ariſtotelem quærere, cur in nutritione id ſolùm, quod nutritur, dicatur augeri; in mixtione verò vtrumque mixtum dicatur augeri? Et dicit cauſam eſſe, quia, in nutritione perit ſubſtantia alimenti, in mixtione verò v. g. aquæ & vini, vtriuſque ſubſtantia manet. [Ergo non ſunt tam certa, vt multi exiſtimant, quæ de aquæ in vinum converſione dicuntur.

NOTA.

De Operationibus præcipuis, quæ in hoc Sacramento inveniuntur.

Multæ, variæ, & omninò intellectu difficiles actiones & paſſiones in hoc venerabili myſterio reperiuntur, nobis autem erunt curæ quatuor, quæ creduntur præcipuæ, è quibus Prima eſt, *Tranſſubſtantiatio*; Secunda, *Sumptio*; Tertia, *Nutritio ſpiritualis*; Quarta, *Nutritio corporalis*. De ſingulis ſpecialiter agendum eſt.

ARTICVLVS VII.

Quid ſignificet Tranſſubſtantiatio?

MMMDXLI. *Duplex eſt Tranſſubſtantiatio: alia activâ, & alia formalis.*

Transsvbstantiatio eſt duplex; activa, & formalis illa eſt actio, quæ Sacramentum efficit; hæc tranſitus à ſubſtantiâ non conſecratâ in conſecratam.

An verba operentur phyſicè vel moraliter?

An hæc Quæſtio ſit generalis omnibus Sacramentis, an venerabili ſpecialis?

Ad activam igitur tranſſubſtantiationem, ſeu ad actionem tranſſubſtantiativam convertens oculos, inquiris, *An verba conſecrationis habeant virtutem aliquam ſupernaturalem phyſicam, quâ mediâ eliciant actionem phyſicam panem in corpus Chriſti, & vinum in eius pretioſum ſanguinem tranſſubſtantiantem? an verò illa verba ſint ſolùm cauſæ morales, quibus poſitis Deus facit vt materia illa tranſſubſtantietur?* Et, ne fortè aliquis putet hanc eſſe Controverſiam omnibus Sacramentis communem, dico aliud eſt Sacramenta ritè ſuſcepta producere gratiam, & aliud in Euchariſtiæ Sacramento panem & vinum in corpus & Sanguinem Chriſti converti: quia illud prius eſt Sacramentis vniverſis commune, hoc Euchariſtico ſpeciale: &, qui diceret omnia Sacramenta adeoque ipſam Euchariſtiam gratiam phyſicè, ſi ritè ſuſcipiantur, producere; non ſtatim tenebitur; verbis conſecrationis virtutem phyſicam tranſſubſtantiativam concedere; nam ſuccurrunt novæ difficultates, ob quas poſſemus ad Moralitates recurrere.

MMMDXLII. *Reſolutio.*

Vtraque ſententia eſt probabilis: at, quæ concurſum Moralem admittit, eſt facilior.

Reſpondeo interim vtrumque eſſe probabile, & alterutrum poſſe defendi. Videtur enim facilior in Philoſophiâ ſententia, quæ moralem activitatem verbis Sacramentalibus concedit; & quæ negat, videtur ſcripturæ revelatæ conformior: verba enim ſacræ paginæ primo intuitu cenſentur realitatem ſonare. & Philoſophia videretur multas contrà difficultates obiicere; adeoque hic non eſt nimium hærendum, ſed dicendum, vtramque eſſe opinionem probabilem.

De Tranſſubſtantiatione formali.

Tranſſubſtantiatio formalis eſt converſio totius ſubſtantiæ panis in totum corpus Chriſti,

Digitized by Google

Tam ſunt inconſtantes Hæretici, vt ſuam ipſam doctrinam, quam cudũt & protrudunt, frequẽtiſſimè negent.

An hæc converſio ſit purè moralis?

Calvini error.

Lutherani veram, ſed in ſumptione converſionem admittebant, at jam paulatim in Calvinum labũtur, & aſſetunt, ne quidem panem & vinum in ſumptione realiter in corpus ſanguinemque D. N. Ieſu-Chriſti converti.

ſti, & totius ſubſtantiæ vini in totum eius ſanguinem manentibus tantummodo panis & vini accidentibus ſeu ſpeciebus. Et duos tranſitus, ſicut quæcumque alia converſio, Tranſſubſtantiatio neceſſario complectitur. In hoſtiâ eſt primus ab eſſe panis ad non eſſe panis, ſecundus à non eſſe corporis Chriſti ad eſſe corporis Chriſti: Et in latice, primus ab eſſe vini ad non eſſe vini, ſecundus à non eſſe ſanguinis Chriſti ad eſſe ſanguinis. Hæc abſtrahendo ab activitate phyſicâ & morali, ab omnibus Catholicis & Heterodoxis concedi debent; quod ſi negentur à Lutheranis, Calvinianiſque dicendum eſt eos ſuam ipſam doctrinam negare, quam ſine his præiudiciis defendere nequaquam poſſunt.

Expoſito igitur Tranſſubſtantiationis formalis conceptu, inquiritur, An ipſa in Sacramento Euchariſtico ſit phyſica & realis, an ſolùm moralis virtualis & interpretativa?

Ad mentem Calvini hoc vltimum aſſeri debet; nimirùm panem aut vinum non converti phyſicè & realiter in corpus & ſanguinem Domini, ſed converti & tranſſubſtantiari virtualiter; hoc eſt ita ſe habere, ac ſi revera eſſet corpus & ſanguis Domini; tales effectus operari, vt interpretari poſſimus velle Deum ibi ſpecialiter relucere; & oſtendere abſentis Ieſu-Chriſti virtutem. Sequuntur Calvinum multi Hæretici, qui omnes vno nomine *Sacramentarii* vocitantur; & omnes, licèt diverſo modo, in hoc hodie videntur convenire, vt negent realem & phyſicam hanc converſionem, & totam veritatem myſterij reducant ad metaphoras & moralitates:

M M M-DXLIII.

Reſolutio.

Quomodo & quando Dominus noſter Ieſus-Chriſtus ſit in Euchariſtiâ.

Vt videatis quali fuerint præditi ſpiritu Lutherus & Calvinus addo margini has lineas.

In libr. de Miſſâ privatâ. Luth. *Hîc non curamus, ſi clament Papiſta, Eccleſia. Eccleſia: Patres, Patres: quia, vt dixi, hominũ dicta & facta in tam magnis cauſis nihil curamus; ſcimus enim ipſos Prophetas lapſos eſſe, adeoque Apoſtolos, Verbo Dei judicamus Eccleſiam, Apoſtolos, adeoque ipſos Angelos.*

Nec Modeſtior eſt Io. Calvinus, qui *lib. 4. Inſtit. cap. 18.*

Contra ipſos tamen vna conſtans & invariabilis eſt Eccleſiæ Catholicæ ſententia, quam proponit Concilium Tridentinum *ſeſſione XIII. Cap. I.* his verbis: *Principiò docet Sancta Synodus, & apertè ac ſimpliciter profitetur in almo Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum atque hominem, verè, realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri.*

Quâ Eccleſiæ definitione plures iique graviſſimi refelluntur errores; inde enim habetur Chriſti corpus fieri præſens poſt actionem, non ante, tanquam quod vbique ſit, idque vi conſecrationis, non (vt quidam loquũtur) vi immenſitatis, aut vbiquitatis. Præterea non tropicè aut per fidem, vel ſecundum vigorem & virtutem quamdam, ſed verè idque per modum ſubſtantiæ, non quantitatis, qui eſt modus proprius Chriſti exiſtendi Sacramentaliter in Euchariſtiâ. Quare nil mirum Chriſtum Dominum in Euchariſtiâ habere totam ſuam magnitudinem, non tamen occupare locum: figuram, colorem, non tamen videri: complexiones & quantitates, non tamen tangi.

Ex plurimis locis Sacrarum Scripturarum, quæ conſultò tranſimus, illa verba, quibus hoc ipſum Sacramentum à Chriſto & inſtitutum, & conſecratum fuit, *Hoc eſt corpus meum.* Pro hac veritate tuendâ principem locum facilè obtinent, quæ etiam in tantum adverſarios vrgent & torquent, vt ad varias figuras, tropos, ſenſuſque alienos communi conſenſu, miro tamen inter ſe diſſenſu, confugiant: attamen ex circumſtantiis rei, loci & Perſonarum, ac tum Pauli tum Evangeliſtarum, Chriſti factum narrantium concordi relatione, aliiſque de cauſis verba illa in plano, proprio, apertoque ſenſu ac ſignificatione à Chriſto dicta eſſe, clariſſimè conſtat. Hæretici recurrunt ad metaphoras, & Catholici ad clarum & propriiſſimum ſenſum & utri bene ignorare non poterit, qui duas interpretationes legerit. Dicit Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*, & non dicit *Hoc erit*, &c. Ergo tunc & non poſteà in ſumptione verba hæc verificantur. Ergo ubi primum finita fuit prolatio formæ, fit converſio Reſponde Luthere, ſi potes. Et tu Calvine attende. Dicit Chriſtus, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, &c. qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Si ad tropos & figuras recurris, ſic expones. *Hic eſt calix quidam metaphoricus continens ſanguinem meum metaphoricum: qui effundetur metaphoricè in remiſſionem metaphoricam metaphoricorum peccatorum:* Si ſenſui literali & reali ſtes, expones ſic. *Hic eſt calix realis & verus, continens meum verum & realem ſanguinem: qui effundetur verè & realiter in remiſſionem veram & rigoroſam peccatorum verorum.* Confer vtramque expoſitionem: & ſi illam priorem præferas, mente laboras. At dicet Acatholicus, non omnes voces metaphoricè ſumendas, ſed aliquas. Sed quæ? & quis illas diſtinguet? invocat abyſſus abyſſum, & ex errore Hæretici in novos errores labuntur.

ſic inquit. *Et certè ſi cogitamus Domini non hominũ cœnam eſſe, nõ eſt cur vllâ hominũ authoritate, aut annorũ præſcriptione patiamur nos ab illâ vel latum vnguem dimoveri.*

M M M-DXLIV.

Fundamentalis ratio.

Cur Chriſtus Hoc eſt *dixerit, & non* Hoc erit

An Conſecrationis verba, metaphoricè poſſint intelligi?

Quem ſenſum habeãt ad ſenſum metaphoricum tracta?

Quem, ſi realem retineant?

M M M-DXLV.

His proximè ſuccedant illa, quibus veritas ipſa dum de hoc myſterio inſtituendo (vt communis Patrum, Conciliorum & Eccleſiæ univerſæ expoſitio & traditio habet) loqueretur, vſus eſt apud D. Ioannem *cap. 6.* videlicet: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Caro mea, verè eſt cibus,* &c. quæ omnia pro hac veritate aſtruendâ adeò aperta eſſe credidit D. Hilarius, vt *lib. 8. de Trini.* præclarum admodum hac de re teſtimonium poſteritati tranſmiſerit, dicens: *De veritate carnis & ſanguinis Chriſti non eſt relictus ambigendi locus, nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtrâ caro eius verè eſt cibus, & ſanguis eius verè eſt potus, & hæc accepta & hauſta id efficiunt, vt nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit, an hoc veritas eſt? Contingat iis planè verum non eſſe, qui Chriſtum verum Deum eſſe negant:* Paris ecce impietatis Sanctus Pater damnat eum, qui Chriſtum eſſe in Euchariſtiâ, & qui Deum verum eum eſſe negarit.

Ad eamdem firmandam veritatem non parũ momenti habent alia multa antiquiſſimorum Patrum luculentiſſima teſtimonia, dum enim, de hoc myſterio loquuntur, iis vt plurimum vtuntur verbis quibus realis, veraque Chriſti præſentia ſignificatur, vt cùm vocant *Chriſti corpus & ſanguinem pretioſum*, vt Irenæus

Ne vacet margo, qui in contextu veram doctrinam & ſolidè probatam legis, habe hîc in margine, quod ſine admiratione non leges. Martin. Lutherus in libro de miſſâ privatâ & vnctione Sacerdotum edito anno 1534. ſic delirat. *Ego nõ dicam, quod Papiſta dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam audẽ ipſam conſecrare poſſe Sed cõtrà dico, Si diabolus ipſe veniret, & ego poſteà reſcirem Diabolũ ſic irrepſiſſe in officium Paſtoris, in ſpecie hominis vocatum ad prædicandũ, & publicè in Eccleſiâ do-*

cuiſſe, baptizaſſe, celebraſſe miſſam, & abſoluiſſe à peccatis, & tali munere functum eſſe iuxta inſtitutionem Chriſti, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideò non eſſe inefficacia, ſed verum Baptiſmum, verum Evangelium, veram Abſolutionem, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti accepiſſe.

Irenæus lib.4.& S. Cyprianus *lib.2. Epiſt.3.* Origenes *Homil. 28. in Levit.* Nazianzenus *in oratione in ſanct. m Paſcha.* Chryſoſtomus *Homil.21. ad populum Antioch.* vbi Euchariſtiam vocat *pretioſiſſimum corpus & ſanguinem Chriſti.* Et ut plurimos prætercam, D. Aurelius Auguſtinus, quem tamen adverſarij totum ab ipſis eſſe aſſeverant, tum alibi ſæpiſſimè, tum clariſſimè *lib.2. contra adverſarium legis & Prophet. cap.9* hanc præſentiam aſtruit. *Mediatorem,* inquit, *Dei & hominum Chriſtum Ieſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem, fideli corde atque ore ſuſcipimus: quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum ſanguinem potare quàm fundere.* Licet & alio eos ſubinde loquendi modo, dum videlicet, vel cum Catechumenis, vel cum Ethnicis agerent, uſos fuiſſe nemo eſt qui neget, ita cum Iuſtinus ſæpe panem noſtrum vocat, & alij Aliter appellant.

MMMDXLVI. *Patrum teſtimonia.*

Agnoſcunt prætereà Patres in Euchariſtiâ ineffabile miraculum, & inter reliquos *lib.3 de Sacerdot. cap 4.* exclamat Chryſoſtomus *O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet, eodem momento temporis ab omnium manibus tractatur.* At ſymbola & metaphoræ nulla miracula requirunt. Ergo Chriſtus, non ſymbolicè non metaphoricè, ſed verè & realiter exiſtit in Euchariſtiâ.

S. Auguſtinus verba illa Apocalyſ. 20. Erunt Sacerdotes Dei & Chriſti exponens ait; *Non utique de ſolis Epiſcopis & Presbyteris dictum eſt, qui propriè iam vocantur in Eccleſiâ Sacerdotes, ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum chriſma, ſic omnes ſacerdotes, quoniam membra ſunt unius ſacerdotis, de quibus Apoſtolus Petrus inquit, Plebs ſancta, Regale ſacerdotium, &c.* Ita de

Argumentum prætereà, quod à reverentiâ & adoratione ſumitur, ſi bene proponatur eſt efficax. Non enim bene proponitur à dicentibus, *Euchariſtia latriæ adoratione colligitur. Ergo in illa eſt realiter Dominus noſter Ieſus-Chriſtus:* Nam etiam nomen Ieſu adoratur, dicente Apoſtolo, *In nomine Domini Ieſu omne genuflectatur, Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum,* &c. Et etiam Crux adoratur. Nec tamen in Ieſu nomine, dum pronunciatur, nec in Cruce, dum ob oculos ponitur, exiſtit realiter, Dominus noſter Ieſus-Chriſtus. Proponetur autem bene, ſi contineat hæc verba *In Euchariſtia, non ſolùm tota hoſtia, & totus calex; ſed ſingulæ alterius utrius partes ſeparatæ à cæteris adorantur adoratione latriæ. Ergo in illâ non eſt moraliter, ut in nomine Ieſu, & in Cruce, ſed realiter Dominus noſter Ieſus-Chriſtus.* Patet, quia nec in nomine Ieſu ſingulæ ſyllabæ aut literæ; nec ſublatâ figurâ ſingulæ in Cruce partes poterunt adorari. Et hoc ſenſu loquuti ſunt Veteres Patres. Vnde idem Chryſoſtomus vocat *terribile myſterium* Dioniſius *venerandiſſimum.* Idemque Chryſoſtomus *libro.6. de Sacerdotio*, Angelos ſanctos Euchariſtiam adoraſſe teſtatur: Imò D. Thomas *par. quæſt.76.* diſertis verbis affirmat, ipſos quoque Dæmones huic tanto Sacramento, reverentiam exhibere Et graviter Canones animadvertunt in eos qui quidquam ſanguinis effundunt negligenter, *de Conſ. d.2. can Si per negligentiam.* Et denique docent adorandam Euchariſtiam: quibus ſi addas antiquiſſimum Eccleſiæ vſum & conſuetudinem communicandi, ab ipſis Apoſtolorum temporibus deductum, aut Chriſtum in Euchariſtiâ contineri, aut Patres omnes, Concilia & Eccleſiam totam mille quingentis annis quod impium, & blaſphemum eſt, erràſſe, neceſſariò fateberis.

civit. Dei lib.10. c.10. & habetur tom. 5. columnn. 1356. E. locus Petri eſt Epiſt. 1. cap.2.

Ecce Auguſtinus clericos à laicis ſeu cæteris Chriſtianis diſtinguit. Ecce etiam Presbyteros ab Epiſcopis i Chriſma Baptiſmale omnes Chriſtianos unit, & ſeparat ab Infidelibus. Conſecratio Sacerdotalis Presbyteros & Epiſcopos unit, & ab aliis Chriſtianis ſecernit. Et demùm ſpecialis conſecratio conſtituit Epiſcopos & ab aliis ſacerdotibus ſeparat. Hos in Eccleſia Ordines nō cognoſcunt hæretici.

Hinc corrigendæ veniunt hæreſes antiquæ & novæ: quoniam humana mens, ſi ſenſum ſequatur, decipi neceſſarium eſt: Hîc, omninò, ſiquidem ſenſus deficit, imò & deſipit, aut etiam decipit; *ad firmandum cor ſincerum, ſola fides ſufficit.* Ergo, ſi nolîmus deſipere, *præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui:* nam, qui caruerunt fide, aut negarunt hoc ſupernaturale myſterium, aut non conceſſerunt ſine errore. Oculos igitur ad primitivam Eccleſiam & Chriſti tempus convertamus, audiemuſque dicentes, *Durus eſt hic ſermo! Quo modo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Videbimus Bertramum, Iconomachoſque etiam ante Berengarium Sacramenti veritatem negaſſe, & Calvinianis, & pleriſque etiam Lutheranis novam viam ad damnationem æternam aperuiſſe. Sed, ſi Berengarius primus non fuit, qui realem Chriſti præſentiam in Euchariſtiâ denegavit cur ipſe *Sacramentarium* dicitur, cur omnium Princeps, qui hoc Sacramentum negant? Reſpondeo, potuiſſe forſan eſſe ambiguas & utrinque probabiles ante Berengarij ævum aliquas doctrinas de tranſubſtantiatione formali; ſicut hodie utrimque de activâ tranſubſtantiatione diſputatur At Ioanne Hylin S.Theol. Doctore & cum eo P. Gregorio de Valentia notantibus, Berengarius illum errorem primus pertinaciter hæreticè, & contra Romanæ Eccleſiæ definitionem defendit, adeóque in hac materiâ Hæreticorum Princeps eſt. Porrò fuit iſte Berengarius [a] altero cognomine Petri Abailardi diſcipulo, qui contra D. Bernardum & Concilium Senonenſe ſcripſit, multò antiquior, & peior unde non ſine magnâ poſterioris injuriâ videas interdum tam diſtantes Berengarios confundi.

MMMDXLVII. *Si in Euchariſtiâ tantùm eſſet moralis præſentia Chriſti nullum eſſet miraculum. De adoratione Crucis. De adoratione nominis Ieſu. De adoratione Euchariſtiæ. In ipſâ partes, etiam ſeparatæ adorantur. Euchariſtiā adorant Angeli. Quanta eſt reverentia tractanda. Antiquiſſima communicandi conſuetudo.* MMMDXLVIII. *Ante initium doctrina de Euchariſtiâ videbatur difficilis. An Berengarius fuerit primus, qui Euchariſtiæ veritatem negavit? Multa olim fuerunt Opiniones probabiles, quæ ſua probabilitate exciderunt poſt definitionem Eccleſiæ.*

a] Ob ſecreta Dei judicia Hæreſiarcha Berengarius longo tempore in vivis permanſit. Initium habuit ejus hæreſis ann. 1004. adoleſcit ann. 1035. damnatur 1050. & 1055. Eſt varius, jam Eccleſiæ conſentiens, jam obſiſtens. Agit pœnitentiam ann. 1059. Romæ veram Fidem profitetur ann.1079. moritur ann. 1088. ætatis ſuæ ann.90. Poſteà ann. 1145. creatur Summus Pontifex Eugenius III. diſcipulus S. Bernardi. Sub eo habetur Senonenſe Concilium, in quo Petrus Abaylardus damnatur. Huius Berengarius diſcipulus ardore juvenili pro ſuo Magiſtro ſcribit: ſed ſuum ipſum ſcriptum poſt ann.20. retractat.

ſti. Sed converſionem fatetur & docet Sanct. Hieronym. Epiſt. 150 ad Hevid. tom. 3. pag. 801. B. dicens *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus dedítq; Diſcipulis ſuis, eſſe corpus Domini ſalvatoris, ipſo dicente ad eos, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meũ,* &c. Et mox. *Si ergo panis, qui de cœlo deſcendit, Corpus eſt Domini, & vinum, quod Diſcipulis dedit,* &c. Et ſtatim. *Nec Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus ipſe cõviva & convivium, comedens & qui comeditur.* Quid unquam clarius?

ARTICVLVS VIII.

An conſecratio ſit tranſnaturalizatio? An Verbum æternum naturam Panis & Vini hypoſtaticè ſumat?

MMMDLIX. *An Deus aſſumat panẽ vinumque in unitatem perſonæ?* Circa hanc materiam miſerè hodie Calviniſtæ delirant. Interrogo, *An in Euchariſtiâ maneat panis & vinũ?* Affirmat Catechiſmus Heidelbergẽſis q. 78. petenti enim, *Nũ ergo panis & vinum fiant ipſum corpus & ſanguis Domini?* reſpõdet. *Nequaquam*, &c. *Nec panis cœnæ Dominicæ eſt ipſũ corpus Chriſti.*

MVLTI fuerunt, qui myſterium hoc modo intelligendum, & docendum putarunt, opinantes, Verbum Æternum eodem omninò modo, quo naturam humanam, ſic etiam in Sacramento venerabili naturam inanimam Panis & Vini perſonaliter ſibi adunijſſe. Vnde has propoſitiones, *Deus eſt panis, Deus eſt vinum, Vinum eſt Deus, Panis eſt Deus*, judicarunt eſſe æquè veras & in eodem ſenſu admittendas, quo iſtæ, *Deus eſt homo, Homo eſt Deus*, nimirùm in ſenſu perſonali. Cæterùm graviſſimè errarunt, Primò, quia poſt conſecrationem, panis & vini ſubſiſtentias reliquerunt, quod in fidem orthodoxam impingit; Secundò, quia Verbi hypoſtaticam novam unionem reſpectu naturarum panis & vini, negatam ab Eccleſiâ finxerunt; Tertiò, quia non potuerunt bene defendere corporis & ſanguinis Domini veram & realem in hoc Sacramento præſentiam. Et ratio eſt valde clara. Nam quamdiu Chriſti animus informavit illud corpus ſanctiſſimum fuit hæc vera conſequentia, *Hic eſt corpus Chriſti, Ergo hic etiam eius Animus eſt*, & è converſo; at in paſſionis triduo, cum nexus corporis & Animi eſſet ſciſſus, illa conſequentia non tenuit, corpus enim remanſit in ſepulchro, & Animus deſcendit ad Inferos & repagulis & vectibus ferreis confractis, veterum Patrum Animas liberavit. Ergo cùm nulla eſſet inter ſubſtantiam panis & vini & Chriſti naturam realis unio, non valeret illatio ſiquis diceret, *Hic (in hoc loco) eſt panis conſecratus, unitus hypoſtaticè Verbo, ergo hic eſt etiam corpus Chriſti.*

ARTICVLVS IX.

An vinum congelatum validè conſecretur?

MMMDL. *Per congelationem non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter vinum mutatur.*

RESPONDET Auſonius Noctinot (iam Antonius Cotonius) *in ſumm. Dianæ verb. Euchariſtia Materia, num. 2.* his verbis. [*Vinum, ſi ſit* congelatum, ut ſæpè contingit in Germaniâ, (imò etiam in mediterraneâ Hiſpaniâ: nempe in Caſtellâ, Legione. &c.) *validè conſecratur, non tamen licitè.*] Et probat, quia vinum per congelationem non corrumpitur, quoad ſubſtantiam; potabile enim adhuc manet potentiâ, quia liquefieri poteſt, & ſumi,

Dubium Incidens.

De vino evaporato.

ANte dies paucos quidam Pater Carmelitanus Excalceatus, Vir verè doctus, hunc Caſum decidendum propoſuit; quem, quia novus, curioſuſque, Theologis hæc lecturis repono.

Caſus exponitur.

Viennæ in Auſtria dum ſeveriſſima Hyems omnia liquida concreſceret, & congelaret, Miſſam celebrat, ubi ad communionem pervenit, reperit ſacrum laticem congelatum.

An, dum latex conſecratus evaporatur, ſãguis Chriſti exhalatur?

Juxta communem Doctorum ſententiam ignem adhibet, glaciemque iterum in vinum convertit. At quia dum calix calefiebat fumum exhalantem percêpit, ſubdubitare incepit. An vini fumus, vapor-ve ſit verè vini pars, & quia nulla eſt in conſecrato calice, quæ non ſit conſecrata, dubitabat an illæ vini particulæ, quæ ignis violentiâ exhalabantur, non fuerint conſecratæ, & inopinato ſacrilegio ſanguis Chriſti per aërem diffunderetur? Rem dixi non eſſe omninò facilem, ſed meditatione, & rerum notitiâ indigere. Sententiam meam protuli, eamque modò ad iſtas poſitiones reduco.

MMMDLI. Reſolutio.

PRIMA. *In conſecrato latice nulla eſt liquoris pars, quæ non ſit conſecrata.* Et hanc veram exiſtimo, ſive dicamus aquam in vinum priùs, & poſteà in ſanguinem, ſive etiam in ſanguinem immediatè converti. Gutta enim aquæ vino immixta non facit, quod illud totum, non ſit vinum uſuale; adeoque totum conſecratur: & ſanguis Chriſti prout eſt ſub ſpeciebus illius guttæ, eſt ſub ſpeciebus aquæ naturalis, & ut eſt ſub ſpeciebus reliqui vini, eſt ſub ſpeciebus vini naturalis: & prout eſt ſub aggregato, quod ex vino, & illâ guttâ reſultat, & ſub ſpeciebus vini uſualis.

Vinum uſuale, & naturale. *Totum conſecratur.*

Porrò, ſi illa gutta à reliquis ſepararetur, ſtatim deſineret eſſe ſub illius ſpeciebus ſanguis Chriſti; illa enim ſic ſeparata eſſet pura aqua, non tamen vinum naturale, aut uſuale. Ergo ſimiliter de aliis vini partibus Philoſophabimur.

Nota hoc.

An vinum homogeneas, aut heterogeneas partes habeat?

Si componitur vinum è partibus heterogeneis, quod contendunt probare Chymici, ſingulæ ſeorſim non ſunt vinum; & qui vinum conſecratum in has partes heterogeneas divideret, in eas divideret, quæ non manerent conſecratæ. Igitur ſi vapor, aut fumus ex calice calefacto exhalans contineat

particulas

Digitized by Google

An ſi illa ſepararentur, manerēt conſecrata?

particulas aliquas, quæ non ſint vinum, ille vapor non erit conſecratus. Cæterum cum Ioannes Helmontius, Medicus ingenioſiſſimus, expertiſſimus, in ſuæ Medecinæ inauditis principiis heterogeneas has Corporum partes, quas Chymici protrudunt, irrideat, adhuc vrgebit dubium, & quæremus, An merâ exhalatione ſubſtantia vini corrumpatur, an alteretur potiùs: nam ſi primum dicatur, ceſſat quæſtio; & ſi ſecundum, affirmari debebit fumos illos, vaporeſve, qui è calice emiſſi, fuiſſe reverà conſecratos.

N. B. Helmontij ſententiâ partes verò Chymicas ignis non ſeparat, ſed ipſas facit.

M M M D. LII.

An in vino ſit neceſſaria gravitas?

Secvnda. *Ille vapor exhalans non eſt vinum.* Corollarium. *Ergo ſub illius vaporis ſpecie Chriſti Domini ſanguis non manet.* Corollarium è Concluſione manat; & hæc videtur certa, & ab univerſis admiſſa: quia inter alias characteriſticas vini qualitates videtur eſſe ponenda gravitas; quod enim fumus, & vapor eſt, vinum non eſt. Præterea: vel vapores ſunt vini partes, quæ in vino erant, & ignis virtute expelluntur: vel non erant in vino, ſed ab igne generantur. Alterutrum dicatur, non ſunt vinum. Ergo alterutrum dicatur, in illis ſanguis Chriſti non remanet. Probatur minor: nam, ſi ille vapor ſit una ex tribus partibus chymicis vini, non eſt vinum: nam omnes tres ſimul requiruntur, ut vinum componatur. Et, ſi ſit res alia, quæ non erat in calice, ſed ab igne producitur, nec erit vinum: nec erit, cur eſſe conſecrata dicatur.

ARTICVLVS X.

An, & cur non liceat pluries in die, aut celebrare Miſſam, aut ſacram ſynaxin accipere?

M M M D. LIII.

De Eccleſiæ legibus.

Sacramentorvm uſum divinitùs conceſſum hominibus non poſſe ab Eccleſia interdici ſine causâ legitimâ, clarius eſt quàm ut in controverſiam revocetur. Cùm igitur materia gravis ſit, videretur requirere non ſolùm cauſam legitimam, ſed gravem. Hinc ſequitur non eſſe facile aliquas Eccleſiæ conſtitutiones defendere contra hæreticos mediocriter doctos: Nec hoc eſt ſpeciale in Pontificio Iure; nam hoc ipſum in Cæſareo Imperatores & Iuris-periti fatentur. Succurrunt ſæpe cauſæ ob quas Canon aut Lex profertur; Hiſtoriographi ſunt negligentes, & ideò aliquando Poſteritas caret neceſſariâ notitiâ, ut de legum causâ aut etiam occaſione pronunciet. Interim hodie multa ſunt Statutá ab Eccleſiâ, quæ anteà non erant: nam mutatis temporibus Prudentia, quæ rationi & experientiæ innititur, etiam jubet Leges & Præcepta mutari. Et hanc ob rem contra Veterum ritum hodie *Primo* ratum eſt apud Catholicos, neminem poſſe pluries eâdem die Miſſam celebrare, aut Venerabile Sacramentum ſuſcipere; quod etiam non ſolùm ad ſanos; ſed etiam ad vltimo morbo laborantes extenditur. *Secundò*, debere Miſſam celebrari, aut Venerabile Sacramentum recipi à jejuno. Et quid ſi auderet objicere aliquis, vel nullas eſſe cauſas, vel forte leues, ob quas res graviſſima, quâ graviſſimè egemus, interdicatur. *Nam, ſi agamus de viris Religioſis, & bene moratis*, quænam cauſa gravis ſuppetere poteſt, quæ reddat abſtinentiam à Sacramento Euchariſtico meliorem communione? Cur non eſſet melius, & utilius communicare decies in die, quàm ſemel? ſi ad indecentiam recurritur, ratio valde levis proponitur, quoniam non eſt indecens communicare quotidie; ergò nec erit indecens communicare ſingulis horis. Præterea; Sacramentum Pœnitentiæ pluries frequentari poteſt, & ſolet quotidie ſine irreverentiâ; Ergò, & Euchariſticum; vel detur diſparitatis ratio. *Secundò*, ſi agamus de ægrotis, dicet nonnullùs, vellem videre unum Summum Pontificem recepto viatico peccaviſſe mortaliter, & poſt unam, vel alteram horam morituram; nimirùm, qui in eâ eſſet ſententiâ, quæ docet eſſe probabile communionem requiri neceſſitate medij ad ſalutem æternam. In tali caſu vellem ſcire, quid ille Pontifex eſſet facturus: nam vel poſt confeſſionem ſumeret ſecundum viaticum, vel diceret, ſe velle condemnari probabiliter, ac proptereà eſſe impœnitens; non enim ſincera Pœnitentia eſt, velle probabiliter damnari. Proculdubio, aut præceps eſſet, aut ſecundò viaticum ſumeret. Tunc ſic: Non poſſet tutâ conſcientiâ ille Pontifex non recipere ſecundò viaticum in tali caſu; ergo nec poſſet interdicere Petro ſecundam ſumptionem viatici in tali caſu.

An omniū dari ratio poſſit.

Mutatis rir. cunſtantiis mutantur.

De Communione.

Religioſorū.

An ſit indecens pluries in die communicare?

An pluries in die confiteri poſſimus?

An infirmus, ſi poſt viaticum mortaliter peccet, debeat iterum ſumere Viaticum?

An poſſet quis probabiliter ire ad infernum velle?

M M M D. LIV.

Occurritur effugio primo.

Dicunt aliqui interdictionem eſſe legitimam, quia illa lex fundatur in ſummâ probabilitate, & ſufficere ad juſtificationem legis authoritatem, & cauſas probabiles. Sanè, ſi nihil aliud obſit, etiam eadem probabilitas ſufficeret ad hoc, quod Petrus non obediret; poſitâ enim authoritate probabili, & causâ probabili, poteſt Superior prudenter credere, ſe eſſe ſuperiorem legitimum, & habere cauſam ſufficientem, ac proptereà prudenter legem ferre. Sed & Petrus poſſet prudenter credere, Superiorem non eſſe legitimum, vel cauſas non eſſe ſufficientes, ac proptereà poſſet prudenter non obedire, ergò dicendum eſſet, poſſe Petrum in tali caſu prudenter procedendo recipere ſecundum viaticum.

An obediendum ſit ſuperiori probabili: aut etiam certo habenti cauſam præcipiendi probabilem?

Occurritur effugio ſecundo.

Si dicatur diſpar eſſe ratio: quia Pontifex non debet neceſſariò legem illam ſervare: illâ enim, utpote legiſlator, vel non obſtringitur? vel obſtringitur volens; poteſt enim diſpenſare, cùm voluerit: ſecus autem Petrus, qui ſubditus eſt, & tenetur obedire: arguo ſic. In tali caſu, vel poteſt Pontifex illam

An Pontifex infirmo, qui poſt Viatici ſumptionem in mortale fuit lapſus, jubere poſſit, ne rurſus communicet illâ die?

illam legem ſervare, vel non poteſt. Primum non poteſt dici, ut ſuperiùs vidimus, ergo debet aſſeri ſecundum: Subſumo; Ideò non poteſt Pontifex ſervare illam legem, quia in tali caſu militat contra legem Sacramentalem inſtitutam à Chriſto: Ergo nec poteſt jubere Petro, ut contra legem Sacramentalem obſervet legem Pontificiam.

An poſſit, ut non confiteatur?

Confirmatur primò: Si Petro in eodem agone conſtituto juberet Pontifex, ne confiteretur, & præceptum eſſet tyrannicum, & Petrum non obſtringeret; Ergò ſi æquè neceſſaria eſt Euchariſtia, ac Pœnitentia, non poterit interdicere ſumptionem Euchariſtiæ, plus, quàm Confeſſionem.

N. B. Hic argumentandi Modus videtur efficax primâ fronte conſpectus; at re bene perpensâ nil concludit.

Confirmatur iterum. Si eſſet certum certitudine fidei, Euchariſtiam eſſe de neceſſitate medij, eſſet certum certitudine fidei, non poſſe interdici à Pontifice: eſſet enim hæreticus, qui diceret Pontificem poſſe interdicere fidem, aut charitatem: Atqui eſt probabile, Euchariſtiam eſſe de neceſſitate medij: Ergo eſt probabile Euchariſtiam non poſſe Petro in caſu propoſito interdici.

Reſolutio.

MMMDLV. *An Euchariſtia ſit neceſſaria neceſſitate medij?*

EVchariſtiam non eſſe neceſſariam neceſſitate medij, docuerunt Villalobos *tom.1. tract.7. diff. 34. num.2. & 3.* Diana *part.5. tr.13. reſ.28.* & Antonius Cotonius (aliàs, Anſonius Noctinot) *verb. Communio, num.1.* At eamdem eſſe neceſſariam neceſſitate medij, docuit Becanus *de Sacram. cap.15. quaſt.7.* cuius opinionem probabilem putavit Diana *part.2. tract.6. reſol.95.* Ego autem contra Becanum duas rationes efformo: alteram probabilem, alteram meo iudicio evidentem.

An hæc conſequentia ſit bona: Non dixit: ergo non eſt?

Sit prima. Coacti ſunt Patres in Tridentinâ Synodo, ut populum Chriſtianum in Sacramentorum uſu & neceſſitate docerent: duravit illa Synodus plurimis annis: tandem cùm omnia fuerunt expedita, quæ neceſſaria videbantur, fuit diſſoluta. Ergo poterimus ratiocinari ab argumento negativo & aſſerere, hanc eſſe bonam conſequentiam, *Non dixit Synodus, Ergo non eſt neceſſarium.*

De circumſtantiis aggravantib.

Hanc Dialecticam admittunt fere omnes Doctores, & ad hanc formam multos ſyllogiſmos eliminant: Propono unum vel alterum. Quærenti, Vtrum circumſtantiæ aggravantes debeant in confeſſione exponi, dicunt, *Concilium non iuſſit: ergo non ſunt exponenda.*

De peccatis dubiis, aut probabilib.

Quærenti, An peccata dubia, aut etiam probabilia ſint neceſſariò ſubiicienda Eccleſiæ clavibus? eodem utuntur ratiocinio, dicuntque: *Illa ſubijci Concilium non iuſſit: ergo non ſunt ſubijcienda.* Sanè, ſi rigor Dialecticus ſtat, quærenti Vtrum Euchariſtia de neceſſitate medij ſit? Theologi reſpondere debebunt. *Conſilium neceſſaria omnia docuit: ſed illud hoc non docuit: Ergo non eſt neceſſarium.* Et quidem Minorem eſſe veram, conſtat ex contextu Concilij, & præcipuè ex *Seſſ.7. can. 4.* & *Seſſ.14. cap.3.* ibi

De Baptiſmi & Pœnitentia neceſſitate.

enim Baptiſmum pro omnibus propter peccatum originale & Pœnitentiam pro adultis, qui lapſi in peccatum mortale, eſſe neceſſaria docemur: at verò Euchariſtiam eſſe neceſſariam non docemur. Hanc rationem indico fortiſſimam & probabiliſſimam: ſed quia in re tanti momenti nolo à probabilitate pendere, aliam certam & indubitatam ſubſcribo.

MMMDLVI. *Neceſſitas medij quæ ſit?*

Sit ſecunda. Illa ſunt de neceſſitate medij quibus omiſſis, etiamſi inculpabiliter omittantur, nemo ſaluari poteſt. Nam, ſi aliquis invincibiliter ignoret, Baptiſmum in re vel in voto eſſe neceſſarium, & tamen neutrum habeat, hac non obſtante ignorantiâ invincibili non perveniet ad cœlum.

Non poteſt peccare, qui laborat ignorantiâ invincibili.

Hac doctrinâ præmiſsâ pone Nicolaum, aut nullum poſt Baptiſmum peccatum mortale commiſiſſe, aut certè ſi commiſerit aliquod, ritè fuiſſe confeſſum, & gratiam divinam conſequùtum.

Quid requiratur, ut aliquis in æternum pereat?

Ignoret Nicolaus opinionem Becani, videlicet, ignorantiâ invincibili, & præventus tempore, de Euchariſtiâ ſumendâ nihil cogitet, & ſic moriatur: An-ne iſte in æternum peribit? ſunt nugæ, nemo damnabitur, niſi propter culpam mortalem neque

Sine peccato actuali nemo ad pœnas inferni condemnatur.

hæc committi ab illo poteſt, quem ignorantia inſuperabilis excuſat. Hanc rationem indico evidentiſſimam: & quandiu non detur ſolutio, quæ videatur probabilis, Becani opinionem improbabilem dicam.

An Euchariſtia ſit neceſſitate præcepti neceſſaria?

Licèt negem Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medij, pronuncio nihilominùs eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti, tum divini, tum humani, quod non obligat ſemper, ſed in aliquibus caſibus, & temporibus. Placet igitur Dianam producere. Antonius igitur Cotonius *verb. communio, n.9.* hæc habet.

MMMDLVII. *Quando obliget Communionis præceptum? Datur communicandi præceptum in articulo mortis.*

[Sacra communio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti divini, quod obligat infirmum tempore mortis, etiamſi in Paſchate communicaverit: Nam in Nicæno *can.12.* determinatur Euchariſtiam eſſe moribundo neceſſarium viaticum. Et ulteriùs clarè præcipitur in Concil. Carthagin. IV. confirmato à Leone IV. *can.77.* & in Eccleſiâ communiter obſervatur. Itaque præcepto communicandi in articulo mortis non ſatisfit per communionem Paſchalem. Ita Diana *part.5. tr.6. reſol.42.*

An huic præcepto per paſchalem, aut aliam communionem ſatisfiat?

Nec per aliam, quæ ante talem articulum præmiſſa ſit, non per modum viatici. Ita Granado *in 3. part. contron.6. tract.10. diſp.3. num.4.* contra Caietanum *verb. communio.*

An liceat bis communicare eadem die?

Imò probabile puto, quòd ſi quis manè ſanus communicaret, & poſt meridiem in periculum incideret, ac timeret eodem die ſe moriturum eſſe, teneretur iterum eodem die communicare per modum viatici: nam præceptum divinum præponderat Eccleſiaſtico de non communicando, niſi ſemel in die, & jejunè. Ita Hurtado *de Euchar. diſp. 10. difficul. 2.* Diana *part.4. tract.4. reſol.197. & part.5. tract.3. reſolut.33.*

Quid facturum it ſit, qui poſtquàm communicavit, in morbum incidit, ex quo illâ ipsâ die ſit moriturus?

Sed contraria opinio eſt etiam probabilis, ut habet ipſe Diana *part.3. tract.4. reſolut.4. & part 5. tr.3. reſolut. 41.* Qui in mortis articulo conſtitutus ſemel per modum viatici communicavit, ſi poſteà peccet mortaliter, quamvis teneatur iterum confiteri, non tamen tenetur iterum communicare; nam confeſſio eſt neceſſaria neceſſitate medij, quotieſcumque quis eſt in peccato mortali, & imminet mortis periculum; Euchariſtia verò

eſt

a] At Sotus non ſolùm præceptum, ſed ratione præcepti conſiderans, & ſi ad vitã ſpecialigratiâ homo indiget, & hinc per peccatum amiſit, iterum videtur indigere Viatico.

eſt ſolùm neceſſaria ex præcepto; quod in mortis articulo non obligat, niſi ſemel [a] Ita Ochagauia *tract.2.de Euchariſt.quæſt.*14.*num* 8.contra Sotum *in* 4.*diſt.*21.*quæſt.*1.*art.* 11. Vide Dianam *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 43.] Hucuſque in Summa Dianæ Antonius. Ex dictis igitur hæ Concluſiones deducuntur.

De neceſſitate Euchariſtia.

Prima. *Euchariſtia non eſt de neceſſitate medij.* Eſt tam certa, vt oppoſita videatur improbabilis. Hinc conſtat, quod ſi non adeſſet præceptum ſumendi Euchariſtiam, poſſet homo ſaluari, quin illam in re, vel in voto ſuſciperet.

Quando recipi debeat aut non recipi.

Secunda. *Euchariſtiam debet homo recipere quando præcipitur, & debet non recipere, quando interdicitur.* Conſtat ex præcedenti.

Rationibus dubitandi ſatisfit.

MMMDLVIII.

DVo erant ſub initium propoſita, quæ viderentur ſecundam Concluſionem euertere, primam proſcribere; quibus placet occurrere, & legitimam ſolutionem dare.

De cultu externo, an lex humana illum determinare?

Dico ad primum, debere eſſe in Republicâ (Politicâ, Eccleſiaſticâ) cultum externum, quo veneremur Numen, quo Sanctos, quo Principes, quo Superiores. Addo ad leges humanas pertinere, determinare, in quo conſiſtat iſte cultus. Rem exemplo dilucido. Deponere pileum, aut non deponere, ex naturâ ſua eſt actio indifferens, ac propterea leuis, aut fortè nullius conſiderationis: verùm enim verò ex hypotheſi, quòd depoſitio pilei extrinſeca ſit reuerentia, poſſet præcipi ſub culpâ graui, ne quis non deponat pileum, aut coram Venerabili Sacramento, aut coram Summo Pontifice, Imperatore, Rege, & aliis. Imò fortaſſis extat tale præceptum implicitè, aut expreſsè, quoniam coram talibus perſonis debet pileus deponi, & poteſt, & ſolet puniri, qui non obediat.

Res leves ob ſignificationem fiunt graves.

De pilei depoſitione.

An Vrbanitas obliget ſub peccato?

Hinc patet, præſcindendo à præcepto, & inſtitutione Eccleſiaſticâ non eſſe malum ſæpe communicare eadem die: at quia Eccleſia voluit omiſſionem communionis ſecundæ (tertiæ, &c (&c) eſſe cultum externum, quo Deus colatur, hæc eadem omiſſio tranſibit in rem magni momenti, debetque poni ſub peccato mortali, niſi diſpenſatio Legiſlatoris accedat.

An ſit actus reverentia ipſamet cõmunionis omiſſio?

Dico ad ſecundum, Euchariſtiam non eſſe de neceſſitate medij, nec contrariam opinionem eſſe probabilem, adeoque ceſſare rationem propter quam optaret curioſitas ſcire, quid ille Summus Pontifex faceret quem ob oculos protrudebat obiectio: ſi enim poſt viaticum peccaniſſet mortaliter teneretur iterum confiteri, non tamen iterum communicare. Cæterùm poſt communionem ex deuotione ſuſceptam, ſi eâdem die eſſet moriturus, teneretur probabiliter iterum communicare per modum viatici, non quidem propter neceſſitatem medij, ſed propter neceſſitatem præcepti: & quia teneretur probabiliter, poſſet licitè non communicare. Sanè in hoc caſu Summus Pontifex ſecundam communionem hæc eſt per modum Viatici) fidelibus non interdixit, vt conſtat ex Ochagania, & Soto, quos Antonius Coroninus producit: at, ſi vrgeret neceſſitas, poſſet illam interdicere inſiſtens opinioni probabili. Quid, ſi aliquis contenderet eiuſmodi communionem ſecundam iam eſſe interdictam, & generali Eccleſiæ præcepto includi? non poſſet euidenter conuinci.

Præcepta probabilia (videlicet, de quorum exiſtentiâ probabiliter dubitatur) nequidẽ probabiliter obligant.

De præcepto Communionis notanda.

Hinc patet, quid debeamus dicere ad confirmationes. *Ad primam* enim nego paritatem, quoniam adulto in culpam grauem lapſo Confeſſio in re, vel in voto eſt neceſſaria neceſſitate medij; & præſcindendo à præcepto, communio non eſt neceſſaria. *Ad ſecundam* negando minorem reſpondeo, nam Communionem requiri neceſſitate medij, iudico non eſſe probabile.

Aliter eſt neceſſaria poſt peccatũ commiſſum Confeſſio, aliterque Cõmunio.

ARTICVLVS XI.

An ieiunium naturale Euchariſtiam ſuſcepturos obliget ſub peccato mortali?

MMMDLIX.

De ieiunio naturali.

AD ieiunium naturale, quod Eccleſia requirit in communicaturo venientibus occurrit ratio, quæ indiget ſolutione. Non habet Romana Eccleſia authoritatem, vt poſſit interdicere vnam vnciam cibi ſub peccato mortali; non habet authoritatem, vt interdicat vnum granum tritici ſub peccato veniali. Ratio eſt clariſſima: quia, & vna vncia panis ſupponitur eſſe materia parua, & vnum granum tritici materia moraliter nulla; illud enim nemo emeret, nemo venderet, & nemo ſeruaret; igitur non peccat mortaliter; ſed venialiter, qui ſumptâ vnciâ panis recipit Euchariſtiam: ergò nec venialiter quidem peccat, qui poſt quatuor granorum ſaccari comeſtionem communicat,

An Eccleſia præcipere poſſit rem moraliter nullam ſub veniali, aut rem moraliter parvam ſub mortali?

Reſpondent aliqui, leuem comeſtionem poſſe eſſe grauem irreuerentiam; ſed hoc falsò ſupponitur; comedere enim poſt Euchariſtiam non eſt irreuerentia; ergò nec comedere ante Euchariſtiam. Præterea Eccleſia poteſt concedere, vt Euchariſtia ſumatur poſt ientaculum, imò illam ſumpſerunt Apoſtoli poſt Cœnam, ipſomet Chriſto diſtribuente: Atqui nec Chriſtus ipſe, & à fortiori neque Pontifex poteſt diſpenſare, vt Euchariſtia irreuerenter ſumatur; Ergo quando ſumitur poſt cibum, nulla committitur irreuerentia. Stat igitur poſſe hoc Sacramentum interdici poſt crapulam, & ebrietatem, non verò poſt comeſtionem ſobriam, & prudentem.

An in levi comeſtione gravis irreverentia eſſe poſſit.

Nemo poteſt cõcedere, vt Euchariſtia cum irreverentiâ ſumatur.

Digitized by Google

An omnis interdicatur cibus, ne communio poſt crapulã aliquando ſumatur?

Si dicatur oportere omnem cibum interdici, ne aliquando poſt crapulam, aut ebrietatem Euchariſtiam ſumi contingat; Dicamus ſimiliter omne iuramentum debere interdici graviter, ne aliquando committatur perjurium; omne mendacium etiam officioſum interdicendum eſſe graviter, ne detur occaſio calumniæ; ergo ſimiliter omnia peccata venialia deberent graviter interdici, ne committerentur mortalia.

Reſolutio.

MMMDLX.

An res parva poſſit præcipi ſub culpâ gravi?

An ceſſante fine adæquate legis in aliquo particulari, ceſſet ipſa lex in illo particulari?

His tamen non obſtantibus ſit reſolutio: *Ille, qui non ieiunus communicat peccat mortaliter.* Huius reſolutionis demonſtratio pendet ab his, quæ diximus articulo præcedenti, cum primam dubitandi rationem ſolvebamus: certum eſt enim non poſſe Eccleſiam præcipere rem parvam ſub culpa gravi: certum eſt etiam levem comeſtionem ſecundùm ſe conſideratam non eſſe gravem irreverentiam: &, ſi ad ebrietatem recurratur, certum eſt in multis provinciis hoc ceſſare periculum: & probabile eſt, ne certum dicam, ceſſante fine adæquato legis in particulari, ceſſare etiam obligationem legis in particulari: Ergo ex his Capitibus Concluſio demonſtrari poterit. Dico igitur non depoſitionem pilei, ſecundùm ſe eſſe indifferentem, eſſe tamen irreverentiam ex inſtitutione politicâ, & eſſe materiam poſſe peccati gravis. Et hinc ad noſtrum caſum veniens, aſſero, non ieiunium ſecundum ſe conſideratum, rem eſſe indifferentem; at eſſe irreverentiam gravem ex Eccleſiaſticâ inſtitutione: ac propterea naturale ieiunium, vbi Eccleſia illud præcipit, obligare ſub peccato mortali. Præterea, nullibi Eccleſia præcipit, ne ante Euchariſtiam bibas aut comedas; ſed præcipit, ne poſtquam aliquid biberis aut comederis, audeas communicare. Qui poſtquam panis vnciam cepit, ſumpſit Euchariſtiam, non peccat, quia ante Euchariſtiam comedit; nam illa non erat ipſi interdicta comeſtio. Cur autem peccat? Quia poſt comeſtionem communicavit: nam communio eſt res magna, & in caſu ab Eccleſiâ interdictâ Ita Suar. *in 3 part. tom. 3. diſput. 68. ſect. 4. §. Sed quæres.* vbi ait: *Vnde rectè colligitur ita eſſe interpretandum præceptum, quia hic non levitas materiæ in proprio actu in quem cadit prohibitio; nec enim hic prohibetur cibus & potus, ſed prohibetur Communio poſt cibum vel potum: hoc autem præceptum ſimpliciter violatur in ſuo actu principali, etiamſi ieiunium in parvâ materiâ ſolutum ſit.* Conſonat Bonacina *diſput. 4. de Euchariſt. ſect. 6. punct. 11. num. 6.* aſſerens, *In hoc caſu non adeſſe parvitatem materiæ reſpectu rei præceptæ, & conſequenter facit contra prohibitionem Eccleſiæ in materiâ gravi, etiamſi materia, per quam frangitur ieiunium, ſit levis.* Ita etiam Got fredus & Ioannes Pariſienſis à Sylveſtro *verb. Euchariſtia, 6. quæſt. 6.* & alii relati: Ita etiam Váſquez *diſput. 221. num. 18.* Et tandem Abbas D. Benedict. Stella *in lib. de Tabacco, cap. 33. pag. 341.* Ita omnes Theologi, nemine dempto; nec eſt in re, de qua nemo Chriſtianus dubitat, vos ſoli velitis dubitare.

De irreverentiâ.

N. B. *Non interdicitur comeſtio ante Euchariſtiã, ſed poſt comeſtionẽ cõmunio: & Communio eſt res magna.*

In præceptis conditionatis non ſumitur à cõditione magnitudo materiæ, ſed à re interdictâ aut præceptâ.

ARTICVLVS XII.

An ſubſtantia panis & vini in conſecratione adnihiletur? an corrumpatur?

MMMDLXI.

Quid ſit Adnihilatio? quid creatio?

In Converſione Euchariſticâ vterque terminus (à quo, & ad quem) ſunt poſitivi.

PAnis nullò modo dicendus eſt adnihilari: non eſt dicendum adnihilari; vinum; nam adnihilatio eſt deſitio alicuius rei totaliter in nihilum prorſùs tanquam in terminum *ad quem*, abeuntis; vt opponatur creationi, quæ eſt inceptio alicuius rei totaliter è nihilo prorſus, tanquam ex termino *à quo*, emergentis. Quod quidem in conſecratione non contingit, vi cuius datur vna & ſimplex converſio ſeu tranſmutatio cuius terminus à quo eſt ſubſtantia panis quæ deſinit, & terminus ad quem Chriſtus qui incipit eſſe ſub accidentibus Sacramentalibus.

Sed dices, dari ibi duas imitationes, alteram adnihilativam, creativam alteram; nam & panis totaliter tranſit in nihilum, & Chriſtus totaliter incipit eſſe. Tibi ego hanc rationem tollere omnem Converſionis conceptum; nam poſſet etiam quis dicere, cùm calidum tranſit in frigidum, eſſe calorem frigúſque duas qualitates phyſicas, & in hoc tranſitu dari duas mutationes totales; nimirùm adnihilationem & creationem, nempe, adnihilari calorem, creari frigus.

Creationis Annihilationis, & Converſionis differentia.

Sed neque panis corrumpitur corruptione Philoſophicâ & peripateticâ, quæ reperitur in converſione philoſophicâ, quæ eſt transforma tio. Vt enim iuxta Peripateticorum Lexicon poſſet dici *corrumpi*, deberet materia panis remanere, quod in hoc Sacramento non accidit.

An panis & vinum corrumpantur?

ARTICV

ARTICVLVS XIII.

De Sumptione Euchariſtiæ. An de neceſſitate medij ſit?

MMMDLXI.b.

Recipienda Euchariſtia triplex modus.

INTER varios huius recipiendi Sacramenti modos, quoad præſens iudicamus præcipuos; videlicet *ſumere in re, ſumere in voto expreſſo, & ſumere in voto implicito.*

An realis ſumptio ſit neceſſitate medij neceſſaria?

Sumere in re Euchariſtiam eſſe neceſſarium neceſſitate medij docuerunt nonnulli apud Waldenſem *tom. 2. de Sacrame t. cap. 91.* Multi etiam hodie Græci infantibus ſtatim poſt Baptiſmum tribuunt Euchariſtiam, vt Claudius *repet. 6. cap. 7.* apud Leandrum *p. 2. tract. 7. diſputat. . quaeſt. 11.* teſtatur. At inde non ſequitur, eos tam neceſſariam judicare, vt exiſtiment, parvulos in Chriſto per Baptiſmum renatos, niſi communicent, æternum perituros eſſe: nam etiam olim Catholici parvulis dabamus Euchariſtiam, non tamen vt neceſſariam, ſed vt vtilem. Sit ergo noſtra Concluſio I. *Euchariſtia in re, nec parvulis nec adultis, eſt neceſſaria neceſſitate medij.* Ita expreſsè Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 4 & can. 4* & aſſerunt vniverſi Catholici

An infantibus ſit miniſtranda?

An ſumptio in voto neceſſitate medij obliget vniverſos.

Sumere Euchariſtiam in voto, ſicut res facilior, ſic ſtrictiùs obligare videtur. Tanta enim non paucorum nec ignobilium Theologorum judicio, eſt Euchariſtiæ neceſſitas, vt ſi de effectu ac re Sacramenti, quod eſt vnio Chriſti corpore myſtico ſermo habeatur, multi. qui realem ſumptionem negant eſſe neceſſariam aſſerunt ſumptionem illius ſecundo modo eſſe neceſſariam, neceſſitate medij; &, ne rem intelligeremus bene, addiderunt, neceſſitatem medij hîc eſſe neceſſitatem finis: & hoc volunt exponere Communionem cum ipſo Baptiſmo componendo: nam ſicut Baptiſmus habet, vt re ipſa ſuſceptus ſalvet, quia tamen fieri poterat, vt aliquando eius ſuſcipiendi copia non eſſet, diſpenſativè, & quaſi per accidens voluit Deus, vt eius votum ſufficeret. Euchariſtia verò per ſe & accommodata ad ſuam primariam inſtitutionem habet, vt non ſolum reipſa, ſed etiam voto ſuſcepta ſalvare poſſit, cùm Baptiſmus ad Euchariſtiam ordinetur, eiuſque ſuſcipiendi propoſitum in ſe contineat.

De neceſſitate Baptiſmi.

An Baptiſmus in voto ad ſalutem ſufficiat?

MMMDLXII.

De Baptiſmo in voto cur illæ propriam voluntatem requirat: & cur eâ Communio in voto non requirat? De Martyrio.

Hinc liquet quod in ſuſcipiente Baptiſmum in voto propria voluntas requiratur, cùm nullum alium Sacramentum præcedat ordinatum ad ipſum Baptiſmum, eiúſve votum in ſe includens. Sed quia Baptiſmus præcedit, huius ſententiæ Authores aſſerunt, ſpeciale Euchariſtiæ recipiendi votum non requiri; nam, cùm in Baptiſmo includatur, propriam ſuſcipientis non poſtulat voluntatem, ſed ſufficit intentio Chriſti & Eccleſiæ ordinantis Baptiſmum ad Euchariſtiam. Quare infantes, cùm careant actu propriæ voluntatis ſine Baptiſmo re ſuſcepto ſalvari nullatenus poſſunt, niſi fortè pro Chriſto (quod eſt ſingulare Martyrij privilegium) occidantur: poſſunt tamen ſine Euchariſtiæ ſumptione, cæterum ſi baptizentur, ſi in Baptiſmo Euchariſtiæ votum contineri dicatur, mori ſine communione in voto non dicentur. Hæc doctrina præmiſſa quid ſentiant Authores videamus.

Eſt Baptiſmus ſanguinis.

De neceſſitate ſumendi Euchariſtiam in voto.

Euchariſtiam in voto eſſe omnibus medij neceſſitate neceſſariam negant Durand. Paludanus, Cajetanus Nuñus, Suarez, Vaſquez, Ægidius, Illiincius, Reginaldus, Heredia, Bonacina, Villalobos, Lugus, Diana, Dicaſtillus, & alij

Aſſerunt S Thomas *quaeſt. 73. articul. 3* & *quaeſt. 79. art. 1.* & *quaeſt. 80. art 11.* Navarrus, Henriquez Sotus, Becanus, Layman, Sylvius, Fagundez Machadus, Bellarminus, & alij. Et probant ex verbis D.N Ieſu-Chriſti, *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. [a]

a] Ex hoc textu, præcepti probatur, ſed neceſſitas medij non probatur.

Leander *p. 2. tract. 7. diſput. 1 quaeſt. 14. pag. 81. b.* ſic inquit. [Probabilius reſpondeo, eſſe tam parvis, quam adultis neceſſariam in voto ſaltem implicito, & contento in Baptiſmo] Non reſpondet Quæſtioni: ſit ergo noſtra

MMMDLXIII.

An quaeſtio hæc bene proponatur, aut decidatur?

Concluſio II. *Euchariſtiam in voto expreſſo eſſe omnibus tam infantibus, quàm adultis neceſſitate medij neceſſariam improbabile eſt.*

Concluſio III. *Hæc propoſitio*, Euchariſtia in voto implicito eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem; & nemo, ſive infans, ſive adultus, ſine hoc voto ſalvabitur: *eſt ſimilis huic*, Rationalitas eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem; & nemo, ſive infans, ſive adultus, ſine rationalitate ſalvabitur.

Quid rei neceſſariæ ad aliquid nomine intelligatur?

Ego putarem nomine *rei neceſſariæ ad aliquem finem*, intelligi rem, quæ poteſt poni, & non poni, vt Baptiſmus, Pœnitentia &c. Quam ob rem, Quæſtio non deberet proponi ſic, *An Euchariſtia, ſaltem in voto implicito, ſit neceſſaria?* ſed deberet ſic, *An poſſibile ſit, vt qui fuit baptizatus, votum implicitum Euchariſtiam recipiendi non habeat*: Nam reſpondemus negativè, quia hoc votum includitur in ipſo Baptiſmo.

De ſententiâ Leandri.

Hinc patet primo Leandrum male ſuam opinionem abſolutè probabiliorem appellaſſe. Si enim repugnat, vt votum implicitum in Baptiſmo non ſit, illa ſententia quà de voto implicito agit, non iam probabilior, ſed certa eſt.

An ex hac doctrinâ pro abſolutione moribundi ſenſibus deſtituti argumentum ſumatur?

Hinc patet ſecundò non malè argumentari, qui dicat: *Votum ſuſcipiendi Euchariſtiam clauditur in Baptiſmo: ſed non votum ſuſcipiendi indignè, Ergo votum ſuſcipiendi dignè. At, vt dignè ſuſcipiatur in adultis poſtulat confeſſionem. Ergo etiam in Baptiſmo includitur Confeſſio in voto.* Ergo ex hoc fundamento diſcurrant, qui jubent moribundum, qui non loqui poteſt, abſolvi.

Præter

MMMDLXIV. *An Euchariſtia ſit neceſſaria neceſſitate medij?*

N. B. Si quæras, *An hoc Divinum præceptũ, a nullis non baptizatos obliget?* Suar. Vaſq. Ægid. Reginal. Filliuc. Granadus. Hurtad.

PRæter hanc autem, quam diximus medij neceſſitatem ſumendæ Euchariſtiæ, eſt alia quædam, vt diximus, quam præcepti vocant, vnde malè Alexander; Carthuſianus, D.Bon. Gabriel. & alij Veteres, quibus Sylveſter, & teſte Machado Victoria, Graſſius, & Chamerota adhæſerunt, divinum hujus rei extare præceptum, negarunt; cùm id clarè colligatur ex illo Salvatoris dicto apud D. Ioan. cap.6. *Niſi manducaveritis*, &c. quod cùm ſit affirmativum,& aliquo tempore obliget, tenemur aliquoties in vitâ, & maximè in articulo ſeu periculo mortis Euchariſtiam ſumere, quod etiam Eccleſia per varios Canones & Concilia ſancivit, hoc tamen præcepto infantes, vt quidam ſomniant, minimè tenentur, ſi neceſſitas præcepti non medij ſpectetur, nec illi ſuffragari poteſt quaſdam olim particulares Eccleſias (nam de Romanâ & vniverſali nil conſtat) parvulis illicò poſt Baptiſmum Euchariſtiam contuliſſe, non enim id factum fuit, quaſi eſſet de neceſſitate ſalutis, ratione huius præcepti, quod illi contendunt; ſed vt in re tantâ via tutior teneretur: qui tamen vſus iam meritò ſublatus eſt.

Lugo, Bec. Pet. à S. Ioſepho, & alij affirmativè reſpondebunt. Horum doctrinã eſſe certam aſſerit Ochagavia *tr.2.q.17 n.*L eandem autem eſſe minùs probabilem Leãd. *p.2.tr.7. diſ. 2.quæſt.2.* & alij exiſtimant.

ARTICVLVS XIV.

An, & quomodo ſit in Euchariſtiâ tota Trinitas?

MMMDLXV. *De ſitu Euchariſtico.*

Partes in ordine ad ſe & in ordine ad locũ debent conſiderari.

PEtis, an in Euchariſtia ſolus Chriſtus, videlicet, quà homo ſit, an etiam ſit Verbum Divinum? Et, ſi hoc ſit, An etiam Pater, & Spiritus Sanctus? Vt dirimamus Quæſtionem meminiſſe debemus alia eſſe in Sacramento ex vi verborum, & alia per concomitantiam: & Chriſti ibidem partes non eſſe in ordine ad locum, & tamen in ordine ad ſe remanere inconfuſas. Omnia jam ſuperiùs ediſſerui; ſed placet iterum breviter dilucidare. Scias igitur iterum, duplicem eſſe Euchariſticum ſitum ſuccedunt enim ſibi partes in ordine ad ſe; & in ordine ad locum. Si agamus de primo, Chriſtus in Euchariſtiâ ſitum habet: ſi verò de ſecundo, ſpecies ſeu Sacramentalia accidentia in Euchariſtiâ ſitum habent, Chriſtus non habet. Sanè totus & integer Chriſtus, cum divinitate & humanitate, cum animâ & corpore, cum carne & ſanguine eſt in hoc Sacramento: non tamen hæc omnia ſunt ibi eodem modo: nam corpus & ſanguis ſunt ibi vi verborum, cætera omnia vi concomitantiæ. Sed neque Corpus & Sanguis in vtroque eodem modo: nam ex vi verborum eſt Corpus in hoſtiâ, & Sanguis per concomitantiam, & in calice, Sanguis eſt vi verborum, & corpus per concomitantiam. Pater etiam & Spiritus ſanctus poſſunt etiam dici adeſſe per concomitantiam, ſed latiùs ſumptam: quia tametſi non ſint realiter & immediatè vniti corpori aut ſanguini, adſunt tamen, quia conſubſtantiales Verbo ſunt. Quam ob rem, ſi immenſi non eſſent, adhuc in Sacramento Venerabili eſſent: quia ea, quæ vi verborum ponuntur, vi concomitantiæ præſentiam Verbi Divini inferunt; & quia illud conſubſtantiale eiſdem eſt, hoc vbi abſit Pater & Spiritus S. eſſe non poteſt.

An tota Trinitas ſit in hoc Sacramento? & cur?

Eſt, non autem comeditur Trinitas in Euchariſtiâ.

An, ſi Pater & Spiritus Sanctus non eſſent immenſi, in Euchariſtiâ exiſterent per concomitantiam?

Non ſolùm in totâ hoſtiâ: aut toto latice totus Chriſtus, & tota per concomitantiam Trinitas eſt: ſed totus ille, tota hæc (ſed diverſâ ratione) vtrobique, & in quâlibet particulâ; tam poſt diviſionem, quàm antè.

An Chriſtus ſit ſub ſingulis accidentiũ partibus?

ARTICVLVS XV.

An reliquiæ ciborum præcedentis diei, quæ adhærent dentibus communionem impediant, ſi die ſequenti tranſglutiantur?

MMMDLXVI. *Quid ieiunium ſignificet?*

Quid requiratur, vt aliquis ieiunus dicatur?

Quid ſit Comedere?

FAcili ſe negotio expedit ab hac difficultate Theologus, & tamen Grammaticus non ita. Totam ille controverſiam imponit huius humeris, vt ſe liberet ab objectionibus. Non poteſt communicare, qui non ſit jeiunus ait Theologus: hoc à præcepto Eccleſiæ didicit. Nomine *ieiuni* intelligit Eccleſia hominem, qui nihil comedit illa die. Et cùm *nihil* dicit, etiam vel mininam quantitatem excludit. Et hoc etiam Theologus ſcit, aut; ſi mavis ſupponit. Et modo progredimur vlteriùs, & inquirimus, *An tranſglutire cibi particulas, quæ inter dentes manſerunt, ſit comedere? an ſalivam ingerere? an heſternam comeſtionem complere?* Quod eſt inquirere, Quid ſignificet hoc verbum *Comedo?* Cuius quæſtionis reſolutio non eſt petenda à Theologiâ, ſed à Grammaticâ. Audiamus igitur claros & illuſtres Theologos, videamũ que qualiter grammaticentur.

Multæ Quæſtiones viderentur Theologicæ, quæ ad examen vocatæ nõ niſi Grammaticæ ſunt.

MMMDLXVII. *Prima opinio.*

Prima ſententia inter particulam magnam & parvam diſtinguit, & aſſerit illam comedi & ieiunium naturale frangere, hanc non comedi, ſed per modum ſalivæ ingredi, & ideò non frangere naturale jeiunium. Ita Nugnus *in 3.part.tom.1.quæſt.*80.*artic.*8. vbi ait. [Videtur

detur mihi, quòd ſi maneat aliqua notabilis & magna reliquia, etiamſi caſualiter tranſ glutiatur, ſi poſteà cognoſcatur, eſt homo impeditus ad communicandum pro illa die] Sed hîc nihil reſolvitur definitivè; quia ſtatim rogabo, quantula futura ſit illa particula, quæ dicenda ſit magna & notabilis, nam inter dentes non videtur permanere poſſe aliqua, quæ non ſit minutiſſima.

Quantula ſit magna particula?

Vnde debeat ſumi conſideratio?

Sanè, ſi à quantitate ſumitur Comeſtionis & Salivæ diſtinctio, etiam eædem particulæ, etſi non manſiſſent inter dentes, ſed ab extrinſeco ſumerentur, non frangerent ieiunium, nec communionem impedirent; quod non admitteret Nugnus. Non ergo ex quantitate, ſed ex alio capite ſumi debet cibi & ſalivæ differentia.

MMMDLXV. III.

Secunda opinio.

An maſticatio ad comeſtionē requiratur?

Secunda ſententia non multum diſtat à primâ; aſſerit enim comeſtionem in maſticatione, ciborum diviſione & tranſglutione conſiſtere. Vnde infert, particulas, quæ ſine maſticatione tranſglutiuntur, non comedi, nec violare jeiunium; at contrà illas, quæ dentibus dividuntur, & atteruntur. Ita Rodriguez *in Summ.tom.1.cap.103.num.3.* vbi ſic inquit. [Por tragar vno vna reliquia de manjar, que le quedo entre los dientes, no queda impedido de comulgar, porque eſto no ſe traga por modo de manjar, ſino por modo de ſaliva. Pero, ſi la reliquia fuere tal, que ſe parta entre los dientes, tragandoſe, no podra comulgar] Cuius verba, vt etiam intelligi à peregrinis queant, debebunt reponi Latinè. [Quod aliquis tranſglutiat reliquiam cibi, quæ manſit inter dentes, communionem non impedit: quia illam non tranſglutit per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Cæterum ſi reliquia ſit talis, quæ dividatur inter dentes, qui eam tranſglutit, non poterit communicare.] Conſonat Filliucius *tom.1. tract. 4 cap.8. num.236.* cuius ſunt iſta verba. [Qui reliquias cibi ex cœnâ remanentes caſu trajicit, nec etiam frangit; ſi tamen advertantur antequam deglutiantur, debent expui, quia tunc viderentur de novo comedi.] Nota illud, *frangit*, nota illud *advertantur*: alij enim, & bene ad Eccleſiaſtici jeiunij, & non ad naturalis fractionem advertentiam requirunt: qui enim ex inadvertentiâ vnum pomum comedit, non poſſe communicare certum eſt.

Quid ſit per modum ſalivæ tranſglutire?

An, illæ reliquiæ, ſi tranſglutiātur, caſu nō violent ieiuniū; violent tamen, ſi cum advertentiâ tranſglutiantur?

MMMDLXIX.

Tertia opinio.

Etiam advertentiam ab inadvertentiâ diſtinguit.

Tertia ſententia ad advertentiam recurrit; putáque tranſglutire reliquias cibi ex advertentiâ, eſſe comedere; eaſdem ſine advertentiâ tranſglutire, non eſſe comedere, ſed ſalivare. Hanc tenet Vaſquez *in 3.part.tom.3.diſput.216.c.3. num.30.* ait enim. [Si reliquiæ cibi non deglutirentur caſu, ſed ex induſtriâ, impedirent ſumptionem Euchariſtiæ; quia cùm de induſtriâ ſumerentur, non ſumerentur per modum ſalivæ, ſed per modum cibi.] Eiuſdem ſunt ſententiæ Paludanus *in 4.diſt.8. quæſt 2.art.2 concluſ.2.* & alij. Tribuitur D. Thomæ *in 3.part.quæſt.80. art.8.ad 4.* Et in eam videtur propendere Layman, *Theol. Moral.lib.5.tract.4. cap.6. num.18* Vide Fagundez *de præceptis Eccleſ. præcept. 3. cap. 15. num.14.* Suarez *in 3.part.tom.3. diſputat.68. ſect. 4.* Bartholomæum ab Angelis *in Exam. Confeſſ.dial.4 §.214.* Reginald. *tom.2.lib.29. cap.6. n.119.* & Mutinum *in Theol. Moral. de Sacram. Euch.quæſt.10.*

MMMDLXX.

An qui ex inadvertentiâ perdicē comedat, ieiuniū frangat.

Sed hæc ſententia non videtur defendi poſſe, quia ſi, vt nuper contra Filliucium dicebamus, non ad rem ipſam, ſed ad advertentiam recurri debeat, vt comeſtio à ſalivatione diſtinguatur, deberemus conſequenter aſſerere eum, qui ex inadvertentiâ integram perdicem comederet, non frangere naturale ieiunium, ſed poſſe licitè communicare, quod nemo tranſglutire volet. [Scio inter Angelum Manrique, & Baſilium de Leone fuiſſe olim controverſiam circa ieiunium Eccleſiaſticum, nam proponebatur caſus, in quo Antonius die ieiunij, ex oblivione, ignorantiâ, aut inadvertentiâ comederat carnes in jentaculo, quem violaſſe jeiunium de facto, ſed inculpabiliter, aſſerebat Baſilius; & Manriquus contrà contendebat actionem eam non fuiſſe humanam, adeoque non eſſe violatum ieiunium, ſed poſſe illum ſupponere ſe nihil comediſſe, & hanc ob rem meridie horâ ordinariâ prandere, & veſpere collationem facere. Sed tunc agebatur de Eccleſiaſtici obſervantiâ ieiunij, & nunc agitur de obſervantia jejunij naturalis.] Et quidem, ſi hanc tertiam ſententiam ſequeremur, deberemus conſequenter aſſerere Antonium non ſolùm non violâſſe Eccleſiaſticam legem ieiunij, ſed nec fregiſſe naturale: adeoque devoratâ ex inadvertentiâ perdice integrâ, adhuc poſſe communicare. Sed quis hoc credat?

Angeli Mārique & Baſilij de Leone diſſertatio de ieiunio Eccleſiaſtico.

An ſine peccato Eccleſiaſticum ieiunium poſſit frangi?

Reijcitur Tertia ſententia.

Ne videatur hæc ſententia omni fundamento deſtitui, duas rationes eius defenſores proponunt. Prima eſt: Quia talis actio eſt nova comeſtio: ergo violat ieiunium, & impedit communionem. Probant antecedens. Quia non ſequitur vi prioris comeſtionis, ſed ex nova actione voluntaria. Secunda autem, Quia id non ſumitur per modum ſalivæ: ergo.

Non eſt bona argumētandi methodus ſupponere, quod deberet probari.

Ita illi argumentantur apud Dianam *par.3. tract.4.reſol.57.* Sed inefficaciter omninò, id enim ipſum quod iubentur probare, volunt citra controverſiam ſupponi. Ergo ad primam rationem reſpondeo negando antecedens; ad probationem concedo, quidquid aſſumitur, verum vel falſum illud ſit: & nego conſequentiam, multæ enim actiones voluntariæ eſſe poſſunt, quæ tamen comeſtiones non ſint. Et ad ſecundam nego etiam antecedens, & peto, vt illud probetur potiùs, quàm ponatur.

MMMDLXXI.

Quarta opinio.

An cibi heſterni hodiernum ieiunium poſſint frangere?

Quarta ſententia non curat, an quis ex inadvertentia, aut ex advertentia tranſglutiat, ſed an cibos ſumptos ea die: Quia comedere eſt cibos ab extrinſeco ſumere & ingerere. Ioannes de la Cruz *in direct. conſc. p. quæſt 5. dub. 4. concluſ. 1.* ſic inquit: [Quæ manent in ore ex heſterna cœna, ſi caſualiter, imò licet advertenter ſecundum aliquos, non impediunt ſumptionem Euchariſtiæ. Conſonat Henriquez *in ſumm. lib.8. cap.50. num 4. in Gloſſâ, litterâ V* Hanc ſententiam probabilem cenſet Suarius *in 3.part.tom.3 diſputat 68. ſect.4.* & apud eum Tabiena. Subſcribit huic ſententiæ Diana, qui *p.3.tract.4. reſol.*

*reſolut.*87. §.*Sed ſi aliquis*, ſic ait. [His non obſtantibus conſulendum eſt dictas reliquias, quantùm commodè fieri poteſt, expuere.] Nota attentè: *conſulendum eſt*, ait, non *præcipiendum*. Vide Molfeſium *in Sum.tom.*1. *diſtinct.*18. *quæſt.*3. *artic.*3. Chamerotam *de Sacrament. tract.* 4. *cap.* 10. *dub.* 9. & Coninch *de Sacrament. quæſt.* 80. *articul.*8. *numer.*47.

Ratio pro hac ſententiâ à nominis receptâ ſignificatione deſumitur, & à fontibus veræ Grammaticæ, nam qui cibum ab extrinſeco non ſumit, non comedit: At, qui reliquias ex cœnâ heſternâ inter dentes relictas tranſglutit: ſive illas ſine advertentia, ſive cum advertentiâ tranſglutiat, cibum ab extrinſeco non ſumpſit. Ergo iſte talis non comedit. Ergo non violat ieiunium naturale. Ergo communicare poterit.

Si ergo non comedit, quid facit? inquies. Et reſpondeo: per me ſtare vt dicatur facere quidquid volueris, modò dicatur non comedere; aut ſaltem non dicatur comedere. Salivet, ſi vis, etſi ſalivare ſit potiùs expuere, quàm tranſglutire, tranſglutiat has ille reliquias per modum ſalivæ, ſi hoc vis; aut compleat cœnam heſternam, ad quam illæ reliquiæ ſpectare videntur, ſi hoc mavis: modò enim non cenſeatur comedere, de cætero non diſputabimus.

Volo hic in margine ponere Paſqualigi verba, quem meritò *doctum* Leander appellat *part.* 2. *tract.* 7. *diſputat.* 5. *quæſt.* 8. ſic enim Paſqualigus ait [Hanc poſteriorem ſententiam abſque vllâ reſtrictione cenſeo poſſe amplecti abſque vllo ſcrupulo. Non enim degluciuntur actione manducativâ, quia nô adſumuntur ab extrinſeco, ſed immixtæ ſalivæ: & ideò nô ſe habent per modum cibi: quod verum eſt, etiamſi linguâ ſenſibiliter ſentiantur: quia ſaliva etiam ſenſibiliter ſentitur, & tamen non tenemur (eam) exſpuere: ſenſibiliter enim ſentiri non conſtituit rationem cibi aut manducationis. Accedit etiam, quod illæ reliquiæ habentur, vt cibus, qui pridie fuit ori impoſitus, dentibus contritus: & accidens eſt, quod ſimul cum alio cibo non fuerint tranſmiſſæ in ſtomachum; ſiquidem aderat intentio tunc mittendi, & actio etiam ordinata ad tranſmittendum: & proinde habent moralem connexionem cum cibo præcedentis diei, & ideò tranſmiſſio ipſarum in ſtomachum non eſt nova comeſtio.] Sic ille, & ſcitè, *tract. de ieiun. natur. decîſ.* 322.

Dubium incidens.

Quid ſalivare *ſit?*

Plinius lib.6.cap.36. *Congregatur verno tempore purpura, mutuóque attritu lentorem cuiuſdam ceræ ſalivant, hoc eſt*, exſpumant, vel exſpuunt.

ARTICVLVS XVI.

An aqua quæ per nares attrahitur, jejunium naturale frangat, & communionem impediat?

MMMDLXXII. QVÆSTIO ſub his terminis poſita videretur difficilis, & tamen eſt faciliſſima, ſi reducatur ad alios. Inquiro igitur, An attrahere aquam per nares ſit bibere? Quia, ſi bibis, cùm einſmodi aquam per nares in ſtomachum trajicis jeiunium frangis; ſi non bibis, non frangis. Atqui bibere eſt rem potabilem ab extrinſeco per os in ſtomachum ingerere. Igitur tu, ſi adtrahendo per nares aquam, non bibis, nec jeiunium naturale violas, nec à communione impediris. Quid ergò dicendus es in caſu facere, bibere, an non bibere? Hoc vltimum nonnulli Recentiores pronuntiant: quibus Fagundez *de præcept. Ecclеſ. præcept.*3. *cap.* 5. *num.*14 Diana *part.*3. *tract.*4. *de Sacrament. reſolut.*37. §.*Notandum*, & alij Doctores tranſcribunt. Sed quid, ſi per nares in os intrare aquam, & per os & guttur in ſtomachum labi dicamus? Non frangit jeiunium: cùm neutrum hoc tranſmittat actione vitali per modum cibi vel potûs, ſed per modum ſalivæ, vel reſpirationis adtractivæ. Ergo poteſt communicare.] Verba ſunt Leandri *part.*2.*tract.*7.*diſputat.*5.*quæſt.*9.*pag.*100. *b.* Sanctum Thomam *quæſt.*80. *artic.*2 *ad* 4. Navarrum, Suarium, Tabienam, Henriquez, Bonacinam, Facundez, Hurtado. Filliucium, P. Ledeſmam, Granadum, Philibertum, Sà, Valentiam, Lugonem, Narbonem, Dicaſtillum, Paſqualigum, Cæleſtinum; Bartholomæum de Sancto Fauſto, & Dianam pro ſua ſententia producentis.

Materiæ ſimilitudo poſtulat vt hic in margine agam de eo, qui dum ſe lavaret, aliquas guttas aquæ præter intentioné tranſglutit. *An poterit communicare?* Affirmo: quia hæc guttarum tranſglutio fit per modum ſalivæ. Ita Vega, Filliucius, Bonacin. Granad. Lugo, Philibert. Sà, Suarez, Ægidius, Azor, Sylveſter, Paludanus, & Paſqualig. Hanc concluſionem Dicaſtillus *tract.*4. *de Euchariſt. diſput.*9 *dubit.*17.*quæſt.*2. rectè probat ex Rubricâ Miſſalis §.*de defectibus*. Et pro eâdem Azor, Thomas Hurtadus, & alij Sanctum Thomam adducunt.

ARTICV

ARTICVLVS XVII.

Quid propriè ſignificet verbum COMEDERE? *& an qui tranſglutiat rem aliquam extrinſecam non comeſtibilem, frangat jeiunium naturale?*

Leand. *p.*2. *tr.* 7. *diſp* 5. *q.*13. *p.*101. *a.* pro hac ſententiâ, quàm æquè probabilem iudicat, citat Henriq. Nugn. Reginal. Nald. Layman. Scotc. Villalo. Bonacin. Suar. Tabien. Azor. Granad. Lugon. Philib. Ochag. Th. Hurtad. Vaſq. Fagúdez, & Lublinum.

MMMDLXXIII. *An traſglutire aliquid non-comeſtibile, ſit comedere?*

SVPPONVNTVR duo, & vnum quæritur. Supponitur primò, non poſſe communicare illum, qui ieiunium naturale violavit; ſecundò illud violare, qui rem comeſtibilem ab extrinſeco ſumat & tranſglutiat: & quæritur, quid dicendum ſit de eo, qui ſumptam ab extrinſeco rem non comeſtibilem tranſglutiat? Diana bis hanc controverſiam ponit: iterum *part.*2.*tract.*14. *de celebr.miſſ.reſolut.*52. & iterum *part.*3. *tract.*4. *de Sacram. reſol.*38. ibi inquirit, *Vtrùm Sacerdos qui mane ſolet deglutire aliquid ex propriis vnguibus, vel papyri, &c. poſſit celebrare miſſam?* hîc autem, *An ſi quis manè deglutiat cretam, chartam, fruſtulum ligni, aut quid ſimile non comeſtibile, poſſit ſacram Euchariſtiam ſumere?* Multos Theologos exercuit iſta quæſtio, & tamen Grammatica eſt. Sic inquam. Si tranſglutire eiuſmodi reculas, ſit comedere, non poteſt: & ſi non ſit comedere, poteſt. Vtrum ſit comedere, aut non, examinare debent illi, qui ſunt in Lexico & vocum Theſauro verſati.

Hanc Quæſtionem eſſe merè Grāmaticam, & in eius diſſolutione potius eſſe Calep. quàm S.Thom. cõſulendũ fatetur Leãd. qui *p.*2.*tr.*7. *diſp.*5.*p.*101. *b q.*14. ſic inquit. [Diana 3.*p. tr.*4 *reſ.*38. jam ſibi contrarius, noſtrã docet ſententiam. Nam inquirẽs, an mane comedẽs chartam, cretam, &c. poſſit Euchariſtiã ſuſcipere? affirmativè reſpondet. *Creta* autem apud nos & & apud Calep. *terram* ſignificat, &c.

Prima Opinio.

Qui eiuſmodi res deglutierit, non poſſe venerabile Sacramentum ſumere docet Nugnus *tom.*1. *in* 3.*part. queſt.*50.*art.*8. vbi accuſat ſententiam Iuniorum aſſerentium, eum qui deglutiat aliquam chartæ, vel unguis marginem, vel ſanguinem è vulnere exſugat, vel eiuſmodi aliquid aliud hauriat, quod neque habet rationem cibi, neque potûs, neque etiam medicinæ, poſſe communicare. Conſonat Scortia *de Sacrif Miſſæ, lib.*1.*cap.*7.*num.*1. vbi ait, *ieiunium ad ſumendam Euchariſtiam non tantùm Eccleſiaſticum eſſe debere, ſed etiam naturale, vt excludat, & cibum & potum & medicinam, réſque cæteras, etiamſi non nutriant, vt papyrum, cretam fruſtulum ligni, aliquid ex propriis vnguibus.* Vnde Antonins de Leone ab Abbate D.Benedicto de Stellâ *lib. de Tabacco, cap.*33. *pag.*346. citatus, & iuſſus Italicè loqui, ſic habet: *E a mio giuditio tanto delicato queſto precetto, & queſta dottrina tanto vera, che ſe per guſto vno ſi metteſſe in boca vn pezzetto di piombo, vna moneta, vn peco di carta, o altra coſa, a me parria, che haveſſe guſtato il digiuno naturale, e che non poteſſe per quel giorno ricevere il Santiſſimo Sagramento,*&c. Hanc etiam propugnant opinionem Henriquez *in Summ. lib.* 8. *cap* 49. *num.* 2. & *in Gloſſa, littera O.* Villalobos *in Summ. tom.*1 *tract.*7. *difficult.*39.*num.*1. Reginaldus *tom.*2. *lib.*29. *cap.*6. *num.*218. Naldus *in Summ. verb. Euchariſt. num.* 10. Layman *in Theolog. Moral. lib.*5. *tract.* 4 *cap* 6. *num.*18. Villàlobos *in Summ. tom.*1. *tract.*7. *diff.*39. *num.*1. Et hanc ſententiam probabilem putat Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 52. *citata*, vbi contrariam putat probabiliorem. Vide eundem Dianam *part.*3.*tr.*4. qui eſt, *de celebratione Miſſarum, reſ.*38. (& habetur *tom.*2.*Coordin. reſ.*119. vbi Authores producit.

Ochagauia *tra.* 2. *q* 12. *n.*14. ſic inquit [Verius tamen videtur nihil ab extrinſeco, etiã ſi parva materia ſit, & non nutriat, deſumi poſſe, quin frãgatur jejunium naturale: quia conueniens eſt, nihil in ſtomachum priùs traiici quàm traiiciatur corpus Chriſti.]

Ego quidem exiſtimo hos omnes Authores errare in ſignificatione vocabuli: nam, ſi *ieiunare* ſit nihil comedere nec bibere, qui nec comedit nec bibit, quidquid aliud fecerit, ieiunare dicendus eſt: &, ſi eſt ieiunus, cur non poterit communicare?

MMMDLXXIV. *Fertur iudicium de hac ſententiâ.*

Obiectio ex D. Thom.

Nugnus vbi ſupra ſuam ſententiam roborat authoritate Divi Thomæ; nam Angelicus iſte Doctor 3.*part queſt* 30.*artic* 8. *ad* 4. ait nihil referre quod aliquid horum, ſi qua deglutiantur, nutriat vel non nutriat. Vnde colligit Nugnus, quod aſſumi per modum cibi vel potûs ſolùm diſtinguitur ab eo, quod eſt aſſumi per modum ſalivæ; atque adeò quæcumque res exterior, eſt ad hoc impedimentum: aliàs enim, ſi medicina eſſet nociua, non eſſet impedimentum.

Vtrum in ieiunio, an nutriat, aut nõ nutriat res, quæ ſumitur, conſiderandum ſit? Quid, vt ieiuniũ frãgatur, requiratur.

An odor nutriat.

Reſpondeo verba Divi Thomæ eſſe vera: & Nugnum eis abuti, aut ſi ſinceriùs loqui velim, non vti. Cùm enim quæritur, an fractum ſit jeiunium vel non? non inquiritur, an ſumpta ſit aliqua res, quæ nutriat? ſed an aliquid comeſtum aut bibitum ſit, ſeu nutriat illud, ſeu non nutriat: multi enim ſuavi odore iuuantur, & vt multi opinantur, nutriuntur, & tamen odore jeiunium naturale non frangitur. Hæc eſt mens D. Thomæ: à quâ non poteſt deviare Nugnus, quin à veritate declinet.

MMMDLXXV. VERA SENTENTIA.

Tenenda eſt igitur contra Nugnum & eius Aſſeclas benigna & vera opinio, quam tradit Diana *part.*2.*tract.*14 *reſ.*52. & *par.*3. *tract.* 4. *reſolut.* 38. citans Summam Coronæ *part.*4.*num.*67. Ioannem de la Cruz *in direct. conſc.par.*2.*de Euch.queſt.*7. *dub.*4. *concluſ.*2. Ludovic. de S. Iuan *in Summ. part.*1. *tract. de Euchariſt. quaſt.* 7. *art.* 10. Sancium *in ſelect. diſput* 42.*num.*23. [Et nota obiter vtramque ſententiam indicari probabilem à Dianâ *iam citato*, & Ledeſmâ, qui *in Summ. tom.*1. *de Sacram. Euchar. cap.*23.*concluſ.*4. ſic ait. [Ay duda ſi vno inadvertida-mente traga vn poco de papel, o de otra coſa. que no tiene raçon de comer. ni de bever, ſi el tal podrá comulgar? En eſta difficultad algunos dicen, que ſi; por no ſer manjar: y otros dizen, que no, porque perece que en eſtos caſos tienen lugar los derechos trah dos. A eſta difficultad ſe reponde, que ambas ſentencias ſon probables, y ſe pueden ſeguir, *hoc eſt.* Dubitatur, an quando aliquis ex inadvertentiâ deglutit

Ledeſm. quẽ paulò antè citavi, hanc & oppoſitã indicat eſſe æquè probabilem & pro hac producit Summam Coronæ, Cruz, Ludov. Sancium. Dian. Lugo. Narbon Dicaſt. & alios.

An vtraque opinio ſit probabilis?

Placet hîc verba Dianæ ſcribere; inquit enim. [Et ideò cũ dicto de Lugo contra dictum de

Leone dictū eſt, quod ſi quis degluuet in magnâ quātitate nummos aureos, non violare ieiuniū, neque Eccleſiaſticū, neque naturale. Et ideò (lege, idem) dictum eſt contra Leonem de plūbo: Et ego addo de oſſiculis aliquorum fructuum, de fragmentis metallorū, de vitro, de lapillulis, ligno durioris, & ſimilibus: Et ratio horum eſt, quia nomine *cibi* non intelliguntur, niſi ea quæ per ſe loquendo, alterari poſſunt à ſtomacho.] Ita Diana *p. 5. tract.13. reſol.1.*

particulam chartæ aut cuiuſcumque alius rei, quæ non habeat rationem cibi aut potûs, poſſit communicare? Sunt, qui aſſerant, quia eiuſmodi res non ſunt cibi: ſunt qui negent, quia in hoc caſu videntur habere locum Textus allati. Sed reſpondeo vtramque opinionem eſſe probabilem, & alterutram eligi poſſe.] Ita Ledeſma. Sed noto illa verba ex *inadvertentiâ*, & inquiro, An opinione Ledeſmæ non poſſit probabiliter iudicari jeiunus, qui vel vngues cum advertentiâ roſerit, aut particulam papyri deglutierit? Videretur enim huius Quæſtionis diſſolutio nec ab advertentiâ, nec ab inadvertentiâ, ſed à ſignificatione vocis *Ieiunÿ* dependere.

Vt igitur omnia meliùs intelligantur, has paucolas voces expono.

MMMDLXVI. *Quid ſit ieiunium?*

Ieiunium eſt abſtinentia à cibo & potu. In Polyanthæâ impreſſâ Francofurti anno 1613. qua nunc vtor, lego, *Ieiunium eſt abſtinentia à cibo & potu intuitu ſatisfaciendi, vel vitandi peccatum, vel adquirendi vitam æternam ſecundum Theologos in 4.ſent.diſt.15.* Vide Godofr. *in ſumm.* Panormitanum *ſuper Rubr.extrav.eod.*

Quotuplex ſit? De Naturali & Civili. Ethnicorum ieiunia.

Ieiunium eſt duplex; aliud naturale, aliud civile. Ieiunium naturale obſervatur, cum nihil comeditur aut bibitur: civile, cùm in cibo & potu obſervatur menſura & tempus inſtitutum humanitùs.

Etiam Ethnici inſtituerunt & habuerunt ieiunia. Liuius 6. bell. Maced. *Eorum prodigiorum cauſa libros Sybillinos ex S C. Decemviri, cùm adiiſſent, renunciaverunt ieiunium inſtituendum Cereri eſſe; & id quinto quoque anno ſervandum eſſe.* & Ouid.Metam.1.

Longa domant illos tenui ieiunia victu.

Ieiunium Eccleſiaſticum eſt abſtinentia à cibis iuxta tempora qualitatem & quantitatem, quæ præſcribit Eccleſia. *A cibis*, inquam, quia de potu nihil omninò illa diſpoſuit: quam ob rem, qui nihil comedit illegitimè, etſi intemperanter bibat, & gulæ peccatum committat, non tamen ieiunium Eccleſiaſticum violat.

MMMDLXVII. *An potu frangatur ieiunium? Vnde nata ſunt diverſæ ſententiæ de ieiunio?*

Redeo ad Naturale, & ſcire exactè volo, *Quid illud ſit?* Nemo enim reſpondere poterit interroganti, *An ſervetur?* niſi ipſe ſciat, quænam requirantur, vt ſervetur. Video enim diverſas habuiſſe in hac Controverſiâ Theologos eruditos ſententias, quia in Ieiunij non conueniunt concepto. Sit nobis dux & magiſter S.Thomas, qui *quæſt.unc.1.& 2.* ſic ſtatuit.

De ieiunio Euchariſtico.

Ieiunium naturæ eſt, quo quis ieiunus dicitur ante cibum ſumptum ipſâ die, etiam ſi pluries poſteà comeſturus ſit. Et, vt explicet quale eſſe debeat ieiunium Euchariſticum, ait: *Ad debitam ergo Dominici corporis ſumptionem non exigitur ieiunium Eccleſiæ, ſed requiritur ieiunium naturæ propter reverentiam Sacramenti: & ideò electuaria* (quæ per medicinæ modum illæſo Eccleſiaſtico ieiunio libantur) *& vinum præſumpta impediunt à perceptione Euchariſtiæ.*

An electuaria & vinum illa violent?

Cur tam ſevera ſit ieiunij Euchariſtici lex?

Et quia S. Thomæ ævo ratio legis tam rigidum ieiunium præcipientis videbatur deſumi ex illis Apoſtoli verbis, *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* multi, etſi bibiſſent aquam, ad Communionem accedebant; vnde ait Sanctus Doctor, *Probabilius & ſecurius* [a] *poſt aquæ potum Corpus Chriſti non ſumendum eſt.* Dilucidat hoc Paludanus *in 4.ſent. diſtinct.8. quæſt.2.art.1.concl.1.* (ex S.Auguſtin.*ep.118. ad Ianuarium.* & S.Thoma *3.par. quæſt.80.*) dicens: *In reverentiam ſanctitatis huius Sacramenti inſtitutum eſt, quòd os Chriſtiani, ſuſcipientis Corpus Chriſti, quaſi novum ad ipſum ſumendum accedat; qualibet autem cibi ſumptio* (nota bene. cibi dicit, non metalli, non lapidis,&c.) *hanc novitatem aufert.* Et in Epiſtolâ citatâ ſic ad ſuum Ianuarium Auguſtin. *Placuit Spiritui Sancto in honorem tanti Sacramenti priùs in os Chriſtiani Corpus Dominicum intrare, quàm reliqui cibi: nam ideò per univerſum orbem mos iſte ſervatur.* Ergo, quod non eſt cibus, etſi ante Communionem ſumeretur naturale jeiunium non violaret. Ergo, vt certa ab incertis ſeparemus, *qui nec comêdit nec bibit, communicare poteſt: qui autem, aut comêdit, aut bibit, non poteſt.*

a] Benignè hoc lege, & illa verba *probabilius & ſecurius* non comparativè, ſed adverſativè ſuſcipies. *Non frangit naturale ieiunium, quiſta comedit, qua cibi nō ſunt.*

An quis ob inadvertentiam excuſetur?

Sed interrogas, *An in hac Quæſtione inadvertentia excuſet?* Eum, qui piperis granum, v. gr. in ore volutabat, ſine intentione tranſglutiendi, ſi illud poſteà ex inadvertentiâ tranſglutierit, non poſſe communicare, pronuntiat & bene Lorichius *in Theſaur. verb.Miſſa §.3.num.21.* quoniam iſte *non habet os novum ad communicandum.* Citat illum & ſequitur D.Benedictus de Stellâ *lib.de Tabacco,cap.33.pag.341.*

An in naturali ieiunio parvitas materiæ admittatur?

Progrederis, & ſcire vis, *Vtrum ſicut in aliis rebus, etiam in hac materia parvitate excuſemur?* Videretur,quod ſic: nam Tannerus *3.part. diſputat.5.quæſt.8.dub.4.num.78.* Bartholom.de S.Fauſto, *de Sacram. Euchar. lib.1.q.381.* dicunt, eum, qui globulum aromatici ſacchari contra aëris malignitatē(quod ſolet) in ore habet,etſi dentibus atterat modò per modum ſalivæ,& non cibi trajiciat, poſſe communicare. At tibi placeat D.Bened.Stellæ Reſolutio; agens enim de citatâ Tanneri & Bartholom. ſententiâ; ait: *Con tutto ciò non è queſta Opinione da ſeguirſe, perche in queſto precetto, non ſi da parvità di materia, come ben proba il Suarez* 3.p.tom.1.diſp.68.ſect.4. §.Sed quæres. *Dove dice, che in materia della ſanta Communione non ſi prohibiſce il mangiare, e bere, come atto in che puol cadere la parvità della materia: ma che in queſto ſi prohibiſce in communicarſi doppo haver preſſo qualche poco di coſa per bocca* (non ergo per nares) *eſtrinſecamente.*

In conditionalibus præceptis materia parvitas non à conditione ſed à re præceptâ debet ſumi.

MMMDLXVIII. *Quid ſit Sumere per modum ſalivæ? quid Salivare? quid Comedere? quid Bibere?*

Sumere per modum ſalivæ eſt aliquid quod illâ die non eſt inductum ab extrinſeco, deglutire. *Salivare* eſt ſalivam eſpuere? & activè, ſputo aliquid macerare.

Comedere eſt ſumere cibum. *Bibere* haurire potum. Nec potus comeditur, nec cibus bibitur. *Sorbere* eſt comedere cibos liquidos: non enim omnia bibuntur liquida, ſed illa tantùm, quæ communi Reipublicæ vſu, ſunt loco aquæ recepta ad extinguendam ſitim. Vnde, quando quæritur, *An chocolatum frangat ieiunium?* tantùm quæritur, *an illud ſit cibus, an potus? an comedatur, an bibatur?* Si enim eſt cibus, ieiunium frangit: non tamen frangit, ſi ſit potus. Et etſi potus, ſi in vſu communi vt cereuiſia, ſicera, vinum, &c. ad extin

An chocolatum frangat ieiunium?

Digitized by Google

extinguendam ſitim aquæ loco ſumatur. Debet quis, ut aliquid comediſſe, aut bibiſſe dicatur, illud per os ſumpſiſſe, non per aures, aut nares, aut per aliam corporis partem; unde P. Hurtadus apud D. Benedictum Stellam *lib. de Tabacco, c. 33. pag. 343.* contra Lezanam & Antonium de Leone ſic ſtatuit. *Tabacus in pulvere per nares ſumptus ieiunium naturale non frangit, & ita communionem non impedit, quamvis, qui illam ſumit in ſtomachum deſcendere ſentiat.* Vt fundamentum videas, cui P. Hurtadus inſiſtit, te juvat Stella, hoc ſcholium adjungens. *La ragione è, perche quello guaſta il digiuno naturale, che ſi piglia per bocca, o ſia per modo di cibo, o di bevanda, eſſendo la bocca deſtinata dall' Autor della Natura per mangiare, e bere; e qualſivoglia coſa, che per altra via ſi mandi nello ſtomaco, come per le narici, o per qualche ferita, ò fiſtola nel petto, queſto non guaſta il digiuno naturale. Como egli dice haver conſultato un Religioſo, che haveba ſimi fiſtola coſi profunda ed aperta, che per eſſa reſpirava, e mandava il fiato; per la quale il Medico la curava col mel roſato per guarirlo. Come anche communmente aſſeriſcono li Dottori, che chi per le narici ſorbiſſe un poco d' aqua, e che la tracannaſſe, non guaſtaria il digiuno naturale, per que queſto non toglie alla bocca quella novità, che ſi ricerca per la ſanta Communione.* Et mox hæc verba ex eodem P. Hurtado ſubſcribit. *Quam novitatem ſolum ufert, quod ore ſumitur, & ita multi & graves Doctores tenent. Quod, ſi quis naribus aquam abſorbeat ieiunium non ſolvit. Vti nec ille, qui habens in pectore fiſtulam, vel in ſtomacho, ſi Medici per vulnus mel roſatum infunderent ad medendum, quamvis digereret, poſſet communicare.* Conſonat P. Bartholomæus de S. Fauſto *de Euchariſt. Sacram. lib. 1. quæſt. 381.* inquit enim. *Si aliquis aliquantulum aquæ per nares adtrahat, quæ in ſtomachum tranſmittatur, non frangit ieiunium naturale, nec manet impeditus ad ſumendam Euchariſtiam; quia non fuit tranſmiſſa in ſtomachum per modum cibi, aut per modum potus,* &c. Cur autem hoc? Iam legiſti: Quia per os comedimus, bibimuſque, & non per nares. Et *pag. 353.* addit Stella. *Che l' aqua attratta per le narici non rompa il digiuno naturale, ne impediſca il dir la Meſſa, o'l communicarſi, fù opinione tenuta dal Suarez, da Facundez, Celeſtino, e da D. Bartholomeo di S. Fauſto* de Sacram. Euchar. lib. 1. quæſt. 382. *come habbiamo detto.*

Nec comeduntur, nec bibuntur, quæ ſumuntur per nares?

Quæ per vulnus aut fiſtulam in ſtomachum infunderentur, ieiuniũ naturale nõ frangerent.

Poteſt per vulnus homo nutriri & reſpirare.

Aqua per nares hauſta, etſi deſcendat in ſtomachum ieiuniũ naturale non frangit.

M M M-DLXXIX. *Quid ſit ſumere per modum medicinæ?*

Sumere per modum medicinæ, eſt verè comedere aut bibere, nimirùm, ſalubria, & valetudini recuperandæ opportuna, & præcipuè, ſi præſcripta à Medico. Quam ob rem *comedere, & ſumere per modum medicinæ* non opponuntur; cùm autem dicimus *ſumere per modum cibi*, videmur loqui de cibis non medicinalibus. Et quidem cibi, non medici frangunt jejunium Eccleſiaſticum: non autem Medicinæ, aut Cibi medici: etſi à Doctore in magnâ quantitate præſcribantur non enim Eccleſia Romana vult impedire ægrorum & languentium curam.

M M M-DLXXX. QVÆSTIO *proponitur. An, qui terram comedunt, violent ieiunium naturale?*

SVnt fœminæ, quæ aut ex guloſitate, aut ob pulchritudinem conſervandam; carbones, lapides, teſtas (Hiſpana, *Buccaros*) & alia devorant, cùm igitur iſta non ſint comeſtibilia, quæritur, *An ieiunium violent? An Eccleſiaſticum, ita ut peccent? An naturale, ita ut communicare non poſſint?*

Hic eſt caſus de quo olim fuit Diana à nobiliſſimo Viro conſultus, ut ipſe ait *part. 2. tract. 14. reſol. 52. §. Sed hæc.* At illi reſpondit verba Ioannis de la Cruz *in Direct. conſc. part. 2. de Euch. quæſt. 5. dub. 4. concluſ. 2.* producendo: inquit enim [mulierem terram, aut ſimile comedentem, ſive illud comedat ob delectationem, quod eſt comedere per modum cibi; ſive comedat ut colorem (ruborem) minuat, quod eſt comedere per modum [a] medicinæ, non poſſe poſt iſtorum ſumptionem ſumere Euchariſtiam. Sic ille] At ſemper manet ſumi rem non comeſtibilem, & aliter debere controverſiam diſſolvi.

a] Non poteſt terra aut creta per modum medicinæ comedi, nam virgines, quæ terrâ veſcuntur, intendunt habere colorem pallidum (non enim album hac viâ poſſunt) illũque frangendo valetudinẽ cõſequũtur.

NOTA.

Reſolutio. Quatuor Curioſæ Quæſtiones proponũtur, & diſſolvũtur.

VT nihil maneat, quod bene diſcuſſum non ſit, quatuor adhuc Quæſtiones dignas ſcitu propono. PETO PRIMO, *An, qui ſanguinem ex propriâ venâ, aut ex proprio vulnere extractum biberit, poſſit communicari?* PETO SECVNDO, *An, qui nucum putamina, prunorum oſſicula, ligna, aut res ſimiles comederit, communicare poſſit?* Et tametſi nuper de hoc argumento diſputavi, quia doctrinæ ſimilitudo id poſtulat, PETO TERTIO, *An communicare poſſint fœminæ, quæ terram comedunt?* Et tandem PETO QVARTO, *An ille, in cuius os muſca fortè ingrederetur, ſi eam inadvertenter cum reſpiratione trajiciat, poſſit communicare?*

M M M-DLXXXI. Sugere & bibere *differunt inter ſe.*

AD PRIMAM reſpondeo aliud eſſe *ſugere*, & aliud *bibere*: eum, qui ſanguinem ſuum, aut alienum biberet, frangere jejunium, certum eſt: ille autem, qui ex vulnere exſugit ſanguinem, ut meliùs curetur, & ſuccum exſpuit, etſi fortè aliquid per modum ſalivæ transglutiat, non frangit naturale jejunium. Ita Lugo *diſp. 15. n. 32. pag. 474.* Dicaſtillus, Leander, & alij.

An radices, oſſicula, cortices, putamina, &c. comedi ſoleant?

IN SECVNDA majorem difficultatem reperio, nam multorum fructuum putamina, & arborum radices & cortices in pulveres redacta comeduntur. Petrus Martyr, agens de inſulâ, quæ à nobis *Eſpañola* vocatur [a] ſic inquit. *Dicono li vechi di queſta Iſola, quali per la maggior parte vivon cento & dieci, & cento & venti anni, haver ſentito dire da lor padri, che ſempre per il paſſato gli habitatori di quella eran viſſuti di certe radici ſalvatiche; alcune delle quali ſono ſimili a cipolle, altre come paſtinache, & altre come noci, overo tartufe, quali chiamano con diverſi nomi; cio è* Cibao, Macoane, Caboie, Guatero: *ma che un vecchio molto ſavio, ſtando un giorno ſopra la riva d'un fiume, vide una herba molto grande, con le foglie ſimile al canapo, laqual però*

a] *Illa Inſula, quæ ab Hiſpanis* Eſpañola, *à* Latinis Hiſpaniola, *ſed malè, nuncupatur.*

Digitized by Google

Leone dicẽdũ eſt, quod ſi quis degluttet in magnâ quãtitate nummos aureos, non violare ieiuniũ, neque Eccleſiaſticũ, neque naturale, Et ideò (lege, idem) dicẽdum eſt contra Leonem de plũbo; Et ego addo de oſſiculis aliquorum fructuum, de fragmentis metallorũ, de vitro, de lapillulis, ligno duriori, & ſimilibus: Et ratio horum eſt, quia nomine *cibi* non intelliguntur, niſi ea quæ per ſe loquendo, alterari poſſunt à ſtomacho.] Ita Diana *p. 5. tract.13. reſol. 1.*

particulam chartæ aut cuiuſcumque alîus rei, quæ non habeat rationem cibi aut potûs, poſſit communicare? Sunt, qui aſſerant, quia eiuſmodi res non ſunt cibi: ſunt qui negent, quia in hoc caſu videntur habere locum Textus allati. Sed reſpondeo vtramque opinionem eſſe probabilem, & alterutram eligi poſſe.] Ita Ledeſma. Sed noto illa verba ex *inadvertentiâ*, & inquiro, An opinione Ledeſmæ non poſſit probabiliter judicari jeiunus, qui vel vngues cum advertentiâ roſerit, aut particulam papyri deglutierit? Videretur enim huius Quæſtionis diſſolutio nec ab advertentiâ, nec ab inadvertentiâ, ſed à ſignificatione vocis *Ieiunij* dependere.

Vt igitur omnia meliùs intelligantur, has pauculas voces expono.

Ieiunium eſt abſtinentia à cibo & potu. In Polyanthæâ impreſſâ Francofurti anno 1613. qua nunc vtor, lego, *Ieiunium eſt abſtinentia à cibo & potu intuitu ſatisfaciendi, vel vitandi peccatum, vel adquirendi vitam æternam ſecundum Theologos in 4. ſent. diſt. 15.* Vide Godofr. *in ſumm.* Panormitanum *ſuper Rubr. extrav. eod.*

Ieiunium eſt duplex; aliud naturale, aliud civile. Ieiunium naturale obſervatur, cum nihil comeditur aut bibitur: civile, cùm in cibo & potu obſervatur menſura & tempus inſtitutum humanitùs.

Etiam Ethnici inſtituerunt & habuerunt ieiunia. Liuius 6. bell. Maced. *Eorum prodigiorum cauſa libros Sybillinos ex S C. Decemviri, cùm adiiſſent, renunciaverunt ieiunium inſtituendum Cereri eſſe; & id quinto quoque anno ſervandum eſſe.* & Ouid. Metam. 1.

MMMDLXVI.

Quid ſit ieiunium? Quotuplex ſit? De Naturali & Civili. Ethnicorum ieiunia.

Longa domant illos tenui ieiunia victu.

Ieiunium Eccleſiaſticum eſt abſtinentia à cibis iuxta tempora qualitatem & quantitatem, quæ præſcribit Eccleſia. *A cibis*, inquam, quia de potu nihil omninò illa diſpoſuit: quam ob rem, qui nihil comedit illegitimè, etſi intemperanter bibat, & gulæ peccatum committat, non tamen ieiunium Eccleſiaſticum violat.

MMMDLXVII.

An potu frangatur ieiunium? Vnde nata ſunt diverſa ſententia de ieiunio?

Redeo ad Naturale, & ſcire exactè volo, *Quid illud ſit?* Nemo enim reſpondere poterit interroganti, *An ſervetur?* niſi ipſe ſciat, quænam requirantur, vt ſervetur. Video enim diverſas habuiſſe in hac Controverſiâ Theologos eruditos ſententias, quia in Ieiunij non conueniunt conceptu. Sit nobis dux & magiſter S. Thomas, qui *quæſt. iunc. 1. & 2.* ſic ſtatuit. *Ieiunium naturæ eſt, quo quis ieiunus dicitur ante cibum ſumptum ipsâ die, etiam ſi pluries poſtea comeſturus ſit.* Et, vt explicet quale eſſe debeat ieiunium Euchariſticum, ait:

De ieiunio Euchariſtico.

An electuaria & vinum illa violent?

Ad debitam ergo Dominici corporis ſumptionem non exigitur ieiunium Eccleſiæ, ſed requiritur ieiunium naturæ propter reverentiam Sacramenti: & ideò electuaria (quæ per medicinæ modum illæſo Eccleſiaſtico ieiunio libantur) *& vinum præſumpta impediunt à perceptione Euchariſtiæ.* Et quia S. Thomæ ævo ratio legis tam rigidum ieiunium præcipientis videbatur deſumi ex illis Apoſtoli verbis, *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* multi, etſi bibiſſent aquam, ad Communionem accedebant; vnde ait Sanctus Doctor, *Probabilius & ſecurius* [a] *poſt aquæ potum Corpus Chriſti non ſumendum eſt.* Dilucidat hoc Paludanus *in 4. ſent. diſtinct. 8. quæſt. 2. art. 2. concl. 1.* (ex S. Auguſtin. *ep.* 118. *ad Ianuarium.* & S. Thoma *3. par. quæſt. 80.*) dicens: *In reverentiam ſanctitatis huius Sacramenti inſtitutum eſt, quòd os Chriſtiani, ſuſcipientis Corpus Chriſti, quaſi novum ad ipſum ſumendum accedat; qualibet autem cibi ſumptio* (nota bene. cibi dicit, non metalli, non lapidis, &c.) *hanc novitatem aufert.* Et in Epiſtolâ citatâ ſic ad ſuum Ianuarium Auguſtin. *Placuit Spiritui Sancto in honorem tanti Sacramenti priùs in os Chriſtiani Corpus Dominicum intrare, quàm reliqui cibi: nam ideò per univerſum orbem mos iſte ſervatur.* Ergo, quod non eſt cibus, etſi ante Communionem ſumeretur naturale jeiunium non violaret. Ergo, vt certa ab incertis ſeparemus, *qui nec comêdit nec bibit, communicare poteſt: qui autem, aut comêdit, aut bibit, non poteſt.*

Cur tam ſevera ſit ieiunij Euchariſtici lex?

a] Benignè hoc lege. & illa verba *probabilius & ſecurius* non comparativè, ſed adverſativè ſuſcipies.

Non frangit naturale ieiunium, qui illa comedit, quæ cibi nõ ſunt.

An quis ob inadvertẽtiam excuſetur?

Sed interrogas, *An in hac Quæſtione inadvertentia excuſet?* Eum, qui piperis granum, v. gr. in ore volutabat, ſine intentione tranſglutiendi, ſi illud poſteà ex inadvertentiâ tranſglutierit, non poſſe communicare, pronuntiat & bene Lonehius *in Theſaur. verb. Miſſa §. 3. num. 21.* quoniam iſte *non habet os novum ad communicandum.* Citat illum & ſequitur D. Benedictus de Stellâ *lib. de Tabacco, cap. 33. pag. 341.*

An in naturali ieiunio parvitas materia admittatur?

Progrederis, & ſcire vis, *Virum ſicut in aliis rebus, etiam in hac materia parvitate excuſemur?* Videretur, quod ſic: nam Tannerus *3. part. diſputat. 5. quæſt. 8. dub. 4. num. 78.* Bartholom. de S. Fauſto, *de Sacram. Euchar. lib. 1. q. 381.* dicunt, eum, qui globulum aromatici ſacchari contra aëris malignitatẽ (quod ſolet) in ore habet, etſi dentibus atterat modò per modum ſalivæ, & non cibi trajiciat, poſſe communicare. At tibi placeat D. Bened. Stellæ Reſolutio; agens enim de citatâ Tanneri & Bartholom. ſententiâ; ait: *Con tutto ciò non è queſta Opinione da ſeguirſe, perche in queſto percetto, non ſi da parvità di materia, come ben proba il Suarez* 3. p. tom. 1. diſp. 68. ſect. 4. §. Sed quæres. *Dove dice, che in materia della ſanta Communione non ſi prohibiſce il mangiare, e bere, come atto in che puol cadere la parvità della materia: ma che in queſto ſi prohibiſce in communicarſi doppo haver preſſo qualche poco di coſa per bocca* (non ergo per nares) *eſtrinſecamente.*

In conditionalibus præceptis materia parvitas non à conditione ſed à re præceptâ debet ſumi.

MMMDLXVIII.

Quid ſit ſumere per modum ſalivæ? quid Salivare? quid Comedere? quid Bibere?

Sumere per modum ſalivæ eſt aliquid quod illâ die non eſt inductum ab extrinſeco, deglutire. *Salivare* eſt ſalivam eſpuere? & activè, ſputo aliquid macerare.

Comedere eſt ſumere cibum. *Bibere* haurire potum. Nec potus comeditur, nec cibus bibitur. *Sorbere* eſt comedere cibos liquidos: non enim omnia bibuntur liquida, ſed illa tantùm, quæ communi Reipublicæ vſu, ſunt loco aquæ recepta ad extinguendam ſitim. Vnde, quando quæritur, *An chocolatum frangat ieiunium?* tantùm quæritur, *an illud ſit cibus, an potus? an comedatur, an bibatur?* Si enim eſt cibus, ieiunium frangit: non tamen frangit, ſi ſit potus. Et erit potus, ſi in vſu communi vt cereuiſia, ſicera, vinum, &c. ad extin

An chocolatum frangat jeiunium?

Digitized by Google

extinguendam ſitim aquæ loco ſumatur. Debet quis, ut aliquid comediſſe, aut bibiſſe dicatur, illud per os ſumpſiſſe, non per aures, aut nares, aut per aliam corporis partem; unde P. Hurtadus apud D. Benedictum Stellam *lib.de Tabacco, c.33.pag.343.* contra Lezanam & Antonium de Leone ſic ſtatuit. *Tabacus in pulvere per nares ſumptus ieiunium naturale non frangit, & ita communionem non impedit, quamvis, qui illam ſumit in ſtomachum deſcendere ſentiat.* Vt fundamentum videas, cui P. Hurtadus inſiſtit, te juvat Stella, hoc ſcholium adjungens. *La ragione è, perche quello guaſta il digiuno naturale, che ſi piglia per bocca, o ſia per modo di cibo, o di bevanda, eſſendo la bocca deſtinata dall' Autor della Natura per mangiare, e bere: e qualſivoglia coſa, che per altra via ſi mandi nello ſtomaco, como per le narici, o per qualche ferita, ò ſiſtola nel petto, queſto non guaſta il digiuno naturale. Como egli dice haver conſultato un Religioſo, che haveba ſimi ſiſtola coſi profunda ed aperta, che per eſſa reſpirava, e mandava il fiato; per la quale il Medico la curava col mel roſato per guarirlo. Come anche communmente aſſeriſcono li Dottori, che chi per le narici ſorbiſſe un poco d' aqua, e che la tracannaſſe, non guaſtaria il digiuno naturale, per que queſto non toglie alla bocca quella novità, che ſi ricerca per la ſanta Communione.* Et mox hæc verba ex eodem P. Hurtado ſubſcribit. *Quam novitatem ſolum aufert, quod ore ſumitur, & ita multi & graves Doctores tenent. Quod, ſi quis naribus aquam abſorbeat ieiunium non ſolvit. Vti nec ille, qui habens in pectore fiſtulam, vel in ſtomacho, ſi Medici per vulnus mel roſatum infunderent ad medendum, quamvis digereret, poſſet communicare.* Conſonat P.Bartholomæus de S. Fauſto *de Euchariſt. Sacram.lib.1. quæſt.382.* inquit enim. *Si aliquis aliquantulum aquæ per nares adtrahat, quæ in ſtomachum tranſmittatur, non frangit ieiunium naturale, nec manet impeditus ad ſumendam Euchariſtiam; quia non fuit tranſmiſſa in ſtomachum per modum cibi, aut per modum potûs,* &c. Cur autem hoc? Iam legiſti: Quia per os comedimus, bibimuſque, & non per nares. Et *pag.353* addit Stella. *Che l' aqua attratta per le narici non rompa il digiuno naturale, ne impediſca il dir la Meſſa, o'l communicarſi, fu opinione tenuta dal Suarez, da Facundez, Celeſtino, e da D. Bartholomeo di S. Fauſto* de Sacram Euchar. lib.1. quæſt.382. *come habbiamo detto.*

Nec comeduntur, nec bibuntur, quæ ſumuntur per nares?

Quæ per vulnus aut fiſtulam in ſtomachum infunderentur, ieiuniũ naturale nõ frangerent.

Poteſt per vulnus homo nutriri & reſpirare.

Aqua per nares hauſta, etſi deſcendat in ſtomachum ieiuniũ naturale non frangit.

M M M-DLXXIX. *Quid ſit ſumere per modum medicinæ?*

Sumere per modum medicinæ, eſt verè comedere aut bibere, nimirùm, ſalubria, & valetudini recuperandæ opportuna, & præcipuè, ſi præſcripta à Medico. Quam ob rem *comedere, & ſumere per modum medicinæ* non opponuntur; cùm autem dicimus *ſumere per modum cibi*, videmur loqui de cibis non medicinalibus Et quidem cibi, non medici frangunt jejunium Eccleſiaſticum: non autem Medicinæ, aut Cibi medici: etſi à Doctore in magnâ quantitate præſcribantur non enim Eccleſia Romana vult impedire ægrotum & languentium curam.

M M M-DLXXX. Quæſtio proponitur. *An, qui terram comedunt, violēt ieiunium naturale?*

SVnt fœminæ, quæ aut ex guloſitate, aut ob pulchritudinem conſervandam; carbones, lapides, teſtas (Hiſpana, *Buccaros*) & alia devorant, cùm igitur iſta non ſint comeſtibilia, quæritur, *An ieiunium violent? An Eccleſiaſticum, ita ut peccent? An naturale, ita ut communicare non poſſint?*

Hic eſt caſus de quo olim fuit Diana à nobiliſſimo Viro conſultus, ut ipſe ait *part. 2. tract.14. reſol.52. §. Sed hæc.* At illi reſpondit verba Ioannis de la Cruz *in Direct. conſc. part.2. de Euch. quæſt.5. dub.4. concluſ.2.* producendo: inquit enim [mulierem terram, aut ſimile comedentem, ſive illud comedat ob delectationem, quod eſt comedere per modum cibi; ſive comedat ut colorem (ruborem) minuat, quod eſt comedere per modum [a] medicinæ, non poſſe poſt iſtorum ſumptionem ſumere Euchariſtiam. Sic ille] At ſemper manet ſumi rem non comeſtibilem, & aliter debere controverſiam diſſolvi.

a] Non poteſt terra aut creta per modum medicinæ comedi, nam virgines, quæ terrâ veſcuntur, intendunt habere colorem pallidum (non enim album hac viâ poſſunt) illũque frangendo valetudinē cõſequũtur.

N O T A.

Reſolutio. Quatuor Curiaſæ Quæſtiones proponũtur, & diſſolvũtur.

VT nihil maneat, quod bene diſcuſſum non ſit, quatuor adhuc Quæſtiones dignas ſcitu propono. PETO PRIMO, *An, qui ſanguinem ex propriâ venâ, aut ex proprio vulnere extractum biberit, poſſit communicari?* PETO SECVNDO, *An, qui nucum putamina, prunorum oſſicula, ligna, aut res ſimiles comederit, communicare poſſit?* Et tametſi nuper de hoc argumento diſputavi, quia doctrinæ ſimilitudo id poſtulat, PETO TERTIO, *An communicare poſſint fœminæ, quæ terram comedunt?* Et tandem PETO QVARTO, *An ille, in cuius os muſca fortè ingrederetur, ſi eam inadvertenter cum reſpiratione trajiciat, poſſit communicare?*

M M M-DLXXXI. Sugere & bibere *differunt inter ſe.*

AD PRIMAM reſpondeo aliud eſſe *ſugere*, & aliud *bibere*: eum, qui ſanguinem ſuum, aut alienum biberet, frangere jejunium, certum eſt: ille autem, qui ex vulnere exſugit ſanguinem, ut meliùs curetur, & ſuccum exſpuit, etſi fortè aliquid per modum ſalivæ tranſglutiat, non frangit naturale jejunium. Ita Lugo *diſp.15.n.32.pag.474.* Dicaſtillus, Leander, & alij.

An radices, oſſicula cortices, putamina, &c. comedi ſoleant?

IN SECVNDA majorem difficultatem reperio, nam multorum fructuum putamina, & arborum radices & cortices in pulveres redacta comeduntur. Petrus Martyr, agens de inſulâ, quæ à nobis *Eſpañola* vocatur [a] ſic inquit. *Dicono li vecchi di queſta Iſola, quali per la maggior parte vivon cento & dieci, & cento & venti anni, haver ſentito dire da lor padri, che ſempre per il paſſato gli habitatori di quella eran viſſuti di certe radici ſalvatiche; alcune delle quali ſono ſimili a cipolle, altre come paſtinache, & altre come noci, overo tartufe, quali chiamano con diverſi nomi; cio è* Cibaio, Macoane, Caboie, Guaiero: *ma che un vecchio molto ſavio, ſtando un giorno ſopra la ripa d'un fiume, vide una herba molto grande, con le foglie ſimile al canapo, laqual por.ò*

a] *Illa Inſula, quæ ab Hiſpanis* Eſpañola, *à* Latinis Hiſpaniola *ſed* *male, nuncupatur.*

Quid in hac inſulâ comedatur? Panis ex radicibus factus.

à caſa, & piantata la radice comincio à farla diventar domeſtica, & gli miſſe nome Iucca; *la qual eſſendo ſuave al guſto, di quella comincierono à far pane detto* Cazabi, *qual voglion che ſia molto ſano, & facile a digeſtire; & a deſſo e commune a tuti gli habitatori della ſpagnuola.* Et Alvarus Nunes in ſuâ Relatione agens de Glindis *pag.* 319. *F.* ſic ait.

Quàm miſerè Glindiſe tolerent?

Alcune volte uccidono qualche ſalvaggina, & â tempi pigliano del peſche, ma queſto è tánto poco, & la fame loro tanto grande che mangiano ragni, uuova di formiche, vermi? e lacerte, & ſalmandre, ſerpi, vipere, che col morſo uccidono gli huomini: mangian terra, legno, e tuto quello que poſſono havere, ſterço di animali ſilvaggi, & altre coſe ch' io laſcio di racontare: & credo per certo, che ſe in quel paeſe fuſſer pietre le mangerebbono. Et illa, quæ ab Italis *Canella* dicitur (ſit Græcis κιννάμον, aut ſi mavelis κιννάμωμον) ex Æthiopia aut aliunde afferatur, hodie comeditur & bibitur, & tamen cortex non magnæ arboris eſt. Poſſem alia adducere, ut nolis aſſentiri Lugoni *diſp.* 15. *num.* 33. nec Dianæ 5. *part. tract.* 13. *reſ.* 1. aſſerentibus eum, qui oſſicula aliquorum fructuum, aut nucum putamina comederit non violare naturale jejunium. Et hîc obiter nota, duo Leandrum in Hurtado carpere: alterum, quod Dianæ opinionem improbabilem vocet: alterum, quod opinionem Dianæ Sancio adfingat: ipſe enim *in ſelectis diſp.* 42. *num.* 23. contra Dianam & Lugonem decîdit.

Quid canella ſit? an, Græcè κιννάμον, aut κιννάμωμον dicatur? quid tandem ſit?

In tertia minorem, quàm in ſecundâ difficultatem ſentio: quia tametſi vegetativa comedantur, terra & lapides non comeduntur. Lugo rem ſub dubio relinquit: & idem facere videntur Leander & Dicaſtillus, qui utramque probabilem dicunt Diana diverſis temporibus aliter, & aliter ſenſit. Severæ adhæſit 2. *part. tract.* 15. *reſol.* 52. & poſteà, re meliùs perpensâ, 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 38. prætulit benigniorem. Eam, quæ docet naturale jejunium per terræ comeſtionum non frangi, Thomas Hurtadus *tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 8 *num.* 255. improbabilem vocat, & Leander *part.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 5. *quæſt.* 14. *pag.* 101.*b*. hanc eamdem cenſuram notâ improbabilitatis inurit, & contra Hurtadum Sancium, Ludovicum, Paſqualigum, & alios adducit. Ergo, ut omnis vitetur confuſio, hæc Generalis Concluſio proponatur. *Omnia, quæ ad ſenſitivum & vegetativum ordinem pertinent (carnes, oſſa, ſpinæ; radices, ſurculi, fructus, cortices, oſſicula, &c.) comeſtibilia cenſentur, & ieiunium violant: corpora autem inanima (metalla, terra, lapides, &c. (non cenſentur, non violant.*

An ieiunium terræ comeſtione frangatur?

Ad quartam dico illam muſcam, non per modum cibi, ſed per modum ſalivæ, & reſpirationis tranſiviſſe; & ideò naturale jejunium violare non potuiſſe pronuncio. Ita Lugo *diſp.* 15. *num.* 34. & apud ipſum Suarius, Reginaldus *lib.* 29. *num.* 119. Fagundez *præcept.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. Diana *part.* 5. *tr.* 5. *reſol.* 12. Dicaſtillus *tract.* 4. *de Euch. diſp.* 9. *dub.* 17. *quæſt.* 3. *n.* 279. quos citat & ſequitur Leander *part.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 5. *quæſt.* 16. *pag.* 102.*a*.

De muſcâ ſi caſu, & ex inadvertentiâ tranſglutiatur.

ARTICVLVS XVIII.

An ſumptio Tabaci communionem impediat?

MMMDLXXII.

Modi varij ſumendi tabacum.

An ſit ſalubre?

Svmvntvr pulveres huius herbæ per nares, & illis cerebrum incruſtatur: maſticàntur folia ore, & phlegmata ſtomachi adtrahuntur: & fumus ſumitur ore, & humectates in corpore toto exciccantur. Variæ ſunt de huius herbæ viribus & utilitate ſententiæ: commendatur à multis, condemnatur ab aliis: & illam ego moderatè & ex neceſſitate ſumptam, approbo, & extra neceſſitatem vitupero. Et noto obiter, eſſe herbam caſtiſſimam & quæ perſonis continentibus prodeſſe poſſit; nam materiam illam, quæ luxuriem irritat, vel exſiceat vel gravat, ita ut minus fervere poſſit, & ideò non favet conjugatis. Qui Tabaci hiſtoriam ſcire deſideret, legat curioſum D. Benedicti Stellæ eruditiſſimum librum, qui inſcribitur *Il Tabacco.* Et in ipſo huius prodigioſæ herbæ originem, cultum, qualitates, præparationem, virtutes & uſum accuratè & copiosè explicata reperiet: quia autem breviùs inſtrui velit, legat Caſtoris Durantis, Medici Romani Epigramma, ex quo Numeros ſequentes ſcripſi.

An obſit Veneri?

Nomine quæ Sanctæ Crucis herba vocatur [a] *ocellis*
Subvenit, & ſanat plagas, & vulnera iungit,
Diſcutit & ſtrumas, cancrum cancroſaque ſanat
Vlcera, & ambuſtis prodeſt, ſcabiemque repellit.
Diſcutit & morbum, cui ceſſit ab impete nomen,
Calfacit & ſiccat, ſtringit, mundatque; reſolvit:
Et dentum & ventris mulcet, capitiſque dolores.
Subvenit antiquæ tuſſi, ſtomacoque rigenti,
Renibus & ſpleni confert, uteroque, venena,
Dira ſagittarum domat, ictibus omnibus atris
Hæc eadem prodeſt, gingivis proficit, atque,
Conciliat ſomnum, nuda oſſaque carne reveſtit,

a] Hæc herba ſub initiũ ignota, variis ſub initium nominibus vocitabatur. Etiã in Indiâ, quia ſunt in uſu variæ linguæ, habet diverſa nomina, Hiſpani a nomine Inſulæ, in quâ primùm reperta, nominarunt *Tabacum*: Galli eam dicel ſe N coſiarã, quia primus fuit Neoſius, qui illã in Galliam intulit, & hi: illam

Thoracis

Digitized by Google

Poëta Herbam ſanctæ Crucis appellat, quod hic fuerit primus, qui in Italiâ Eccleſiaſticorum ipsâ importaverit ex Luſitaniâ. M M M D L X X X I I I. Reſtrictiones.

N. B Volo hic notare in margine, quod A na nuenſis meus, mihi ſuggerit, effuse ridens, quæ præter experientiâ dicuntur.

Tabaccum, ait, ſi in propriâ ſpecie (ſive in fumo, ſive in pulvere, ſive in folio ſumatur) ingrediatur in ſtomachū, omnia conturbat, & vomitum excitat: Ergo, qui ad vomitum nō excitatur, non trāſgluttit tabaccū in ſpecie.

An fumus bibatur?

Thoracis vitiis prodeſt, pulmonis itēque:
Quæ duo ſic præſtat non ulla potenior herba, &c.

An videbor ab ſcopo digreſſus? non exiſtimo: ſcribo enim Theologis & Philoſophis, quibus poterunt ſingulæ hæ notitiæ prodeſſe. Venio ad rem &.

Dico primò. *Sumere pulveres tabaci per nares, nec eſt comedere, nec bibere.* Ergo nec communionem impediet.

Dico ſecundò. *Maſticare folium tabaci, nec eſt comedere, nec bibere.* Ergo ſimiliter. Patet antecedens, quia ſine deglutione non datur comeſtio. Sed aliquando aut ſuccus aut particulæ nonnullæ deglutiuntur. Et reſpondeo juxta ſuperiùs poſita non impedire communionem, ſi deglutiantur per modum ſalivæ, non impedire, ſi per inadvertentiam: at verò ſi cum avertentiâ particula aliqua deglutiatur, communicaturum impedire.

Dico tertiò. *Sumere fumum tabaci, nec eſt comedere, nec bibere.* Ergo ſimiliter.

Dices, multos uti hac phraſi, & dicere, *ſe tabacum bibere*: ergò ſumitur per modum potûs: ergo frangit naturale jejunium, & eſt impedimento communioni. Vt antecedens, & utramque conſequentiam perſuadeas, Abbatem D. Benedictum de Stellâ producis quia *lib. de Tabacco, cap. 32. pag. 337.* ad mentem Antonij de Leone ſic inquit. *Si raccoglie dunque dal detto, che quantunque il fumo per ſe ſteſſo non ſia comeſtibile, ne ſecundo l' uſo commune degli huomini ſia potabile, è pero ſecondo l' uſo particolare d'alcuni, che l' uſano e potabile, e quelli che uſano il Tabacco in fumo lo bevono: e queſta à la propria fraſe di quelli, che ſcrivono dell' uſo di queſt' herba. Perche tutti quelli, que eſercitano queſto vitio del fumo, lo tracannano nello ſtomaco per guſto, volunta, e applicatione in quell' iſteſſo modo, che mangiono, e bevono una coſa molto regalata, Anzi lo tengono per tal ſoſtento, che non potendolo pigliare per non haverlo, ſi gli indeboliſce lo ſtomacho, e patiſcono molto nell' aſtenerſe da eſſo. Hor havendo il fumo del Tabacco queſte qualita e circoſtanze, chi ſerà quello, che non afformi rompere il digiuno naturale?*

An verba bibantur? an comedantur?

Respondeo nihilominus, etiam multos dicere, *ſe auribus ebibiſſe* quæ attentè audiverunt [Horatius 2. Carmin. *Pugnas & exactos tyrannos Denſum humeris bibit aure vulgus, &c.*] multi dicuntur *libros integros devoraſſe*, cùm perlegerunt, & intellexerunt: nec tamen in rigore loquendo, & rem ipſam à metaphorico colore denudantes, audire aut legere, eſſe bibere aut comedere dicturi ſumus. Reſpondeo ergo tabacum bibi metaphoricè, non verè & realiter.

Dices tabaci fumo nutriri hominem. Et probas D. Benedictum Stellam producendo, qui in ſuo de Tabaco ſyntagmate, toto capite X X X I I. Tabacum eſſe nutritivum ſuadet, & ut id probet hiſtorias & rationes adducit. At Ego, *Tranſeant omnia*, reſpondeo: non reſpicitur nutritio, ſed comeſtio aut bibitio. Quam ob rem, odor, ut dicebamus, nutrit, & tamen jejunium naturale non frangit vel alias in ſolennioribus feſtis quando floribus, & fumis ſuaviſſimis Eccleſiæ ornantur, nemo poſſet communicare, quia omnes odore illo ſuſcepto fregiſſent naturale jejunium. Et etiam Aër, etſi nutrire dicatur, non franget jejunium naturale, quia non comeditur ille, nec bibitur: & ſi daretur cibus aliquis, qui nutritivus non eſſet, etiam ſumptus violaret jejunium.

Authorum Placita examinantur.

Placuit hucuſque à ratione procedere, aliud eſſe *nutriri*, & aliud *comedere* aut *tanquam* fundamentum ſupponens. Cæterùm; quia in Quæſtione curioſâ juvat Doctorum Placita etiam audire; qui ſint à nobis, & qui contra nos, militent, exponamus.

Antonius de Leone. An ſcire voluerit, quid jejunij nomine intelligatur?

Antonius Cotonius *in ſumm. verb. Communio, num. 42.* & D. Benedictus Stella *lib. de Tabacco, cap. 33. pag. 334* ex Dianâ *reſol 120. §. 1.* Antonium de Leone producunt, qui *part 2. §. 4. num. 10.* aſſerit frangi tabacco naturale jejunium, ſeu in pulvere, ſeu in folio, ſeu in fumo ſumatur. Sed cur? [Probat de folio & pulvere; quia ſemper aliquid in ſtomachum trajicitur: nec curat an tabaccum nutriat, putat enim unam monetam aut lapidem, ſi tranſglutiretur, jejunium frangere. Fumum verò nutrire probat narrando aliquos vitam ad aliquot dies ſolo tabacco toleraſſe. Addit per modum potûs & nutrimenti ſumi, & hoc ſufficere, ut frangere jejunium cenſeatur. Et ut omnia firmat duo adducit Provincialia Concilia (Limenſe I I I. *act. 3. cap. 20.* Mexicanum I I I. *lib. 4. tit. 15. cap. 13.* tabacci uſum interdicentia Presbyteris celebraturis.] Et ut videas quàm ſevere Limenſis Archiepiſcopus contra eos, qui Tabacco utebantur, proceſſerit, dabo Synodi verba formalia. *Prohibetur ſub reatu mortis æternæ Presbyteris celebraturis, ne Tabacci fumum, ſeu Tabacci pulverem naribus, etiā prætextu medicinæ, ante Miſſæ ſacrificium ſumant.* Et Mexicanæ ſynodi verba ſunt. *Præcipitur, ne ullus Sacerdos ante Miſſæ celebrationem, aut quævis alia perſona ante Communionem quidquam Tabacci per modum fumalis evaporationis, aut alio quovis modo percipiat.* Et licèt hæc Provincialia Concilia extra illa territoria non obligent; quia tamen ſunt Romæ à Cardinalium Congregatione approbata, & à Sixto V. 28. Octobr. 1589. & ab Vrbano V I I I. 11. Martij 1626. confirmata, habent ex P. Thomâ Hurtado *tract. 11. cap. 6. reſol. 2. num. 183. reſol. Moral. part. 2.* magnam authoritatem, & præcepti extenſivi virtutem. Id ipſum Præcepit Vrbanus V I I I. 30. Ianvarij 1642. in Eccleſia Hiſpalenſi: hoc in S Petri Romanâ Eccleſiâ Innocentius X. anno ſancto 1650. Quas leges, etſi pro Eccleſiis particularibus & determinatis latæ, multi Viri docti ob rationis paritatem, aut etiam idemtitatem ad Eccleſias univerſas extendunt.

An plumbū v. g. ieiuniū frāgat?

An fumus nutriat?

An Tabaccū bibatur?

Limenſis & Mexicanæ Synodi Decreta contra Sacerdotes, qui ſumunt ante Miſſā Tabaccum.

A Sede Apoſtolicâ cōfirmantur.

An per confirmationem Apoſtolicā ad omnes Eccleſias extēdātur?

Non frangit Ieiunium Tabaccum, Et cur? Cotonius hic das rationem veram.

Sed reſpondeo hoc Leonem diſcurſu demonſtraſſe clariſſimè, ſe neſcire quid *ieiunij* nomine ſignificetur: impoſitum enim eſt de non comedendo, & non bibendo, non autem de non nutriendo præceptum. Hoc doctè conſiderans Cotonius Leoni reſpondet, & ſe bene reſpondere demonſtrat: inquit enim. [Nego tabaccum in folio, & pulvere jejunium frangere: quia ex Concilio Toleta-

Cibus, & potus non poteſt per nares ſumi: Ergo, quod per nares ſumitur, nec bibitur, nec comeditur.

no V I I. Superius cit. Solùm prohibetur cibus, & potus, & ex Fagundez *fr.3. lib.3. cap.5.num.14.* & aliis non franguntur jeiunium, niſi cibus, & potus ſumantur per os, & tranſmittantur ad ſtomachum per vitalem actionem comeſtivam, & potativam. At verò tabaccus in pulvere, & folio ſumitur per nares, per quas, ait Suarez *in 3.part. tom.3. diſp. 6. & ſect. 4. §. Quæres rurſus*, qui aliquantulum aquæ reciperet, non frangeret jejunium.

M M M- D L X X X V

An liceat ante Communionem habere in ore aromata?

Quod ſi aliquando tabaccus in folio ſumatur per os, tunc neque frangit, niſi deglutiatur. Ita Præpoſitus *in p.quæſt.80. art.8. dub.1.num.39.* & alij dicunt licere ante communionem aromata ori imponere, & dentibus conterere, dummodò nihil deglutiatur.

Et quid, ſi illorum aliquid, per modum ſalivæ transglutiatur?

Imò Tannerus *tom. 4. diſp.5. quæſt.8. art.8. not.8.* putat nec frangi jeiunium, ſi modicum quid ex illis ſalivæ incorporatum in ſtomachum decidat. Idem dicendum puto de tabacci fumo, quòd univerſaliter de omni fumo docet Granado *in 3.part.contr 6.tr.10. diſp.8. num. 4.* etiam ſi ſit tantæ quantitatis, ut ad aliqualem nutritionem ſufficiat, quia fumus non ſumitur per modum cibi; cùm non ſumatur per comeſtionem, ſed per reſpirationem.

An de Tabacci fumo, ſicut de omni alio fumo ſit philoſophandum?

An fumus nutriat?

Adde: falſum eſſe, quod fumus [a] nutriat, & hiſtorias, quas Leo adducit, non eſſe facile credendas, ut notat Daudinus *de anim. lib.2. comm.53. digreſſ.25* Et tandem fumum tabacci non tranſmitti in ſtomachum, ſed ſtatim per nares exire. Ad argumenta ſupra facta patet ex dictis. Ad authoritates Conciliorum reſpondetur, tabacci ſumptionem prohibuiſſe, ratione vomitûs, quem in illis partib. provocat. Ita Diana *part.5. tr.13. reſ.1.*] Hæc Antonius Cotonius *verb. communio, num.42.*

a] Eſt certum, quod Tabaccum in fumo ſumptũ nutriat: hoc ſcimus, qui mores nautarum exploratos habemus. Et, ſi hiſtoriæ à Leone adductæ non ſufficiant, legatur D. Benedictus Stella, qui in ſuo de Tabacco libr. cap.31. multas, & ſcitu digniſſimas commemorat.

Et, ne quis putet rationem vomitûs, quæ occaſionem præbuit ut Tabaccum in Indiâ Preſbyteris ante miſſam interdiceretur, eſſe illius regionis propriam, nec ad Europæas tranſire poſſe, hiſtoriam, ſatis ſcandaloſam producam, quam refert Vitaglianus *in libell. de abuſu Tabacci.* Et ex illo D. Benedictus Stella *in lib. de Tabacco, cap. 33. pag. 347.* tranſcribit. Utrobique ſic lego. *Teſtatos habemus Sacerdotes perquam multos in actu ſacrificij, imò in ipſamet conſecratione Tabaccum ſumere vidiſſe, & Altare mucoſa conſpurcaſſe ſternutatione & faxit Deus, ut una cum corporali, etiam puram hoſtiam Tabacato muco non coinquinaſſent. Fertur quidam Sacerdoti de Capite Sileris, ex Provinciâ Principatûs Regni Neapolis; cui foret (niſi temerè chartis aliquid committere videar, quod humaniſſimimus piorum auribus Obſtreperet) Tabaccum potentius, quàm fides. & vitium, quam virtus potius, ac Religioſius: hic enim cum non multo poſt ab aſſumptione Sacratiſſimæ Euchariſtiæ Tabaccum ſumeret ante Miſſæ finem, conſecratam Hoſtiam, non ſine ſpectatorum lachrymis abominabili vomitu, cum ſternutatione reiecit; Ita ut Chriſtiana Fides, quæ alioquin per eum adoleſcere debuiſſet, illam conculcandam, etiam fidei cultoribus ſuo exemplo dedit.* Et poſtquam hæc narraverat, ait D. Stella, *E quanti di queſti caſi ſuccederanno ben ſpeſſo, con ſcandalo grande de circoſtanti?* Ergo non ſolùm in Indiâ, ſed

M M M- D L X X X- V I.

N. B. Fortè ſinis legis non eſt, *ne res talis mala fiat*, ſed *ne poſſit fieri* Claudis domi tuæ thecam, in quâ habes pecunias, non quia aliàs aliquis eas furaturus erat, nã omnes tui domeſtici ſunt viri probi, & de nullo quid mali ſuſpicaris, ſed ne eas aliquis furari poſſit. Et, ſi hæc ſemel admittatur doctrina, hic ſolus caſus, qui hic narratur ſufficeret, ut leges ſeverè ſervientur contra utentes tabacco, quæ eſſent prudentes & legitimæ, ſi præſtent, ne tale poſſit vel ſemel ſuccedere ſcandalum.

etiam in Europâ debemus invigilare Epiſcopi, ne ſimilia aliquando ex noſtrâ negligentiâ aboriantur ſcandala, contra Tabaccum etiam adducitur Franciſcus de Nigro, qui *in Addit, ad Ruiz. part. 1. propoſ.4. num.52. quæſt.18.* conqueritur, ita Tabacci uſum fuiſſe in Hiſpaniâ introductum, ut Preſbyteri exiſtiment ſumi ante Miſſam poſſe, & laici ſine ſcrupulo ante Communionem id bibant, & tandem ait. *Ego tamen laudarem contrarium: quia ſæpiſſimè deſcendit in gutture, & videtur potius irreverentia, & video timoratos ſcrupulizare.* Nil concludit. Non eſt bona conſequentia, *Hoc laudarem, Ergo eſt interdictum contrarium.* Sed neque eſt bona, *ſæpiſſimè. Ergo ſemper.* Et etiam hæc eſt mala. *Deſcendit in guttur ex naribus, Ergo frangit ieiunium.* Nec argumentum ab ſcrupulis urgêre poteſt: nam docti ſcrupulos habere non poſſunt, & nil probare omninò poteſt indoctorum authoritas.

An aliquid probẽt Frãciſci Nigri ratiocinia.

Scrupuli ex ſuperbiâ & ignorantiâ naſcuntur, & ideò in viro humili, aut docto inveniri nõ poſſunt.

Hanc quæſtionem excitat Lezana, & ſeverè. decîdit. *In ſumm. Quæſt. Regul. tom.3. verb Euchariſtia num.16.* ſic inquit. *Quod mihi non placet; quia tabaccus verè eſt nutrimentum ut conſtat ex multis experientiis plurium, qui ex ipſo ſolo ſuſtentati ſunt. Verè etiam eſt medicina, hoc enim prætextu ſumitur. Sumitur etiam non caſu, ſed ex intentione, & propoſito, ut ſuppono. Et, quod ſumatur per nares non tollit, quod talis actio ſit comeſtio, etſi non communis & ordinaria, ſed extraordinaria qualis eſſet, ſi ægroto edere per os non potenti aliquis liquor daretur per nares, ut inde ad ſtomachum deveniret. Quare credo* (& hic ſuam mentem aperit) *quod ſive ſumatur in fumo, ſive in folio, ſive per os, ſive per nares, niſi ſit in tam parvâ quantitate, ut moraliter certum ſit, nihil ipſius ſubſtantiæ ad ſtomachum perveniſſe, impedire Communionem.* Nil evincit, nam in pluribus allucinatur.

M M M- D L X X X- V I I.

An Tabaccum ſit nutrimentum?

An ſit medicina?

An cum advertentiâ ſumatur?

An Tabacci ſumptio ſit quædam extraordinaria comeſtio?

A R G V I T P R I M O, *Tabaccum verè eſt nutrimentum.* Et quid inde? Etiam aër, & odor; &, quod cum reverentiâ dicam, etiam clyſteres nutriunt. Ergo aër, odor, clyſter, &c. frangunt jejunium naturale? Minimè. Centies dixi. Comedendo, aut bibendo, & non nutriendo jejunium naturale frangitur. A R G V I T S E C V N D O, *Tabaccum eſt medicina.* Et quid inde? Emplaſtra etiam, quæ vulneribus apponuntur, ſunt medicinæ, & non frangunt jejunium. A R G V I T T E R T I O, *Sumitur ex intentione.* & quid inde? Etiam ex intentione legi Virgineum Roſarium, & tamen non violavi jejunium. A R G V I T Q V A R T O. *Eius ſumptio eſt comeſtio.* Et hic jam bene argumentaretur, ſi hoc probaret. Sumptionem tabacci eſſe bibitionem Antonius de Leone aſſerebat, quod multi utantur hac metaphorâ & ſe bibere tabaccum dicant, at ſe comedere tabaccum nemo dicit. Sed fatetur non eſſe ordinariam, ſed extraordinariam comeſtionem, & ait in jejunij præcepto non ordinariam modò, ſed etiam extraordinariam interdici. Ergo attende. In Euchariſtico jejunio comeſtio & bibitio interdicitur, in Eccleſiaſtico bibitio conceditur. At in illo tam ordinaria, quàm extraordinaria inhibetur comeſtio; ergo in hoc tam ordinaria, quàm extraordinaria

Reſolutio Lezanæ.

An aer nutriat?

An odores, an etiam clyſteres nutriant?

Medicina, quæ nec comeduntur, nec bibuntur, ieiunium nõ frangunt.

M M M- D L X X X- V I I I.

An ſumere Tabaccum ſit comedere?

An ſit bibere?

Digitized by Google

b] Opinionũ Veritas, vt alibi vberiùs expoſui, eſt circulus perfectiſſimus, & circulare in ſomnũ, qui in vno loco contrahit, in alio laxat: & ideò impoſſibile eſt, dari nimis ſtrictam ſententiã quæ cõſequẽtias nimis laxas non inferat, vt vidiſti in hac Opinatione Lezanæ.

traordinaria indulgetur bibitio. Ergo non ſolùm chocolato, ſed etiam lacte, carnium iure, & quibuſcumque aliis liquoribus vti poterimus in Quadrageſimâ illæſo jeiunio Eccleſiaſtico; etiam in locis vbi non ſunt potus vſualis. Patet, quia ſunt potus extraordinarius. Hoc dici non poteſt. Ergo ſicut Eccleſiaſticum jeiunium potum improprium & extraordinarium non tolerat, ſic Eccleſiaſticum comeſtionem impropriam & extraordinariam non inhibent. [b] Ad exemplum de ægroto reſpondeo, hominem, & per omnes corporis poros ciborum excrementa egerere: &, ſi ſtomachus inediâ, aut aliâ ex causâ ſit exhauſtus, attrahere. Ergo-ne ægrotus, cujus vmbilico aut ſtomacho, ex ovis & avium carnibus confractum cataplaſma applicatur, vt vires recuperet, fregit jeiunium naturale? Nemo id admittet.

Vide noſtrã Theol. Reg. editam ann. 1665. in Prol. artic 3. pag. 32.

Sic Authores, quibus ſeverà opinio placuit.

MMMDLXXX. IX.

Hurtadi Opinio.

Res denique meliùs inſpectâ, alij Doctores Tabacci ſumptione non violari naturale jeiunium nec Communionem impediri aſſeverant. P. Hurtadus ab Abb. D. Benedicto Stellâ *lib. de Tabacco, cap. 33. pag. 343.* relatus *Tabaccum in pulvere per nares ſumptum ieiunium naturale non frangit, & ita Communionem non impedit, quamvis qui illum ſumit, in ſtomachum deſcendere ſentiat.*

P. Alfonſi de Leone ſententia.

P. Antoninus Diana rejectâ P. Antonij de Leone ſententia adhæret P. Alfonſo de Leone, & ſic inquit: *Non frangere ieiunium docti plerique dixerunt de his, qui ante Miſſæ celebrationem Tabaccum, vt vocant in folio, vel in pulvere recipiunt. Nam primo caſu de folio poteſt tantùm contingere traiectio humoris alicuius ex capite manantis in ſtomachum. Et ſecundo caſu de pulvere, fit attractio per nares, & licèt aliqua eius pars traiiciatur in ſtomachum, non impedit, vt dixi de aquâ adtracta per nares. Hæc Leo contra alium Leonem.* Et tandem concludit: *Hæc tamen dicta eſſe volo in rigore loquendo; nam ob reverentiam debitam Sacramento conſulo, vt à Tabacci ſumptione abſtineatur, maximè in folio per os propter periculum illud trajiciendi in ſtomachum.* Et Cardinalem de Lugo, & cum ipſo illi omnes Doctores, quos conſulunt, huc certè reſpicientes, tametſi à Communione eum arceant, qui humores à Tabacco excitatos tranſglutiat, aſſerunt tamen eum, qui eoſdem non tranſglutiret, ſed expueret, nec violare naturale jeiunium, nec à Communione interdici.

An violet jeiunium aqua attracta per nares.

Diana reſolutio.

Quid ſenſerit Cardin. de Lugo? & quid alij Doctores: quos conſuluit?

MMMDXC.

An ſit irreverentia ſumere tabaccum?

ALij ad irreverentiam recurrunt, & decêre Sacerdotem, inquiunt, haurire fumum Tabacci ante Miſſam Et ego, vt illis reſpondere poſſimus diſcere volo, *An ſumere Tabaccum ſit indecens? An religione loci illæſâ ſumi in Eccleſiâ poſſit? Et, ſi non aliquid in Tabacci ſumptione indecens ſit, vnde hæc ipſa indecentia ſumatur?* RESPONDEO PRIMÒ, ſi ante miſſam dedecet, etiam dedecere poſt Miſſam. Et ſi poſt Miſſam moderatè, & ob neceſſitatem ſumi poſſit, etiã poterit ante Miſſam: imò expediet, ſi ſenſus excitet, vt Miſſa attentiùs & devotiùs legatur. RESPONDEO SECVNDÒ, non eſſe bonam conſequentiam, *Hoc eſt indecens, Ergo frangit ieiunium:* ludere enim aleâ, charta, &c. eſt indecens, nec tamen frangit naturale ieiunium.

Ieiuniũ indecentia nõ frangit.

MMMDXCI.

An peccatũ ſit ſumere Tabaccum in Eccleſiâ?

Cæterùm, quia Vrbanus VIII. & Innocentius X. contra eos, qui in Eccleſia Metropolitanâ Hiſpalenſi, & S. Petri Romana Tabaccum ſumerent, Bullas ediderunt ſeveras, interrogas, *An, & quale peccatum ſit ſumere in Eccleſiâ Tabaccum?* Diana *part 10. tr. 16. Miſcellan. 6. reſol. 24. aliàs 24.* (& in *tom. 2. Coordin. reſol. 122*) aſſerit, peccare mortaliter, & incurrere excommunicationem, qui ſumat in Eccleſiâ S. Petri & eius portica Romæ: & in Hiſpaniâ, qui ſumat in Eccleſiis Civitatis & Diœceſis Hiſpalenſis, ſtantibus prohibitionibus Sanctiſſimi D.N. Innocentij & Vrbani VIII. &c.

An Innocentij X. & Vrbani VIII. Bulla ad omnes Eccleſias extendantur?

Sed quid de aliis Eccleſiis? An etiam peccabit mortaliter, qui ſumere in illis pulveres Tabacci præſumat? Aſſerit Paſqualigus *Canonic. Quæſt. Cent. 2. quæſt. 175.* exiſtimat enim *ſumere illud in Eccleſia ex ſuo genere mortale, nec fieri veniale, niſi ex parvitate materiæ.* Et arguit ſic. Res leves ſub gravi pœnâ interdici non poſſunt: &, quia excommunicatio eſt pœna atrox, ſupponit mortale peccatum; vt conſtat ex cap. *Romana* & ex cap. *Dilecto, de ſentent excommun.* At Tabacci in Eccleſiâ ſumptio ſub pœnâ excommunicationis interdicitur. Ergo ab Excommunicatione præſcindendo, Tabacci in Eccleſiâ ſumptio eſt graviter mala, & dicit magnam irreverentiam. *Nam Pontifex movetur ad prohibendum ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda & indecentia & irreverentia, quam continet; quia vult extirpare abuſum tam ſcandaloſum, quod continet talem malitiam, quæ excommunicatione puniri poteſt* Tunc ſic. Ante Vrbanum VIII. & Innocentium X. erat graviter indecens ſumere Tabaccum in Eccleſiâ Hiſpalenſi & Romanâ; non enim aliàs eſſet ſub tam gravi cenſurâ interdictum, niſi fuiſſet notabiliter indecens. Ergo, vel erat indecens, quia Eccleſiæ erant, vel quia tales Eccleſiæ erant: Non hoc: ergo illud. Ergo in quâcumque totius Mundi Eccleſia erit Tabaccum ſumere indecentia notabilis. Sic ratiocinatur Paſqualigus.

An in quâcumque mũdi Eccleſiâ Tabaccum ſumere ſit peccatum mortale?

N. B. Audiẽ dicere Paſqualigum æquè bene contra Tabaccum, ac Montẽ contra Terræ motum argumentari.

MMMDXCII.

An ſit ſaltem veniale? Et, an vbique?

Mitiùs rem intelligit Cardinalis de Lugo; nam *in Reſponſ. Moralib. lib. 1. dub. 9. num. 7.* tametſi, nec gravem indecentiam, nec mortale peccatum admittat in ſumptione Tabacci, præſcindendo ab Apoſtolicis Conſtitutionibus, *Moneerim tamen*, ait, *ne id in Eccleſia, vel eius ambitu fiat, cùm propter reverentiam illorum locorum ſanctiſſimus D. N. Vrbanus VIII. id in Diœceſi Hiſpalenſi prohibuerit, vt vidimus, quæ prohibitio, licèt ad alias provincias non expendatur, ſupponit tamen, ſine irreverentia aliqua loci ſacri id fieri non poſſe.* Putat ergo Lugo eſſe irreverentiam aliqualem ſumere Tabaccum in loco ſacro. Ergo ad Lugonis mentem erit peccatum veniale ſumere Tabaccum in Eccleſia, in quacumque ſumatur. Quia tametſi non tranſeant ab vno ad alterum locum cenſuræ, rationis identitas vniverſos pervadit.

Cum Lugone diſputare non volo, tametſi

Excommunicatio ferri non poteſt niſi ob peccatum mortale, ſed in obedientia gravi (in re magnâ dico non in graviter malâ) eſt mortalis, & vel levis aut moraliter nulla, ſi ob gravê præcipiatur. ſit gravis?

veniale illud, nec poſſim, nec velim admittere; nam prudentiſſimos Epiſcopos video paſſim coram omnibus ſumentes in Eccleſiis tabaccum, quod non facerent, ſi id eſſe veniale crederent. Ad Paſqualigum venio, quem miror cæcutire in re clarâ. Iubet Superior ſubdito ne ex cella ſua egrediatur ſub pœnâ excommunicationis. Ergo ne ex cellâ egredi ante cenſuram erat peccatum mortale? minimè: & tamen excommunicatio ſupponit peccatum mortale. Singula diſcutiamus. *Ex cella egredi, aut non egredi, ex genere ſuo* (& auſcultetur Paſqualigus) *ſunt actiones indifferentes, quæ leves aut graves fieri poſſunt, niſi levitas aut magnitudo ab aliqua accedente circunſtantia ſumatur.* Iubet ſuperior ob finem gravem, quod ſubditus in cellâ maneat; Ergo tenetur obedire ſub mortali. Ergo & excommunicari poterat, ſi non obediat. Vidi (& vidi dico, non audivi) plena Tabacco corporalia, hoſtiam tabacco tingi, Miſſæ adſiſtentes ſcandalizari. Vidi (& iterum dico, vidi, vidi) caſulas & alia Eccleſiaſtica ornamenta Tabacco maculata, aut corrupta; & quis ſuperior toleret huiuſcemodi abuſum? Pati illum nolui ego in Bohemiâ, in quâ bellum & inſolentia militum, Eccleſiaſticorum more deformaverant: & ideò ſerpenti morbo occurri edendo opportuna Decreta. Pati illum noluerunt Hiſpalenſis in Hiſpaniâ, Mexicanus, & Limenſis Archiepiſcopi in Indiâ. Adhibuerunt ipſi opportunum remedium; &, vt eſſet perpetuum, confirmationem à Sede Apoſtolicâ impetrarunt. Pati illum noluit Hoſpitalis Sancti Iacobi Romæ Gubernator, qui anno 16[illegible]9. Tabaccum in ſuâ Eccleſiâ & Sacriſtiâ interdixerat, antequam Bullam Innocentius X. publicaſſet.

Quàm ſcandaloſum ſuerit abuſus ſumendi in Eccleſiâ tabaccum?

ARTICVLVS XIX.

An guttæ vini, qui ſunt in calice ſeparatæ à reliquo vino, conſecrentur? quid, ſi guttæ ſint aquæ? An conſecrentur hoſtiæ, quæ à cæteris ſunt ſeparatæ?

MMMDXCIII. *De pronominis hoc ſignificatione.*

VT ab hoc vltimo incipiam, puto petendum à Grammaticis, quid ſignificet pronomen. *Hoc?* quia ſi non vocatur *hoc*, niſi aggregatum è rebus contiguis, omnes particulæ, quæ à maiori hoſtiâ ſint ſeparatæ, non ſignificabuntur eo pronomine, nec debebunt conſecratæ cenſeri. [a] Quod ſi pronomen *hoc*, totum illud ſignificet quod ſit præſens, ſive contiguum hoſtiæ maiori ſit, ſive non ſit, manebunt conſecratæ particulæ. Cùm autem certum ſit hoc pronomine etiam particulas ſeparatas ſignificari, etiam erit certum illas manere conſecratas. Vt certitudinem hanc oſtendam, hunc caſum pono. Habebat cumulum nummorum Ferdinandus in menſâ, & extra cumulum nummos nonnullos hinc inde ſparſos, & ait, *Hanc pecuniam do Petro*; nihil aut mente, aut labio, aut ſigno aliquo exteriori excipiendo, & peto: An cumulus ſolus nummorum: an etiam illi, qui ſparſi, ad Petrum debeant ſpectare? Præterea, ſunt multi liquores pretioſiſſimi. Pone hydrochryſium eſſe talem, vt valeant ſingulæ guttæ centum aureis. Si dicat Ferdinandus *Hunc liquorem do Petro*. an-ne guttæ quæ à latice diſtant, & vitro adhærent, Petro cenſebuntur donatæ? Hoc vltimum dicet quicumque Iudex; ergo de particulis & guttis Euchariſticis pariformiter philoſophabimur.

a] Hoc argumentum, quod ab inconveniente procedit petit, vt examinetur, *an formula, quâ à maiori formâ ſunt, in eâdem patenâ ſeparata, conſecrentur?* Aſſerit Dicaſtill. *diſp.* 2. *dub.* 12. *n.* 223. Leander *p.* 2. *tr.* 7. *diſputat.* 8. *q.* 77. *p.* 141. *a.* Hurtad. & alij.

Quid intelligatur huius pecuniæ nomine, quando aliqui nummi nô adhærent aliis?

Hinc tranſeo ad caſum alterum: & primò aſſero hîc agi de guttis, quæ Calicis exteriori ſuperficiei adhærent: illæ enim *Calicis* nomine non intelliguntur, & ideò non ſunt conſecratæ. Ita Leander *part.* 2 *tract.* 7. *diſp.* 8. *q.* 75. *pagin.* 140. *b* dicens: [Reſpondeo quod non: quia nullus Sacerdos intendit illas conſecrare. Ita omnes Doctores, &c. Conſonat Toletus *lib.* 2. *c.* 24. *n.* 6. inquit enim [Si extra Calicem maneant guttæ Vini ſicut etiam in altari micæ panis, quamvis præſentia ſint, non conſecrantur.

De guttis, quæ Calicis exteriori ſuperficiei adhærent. An maneant conſecratæ?

De illis, quæ in ipſo calice ſunt, & ſunt à reliquo vino ſeparata. An conſecrentur?

Et ſecundo agens de guttis, quæ intra Calicem ſunt exiſtimo ſicut non eſt neceſſarium vt omnes particulæ panis ſint contiguæ, vt conſecrentur; ſic etiam nec neceſſarium eſſe, vt omnes particulæ vini ſint continuæ. Ergo conſecrabuntur etſi ſint ſeparatæ à reliquo vino.

MMMDXCIV. *Sacerdotis intentione.*

Puto hanc opinionem eſſe omnium, aut eſſe debere; nam authores qui deviant, ad intentionem Sacerdotis recurrunt, ponunt enim eum non habuiſſe intentionem conſecrandi iſtas guttas, & ideò colligunt eas non eſſe conſecratas. Et me iudice conſequentia eſt legitima, & ſi ponant Sacerdotem non habuiſſe intentionem conſecrandi laticem totum, ſed guttas tantùm, inferent evidenter ſolas guttas ſeparatas, & non reliquum vinum, in tali caſu conſecrari. Sed videtur caſus ita debere poni, vt non reſtringatur intentio, quia etiam in conſecratione panis, ſi Sacerdos nolit conſecrare particulas ab hoſtiâ maiore ſeparatas, non conſecrabuntur illæ; & tamen, quia eius intentio eſt conſecrare, quantum eſt coram ſe conſecrabile, illæ omnes particulæ manebunt conſecratæ. Ergo ſimili modo ponendum eſt Sacerdotem habere intentionem conſecrandi, quidquid eſt conſecrabile in calice. Hoc modo, & meritò hunc caſum reſolvit Martin. Bonacina *tract. de Sacramentis diſputat.* 4. *quæſt.* 2. *puncto* 6 *num.* 7. cuius meminit Diana *part.* 4. *tract.* 7. *Miſcellan. reſolut.* 16. & *part.* 1. *tractat.* 4. *reſolut.* 37. Pro hac ſententiâ Bonacina citat Ægidium, Toletanum

Nec particulæ panis, nec vini guttæ conſecrabuntur, quas Sacerdos noluerit conſecrare?

Quo debeant modo caſum iſte ponant.

letum, Rodriguez, & Chamerotam, & quidquid de vltimis in cæteros male. Illam tuetur etiam Dicaſtill. *diſput.2.dub.12.n.123.* qui etiam malè citat Ægid Tolet. & Rodrig. Bonac.confidens. Sic inſtructi alios Authores audiamus.

MMMDXCV. *Vini guttulæ ſi quæ in calice à cætero vino ſeparantur, conſecrantur?*

Reginaldus *in praxi tom.2.lib.29.c.2.n.19* ſic inquit: [Si aliquæ ſunt guttæ vini, vel extra calicem, vel in calice ſeparatæ à toto vino, quod in calice ipſo continetur, eas probabiliter non iudicari conſecratas, ob defectum intentionis.] Ecce ad intentionem recurrit, & aſſerit hunc recurſum eſſe tantùm probabilem.

Qualis eſſe debeat Sacerdotum intentio?

At ego, vnde illa naſcatur probabilitas non percipio: nam ſe habuiſſe, aut non habuiſſe intentionem, Sacerdos ipſe, non iam probabiliter, ſed certò ſcit. Si habuit intentionem, certò ſunt conſecratæ: Et ſi non habuit, certò ſunt non conſecratæ.

An locum in hoc caſu poſſit habere probabilitas?

Cæterùm, quia nomen *Calix* quidquid continetur in illo ſignificat, intentio eſſe debet conſecrandi totum illud vinum, quod eſt in calice.

De guttis extra calicem adhærentibus.

Ægidius à Bonacinâ pro noſtrâ citatus expreſsè docet non conſecrari guttas vini circa labrum calicis exiſtentes. Et verum dicit, ſi agat de externo labro. Noſtram ille ſententiam verbis manifeſtis non tradit, nec eſt cur illum ad eam per conſequentias obtorquere velimus.

Rodrig. ſententia.

Rodriguez *in Summ. part.1.cap.122 verb. Conſagracion, num.6. alias cap. 240.* (vbi à Bonacinâ, & malè pro noſtrâ opinione citatur) ſic ſtatuit: *No quedan conſagradas las gotas del Caliz, teniendo el Sacerdote intencion de ſolamente conſagrar, no todas, ſino aquellas, que comodamente pudiere conſumir, como lo prueva Paulo Comitolo.* Non ſoluit Quæſtionem, ſed tollit: illas enim guttas, quas non vult conſecrare, non conſecrat. Sed vtrùm hæc ſit legitima intentio, mox videbimus.

Quam intentionem cenſendus ſit habuiſſe conſecrans?

Contra nos Leander citat Reginald. Ochagaviam, Layman. Hurtad. Gavantum, Suar. quibus etiam favere Dianam aſſerit, & ait hac illos ratione firmari. [Quia conſecrans, quando aliud non expreſsè intendit, & tantùm cenſetur velle conſecrare præcipuam vini quantitatem, in fundo calicis exiſtentem.] At falluntur, vt puto: nam conſecrans cenſetur habere intentionem legitimam, & hæc non eſſet talis niſi comprehenderet, quantum verbis ſignificatur.

Monitum Practicum.

Gavantus *part.2 tit.7. num.4. in fin.* Granadus *tract.1. diſputat.6. num.9. pag* 822. & alij, quos Leander laudat, monent vt guttæ, ſi quæ à reliquo latice ſint ſeparatæ purificatorio abſtergantur. Hoc omnes facimus: ſed nulla humana diligentia præſtare poterit, vt nullæ omninò ſeparatæ remaneant, vt ſtatim videbimus. Ergò, vt ſciamus qualem debeamus habere intentionem in Miſsâ, addamus ſequentem Articulum.

ARTICVLVS XX.

Qualis debeat eſſe intentio Sacerdotis in conſecratione?

MMMDXCVI. *Reſolutio.*

PVto debere velle conſecrare, quantum verba ſignificãt, aliàs aliter loqueretur, & aliter vellet, ac propterea verba non verificarentur.

An reſtrictiones mentales habeant locum in conſecratione?

Qui ad mentales Reſtrictiones recurrunt, diſtinguere debent Conſecrationem licitam à validâ. Eſt certum Sacerdotem non eſſe conſecraturum hoſtiam, quam conſecrare non vult: ſed etiam eſt certum, ſi eam mente excludat, quam incluſerit verbis Conſono Bonacinæ *citato*, qui de pane & vino meritò philoſophatur eodem modo, & eodem modo exponit vocem *Hic* quo vocem *Hoc*.

Reginaldi ſententia.

Reginaldus *vbi ſupra*, ſic ait: [Intentio habenda circa materiam calicis eſt, vt Sacerdos intendat conſecrare illud, quod per modum vnius continui potabilis exiſtit in calice.]

Vna probabilitas non opponitur alteri.

Vbi duo noto, alterum, hanc ipſam doctrinam non niſi probabilem cenſeri à Reginaldo; atque ideò non poſſe præiudicare noſtræ, alterum, ſi dicatur probabilis, non tamen dici probatam; nam neque illam ille, neque alius probat, nec paritati adductæ à Bonacinâ ſatisfacit. Nam ſicut pronomen *hoc* in conſecratione panis, non ſolum ſignificat hoſtiam maiorem, ſed & minores in arâ & corporali poſitas, etſi nonnihil ab hoſtia maiori ſeparatas; ſic etiam *hic calix*, quidquid continetur in calice ſignificabit.

Dianæ opinio.

Diana *part.3.tract.4. reſol.32* dum Reginaldo ſubſcribit, eodem modo laborat, ait enim: [Affirmativam ſententiam docet Bonacina, quem Ego adduxi *in tract.4. Miſcell. reſ.16.* (lege *part.2. tract.3. Miſcell. reſolut 16.*) ſed contrarium tenendum eſt; nam hæc videtur communis, & optima Eccleſiæ intentio conſecrandi omnem liquorem conſecrabilem, qui per modum vnius continui in calice continetur.

De Eccleſiæ intentione.

Quænam ad Dianæ mentem illa ſit?

Et ita præter Reginaldum, & Suarez docet noviſſimè Layman *in Theolog. Moral. lib.5. tract 4. cap.2. n.14*] At Ego hæreo primo, cùm nomen Eccleſiæ audio. vbi enim ſunt Eccleſiæ decreta, non dantur Diſſertationes Theologorum: & quia hîc, vt Diana teſtatur, ſunt multæ & variæ Diſſertationes Theologorum, nihil Eccleſiam aut definiiſſe aut decreviſſe certum eſt.

Vbi Eccleſia loquitur, ceſſant omnes opiniones probabiles?

Ergo loco *Eccleſiæ*, lego *Sacerdotum*: & tunc nego eſſe praxim communem, nego eſſe optimam.

An præſcripta à Dianâ intentio, ſit communis & optima.

Semper enim fui doctus habere intentionem conſecrandi omnes particulas panis, & omnes guttulas vini: &, ſi intentio ſit alia, non videntur verba plenè verificari.

An ſubſit inconvenientibus?

Et poſteà cum guttæ non conſecratæ in laticem conſecratum labuntur & immiſcentur, videntur non minus inconveniens oriri, quàm ſi inter conſecratas particulas conſumendas à Sacerdote poneretur aliqua non conſecrata.

MMMDCXVII. *Ægidij ſententia.*

Ægidius Coninch dum mediam vult inire viam, amplectitur opinionem difficilem: nam *libro de Sacramentis quæſt. 74. artic. 2. dub. 3. num. 43.* ſic inquit: [Nota legitimam intentionem conſecrationis calicis ſecundum communem & optimam praxim fieri ſolùm circa omnem humorem conſecrabilem, qui in calice per modum continui, aut quaſi continui continetur, comprehendat etiam aquam vino permixtam & guttas vini, quæ proximæ continuo liquori calici intrinſecus adhærent, ita vt parvâ calicis agitatione reliquo vino miſceantur. Tales enim guttas vini, vel priùs abſtergi, vel cum reliquo vino conſecrari omnino expedit, ne materia non conſecrata miſceatur conſecratæ. [a] Quare niſi conſecrans aliud expreſsè intendat, cenſetur communiter hanc totam materiam, & nullam aliam conſecrare; & conſequenter, nec guttas remotiores circa extremum labium calici adhærentes. Quamvis magis expediat, priùs omnes guttas, præſertim remotas, abſtergere, & tum ſimpliciter omnem materiam conſecrabilem, quæ eſt in calice, conſecrare] Sic ille.

a] Rationē fundamentalem nō attingit Ægidius. Incō veniēs, quod ille proponit, eſt grave: ſed poſſet humanâ aut Angelicâ diligētiâ ita agitari calicē, vt illa cōmixtio non contingeret. Ratio autem, vt pluries dixi fundamentalis eſt, quia *huius calicis* nomine, ſignificatur totū vinum, quod habetur in calice, nō ſecus ac cùm dicimus *hoc*, ſic enim hoc pronomine: non magnā hoſtiam ſolam, ſed et ā paruvlas ſignificamus.

Dum relego huius Authoris verba duo animadverto; *alterum*, non eſſe fidendum Doctoribus, cùm dicunt hanc vel illam opinionem eſſe communem, nam Ægid. Coninch, vt videris, ſuam dicit eſſe communem [nota illa verba, *legitimam intentionem, ſecundum communem & optimam praxim:* & illa *cenſetur communiter.*] cùm tamen Diana, qui oppoſitam tenet, aſſerens ſolùm id conſecrari debere, quod per modum vnius continui in fundo calicis ſubſidit, etiam ſuam dicat eſſe communem *part. 3. tract. 4. reſolut. 22.* vbi ait: [Hæc videtur communis & optima Eccleſiæ intentio, &c.] Vbi meritò in memoriam revocare debebo, quod apud Cardinalem Lugonem legiſſe aliquando me memini; videlicet, eſſe Doctores, qui intra ſepta vnius Monaſterij aut vnius Civitatis, ſi velis, Ethica ſcriptitant, & opinionem, quæ ibi obtinet, cenſent eſſe communem; cùm poſſit & ſoleat contingere, eſſe ſoli illi loco communem, & à reliquo orbe non niſi ſingularem iudicari.

MMMDCXVIII. *An fidendū ſit Scriptoribus citantibus ſententiam cōmunem? Cur interdū Theologi, etiam docti, aliquas doctrinas eſſe communes dicant, quæ reverà ſunt particulares?*

Alterum, quod animadverto in iiſdem verbis eſt Ægidium optimam communem & legitimam vocare praxim, eam agendi rationem, quam nemo poterit reducere legitimè ad praxim. Hoc optimè obſervavit Layman *in Theolog. Moral. lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 14.* nam cùm dicitur guttas proximiores conſecrari, remotiores non conſecrari, nihil certum & determinatum aſſeritur; ſtatim enim interrogabo, quantum à reliquo vino debeat diſtare gutta, ut proxima aut remota cenſeatur. Si remotas à proximis ita diſtinguat, vt illæ proximæ ſint, *quæ parva calicis agitatione* (verba eius do) *reliquo vino miſceantur:* petam iterum quid ſignificet illud *miſceantur*; nam vel ſignificat poſſe miſceri, vel miſceri de facto. *Si primum*, adhuc remanet dubium, debebo enim ſubpetere quanta debeat eſſe calicis agitatio quæ cenſenda ſit parva? An calix parum inclinetur, cùm per decem, viginti, aut plures gradus: an verò hæ ipſæ inclinationes ſint magnæ? Et cur conſecrari debebunt guttæ, quæ miſcerentur inclinatione tantâ, & quæ non tantâ? *Si ſecundum*, adhuc maius oritur inconveniens, tunc enim conſecratio à futuro contingente penderet: & reſpiciens Ægidius vnam guttam deberet dicere, Si miſcebitur, eſt conſecrata, ſi non miſcebitur reliquo vino conſecrato, non eſt conſecrata: adeoque ante contingentem eventum neſciret, an eſſet conſecrata, vel non.

MMMDCXIX. *An practicabilis ſit Ægidij opinio? Quænam guttæ proximiores, & quænam remotiores dicēdæ ſint?*

De calicis agitatione. Quanta futura ſit, quæ parva; & quanta, quæ magna cenſetur?

An conſecrationis valor à futuro accidente dependeat?

His promiſſis, quid Leander (cuius diligentiæ, & ingenio Theologia Moralis multum debet) in hac quæſtione ſtatuat, videamus. Ipſe itaque *part. 2. tract. 7. diſp. 8. q. 76. pag. 141. a.* agens de guttis à reliquo vino ſeparatis ſic inquit: [Addo ego cum aliis, quod ſacerdos in conſecratione calicis, ſolum debet intendere conſecrare vinum, quod in profundo calicis eſt continuum, non guttas, ſi quæ extra, vel intra calicem ſeparatæ maneant. Quod ſi fortè hanc intentionem non adhibeat, dico, quod debet ſumere priùs (ſi fieri poteſt) ſanguinem, & deinde cum ablutione, prædictas guttulas. Sic ex parte Suarez *loc. cit.* quem ſequitur Monteſin. *in Manuſcr. quæſt. 74. art. 2. diſp. 3. quæſt. 4.* Et inclinat aliqualiter Hurt. addens, & bene, quod Sacerdos ita debeat velle conſecrare illud vinum continuum, quod eſt in fundo calicis, vt velit etiam conſecrare eas guttas, quæ incepta prolatione verborum formæ erant continuæ cum vino exiſtente in fundo, quamvis ante finitam prolationem diſcontinuentur, & illas, quæ poſt inceptam prolationem verborum, ante perfectam, continuantur. [b] ET POSTEA. Quæſtione ſequenti, quæ eſt LXXVII. Interrogat, *An Sacerdos conſecrans formulas exiſtentes in patenâ, aut intra pyxidem, etiam conſecret particulas mixtas cum formulis?* & reſpondet his verbis. [Affirmat Hurtadus conſecrare, videlicet, etiamſi tales particulæ exiſtant extra ambitum, aut ſpatium formularum exiſtentium in patenâ, aut intra pyxidem. Quia iſtæ, quamvis non exiſtant continuæ cum formulis, exiſtunt per modum comeſtibilis inter pyxidem, aut in patenâ. Sic Hurtado *loc. cit.* & bene. Addo tamen ego (vt omne dubium è medio tollatur) quod hæc debeat, eſſe intentio Sacerdotis conſecrantis formulas in patenâ, aut intra pyxidem, poſitas. Sic etiam tenet Dicaſtillo *diſputat. 2. dub. 11. num. 223.*] Et ego aſſero has duas Reſolutiones, etſi immediatè poſitas ſibi mutuò contradicere. Et quia eſt bona & tenenda poſterior, ex ipſâ, vt corrigam priorem illam, diſcurro, & ſic inquam. [Aſſirmo Sacerdotem conſecrare omnes guttas, etiam ſi tales guttæ exiſtant extra laticem, modò ſint intra calicem. Quia iſtæ, quamvis non exiſtant continuæ cum reliquo vino, exiſtunt nihilominùs per modum bibilis intra ipſum calicem. Sic docent Bonacina, Dicaſtillus, & bene. Addo tamen ego (vt omne dubium è medio tollatur) quod hæc debeat eſſe intentio Sacerdotis, vt velit conſecrare totum vinum intra calicem poſitum.] Relege, quæ Leander de conſecratione hoſtiæ dicebat, & cum parallelo præcedente compone.

MMMDC. *Qualem ad Leādri mētem habere debeat intentionem Sacerdos in Calicis cōſecratione?*

b] Hinc novæ Quæſtiones oriuntur, *An guttæ, quæ erant in initio reliquo vino continuæ & ante conſecrationis finem ſeparantur: an, quæ contrà, maneāt conſecratæ?*

Qualem ad Leandri mentem habere debeat intentionem Sacerdos dū hoſtiam cōſecrat?

An Leander ſibi contradicat?

Perpende, an non hæc verba ſint illa, quæ Leander dicebat parallelas.

Oppoſita

Digitized by Google

Reiicitur intentio, quam Authores oppoſitæ ſententiæ conſulebant: cùm, quia eſt impoſſibilis: tũ, quia illâ poſitâ verba falſificātur.

Oppoſita ergo intentio admittenda non erit: cùm, quia rem ſupponit impoſſibilem in praxi: tum, quia verbis diſſonat. Eſſe impoſſibilem in praxi demonſtro, quia calix in manu movetur, & illo motu vinum hac illac in calice inundat; & dum verba conſecrationis proferuntur, multæ guttæ, quæ erant ſeparatæ, reliquo vino continuantur? & multæ, quæ uniiæ erant, franguntur, & adærent lateribus: & illarum diſcretio non parvam confuſionem induceret. Eſt ergo impoſſibile, ut calix in Sacerdotis manu, quæ ſemper arteriæ motum ſentit, & trepidat, ad Dianæ & Reginaldi mentem conſecretur. Eamdem præntereà intentionem diſſonare conſecrationis verbis probo: quoniam illa pronomina *Hoc*, & *Hic* totum ſignificant, quod eſt præſens & conſectari poteſt: adeóque ſicut per conſecrationem hoſtiæ conſecrantur omnes panis particulæ, quæ ſunt in patenâ: ſic per conſecrationem vini omnes guttæ, quotquot ſunt in calice, conſecrabuntur.

ARTICVLVS XXI.

De Pronomine Hic, hæc, hoc. *An in Conſecrationis formâ ſubſtantivè, an verò adjectivè ponatur?*

MMMDCI.

An Pronomen hic, hæc, hoc, adiectivè, an verò ſubſtantivè accipiatur?

VLTIMA verba præcedentis Articuli poſtulare videntur, ut exactiùs & profundiùs Pronominis ſignificationem exponamus. Adhuc ergo unicam Quæſtionem excitemus, in quâ nihil certi definiat, qui ad Græcum textum non recurrat. Petitur, *An illa pronomina* Hoc & Hic *in formâ conſecrationis ſubſtantivè, an verò adiectivè ſumantur?* ſumi adjectivè aſſerunt Argentinas, Guitmundus, Major, Saintes, Vaſquez, Becanus, Lugo, Hurtadus, Maldonatus, & alij aſſerentes, pronomem *Hoc* adjectivum eſſe, & denotare ipſummet corpus Chriſti Domini, ſicut pronomen *Hic*, eſt adjectivum, & denotat calicem, vel ſanguinem. Oppoſitam opinionem tuetur Leander *part. 2. tract. 7. diſp. 10. quæſt. 20 pag. 147. b.* dicens [probabiliùs reſpondeo non ſumi adjectivè, ſed ſubſtantivè: & ita prædictas particulas *Hoc* & *Hic* non denotare ipſummet corpus, aut ſanguinem Chriſti, ſed aliquam rationem communem ſubſtantiæ aut entis, ita ut ſenſus formæ conſecrationis ſit hujuſmodi. *Hoc, quod continetur ſub ſpeciebus, eſt corpus meum,* &c.] Et citat S. Thomam, Paludanum, Capreolum, Sotum, Ledeſmam, Scotum, Cajetanum, Durandum, D. Antoninum, Ferraram, Ianſenium, Altiſiodorenſem, Bellarmin. Suarium, Granadum Bonacinam, & alios.

Quem reddant ſenſum verba conſecrationis?

An hæc, Hoc corpus eſt meum, *ſit forma valida?*

Ego autem ante Reſolutionem aliam Quæſtionem, à poſitâ dependentem propono. Inquiro, *An valida ſit iſta forma*, Hoc corpus eſt meum? *Quoniam*, tametſi validam ipſam eſſe dixerint Gabriel, Henriquez, Pitigianus, Gamachæus, & alij, de eius valore dubitat Sotus, *diſt. 1. quæſt. 1. art. 8. ſub fin.* & Leander *part. 2. tract. 7. diſp. 9. quæſt. 18. pag. 145. b.* ſic inquit. [Ego probabiliùs reſpondeo, quod non conſecret; quia hujuſmodi verba, ita tranſmutata, non ſignificant converſionem panis in corpus Chriſti, quod eſt neceſſe:] & pro ſe citat Fagundez & Granados, & jubet legi Dianam *part. 5. tract. 41. reſol. 78.*] Reſpondeo autem Ego huius Quæſtionis deciſionem à præcedente dependere: nam in hac formâ *Hoc corpus eſt meum*, illud pronomen *hoc* ſumitur adjectivè: Ergo oportet videre an illud, hoc aut alio modo ſumatur. Interim laudo Leandrum, quia cùm generaliter dixiſſet [Probabilius reſpondeo (illud *hoc*) non ſumi adjectivè, ſed ſubſtantivè, &c.] & modò in hac formâ *Hoc corpus eſt meum*, illud *hoc* adjectivè ſumi perciperet. [probabiliùs reſpondit, quod non conſecret.] Ergo, an illa pronomina ſubſtantivè ſumantur, exponamus.

Quid examinare debeat, qui hanc velit quæſtionem reſolveret

MMMDCII.

Quando adiectiva ſumi adiectivè, & quando ſumi ſubſtantivè dicantur?

Sed unde ſumetur Reſolutio? Ego ſanè, ne ſcientiarum Fundamenta confundam, in Quæſtione, quæ non niſi è Grammaticæ fontibus reſolvi debet, deſidero, ut non ſine Grammaticâ rationemur. Lego in Symbolo Sancti Athanaſij, *Qui licèt Deus ſit & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.* Et Matth 19. 6. *Non ſunt duo, ſed una caro,* & in Hymno. *Nunc ſancte nobis Spiritus, Vnum Patri cum Filio.* & Ioann. 10. 30. *Ego, & Pater unum ſumus.* Et quia linguâ Græcâ indigebimus, 1. Ioann. 5. 7. Τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, καὶ ὁ λόγος, καὶ ὁ ἄγιον πνεῦμα· καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, & Verbum, & Sanctus ſpiritus; & hi tres unum ſunt.* Et, quoniam in his omnibus locis nomen *unus, a, um.* Reperio: interrogo, Vbi, & cur adjectivè, aut etiam ſuſtantivè ſumatur? Reſpondes, ſubſtantivè, non niſi in neutro genere & ſine ſubſtantivo ſumi: adeoque ſumi adiectivè, ſi in maſculino, aut in fœmenino, ponatur Addis, adiectivo ſi, per accidens neutrum accedat, non tamen cum illo concordet, ſumi etiam ſubſtantivè. [a] In Grammaticâ Latinâ ad uſum ſcholæ Bremenſis, *lib. 2. capit. 1. pag. 137.* [ſolet adiectivum ſubſtantivè uſurpatum explicari per vocabulum *res*, ut *omnia*, hoc eſt, *omnes res*, &c.] Et his præmiſſis aſſero hoc nomen *unus* in illis verbis *Vnus eſt Chriſtus*, & *Vna caro*, accipi adiectivè: in illis autem, *Vnum Patri cum Filio*, in illis *unum ſumus*, in illiſque τὸ ἕν εἰσι, *unum ſunt*, ſubſtantivè. Et modò ad verba conſecrationis redeamus.

a] Non ſũt libri, qui majori diligentiâ debẽt imprimi, quàm Grammatici, in quibus errores adiſcuntur à pueris. In hoc ſũ Hiſpani, &

Itali negligentiſſimi laude magnâ digni Germani, & præcipuè Bremenſes, apud quos tam Græcæ quàm Latinæ linguæ Inſtitutiones, quibus utor, in chartâ optimâ impreſſæ nitidiſſimè ſunt.

Math. 26.27. ait Chriſtus Τῦτό ἐςι σῶμά μυ. *Hoc eſt corpus meum.* Τῦτό ἐςι τὸ αἷμά μυ. *Hoc eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt ſanguis meus.*

An interpres Vulgatus ſumſerit adiectivè hæc pronomina? An eſſentialiter differant corpus & caro? Φιλοσώματος quis dicatur?

Porrò cum σῶμα Græcè, & *corpus* Latine ſint neutrius generis: ex ipſis-met verbis non poteſt percipi, an illud *hoc* ſubſtantivè, an verò adjectivè ſumatur, ſed poſſet Argentinas ad conſecrationem calicis convertere oculos, & hoc argumentum proponere. [Sicut in conſecratione vini, ſic in conſecratione panis pronomen τῦτο ſumi debet: Sed interpres Latinus adjectivè illud ſumpſit in calicis conſecratione, ergo etiam in conſecratione hoſtiæ debet ſumi ſimiliter. Probatur minor, quia pro τῦτό ἐςι τὸ αἷμά μυ, non dixit. *Hoc eſt ſanguis meus*, ſed *Hic eſt ſanguis meus.* Nam Græcè cum ejuſdem generis neutr. ſint τῦτο, & αἷμα, hæc diſtinctio in verbis percipi non poteſt.] In conſecratione panis hæc ipſa diſtinctio ex nudis verbis non colligitur: colligeretur autem ſi loco vocis corpus alia quæ neutra non eſſet, ſubrogaretur. An poterit ſubſtitui *caro*, nam σῶμα & *caro* videntur idem ſignificare, nam *Eum, qui ſuam amat carnem* Plato *in Phæd.* & Chryſoſtomus φιλοσώματον dicunt. Aſſentitur Leander, qui *part. 2. tract. 7. diſp. 9. quæſt. 10. pag. 144. b.* contra Alexandrum, Gabrielem, Suarium, Ægidium, præpoſitum, Mercerum, & Palatium ſic inquit. [Caro pro *corpore* ſumitur, juxta illud. Pſalm. 5. *Caro mea requieſcet in ſpe.* Imò addit Cyprianus *ſerm. 1. in cœn. Dom. ex Ioann. 6.* Chriſtum ſic conſecraſſe. *Hæc eſt caro mea.*] & citat pro ſe Bonacinam, Fagundez, Granadum, Ioannem de Cruce, Eſtium, Vaſquezium, Dianam, & etiam Henriquez, qui *lib. 8. cap. 16. num. 2.* hanc eſſe teſtatur communem Theologorum ſententiam. Ad hiſtoriam à Cypriano relatam, *quod mihi valde dubium eſt*, ait Leander, & tamen idem illam probare dico, eſſe vera aut non eſſe dicatur. Nam primò, ſi Chriſtus ſic conſecravit, ceſſat quæſtio. Si non: ſaltem hanc hiſtoriam eſſe veram Cyprianus putavit, ergo & non ſentiſcebat inter voces σῶμα & κρέας, *corpus* & *caro* eſſentiale diſcrimen, aliàs enim, ut veram illam hiſtoriam non narraret.

Quomodo conſecraverit Chriſtus?

An dari propoſitio poſſit ex quâ idem probetur, ſive vera ſit, ſive ſit falſa?

Vera ſententia diſſonat à Vulgato?

Ergo ſi pro σῶμα *caro*, & pro αἷμα *ſanguis* ponatur, qui pronomina volunt accipi adjectivè, ſic dicerent *Hæc eſt caro mea.* &c *Hic eſt ſanguis meus*: &c. Qui autem pronomina ſubſtantivè uſurpant, dicerent, *Hoc eſt caro mea*, &c. *Hoc eſt ſanguis meus*, &c. At ſic non eſt loquutus vulgatus. Ergo hanc ille opinionem non habuit. Ergo-ne poterit vocari probabilis, quæ ita Vulgato diſſonare videtur? Alij examinent.

FUNDAMENT. LXVIII.

De Extrema-Unctione.

MMMDCIII.

An ſit de neceſſitate medij? Materia. Forma. An de neceſſitate præcepti? Verba eſſentialia. Miniſter. Subiectum.

NON eſt de neceſſitate medij, nec præcepti; quam ob rem, qui illam ſine contemptu omitteret, non peccaret mortaliter: Materia eius eſt duplex, proxima, & remota: hæc eſt oleum, illa unctio. Forma eſt. *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum* (reperitur tota ad ſingulos ſenſus, & illi nominatim exprimuntur) *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* E quibus verbis non omnia ſunt eſſentialia multorum Theologorum ſententiâ. Miniſter Extremæ-Unctionis eſt Sacerdos: ſubjectumque homo ex illâ infirmitate probabiliter moriturus.

Heretici contra hoc Sacramentum temerè ſcripſere, & ſcribunt, & ann. 1659. prodiit Genevæ liber, cui titulus, Ioannis Dallæi de duobus Latinorum ex Unctione Sacramentis, Confirmatio.

HOc *loco* (do Maldonati verba in Marc. 6.) *agendum non ſolum contra Hæreticos, qui pertinaciter contendunt, hic non eſſe ſermonem de Sacramento Extremæ-Unctionis, ſed etiam contra quoſdam Catholicos, qui pene idem videntur docere: quos tamen magnâ ex parte ætas, novas nondum experto hæreſes excuſat. Quid autem iam attinebat, urgente iam Lutheranorum & Calvinianorum hæreſi quoſdam Auctores dicere, ſcriptiſque mandare, oleũ iſtud ab Apoſtolis, non tanquam Sacramentum ad ſanandos animos, ſed tanquam medicamentum ad curanda corpora adhibitum fuiſſe? Neque hic de Sacramento, quo nunc Catholica utitur Eccleſia, Extremæ-Unctionis agi. Quod idẽ Lutherani & Calviniani docent. At non negamus (inquiunt) nos eſſe Sacramentum. Ubi ergo Sacramentum eſt, ſi hic non eſt? aut cur hic non, ſi alibi eſt. Enim verò, qui hic de Sacramento Extremæ-Unctionis agi negat, ad tollendum omninò hoc Sacramentum, aut malignè, ſi hæreticus, aut imprudenter, ſi Catholicus, gradum facit.* Et ideò Ego, quidquid malignè hodie omnes Europæ hæretici, & quidquid imprudenter ſcripſerint nonnulli Catholici duos eſſe locos aſſero, in quibus hujus Sacramenti uſum manifeſtè reperiò. Illos produco.

ne. & Extremâ, ut vocant Unctione Diſputatio: & Eccleſiarum reformatarum apud Santones, Engoliſmenſes, & Alnetenſes conſiſtentium Paſtoribus dedicatur. Et in toto nec unum

Marc.

argumentū invenies, cujam ſa is Bellarminus, ut alios prætereàm, non fecerit. Semper malignè heretici, & Catholici interdum imprudenter ſcribunt

Marc. 6. 12. καὶ ἐξελθόντες ἐκήρυσσον ἵνα μετανοήσωσι· καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλλον, καὶ [a] ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους, καὶ ἐθεράπευον. *Et exeuntes prædicabant, ut pœniterent (pœnitentiam agerent) & dæmonia multa ejiciebant: & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.*

M M M-DCIV.

a] ἀλείφω

De μυστήρια Extremæ Vnctionis. De eodem Vnctionis Extremæ μυστηρίῳ.

Iacob. 5. 14. Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτόν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου· καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος· κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. *Infirmatur quis ex vobis? Advocet Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio Fidei ſervabit laborantem, & eriget eum Dominus: & ſi peccata fuerit perpetratis, remittentur e.*

Extremæ-Vnctionis via erat nondum, inſinuatur à Marco, inſtituitur à Chriſto, & à Iacobo promulgatur.

Et, ut ſcias quomodo hi duo loci veniant intelligendi, audire proderit Patres Synodi Tridentinæ, qui *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. hoc Sacramentum fuiſſe aſſerunt, *à Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum.* Attende. Inſinuatum apud Marcum fuiſſe ait, quia tunc non erat Sacramentum, ſed Anteſacramentum.

Vnctio, de quâ Marc. 6. non erat Sacramentum. Quando Apoſtoli fuerint Sacerdotes initiati?

Non erat, inquam, Sacramentum quoniam Extrema hæc Vnctio non niſi à Sacerdote adminiſtratur, & Apoſtoli *Marc.* 6. nondum erant Sacerdotes, nam in ultima ipſi cœnâ ſunt ad Sacerdotium promoti. Conſentio Bellarmino *de Extr. Vnct. cap.* 2. Ruardo *in expli. art.* 12. Ianſenio *in Ioann. cap.* 6. Dominico Soto *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt.* 1. *art.* 7. & aliis. Porrò Gregorius de Valentia *tom.* 4. *diſp.* 8. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *pag* 1470. has duas unctiones fuiſſe diverſas oſtendit, & illam cujus meminit Marcus non fuiſſe Sacramentalem aſſeverat. Hanc Valentiæ ſententiam probabiliorem cenſet Ægidius Conninck *diſp.* 19. *de Extr. Vnct. dub.* 1. *num.* 3. inquit enim, *Credo verius eſſe unctionem illam, quâ utebantur Diſcipuli* Marc. 6. *non fuiſſe Sacramentalem.* Eodem modo loquitur Martinus Becanus, quoniam *de Sacr.* 1. 27. *quæſt.* 7. ait *probabilius eſſe unctionem illam, de quâ Marcus, non fuiſſe Sacramentalem.*

An unctio illa, de quâ Marcus fuerit Anteſacramentum?

Erat autem Anteſacramentum, hoc eſt, futuri Sacramenti imago & inſinuatio tantummodo: unde Eſtius *in* 4. *diſt.* 23. §. 2. Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum, quia erat poſteà verum Extremæ-Vnctionis Sacramentum inſtituturus, *illud ipſum Marci ſexto ſecundum typum & inchoationem quamdam inſtituiſſe.*

De Promyſteriis & Myſteriis: hoc eſt, de Anteſacramentis & Sacramentis.

Vt hoc meliùs intelligas adnotato, omnia novæ legis Μυστήρια (*Sacramenta*) antequàm inſtituerentur, ſua habuiſſe Προμυστήρια (*Anteſacramenta*) umbras, imagines; &, ut Eſtius loquitur, typos. Baptiſmus enim Ioannis Baptiſmi à Chriſto Domino inſtituendi erat προμυστήριον, & typus. Idem dicito de Melchiſedeci ſacrificio cum Euchariſtiæ Sacramento collato. Idem de aliis, ut tandem ad unctionem cujus meminit Marcus perveniens eam dicas προμυστήριον & imaginem Extremæ-Vnctionis fuiſſe, quam inter Sacramenta erat Dominus inſtituturus. Et hanc ipſam non fuiſſe Marci tempore inventam, teſtatur Grotius, qui hunc eundem *Marc.* 6. locum dilucidans, *Iudæi enim ex antiquo more ut manuum impoſitionem precibus pro aliquo ſuſceptis adiungere ſolebant, ita & unctionem per oleum circa ægrotos, pro quibus preces ſuſcipiebantur, in ſpem impetrandi à Deo lenimenti & gaudii, quæ per oleum ſignificatur.* Vnde Tirinus unctionem illam Marc. 6. pronunciat *undam cæremo iam fuiſſe, ad hoc ſolùm adhiberi iuſſam à Chriſto, ut congruo ſymbolo teſtatum facerent Apoſtoli, ſe miſſos à Meſſiâ, ſeu à Chriſto, id eſt, uncto* [b] *virtutemque, quâ ægrorum corpora curabant, ab eo promanare, quem unxit Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis.* Pſalm 45.

De Baptiſmo Ioannis. De Melchiſedeci ſacrificio.

Eſt antiquus ungendi ægrotos mos.

Cur autem huius Sacramenti inſtitutionē inſſerit Diſcipulis Dominus, ut infirmos ungerent?

DISPVTATIO METETHICA.

De Extremæ-Vnctionis Sacramento.

M M M-DCV.

Occaſio ſcribendi.

MAGNA attentione ſumo calamum de Extremâ-Vnctione diſſerturus: & qui fortè alia tractare ſine diſtractione non poſſem, hoc ſum Caput ſine diſtractione ſcripturus. Iacet meæ domi, Religioſus moribundus, quem amo, quia & ipſe Deum & Monaſterium: vir pius & bonus; cujus ultimam hodie confeſſionem excepi, & Vnctionem extremam propriis manibus adminiſtravi, & orans Deum ut eum nobis relinquat, ut poſſit ſervire & prodeſſe, ad Muſæum redeo, & de eâdem materiâ has paucolas lineas ſcribo.

An Extrema-Vnctio ſit verum

Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramētū.

Et quidem Extremam-Vnctionem eſſe verum Eccleſiæ Sacramentum probat nunquam interrupta Catholicæ doctrinæ ſucceſſio. Nam Innocentius I. qui ann. 402. floruit, *Epiſtola* 1. quæ ad Decentium eſt, *cap.* 8. hoc eſſe Sacramentum fatetur: quod poſteà *cap. unic. de Sacr. unct.* Innocentius III. expoſuit. Hoc ſacramentum Chryſoſtomus *lib.* 3 *de Sacerdotio.* Auguſtinus *ſerm.* 215. Auctor libri *de Rectitudine Fidei* (qui vel eſt Auguſtinus,

Digitized by Google

nus, aut eidem coætaneus) & alij antiquiſſimi Patres dilucidarunt. Et, ut conſtaret de Latinorum & Græcorum in hoc Sacramento concordiâ, celebratum fuit Florentinum Concilium, in quo ſunt Eugenij literæ, quæ materiam, formam, & effectus hujus Sacramenti luculenter exponunt.

ENS EXTREMÆ-VNCTIONALE.

Quid illud ſit?

ERit conceptus communis & univerſalis, (extrinſecus aut intrinſecus) rebus univerſis conveniens, quæ intrinſecè aut extrinſecè ad Extremam-Vnctionem ſpectant. Qualis ſit hic ipſe conceptus nullo alio meliori modo poterit explicari, quàm prædicamenta ſub illo contenta declarando.

SVBSTANTIA EXTREMÆ-VNCTIONALIS.

MMMDCVI. MATERIA.

Omnia Sacramenta conſtãt materiâ & formâ. An oleum debeat eſſe benedictum eodem anno. De Vnctionũ numero. Quo debeant modo inungi mẽbra duplicia? quo monſtra? An homo biceps haberet duas animas? An virgulâ uti poſſimus?

SIcut in reliquis Sacramentis in hoc reperitur materia, & forma. Imò materia duplex, remota & proxima. Remora eſt oleum olivarum benedictum ab Epiſcopo eodem anno: tametſi in caſu neceſſitatis vetere uti poſſit Parochus; minus enim malum eſt, ſi ritus Eccleſiæ non obſervetur, quàm ſi æger ſine hoc Sacramento moriatur. Materia proxima eſt unctio non ſimplex, Sed quintuplex; at in neceſſitatis caſu iuxta probabilem multorum Theologorũ ſententiam etiam ſimplex ſufficeret etiam abſque ſigno crucis, etiamſi una guttula ſenſum tetigerit.

Poteſt unum ſolum organum inungi, quando ſenſus ſunt duplices, ut unus oculus, una auris. Et idem dicendum eſt, ſi ungeretur aliquis homo biceps: modò conſtaret eſſe unum ſimplicem hominem: nam ſi in eiuſmodi monſtro bina capita binis animabus informarentur, deberent ſeorſim ungi, eſſent enim duæ perſonæ diverſæ.

Fieri probabiliter poſſunt unctiones virgulâ ad vitandam contagionem tempore peſtis.

MMMDCVII. FORMA hujus Sacramenti.

Non eſt ratio quærenda, ubi inſtitutio pẽdet à volũtate.

Hujus ultimi Sacramenti forma hæc eſt: *Per iſtam ſanctam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum, &c. in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti, Amen.*

Illa verba *ſanctam & piiſſimam* non eſſe ſubſtantialia docent Reginaldus *tom. 2. lib. 28. cap. 9. num. 56.* Pitigianus *in 4. tom. 2. diſt. 23. quæſt. unic. art. 4. dub. 2.* & alij, quia non poteſt eſſe unctio iſta, quin ſit ſancta; nec miſericordia Dei, quin ſit piiſſima. Sed ſi hæc ratio eſſet efficax, etiam poſſet conferri Baptiſmus in nomine Dei, non enim poteſt eſſe verus Deus quin ſit trinus; nec trinus, quin ſit Pater & Filius. & Spiritus-Sanctus.

An in Sacramentis omitti ea verba poſſint quæ cõtinentur in aliis?

Sed & ipſi Doctores, adhuc cenſent non eſſe ſubſtantialia illa verba, *per ſuam miſericordiam*, quia per ſequentia (nimirùm, *indulgeat tibi Deus*) ſatis exponitur Sacramenti cauſa principalis Si enim indulget Deus, cùm ex iuſtitiâ non teneatur, procul dubio ex miſericordiâ indulgebit.

An ſenſuum nomina ſint ſubſtantialia?

An-ne ſunt ſubſtantialia illa verba, *per viſum; per auditum*, &c. Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 175. §. Notandum*, videtur contraria implicare, dixerat hæc verba, *per ſuam piiſſimam miſericordiam*, non eſſe ſubſtantialia, & ſubiungit. [Idem dicendum videtur de particulis illis, *per viſum; per auditum*, &c. quæ in fine ſingularum formarum partialium ponuntur. Igitur de neceſſitate Sacramenti ſufficiunt iſta verba, *Per iſtam unctionem, indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum deliquiſti; vel per auditum*, &c.] Sed quomodo? quia, ſi ſubſtantialia illa verba (*per viſum, per auditum*, &c.) non ſunt, etiam poſſunt omitti: etſi omitti non poſſunt, ſunt procul dubio ſubſtantialia.

An omitti poſſint, quin ſacramenti valori præjudicetur?

Quâ formâ utamur Monachi.

Ceremoniale Monaſticum, impreſſum Viennæ anno 1640. quo utimur, hanc formam ſacramento huic præſcribit. *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Deus, quidquid oculorum* (aut *aurium*: aut *narium*, aut *linguæ, vel oris*: aut *tactus*: aut *greſſus*: aut *renum*) *vitio deliquiſti.*

An invocatio Trinitatis neceſſaria ſit?

Cætera, quæ ſequuntur, *in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti*, nec ſunt de neceſſitate medij, neque de neceſſitate præcepti; & hanc ob rem validè & licitè poſſunt omitti; aſſerente Fillincio *tom. 1. tractat. 3. cap. 3. num. 86.* & aliis Doctoribus communiter.

MMMDCVIII. *Examinatur quædam forma. An ſit ſufficiens?*

Hæc de Materiâ & Formâ Extremæ-Vnctionis dixiſſe videretur ſufficere: interim, ut eadem ipſa clariùs intelligantur, duo Dubia ſubjicio, & dilucido. Quam ob rem.

PETO PRIMO, An ſit ſufficiens forma hæc, *Per iſtam Sanctam Vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti.*

Verba, quæ incluſa in aliis nõ debent neceſſariò exprimi.

Reſponderet aſſertivè nonnullus: quoniam nullum deeſt verbum, quod neceſſarium videatur. PRIMO enim illa, *per ſuam piiſſimam miſericordiam*, includuntur ut diximus, in illo *indulgeat*, nam *indulgere* non eſt concedere ex debito: ſed ex gratiâ, & ex miſericordiâ SECVNDO etiam illud *tibi* redundare, & eſſe accidentarium videretur; nam ſicut dicunt aliqui in Sacramento Pœnitentiæ idem eſſe dicere *abſolvo te*, atque *abſolvo*; nam illud *te* à circunſtantiis adiacentibus conſignificatur; ſic etiam poſſet aliquis dicere, redundare in Extremæ-Vnctionis formâ illud *tibi*, ut potè imbibitum, & clauſum in circunſtantiis conſignificantibus. TERTIO ſenſuum nomina redundare viderentur; nam illos manus, & unctio diſtinguit, & idem omninò eſt loqui ſignis, ac verbis. Et quartò illa ultima verba: nimirùm, *In nomine Patris, & Filij & Spiritus-Sancti*, viderentur, aut ex præcepto Eccleſiæ aut ex privatâ devotione ſubjungi.

An in Pœnitentia Sacramento ſit forma ſufficiens Abſolvo?

An ſenſus debeant nominari?

MMMDCIX. *Diana Opinio.*

Volui recognoſcere Cotonium, ſi fortè eum citando fuiſſem allucinatus, & me eum bene citaſſe reperio.

Sanè hanc formam *Per iſtam Sanctam Vnctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti*, eſſe ſufficientem exiſtimat Diana *par. 3. tract. 4. reſ. 175. §. Notandum*: & etiam *reſol. 180.* & ex eo Auſonius Noctinot (Antonius Cotonius) *in Summa verb. Extrema-Vnctio num. 12.*

Et hîc obiter ponere ob oculos Lectoris volo Operum Dianæ partem XI. nam *tr. 1. reſol. 18.* inquirit, An ſit peccatum mortale

admini

Diana ſuam ſententiam impugnat, & illam adtribuit Caramuele.

adminiſtrare Sacramentum Extremæ-Vnctionis ſub his tantùm verbis: *Per iſtam ſanctam Vnctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti?* & ſubiungit: *Ego reſpondeo, in adminiſtratione Sacramenti Extremæ-Vnctionis non ſufficere formam adductam à Caramuele.* Et tamen claritas, & rigor Dialecticæ poſtulare videbatur, vt diceret, *Ego reſpondeo, in adminiſtratione Sacramenti Extremæ-Vnctionis ſufficere formam adductam à Diana, citato ab Antonio Cotonio & Caramuele.*

An, & vtrum poſſint omitti verba, quæ ad ſubſtantiam Sacramenti non pertinent?

Plura igitur verba requiruntur: at ſemper manet eſſe in Sacramentorum formis nonnulla accidentalia, quæ ad eſſentiam non pertinent. An peccaret mortaliter, qui illa omitteret? Aſſerunt omnes. Sed cur? An quia Miniſter vtitur formâ probabili? An vero, quia omittit verba præcepta? Si prima valeat ratio, ſcire vellem; cur non poſſit vti opinione probabili in adminiſtratione Sacramenti? & ſi ſecunda, an ſit mortale? (imò an ſit veniale?) omittere pauca verba præcepta?

MMMDCX. Cur in Sacramentorum adminiſtratione non poſſimus vti opinione probabili?

Huic dubio doctiſſimè ſatisfacit Diana *part.2.tract.1.reſolut.*18. ex Sanchez *de matrimon.lib.3.diſputat.*20.*num.*4. & aliis [nempè eſſe mortale amplecti opinionem probabilem circa formas, & materias Sacramentorum; relictis certis, & præſcriptis ab Eccleſiâ, provenire non ex defectu opinionis, & ratione periculi, & irreverentiæ Sacramenti: ſed quia contravenitur Eccleſiæ conſuetudini, quæ vim præcepti habet.] Conſiderentur ſingula verba, ſunt enim doctrinæ, & multarum illationum plena.

Ad quem modum forma hæc ſpectet?

Peto secundò, An hæc forma, ſit eſſentialiter deprecativa? an non per indicativum conferri hoc Sacramentum poſſet; nempe ab illo qui diceret, vel *Vngo*, vel *Indulgeo.*

An per Indicativum, an verò per Optativum debeat fieri?

An argumentum à ratione paritatis ſit efficax?

Becanus aſſerentem opinionem tuetur, & argumentum ab aliis Sacramentis deducit, at me iudice inefficaciſſimè, quia Sacramentorum omnium formæ à liberâ Chriſti voluntate, & inſtitutione dependent; nec video, eſſe bonam conſequentiam, *Cæterorum Sacramentorum formæ ſunt indicativæ: ergo etiam forma Extremæ-Vnctionis.* Conſonat Becanus, Richardo *diſtinct.* 23. *articul.*1 *quæſt.*4. Suario *tom* 4.*diſputat.*4. *ſect* 3. *num.* 8. Reginaldo *in Praxi, tom.*2. *libr.* 18. *cap.*9. *num.*55. Laymano *in Theolog. Moral. lib.*5. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 1. Dianæ *parte* 3. *tract* 4.*reſolut.*175 §. *Hinc ita.* Paludanus *diſtinct.*23.*quæſt.*1.*art.* 2. *concluſ.*1 indicativam, non ſolùm licitam, ſed convenientiorem eſſe affirmat. [Durandus *ibid. quæſt.*3 dubitare videtur] Et S. Ambroſius, Becani, ſententiam magno teſtimonio confirmat, hanc enim formam docuiſſe dicitur Mediolanenſes. *Vngo te oleo ſanctificante in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt more militis uncti preparatus ad certamen, aëreas poſſis ſuperare poteſtates.*

Puto tamen formam hanc debere eſſe deprecativam: qualem ex Iacobo Concilium Florentinum præſcribit Ita Coninck *diſp.*19. *dub.*4. *pag.* 161. *a.* Nugnus *in Addit. ad* 3. *part. quæſt.*16 *art.*7. Bonacina *de Sacrament. diſputat.* 7. *quæſt. vnic. punct.* 3. *num.* 3. & alij.

MMMDCXI. An vna & eadem forma poſſit tam per Indicativum, quàm per Optativum conferri

An cætera etiam Sacramenta poſſint per Optativum conferri?

Græci non vtuntur in Baptiſmo iſtâ formâ, Baptizetur ſervus Chriſti, &c. vt ſuperiùs demonſtratum eſt.

Et hîc ego à Becano libentiſſimè peterem an Extremæ-Vnctionis forma debeat eſſe indicativa tantùm, an indicativa, vel deprecativa? Si primum dicat, neſcio, an vnus hoc fuerit Sacramentum conſequutus; quia neſcio, an vel vni fuerit indicativè collatum: errat igitur tota Eccleſia in Europâ, quod debet non dici. Si ſecundum: ergo etiam iſtæ formæ erunt validæ, *Deus te baptizet*, *Deus te vngat*, *&c. Confirmet*, *&c. Deus te abſolvat*, *Deus te convertat in Corpus*, *&c. Sanguinem*, *&c.* negabit Becanus Conſequentiam, & ego contradico. Si valet argumentum à cæteris Sacramentis ad Extremam-Vnctionem deſumptum, valebit etiam, ſi ab Extremâ-Vnctione ad alia tranſeamus Sacramenta: nihilominus peto, an eſſet verus Baptiſmus collatus deprecativè nempe à dicente: *Baptizetur ſervus Chriſti*, &c. An confirmatio poſſit conferri verbis, *Signetur confirmetur*, &c. videatur Diana *part.*3.*tract* 4.*reſolut.*27. §. *Notandum.*

QVANTITAS EXTREMÆ-VNCTIONALIS.

MMMDCXII. Quæſtio duplex.

HVc pertinet magnitudo, & numerus: & quæris primò, *An vnica olei gutta ſufficiat ad veritatem Sacramenti?* Secundò, *An omnes debeant ſenſus inungi, an vnum aut alterum inungi ſatis ſit?*

An prima nominalis ſit?

An ſit vna gutta ſufficiens?

Prima qvæstio erit magnâ ex parte nominalis; Ego enim ſtatim inquirerem, Quid nomine *gutta* intelligeres? nam ſi gutta ſit liquidi minimâ pars, quid dicent Grammatici & Phyſici? illi enim *guttulam* dicunt eſſe minorem gutta: & iſti, ſi Peripatetici ſint, continuum ex ſemper dividuis componunt, & negant liquidis minimam partem

An authores qui oppoſitas habere opiniones videntur, poſſint ad concordiam reduci?

Diana *part.*3.*tract.*4.*de Sacram. reſol.*177. citat pro negativa ſententia Fillincium, & & pro affirmativa Reginaldum & Suarez; ipſeque hæret, & rem totam iudicio prudentis Lectoris committit. At puto quæſtionem eſſe valde claram, nec Authores in contrarias opiniones dividi, nec Dianam hærere debuiſſe in re certa. Et ego, vt me expediam ab hac difficultate.

An dentur indiviſibilia?

An vnum indiviſibile olei ſufficiat.

Dico primò, *Vnum indiviſibile olei ad valorem huius Sacramenti non ſufficit.* Corollarium. *Si gutta nomine vnum liquoris indiviſibile intelligatur, vna gutta ad valorem vnctionis extremæ non ſufficit.* Loquor ex ſuppoſitione quod dentur poſitiva indiviſibilia in continuo: ſi enim illa non dantur, ceſſat Quæſtio. Hunc videtur reſpexiſſe Fillincius *tom.*1. *tract.*3. *cap.*4. *num* 78. ait enim; [Dico quamlibet vnctionem tantam eſſe debere, quanta ſatis eſt iuxta communem modum loquendi. Verùm, vt rationem vnctionis attingat in particulari, non videtur ſatis

Digitized by Google

vnam guttam olei ſtillare, ſed opus eſt, perfundere partem ſenſûs, id enim eſt vngere.] Ergo agit Fillincius de guttâ indiviſibili, nam diviſibilis vnget omninò ſenſûs partem Contra Filliucium, adeoque contra noſtram reſolutionem putat Diana ſe habere validum argumentum: nam ex Doctrina Reginaldi *in praxi tom. 2. lib 28. cap. 9. num. 13.* Suarij & aliorum, id quod de quantitate aquæ circa Sacramentum Baptiſmi aſſeritur, hoc etiam de quantitate olei circa Sacramentum Extremæ Vnctionis aſſerendum eſt. Sed multi Doctores probabiliter tenent vnam guttam aquæ ſufficere ad valorem Baptiſmi: Ergo vna gutta olei ad valorem Vnctionis Extremæ ſufficiet. Hoc argumentum vt video, *guttam* ſumit in aliâ ſignificatione; nimirùm non pro indiviſibili ſtillâ, ſed pro aliquâ parvâ particulâ, quam ſufficere ad valorem Sacramenti non negabo. Et hanc ob rem.

Omnis gutta diviſibilis vngere poteſt.

An à Sacramento Baptiſmi ad Sacramentũ Extremæ-Vnctionis forte ratiocinium ducatur?

MMMDCXIII. *De magnitudinis terminis, An detur minimum parvitatis?*

Dico ſecundò, *Si oleum habet minimum parvitatis, hoc ipſum minimum erit ad Vnctionem ſufficiens.* Patet, quia illud minimum erit vera pars olei, & tinget veram humani corporis partem, quod aſſerente Filliucio requiritur & ſufficit.

An major in Baptiſmo materia, quã in Extremâ-Vnctione requiratur?

Dico tertiò, *Argumentum quod ſumitur à Baptiſmo eſt à maiori ad minus: ac ideò eſt validum.* Patet, quia plus requiritur ad abluendum quàm ad vngendum. Vnde infero, idem non eſſe æque forte è contrario: nihil enim evinceret, qui diceret: [Plus materiæ requiritur ad formandum gigantem, quàm ad pygmæum: ſed ad formandum iſtum ſufficiunt decem libræ: ergo ad formandum illum.] nihil, qui adderet: [Plus liquoris requiritur ad abluendum quàm ad vngendum: at vna gutta ſufficit ad vngendum: ergo vna ſufficiet ad abluendum.] Cæterùm, ſi *baptizare* ſit *tingere*; & *vngere* etiam ſit *tingere* ex hoc capite vnum indiviſibile materiæ videretur ſufficere: at ex alio capite non videretur, quia vnum indiviſibile non eſſet ſenſibile, adeoque nec ſenſibile ſignum.

An tam baptizare quã vngere ſit tingere.

MMMDCXIV. *An dubitare de probabilitate Opinionis poſſit, qui certo ſcit fortè pro illâ militare argumentum.*

Dico quartò, *Diana hic videtur peccare in Dialecticam.* Hoc aſſertum ſubſcribo, non vt reprehendam Dianam, ſed vt naturam ingeniúmque opiniónis probabilis liquidè exponam. Inquit Diana, *Pro probabilitate partis affirmativa habeo validum argumentum.* & claudit reſolutionem dicens, *Sed tu Lector cogita.* quod eſt dicere, *Ego hæreo, reſolutionémque tuæ prudentia relinquo*: & priori aſſerto contradicere. Nam ſi fatetur ſententiam aſſerentem habere validum argumentum, fatetur illam eſſe probabilem: & ſi eam probabilem eſſe fatetur, ſententiam definitivam profert & Lectori nihil cogitandum aut etiam arbitrandum relinquit: repugnat enim ſententiam aliquam valido argumento firmari, & probabilem illam non eſſe. Sed fortè poſſet Diana dicere, ſe dubitare an reverâ validum argumentum ſit, quod ſibi validum videbatur, & ideò noluiſſe feſtinare, ſed ſententiam Lectori erudito relinquere.

Non omnia argumenta, quæ ſunt fortia, quoad nos, ſunt ſemper fortia quoad alios, aut quoad ſe.

Dico quintò, *Omnia hæc, quæ de guttâ ſunt dicta, eſſe ſpeculativa & non practica.* Corollarium, *Ergo in praxi nulli ſcrupulo, vel dubio locus.* Patet: quia digito nec indiviſibile olei, nec minimum parvitatis capi ſolet, aut poteſt. Ergo cùm ſenſus ægri vngantur digito, ceſſare debebit ſcrupulus; quia quæcumque ſenſibilis particula, erit tam magna, vt etiam centeſima aut mileſima eiuſdem pars ad veritatem Sacramenti ſufficiat.

An hæc quæſtio vllũ locũ habere poſſint in praxi?

MMMDCXV. *Proponitur altera quæſtio.*

An vnica ſufficeret vnctio?

Altera quæstio numerum vnctionum reſpicit, & inquirit, *An validè conferretur ſub vnicâ vnctione hoc Sacramentum?* An validè conferretur? inquiritur; non, an licitè? quia certum eſt eum grave peccatum committere, qui ſine gravi cauſâ intermitteret aliquam vnctionẽ ab Eccleſiâ præceptam. Præceptam, inquam; quia renes (& alicubi pectus) inunguntur ex permiſſione aut conſilio, non autem ex præcepto. Noſtrum Ceremoniale: *Quando renes vngit: quæ inunctio omitti poteſt, ſi ægrotus cum periculo verſari debeat.* Lego in Theſibus diſputatis Dilingæ ſub P. Ioanne Peleeyo anno 1588. Paragrapho 211. *Inungendi autem infirmi tales ſunt, in quinque corporis ſenſibus, tanquam peccati inſtrumentis & principiis, cum ſingulis prolationibus verborum: idque neceſſitate Sacramenti. In pedibus verò & renibus pro conſuetudine cuiuſque loci.* Hæc ſententia eſt probabilis, à Soto *diſt. 23. q. 1. art. 3. concl. 2.* Bellarm. *c. 10. de Extr. Vnct.* Valent. *diſp. 8. q. 2. punct. 3.* Henriq. *de Sacram. c. 8. n. 2.* Suario *diſp. 40. ſect. 2. num. 13.* & aliis viris magnis aſſerta.

An renes, pectus & pedes inungendi ſint?

Sufficere autem vnam vnctionem, vt hoc Sacramentum validè conferatur, & peſtis tempore, aut alterius ſimilis neceſſitatis poſſe illud ſub vnicâ conferri licitè, ſubſcripsêre Octav. Tricaricenſ. Nuncius Apoſtolicus, Capeavill. Laym. Coninch, & alij. Hanc ſententiam, tutam in praxi iudicat Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 168.* qui tamen conſulit vt potiùs velociſſimè ſine crucis formâ vnum inungas oculum vnam aurem, vnam manum, narem, os, ſub hac formâ; *Per iſtas ſanctas vnctiones, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti.*

An, vnica vnctio ſufficiat?

Quomodo peſtis tempore hoc Sacramentum poſſit adminiſtrari?

QVALITAS EXTREMÆ-VNCTIONALIS.

MMMDCXVI. *An figura ſit qualitas.*

An poſſit omitti ſignũ crucis.

Figuram inter qualitates enumerant: an merito? alibi examino, nunc Peripateticorum doctrinæ inſiſtens, figuram eſſe qualitatem ſuppono: & quia inter vniverſas figuras forma Crucis ſanctiſſima & celeberrima eſt, inquiro, *An inunctio fieri debeat ſub forma crucis?* Putat Diana *p. 3. tr. 4. reſ. 167. & p. 5 tr. 3. reſol. 79. in fin. & reſol. 90. poſt med.* poſſe in neceſſitate omitti hanc circumſtantiam ſine levi culpâ: & poſſe extra neceſſitatem omitti ſine gravi.

An, & quando mihi ratio ſufficiens ſit, vt dicã, aut præſumam hoc, me non ſcire contrarium?

Miniſter ægroto, quem eſſe impœnitentem ſciret (puta ſi poſſet & nollet debitam reſtitutionem facere & ſic ſenſibus deſtitueretur) nõ poſſet Extremæ-Vnctionis Sacramentum cõferre. Ægroto autem quẽ peccaviſſe graviter ſcit, & verum egerit pœnitentiam neſcit conferre hoc Sacramentũ poteſt; vt enim ego piè præſumam meum proximum pœnitentiam egiſſe, mihi Chriſtiano ratio ſufficiens eſt,

me

Digitized by Google

me non ſcire contrarium. Et hanc ob rem ſemper Parochi Extremam-Vnctionem impertiuntur, quia opinantur moribundum; antequam vſum ſenſuum perderet ſaltem actum attritionis eliciuiſſe. Ita Suarez *diſputat.* 42. *ſect.*1.*num.*10.Coninck *de Sacram.diſput.*19. *dub.*5.*pag.*649.*b.* §.*Vbi num.*19.*&* 20.& eſt communis.

RELATIO EXTREMÆ-VNCTIONALIS.

MMMDCXVII. *Habitudines Extremæ-Vnctionis.*

INter habitudines & relationes conſiderare poſſumus neceſſitatem, quæ eſt relatio medij ad finem, & pronuncio Extremam-Vnctionem non eſſe neceſſariam neceſſitate medij. An ſaltem neceſſitate præcepti? Aſſerit Petrus Soto *lect.*2.*de Sacrament.Extrem.vnct.* Negat Villalobos *tom.*1.*tract.*10.*diff.*5.*n.*1. vbi tenet ceſſante contemptu, & ſcandalo omitti poſſe abſque vllo peccato. Ita Diana *part.*3.*tract.*4.*reſol.*170.*&* *part.*5.*tract.*3.*reſolut.*97. *An ſit neceſſaria?*

An poſſit omitti ſine contemptu? Dices ſcandalum fortè vitari poſſe, fortè ais, quia dubitas quo illud modo vitari poſſit. At hoc condonas, & inquiris. An à tali omiſſione poſſit contemptus ſeparari. Negat Ioannes de San Iuan *quæſt.vnic.art.*7.*de Extrem. vnctione,dub.*2.*concluſ.*2. Affirmat Tannerus *tom.*4 *diſp.*7.*quæſt.*1.*dub.*3.*n.*36. refert Diana *part.*3 *tract.*4 *reſ.*97. §.*Sed hic.* & quia video ſæpe non intelligi quid ſit contemptus,aliquid ſubſcribere volo. *Quid ſit contemptus?*

Puto inter hos terminos intereſſe diſcrimen; videlicet

Rem magni facio.
Rem parvi facio.
Rem nihili facio.
Rem contemno.
Inſtitutorem contemno.

MMMDCXVIII. *Explicantur aliqui termini.* *Quid ſit rē magni facere?*

Rem magni facit, qui eſt paratus magnos labores ſubire, vt illam adſequatur: &, ſi parvi illa momenti ſit imprudenter illam magni faceret.

Quid ſit rem parvi facere? Rem parvi facit, qui paratus eſt levem aliquem laborem adhibere vt eamdem adſequatur: at magnum adhibere non vult.

Quid ſit facere nihili? Rem nihili facit, qui paratus eſt illam recipere ſi ſine vllo labore aut diſpendio poſſit, at nullum medium vt eam obtineat ponere vult.

Quid ſit rem contemnere? Rem contemnit, qui ne quidem gratis oblatam vult admittere; eo videlicet caſu, quo ſine labore & expenſis poſſet eam adquirere. Et hic ipſe contemptus conſideratione dignus eſt: at non ſtatim de mortali damnandus: nulla enim res in mundo tanta eſt, vt à Deo præciſa non poſſit ſine culpâ contemni; eſt enim contemptus ille moraliter peccaminoſus; in quo immediatè, aut mediatè, indirectè aut directè ipſemet contemnitur Deus. Et vt id liquidiùs & exactiùs intelligas, progredior. *An omnis contemptus ſit peccatum mortale?*

MMMDCXIX. *Quid requiratur,vt quis formaliter contēnat Extremā-Vnctionem?*

Rei inſtitutorē;& agendo de Extremâ-Vnctione, Chriſtum contemnet, qui ex irritatione vel odio dixerit, *Si Chriſtus Extremam-vnctionem non inſtituiſſet, eam reciperem; at quia illam Chriſtus inſtituit, nolo eamdem ſuſcipere.* An tunc peccaverit mortaliter? Adhuc ſubdiſtinguam & exponam. Qui dicat, *Quia Chriſtus neminem ad inunctionis extremæ ſuſceptionem ſub peccato, aut ſaltem ſub mortali obligavit, nolo illam ſuſcipere: ſuſciperem tamen ſi ad eam obligarer:* non peccabit mortaliter. At ille, qui dicat, *Nolo inungi, quia Chriſtus conſulit: &, ſi Chriſtus præciperet, perinde eſſet,nec tunc inungi vellem:* non poſſet à contemptu formali & gravi peccato excuſari.

N. B. Hæc doctrina eſt ſummè vtilis in Monaſteriis, in quibus ab hoc aut alio hāc vel illā ceremoniam negligi cum frequentiâ videmus, nec cōtemni ideò dicimus, non enim formalis contemptus eſſe poteſt, vbi non contemnitur ipſamet præcipientis authoritas: nec enim eſt bona conſequentia, Petrus frequēter negligit ceremonias, Ergo illas contemnit. nam inadvertentia & ignavia debent ſemper à cōtemptu diſtingui.

Hinc videbit Ioannes de S. Iuan debere negligentiam ſocordiam & pigritiam à contemptu diſtingui: item contemptum materialem. quo res ipſa contemnitur, à formali quâ contemnitur Deus. Hinc colliget multa poſſe omitti, quin contemnantur:& multa contemni materialiter poſſe, quin contemptus formalis ſit, & invehatur in Deum.

QVANDO EXTREMÆ-VNCTIONALE.

NImium & valde nimium differunt hoc Sacramentum, etiam in multis monaſteriis, præcipuè, quando moritur aliquis vir magnus, cui ſignificare ſtatum & periculum morbi inferiores non audent. Non debemus nimis feſtinare nec nimis hærere, ſed cognito diſcrimine favere ægroto laboranti. Sed cur id? Paulò inferiùs exponam.

MMMDCXX. *An debeat differri hoc Sacramentum.* *An poſſit repeti?* *Quid ſit alius morbus.*

Vnctio hæc non imprimit characterem, adeoque poteſt repeti, in alio morbo. Sed quid intelligi debet *alterius morbi* nomine? An febris recidiva eſt novus morbus? An, ſi ex quartanâ in tertianam, aut etiam in quotidianam illa tranſeat, in novum morbum verſa dici poterit? An ſi quis ægrotus ſit,vnctúſque & poſteà lethali vulnere transfverberetur? Quoties aliquis verè convaluit,ſi poſteà iterum in morbum incidat,iterum inungi poteſt, ſoléique at verò cæteræ mutationes, ſi non diſtent multis diebus, non ſolent novi morbi vocari. Ita Victoria *in Sum. num.*224. Sylveſter *verb. Vnctio-Extrema, num.*8. Armilla *num.*9. Suarez *diſp.*41. *in fin.* Coninck *diſput.*19.*dub.*8 *pag.*651.*a.* & alij. Nec credo moralitates debere ad rigorem ſpeculativæ Medicinæ reduci.

De momento in quo ægro effectus Sacramenti cōfertur. An poſt primam vnctionem, an poſt ſingulas, an poſt vltimam?

Sed quando æger effectum hujus Sacramenti participat? Pendet ab aliâ Quæſtione reſolutio: ſi enim omnes quinque Vnctiones conſtituunt vnicum Sacramentum, ejus effectus conferetur, cùm perfecta ſit quinta. Si autem cum alterâ ſententiâ Vnctiones ſingulæ eſſe partialia Sacramenta dicantur, etiam per partes gratias conferēt. Coninck *diſp.*19. *dub.*6.*pag.*650.*a.* Sed §. *Nota*, ait: [gratias prævenientes non omnes ſtatim primo inſtanti actu conferri, ſed tempore opportuno, vt Deus iudicat expedire. Et ſimiliter ſentiendum eſt de ſanitate corporali, quando confertur] At tu vim Sacramenti à Divinâ miſericordiâ diſtingue; millenas enim gratias quia vult ſuſcipientibus Sacramenta impertitur, & iſtas, quando vult: quas autem ex vi Sacramenti confert, cùm formæ vltima ſyllaba profertur indulget.

Mm 2 ACTIO

Digitized by Google

ACTIO EXTREMÆ VNCTIONALIS.

MMMDCXXI. *Miniſter.* *An debeat eſſe, & Sacerdos, & Parochus.*

MInister, qui vngendi actionem elicit, debet eſſe Sacerdos: nec poteſt miniſtrare, ſi ſuſpenſus ſit aut excommunicatus, ſeclusâ tamen neceſſitate. Nec ſufficit, ſi ſit ſimplex Sacerdos, ſed debet eſſe Parochus, aut eius habere licentiam: habet quicumque ſaltem implicitam caſu neceſſitatis.

An poſſint plures ſimul hoc Sacramentum conferre?

An debeat eſſe vnus? hoc eſt, An poſſit vnus incipere & alius progredi? An quinque ſimul poſſent perficere quinque ſenſuum vnctiones? quæris. Reſpondeo extra caſum neceſſitatis vnum eſſe debere: Et in caſu neceſſitatis poſſe probabiliter plures admitti. Nam ſi vnus Miniſter poſt vnam aut alteram vnctionem moreretur, poſſet alter cæteras vnctiones perficere. Audi Coninck, nam *diſput.19.dub.9.con luſ.2.* ſic inquit: [Poſſunt diverſorum ſenſuum vnctiones à diverſis Sacerdotibus miniſtrari: extra neceſſitatem quidem validè, ſed illicitè: quia contra vſum Eccleſiæ: in neceſſitate verò, vt ſi prior poſt primam Vnctionem deficiat, & tunc alter reliquas conferat, etiam licitè. Ita ex communi ſententiâ Suarez *diſput.43.ſect.2.*] At melius & ſecurius eſſet ſi ſecundus omnes vnctiones faceret. Si æger eſſet in vltimo agone, & timeretur, ne morte præventus non poſſet omnes vnctiones ſucceſſivè recipere, poſſet probabiliter à quinque Sacerdotibus inungi: ita vt ſinguli ſingulos inungerent ſenſus: ſed melius facilius, expeditius & ſecurius foret, ſi vnicus ſub vnicâ formâ breviter omnes vnctiones perficeret, iuxta ea quæ diximus, quando de Extremæ-Vnctionis diſſerebamus quantitate.

MMMDCXXII. *An aliquis inungere ſe poſſit?*

Nemo inungere ſacramentaliter ſe poteſt. Et hoc conſtat ex ritu Eccleſiæ, & aliis etiam Sacramentis: nemo enim poteſt ſe baptizare, ſe nemo confirmare, ſe nemo abſolvere ſe nemo ordinare.

An Parochus teneatur hoc Sacramentum adminiſtrare?

Parochum teneri adminiſtrationem huius Sacramenti, etiam in quocumque periculo aſſerunt multi; negant alij. Ad Sacerdotem ſimplicem abſente Parocho non teneri, manifeſtum eſt; nam Parochus tenetur ex iuſtitiâ, Sacerdos ſimplex ex Charitate: & Iuſtitia obligat ſtrictiſſimè ex lege & pacto: & charitas in extrema neceſſitate tantùm; nec videtur dari caſus, in quo locum habeat hæc neceſſitas. Cæterum, ſi quis moribundus eſſet in ſtatu peccati mortalis & attritus, qui confiteri & abſolvi non poſſet, & tamen vngi poſſet, deberet omninò iuvari; & peccaret mortaliter Sacerdos ſimplex, qui illum non vngeret. [Nota tamen, eumdem etiam in tali caſu poſſe abſolvi; & ſi poſſit, debere. Nota etiam in tali caſu Sacerdotem quia omnia intra limites probabilitatis manent, vt redderet ſecuram moribundi ſalutem, poſſe & debere eumdem abſolvere & inungere; vt ſi fortè abſolutio ſit invalida, ſit ſaltem valida Extrema-Vnctio]

An Extrema-Vnctio poſſit conferre primam gratiam? *Notanda pro moribundis.* *An infirmus ſenſibus deſtitutus debeat abſolvi, & etiam vngi?*

***

PASSIO EXTREMÆ-VNCTIONALIS.

SVbiectum huius Sacramenti eſt ægrotus, & ideò moribundum ſolemus à morituro diſtinguere: non enim confertur damnatis capite, ſed infirmis; nec omnibus, ſed vſum rationis habentibus. Perpetuò amentibus & infantibus, ante vſum rationis conferri non debet. Video nonnullos hæc omnia admittere, & tamen addere hoc poſſe Sacramentum conferri illi, qui nunquam peccavit actualiter: & exiſtimo hoc vltimum malè cohærere antecedentibus, & inferre exorbitantem aliquam conſequentiam, quam nemo admittet. MMMDCXXIII. *Quinam poſſint hoc Sacramentū ſuſcipere.*

An amentes? an infantes? an qui nō peccaverunt?

Non cohærere demonſtro. Ratio enim ob quam infantibus debet negari hoc Sacramentum, innocentia eſt: quia nunquam peccaverunt Ergo hæc ratio, vel eſt efficax vel inefficax. Si efficax, negari debet extrema-vnctio adulto, qui non peccavit: ſi inefficax, debet infanti dari: vel aſſignetur quæſo diſparitas. *Cur negetur infantibus?*

Exorbitatem etiam conſequentiam inferre, etiam oſtendo; quia ſi hæc verba, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti*, poſſunt verificari de illo, qui nunquam peccavit: etiam poterunt iſta, *Ego te abſolvo a peccatis tuis.* Ergo vel dicendum eſt abſolvi poſſe, qui nunquam peccavit: vel negandum eumdem inungi poſſe. *An poſſit abſolvi aut inungi qui nunquam peccavit?*

Et quæ corporis partes inungi debent? Senſuum organa. Oculi, aures, nares, os & Organum tactûs.

Sed hinc oriuntur duo dubia. Alterum, *An inungi ſenſus debeant, quibus homo a nativitate caruit?* & hæc quæſtio locum habet, in organo contuſo, & fracto. Alterum, *An, & quomodo inungi debeat ille, cui organa ipſa exciſa ſunt?* Manus enim inungi ſolent tanquam organa tactus, & multi ſunt qui carent manibus, imò etiam brachiis. Vidi cuiuſpiam religioſi os ita cancro corroſum, vt maxillæ inferiores exciderint, lingua eſſet nulla, & guttur hiaret, difficulterque aleretur per fiſtulam. Et tunc habebat locum, dubium hoc. Et ego dico, *Quomodo inungi debeat, qui organis caret?*

MMMDCXXIV. *De cæco à nativitate. Quomodo ſit vngendus?*

Ad primum, eum; qui à nativitate aliquo ſenſu caruit, in loco ſenſui debito debere inungi. Et aſſero hanc eſſe communem Theologorum ſententiam. Sed ſemper eſt difficilis, nec clarè probatur. Præpoſitus *in 3. p. quæſt.vnic.de extrem.vnct.dub.8.num.73* ideò ait inungendos eſſe oculos cœci à nativitate, quia peccare potuerunt per interiores potentias illis ſenſibus correſpondentes, vt deſiderio peccandi illo ſenſu. Addit ſatis eſſe, ſi habuerit potentiam peccandi.

Sed nihil evincit Præpoſitus ratione illa, quam ait: nihil illa, quam addit. Nihil illa, quam ait: quia deberet omninò ſatisfacere ratiocinio ſequenti. [Præter quinque ſenſus, quibus divinitùs donati ſumus, eſſe alios poſſibiles eſt manifeſtum: nam Omnipotentiæ theſauri carent termino At nemo peccat deſiderio abutendi ſenſibus poſſibilibus: non ergo peccare poterit cœcus à nativitate deſi- *An in homine præter quinque notos, ſint alij adhuc ſenſus poſſibiles?* *An ſufficiat potentia peccare?*

derio

An poſſit peccare aliquis deſiderio abutendi ſexto, ſeptimo, aut alio ſenſu poſſibili?

derio abutendi oculis: tantam enim habet visûs notitiam, quantam ego ſexti aut ſeptimi ſensûs. Præthereà ſi ſufficit habuiſſe potentiam peccandi, licèt impeditam: etiam infans inungi deceret: habet enim eaſdem potentias, quas adulti, tametſi impeditas vinculo illo (quidquid illud ſit) quo ligatur ratio, ne liberè ſe movere poſſit.

Reſolutio.

Fateor non carere difficultate communem & receptam doctrinam: ab illâ autem non ideò debemus recedere.

Quid de morbum, cui ſenſus ineſt, deeſt, ungitur locus proximus. Et cur?

Ad ſecundum reſpondet Præpoſitus *ibidem* ſi deſit organum, inungi debere locum proximum illi. At occurrit ſtatim iſta ratio; nam locus ſenſui proximus non eſt organum ſensûs, nec illo abuti ægrotus poterit, nec illo peccare. Sed quia ſic ſolet fieri, poterimus conſuetudini præſcriptæ conſtare, & hanc ſubtilitatem ſcholæ & ſpeculationi relinquere.

Organum tactûs.

An in manibus ſit?

Occurrit hic nova & ſpecialis difficultas circa organum tactûs. Quæris enim, Quid ſit Tactus? ſunt enim hodie qui dicant *Senſus* & *Tactus* eſſe voces ſynonymas, & idem omninò ſignificare: & videre eſſe taliter ab objecto tangi, & aliter tangi, eſſe audire, &c. ſunt etiam, qui in omnibus aliorum ſenſuum organis Tactum collocent, & per carnem univerſam diffundant. Et hi meritò inquirunt, Quænam corporis pars inungi debeat? Manus inungi præcipit Romana Eccleſia. Si nude rationi ſtaretur, videretur tactus eſſe toto corpore ſparſus, & manuum unctio neceſſaria non eſſe: organum enim tactûs inungitur in oculo, inungitur in aure, inungitur in quolibet organo. At nullus argutiis locus datur, ubi, quæ facienda aut omittenda ſint Eccleſiæ præſcribit authoritas.

An manuũ unctio fiat ex ſolo præcepto?

Poſſet dici unctio manuum eſſe neceſſaria neceſſitate præcepti, & illæsâ Sacramenti veritate & integritate poſſe omitti: non tamen licitè ob Eccleſiæ præceptum. Qui ſic diſcurreret, nîl in praxi mutaret, & tamen operandi rationem attemperaret doctrinæ præcedenti.

EFFECTVS EXTREMÆ-VNCTIONALIS.

MMMDCXXV. *Extremæ-Vnctionis veritas Sacra Scriptura & Concilij Tridentini teſtimonio firmatur.*

IN literis duodecim Tribubus, quæ erant diſperſæ, inſcriptis B. Iacobus ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & eriget eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Hinc Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 2. *Res etenim hæc gratia eſt Spiritus-Sancti; cuius unctio delicta, ſi qua ſint, adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo miſericordiæ fiduciam excitando; quâ infirmus ſublevatur & morbi incomoda ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis (* Geneſ. 3. *) calcaneo incidiantis faciliùs reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

Quid præſtet hoc Sacramentum?

Virtus huius Sacramenti inſenſibiliter animam elevat, at ſæpe corpori medetur ſenſibiliter: & unctio à me licèt indigno, heri adminiſtrata, moribundo ſenſibiliter profuit: hodie enim tametſi valde debilis ille ſit, caret febri. Et exiſtimo virtutem medicam, quam Chriſtus Sacramentali unctioni indulget, nec eodem modo, nec bene ab ægrotis intelligi. Finita eſt, & ponatur ut quinque: ergo ſi morbus ſit ut tria vel ut quatuor, ſalutem conferet, morbumque expellet: at, ſi negligentiâ aut ſocordiâ differatur, quouſque morbus ſit ut ſex aut ſeptem, levamen dabit aliquod, at ſalutem non poterit. Monendi igitur ſunt, qui curam infirmorum habent, ne medicinam hanc extremam nimis differant, ne expectent tempus, quo immedicabilis ſit morbus, & viribus conceſſis unctioni ſuperior.

Virtus huius Sacramenti. Eſt interdũ ſufficiens, ut ſalutem reſtituat: ſemper ut morbum ſublevet.

MMMDCXXVI. *An differre hoc Sacramentum ſit mortale?*

Condemno illos, qui hoc Sacramentum nimis differunt: at non tam ſeverè, quàm Pitigianus, qui *in 4. diſt. 23. quæſt. unic. art. 5. quæſt. 4.* aſſerit, hoc Sacramentum in extremis ſuſcipere eſſe tentare Deum, & velle virtutem Sacramenti experiri: Video enim hanc cenſuram non carere multâ temeritate. Qui enim unctionem differunt, vel ducuntur ſcrupulo & nimis feſtinare non audent: vel ſeducuntur horrore, quia putant eſſe actum de ægroto, quando inungitur. Et, ut experiatur vires Vnctionis, nemo exſpectat: nam qui experientiam vellet ſumere, deberet potiùs ſacramentale illud remedium tempeſtivè adhibere, & feſtinare potiùs, quàm morari: qui enim vellet aquæ vim experiri, non deberet exſpectare flammam creſcere, ſed antequam incendium ſit inextinguibile, illâ deberet uti. Præthereà, neſcio cur erit tentare Deum, velle vires Sacramenti experiri: ſæpe enim aliorum Sacramentorum vires experiri volumus & optamus; imò & oramus, nec dicimur tentare Deum. An-non quotidiana communio animam roborat, & contra omnia genera tentationum fortificat? Et quis quæſo dicet, quòd Confeſſarius tentat Deum, quando ſuo pœnitenti quotidianam communionem permittit, exploraturus, utrum ſit illi utilius, aut diebus ſingulis, aut feſtis tantùm communicare: ut ab experientiâ edoctus, in re tam gravi, quod pœnitenti utilius judicaverit, faciat.

An differre, ſit velle ſumere experientiam?

An ſit tentare Deum velle vires Sacramentorum experiri?

De Communione quotidianâ.

Experientia nos docet an huic vel illi pœnitenti ſit utilis?

VBI EXTREMÆ-VNCTIONALE.

MMMDCXXVII. *De privato loco.*

NVllus eſt locus in quo non poſſit moribundus inungi, ſed quia lecto plerique hærent, quando agunt animam, ibi ungi ſolent.

De interdicto.

An, & quando in loco interdicto poſſit adminiſtrari Extrema-Vnctio?

At obiter notandum eſt in loco interdicto Extremam-Vnctionem conferri non poſſe ſtando generali regulæ: at quia leges ita explicandæ ſunt, ut non ſancitæ ſolùm, ſed & ſanctæ dicantur, non eſt improbabile, ait Anſonius Noctinot *in Summâ Diana verb. Interdictum num. 9.* conferri poſſe, quando in articulo mortis quis non poſſet pœnitentiam aut Euchariſtiam recipere, verbi gratiâ, quia non exhibuit ſignum aut motum pœnitentiæ: nam tunc Extrema-Vnctio videretur

An poſſit primā gratiam conferre? habere locum Sacramenti Pœnitentiæ, & poſſe facere de attrito contritum. Conſonat Trullench. *in Bullâ Cruc. lib.*1. §.3. *dub.*7. *num.*2. & Dianæ *part.*5. *tract.*9. *reſol.*8. & *tract.*10.*reſol.*75.

Reſolutio. At ego, ut ſincerè loquar, non puto poſſe panem extremè indigenti negari: nec poſſe remedia ſpiritualia interdici homini, qui eſt in peccato mortali & æternæ damnationis periculo: quam ob rem, quandiu in eâ opinione ſis, ut exiſtimes proximi animam periclitaturam, ſi extremam unctionem non conferas; & certò, aut probabiliter ſaluam futuram, ſi conferas; teneris illam conferre: &, ſi exiſtimes in tali caſu Unctionem ab Eccleſiâ interdici, matri noſtræ pientiſſimæ iniuriam notabilem infers. *Nunquam Eccleſia inhibet, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem.*

SITUS EXTREMÆ-VNCTIONALIS.

MMMDCXXVIII. *An poſſit inverti unctionum ordo?*

HUc referam unctionum ordinem, nam de Miniſtri aut etiam Moribundi ſitu agere nolo, quocumque enim res agatur, perinde eſt. Rogas igitur, An ille qui inverterit unctionum ordinem, Sacramentum confecerit? & ſi confecerit, an peccaverit?

Non puto ordinem aliquem unctionum ita neceſſariò requiri, ut ſine valoris iacturâ mutari non poſſit: quod à fortiori admittent illi, qui aſſerunt ſufficere unicam unctionem.

Puto tamen eum, qui ordinem ſine causâ mutaret, peccaturum: omnis enim inobedientia culpa eſt: & lethalis ſi contemptui conjuncta aut etiam in materiâ gravi. At in eorum maximè ſententiâ, qui dicunt unicam unctionem ad valorem Sacramenti ſufficere, unctionum ordinem ſi ſine contemptu & ſcandalo mutare, non videretur mortale. *An peccaret mortaliter, qui Unctionis ordinem ſine causâ mutaret?*

HABERE EXTREMÆ-VNCTIONALE.

MMMDCXXIX. *Ornamenta.*

NOn multa ornamenta requiruntur, ut Extrema-Unctio conferatur. Noſtrum Ceremoniale: *Sacriſta ſtolam coloris violacei exponat in ſacriſtia: necnon convenienti loco vaſculum cum ſacro oleo candidâ telâ obvelatum, cui ſuper addat velum violaceum. Præterea Rochetum promet pro Acolytho; crucem ſine haſtili laturo: & laternam inſtructam luce, quæ crucem anteibit.* *Quo apparatu in noſtro Ordine Sacramentū hoc adminiſtretur?*

FUNDAMENT. LXIX.

De Sacramento Ordinis.

MMMDCXXX. *An prima tonſura ſit ordo? Ord. quid & quotuplex.*

SACRAMENTUM eſt novæ Legis, vi cuius aliqui ad miniſterium divinum ſpirituali poteſtate tradita deputantur. Septem ordines à Theologis enumerantur: nam in Eccleſia ſunt Oſtiarij, Exorciſtæ, Lectores, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri. Tonſura non eſt ordo, ſed ianua & diſpoſitio ad ordines. Pſalmiſtæ, & Cantores non ſuſcipiunt ſpecialem ordinem, cùm ad hoc Miniſterium deputantur.

Cur ordines aliqui vocētur Sacri? TRes ultimi *Sacri* dicuntur, non quòd priores non ſint ſacri, ſed quòd hi tres ſint ſacratiſſimi, maximi (ideo etiam *Maiores* vocantur) & miniſterio proximi.

Quæſtiones incidentes. Multæ occurrunt quæſtiones ſpeculativæ, multæ practicæ, multæ politicæ: poſſem enim inquirere, An Cardinalatus, aut etiam Epiſcopatus, ſit ordo? An expediat tot eſſe Sacerdotes, & tot Monachos? An præſtaret numerum utrorumque diminui? poſſem etiam de ſingulis ordinum gradibus ſpecialiter agere, ſed hæc omnia alium locum, & tempus poſtulant, & idcirco hæc pauca ſufficiat prælibaſſe.

DISPU

Digitized by Google

DISPVTATIO I.

METETHICA.

De Sacramento Ordinis.

MMMDCXXXI. *De Sacramento Ordinis ſapientiſſimos & agemus.*

EGI de iſtâ materiâ in Hierarchiâ Eccleſiaſticâ: cujus prima pars iterum, iterumque in lucem prodiit: cujus poſterior pars ob graves rationes tempus opportunius & liberius expectat: & ideò nunc omnia percurram breviter, & prout poſtulat Metaphyſica, quæ nos manuducit ad alta.

Quid ſit?

Eſt Ordo, ſi univerſim loquamur, parium, Dispariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. Ita S. Auguſtinus lib.9. de Civit. cap.13. ſtrictius ipſa loca vocantur Ordines. Cicero 4. in Verr. Octavium hominem ornatiſſimum; loco, nomine, *ordine virtute*. Erant Romæ tres Ordines: Senatorius, Equeſtris, Plebeius. Ab Ariſtotele τάξεις dicuntur: unde Virgilius 7. Æneid.

Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni, hoc eſt, ex omni dignitatum qualitate ut Servius explicat.

Sicut in Politicâ erant, aut etiam hodie ſunt Ordines, ſic etiam reperiuntur in Clero. & late ſecundo vocabulum, *Ordo erit diſpoſitio novæ legis, quâ homines aliqui in Dei miniſterium ſpirituali poteſtate traditâ deputantur.* Negatur aut pravè exponitur ab Hæreticis, apud quos magna eſt Eccleſiaſticorum confuſio: & quia ſub initium æquare voluerunt ſimplices Sacerdotes Epiſcopis, veros non habent hodie Sacerdotes, præter illos, quos libertas & luxus exciderunt à nobis, & in ſchiſmatica illorum caſtra tranſvexerunt.

An apud Hæreticos ſit?

Ens Ordinale.

MMMDCXXXII. *Quid illud ſit?*

OMnia quæ directè, & indirectè; immediatè, & mediatè; proximè & remotè, ad Ordinis Sacramentum ſpectant, in hoc communi & univerſali prædicato conveniunt, quod importat connexionem & habitudinem (intrinſecam, extrinſecam-ve) cum hoc Sacramento. Et Ens Ordinale, ſicut cætera Entia Sacramentalia, ſuas habet Categorias ſive Prædicamenta, in quæ debito modo dividatur, & diſtribuatur.

Svbstantia Ordinalis.

MMMDCXXXIII. *Sicut cætera Sacramenta, ſic & Ordo habet compoſitionem quaſi Phyſicam. ex rebus & verbis, ſicut ex materiâ & ex formâ.*

ORdinis Sacramentum his verbis à Ioanne Pelecyo definitur. *Eſt*, inquit, *poteſtatis Eccleſiaſtici miniſterij alicui tradita, quâ & el mediatè ipſa imprimis Euchariſtia rite & reverenter conficiatur & adminiſtretur, vel aliquod aliud miniſteriũ exerceatur, quod ad id, tamquam finem quendam ordinetur.* Ita in Theſibus defenſis Ingolſtadij anno 1588. Theſi 213. Collegit omnia, quæ alij tradunt per partes, nam Magiſter *in 4. diſt. 24. lit.* K. aſſerit eſſe ſacrum quoddam ſignaculum, quo ei, qui ordinatur, ſpiritualis poteſtas traditur, & *officium* Sot. ibid. Ordo eſt Sacramentum, quo poteſtas ſpiritualis ſignificatur & traditur in ordine ad ſacroſanctum corpus *Chriſti conſecrandum.* Alij apud Coninckium multò clarius. Ordinatio eſt ſacra quædam ceremonia, quâ alicui peculiaris poteſtas traditur, deſtinata aliquo modo ad myſterium Ven. Euchariſtiæ ritè *peragendum.*

Varia tradũtur huius Sacramenti definitiones.

Conſtat Materiâ & Formâ. Materia dicitur illud quod traditur: Forma, illud quod à tradente dicitur. Et quia Ordines ſunt differentes ideò differunt Materiæ & Formæ ſingulorum.

De Sacerdotũ Cõſecratione apud Græcos.

De impoſitione manuum multa, & ut puto digna quæ legantur & tuo ingenio illuſtrentur & decidantur, propoſui in Hierarchiâ Eccleſiaſticâ, quæ poteſt videre ſi velis. Et quidem in Eccleſia Græcâ per manuum impoſitionem Sacerdotium confertur. Quod tametſi à nonnullis, qui volunt omnia ſuo diſcurſu metiri, negetur paſſim, certum eſt. Lugo *de Sacram. in comm. diſp. 2. ſect. 5. n. 85.* id eſſe verum aſſeverat his verbis [Nunc in Eccleſiâ Græcâ, non ſolùm Epiſcopi ſchiſmatici, ſed Catholici etiam, & qui Romæ degunt, dum Græcos Preſbyteros ordinant, ſciente & conſentiente Summo Pontifice (me præſente) non per Calicis & Patenæ porrectionem id faciunt, ſed per manûs impoſitionem ſuper caput Ordinandi, dicente Epiſcopo: *Divina Gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat ſiu promovet N. Venerabilem Diaconum in Preſbyterum.* Quem ritum ordinandi nemo jure damnare poterit, aut veriſimiliter de illius valore dubitare, &c.] Sic etiam Arcudius *de Sacram. Ordin. cap. 2. diſp. 5. ſect. 3.* Dicaſtillus *tract. 1. de Sacr. diſp. 2. dub. 20.* & 21. & Diana *part. 8. tract. 1. reſol. 42.* quos citat & ſequitur Leander *part. 2. tract. 6. diſp. 3. quæſt. 4. pag. 15.* Et quid de Eccleſiâ Latinâ dicemus? An-ne alias Materias & Formas pro Græcâ & alias pro Latinâ Dominus noſter Ieſus-Chriſtus inſtituit? Anne illas genericè propoſuit, & ut ab Eccleſiâ ſic aut aliter determinarentur, permiſit? An tandem Materiæ & Formæ, quibus utuntur Græci, etiam à Latinis adſumuntur? Rem breviter ſequentes Concluſiones expedient.

Per manuũ impoſitionẽ ordinantur.

Quæſtiones ſcitu digniſſima circa formas & materias Sacramentorum in utrâque Eccleſiâ.

MMMDCXXXIV. *Eccleſia Græca & Latina non ſũt duæ, ſed unica tantũ.*

Prima. *Eaſdem in Sacramentis Materias, Formaſque Dominus noſter Ieſus-Chriſtus pro toto Orbe terrarum deſignavit.* Patet: quia non duas, ſed unicam inſtituit Eccleſiam. Corollarivm. *Ergo in Sacramentorum adminiſtratione Græci, Latinique, non differunt in re ſubſtantiali.* Leander hanc doctrinam

An Græcus ritu Latino, aut Latinus Græco validè uteretur.

nam admittit, & *part.1. tract.1. diſp. 1. q.12. pag.3.* aliud ſcitu dignum ex hoc Corollario Corollarium deducit: inquit enim. [Vnde & Eccleſia Græca validè ordinaret Preſbyteros per traditionem panis & vini, & validè conſecraret in pane azymo, in quo conſecrat Latina; & validè baptizaret ſub eâ formâ, quâ Latina: Et è contrà Eccleſia Latina validè ordinaret Preſbyteros per manuum impoſitionem, &c. ſic Ochagavia *quæſt.4. num.3.* Vaſquez *diſp.129. cap.5. num.49.* Gaſpar Hurtado *diſp.1. diff.13.* & apud eos omnes Theologi.] Ergo hæc eſt omnium ſententia, & omninò tenenda.

Quo Chriſtus modo materias & formas Sacramentorũ determinaverit?

SECVNDA. *Non omnia quoad ſpeciem infimam Chriſtus determinavit.* Tametſi oppoſitam fateatur eſſe communem, hanc probabiliorem eſſe affirmat Leander *ubi ſupr. q.11.* Et pro illâ citat Innocentium IV. Bellarminum, Arcudium, Lugonem, Philibertium, Dicaſtillum, & tandem Dianam *part.10. tract.11. reſol.65.* Probat Leander [Nam pro materiâ & formâ Ordinis inſtituit ſignum ſenſibile ſignificativum poteſtatis, quæ traditur, & verba eamdem poteſtatem exprimentia.]

MMMDCXXXV. *Omnia, quæ Pontifex Græcus facit, facit etiam Latinus, & quid importet manuũ impoſitio per realem traditionẽ explicat Latinus, quod Græcus non facit.*

TERTIA. *Eccleſia Græca utitur rerum traditione morali: Latina morali & reali.* Agamus in particulari.

MAteria Sacerdotij eſt traditio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia. Hæc traditio, ut vidimus, fit moraliter apud Græcos per manuum impoſitionem, & apud Latinos moraliter & realiter. Sanè moraliter: lego enim in Pontificali Romano. [Pontifex ſtans ante faldiſtorium ſuum cum mitra, & nulla oratione, nulloque cantu præmiſſis imponit ſimul utramque manum ſuper caput cujuſlibet Ordinandi ſucceſſivè nihil dicens, &c. Quo facto tam Pontifex, quàm Sacerdotes tenent manus dexteras extenſas ſuper illos: & Pontifex ſtans cum mitra dicit. *Oremus, fratres chariſſimi, Deum Patrem Omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos ad Presbyterij munus elegit, &c.*] Ecce huſcuſque ritus Latinus & Græcus coïncidunt.

Traditio moralis.

Addit autem realem traditionem Latinus. Pontificale. [Tradit) Pontifex) cuilibet ſucceſſivè Calicem cum vino & aqua, & patenam ſuperpoſitam cum hoſtiâ, & ipſi illam accipiunt inter indices & medios digitos, & cuppam Calicis & Patenam ſimul tangunt Pontifice ſingulis dicente. *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo: Miſſaſque celebrare, tam pro vivis, quàm pro defunctis, &c.*] Et ſub Miſſæ finem idem Pontificale. [Pontifex cum mitrâ ſedens, &c. imponit ambas manus ſuper capita ſingulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet. *Accipe Spiritum ſanctum: quorum remiſeris peccata, &c.*]

Traditio realis.

Altera manuum impoſitio expreſsè concedens poteſtatem abſolvendi à peccatis.

Ecce duas manuum impoſitiones, & unam Panis & Vini traditionem. Sed in quâ eſſentialiter conſiſtit Sacerdotij collatio? Porrò, quidquid ſit de poteſtate abſolvendi à peccatis, per ultimam manuum impoſitionem non tribuitur Neomyſtæ conſecrandi poteſtas: nam reverà ante illam ceremoniam erat verus Sacerdos, & cum Epiſcopo dixit miſſam & conſecravit.

Per ultimã manuum impoſitionẽ non poteſt Sacerdotiũ conferri.

MMMDCXXXVI. *An hodie in Eccleſiâ Latinâ Sacerdotium per ſolam manuum impoſitionem cõferatur?*

Illam priorem manuum impoſitionem eſſe materiam totalem Sacerdotij docet S. Bonaventura *in 4. diſt.24. part.2. art.1. quæſt.4.* Ei conſentire Scotum, Petrum de Soto, Comitolum, Reginaldum, Filliucium, Laymannum, & Sylvium Machadus *tom.2. lib.4. part.1. tract.9. docum.2. num.1.* aſſerit: at omnes male citari à Machado teſtatur Leander *part.2. tract.6. diſp.3. quæſt.6. pag.15.k.* Audiri poteſt Tabiena, qui in ſumm. verb. Ordon. 2.6. ait [Item nota, quod ubi diviſi ſunt actus & diverſi, non eſt iterandum, ſed ſupplendum ſicut in Ordinatione ſacerdotis: alius actus eſt tenere manus ſuper caput: alius ei dare calicem & patenam, quorum, ſi aliquid fuerit legitimè factum, non eſt reiterandum. Quidam tamen dicunt, quod hæc duo ſcilicet de calice & patenâ non ſunt ſupplenda, quia non ſunt de ſubſtantiâ: ſed ſecurius eſt, ut ſuppleantur: imò cum ſecundum S. Thomam & Pe. de Pa. ſit de eſſentiâ, & ſaltem ſecundum omnes ſit dubium, de neceſſitate totum eſt reiterandum.] Ecce illi quidam, realem panis & vini traditionem putabant eſſe accidentariam ceremoniam, & veram Sacerdotis conſecrationem in priori illa manuum impoſitione conſiſtere.

An patenæ cũ pane & calicis cum vino traditio ſit ceremonia accidentalis?

Authores, qui affirmativæ adhærent.

Manuum impoſitionem eſſe ritum accidentarium, & materiam proximam & totalem in Sacerdotio eſſe realem patenæ cum pane, & calicis cum vino traditionem, docent Richardus, Capreolus, Major, Durandus, Sotus, Sylveſter, Victoria, Nuñus Ioannes de la Cruz, Loblinus, Binsfeldius, Vivaldus, Valentia, Bonacina, Ludovicus de S. Ioan, Ledeſma & Diana à Leandro citati.

Authores, qui adhærẽt negativæ.

MMMDCXXXVII. *An, & quo poſſet modo, ad concordiam reduci?*

Facili modo componeretur diſſidium, ſi eaſdem res (patena & calix: hoſtia & vinum) in manuum impoſitione tradi moraliter, & poſteà in corporali porrectione tradi realiter, diceremus. Ergo, cum alterutra traditio ſufficiat, ſi altera omittatur ſuppleri poterit: ſi utraque omittatur, debet Ordinatio reiterari. Si objicias. Ergo bis idem Sacramentum confertur: ſemel, cùm imponuntur manus, & iterum cùm patena & calix porriguntur. Reſpondere S. Bonaventura poterit ſimile argumentum formari contra eos, qui dicunt per eamdem inſtrumentorum porrectionem, & verborum eidem porrectioni correſpondentium prolationem conferri poteſtatem abſolvendi à peccatis: nam in fine Miſſæ Pontifex manus Neomyſtæ imponit & ait. *Accipe Spiritum-Sanctum, &c.* Ergo bis confertur ei poteſtas abſolvendi à peccatis. Et poterit addere ſicut hoc argumentum, ſic illud poſſe ſolvi, quod contra ſe proponebatur. Dicunt illi apud Leandrum *loc. cit. quæſt.7.* [Per manus impoſitionem & illa verba *Accipe poteſtatem remittendi peccata*, nullo modo confertur poteſtas remittendi peccata, ſed ſolùm ſunt declaratoria poteſtatis jam traditæ per illa alia antecedentia verba *Accipe poteſtatem offerendi, &c.* [c] Ergo nec poſſunt eſſe eſſentialia Ordinationi Sacerdotis] Poſſet igitur ſimiliter dicere S. Bonaventura: Per patenæ cum hoſtiâ & calicis cum vino porrectionem, & illa verba, *Accipe poteſtatem offerre*, nullo modo confertur conſecrandi poteſtas: ſunt enim ſolùm

c] Miror Leandrum, qui in recognoſcendis Authoribus tam eſt diligens noluiſſe legere Pontificale, non enim in illo ponuntur illa verba, quæ citat.

Quid præſtet ultima manuum impoſitio, & quid verba, quæ cum illâ dicuntur?

An per traditionẽ patenæ & calicis nova poteſtas conferatur?

Digitized by Google

Non ſunt bis, quæ repetuntur eodem actu.

ſolùm declaratoriæ poteſtatis jam traditæ per illam priorem manuum impoſitionem, & per illa verba, *Oremus, fratres chariſſimi*, &c. Ergo, &c.] Et poſſet alius, dicere, non fieri bis, quæ fiunt eodem actu: nam Sacerdos, qui poſt calicis ſumptionem, ſumit particulam, quæ fortè in corporali reperitur, non dicitur bis communicare, nam tota miſſa eſt unus actus. Ergo nec eſt dicendus Pontifex bis conſecrare Sacerdotem, quia tota illa Ordinatio eſt unus actus.

Non cōmunicat bis, qui poſt ſumptionē calicis inventā particulam ſumit.

Ego quidem, juxta expoſitionem præcedentem, libentiſſimè adhærerem S. Bonaventuræ ſententiæ, ſi eam viderem à Theologis in ſcholâ defendi, ſed quia vix reperio Iuniorem, qui eam ſequatur, nolo recedere à communi; & ideò ſit Concluſio.

MMMDCXXXVIII. Reſolutio.

QVARTA. *Materia proxima in Ordinatione Sacerdotis apud Latinos eſt realis patenæ cum hoſtiâ & calicis cum vino porrectio, Formam conſtituunt verba, quæ à Pontifice, dum hæc inſtrumenta traduntur, recitantur.*

QVINTA. *Prior manuum impoſitio*(ſi non eſt vera Sacerdotij collatio, ut S. Bonaventura aſſerebat) *eſt declaratio Ordinis conferendi.*

An ſint duæ in Sacerdotio poteſtates, altera conſecrandi, & altera abſolvendi à peccatis? Et an ſingulæ per ſuam materiā & formā partialem conferantur?

SEXTA. *Probabile eſt poteſtatem conſecrandi differre à poteſtate abſolvendi à peccatis, & eſt probabile eſſe inſeparabiles & indiſtinctas.* Si primæ ſententiæ adhæreas, aſſere conſecrandi poteſtatem ante præfationem Neomyſtæ in inſtrumentorum traditione conferri: & poſt communionem per manuum impoſitionem dari poteſtatem abſolvendi à peccatis. Et dic, hoc ritu Eccleſiæ Græcæ confirmari: nam multis diebus aut etiam menſibus poſt Ordinationem, poteſtatem abſolvendi à peccatis Epiſcopus Sacerdoti concedit. Si placeat adhærere ſecundæ, dic utramque poteſtatem in inſtrumentorum porrectione conferri. Adde illam impoſitionem manuum, quæ fit in fine miſſæ, non eſſe ceremoniam eſſentialem, ſed formulam, quæ declarat expreſsè quam poteſtatem receperat Sacerdos implicitè. Et dic hoc ipſum ritu Eccleſiæ Græcæ confirmari: nam in Sacerdotis conſecratione nulla fit mentio poteſtatis abſolvendi à peccatis. Ergo hæc poteſtas includitur in poteſtate conſecrandi. Nec obſtat, quod poſt aliquot dies aut menſes Neomyſta dicatur ſuſcipere poteſtatem abſolvendi à peccatis, quia hæc eſt approbatio, ſine quâ nec validè audiet confeſſiones in Eccleſiâ Latinâ. Et hîc obiter nota verba Tridentini Concilij, quibus Leander vult oppoſitam ſententiam probare, ſtare contra ipſum. Nam *ſeſſ.23.cap.1.* ſic ait. *Hoc autem* (Sacerdotium) *ab eodem Domino Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi & miniſtrandi corpus & ſanguinem eius: necnon & peccata dimittendi Sacræ Literæ oſtendunt, & Catholica Eccleſiæ traditio ſemper docuit.* Ergo, ſiquidem ante præfationem Neomyſta Sacerdotium recepit: jam etiam ante præfationem recepit in illo poteſtatem abſolvendi à peccatis.

Viri ſententia ritus Eccleſiæ Græcæ favent?

Vtri Tridentinum Concilium?

MMMDCXXXIX. *An maneat ordinatus ille, cui inſtrumenta*

Sed quid, ſi tradatur calix & patena ſine vino & pane: aut fortè cum pane ſine vino, aut cum vino ſine pane? Si nec panis, nec vinum fuerit traditum, nihil factum eſſe dicemus. Cæterùm, ſi alterum ſine altero (panis ſine vino, aut vinum ſine pane) tradatur Sacramentum eſſe nullum docet Villalobos *tom.1.tr.11. difficult.4.n.1.* eſſe validum Henriq. *lib.10.c.6. n.1.* Olim Dian. *part.3. tr.4.reſ.186.* opinioni Henriquezij ſubſcripſerat: at *p.4. tr.4.reſ.19.* videtur remittere tantiſper priorem opinionē, iubet enim Ordinem ſub conditione iterari.

ſine utrâque, aut ſine alterâ ſpecie tradantur?

Omnibus conſideratis iudico utramque opinionem probabilem & hominem ſic ordinatum, eſſe probabiliter Sacerdotem & probabiliter non eſſe. Et quid poſtea? Si celebret, & debitâ intentione conſecret, erit probabile ſub ſpeciebus ab ipſo conſecratis eſſe Chriſtum, & erit probabile non eſſe. Et quia nemo tenetur ſequi opinionem probabilem, ipſe & quicumque alius, poſſet ſe gerere circa ſpecies conſecratas, quocumque modo vellet: quod ipſum mille inconvenientibus aut etiam ſcandalis eſſet obnoxium. Eſto inciperit Miſſam, & hoſtiam conſecraverit teneretur - ne conſecrare calicem & miſſam abſolvere? Quid ſi poſt conſecrationem hoſtiæ vellet mutare dictamen, & ſequi opinionem Villalobos dicentis ſe non eſſe Preſbyterum? Et quo quæſo iure teneretur, ne alterutri opinioni quoties velit ſubſcribat. Præterea, ſi confeſſiones audiat (bone Deus!) quæ non accident dubia & pericula? etſi habeat facultatem legitimam, omnes erunt abſolutiones merè probabiles: adeoque ſi moribundum purè attritum abſolvat (aut inungat) erit probabile illum iturum ad cœlum, & probabile igni æterno damnandum. Si ad Epiſcopatum promoveatur, multiplicabit pericula, & Ordines conferat merè probabiles, & qui ab ipſo ad Sacerdotium promoveantur, erunt Sacerdotes probabiliter veri, & de illorum Miſſis & aliorum Sacramentorum adminiſtratione & valore pariformiter philoſophabimur.

Notanda de Sacerdotio probabili.

Euchariſtia probabilis.

An Sacerdos probabilis poſt hoſtiæ conſecrationem poſſit mutare dictamen, & calicem non conſecraret?

Abſolutio probabilis. Epiſcopus probabilis.

MMMDCXL. *An Eccleſia poſſit & velit hoc defectus ſupplere?*

In materiâ probabili tollit incertitudinem recurſus ad clementiam Eccleſiæ, ſi certum ſit, quòd poſſit, & certum ſit quod velit hos ipſos ſupplere defectus. At multi in unâ Probabilitate ſecuritatem fruſtra poſtulant ab alterâ Probabilitate.

At dices, Eccleſia, mater pia, omnes hos defectus ſupplebit. Sed illa, quæ Iuris Divini ſunt ſupplere non poteſt. Vbi agitur de iuriſdictione aut licentiâ, locum habet implicita aut tacita facultas; at quando agitur de Sacramentorum eſſentiâ, ſpes eiuſmodi locum non habet: adeoque ſemper manebunt probabilia omnia quæ fecerit homo virtute Sacerdotij probabilis. [Et hîc obiter noto, interdum in materiâ probabili ad tacitam licentiam recurri, ut omnia ſecura reddantur: ſed quia ſæpe hic ipſe recurſus, & illa tacita licentia non eſt certior probabili, ex probabilitate ad probabilioritatem adſcenditur: ſed ad quietem & ſecuritatem, id eſt, certitudinem & evidentiam, non venitur]

MMMDCLI. *Diaconatûs. Quomodo ordinetur Diaconus apud Græcos? Quomodo ordinarint Apoſtoli? Προσηύξαντο ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας. Orantes impoſuerunt eis manus.*

Materia Diaconatûs quæ eſt? Petrus à S. Ioſeph *diſp.7.ſect.4.pag.374.* reſpondet dicens [Quando apud Græcos ordinatur Diaconus Pontifex habens manum impoſitam capiti illius, hanc formam clarâ voce Enunciat, *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet talem Reverendum Subdiaconum in Diaconum.*] Si ille. Et poſt eum Lug. *diſp.2.de Sacr.ſect.5.n.85.& 91.* & Dicaſtill. *tr.6.diſp.1.dub.11.n.174.* & Leander *part.2.tract.6.diſp.3.q.11.pag.18. a.* Et hanc Ordinationem eſſe ſufficientem probant Philibertus, Cornelius à Lapide, Petrus à S. Ioſeph, & alij, quia Apoſtoli per manuum impoſitionem, & non per libri Evangeliorum

Omnia ſunt incerta, ubi non habetur Principium certum diſputandi.

deri probabile. Et agendo de ſacerdote habente oculos elevatos divinitùs, poſſe & non poſſe cæteris imperceptibilem conſecrare particulam probabiliter dici, aſſerunt Suarez & Bonacina. At ſententiam, quæ poſſe prædictum ſacerdotem illam conſecrare particulam pronunciat, eſſe certiſſimam ait Leander *part. 2. tract. 7. diſp. 9. quæſt. 83. pag. 142. a.* & Monteſinum, Ochagaviam, & Dicaſtillum, vt eam firmet, adducit.

MMMDCLIII.

De particulâ inſenſibili, ſi ſeparetur.

Chriſtus poſt ſeparationem manet in ſingulis Sacramenti partibus.

Petis Qvintò, *An ſi à conſecratâ hoſtiâ, aut à vino conſecrato aliqua ita parva ſeparetur particula, vt non poſſit ſenſu percipi, maneat conſecrata?* Citatur pro negativa Maior, ſed ille locus in aliquibus codicibus non invenitur vt notat Suarez *diſp. 43. ſect. 8.* Ergo quidquid de Maiore ſit, communis ſententia manere conſecratam affirmat; unde Dicaſtillus *diſp. 2. dub. 13. num. 129.* ſcribit neminem Catholicorum hanc partem negare. Et eſt ſtabilita in Concilio Florentino *in decret.* Eugenij, & in Tridentino *ſeſſ. 13. can. 3. & 4.* Verba Florentini ſunt hæc. *Sub qualibet quoque parte hoſtia conſecrata, & vini conſecrati, ſeparatione factâ totus eſt Chriſtus.* Et Tridentini hæc. *Si quis negaverit ſub ſingulis cuiuſcumque ſpeciei partibus ſeparatione factâ totum Chriſtum contineri, anathema ſit.* & ibid. cap. 3. *Totus enim & integer Chriſtus ſub ſpecie panis, & ſub quâvis ipſius ſpeciei parte: totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit.* Et eſt ſemper nota in Eccleſiâ doctrina: quam docuit Hieronymus *cap. ſinguli, de conſecrat. diſt. 2.* & Hilarius Papa *ibid. cap. Vbi pars eſt, eſt & totum, &c.* relati. Vnde canit Eccleſia. *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.* Et ratio eſt: etſi enim niſi ſit ſenſibilis particula conſecrari non poſſit, nam Sacramenti inſtitutio poſtulat vt pronomen *hoc* verificetur: ſemel conſecrata à ſenſibilitate non dependet: nam, ſi maneant panis aut vini ſpecies, manebit ſub illis Dominus, etſi illæ inſenſibiles ſint.

De terminis magnitudinis & parvitatis.

Conſultò illud *ſi maneant* dixi, nam, ſi dantur termini parvitatis, & ſubſtantia panis & vini tantam magnitudinem poſtulant, & in minori eſſe non poſſunt, tunc illa minor minimâ per meram ſeparationem perderet ſpecies panis vel vini, & non remanentibus panis vel vini ſpeciebus nec remaneret Dominus noſter Ieſus-Chriſtus. Minimum itaque magnitudinis dicamus eſſe quatuor modulos: aio in hoſtiâ & in vino conſecratis eſſe Chriſtum ſub ſingulis modulis, non tamen permanſurum ſub ſingulis ſi ſeparentur, quia ex hypotheſi, nec panis nec vini ſubſtantia poteſt conſervari in vno modulo; requirit enim quatuor extra conſecrationem, & ideò poſt conſecrationem ſub ſingulis modulis panis & vini non poſſent conſervari accidentia. Et quidem aliter de iſtis ante ſeparationem modulis, & aliter de ipſis poſt ſeparationem philoſophor: non enim placet D. Bonaventuræ *in 4. diſt. 10. art. 1. quæſt. 5.* Alenſis *4 part. quæſt. 40. membr. 3. a. 3.* Gabrielis *lect. 80. in Can. dub. 4 in fin.* & aliorum ſententia, quæ aſſerit, Chriſtum in hoſtiâ & calice toties eſſe replicatum quot ſunt minimæ partes: nam, tametſi hæc doctrina poſt ſeparationem

Eſt magnitudo, quâ minorem habere non poſſit panis aut vini ſubſtantia.

vera ſit, ante ſeparationem eſt falſa, replicatur enim totus Chriſtus ſub ſingulis cuiuſcumque minimæ partis particulis. Audi Coninckium, qui *de Sacram. quæſt. 76. art. 3. dub. 7. pag. 120. a. num. 40.* vt dilucidet D. Bonaventuræ ſententiam aſſerit [dari minima quædam naturalia, ſub quibus naturaliter ſubſtantia panis poſſit conſervari, ita vt ſub minoribus non poſſit. Cùm itaque non poſſit hic exiſtere ſecundum Dei inſtitutionem corpus Chriſti, niſi ſub his ſpeciebus, ſub quibus naturaliter poſſit ſubſtantia panis aut vini conſervari: videtur non debere exiſtere integrum ſub minori parte, quàm ſub quâ panis poſſit ſeparatim conſervari.] Sed hæc ratio tantùm probat Chriſti corpus non poſſe ſeparatim ſub minori parte exiſtere non autem ante ſeparationem.

Manet Chriſtus ſub ſpeciebus conſecratis, quantum maneret ſubſtantia panis, ſi non fuiſſent conſecrata.

MMMDCLIV.

D. Bonaventura, & alij, vbi volunt numerum præſentiarum minuere, illum adaugent.

Volo & hoc in gratiam Eruditorum addere. Dico S. Bonaventuram, Alenſem, Gabrielem, &c. vbi conantur præſentiarum numerum diminuere, illum profectò adaugere: quia, ſi ſint in hoſtiâ 20. moduli (Atomi ultimo indiviſibiles) & panis ſubſtantia vt conſervetur quatuor poſtulet, Ego toties Chriſtum in hoſtia replicabo, quot in ipſâ ſunt moduli, ſeu Vnitates: & toties illum replicabit S. Bonaventura, quot fuerint Quaternarij ſubſtantiæ Ergo ſi hoſtia v.g. habeat 20. vnitates, ego qui in ſingulis totum Chriſtum colloco, admittam 20. replicationes, & non plures. At, quia, vbi ſunt 20. vnitates ſunt 4845. Quaternarij, totidem aut de facto aut de poſſibili ponendæ ſunt replicationes, ſi ſingulæ ſingulis debeantur minimis phyſicis, quæ hypotheſis ponit quaternos continere modulos Vide noſtram Combinatoriam *art. 1. tab. 2. pag. 919. n. 6.*

In numero 20. v.g. ſunt Vnitates 20. & 4845. Quaternarij.

Petis Sextò, *An ſi ex calice conſecrato ſeparetur aqua, manſurus ſit ſub ſpeciebus aquæ ſanguis Domini noſtri Ieſu-Chriſti?* Vt Quæſtionem intelligas audi Ambroſium, qui *lib. 4. de Sacram. cap. 5.* ſic inquit, *Ante verba Chriſti calix eſt vini & aqua plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit.* Ergo, ſi ante conſecrationem erat in calice aqua [quia vel nunquam, vel nondum converſa eſt in vinum] ingreditur hæc ſexta quæſtio, quæ nonnullis difficillima viſa. Illam proponit Coninck *de Sacram. quæſt. 74. art. 8 dub. vnic. pag. 185. b.* & eam reſolvit dicens [Reſpondeo rem incertam eſſe, & pendere à voluntate Chriſti, quæ nobis non eſt revelata, &c.] obiicit. [Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. can. 3.* definit, Chriſtum ſub ſingulis vtriuſque ſpeciei partibus, ſeparatione factâ, integrè permanere. Atqui ſpecies aquæ ſunt pars calicis. Ergo ſub iis etiam ſeparatis manet totus Chriſtus. Et reſpondet [ob hoc argumentum ſatis probabiliter poſſe defendi, manſurum ſub illis ſpeciebus ſeparatis ſanguinem.] At Ego nullam difficultatem reperio: nec Indico eſſe probabile, quòd Chriſti ſanguis ſub illis aquæ ſpeciebus ſeparatis manſurus ſit. Nam ex Concilio habemus, Chriſti ſanguinem manere in toto vino conſecrato, & in qualibet eius parte, etiam ſi ſeparetur. Interim, ſi ſeparatio ipſa faciet vt pars vini cõſecrati non ſit; etiam faciet ut ibi non maneat ſanguis

Vinum & aqua eſt in calice ante conſecrationem.

In opinione quæ aquam in vinum non convertit.

Quid, ſi poſt conſecrationem ſola ſpecies aquæ à vino ſeparentur?

An ſub aquæ ſpeciebus manebit ſanguis Domini noſtri Ieſu-Chriſti?

Digitized by Google

An Epiſcopatum, Sacerdotiũ, Diaconatus, & Subdiaconatus ſint Sacramenta?

tus? Et reſpondeo ex Henriq. *lib.10.c.5.gloſſ. litt F.* non debere. Comonat Dian *p.r.3.r.4. reſ.*189. Et quia non libenter videres Ordinationem dubiam aut probabilem, ſubpetis, *An qui traditione calicis non conſecrati promoveretur, maneret certò, an ſolùm probabiliter ordinatus?* Reſpondeo, utramque ſententiam habere ſufficientes Authores, ut dicatur probabilis; at illam, quæ calicem conſecratum requirit omni Iure & ratione deſtitui, & ideò præſcindendo ab Authoribus, non videri probabilem.

Porrò Epiſcopatum, Sacerdotium, & Diaconatum eſſe Sacramenta indubitatum eſt. De Subdiaconatu aliqui dubitarunt. Coninck *de Sacram. diſp.20 dub.6. pag.660. b. concluſ.3.* ſic ait. *Probabilius eſt ordinationem Sudiaconi eſſe verum Sacramentum.*

MMMDCXLV.

An & minores Ordines?

De minorum Ordinum Materiâ & Formâ.

TRanſeo ad minores Ordines. Nec illos, nec Subdiaconatum eſſe Sacramenta docent Magiſter *in 4.diſt.24.c. ſeptimus eſt Ordo. in fin.* & conſentire videtur Gratianus *in ſuo Decreto, diſt.21. in fine primi par. gr.* & Martinus de Ayala *lib. de tradit. Apoſt.p.2. c.de Ordin.§. Synodu*. Et quidquid de Subdiaconatu ſit minores Ordines non eſſe Sacramenta docent Navarrus *cap.22. num.18 §. Quare*, Michael de Medina *lib.1. de Continentiâ, cap.46.* Favet Sotus *in 4.diſt.24 quæſt.1.art.4. concl.6.* & alij. Hanc opinionem probabilem judicat Coninck, nam *diſp. 20. dub.6. concluſ.4. pag.661.* & oppoſitam, cui adhæret, vocat *etiam probabilem*, nec aliter ſentiunt Valentia *diſp.9. quæſt.1. punct.4. §. Tertia*, & Vaſquez *diſp.237.c.2. num.3.* à Coninckio citati. Tu interim neutri Opinioni intellectum marites, ſed Probabilitatis privilegio fruiſcens, prout ratio & occaſio poſtulet, eam elige, quæ hîc & nunc fuerit accomodatior. Materia Acolythatûs eſt traditio candelabri cum cereo, & orceoli vacui. Lectoratûs, libri Prophetiarum. Exorcitatûs, libri Exorciſmorum. Oſtiariatûs, clavium & cymbali. Ita Fillincius *to.1.tract.9.cap 2. ita* & alij. Et hic ego notari volo multa ex his eſſe merè probabilia quæ olim à me recognoſcentur, & fortè aliter explicabuntur: ſed modò præſtat doctrinæ inhærere communi.

MMMDCXLVI.

An res in Sacramentu ſint tradēda realiter: an verò ſufficiat, ſi tradantur moraliter?

An contactus debeat eſſe realis?

TRaditioni reſpondet receptio; & receptionem comitatur contactus: ſed qualis quæſo iſte eſſe debet? phyſicus-ne an moralis? Phyſicum præcipit Eccleſia, vult enim ſupra omnem diſputationum aleam ponere Ordinum Sacramentalium veritatem, incertum eſt enim, An ad valorem Sacramenti phyſicus tactus exigatur. Faber *in 4.diſt 24. quæſt.1.diſp.1. c 4. num.121.* realem poſtulat Bonacina *de Sacr diſp 8. quæſt.unic. punct.c. num.10.* Diana, Auſonius Noctinot & alij, ſunt contenti morali. Quæſtionem excitat Leander *part 2. tr.6.diſp.1.quæſt 22. pag 21. b.* & tametſi ſedecim vel plures Authores pro morali contactu pro ducat, contactum realem probabilius requirit, & præter D. Thomam *in 4.diſt.24 q.1.quæſt.unc.5. ad 3* & *in Additionib.q 34.art.5.ad 3.* triginta vel plures adducit. Et monet ex Sanch. *tom.2.conſ.c.1.dub.2.* non eſſe neceſſarium tangere utrâque manu, ſed ſat eſſe tangere vel uno digito. Sotus init viam mediam, & vult Sacerdotem debere tangere realiter, & cæteros poſſe moraliter.

Via media reiicitur.

Sententia periculoſa poteſt eſſe vera.

Ego quidem rem ſpeculativè conſiderans rejicio Sot. non enim datur ratio, quæ evincat tactum realem in ordinatione Sacerdotis requiri, quæ non evincat æque fortiter in cæteris aliis requiri. Nulla, quæ probet in aliis moralem ſufficere; & in Sacerdotio non ſufficere. Et ut video, pericula reſpexit Sot. non rationes; ac ſi veritas ipſa certa & evidens non ſit interdum graviſſimis obnoxia periculis. Fateor enim non eſſe expoſitum ſummo periculo, quod Diaconi & Hypodiaconi probabiles, miniſterio fungantur: at ex Sacerdotio probabili tam multa inconvenientia aboriuntur, ut provideri omninò debeat, ne huiuſmodi nos vexent abortus. Rem ergo conſiderans practicè audiri iubeo Dicaſtill. nam tametſi *tr.6.diſp.1.dub.11.num.205.* judicet moralem contactum ad Valorem Sacramenti ſufficere; quia hoc ipſum non niſi probabile eſt, ait Sacerdotem, qui moraliter tantùm inſtrumenta tetigiſſet, non fore certò ordinatum adeoque graviter peccaturum, ſi extra caſum extremæ neceſſitatis confeſſiones audiret, aut miſſas accepto ſtipendio celebraret.

Pericula præcipua ſũt in Sacerdotio probabili.

MMMDCXLVII.

Aliorum opiniones propoſui: ſed quid ſentio de contactu morali? Probabilem judico ratione Authorum: & quia poſitiva maiori ex parte pendent ab authoritate, eumdem ſentio abſolutè probabilem. certum non judico. Interim negare non potero multum pro tactu morali facere Ordinationem Sacerdotum Græcorum, in quâ nulla realiter inſtrumenta tanguntur. Sed interrogo, An, ſi tactus moralis hodie ſufficere dicatur, non etiam dici poſſit ceras in omnibus Sacramentis ſufficere præſentia moralis An-non in Baptiſmo ablutio moralis? An non in Confirmatione aut Extremâ-Unctione unctio moralis? Ratio multa hinc inferret, ni ab authoritate cohiberetur. Tu conſidera.

De morali contactu, ablutione, unctione, præſentiâ, &c.

Iam video. Vis manere in opinione Fabri, & interrogas. An Sacerdos cùm illi calix & patena traduntur, debeat hoſtiam tangere. Sufficere ut tangat patenam etſi hoſtiam non tangat, inquit Diana *part. 2. tr.16. reſol 3.* & *part.3.tr.4.reſ.187.* & ratione graviſſimâ ducitur Nam calicem tangens vinum non tangit, & hoc ſufficit: ergo cum tangit patenam, hoſtiam non tangat, & hoc etiam ſufficiet: vel detur diſparitas. Eò venit ratio, & me judice fortiter: Tanti illam facit Vaſq. *diſp 246. c.2.n 19.* ut dicat [ſe neſcire, quâ probabilitate dici poſſit, neceſſarium eſſe omnia illa tria proximè tangere.] Et, ut video tanti illam cæteri, ut Granadus, cujus in Auctorum lectio diligentiam laudamus, *tr.1.diſp.6. n.10.* affirmet, nullum ſe ſcriptorem legiſſe qui dicat, tangere immediatè illa tria (calicem, patenam, hoſtiam) pertinere ad eſſentiam Ordinis Sacerdotalis [Infert Fillinc. *n.38.* ſufficere Diacono tangere calicem, etſi patenam ſuperpoſitam illi non tangat.] at Chriſtus, quia tota hæc materia eſt arbitraria & libera, potuit velle ut vinum tangeretur mediatè, panis verò immediatè; etſi ſemel hoc ille voluiſſe dicatur, ceſſat rationis paritas, & argumentum ſolutiore non

An debeat hoſtia tãgi?

Vinum non tangitur.

Rationis paritas, quantã vim habeat?

culares Sacramenta ſibi conſentanea recipere, imò etiam frequentare; quia pericula quotidiana ſunt magna, & periclitantes quotidie animæ remedijs quotidianis indigent. Oportet igitur, vt ſint Eccleſiaſtici, qui laicos adiuvent: & vt videas in quibus, & quomodo debeant, ſingulorum Ordinum officia & actiones expono.

An eſſe debeant Sacerdotes in Chriſtiana Republica? Epiſcoporum munus.

Sacerdotũ.

Epiſcoporum eſt Ordines Eccleſiaſticos conferre: templa & altaria, & alia id genus, conſecrare: chriſma conficere: confirmare: vitæ exemplo & doctrinæ pabulo oves paſcere.

Parochorũ.

Sacerdotum eſt ſacrum celebrare, & in eo Euchariſtiam conficere. Debent ovium ab Epiſcopo commiſſarum (non aliarum, aut aliàs) curam gerere: earum confeſſiones excipere, & ſalutari pœnitentiâ curare: illaſque pane Euchariſtico corroborare. Debent Parochi infantes baptizare: concionari: matrimonio intereſſe & extremam vnctionem adminiſtrare.

MMMDCLIX. *Diaconorũ. Subdiaconorum.*

Diaconorum eſt in Eccleſiâ Evangelium publicè legere: ſervire Sacerdoti & Epiſcopo: & in omnibus, quæ ad altare pertineant, miniſtrare. Vrgente neceſſitate Euchariſtiam diſtribuit: & habitâ licentiâ concionatur.

Acolythorũ.

Diaconis immediatè ſervire tenentur Hypodiaconi: id eſt, calicem & patenam ad altare importare. Legunt Epiſtolam, & faciunt cætera, quæ præcipit Ceremoniale.

Exorciſtarũ.

Acolythorum eſt vrceolos præparare; hoc eſt, aquam vinumque imponere: eoſque porrigere Subdiacono. Debent luminaria, quæ in altari, accendere: cereoſque accenſos ad altare portare: unde dici ſolent in rubricis *Cereoferarij*.

Lectorum.

Exorciſtarum eſt energumenorum curam diligentem habere: exorciſmis Eccleſiaſticis vti, & dœmones obſidentes expellere.

Pſalmiſtarum, Cantorum.

Lectorum eſt Lectiones in Eccleſiâ publicè pronunciare. Si pſalmos recitent, nominantur *Pſalmiſtæ*, & *Cantores*, ſi cantent.

Oſtiariorũ.

Oſtiariorum eſt templum claudere & aperire: eos, qui dignè ſacrificio intereſſe poſſunt, admittere; & indignos repellere.

MMMDCLX. *An Epiſcopi & Presbyteri ſint neceſſarij?*

Hinc patet ſœculares indigere Presbyteris Epiſcopiſque; iſtis vt regantur, illis vt erigantur, abſoluantur, reficiantur, in gratiâ formentur & firmentur, & tandem ad Deum conducantur. Et hinc etiam patet Epiſcopos, Presbyteroſque vt decenter obligationibus ſuis ſatisfaciant, indigere Miniſtris, à quibus inventur, vt ſine labore nimio poſſint: à quibus cohoneſtentur, ut ex dignitate procedant: à quibus, ſi hoſtes incurrant, defendantur: habet enim interdum locum, quod cecinit Propheta Rex, *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum*, nam in primitivâ Eccleſiâ armati Epiſcopo adſiſtebant Diaconi; & hodie poterunt, ſi gravis ſit illum defendendi neceſſitas. [a]

a] Hodie in regno Neapolitano, vbi tam multi per vias publicas lattones graſſantur, permitti neceſſariò debet, vt Sacerdotes armati iter agant, ne in manus ſceleratorum incidant.

Qvando Ordinale.

MMMDCLXI. *Quâ ætate ad Ordines promoveri poſſint?*

MVlta hîc occurrunt, quæ indigent examine ſpeciali. Inquiris enim *Primò*, Quando, hoc eſt, quâ ætate poſſint ſinguli ad Ordines maiores aut etiam minores promoveri? *Secundò*, An interſtitia ſervanda ſint? *Tertiò*, Quo anni tempore ſint Ordines celebrandi?

Aliquando annus inceptus ſufficit, aliquando debet eſſe completus? quia ſic Ius Canonicum determinavit.

Ad primvm reſpondeo pro temporum diverſitate fuiſſe mores in Eccleſiâ diverſos. In Decreto enim *diſt. 77. per ſeptem priora capita*, & *diſt. 78. cap. 1. & 3.* præſcribitur, vt fere viginti quinque annorum Diaconus ſit, & triginta Sacerdos. Et in Clementinâ *Generalem. 3. de ætat. & qualit. ordin.* diſponitur, vt anno ætatis decimo octavo Subdiaconus, vigeſimo Diaconus, & vigeſimo-quinto Presbyter ordinetur. Hi antiqui mores vt vt fuerint pro tempore maximâ ratione & authoritate ſubnixi, obliterati ſunt per Concilij Tridentini Decretum, quod latum fuit *ſeſſ. 21. cap. 12. de Reform.* & alias Apoſtolicas Conſtitutiones, quæ ſtatuunt ſuſceptorum primam Tonſuram, aut tres minores Ordines compleviſſe debere ſeptem annos. Ad Acolythatum duodecimum completum requiri. At verò ad Subdiaconatum viceſimum-ſecundum inceptum: ad Diaconatum viceſimum-tertium inceptum; ad Sacerdotium viceſimum quintum ſimiliter inceptum: [& tandem adde, vt promovendus ad Epiſcopatum habeat trigeſimum annum completum.]

MMMDCLXII. *An in ætate admittenda ſit materia parva?*

An-ne hic dari poteſt materia parva? Negat Pontius *lib. 7. cap 65. num. 1.* aſſerunt alij, & ſaltem diem inceptum haberi pro completo poſſe docet Sanchez *in Opuſc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 13. num. 6.* & Diana *part. 2. tract. 16. reſ. 28.* & *part. 5. tr. 5. reſol. 17.* & probant *ex lege qua ætate. ff. de teſtam.* permittente, vt in favorabilibus dies inceptus habeatur pro completo.

An interſtitia neceſſariò ſervanda?

Ad secvndvm reſpondeo ſervari debere interſtitia à Iure ſtatuta. Sed ſub quâ pœna? Peccaret quidem mortaliter, non tamen fieret ſuſpenſus, qui ſine interſtitiis ordines reciperet vel conferret. Nec debet audiri Portellius *verb. Suſpenſio.* Si producat Sixti V. decretum: quia vt bene notat Filliucius *tom. 1. tract. 17. cap. 5. n. 86.* & Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 32. §. notandum.* & *part. 4. tract. 4. reſol. 109. §. Et tandem.* & *part. 5. tract. 10 reſol. 40.* ſuſpenſio ab illo impoſita, à Clemente VIII. ſublata eſt. Incurreret tamen ſuſpenſionem qui duos maiores Ordines eâdem die reciperet. *c. literas. de temp. ordin.* & hæc eſt doctrina communis teſte Turriano *de cenſur. lib. 5. diſp. 46. dub. 1.*

An ſuſpenſionem incurrat, qui interſtitia non ſervet?

An, qui duos Ordines maiores recipiat eâdem die?

MMMDCLXIII. *Quando conferenda eſt prima tonſura? Quando minores Ordines?*

Ad tertivm reſpondeo non omni poſſe tempore conferri ſingulos Ordines. Prima Tonſura cùm non ſit Ordo ſacer, quovis anni tempore, quâvis die, & quavis omnino hora poteſt conferri. Ordines minores conferri poſſunt quolibet die Dominico aut feſto *ex cap. de eo de temp. ordin.* ita Diana *part. 2. tr. 16. reſol. 28. in fine.* & *part. 5. tract. 13. reſ. 97.*

Quid ſit dies feſtus?

Sed quid intelligitur nomine *diei feſti*? Iuxta aliquos feſtum fori iuxta alios feſtum chori: hoc eſt dies, quo dicitur officium duplex. Hoc vltimum docet Præpoſitus Fagundes, Gavantus, Pontificale Romanum, Diana *part. 5. tract. 13. reſol. 97. & alij.*

De feriâ ſextâ quatuor temporum.

Conſuetudine receptum eſt, vt Minores Ordines conferantur feriæ ſextæ veſpere, ante ſabbatum

ſabbatum quatuor temporum, aut aliud.

Quando cõferendi ſint maiores Ordines?

Ordines maiores non poſſunt conferri niſi ſabbato quatuor temporum, ſabbato ſancto, & ſabbato ante Dominicam Paſſionis. Ita Vaſquez *in 3. part. tom. 5. diſp. 246. cap. 5. num. 25.* ita & alij. Sed probabile eſt defectus commiſſos in receptione Ordinis, quovis tempore ſuppleri poſſe.

Et quando ſupplentur defectus?

Actio Ordinalis.

MMMDCLXIV. *Miniſtri ſunt Epiſcopi & Abbates.*

MInister ordinarius huius Sacramenti eſt Epiſcopus. Minores Ordines conferre etiam poſſunt in ſuis titulis Cardinales Presbyteri. Ita Noctinot *in Summâ Diana verb. Cardinalis num. 39. & verb. Ordo. n. 41.*

Abbates Ciſtertienſes conferunt minores Ordines:

De authoritate Abbatum multi dubitant, at hodie ſumus in poſſeſſione, & minores Ordines noſtris ſubditis, & aliorum ſubditis ſuorum ſuperiorum facultate conferimus: & in Ordine Ciſtertienſi Abbas Ciſtertij, & quatuor Co-abbates poſſunt non ſolùm minores Ordines, ſed etiam Diaconatum & Hypodiaconatum conferre, & huius poteſtatis vſus eſt in viridi vſu, & cognovi aliquos, qui ab eiuſmodi Abbatibus fuerunt ad Ordines maiores evecti.

An etiam Diaconatũ, & Hypodiaconatũ? Epiſcopus an debeat eſſe proprius?

Epiſcopus debet eſſe proprius, aut habere licentiam à proprio, ſub ſuſpenſionis pœnâ. Sed quis dicitur proprius? qui eſt loci nativitatis: qui loci domicilij; qui loci beneficij, etiam tenuis & reſidentiam non requirentis.

An celebrare Ordines poſſit in alienâ diœceſi?

In alienâ autem diœceſi non poteſt ordinare ſine licentiâ Epiſcopi diœceſani, aut eius Vicarij: & ſede vacante, Capituli aut Officialis. Qui in alienâ diœceſi invitatur ad ordinandum ſubditos illius diœceſis, poterit ibi ordinare etiam ſuos.

Passio Ordinalis.

MMMDCLXV. *Quinam ſint iſtius Sacramenti capaces? Dubium incidens.*

DE ſubiecto egi, quando de qualitatibus & circumſtantiis prærequiſitis diſputavi. Modò ſpecialiter inquiro, *An ſit ſubiectum capax Ordinis ille, quem Epiſcopi proteſtatio ex ludit?* Vt intelligas dubium, adnotato, ſolere Epiſcopos interdum præcipere ſub pœnâ excommunicationis & nullitatis, ne quis accedat ad Ordines cum oculto aliquo impedimento: & proteſtari ſe habere poſitivam voluntatem non ordinandi obnoxium tali impedimento.

N. B. Vt valorem Ordinationis tueantur aliqui ſic diſcurrunt.

Reſpondeo eiuſmodi proteſtationes à multis omninò damnari: & cùm plurimis ſint obnoxiæ ſcrupulis, omitti debere, vel poſſe. Addo certum videri Ordinem non tenere, Si Epiſcopus vere habeat voluntatem, qualem proteſtatur. Ita Lugo *de Sacram. diſp. 81. ſect. 7. num. 119.* nec contrarium probabiliter defendi poteſt. Sed nondum dubio ſatisfeci, quia ſtatim inquiris, *An Epiſcopus habeat voluntatem, quam dicit?* Poſſet quis affirmare, ne dicat Epiſcopum contra mentem procedere: poſſet negare, & eumdem fortè excuſare aliquâ reſtrictione. Lugo directè reſpondet in tali caſu Epiſcopum debere conſuli de intentione: ſi id fieri nequeat, iterandum ordinem ſub conditione. P. Gabriel de Santander, tunc Theologiæ Profeſſor, nunc Hydruntinus in regno Neapolitano Archiepiſcopus, interrogatus Salmanticæ in ſimili caſu, An eſſet conſulendus Epiſcopus? reſpondit, conſulendum non eſſe. Cùm, quia præſumi debebat Epiſcopum eſſe prudentem: tum quia illi irrogaret injuriam, qui ab eo auderet petere, an habuiſſet intentionem, quam imprudentiæ omnes, & aliqui gravis culpæ condemnant. Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 1. dub. 17. num. 171.* exiſtimat illam proteſtationem explicandam eſſe de impedimentis, quæ Epiſcopus cognoſcit, non de iis, quæ ignorat: & Diana Præpoſito libenter adhæret *part. 5. tract. 13. reſ. 66.* Sed non videtur habere fundamentum hæc doctrina, non enim ad proteſtationem & intentionis expoſitionem devenimus, quando extrinſecè conſtat de re, & ponere remedium poſſumus. Ergo contrarium omninò dicendum eſt, & aſſerendum proteſtationem illam præmiſſam ab Epiſcopo debere intelligi de impedimentis ſecretis & occultis: quam ob rem, qui impedimento publico obſtringeretur, & non obſtante hac proteſtatione ab Epiſcopo promoveretur, validè promoveretur: nam diceretur Epiſcopus mutaſſe dictamen & diſpenſaſſe cum illo.

Tametſi Epiſcopus, aut Secretarius nomine Epiſcopi, illam fecerit proteſtationem, quando Epiſcopus aliquem ordinat in particulari, habet abſolutam & determinatam intentionem illum ordinandi. Ille igitur præmiſsâ proteſtatione non obſtante remanet ordinatus.

Hæc autem ratio non ſubſiſtit, quia ſi ſeriò poſita fuit proteſtatio, ſemper conditionatam Epiſcopus, & nunquam habet voluntatem abſolutam aliquem ordinandi. Ergo illam proteſtationem non eſſe ſeriam, ſed comminatoriam dicendum eſt.

Salmanticæ dum ibi ſtuderem Theologiæ Richardelius invalidè fuerat profeſſus, & conſcius huius impedimenti, adeoque ſine vero titulo ad Subdiaconatum evectus, nimirùm ab Epiſcopo proteſtante ſe non habere intentionem aliquem ordinandi, qui titulo vero careret: obtinuit vt à Religione dimitteretur: &, vt ſe à Subdiaconatu exoneraret, conſuluit viros doctos & inter alios Angelum Manriquem, tunc Moralitatum Interpretem, poſteà Primarium Vniverſitatis Profeſſorem, & rogavit Primò, *An eſſet verè Subdiaconus:* Secundò, *An ſi Manriquo videretur eſſe verus Subdiaconus, non etiam videretur, poſſe probabiliter dici contrarium?* Eram Manriqui diſcipulus & amicus, & vidi eius Reſponſionem, quâ dicebat ad primum, Richardelium non obſtante proteſtatione Epiſcopi eſſe verè Subdiaconum: ad ſecundum, contrarium non eſſe probabile: nam eiuſmodi proteſtationes proferunt Secretarij ex conſuetudine, & ad terrorem, nihil ſimile cogitante aut præcipiente Epiſcopo. Ex quâ reſolutione habuit Richardelius, quod ne probabile quidem potuerit matrimonium inire.

N. B. Nomẽ *Comminatoria* mihi in memoriam revocat excõmunicationem, quam *comminatoriam* appellant. Et tu interrogas, Quid illa ſit? & An prudenter fulminetur? Reſpondeo ad ferendas cenſuras advertentiam & intentionem requiri. Leand *p. 4. tr. 2. diſp. 3. q. 45. p. 17. a.* aſſerit. *ex cap. cum voluntate, de ſent. excommun.* cõſtare [quod quoties Prælatus ſub cenſurâ aliquâ præcipit, non eâ intentione, ut à tranſgreſſoribus præcepti contrahatur, ſed ſolùm ad inferendum metum, ſeu exaggerandum rem, quæ præcipitur, tunc reverà non incurritur cenſura, & hæc ſolet comminatoria appellari. Ita omnes DD.] Et citat Suarium [qui admonet Prælatos, ne iis comminatoriis cenſuris utantur: cùm, quia eo ipſo quod verâ intentione, non procedunt, fictionem quamdam continere videntur; tum etiam, quia fieri facile poteſt, ut eâ occaſione nonnulli ſimpliciores ex conſcientia erronea graviter peccent; alij verò, qui perſpicaciores ſibi videntur, interdum veras cenſuras contemnant. Sic ille: & bene.]

Digitized by Google

Effectvs Ordinalis.

An Caſtitatis votum, an verò præceptum maioribus Ordinibus adnexũ ſit?

OMnis Ordo confert characterem: etiam gratiam ex opere operato, ſi recipiens ſit debitè diſpoſitus, & concedit Canonis & Fori privilegia, quæ quia multa, nota, & alibi à nobis explicata, non debent in præſentiarum poni.

De obligatione recitãdo Officium Divinum.

Maiores Ordines, quos vocant, involvunt tacitè aut etiam expreſsè ſi velis, ſolennem obligationem Caſtitatis ſervandæ, ac propterea Cælibatum perpetuum. Vtrum hæc obligatio à voto ſolenni, an verò à præcepto ſolenni proveniat, quærunt Theologi; & utrimque rationes graves, & difficiles obiectiones reperiunt: unde doctè concludunt, utrumque videri probabile.

Maiores præterea Ordines afferunt ſecum obligationem recitandi Canonicum Officium, & hoc mero obedientiæ nomine: non enim ex iuſtitiâ tenetur, qui nihil pro lectione recipit: & hoc dixero etiam ex hypotheſi, quòd Sacerdotes orare pro populo teneantur ex Iure Divino, nam Ius illos Divinum ad tales determinatè orationes non obligat. hæc enim obligatio tota eſt à Iure Pontificio.

An Caſtitatis aut præceptum aut votum tacitum ſit, an poſſit expreſſum vocari?

Sanè Subdiaconos, Diaconos, Sacerdotes & Epiſcopos tacitè ad caſtitatem obſtringi communis affirmat ſententia; & poteſt eruditè defendi: at videretur poſſe hanc obligationem dici expreſſam, ſiquidem promovendi ad Subdiaconatum monentur obligationes ſtatui & dignitati adnexas, & his verbis præcipuè. *Filij dilectiſſimi, ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem promovendi*, inquit Pontifex antequam illos advocet, vel admittat, *conſiderare debetis attentè, quod onus hodie ultrò appetitis. Hactenus enim liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcularia vota tranſire: quod ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, ampliùs non licebit à propoſito reſilire, ſed Deo, cui ſervire regnare eſt, perpetuò famulari, & caſtitatem illo adiuvante ſervare oportebit, atque in Eccleſiæ miniſterio ſemper eſſe mancipatos. Proinde dum tempus eſt, cogitate; & ſi in ſancto propoſito perſeverare placet in nomine Domini huc accedite.* Conſiderate quæſo verba ſingula, & videte an expreſſiùs & clariùs poſſit Pontifex obligationem ſervandi Caſtitatem proponere. His auditis, qui volunt ad Subdiaconatum promoveri, accedunt, & coram Pontifice genua flectunt, adeoque onera Subdiaconalis Ordinis ſcientes & volentes acceptant. An-ne implicitè & tacitè? Erit quæſtio de nomine. Acceptant illud quidem taciti, non enim vel verbulum proferunt; at manifeſtè & clarè: ſunt enim tam indubitatæ conſignificantes circunſtantiæ, ut nulli locus dubitationi relinquatur.

N. B. Dixerat Archidiaconus, *Accedant, qui ordinandi ſunt Subdiaconi*. Acceſſerunt, & accedendo publicè, ſe ordinari velle publicè profeſſi ſunt. Modò inquit Pontifex, *ſi in ſancto propoſito* (nempe, habendi obligationẽ ſervandi Caſtitatem) *perſeverare placet accedite*. Accedunt publicè. Ergo ſe illam admittere obligationem publicè profitentur.

Proponuntur quinque ſummè neceſſaria Quæſtiones.

MMMDCLXVII. Ex hac voti ſolennis & præcepti-ſolennis differentiâ oritur ut quinque Quæſtiones uno ab aliquibus Doctoribus modo, alio ab aliis tractentur, reſolvanturque: & ab aliis interdum confundantur. Illæ ſunt. Prima & Fundamentalis, *An Subdiaconi vi voti, an vi præcepti teneantur Caſtitatem ſervare?* Secunda. *An Carolus, qui per metum cadentem in conſtantem virum, iniuſtè incuſſum, Ordines Sacros ſuſcepit, teneatur lege continentiæ, ita ut non poſſit matrimonium contrahere?* Tertia. *An puer, qui ante uſum rationis ordinaretur, maneret ad caſtitatem obligatus?* Qvarta. *An adoleſcens, ſi ordinaretur ante ſextum-decimum ætatis annum.* Qvinta. *An Religioſus ad maiores Ordines promotus, ſi fortè in carnis peccatum labatur, teneatur circunſtantiam Ordinum Sacrorum exponere, an verò ſatisfaciat dicendo tantummodò ſe eſſe Religioſum?* Reſpondeo ex ſolutione Primæ, cæterarum intelligentiam & deciſionem pendêre.

An Hypodiaconi votum Caſtitatis emittant?

Primam reſolvit S. Thomas *in 4 diſt. 37. quæſt. 1. art. 1.* dicendo, non ex Eccleſiæ conſtitutione, ſed ex voto implicito Subdiaconos ad Caſtitatem obligari. Suum Magiſtrum ſequitur Cajetanus *tom. 1. opuſc. tract. 27. quæſt. unic.* Navarrus *in man. cap. 22. num. 52.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 27. quæſt. 2. num. 10.* & *tom. 2. in Decal. lib 1. cap. 6. n. 2. & 3.* Dicaſtillus *tract. 6. diſp. 1. dub. 26. à num. 386.* Vaſquez *tom. 3. in 3. part. diſp. 249. cap. 1. & 3.* Baſilius *lib. 7. de matr. cap. 27. num. 7.* Si velis ſcire, quomodo emittatur hoc votum, id exponit Leander *part. 2. tract. 6. diſp. 13. quæſt. 3. pag 63.* dicens. [Qui Subdiaconatum voluntariè recipiunt, non verbis, ſed facto, continentiam, quam norunt illi eſſe adnexam, implicitè Deo vovent.]

Quando, & quomodo emittant?

An teneatur votum emittere?

Sed quid, ſi Petrus dicat, Ego volo Ordinem recipere, ſed emittere votum non volo. Tenetur emittere ait Philibertus *tract. 2. part. 6. capit. 8. diff. 6. num. 3.* Sed cur? reſpondet. [Dicendum eſt, Eccleſiam omnibus ad Subdiaconatum promovendis præcipere, ut volentes hoc Ordine initiari, ſimul in ipsâ Ordinatione Deo continentiam promittant; conſequenter præcepit illis immediatum continentiæ votum: non abſolutè, quia eſt de conſilio, ſed ex ſuppoſitione, quod velint ad Subdiaconatum elevari.]

An præcipi Conſilia poſſint?

Quid, ſi vovere Petrus nolit?

Sed cur quæſo ſe implicat, præceptum & votum ponendo? Quid enim erit, ſi adhuc hoc ipſo præcepto poſito dicat Petrus, Ego nolo vovere? obligabitur-ne voto, quod non emiſerit? Audi Ancyranum Concilium ante Nicænum celebratum, & à Leone IV. approbatum (& adducitur ab Amico *tom. 8. diſput. 22. ſection 12. pagin. 27. b. num. 86.*) inquit enim *Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipsâ ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe coniugio copulari, quia ſic manere non poſſunt, hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea quòd eis Epiſcopus licentiam dederit.* Ait Amicus. [Ergo, ſi in hoc Epiſcopus diſpenſare poterat, non erat Iuris Divini, in quod Epiſcopus nullum diſpenſandi ius habet.] Ergo, ſi Epiſcopus poterat diſpenſare, inquam ego, à voluntate Epiſcopi veniebat obligatio. Non ergo à voto. Ergo quærenda eſt via ſecurior meliorque.

MMMDCLXVIII. Eam nobis aperuit Sotus *in 4. diſtinct. 37. quæſt. unica* quem Paludanus *ibid. quæſt. 1. art. 2.* & *diſt. 38. quæſt. 2. art. unic num. 12.*

Valentia

An Subdia conu ſolẽne præceptum imponatur?

An poſſit non acceptari?

Valentia *in 3. part. diſp.9. queſt.5. punct.5.* & alij Viri docti ſequuntur, dicentes, Eccleſiam ſolenniter præcipere ad majores Ordines promovendis ut Caſtitatem obſervent: ſolenniter quidem, quia hoc ipſum præceptum eos reddit incapaces ad matrimonium. Et hoc præceptum ab acceptatione non pendet. Sicut enim jubet Eccleſia, ut legant Officium Divinum, nec eſt liberum Petro acceptare Ordines, & obligationem Officij recitandi rejicere: ſic nec erit liberum acceptare Ordines & non acceptare Caſtitatis obſervandæ præceptum.

Aliter de cœlibu, & aliter conjugati Ordinatione philoſophandũ eſt.

Si objicias *cap. Nullum* 1. *&* 2. *diſt.* 28. & Gloſſam *ibi.* ſe non tangi reſpondebit Scotus, quia in illis de conjugatis, qui ordinari volebant, agitur, & debebant ratione uxoris multa conſiderari, quæ non habent locum, quando ordinantur cœlibes.

Amicus loc. citat. ſection. 13. pagin. 29. num. 90. judicat utramque opinionem eſſe probabilem, cui & ego libenter ſubſcribo.

An votum ſolenne, per metum juſtũ extortum, ſit validum?

Secundam reſolvit male Machadus, nam putat ad Ordines majores promotos voto Caſtitatis obſtringi, & exiſtimat, hoc votum, ſi per metum juſtum extorqueatur eſſe invalidum. Proponit Quæſtionem his verbis. *queda pues dudoſo entre los Doctores, ſi tambien eſta obligado al voto el que por miedo juſto ſe ordenó de Orden ſacro?* & reſpondet. *Probable opinion es, que ſi: pero mas comum y recibida es que no, por razon del defecto de la voluntad, que es la que conſtituye el ſer voto: pues ſegun derecho el que ſe haze con miedo juſto es ipſo iure nulo*, ut conſtat ex capit. Perlatum, capit. dilectus, de his, quæ vi metus, &c.] & citat pro ſe Sanchez *de matrim. diſp.* 25. *num.* 5.

MMMDCLXIX. *De metu perturbante.*

Male, dixi, hanc Quæſtionem à Machado reſolvi, nam metus juſtè incuſſus, niſi tantus ſit, ut hominem perturbet, & non relinquat libertatem ſufficientem ad peccatum mortale, non tollit quin obliget votum. Sed cur metum injuſtè incuſſum à metu juſtè incuſſo diſtinguimus, cùm uterque æquè libertati opponatur: neuter enim eam tollit, & uterque illam minuit. Amicus *tom.* 9. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *pag* 81. *a. num.* 11 Reſpondebit. [Ratio igitur non eſt defectus libertatis, quæ in utroque conſenſu reperitur ad matrimonium ſufficiens; ſed injuria, quæ reperitur in uno conſenſu, & non in alio. Et quia Iura ſubvenire intendunt injuriam paſſis, eſto uterque metus plenam libertatem impediat, ſolus tamen metus injurioſus irritat, &c.]

An Religioſus tenentur promoveri ad ordines præcipiente Prælato.

Sed neque Machadus bene Sanchezium legerat, quia oppoſitum docet *loc. cit. num.* 10. dicens. [Tandem prædicta de injuſtâ compulſione accipienda ſunt: ſi enim urgente neceſſitate compellat Prælatus juſto præcepto ad Ordines adſumendos, ſic compulſus tenetur ad continentiam & ad cætera Ordinum onera, cum nullam injuriam paſſus ſit? Quod bene docet Henriquez *lib.* 10. *de Sacram. Ordin. cap.* 14. *num.* 3. *comment. lit.* T.] Ego autem.

N. B. Metus, ut gravis dicatur, debet eſſe de re magnâ & verâ, ut docet S. Thom. in 4. diſt. 29. q. unic. ar. 2. ad 2. Cõſtat ex leg. nec timorem. 7. ff. de eo, quod metus causâ ibi. Si quis meticuloſus rem ullam fruſtra timuerit, per hoc Edictum non reſtituitur, quoniam neque vi, neque metûs causâ factũ eſt.

Reſpondeo primò. Si ordinati vi voti ſervare Caſtitatem tenentur, Carolus non tenetur: & ratio eſt quia votum per metum talem emiſſum eſt invalidum. Et ex hoc fundamento Carolum ab obligatione ſervandi Caſtitatem abſolvit Leander *part.* 2. *tractat.* 6. *diſput.* 13. *queſt.* 5. *pag.* 64. *a.* ubi pro ſe adducit Sanchezium, Azorium, Navarrum, Bonacinam, Ægidium, Granados, Villalobos, Vivaldum, Petrum à Sanct. Ioſeph. Dicaſtillum, Candidum, & Philibertum.

Reſpondeo ſecundò. Si ſervare caſtitatem ob ſacri muneris reverentiam ordinatis præcipitur, qui verè ordinatus eſt, Eccleſiaſticæ Conſtitutioni obedire tenebitur. Ergo Carolus tenebitur in caſu caſtitatem ſervare. Hoc ultimum docent Petrus de Ledeſma, Rebellus, Comitolus, Baſilius, Hurtadus, & alij: & niſi ex hoc fundamento doceant, non bene.

De eo, qui ante rationis uſum ordinaretur. An deberet Caſtitatem ſervare?

Tertiam reſolvit ex Scoti fundamentis Hurtadus *tract.* 6. *de Ord diff.* 16 aſſerens, teneri talem puerum ex lege Eccleſiaſticâ ad continentiam exteriorem ſervandam. Conſonant Baſilius, Paludanus, & alij.

Leander verò *loc. citat. queſtion.* 6. quia D. Thomæ fundamentis inſiſtit, puerum illum à ſervandi Caſtitatem obligatione liberat, & pro ſe Bonacinam, Sanchez, Granados, Vivaldum, Trulench, Candidum, necnon Dicaſtillum producit. Et ex Philiberto monet illi puero, poſtquam ad ætatem uſus rationis perveniſſet, dandam eſſe optionem, An permanere velit in ſtatu Eccleſiaſtico, an non. Si vellet, tunc teneretur ſervare Caſtitatem; ſi nollet, minimè, ſed poſſet ducere uxorem. Sed quid, ſi manere vellet in ſtatu Eccleſiaſtico, & non vellet vovere? Eſſet neceſſarium ad præceptum recurrere.

MMMDCLXX. *An ille, qui ante annum ſextum decimum ordinaretur?*

Quartam reſolvit Villalobos, Ordinatos voto obſtringi ſupponens: nam *tractat.* 14. *diff.* 14. *num.* 4. ſic inquit. *Lo miſmo ſe ha de dezir, ſi ſe ordenaſſe un niño antes de los catorze años como dice Innocencio, Hoſtienſe, y el Abbad. La razon es, porque tan poco vale el voto en Religion aprobada antes de eſſa edad. Yañade Sanchez, que como el dia de oy por el Concilio Tridentino no vale el voto ſolenne de Religion aſta complidos diez y ſeis años, tam poco valdrá eſte.* Sanchez quem citat, *lib.* 7. *de matr. diſput.* 10. *num.* 8. notaverat [poſt Concilium Tridentinum idem dicendum eſſe de initiato Ordinibus ſacris ante decimum-ſextum annum expletum: nempe eum non teneri continere, ſed poſſe uxorem ducere.] Subſcripſit Innocentio, Calderoni, Ioanni Andreæ, Abbati, Henrico, Hugoni, Diaz, Majolo, & aliis.

Olim anno quarto-decimo ætatis vota ſolemnia emittebantur.

Ego autem, ſive voto, ſive præcepto ad Caſtitatem obligari Ordinatos dicamus, illum adoleſcentem teneri aſſero. Et primò. Nam, ſi agatur de præcepto; ſiquidem hoc paulò antè illi, qui ante uſum rationis fuit ordinatus

Adoleſcenti ante ſextum-deci-

...mum ætatis annum poſſunt præcepta imponi.

Poteſt & voto obſtringi.

Concilii de ſolo Regularium votis agit cùm ſedecim annos poſtulavit.

An eius Decretum Ordines Militares includat?

ordinatus, imponi vidimus, adoleſcenti qui cum plenâ deliberatione ad ſacrum Ordinem adſcendit, imponi poſſe non negabimus. Et, ſi agatur de voto, omnia vota obligare aſſero, quæ plenâ deliberatione emittuntur, niſi detur Canon, qui illud irritet. At in voto ille adoleſcens habuit plenam deliberationem, & nullus eſt Canon, qui illud irritet. Ergo votum eſt validum. Si dicas hoc votum eſſe ſolenne, & ſolennia ante expletum ſextumdecimum ætatis annum poſt Tridentinum Concilium non emitti: reſpondebo, Concilium non agere de omni voto ſolenni, ſed de Religioſo, quod tres ſimul obligationes continet (nimirùm Obedientiam, Paupertatem, & Caſtitatem obſervandi) nec de omni Religioſo, nam Ordines Militares lege illâ non comprehendi Sacra Cardinalium Congregatio decidit. Ergo, ſi in S. Ioannis Ordine (nam hoc exemplum Cardinales in ſpecie proponunt) ſolennia vota emittere ante ſextum-decimum ætatis annum poſſunt Equites, id à fortiori poterunt Clerici, qui ad Ordines majores promoventur. Ergo bene illum adoleſcentem teneri ad continentiam, Baſilius, Vega, Sotus, Cajetanus, Sayrus, Ægidius, Bonacina, Triullench, Leander, Candidus, & Philibertus aſſeverant.

MMMDCLXXI. An obligetur aliquis voto & præcepto ſimul?

An circa hoc aliquid Tridentinum ſtatuat?

QVINTAM reſoluturus Amicus *tom 8. diſp. 22 ſect. 11. pag. 29. b. num. 91.* ſic inquit. [Eccleſia Sacros Homines ad continentiam non adſtringit duplici vinculo præcepti, & voti ſimul: ſed aut voti, ſi illud emiſerint; aut præcepti, ſi non emiſerint.] Et probat ex Tridentino *ſeſſ. 24. ca. 9.* ubi ſic legitur. *Siquis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares Caſtitatem ſolenniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſticâ vel voto.* Sed verba disjunctiva Concilij non probant quod intendit Amicus: nam vel legem Eccleſiaſticam ad Clericos, & votum ad Religioſos retulit: vel utroque obligari aſſerit, utrum autem lege vel voto indeciſum reliquit.

Quomodo peccet & confiteri Sacerdos Religioſus debeat, ſi fortè caſtitatem violet?

An eodem modo Amicus, de Religioſo, qui ſuſcipit Maiores Ordines, ac de Sacerdote, qui fit Religioſus, & ſolennem profeſſionem emittit poſſit philoſophari.

Ego autem ſic ex ſuppoſitione definio. Si majoribus Ordinibus eſt votum Caſtitatis adnexum Religioſus Sacerdos, cùm Caſtitatem violat, gravius peccat, quàm qui non eſt Sacris initiatus Ordinibus, at hæc circumſtantia non mutat ſpeciem; & ideò non eſt in confeſſione exponenda. Cæterùm, ſi majoribus Ordinibus præceptum adnexum dicatur Religioſus Sacerdos, ſi laſciviat, præter ſextum Decalogi præceptum, votum ſolenne, quia Religioſus; & præceptum, ſolenne, quia eſt Sacerdos, violat; adeoque utramque in confeſſione circumſtantiam explicare tenetur. Si tandem Amici ſententia vera ſit, ſcio, quid ille dicat de Religioſo, qui ad Majores Ordines promovetur; aſſerit enim huic, quia jam Caſtitatem obſervare tenetur, non eſſe, cur imponatur præceptum, & ideò nullum imponi: at non ſcio, quid de Sacerdote dicet, ſi fiat Monachus. Hunc non emittere votum Caſtitatis, non dicet; nam ſolennis profeſſio tres neceſſariò virtutes (Obedientiam, Paupertatem, & Caſtitatem) includit. Ergo, etſi habeat præceptum votum emittit. Ergo habet duplicem obligationem. Eſt neceſſaria conſequentia; niſi dicat, aut præceptum Caſtitatem ſervandi in ſuſceptione Ordinum eidem impoſitum, fuiſſe conditionatum, & perennare quouſque ipſe votum Caſtitatis emiſerit; aut per ſolennem profeſſionem, ſicut Matrimonium ratum, ſic etiam ſolenne illud præceptum, quo prius obſtringebantur, dirimi; quæ omnia ſine difficultate dici poſſunt, at non ſine magnâ probari.

MMMDCLXXII. Effectus negativi. An Clericus poſſit eſſe Medicus? an Chirurgus? an Phyſicus?

Inter alios Ordinis ſuſcepti effectus etiam ſunt iſti negativi, videlicet, Non poſſe exercere Chirurgiam: Non poſſe Medicinam: Non poſſe Phyſicam. Chirurgia interdicitur omni Clerico, etiam ſi ad maiores Ordines non ſit promotus, ex *capit. ſententiam ne Cler. vel Monachi.* Medicina permittitur, hoc eſt, non interdicitur ad Ordines minores promotis, at prohibetur Subdiaconis & omnibus ad locum altiorem evectis, ex *capit. Sententiam ne Cler. vel Monachi* Solet tamen interdum Pontifex diſpenſare, ut patet ex *cap. 2. de poſtul.* & iis, quæ docet Squillante *de oblig. Cleric. part. 2. dub. 17. num. 12.*

An Clerici Phyſica ſtudere non poſſint?

Quid ſit Phyſica?

Conſtitutis etiam in maioribus interdicitur Phyſica, ſed cur? An ne Theologiam poterunt ſine rerum naturalium cognitione doceri? An-ne eſſe boni Sacerdotes, ſi ignorent Theologiam? Reſpondeo, Phyſicam quidem conſtitutis in ſacris interdici; at *Phyſicæ* nomine non intelligi Philoſophiam naturalem, ſed Medicinam: nam Luſitani in Hiſpaniâ Medicos ſuos nominant *Phyſicos*, & Bohemi Archiatrum, vel ut alij loquuntur, Protomedicum, appellitant *Phyſicum Regni.*

An poſſint Clerici publicè Medicinam audire?

An illam Preſbyteri exercere poſſint?

An ob præmium Epiſcopi?

Ægrotis ſerviebat S. Carolus.

Sanè Sacerdotes interdum Medicinam exercent ex licentiâ Pontificis, ut dicebamus. Novi aliquos: & noviſſimè Doctorem Semphronium Hiſpanum, Mariæ Auguſtæ Medicum; qui annuente Vrbano VIII. fuit ad Sacerdotium promotus & exercebat Medicinam, ut anteà. Erat bonus doctuſque & ad Epiſcopatum adſpiravit, & obtinuiſſet, puto, ſi voluiſſet Artem Medicam non exercere. At amicis omnibus videbatur indignum, quòd inter immunda ægrotum vaſa infulæ verſarentur; & indignius quod Epiſcopus induſtriæ mercedem reciperet, & ideò apud Cæſarem contradicebant. Cæterùm, ſi ipſe ſcientiam ſuam conſecraviſſet Deo, & gratis ſerviiſſet pauperibus, nec divitum palatia frequentaſſet, nemo votis eius reſtitiſſet, nam Sacerdotes & Epiſcopi pauperibus & miſerabilibus perſonis poſſunt ſervire & mederi, ſed gratis: quod & S. Carolum Borromæum feciſſe legimus, nec ideò in Archiepiſcopalem aut Cardinalitiam dignitatem peccavit. Sic loqui me docuit Novarius *de privileg. perſ. miſer. Privil. 83.* & Diana *part. 6. tractat. 7. reſol. 50.*

VBI ORDINALE.

MMMDCLXXIII. Quo loco debeant Ordines conferri?

DEbent conferri Ordines debito loco Epiſcopus in Eccleſiâ Cathedrali: aliquando etiam domi ſuæ in ſacello: & aliquando in aliquâ Regularium, quos vult honorare Eccleſiâ,

cleſiâ, ſolet illos conferre. Suffraganeus quia non ſemper in Cathedrali poteſt: ſolet in Monaſterio ſuo ſatisfacere Pontificali dignitati. Auſonius Noctinot *in Summâ Dianæ verb. Ordo, num. 36.*

An extra diœceſim?

Extra diœceſim ſuam Epiſcopus Ordines celebrare non poteſt: ſed quia urbanitas poſtulat, ut hoſpiti omnia iura cedantur, ſolet Pontifex loci non ſolùm concedere ut poſſit, ſed orare ut faciat: & poſitâ Ordinarij licentiâ, poterit ibi, non ſolùm eos, quos Ordinatus mittit, ſed etiam ſuos ſubditos promovere: quod ſuperiùs adnotaſſe me memini.

Situs Ordinalis.

MMMDCLXXIV.

Ordinum Ordo. De promotis per ſaltum. An qui aliquem minorem Ordinẽ interim ſerint, ſuſpẽſi ſint?

HAbent debitum ordinem Ordines, & ſumi debent gradatim: qui autem ordinatur per ſaltum (hic eſt, qui altiorem ſuſcipit intermiſſo inferiori) validè quidem ordinatur; ſuſpenſus tamen eſt in ordine ſuſcepto illegitimè? &, ſi illum exerceat, incurrit irregularitatem.

Ordinum Minorum intermiſſio excuſari à mortali non poſſet; at quia illi probabiliter dicuntur Sacramenta non eſſe An-ne ideò probabiliter omitti poterunt ſine ſuſpenſionis periculo? Doctores Authores non diſtinguunt. Conick *de Sacram. diſp. 20. dub. 10. concl. 4. pag. 672. b.* [Excepto Epiſcopatu, qui, ut ſupra dixi, eſſentialiter ſupponit, vel potiùs includit Sacerdotium, validè confertur Ordo ſuperior, non habenti inferiorem: ſed hoc illicitè fit: & ita ordinatus manet ſuſpenſus à ſuſcepti exſequutione: poteſt tamen Epiſcopus cum eo diſpenſare, ut omiſſum ſuſcipiat, & ita in utroque miniſtret, ac ad ſuperiores adſcendat, modò non exercuerit actus ſuperioris Ordinis ante ſuſceptum inferiorem. Patet *ex capit. unico, de promotis per ſaltum*, & Tridentino *ſeſſ. 23. capit. 14. de Reform.*]

Habere Ordinale.

MMMDCLXXV.

De Clericorum veſtibus. De earumdem colore.

DE Clericorum modeſtiâ & habitu multæ ſunt leges; & quia omnes obviæ, non eſt opus ut illas huc reponamus.

Quibus ornamentis debeant conſecrari: & quibus debeant Ordines & Officia exerceri, Pontificalia, Miſſalia, Cæremonialia, & Ritualia docent; & praxis quotidiana confirmat. Veſtes privatæ debent aut nigræ eſſe aut ſimillimæ nigris, non pretioſæ nec viles, nam modeſtia modum amat, & in medio conſiſtit. Interim, quia videmus interdum Sacerdotes cultu regio decoros, & alios mendicis aſſimiles, aliquid breviter dicturus ſum.

An pretioſas poſſint Sacerdotes habere?

Profanas Sacerdotum veſtes nec profani laudant nec Eccleſiaſtici: & quas in Presbytero ſæculari interdum tolerant, in regulari damnant, aut exſecrantur etiam, quia religioſi cæteris debemus modeſtiâ & pietate præire. Solent Abbates àliqui ſerico abuti, & damaſceno florido ornatis amici condolent, æmuli irrident, putaremus delirum Capucinum qui veſtiretur aureo panno: & Monachum, qui ſerico induitur, ſe ipſum, & ſuum Ordinem exponere ludibrio, ac proptereà inſanire putamus. Movemur viſis maximè: & cùm diſſolutas veſtes demiramur, & ad irrores oculos promovemus, eoſque eiuſdem coloris opinamur.

An abbates & Monachi?

MMMDCLXXVI.

An & quãdo viles & laceras geſtare deceat?

Viles & laceras damnamus, niſi ſuppetat ratio, quæ ipſam vilitatem cohoneſtet. *Colegial de manto roto*, Hiſpani dicimus, cùm virum aliquem nobilem, ob rationem glorioſam aut ſaltem congruam, veſte humili, aut lacerâ indui videmus. Et occaſionem epitheto dederunt Salmanticenſis, Complutenſis, & aliæ nobiliſſimæ Univerſitates. Habent ipſæ in Collegiis doctiores & nobiliores viros. Hi cùm admittuntur, recipiunt è Collegio unam togam (*manto* nos illam dicimus) quam nec mutare poſſunt, nec reficere ſolent: ſed geſtare debent quouſque inde egrediantur ad aliquam dignitatem promoti. Cùm ergo antiquiores in Collegio præcedant, & honoribus ſpecialibus perfruantur, ſequitur, ut toga lacera honores hos comitetur, & ex illâ junior ab antiquiore diſcernatur. Et hinc, quia in illis Collegiis habere togam laceram eſt honorificum, quem volumus in veſte humili eſſe honorabilem ſignificare *Colegial de manto roto* dicimus, ſumptâ ut dicebamus, metaphorâ à moribus Univerſitatum.

Quem, qualem & cur, Colegial de manto roto, nominemus Hiſpani? Manto, quæ veſtis ſit?

Qui veſtes gerit viles, ut habeat, unde eroget eleemoſynas, honeſtiſſimè veſtitus eſt.

Cognovi olim Antuerpiæ duos Sacerdotes, Eccleſiæ ſupremæ Canonicos, ditiſſimos habentes reditus, & tamen veſtes, quas mendicus contemneret gratis oblatas. Alter omnia dabat pauperibus, nihil ſibi reſervans, victu tenui contentus, ægrotis & egenis præſcripta à medicis liberaliſſimè ſubminiſtrabat: & quia miſeræ veſtes à contemptu propriæ commoditatis & charitate erga Deum & proximum, trahebant originem, erant in pretio & veneratione apud omnes; neminem offendebant, & ſingulos ædificabant. Alter congerebat theſaurum, & noctu diuque avaritiæ ſtudebat: & ideò ab omnibus contemnebatur.

Et quidem meo judicio, mediocres & modeſtas poſtulat dignitas & authoritas Sacerdotalis: ſericas etiam aliquando: ſed Religioſi, etſi ad Epiſcopatum promoveantur, materiam ab Ordine præſcriptam ne alterent, non enim illis Ordines & Epiſcopatus conferuntur, ut mores Regulares dediſcant, & ſint univerſis ſcandalo.

FVNDA

Digitized by Google

FVNDAMENT. LXX.

De Matrimonio.

MMMDCLXXVII. *An in matrimonio à ratione contractûs poſſit ſeparari Sacramentum.*

Quid Matrimonium ſit?

GENERALIS definitio iſta eſt, *Matrimonium eſt conjunctio maritalis inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.* Hæc coniunctio, ſi inter Chriſtianos, & præcipuè Catholicos contrahatur, eſt Sacramentum: non tamen ſemper; contrahentibus enim eſt liberum illud, ut merè politicum contractum, aut ut Sacramentum celebrare. Circa materiam, & formam huius Sacramenti variæ ſunt opiniones Authorum, requiri tamen eſſentialiter Corpora contrahentium, conſenſum, & ſigna ſenſibilia, traditionem, & acceptationem expreſsè, aut implicitè, certò tamen ſignificantia, indubium eſt; cæterùm utra ex his formalitatibus ſit materia, vtra forma, ſcholæ examinent.

Eius materia, & Forma. *Quid ſit certum?*

MMMDCLXXVIII. *Denunciationes. Præſentia Parochi. Impedimenta: alia dirimunt, & alia non dirimunt, ſed tantum prohibent.* Eſt celebris Quæſtio, quæ inquirit, *Quæ, & cur poſſit dirimentia ponere impedimenta?* Eã fusè ſub huius Fundamenti finem explicitam reperies. *Crimina, quæ impediũt Matrimonium.*

Poteſt fieri per procuratorem cuiuſuis ſexûs, & ætatis, modò habeat politicum vſum rationis. Denunciationes poſſunt omitti ex cauſa. Præſentia Parochi, vbi eſt Concilium Tridentinum acceptum, eſt conditio, ſine quâ non. Dantur obices impedientes, & dirimentes; cum illis illicitè contrahitur matrimonium, cum his illicitè, & inualidè. Impedimenta dirimentia Syluius *in addition. Theologiæ Paſtoralis Binsfeldij* §. 12. *de Matrimon. pag.* 136. & ex eo Leander de Sanctiſſimo Sacramento *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 9. *quæſt.* 10. ad verſus ſequentes reducit.

Poteſt per procuratorē celebrari. *Impedimenta Dirimentia.*

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſt.as,
Amens, Affinis, ſi Clandeſtinus, & Impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.

Sunt quindecim, & matrimonium dirimunt, ſi interueniant. Non dirimentia Impedimenta ſunt duodecim: quinque priora non habent ortum ex crimine, & continentur iſtis verſibus.

Impedimenta non dirimentia, ſed prohibentia.

Eccleſiæ vetitum: Nec non tempus feriatum:
Atque Catechiſmus: Sponſalia: iungito Votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Septem poſteriora naſcuntur, & repræſentantur his verſibus.

Inceſtus; Raptus ſponſæ: Mors mulieris:
Suſceptus propriæ ſobolis: Mors presbyteralis:
Vel ſi pæniteat ſolenniter: Aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc coniugium ſociandum.

N. B. Poſſunt eſſe leges, vi quarũ duo, etſi velint, copulari nõ poſſint: at dari nequeũt vi quarum duo inviti & nolentes copulentur de facto.

Quàm ſit neceſſarius vtriuſque ſponſi conſenſus?

Vide Leandrum *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 23. *quæſt* 1. Conſenſus eſt eſſentia Matrimonij. Non poteſt fieri humanitùs, vt altero aut vtroque invito Matrimonium verum contrahatur: vnde leges, ſiquæ ſunt de Conſenſu Politico, altiſſimè debent examinari.

MMMDCLXXIX. *Vnde matrimonium, & vnde Patrimonium dicatur.*

INCIPIAMVS à voce. MATRIMONIVM dicitur, quaſi *Matris munium* id eſt, *officium* velut *matrem muneris*, vel *monens*; PATRIMONIVM autem dicitur à Patre, & ſignificat hæreditatem. Cicero pro domo ſuâ. *Liberis autem noſtris ſatis amplum patrimonium paterni nominis, ac noſtra memoria relinquemus.* Dicitur autem *Patrimonium* à Patre, *Matrimonium* à Matre, quoniam divitias congregare virorum eſt, liberos autem concipere, parere, & nutrire, mulierum: vel, vt Gregorius IX. *in cap. literis de converſ. infidelium*, notavit. quia maiorem laborem & operam in filiis gignendis & educandis matres ſuſtinent.

MMMDCLXXX. *Quis legitimus filius, & quis illegitimus ſit?*

Filius legitimus dicitur, qui in legitimo matrimonio ſuſceptus. *Illegitimus* verò, qui extra matrimonium eſt habitus: Græci *nothon* appellant. Videntur Veteres caruiſſe nomine, quo illegitimum ſignificarent, ait enim Calepinus. [*Latinum tibi rei nomen* (*vt Cato quâdam Oratione teſtatur*) *non habemus; ideoque vtimur peregrino.* Virgilius lib. 7. *ſuppoſitâ de matre nothos furata creavit.*] A nothis dicitur *Nothia*, illa nimirùm hæreditatis pars, quæ notho datur. Sanè illegitimi à Græcis ἀπάτορες paſſim vocantur: dicuntur autem *ſine patre*, quia matrem noſcunt, & patrem

Nothus, quis ſit? *Nothia, quæ.* *ἀπάτορες, qui?*

 patrem

Digitized by Google

SP. quid ſignificet? Vnde ſpurius dicatur? patrem rariſſimè ſciunt. Hinc ſcitur cur in inſcriptionibus, his literis SP. illegitimus ſignificetur; quæ literæ *ſine patre*, & non *ſpurium*, vt crebrò leguntur, ſignificant.

Damnarunt nuptias veteres heterodoxi. Matrimonium Antiqui condemnabant Hæretici, & inter ipſos illud execrati ſunt Simon Magus, & eius adſecla Saturninus, quos ſequuti ſunt Marcion, Tatianus, & alij apud Irenæum *lib. 1. adverſ. hæres.* Et his Auguſtino aſſerente *lib. de hæreſib. cap. 46.* Manichei adhæſerunt. Item Priſcillianiſtæ teſte Leone Papa *Epiſt. 9.* & Albigenſes teſte D. Antonino *part. 4. titul. 11. cap. 7. §. 5.* *An fœminæ debeant eſſe communes?* Qui, ſi rem bene examinem, non delirabant eodem modo: nam Simon Magus, Saturninus, & eorum diſcipuli nuptias eſſe ſuperfluas judicarunt, voluerunt enim omnes fœminas eſſe viris vniverſis communes: alij verò tam ſtrictè ſextum Decalogi præceptum interpretabantur, vt omnem maris & fœminæ commixtionem ſceleris accuſarint, & tam propudioſam eſſe dixerint, vt non poſſet matrimonij celebratione cohoneſtari. *An-ne matrimonium ſit licitum?* At vtraque doctrina eſt hæretica, nam Matrimonium inſtituit Dominus *Geneſ. 1. 2. & 9.* Et in novo Teſtamento Matrimonij vinculum approbari videmus; nam *Matth. 19.* dicitur, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et *Ioan. 2.* *Aſſero: nam fuit inſtitutum à Deo, & elevatũ à Chriſto, & ab Apoſtolo dilucidatum.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus & Angelorum Regina Canæ in Galilæâ nuptias ſuâ præſentiâ honorarunt: & Apoſtolus *primæ ſeptimo* Corinthios inſtituit his verbis. *Si acceperis vxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit Virgo, non peccavit.* Et iterum. *Non peccat, ſi nubat. Qui matrimonio iungit Virginem ſuam, bene facit.* Et paulò antè dixerat, *Vnuſquiſque ſuam, vxorem habeat, Et vnaquæque ſuum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & vxor viro.* Et quia jam ſuo tempore aboriri incipiebant hæreſes, primæ ad Timoth. quarto eos qui nuptias condemnabant, condemnat; & quinto ait, *Volo* (permitto) *iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe.*

N O T A.

SI aliqua Materia Theologica eſt male tractata ab Authoribus, hæc eſt: & hoc ob multorum præiudicia. *Volui antecuriosum hæc notare, vt Lector miretur & non miretur cùm legit Recentiorũ volumina, vt miretur multorum confidentiã, qui reſolvũt ex tripode: & vt non miretur, cùm tantã opinionum varietatem apud doctos inveniat.* Qui clamant, *Matrimonium inter fratrem & ſororem v. g. eſt contra Legem Naturalem*, putant ſe iam diſputationem abſolviſſe, & nondum ſunt ingreſſi difficultatem: quoniam ANTE OMNIA adſignare debent certa & indubitata Principia ex quibus poſſimus diſcurrere & ratiocinari, quando agimus de contractibus, quos Lex Naturæ inhibet, & contractibus, quos etiam dirimit. Et hoc, quod nunquam faciunt, præſtito, probare DEBENT PRIMÒ id quod dicunt, nimirùm illud Matrimonium, de quo agimus, eſſe contra Legem Naturæ. DEBENT SECVNDÒ, Legem Naturæ Philoſophicam non diſtingui à Theologicâ: quæ enim contra Legem Naturæ purè Philoſophicam ſunt, non concernunt conſcientias. DEBENT TERTIÒ, Legem illam Naturæ eſſe ſupra Deum, ita vt non poſſit concedere Deus, vt ſine peccato teneretur. Et tandem, quando hæc omnia probaverint, nihil omninò habebunt, niſi etiam PROBENT QVARTÒ, hanc eſſe bonam conſequentiam, *Lex Matrimonium interdicit, Ergo & irritat.* Sicut enim leges humanæ multa Matrimonia interdicunt, quæ non irritant, ſic etiam poſſet contingere, quòd aliqua Lex Naturalis, non ſolùm Philoſophica, ſed etiam Theologica, interdiceret, quæ non dirimeret. Sanè in hac obſcuriſſimâ materia ea certa ſunt, quæ nos docet Eccleſia: ea facienda, quæ præſcribunt Canones. Si aliqua demonſtrentur, etiam illa erunt certa: at verò, quæ ſcriptores aſſerunt, quòd ſibi vera appareant, debent in examen vocari & ante probationem non admitti Adhæreo Ægidio Coninck *tom. de Sacr. diſp. 31. dub. 1. pag. 816. & ſæpe alibi*, cui deberent in hoc omnes Viri docti ſubſcribere. *Doctiſſima Ægidij Reſolutio, quæ ab omnibus Viris doctis vt Iuratum Principium admitti & ſuſcipi deberet.*

D I S P V T A T I O I.

De Sponſalium Naturâ & Proprietatibus.

MMMDCLXXXI *Sponſalia ſunt diſpoſitio ad matrimonium.* VT ſe habet ad Donationem Promiſſio, ita ſe habent ad Matrimonium Sponſalia, & poſſet aliqua ſponſalium imago in omni Sacramento inveniri, ſi Eccleſiæ videretur conveniens.

De Phariſæorum baptiſmo. Qualis fuerit? Cathecumeni ſe ad Baptiſmi ſuſceptionem præparabant, fortè & promittebant. Et omiſſo Phariſaico baptiſmo; non enim erat res ſacra, ſed inanis & vacua cerœmonia, vt habet S. Thomas *3. part. quæſt. 38. art. 1. ad 3.* *De Ioannis baptiſmo. Qualis fuerit?* ſanè Ioannis baptiſmus, qui dicebatur pœnitentiæ *Luc. 2.* Erat diſpoſitio ad baptiſmum Chriſti. Vnde Tabiena *in ſumm. verb. Baptiſmus 1. num. 2.* ait [Baptiſmus Ioannis dicebatur Pœnitentiæ, in quantum Ioannes dabat monita pœnitentiæ: & dicebatur Ioannis, quia ipſe ſolus baptizabat illo baptiſmo: vel quia non faciebat, niſi quod ſolus Ioannes potuiſſet facere: quamvis enim ille baptiſmus eſſet à Deo inſpirante vel inſtituente, tamen *An cauſaret gratiam?* non cauſabat gratiam, nec aliquid ſupra virtutem naturalem, ſed diſponebat homines ad ſuſcipiendum Chriſtum, & baptiſmum Chriſti, & ex conſequenti gratiam Chriſti. [Et Exorciſmus hodie eſt Sacramentale) ſeu προμυστήριον, Ante Sacramentum) Baptiſmi.

Baptiſmus eſt forma & diſpoſitio: forma quoad

An baptiſmus forma & diſpoſitio ſimul ſit?

quoad ſe conferens gratiam, hominemque ad recipienda cætera Sacramenta diſponens: quem ſequitur Confirmatio, quæ eſt quædam quaſi ſuſcepti baptiſmatis ratificatio.

Quomodo adulti ad recipiendum Sacramenta ſe præparent?

Poſſet Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta præcedere promiſſio, ita vt peccator ſe tali tempore eſſe confeſſurum, & Euchariſtiam ſuſcepturum polliceretur: ſed conſultius fuit præceptum ponere, vi cuius ad annuam confeſſionem & communionem vniverſi tenentur. Cæterùm Pœnitentia eſt ad Communionem diſpoſitio, & adulti vt alia recipiant Sacramenta, Confeſſione, aut etiam Communione ſe præparant.

Quâ mente debeat quis accipere primam tonſuram?

Ledeſma *tom. 2. tract. de Sacram. Ordi. c. 7. concl. 2.* exiſtimat eum, qui primâ tonſurâ initiatus, tacitè polliceri ſe convenienti tempore ad Ordines alios adſcenſurum, vnde illum, qui non adſcendendi ad Sacerdotium animo, ſed ſolùm gaudendi fori & gabellarum vitandarum deſiderio promoveretur, mortaliter peccaturum affirmat: probatque ex Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 4.* eos enim tantummodò permittit ad tonſuram admitti, *de quibus probabilis coniectura ſit, eos non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.* Sed aliquibus diſplicet tantus rigor, aſſeruntque Concilij verba non eſſe præceptiva ſed conſultiva. Ita Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 7. diſp. 31. num. 16. & 17.* Diana *part. 1. tract. 16. reſol. 20.* Cotonius *in ſumm verb. Ordo. num. 29.* Et, ſi Concilij litera conſideretur, de inquiſitis aut obnoxiis inquiſitioni, qui fugere iudicium, & promeritam pœnam evadere agit, non autem de illis, qui eſſe Clerici volunt, ne publicis graventur oneribus.

Quoſnam à Clericatu arceat Tridentinum?

De diſpoſitione ad Ordines.

Quomodocumque autem verba Concilij intelligantur, ſemper manet primam tonſuram eſſe quandam ad minores Ordines diſpoſitionem: hoſque ſimiliter eſſe diſpoſitiones ad maiores.

De beneficiis, quibus eſt Sacerdotium adnexum.

Sunt etiam multa beneficia (puta parochialia & canonicalia) quæ habent Sacerdotium adnexum, quæ nemo admittit, quin ſe fore Sacerdotem tacitè compromittat. Vnde Sancta Synodus Tridentina *ſeſſ. 24. c. 12.* præcipit, *Neminem ad Dignitatem: Canonicatum, aut Portionem recipi, niſi qui eo ordine Sacro, quem illa Dignitas, Præbenda, aut Portio requirit, aut ſit initiatus, aut in tali ætate, vt infra tempus à Iure & ab hac Sanctâ Synodo ſtatutum initiari valeat.*

Reſolutio.

Ergo non eſt tam ſpeciale in Matrimonio habere præviam diſpoſitionem (hoc eſt, ſponſalia) quin etiam in aliis Sacramentis, modo congruo & analogo, etiam diſpoſitiones, aut etiam interdum promiſſiones, præmittantur. Conſono D. Thomæ, qui *in 4. diſt. 27. quæſt. 2. art. 1. ad vlt.* (apud Amicum *tom. 9. diſp. 29. ſect. 2. pag. 296. a. num. 6.*) aſſerit ſponſalia eſſe Sacramentale Matrimonij, *ſicut Exorciſmus Baptiſmi.*

An ſponſalia ſint Sacramentale?

MMMDCLXXXII.

Tribus modis Matrimonium promittitur.

Non omnis Promiſſio Matrimonij futuri intelligitur nomine *ſponſalium*. Nam, vel parentes de filiorum Matrimonio promittunt inter ſe: vel parentes vnius cum ſponſo altero: vel ipſimet ſponſi inter ſe. Et quidem tametſi omnes hæ tres ſponſiones debeant interdum conſiderari, ſola vltima eſt, quæ nomen *ſponſalium* ſortitur, &, vt illam dilucidemus hac paſſim vtimur definitione.

Quid ſponſalia ſint?

Sponſalia ſunt *Promiſſio libera & mutua Matrimonij inter perſonas legitimas contrahendi.* Singula verba expendamus: præcipuè, cùm ex eorum expoſitione multa ſint colligenda, quæ ſunt etiam Matrimonio communia.

Promiſſio & Propoſitum differunt.

Promiſſio.] Differt à promiſſione propoſitum: nam & hoc poteſt verbis externis ſignificari, & tamen nullam obligationem inducit: aliud enim eſt dicere, *Decerno, volo, deſidero, propono,* &c. Et aliud toto cœlo diverſum, *Promitto.* Hinc ſolvitur Quæſtio, quæ inquirit, *An poſſit Rex revocare promiſſionem futuræ ſucceſſionis in Proregem?* Negat enim Turrianus *in ſelect. part. 1. diſp. 29. dub. 6.* aſſerit Diana *part. 5. tract. 14. reſol. 74.* & ex eo Cotonius *in ſumm. verb. Promiſſio. num. 3.* Et Ego quæſtionem hanc Grammaticam eſſe pronuncio. Nam, ſi verè promiſit, tenetur: ſi verò intentionem ſuam ſignificavit (puta, ſi dixerit, *Ego denominabo te,* &c.) non tenetur: homo enim liber, poteſt voluntatem mutare.

An negare Rex poſſit ſubditis officia promiſſa?

De libertate.

Libera.] Liberum arbitrium, intellectum & voluntatem includit: & poſſunt eſſe ſponſalia aut etiam Matrimonia invalida cognitionis, nec non volitionis defectu.

De notitia requiſita.

Qualitas ſubiecti eſſe poteſt de ſubſtantiâ contractûs.

Deeſt ſemper neceſſaria notitia, vbi adeſt circa ſubſtantiam error. At ſæpe monui id quod eſt ſubiecti qualitas, poſſe eſſe de ſubſtantiâ contractus: nam, ſi emam pannum nigrum pro funere, non ſatisfaciet mercator, ſi mittat ad me rubrum æquè bonum: nam color, qui eſt qualitas panni, eſt de eſſentiâ contractus, nam in ipſo intrinſecè clauditur: non enim de quocumque panno, ſed de nigro contraximus. Sane nec ſponſalia, nec Matrimonium contrahes, niſi volens: nam, tametſi Eccleſia poſſit facere, ne contrahas, etſi velis (vbi enim adeſt impedimentum dirimens, non contrahes validè, etſi contrahere velis) non tamen poteſt facere, vt validè contrahas, etſi nolis. Vnde, ſi ita affectus, vt Antoniam hanc, quam habes ob oculos velis in ſponſam aut vxorem ducere, quia opinione tuâ poſſidet Comitatum N. quam, ſi illum non poſſideat, non vis ducere, hæc circumſtantia eſt de eſſentia contractus licèt non ſit de eſſentiâ perſonæ; & non valet voluntas, niſi purificetur conditio. Vidi magnos errores in hoc genere à Iudicibus effici: & egi cum aliquibus, qui non erant capaces, vt inter ea, quæ ſunt accidentia ſubiecti, & ea quæ ſunt accidentia contractûs differentiam perciperent.

Nulla humana poteſt facere authoritas, vt contrahat matrimonium, qui non vult.

Promiſſio conditionata non tenet, niſi purificetur conditio.

Quatuor Voluntas modis in promiſſione poteſt conſiderari.

Voluntas in Promiſſione duobus adeſſe modis poteſt: & duobus etiam deficere. Nam, ſi merè interna ſit Promiſſio, erit voluntas nullo extrinſeco manifeſtata: ſi autem externa ſit, per ſigna externa Promiſſario innoteſcet. Prætereà, ſi voluntas ficta ſit, deficiet in illa promittendi voluntas, vt ſiquis dicat, ſe velle, quæ non vult; aut promittere, quæ non vult promittere: &, ſi ſit per timorem extorta, deficiet in illa non voluntas, non libertas realis, ſed politica. Quæ omnia

Digitized by Google

omnia dilucidabunt Aſſertiones ſequentes.

MMMDCLXXIII.

De Promiſſione purè internâ: Quando obliget?

PRIMA. *Promiſſio merè interna facta Deo, Angelis, & Beatis obligat in conſcientiâ: facta homini non obligat.* Prior pars eſt certiſſima, nam Deo *omne cor patet, & omnis voluntas loquitur:* & orationes & vota noſtra Cælites vident in verbo. Poſteriorem partem probat Coninck *de Sacram.diſp.*12. *dub.* 6. *pag.*699.*a.num.* 34. [Debet enim Promiſſio ita fieri vt ad alterum dirigatur: quæ autem eſt merè interna inepta eſt, vt ad alterum dirigi poſſit, cùm humano illa modo ad ipſum pervenire non queat. Vnde patet non provenire ex Iure Poſitivo, (vt quidam putant) ſed ex naturâ rei (vt bene docet Leſſius *de Iuſt. cap.* 17. *dub.* 5.) quod talis Promiſſio non obliget. Idemque videtur dicendum de Promiſſione etiam externâ loco ſecreto nullo præſente prolatâ.

De Promiſſione ſecretâ. An obliget?

Promiſſionis ſpecies. An differat à Pollicitatione Promiſſio?

SECVNDA. *Promiſſio externa, quæ verbis aut ſignis exprimitur, in Acceptatam, & in Nondum-acceptatam; & in Non-acceptatam ſeu Recuſatam dividitur.* Promiſſio nondum acceptata eſt actus ſolius promittentis: & vocari ſolet *pollicitatio*. At verò acceptata & recuſata includunt actum promiſſarij, rem promiſſam habere volentis aut nolentis. Audi Amicum, qui *tom* 9 *diſp.*10 *pag.* 216.*n.*30. Sic inquit. [Promiſſio propriè & ſpecificè ſumpta diſcriminatur à pollicitatione, quod hæc, vt definitur *leg.pactum. D. de pollicitationib.* Eſt ſolius offerentis promiſſum, quæ etiam abſenti nullo acceptante fieri poteſt: illa, vt à pollicitatione diſtinguitur, acceptationem requirit *leg. ſciendum.* D. *de edilitio edicto.* ibi. *Dictum à promiſſo ſic diſcernitur, Dictum accipimus, quod verbo tenus pronunciatum eſt, nudoque ſermone finitur. Promiſſum autem poteſt referri ad nudam promiſſionem, ſeu pollicitationem* (at tunc non non propriè & ſpecificè, ſed impropriè & genericè ſumitur) *vel ad ſponſionem* (quæ quia acceptationem involvit, obligationem parit (*vt ibidem definitur.* Appoſitè & ad rem Acacius March de Velaſco *tom.*2. *verb. Promeſſa. reſol.*358. *num.*4.*pag.*651. hanc quæſtionem dilucidat. *Deveſe advertir con Villalobos* part.2.tract. 20. diff.1. num. 2 (ait) *que no todas las palabras de futuro ſon promeſſa: porque muchas vezes ſolo es declarar el animo; como, ſi uno dixeſſe,* Manana tengo de hazer tal coſa: *y muchas vezes ſon palabras de enmodimiento ſin terer animo de obligarſe, por lo qual dize el Proverbio,* Palabras de cumplimiento [a] no obligan. *En tonces ſe conocerá, que es verdadera promeſſa delas palabras, quando dixeſſe* Prometo de hazer tal coſa. *o* Doy mi palabra. *o otras ſemeiantes.* Ecce verba de futuro narrativè aliquando, & non ſemper promiſſivè dicuntur. Et quidem, narrativè aut recitativè dico *Dabo tibi iſtum librum*, niſi conſignificantes circunſtantiæ horum verborum ſignificationem alterent aut reſtringant, dictum in illis aut propoſitum, non autem promiſſio invenitur. Si dixerim, *Promitto tibi iſtum librum*, erit pollicitatio, Si taceas dicetur *nondum acceptata promiſſio:* ſi acceptes realiter aut moraliter, *acceptata* vocabitur: & *recuſata*, ſi illum nolis

Dictum ſeu propoſitum à promiſſione diſtinguitur.

Propoſitiones de futuro non ſemper promiſſivæ dicuntur.

a] Non videtur omninò contemnenda illa vocis *cumplimiento* etymologia, quæ aſſerit, dici *cumplimiento*, quaſi *cumplo y miento*, hoc eſt, *ſatisfacio & mentior.*

Promiſſio, vel eſt nondum acceptata, vel acceptata, vel poſitivè reiecta.

Quomodo polliceri differat à promittere.

admittere. Langius *in Floril. verb. Promiſſio*, aſſerit hanc inter promittere & polliceri differentiam conſtitui, vt polliceamur ſponte, rogati verò promittamus.

De Promiſſione Reciprocâ. Quid ipſa ſit?

TERTIA. *Promiſſio acceptata eſt Reciproca, vel Non-reciproca.* Reciproca, quando promittis, vt tibi aliquid compromittatur: vt, ſi te librum daturum promittas, ſi ille promittat dare gladium, &c. Non-reciproca, quando ex merâ liberalitate promittis: quando videlicet nihil tibi compromittitur à promiſſario: vt, ſi amico vnam veſtem promittas nullam illi obligationem vi huius promiſſionis imponens.

De Promiſſione recuſatâ.

QVARTA. *Promiſſio recuſata nullam obligationem inducit.* Eſt certa: homo enim etiam invitus poteſt à ſolvendi aut ſatisfaciendi onere liberari.

De nondum acceptatâ. An obliget facta Communitati?

QVINTA. *Promiſſio nondum acceptata, nondum obligat: & ſi ante acceptationem retractetur, non obligabit, etſi poſt retractationem acceptetur.* Patet: quia iam non erat, quando fuit acceptata. Nec contra militat doctrina *ex leg.*1. & *leg.pactum.*3. D. *de pollicitationib.* deſumpta: eſt enim verum, quòd promiſſio facta Eccleſiæ, Hoſpitali, Vniverſitati &c ſtatim teneat. nec revocari poſſit: at inde non poteſt inferri promiſſionem nondum acceptatam obligare aliquando, ſed Rempublicam, Eccleſiæ, Hoſpitalis, Vniverſitatis, &c. nomine omnes pias & favorabiles promiſſiones acceptare.

Et cur obliget? Quomodo acceptetur Promiſſio?

SEXTA. *Promiſſio acceptata obligat.* Sed quomodo, acceptatur promiſſio? Expreſsè, & tacitè: expreſsè cùm verbis expreſſis: tacitè, cùm prudentum æſtimatione, qui tacet conſentire videtur. Ita Cruz *part.*1.*p.*7.*art.*1. *dub.*1.*concl.*1. & Diana *part.*3. *tract.* 5. *reſol.* 116 *in fin.*

Quantum obliget? An ad mortale?

Et quantam obligationem inducet acceptata promiſſio ſi materia ſit gravis? Obligare ad mortale inquit Vaſquez *in* 1. *part. diſp* 85.*cap.*6. *num.*4. quia lædit Iuſtitiam legalem, quæ, præcipit vt ſervemur promiſſa. Et quia promiſſio eſt verè pactum, & qui pacta non ſervat poteſt excommunicari *ex cap.*1. *de pactis.* At Excommunicatio peccatum mortale præſupponit. Ergo non ſtare promiſſis eſt peccatum mortale. At Meratius *tom.*2.*de Iuſt. & Iur.diſp.*19.*ſect.* 10. cui Diana *part.*2.*tract* 17.*reſol.*9. & *part.*4. *tr.*4. *reſol.* 121. aſſentiri videtur, ſecluſo damno, venialiter eum peccare aſſerit, qui non implet promiſſa: non enim Iuſtitiam violat, ſed tantummodò Fidelitatem, hoc eſt, Veracitatem.

An excommunicari poſſit qui promiſſa non ſervat?

An in Iuſtitiam, an verò in Veracitatem delinquat?

Nomen Iuſtitiæ latè patet.

Poſſes Vaſquezium & Meratium ad concordiam reducere dicendo nomen illi *Iuſtitia* in generali acceptione ſumpſiſſe, ita vt etiam Præceptivam comprehendat, ſi enim ſerventur in Promiſſione requiſitæ Iuris ſolennitates: hoc eſt, ſi fiat authoritate publicâ cooperante: nimirum, coram Notario & teſtibus, obligare ad mortale non negabit Meratius, peccat enim mortaliter qui mentitur Reipublicæ.

An fidem publicam frangere ſit mortale?

Realis-ne, an verò perſonalis obligatio ex Promiſſione exoriatur?

Ex Meratij doctrinâ ſequitur hominem ex promiſſione obligare perſonaliter, non realiter: adeoque in ipſo & cum ipſo obligationem extingui, ſi enim Petrus tibi aureos centum

centum promiſit, quia non transfert dominium promiſſio, ſi tempore ſtatuto non donet, mendax erit, non fur: adeoque eius filius ad nihil tenebitur. Porrò obligationem ex promiſſione procedentem eſſe perſonalem tantummodò, Donatus Antonius de Marinis *part.1. Reſol. libr.1. cap.298. pag.536.* teſtatur dicens. *Promiſſio de celebrando aliquem contractum; interdum, &c. operatur; interdum vero ex tali promiſſione actionem perſonalem tantùm oriri contra promittentem ex infra dicendis apparebit.* Et poſt pauca.

An inscitè Promiſſio cū re promiſſâ confūdatur?

Ego dico, Promitto tibi vendere rem meam; *quia pretium deficit, talis promiſſio aliud operari non poteſt, niſi quod perſonali actione me convenire poſſis ad rem illam certo conſtituto pretio vendendam.* Et mox. *Molfeſius* ad conſuetud. noſtr. in titul. de renunt. quæſt. 10. num. 23. *licèt ibi Doctores aliud ſentientes citet, ſed eos non probat, & præſertim Ruini ſententiam, quam ruinam hoc caſu appellat, conſtituens etiam diſcrimen inter venditionem & promiſſionem de vendendo, ex ea enim, inquit, realem & perſonalem oriri actionem, ex illa perſonalem tantùm*

HIS PRÆMISSIS interrogas, *Quid dicendum de his, qui Promiſſionem cum Promiſſo confundunt?* Reſpondeo illos adlucinari, & ut oſtendam aliquas Promiſſiones produco.

An Promiſſio de re vendendâ ſit venditio?

MMMDCLXXXIV. Sanè Promiſſio de re vendendâ non eſt venditio. Ita Donatus *loc. cit. num.4.* Barz. *deci. 111. num.1.* nam vel res illa erat alienabilis, vel non. Si alienatio erat vetita prout eſt bonorum feudalium, promiſſio de vendendo ſine aſſenſu eſt nulla: & ideò ex eâ nullatenus agi poteſt ad intereſſe ob inobſervantiam. Et ſic eſſe deciſum contra Afflict. *in Const. 1. Conſtitutionem Divæ memoriæ*, teſtatur Dn. de Franch. *deciſ.48. Reg. Salernit. in voto poſt. 31. adleg. in fin. deciſ. fol.154.* Iacob. Gall. *conſ.112. num.14. & 18.* Fab. de Anna *conſ.75. num.17. & 18.*

Quid ſi res invendibilis ſit?

ſi autem illa res erat vendibilis & alienabilis, adhuc differet ab ipsâ Venditione Promiſſio, multa enim ad Venditionem requiruntur, quæ poſſunt in Promiſſione abeſſe.

An detur ſine pretio Venditio.

Nam, ut cætera omittam, pretium Venditio neceſſario requirit, *§.1. inſtit. de empt. & vendit.* quo poteſt carere Promiſſio. Et ratio generalis accedit, quod per verba de præſenti celebretur Venditio, & per verba de futuro Promiſſio, quoniam qui vendit, dicit, *Vendo*; &, qui promittit, *Vendam*.

An hæc verbis de præſenti, & Promiſſio verbis de futuro contrahatur?

An renunciandi promiſſio ſit Renunciatio?

Promiſſio de renunciando beneficio non eſt renunciatio. Vivius *deciſ. 329. in fin.* & probat *ex clem. 1. de renunciat.*

An fideiubendi Promiſſio ſit Fideiuſſio?

Promiſſio de fidejubendo non eſt fidejuſſio. Anton. Herting. *de fid. c.3. n.10.* quia non obſtante promiſſione, vellet indemnis reddi, nec de facto fideiubere, donec ſibi ſit cautum.

An hæreditatem renūciandi promiſſio ſit hæreditatis renunciatio?

Promiſſio de renunciando hæreditatem non eſt hæreditatis renunciatio. Molfeſius *loc. cit.* Galleras. *de renunciat. lib.1. cap.7. n.16.* D. de Marinis *loc. cit. num.15.* ubi ait [& ita aliàs fuiſſe deciſum per noſtram magnam Curiam habeo ex quibuſdam manuſcriptis magnorum ſuperioris ſæculi Advocatorum, ad favorem cuiuſdam Aureliæ de Afflicto, uxoris Alfonſi Regulani, qui præmortuus erat, & fuit admiſſa ad filij infantis ſucceſſionem amitâ paternâ penitùs excluſâ.] Pono caſum Mariolæ deſignatur dos congrua, ut renunciet hæreditatem: eſt filia familias, nec ſui juris & renunciare non poteſt. Ergo promittit ſe facturam renunciationem in legitimâ formâ poſt nuptias. At maritus fortaſſis impediet. Ergo compromittat maritus.

De puellâ, quæ poſt nuptias ſe renunciaturā hæreditatē fuit pollicita. An dicēda illa ſit renunciaſſe de facto?

Et, quid, ſi puella poſt nuptias renunciare hæreditatem nolit, & maritus dicat ſe feciſſe quantum potuit, & non profeciſſe? quid agendum? Dicendum, quod non eſt renunciatio renunciationis promiſſio. Et ſic ſæpe deciſum contra Afflict. *deciſ. 295.* teſtatur Præſes de Franch. *deciſ.624.* quem ſequitur Regens de Ponte *tr. de poteſt. Proregis, in titul. de ſucceſſ. mulier. in princ. n.10.* & ſubdit ad tollendas omnes difficultates fieri hodie pactum, quo maritus ſe obligat, tantum de proprio refundere, quantum uxor præter dotem à patris aut fratris hæreditate adquiſierit.

An & quādo mera cōtrahendi Promiſſio reputetur eſſe ipſiuſmet contractus celebratio?

MODO aperi oculos, & attentè lege ſequentes iſtas lineas quas ex D. de Marinis ſcribo. [Eſt apud omnes indubitata hæc Concluſio, nimirùm. *Quoties aliquis promittit facere aliquem contractum, in quo ſola contrahentium voluntas ſufficit, & promiſſionis tempore nihil repugnat, quin contractus celebrari poſſit, tunc talis promiſſio illum contractum inducit*, Ita Art. per illum text. *in l.1. n.1. ff. de pignor. act.* & Ruin. *in addit. ad l.46. Cato, ff. de verb. oblig.* dicens ita ſe conſuluiſſe, Alciat. *conſ.18. n.5. lib.8.* qui etiam dicit, hanc veram eſſe opinionem, ſequitur D Card Mantic. *de tacit & ambig. convent. lib.4. tit.3. n.14.*

An antefactum conſtituerit, qui conſtituere promiſit?

exemplum inter alia poni poteſt, quando quis Vxori ſuæ antefactum conſtituere promittit, hoc enim caſu cùm nihil in huius promiſſionis actu repugnet, quin principaliter conſtitui poſſit habetur ac ſi illud conſtitutum quod ſi vir uxori præmoriatur, antefactum illud debetur,

An ſimiliter conſtituerit dotem, qui conſtituere promiſit?

ita ait Sebaſt. de Neap. *in Conſuet. Quartam autem in tit. de iure quart. in verb. conſtitutam*, & ſic deciſum dicit Grammat. *dec.97. & 103.* cum aliis quos colligit Niger *in Cap. Regni Mulier, quæ dotarium, n.29.* ſic etiam tempore ſuo deciſum ait Vrſill. *deciſ.61. poſt. n.1.*

An donandi Promiſſio ſit Donatio?

& idem in promiſſione de dote Mulieri conſtituenda ut ſequuto demum matrimonio habeat effectum ipſius Conſtitutionis habeaturque pro conſtituta, ait deciſum Afflict. *deciſ.61. in princ. in 1. dub.* Surd. *conſ.457. ſub n.13. lib.4.* Cancer poſt alios quos citat. *Var. reſolut. lib.3. cap.15. num 253* & Franc. Niger Cyriac. *controu. forenſ. lib.3. controu.429.* & in promiſſ. de donando quod ſit vera & efficax donatio ſcripſit Iulius Clar. *in §. Donatio, q.14. n.6.*]

An ſponſalia ſemper à Matrimonio diſtinguantur?

Et cur non ex hac doctrinâ inferunt Sponſalia ſæpe à Matrimonio non diſtingui? Et tamen etſi Spōſalia coram Parocho & teſtibus inita ſint, & ſola contrahentium voluntas ſufficiat, ut illud fiat; & tunc nihil repugnet, quin Matrimonium iniri poſſit, ſponſalia Matrimonium non erunt; & hoc ex ſolo hoc capite, quod aliud ſit, *Accipiam te in meā*, & *Accipio*.

An ſponſus ad Matrimonium poſſit cogi?

Porrò, ſi Sponſalibus, ſi tempus præfixum, obſervari debebit: ſi nullum præſcribatur, illud præſcribet circunſtantiarum opportunitas. Et quid, ſi alter moras trahat? Niſi illæ causâ ſufficiente nitantur, petente altero Sponſo, alter poterit per Epiſcopum cogi & compelli.

Pp Concluſio

Digitized by Google

Poteſt ſtatuere Reſpublica, ut res promiſſa cenſeatur tradita.

Concluſio igitur, quam *apud omnes indubitatam* vocabat D. de Marinis, non eſt vera: & ſi de Iure Naturali agamus, non videtur probabilis. Conſulto meam hanc Cenſuram ad Ius Naturale reſtringo, nam ſi in aliquo Regno, aut Republicâ eſſet lex, quæ præſcribat, *ut res promiſſa, ſi non ſit cauſa differendi traditionem, habeatur pro traditâ*, in illâ obtineret doctrina Domini de Marinis. Interim, quia ex Iuris Cæſarei Regula X I V. ex Pomponio *lib.5. ad Sabin.* deſumpta, *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.* Si obſervari illa debeat, omnes Promiſſiones indefinitæ reſtringentur: adeoque, hæc Propoſitio, *Dabo tibi iſtum annulum*, per Regulam illam reſtricta, æquivalebit huic, *Hodie dabo tibi iſtum annulum.* At verò præſcindendo à reſtringente lege, erit Promiſſio indefinita ab ipſomet Promiſſore determinanda: Quam ob rem Iuri ſtando naturæ Concluſionem à D. de Marinis poſitam delerem, & eius loco hanc ſubrogarem, *Quoties promittit facere aliquem contractum, in quo ſola contrahentium voluntas ſufficit, & promiſſionis tempore nihil repugnat, quin contractus celebrari poſſit, tunc talis promiſſio manifeſtè declarat promittentem fictè promittere, & nolle rem facere, quam promittit.* Dices velle quidem contractum facere; ſed quia habet differendi rationes, ideò non contrahit nunc, ſed promittit. Reſpondeo hanc obiectionem non concernere ſubrogatam à nobis Concluſionem; nam, ſi ſunt rationes, ob quas debeat differri contractus, erit aliquid quod tempore promiſſionis repugnet, quin tunc poſſit celebrari contractus. Et quidem, ſi res bene conſideretur, modus ſuaviſſimus negandi, eſt promittere, quod dari poteſt. Caſſ. in quâdam Epiſt. *Quid honeſtius rem negare, aut longos terminos dare? terminum termino addere. Porrò eſt hic modus calidè negandi.* Et ficta promiſſio quantum valet? obligat-ne in conſcientia? & hîc ne æquivocatione præpediamur, ſcire debet aliud eſſe promittere puris verbis cum animo non promittendi; & aliud promittere cum animo quidem promittendi, ſed cum intentione non ſatisfaciendi. De hoc ultimo non movetur dubium, nam, *qui promittit cum animo promittendi, etſi habeat intentionem non ſatisfaciendi, manet obligatus:* Et ideo interrogas, *An, qui linguâ merâ promiſit, habens expreſſum animum non promittendi, teneatur ſtare promiſſis?* Et generaliter loquendo, *An, qui contractum inivit, cum animo non contrahendi (puta, qui domum vendidit, cum animo non vendendi, &c.) maneat obligatus contractu?* Aſſertio reſpondebit.

An hæc de facto per regulam XIV. Iuris Cæſarei præſcribatur?

An in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, adverbium hodie intelligatur.

M M M-DCLXXXV. *Vnde liceat colligere promittentē nō habere animum promittendi?*

An promittere ſit modus negandi?

De fictâ Promiſſione.

Aliud eſt ſine animo promittēdi, & aliud ſine animo ſatisfaciendi.

An Promiſſio ſit lex, quam ſibi promittens imponit?

An Promiſſio cum animo non promittendi facta, obliget in conſcientiâ?

Septima. *Vtrumque videtur probabile.* Patet: quia utrimque rationes & Authores ſufficientes militant.

Promiſſionem ſine intentione promittendi alteri præſtitam Sanchez *de matrim. tom.1. lib.1. diſp 9.num.5.* ſecluſo damno emergente, non obligare pronunciat: nam promiſſio eſt lex, quam ſibi promittens imponit: leges autem, ſi nolit, legiſlator non obligant. Conſonant S. Bonaventura *in 4. diſt. 38. artic.1. quæſt. 1.* Richardus *artic. 3. quæſt.2. ad 2.* Sylveſter *in ſumm. verb. Iuramentum 4. quæſt. 7. & verb. metus, quæſt.8.* & *verb. pactum quæſt. 4.* Navarrus *in ſumm. cap. 12. num.17.* Suarez alij. Et hujus olim ſententiæ fuiſſe videtur Cicero, qui *Offic. 1.* ait, *ſemper in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris cogitandum eſt.* Ergo, ſi nolebas promittere, etſi verba promiſſionem contineant, nihil te promiſiſſe dicendus es. At videtur inconvenientibus maximis expoſita hæc doctrina, quam ob rem oppoſitam tuentur Vaſquez *diſp.6. de matrim. cap.3.* Poncius *lib.1.cap.4.* Cajetanus *in 2 2. quæſt.88. art.1. §. ſcito* & *quæſt.89. artic.7. in fin.* Sotus *lib.7. de Iuſt. quæſt.1. art.2. poſt med.* & alij dicentes promiſſionem externâ acceptatam obligationem naturalem inducere, quam non poteſt tollere fallax promittentis voluntas. Firmat hanc doctrinam Iuramentum, cujus efficacia *22.q.5. cap.quacunque.* exponitur his digniſſimis verbis. *Quâcunque arte verborum quiſque iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit.* Authores, qui adhærent huic ſententiæ, pro illâ adigant D. Thomam *2.2. quæſt.89.art.7. ad 4.* & apud Amicum *tom.9.diſp. 19.ſect.2. pag.298. a. num.19.* ſic adſumunt. *Iuramentum ex naturâ rei independenter à voluntate iurantis affert ſecum obligationem faciendi verum, quod iuratur, &c.* Item *Obligatio, quæ ex iuramento naſcitur, non dependet ex intentione iurantis, ut in aliis contractibus, ſed ex naturâ operis, ſicut ex damno illato per ſe oritur reſtituendi obligatio, velit nolit damnum inferens.* ex quibus verbis hoc poteſt ratiocinium formari. Si Promiſſio ſine intentione promittendi, non eſt vera Promiſſio, ſic nec Iuramentum ſine intentione jurandi erit verum juramentum. Et, ſi hoc quacumque intentione eliciatur, Deus recipit, ſicut ille, cui juratur intelligit, etiam Promiſſio, quâcumque intentione emittatur, Deus ita accipiet, ſicut ille, cui promittitur intelligit. Ergo intentio in utroque (tam in Promiſſione, quàm in Iuramento) requiritur. Intentionem iurandi ad valorem Iuramenti requiri, ſupponebant Theologi, qui Regni Portugalliæ Manifeſtationem elimarunt: nam §. 52. ante fin. ſic inquiunt. *Aſſegurarſe hia com avel o Duque iurado por Rey a Dom Philippe? Nao he baſtante cauſa (podião reſponder) porque como era crivel, que hum Principe que tinha tal direyto, tiveſſe animo iurar outro Rey, que o não tinha? E he certo, que aſſi ſoy, porque o Duque por mandado de ſeu pay ſereniſſimo, pronuntiou as palavras com a boca, mas com o animo proteſtou, que não iurava. Et antes de o fazerem ordinarão ambos hum proteſto por eſcrito, invocando por teſtamunhas muytos Sanctos, que tinhão por auxiliadores particulares de ſua caſa.* Interim, quia hæc Luſitanorum opinatio eſt valde ſingularis, & magnis obnoxia inconvenientibus, dicamus homines humanitùs agere & verbis inter ſe vinciri, hæc enim important voluntatem, quæ vel de facto eſt, vel eſſe deberet. Occurrit hîc illa Regula Iuris, *Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.* Et ſic

An iuramenti ratio à iurantis voluntate dependeat?

An dicendū ſit non obligare, ſi ille, qui iurat, animum habeat non iurandi.

N. B. In Iberiâ Aſiæ (provincia eſt non, quæ hodie *Mengrilia* dicitur) ſumma adhibetur diligentia, ne teſtis ſciat per quā Sanctum eſt in tribunali juraturus: nam, ſi hoc præſciat, coram eius imagine orationes & muneta offert, & poſtulat peierandi licentiam: quam ſe obtinuiſſe putat: nam qui tacet, conſentire videtur. poſteà ad tribunal veniēs ſine ullo ſcrupulo peierat, & mentitur. Ita Miſſionarius Archangelus, in Hiſtoriâ Mengreliæ.

Regula 36.

discurro

diſcurro. Mecum paſciſceris: eſt tibi, ut puto, bonus animus: vel, ſi non pro bono habetur, ſiquidem à dolo habuit, quod bonus non eſſet.

De promiſſione ſictâ factâ amaſiæ.

MMMDCLXXXVI. Hinc *part. 3. tract. 4. reſol. 205.* infert Diana deflorantem Virginem ſub fictâ promiſſione conjugij, teneri illam ducere, etſi ſit ignobilioris conditionis, cui Antonius Cotonius *in ſumm. verb. Promiſſio. num. 3.* aſſentitur, licèt probabilem & tutam in praxi Sanchezij opinionem ſub initium vocarit.

Semper dãnum in Virginis defloratione invenitur.

Hæc Dianæ illatio eſt Reipublicæ utilis, ſolent enim Principes decipere puellas inferioris fortunæ, & poſteà ſe non habuiſſe promittendi voluntatem dicendo, ſuam conſcientiam componere, & eas ridere. At illos non ſolùm Vaſquez, Poncius, &c. ſed etiam Sanchez, Bonaventura, & alij concondemnant. Quoniam qui benignè loquuntur, ſemper damnum ſecludunt, & in fraudulentâ virginis defloratione ſemper clauditur damnum.

De Profeſſione ſolenni fictâ, quæ ſine animo promittendi fuit facta

Hinc etiam patet, quòd eidem ſtando ſententiæ, ſi contractus humanos puris verbis iniri, & non requiri internum animum, debeamus dicere, Religioſum, qui voluntate non promittendi vota ſolennia emiſit, non poſſe omninò liberum declarari.

Fiunt in Profeſſione ſolenni duo contractus.

Eſt enim duplex in ſolenni Profeſſione contractus; alter, qui Deum; alter, qui reſpicit Ordinem & Monaſterium: Et eſto, ille prior intentionem requirat, manere poterit in Regulâ generali hic poſterior. Ergo, qui fictâ voluntate vota emiſerit, ut ut non obligetur Deo, manebit obligatus hominibus (puta, Abbati, Generali, Summo Pontifici, qui eſt omnium Ordinum Generaliſſimus, &c.) & ſine horum diſpenſatione non poterit relinquere habitum.

De illis eſt diverſimodè philoſophãdum.

Et quid, ſi dicas Sanchezij opinionem eſſe probabilem, & poſſe illi Iudicem adhærere, & ſecundum illam pronunciare?

An taliter profeſſus liber ſit per Iudicis ſententiam declarandus?

Reſpondebo illud prius concedendo; & hoc poſterius negando: Eſt enim in poſſeſſione Religio; & contra poſſeſſionem nil proſunt Opiniones probabiles.

De ſponſalibus invalidis. An reddantur valida, ſi juramento roborantur.

MMMDCLXXXVII. Ex ſuppoſitione, quod internus conſenſus ad Sponſalium valorem requiratur, & iſte defuerit, Sponſalia erunt ficta, & nulla. Sed interrogas, *An valorem recipiant, ſi ſuperaddatur iuramentum?*

Doctores pro affirmativâ parte.

Affirmare videtur S. Thomas *in 2. 2. quæſtion. 89. artic. 7. ad 4.* quem ſequuntur Cajetanus *ibid.* Sotus *libr. 8. de Iuſt. quæſt. 1. articul. 7. §. At verò.* Covarruvias *de pactis 1. part. §. 5. num. 2.* Henriquez *libr. 11. de matr. cap. 13. in ſch. liter. Z.* Suarius *tom. 2. de Rel. lib. 2. cap. 7. & 8.* Leſſius *de Iuſt. libr. 2. cap. 42. dub. 6.*

Doctores pro negativâ.

Oppoſitæ adhærent S. Bonaventura *in 3. diſtinct. 19. arti. 3. quæſt. 1.* Scotus *quæſt. unic. §. de tertio, verſ. quantum*, Gabriel *quæſt. 1. articul. 2. concl. 5.* Ioannes de Medina *c. de confeſſ. quæſt. 48. ſub titul. de diſpenſ. ſuper Confeſſ. revel. §. ad 2.* Palatius *in 4. diſput. 29. diſput. unic. §. 2. arg.* Angelus *in ſumm. verb. Iuram. 5. num 28.* Sylveſter *verb. Iuramentum 3. quæſt. 2. & 4. quæſtion. 17.* Sanchez *libr. 1. de matrim. diſput. 9. num. 9.* Dicaſtillus *libr. 3. cap. 10.* Amicus *tom. 9. diſput. 29. ſection 2. pag. 298. b. num. 20.* conſonans doctrinæ quam *tom. 5. diſput. 17. ſect. 10. diſtinction. 6. in 2. edit.* tradiderat.

An utraque probabilis ſit?

Conſiderat utriuſque partis argumenta Richardus *in 4. diſt. 39. art. 2. quæſt. 1.* & aſſerit utramque eſſe probabilem.

An quæſtionis propoſitio ſit æquivoca?

Ego autem exiſtimo, omnes inter ſe convenîre, & mihi eſſe aſſenſuros omninò, nam eſt manifeſta allucinatio in ipsâmet Dubij propoſitione. Attende.

Poteſt promiſſio, aliàs invalida, diverſis juramentorũ formulis roborari. Singulæ examinantur.

Dixit Petrus, *Ego promitto te in uxorem ducturum*; non habuit intentionem promittendi: & promiſſio eſt nulla ex hypotheſi. Sed ais, Hanc promiſſionem juramento firmavit. Et ego audire volo, quid dixerit, ut ſciam, quid ſit promiſſionem juramento firmare. Potuit enim dicere (1) *Iuro me ſervaturum, quod verè promiſi.* (2) *Iuro me ſervaturum quod me audiviſtis promittere.* (3) *Iuro me ſervaturum, quod promiſi.* (4) *Iuro me te in uxorem ducturum.*

De primâ iuramenti formulâ.

Sanè, ſi prima verborum formula fuit obſervata, eſt inane juramentum; qui enim jurat ſe ea facturum, quod verè promiſit: ſi nihil verè promiſit, nihil ſe eſſe facturum jurat.

De mercatorum iuramentis.

Et tali verborum ſpecie me à mercatore fuiſſe in adoleſcentiâ deceptum memini, dicebat enim, *Iuro per Sacramentum, quod hodie recepi, hanc rem mihi ſtetiſſe tanti*, & verberabat aërem, ſiquidem non communicarat illâ die.

De formulâ ſecundâ.

Si fuerit poſita ſecunda formula, agebatur de promiſſione vocali; ergo illa vi juramenti erat implenda.

De tertiâ iuramentũ aut Promiſſio anceps, reſtringitur per petitionem.

Si fuerit tertia adhibita, illud *promiſi* eſſet ambiguum, ut interiorem & exteriorem ſignificaret: erat igitur per concomitantes & conſignificantes circunſtantias reſtringendum. Ergo illud *promiſi*, per verba illorum, qui hoc juramentum emitti poſtulabant, reſtringebatur. At illi de externâ, quam audiverant; & non de internâ, quam neſciebant, confirmationem poſtulabant, Ergo tertia forma debito modo reſtricta, incidit in ſecundam.

De quartâ formulâ.

Tandem, ſi uti placuerit quartâ formulâ non poterit eſſe dubio locus; nam illa non tam priorem promiſſionem confirmat, quam novam promiſſionem juratam ſeu juramentum promiſſorium conſtituit. Ergo etſi prior illa Promiſſio fuerit invalida, hoc juramentum promiſſorium erit validum.

De Promiſſione rei iniuſtæ.

OCTAVA. *Quando aliquis non fictè, ſed verè promittit, ſi tamen rem iniuſtam promittit, promiſſio erit invalida.*

An ſit valida?

Et hæc ita eſt rationi conſona Reſolutio, ut placuerit Ethnicis. In Philipp. 8. Cicero, *Scelerum promiſſio & iis qui exſpectant perniticſa eſt, & iis qui promittunt.* Et Offic. 1. *Promiſſa non ſunt ſervanda iis, quibus promiſeris, inutilia ſi ſint; nec ſi tibi plus noceant, quàm illi proſint, cui promiſeris.* Et libr. 1. de Offic. Auguſtinus. *Eſt contra officium nonnunquam promiſſum ſolvere Sacramentum, ſicut Herodes, qui necem Ioanni præſtavit, ne promiſſum negaret.*

Herodes ne promiſſioni deficeret iuſſit Ioannem decapitare.

Et hinc prodiit Regula LVIII. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum.*

NONA *omnis promiſſio metu gravi & iniuſtè*

De Promiſſione per timorem extortâ.

ſtè incuſſo extorta, iure naturæ eſt valida iure autem humano in matrimonio, Profeſſione ſolenni irrita? & irritabilis in aliis contractibus. Vocatur gravis metus, qui in virum conſtantem cadere poteſt, qualis eſt mortis, mutilationis, amiſſionis bonorum perpetui carceris verberum, & ſimilium. Sed cur hos contractus Ius naturale non irritat?

An ſit valida?

Quid dicendum ſit ſecundum ius naturale?

Coninckius *de Sacram. diſput.28. dub.1. pagin.776 a.9. nota tertiò,* reſpondet, [metum non poſſe cogere voluntatem: quare, quod metu compulſi volumus, verè liberè volumus, & hoc eſt nobis abſolutè voluntarium, ut docet D.Thomas 1.2. *q.6. art. 6.* quia ipſum prout ſubeſt his circunſtantiis abſolutè volumus, verbi gratia, Vult aliquis ſibi inuri cauterium, quia hoc eſt neceſſarium, ut gravius damnum effugiat: ipſa inuſtio prout eſt hîc & nunc medium neceſſarium ad ſanitatem conſervandam, eſt ipſi abſolutè voluntaria,] *capit. maiores, de baptiſm. §. item quæritur.* Sed cur præter Iurisnaturæ diſpoſitionem Humana (Pontificia, Cæſarea, &c.) ita decernunt Iura? An quia ille metus tollit libertatem? minimè: nam, ſi illam tolleret, etiam excuſaret in his, quæ ſunt Iuris Divini. Cur autem? Quia leges humanæ voluerunt Innocentiæ proſpicere, & ſe opponere potentium violentiæ & malignitati. Petis, Cur Concluſionem ad Matrimonium & Profeſſionem ſolennem limitaverim, cùm illam Leſſius *libr.2. cap.17. num. 46.* ad omnes contractus extendat? Reſpondeo, ea, quæ ex Iure Humano fieri dicuntur, debere per legem expreſſam probari. Sanè contractus lucrativos (donationis & promiſſionis) eſſe validos Iure naturæ docet Sotus *in 4. diſtin.29. quæſtion.1. articul.3.* Poncius *libr. 4. capit. 6. num. 4.* eſſe irritos de facto docet: & ego poſtulo legem expreſſam. Oneroſos contractus Poncius *loc. citat. capit.7. num.2.* eſſe validos in naturali & poſitivo Iure poſtulat: ſed quia Rebellus *part. 2. libr.1. quæſti n 5. concl.3. num.15.* contrarium aſſerit, jubetur legem, aut rationem producere. Et hanc ob rem puto ſolennem Profeſſionem & Matrimonium debere tantummodo excipi, quia de illis clariſſimè Iura loquuntur. Et aſſero in cæteris contractibus injuriam & violentiam paſſos habere jus, ut ad ſuperiores recurrant, qui habent poteſtatem, ut de remedio opportuno per ſententiam contractus validè factos reſcindendem provideant. Quoniam refert Reipublicæ, non tolerare ut potentiores minis aut aliis illicitis mediis impotentiores ſupprimant.

Cur Iura adnullent contractus ex metu gravi factos?

An univerſos?

An matrimonium, & ſolennem Profeſſionem tantummodò?

An cæteri poſſint per ſententiam reſcindi?

MMMDCLXXXVIII.

An utraque Opinio ſit probabilis?

Hanc Concluſionem eſſe veram fatetur Sotus *in 4. diſtinct.29. quæſt.1. art.3.* negat Poncius *libr.4. cap.6. num.4.* quorum ſententias æquè probabiles aſſerit eſſe Cotonius *ubi ſupr. num.4.* Stat à Poncio Cicero, nam *3. de Offic.* ſic inquit. *Pacta ſemper & promiſſa ſervanda ſunt, quæ nec vi, nec dolo malo facta ſunt: illa ſervanda non ſunt, quæ non ſunt iis ipſis utilia, quibus ipſa promiſerit.* & ibid. lib.1. dixerat, *Illis promiſſis ſtandum non eſt, quæ coactus quis metu aut deceptus dolo promiſerit.* Et ego tot hinc inde reperio difficultates, ut quæ heri pro Poncio ſcripſeram, hodie deleam, & cum Soto reſolvam. Sic arguo. Metus gravis injuſtè incuſſus relinquit libertatem. Sed contractus, qui liberè fiunt, ſunt validi. Ergo, qui ex gravi metu fiunt ſunt validi. Maiorem probant Martyres & apoſtatæ: eos enim, qui à fide defecerunt, mortis metus injuſtè illatus non excuſat à culpâ, & eos qui in confeſſione perſtiterunt, non privat victoriâ & coronâ. Eſt Aurelius in ſuo palatio ruſtico, graſſatores ſuperventuros timet: metus eſt gravis, & injuſtè incuſſus. Mittit ad civitatem, emit arma, quæ reverà non emeret. Ergo-ne ille contractus ex metu, qui caderet in virum, conſtantem, factus, & Iure naturæ invalidus? Minimè: quia ut dicebam ad contractus naturæ Ius eam libertatem poſtulat, quæ ſufficit ad peccandum mortaliter.

Omnes contractus liberè facti, ſunt validi.

Metus non tollit libertatem.

Demonſtratur exemplo.

Interfui interdum Theologicis Diſputationibus, in quibus proponebatur argumentum, quod Poncij opinionem perſuadere videtur, quod nunquam audivi bene ſolvi; quod me exiſtimo converſurum in nihilum, ſi velis attentionem præſtare. Attende. [Invaderis in campo à Ruinito, milite ſcelerato, qui illac graſſatur cum multorum injuriâ. Præceps ille adoleſcens tuas pecunias poſtulat; & ni ſtatim donaveris, mortem minatur. Vultu horridus, ferox oculis, gladio extento, *marſupium, aut vitam* exclamat. Metu gravi, & injuſtè illato perterrêris. Ne vitam prodigas, pecunias tradis. Iubet miles, ut dicas, *Has ego tibi pecunias dono liberè, nec volo retinere ius aliquod eas repetendi:* nam viarum graſſatores omnes has ſubtilitates didicerunt; & hac viâ exiſtimant ſuæ conſcientiæ conſulere ſecuritati. Tu loqueris, ut miles jubet. Vadit, manes; & tragædiam recogitans, inquiris, An illa à te facta pecuniarum donatio fuerit valida? an miles illarum pecuniarum adquiſierit dominium? an verò ad reſtitutionem teneatur?] Nemo erit, dicet, qui à Poncio ſtet, illum militem ad reſtitutionem non teneri. Ergo nemo dicet illam donationem fuiſſe validam. Ergo contractus ex metu injuſtè incuſſo extorti vi Iuris naturæ ſunt invalidi.

Argumentum difficile.

An donatio, quæ latroni fit, ſit vera donatio, & ſit valida?

An viarum graſſator, quæ ſibi ex metu data, teneatur reſtituere?

MMMDCLXXXIX.

An caſus Ruiniti & Aurelij ſint ſimiles.

Ego hunc Caſum cum præcedente compono, hanc nimirum pecuniarum donationem cum illâ armorum emptione: nam, cùm utraque ex metu fuerit facta, vel utraque dici debebit valida, vel utraque invalida, vel aliàs debebit adſignari diſparitas; & dum quæritur & non occurrit, adhuc alium caſum propono. [Erat in campo Petrus, & habebat pulchrum equum, qui dicebatur valere centum aureis. Supervenit Aufridus inſolens adoleſcens, & ait Petro, *Te occidam, niſi occideris equum.* Petrus perdidit proprietatis dominium, quod habebat in equo: quoniam non entis non datur dominus. Hanc proprietatem non adquiſivit Aufridus & tamen centum Petro aureos reſtituere tenetur, propter damnum, quod Petrus ab eius violentiâ fuit paſſus.] Conſidera bene hanc doctrinam. Non quæritur. An equus validè aut invalidè fuerit occiſus, ſed ſupponitur, quod fuerit validè hoc eſt, reverà Sed quia Aufridus injuſtè coëgit Petrum facere actionem validam

N B.
Non naſcitur reſtituendi obligatio ex utilitate, quā habui, ſed ex dāno, quod intuli.

Ad invaſionem à Ruinito factam reſpondeo primò.

validam ipſi Petro nocivam, tenetur eum reddere indemnem. Ergo tenetur illi reſtituere valorem equi, hoc eſt, centum aureos. Hinc revertamur ad Ruinitum Dico (1) te non habuiſſe animum donandi ei tuas pecunias; &, ſi non habuiſſe animum eas donandi dicaris, erit donatio invalida, & Ruinitus tenebitur ad reſtitutionem. Sed quid, ſi, vt §. *Sanchez* dicebamus, verbis inter homines contractus fiant, & interni ad eorum valorem actus aſſerentibus Cajetano, Vaſquezio, Poncio, Soto & aliis minimè requirantur?

Reſpondeo ſecundò.

Reſpondebo iterum (2) hanc donationem fuiſſe invalidam, quia extrinſecâ libertate caruit: quoniam in horum Theologorum

Reſpondeo tertiò.

ſententiâ, quia Eccleſia de occultis non judicat, etiamſi quis habeat libertatem internam, ſi externâ caret, invalidos contractus

Conſiderentur bene ſingula.

init. Sed quid dicemus ſtando Concluſioni VIII? Aperi oculos: attende, (3) Prior fuit violentia illata tibi à Ruinito: poſteà à te facta pecuniarum donatio. Ergo per violentiam iniuſtè illatam, tibi conſtituebatur Ruinitus debitor damni, quod ex illâ violentia proveniret. Ergo, ſi centum aureos illi fortè dediſti, reddere tibi centum debet. Et hoc pro praxi. Veniamus ad ſpeculationem. Donatio à te Ruinito facta fuit valida: at, quia te iniuſtè Ruinitus ad hanc donationem coëgit, tibi tenetur refundere, quantum illa importat donatio. Ergo hîc non de re-

Ruinitus reſtituere tenetur.

ſtituendi obligatione (hæc enim ſupponitur) ſed de causâ, ex quâ illa oritur, diſputatur. Pergo ulterius. In bonâ Arithmeticâ hi duo numeri † 100. & — 100. ſimul ſumpti ſunt 000. hoc eſt, *nihil*. Ergo Ruinitus etſi validè recipiat 100. quia ſimul incurrit obligationem reſtituendi eodem momento 100. virtualiter nihil recipit: nam duæ moralitates ſe mutuò elidunt. Stando Ethicæ Naturali)

† 100
— 100
Sum. 000.

An in Ruinito reperiantur duæ oppoſitæ moralitates, & altera alteram elidat?

hoc eſt, conſiderando moralitates ſecundum Ius naturæ) duas moralitates in Ruinito reperio. Iure donationis validæ centum validè recipit, & iure damni per violentiam illati centum tenetur refundere. Ergo tametſi actu directo duas ibi moralitates, quas expoſui, reperiamus: quando illas reflexo & ſecundario actu componimus, quia ſunt oppoſitæ & initis ratiociniis altera elidit alteram, neutram reperimus, ſed ratio ſolius furti relucet.

MMMDCXC. Eſt ſubtilior, quam aliqui putant hæc Quæſtio, illamque bene percalluit Gajus, cùm *ad Edictum Provinc. lib.* 15. ſic inquit. *Non videtur quiſpiam id capere, quod ei neceſſe eſt alij reſtituere.* Sanè Ruinitus recepit à te uno titulo (per donationem validam) centum aureorum proprietatem: & tamen obligationem reſtituendi tibi hanc ipſam proprietatem incurrit alio titulo (propter damnum per violentiam illatum) Sed omnis cenſetur civiliter non recepiſſe, quod alij reſtituere tenetur, vt nos docebat Gajus. Ergo ſiquidem illam proprietatem tenetur reſtituere, cenſetur illam civiliter non recepiſſe.

Quàm ſit ſubtilis hæc doctrina?

An illam percallerit Gaius?

Tunc ſic. Pecunias Ruinitus recepit realiter: illarum proprietatem non recepit civiliter (imò, nec virtualiter licèt enim receperit illam de facto, ita ſe habet, ac ſi illam non recepiſſet, nam illa per alium titulum eliditur) Ergo recepit pecunias ſine proprietate. Illas igitur civiliter furatus eſt.

An Ruinitus dicendus ſit vim inferre, an verò furtum facere.

Tametſi communiter aſſerant Doctores, metum qui poſſit irritare matrimonium eſſe debere gravem, ſunt alij qui contrarium affirmant: & ideò ex hoc capite poſſunt diſſentire Theologi. Et, ſi in hoc conveniant inter ſe, adhuc differre ex alio ſolent, quia quem alij eſſe metum levem affirmant, aliis videtur eſſe gravis. Pono exemplum. Inquiris, An matrimonium ex metu reverentiali aut ob preces importunas contractum, ſit validum? Negat Leſſius lib. 2. cap. 17. dub. 7. num. 46. quia tametſi metus levis interſit, levis ſufficit vt reddantur contractus invalidi, vt colligit ex leg. metum. D quod metûs causâ. Vtrumque etiam contractum eſſe invalidum aſſerit Poncius *lib. 4. cap.* 10. *num.* 5. quia licèt teneat, contractus ex levi metu initos eſſe validos, indicat autem metum, qui ex reverentiâ & precibus importunis oritur, eſſe gravem. Propter hos Authores Diana *part. 5. tract. 5. reſol.* 117. rogatus An metus levis contractus dirimat dixit, vtrumque videri probabile. Sanè, ſi id diceretur, ſumma eſſet in Republicâ qualicumque confuſio: quis enim in mundo eſſet, quia non poſſet metum levem allegare & probare? non ſolet in Politicis movere pedem prudens vir, quin habeat vtrimque preces, quin vtrimque circunſtantias prævideat, quæ poſſint reverà timeri. Ergo, ſi omnis metus) gravis, levis) contractus invalidos redderet, vix fieret in Republicâ vllus contractus validus. Quam ob rem cum Sarmienio reſolvo contractus ex metu levi initos in foro interno & externo eſſe firmos, nec poſſe reſcindi à Iudicibus. Et agens de Matrimonio in ſpecie idem ſtatuo, cum Poncio *cap.* 18. *num.* 2. contra Navarrum *cap.* 17. *num.* 29. apud Sanchez *tom.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 17. *num.* 2. Vide Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 250. & *tract.* 5. *reſol.* 117. §. *Notandum.* Conſono Imperatori, qui *leg. nec timorem.* 7. D. *de eo, quod metûs causâ.* ſic ait. *Siquis meticuloſus rem vllam fruſtra timuerit, per hoc Edictum non reſtituitur, quoniam neque vi, neque metûs causâ factum eſt.*

An Matrimonium ob reverentialem metum, aut nimias preces factum ſit validum?

De Metu levi.

Dian. *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 117. & eu Cotonius *in ſum. verb. Metus, num* 6. probabilem judicat Sarmenti opinionem dicentis, *contractum ex levi metu factum valere, etiam in foro externo, & nõ poſſe ex Iure Civili reſcindi.*

Vt metum iuſtum ab iniuſto diſtinguas, adnotato te iuſtè minari poſſe, quæ iuſtè poſſis facere. Pono exemplum. Cum tuâ ſorore Antonium inveniſti. Fulminas, & vis, vt illam in vxorem accipiat. Sed quid fulminas? Occidere illum vis? Iniuſtæ ergo ſunt minæ: non enim tibi licet occidere quemquam. Ergo, ſi ſponſalia, aut matrimonium ex metu iſto contrahat, contrahet invalidè. At non vis eum occidere, ſed accuſare. Minæ ſunt iuſtæ: nam licitè accuſare illum potes, qui tuam ſororem violavit. Si, ne accuſetur, Antonius ſponſalia contrahat, erunt ex metu iuſtè incuſſo, ac ideò valida. Hæc docet D. Thomas *in 4. diſt.* 10 *quæſt. vnic. art.* 3. *quæſt.* 1. *in corp.* Et ex illo Poncius & alij contra Sanchez. Hanc doctrinam etiam ad Sponſalia & Matrimonium per Procuratorem contractum extendit Poncius *cap.* 14. *num.* 6. Quod verum eſt, ſi vi metûs mittitur Procurator; non ſi talis, & non talis. Nam, ſi Petrus velit quidem contrahere per Procuratorem non autem per Petrum, ſed per Paulum: & tamen eum Parentes cogant, vt Petrum

Diſcrimen inter metum iuſtè & iniuſtè incuſſum exponitur.

An hæc doctrina habeat locum in ſponſalibus?

An in Procuratore determinando.

mittat, non tangitur ſubſtantia contractûs.

MMMDCXCI. *Quaſi a ſint matrimonia ex metu cōtracta apud Ethnicos? Habent ipſi leges de contractibus matrimonialibus.*

Profectò Eccleſia omnes contractus matrimoniales ex metu gravi iniuſtè incuſſo invalidos eſſe definit: & interrogas, *Quid dicendum erit ſtando Iuri naturali? An inter Ethnicos & Mahometanos einſmodi matrimonia ſint invalida?* Et reſpondeo primò, apud illos reperiri ſicut de aliis contractibus, etiam de matrimonio leges; &, ſi per eas matrimonia, aut alij contractus per metum inita irritentur, erunt nulla. Et quid, ſi non ſint leges particulares? Reſpondeo ſecundò ſtando hypotheſi. Per metum iniuſtum contracta matrimonia apud Ethnicos & quoſcumque non baptizatos eſſe valida. Ita Coninck, qui *diſp. 28. dub. 1. pag. 779. a. num. 17.* ſic inquit. [Hinc infertur inter non baptizatos metum non irritare matrimonium, niſi ipſorum legibus hoc ſit ſtatutum.] Ratio eſt, quia hæc matrimonia in Iure naturæ ſubſiſtunt, & illi Canonico Iuri non ſubſunt.

Ethnici non ſubſunt legibus Iuris Canonici.

An metum iniuſtè incutere dicendus ille ſit, qui ſe accuſaturum eum minatur, quem reverà accuſare non vult.

Vt præcedens exornetur doctrina, duos caſus dignos ſcitu proponis. Ioannes reperit Antonium cum ſuâ ſorore, & ſe illum, ni ineat matrimonium, eſſe accuſaturum minatur: Petrus Franciſcum cum ſuâ vxore, & ſibi dari mille aureos poſtulat, vel aliàs ſe eum accuſaturum ſucclamat. Interim, Ioannes & Petrus ſunt nobiles, & non habent intentionem accuſandi. Quid Iuris? Videretur alicui Ioannes metum iniuſtè incutere, Antonium enim decipit, & terret cum puro mendacio. Et videretur ſimiliter Petrus decipere Franciſc. & extorquere illos mille aureos ſine causâ. Et ita poſſet aliquis reſpondere ex Molinâ *tom. 2. tract. 2. diſp. 514. num. 4.* Et aſſerente Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 34.* & Cotonio *in ſumm. verb. Metu. num. vlt.* probabiliter. Sed mihi clara & vera videtur Leſſij opinio, quam tradit *lib. 2. cap. 17. dub. 9. num. 42.* quia etſi neuter habeat accuſandi animum, vterque habet potentiam & ius, quod eſt pretio æſtimabile, & hac ſe poteſtate privat Ioannes, ſi ſuam ſororem Antonius duxerit: Et hac etiam accuſandi poteſtate ſe privat Petrus, ſi mille aureos ſibi Franciſcus numeret.

An invalidum matrimonium ſit, ſiquis iniuſtè ad vnam familiam determinetur?

Quid autem dicemus de Anſelmo, quem non coëgerunt vt vxorem duceret, ſed ex ſuppoſitione, quòd velle vxorem vellet, coëgerunt, vt non niſi vnam ex Caroli filiabus poſſet? Ex hoc metu ipſe contraxit cum Petronillâ filiâ Caroli cum quâ nullatenus contraxiſſet, ſi hoc metu careret: & interrogat, Vtrùm matrimonium ſit validum?

Poncius *lib. 4. cap. 14. n. 14.* Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 33.* & alij invalidum eſſe pronunciant, Azorius *tom. 1. lib. 1. cap. 11. quæſt. 11.* autem eſſe validum. Et quidem ratio, quæ pro ſententia Azorij adducitur, non ſubſiſtit: ſed occurrit alia, quæ non caret difficultate. Sic diſcurrunt. [In aliquibus Civitatibus talia hominum genera non poſſunt immiſceri cum aliis: puta ruſtici cum nobilibus, ſutores cum aurifabris, &c. Et tamen matrimonia ſunt valida. Ergo Anſelmi matrimonium erit validum, licèt ad talem familiam extrinſecè determinetur.] Hæc autem ratio non ſubſiſtit: quia conſuetudo vel lex ab omnibus acceptatur; ergo non venit illa determinatio ab extrinſeco. Si ſit Principis ſtatutum & independenter à populi conſenſu feratur, adhuc ſinguli manent liberi, quia poſſunt aut aliam artem profiteri, aut ad aliam civitatem tranſire. Ergo re bene conſiderata elumbis eſt hæc ratiocinatio: ergo alia erit quærenda ratio, quæ ſit fortior, vel ad oppoſitam opinionem venire. Ego autem.

Conſuetudines & leges non ſunt iniuſtitia ab extrinſeco illata.

MMMDCXCII. *An valor matrimonij poſtulet, vt fœminas omnes poſſis ducere?*

Dico primò. *Vt matrimonium ineas validè, non requiritur, vt nulla ſit in civitate fœmina, quam non poſſis ducere.* Et vtrùm hoc verum ſit, examinemus, te eſſe pauperem, & fuiſſe à corrivali publicè fuſtibus exceptum ponamus. Quam in vxorem duces? Moniales non poſſunt, divites & nobiles non volent: ergo erunt valde paucæ, quæ poſſint aut velint nubere pauperi & infami homuncioni. Offert tibi Petrus ſuam filiam, negant alij Cur invalidè eam duces?

An ſcelerè, vt ad vnicam determinerit?

Dico ſecundò. *Poteſt validè matrimonium inire vir ad vnicam ab extrinſeco determinatus.* Et, ſi dubites, nomina illas mihi, inter quas eligere potuit Adamus. Non niſi vnicam habuit, & validum matrimonium contraxit. Idem de Caino dicito: nam, vel non inire matrimonium, vel cum ſorore debuit. Fortè ad eaſdem anguſtias redacti fuerunt Sethi filij, quoniam poſt diluvium, & ſub initium maximè, erant viri ad vnam aut alteram determinati. Tranſeamus ad noſtra tempora. Porrò Viro probo impoſſibilia ſunt, quæ illæſâ honeſtate aut conſcientiâ non poteſt. Pone igitur Romanorum Imperatorem: aut etiam Hiſpaniarum Regem. Quam alteruter vxorem ducet? Hæreticam? Conſcientiæ id non permittit ſinceritas. Vaſſallam? Id honeſtas, & iam præſcripta conſuetudo non tolerat. Quam ergo? Cùm igitur præter ipſos ſolus Rex Galliæ ſit Catholicus: & Tirolis ad Cæſarem redierit: & præter Sabaudum Mantuanum Bavarum vix ſit alius Princeps ſuppar Regibus: tres aut quatuor familias matrimonia reſpicient, & continget interdum, vt non niſi unica ſit, quæ poſſit duci. An-ne ideò erit matrimonium invalidum? Regum profectò matrimonium aliquando etiam Politicâ, libertate contradictionis caret: nam, ſi Palatinus Calviniſta ſit hæres Bavari, Eccleſiæ Apoſtolicæ intereſt, ne Catholiciſſima provincia ad manus Hæretici tranſeat. Metus igitur in tali caſu coget Bavarum, vt vxorem ducat: &, ſi non niſi vnica ſit, quam poſſit ducere, circunſtantiæ cogent, vt talem: & nihilominùs validum erit matrimonium.

Imperator & Reges vix habent vnam, aut alteram, quā poſſint ducere.

An in ſuis matrimoniis frequenter magni Principes careāt libertate

Hinc patet iniuriam fieri Anſelmo, cùm iniuſtè cogitur, vt vel cœlibem vitam agat, vel vnam ex Caroli filiabus ducat. At verò non percipio cur debeat contrahere invalidè.

Anſelmo iniuria fit: ſed tamen eius matrimonium erit validū.

MMMDCXCIII. *Quid examinare debeat Iudex, quando de matrimonij valore diſputatur?*

In hac ego materiâ ſic diſcurro, & Authores, vt puto compono. Conſidera Poſitiones ſequentes. (1) *Metus levis non cadit ſub conſiderationem Iudicis, quando quæritur, An contractus initus ex metu ſit validus.* Patet, quia metus levis eſt virtualiter nullus, in Iure enim Parum pro nihilo reputatur. (2) *Metus gravis iuſtè illatus etiam eſt extra Iudicis conſiderationem.* Patet: quia, qui metum iuſtè

inſtè incutit, utitur ſuo iure; & qui iure ſuo vtitur, nemini iniuriam facit (3) *Metus gravis iniuſtè illatus irritat ſponſalia, Matrimonium, nec non ſolennem profeſſionem.* Patet quia ſic Canones ſtatuunt. (4) *In cæteris contractibus metus gravis iniuſtè incuſſus, ſi contrahens cooperetur, non irritat contractum, ſed reddit eum à Iudice reſcindibilem: ſi violentia inferatur à tertio, & contrahens non cooperetur, non erit contractus reſcindibilis, ſed dabitur actio contra illum, qui metum incuſſit.*

Alios contractus metus reſcindit, & alios reſciſſibiles reddit.

Quid ſit violentia neutro ex contrahentibus cooperante inferatur?

Patet, quia ſi contractus ſit oneroſus & vtrique parti gravis, vt venditio, non apparet nullitatis ratio. Eſt enim ſufficiens libertas, & nihil ſumitur ſine legitimo titulo. Nam, ſi tibi mortem minetur Petrus niſi Franciſci domũ emeris videndum eſt, an hæ minæ à Franciſco per Petrum proveniant, nam, ſi tibi Franciſcus per Petrum minatur, Franciſcus tibi metum incutit, ſi autem Franciſcus tecum bonâ fide contraxerit, domum tradiderit, & pecunias receptas in alios vſus impenderit; non occurrit ratio, quæ illum, vt reſtituat pecunias, compellat. Et hoc ſenſu admitto ſententiam Poncij: qui tamen, cum dicit, quòd detur actio, debet dicere dari actionem contra Petrum, qui metum incuſſit; non contra Franciſcum, qui ſincerè proceſſit.

Innocens non debet puniri.

In quem detur actio?

Poterunt igitur Iudices in caſu condemnare Petrum, vt ſatisfaciat tibi, & domum ipſe recipiat, non autem condemnare Franciſcum, quem eſſe innocentem ſupponimus. Et hinc ad ſponſalia aut Matrimonium tranſiens. Si tibi Petrus incutit gravem metum, vt Ioannam ducas, & tamen Ioanna non cooperatur ad hunc metum, unde erit ſumendum judicium? Tabiena *verb. Impedimentum* IX. *num.* 3. ex D. Thoma videtur minùs apte diſcurrere: inquit enim [Quidam autem dicunt quod ſi conſenſus adſit, quamvis coactus interitus (*lege*, interius) eſt matrimonium quantum ad Deum, ſed non quantum ad ſtatum Eccleſiæ, quæ præſumit ibi non eſſe conſenſum interiorem propter metum.

An poſſit eſſe matrimonium validum in foro interiori, & invalidum in exteriori?

Peccatum non præſumitur, niſi probetur.

Sed hoc nihil eſt, quia Eccleſia non debet præſumere de aliquo peccatum, quouſque probetur: peccavit autem, ſi dixit ſe conſentire: & non conſenſit: vnde Eccleſia præſumit eum conſenſiſſe, ſed iudicat (*dicere debuiſſet*, ſtatuit) eum conſenſum extortum non eſſe ſufficientem ad faciendum matrimonium, &c.] Tabienæ adſono, & dico, hoc matrimonium, non iure naturæ, ſed iure Eccleſiaſtico eſſe nullum; non enim Eccleſia præſumit te non conſentire, nec iudicat conſenſum per vim extortum non eſſe ſufficientem ex naturâ rei, nempe in caſu noſtro, in quo ſponſa bona fide procedit; ſed providés inconvenientibus, quæ accidere poſſunt, ſtatuit, vt metus gravis iniuſtè incuſſus, à quocumque incutiatur, dirimat matrimoniũ. Quam ob rem inter infideles omnia matrimonia, quæ cogente ſuperiore fiunt erunt valida.

Cur matrimonium per vim & ex metu cõtractũ ſit nullum?

De matrimonio Ethnicorum.

MMMDCXCIV. Inter cõtractus legitimos ſed reſciſſibiles, matrimoniũ non poteſt numerari.

Si dentur in Iure naturæ aut etiam Humano circumſtantiæ, ſub quibus contractus vt ſic ante Iudicis ſententiam teneant, manente actione vt poſſis agere: vt per ſententiam reſcindantur: ſponſalia & Matrimonia, ſub illis circumſtantiis inita, ante Iudicis ſententiam erunt invalida. Hac ratione vtitur S. Thomas quod l. 1. art. 3. apud Tabienam *loc. cit.* vt probet matrimonia per metum contracta eſſe invalida, nam cùm ſponſalia & matrimonia ſint de re perpetuâ, debent conſiſtere in perpetuo contractu: ergo ſub circumſtantiis, ſub quibus contractus non eſſent perpetui, ſed poſſent reſcindi, nec ſponſalia, nec Matrimonia poſſent contrahi.

Omnis conceptus ſuperior & univerſalior includitur in ſuis inferioribus.

Conſultò poſui illud *vt ſic*, nam ratio ſuperior debet in inferiori reperiri: quam ob rem genus non poteſt per taleitatem aut differentiam ſibi repugnantem determinari. Viuens contrahitur quia taliter, vel taliter viuitur: ſenſibile, quia taliter & taliter ſentitur: at verò nec animatum per inanimum, nec ſenſibile per inſenſibile, nec rationale, per irrationale: ac per conſequens, nec contractus, qui per ſententiam Iudicis poteſt reſcindi, per perpetuitatem poteſt contrahi.

Differentia quæ conſtituit ſpeciem eſt in omnibus de quibus prædicatur illa ſpecies, non autem in conſpecio, nec contentis ſub ipſâ.

Conſultò, inquam, poſui illud *vt ſic*: quoniam, ſi *poſſe reſcindi* eſſet contractuum aliquorum tantummodò, alij ſub eiſdem circunſtantiis iniri poſſent, qui reſcindi non poſſent, nam ſicut Riſibilitas non eſt Animalitatis, ſed talis Animalitatis (nempe, Animalitatis rationalis) proprietas & ideò eſſe poſſunt rationalia & irrationalia animalia: ſic ſimiliter, ſi *poſſe reſcindi* eſt talium contractuum proprietas, dari alij poterunt qui non poſſint reſcindi.

De Promiſſione mutuâ.

An omnia fœdera cum infidelibus ſint illicita?

An ſint poſſibilia Sponſalia non mutua?

Promiſſio mutua.] In re, quæ non poteſt fieri niſi à duobus, poteſt dari non mutua promiſſio: nam talis famulus (Hiſp. *Paio, Lacayo*, &c.) habet obligationem comitandi dominum ſuum quocumque vadat, & tamen dominus non habet obligationem comitandi talem famulum quocumque ierit. Hinc patet non omnia fœdera cum infidelibus eſſe iniuſta, poſſum enim Mahometano ſuppetias ferre in bello iuſto: & cum illo paciſci, vt mihi ſuppetias ferat in meis bellis quin ego teneat illum juvare in ſuis. Hæ promiſſiones, bene ſi conſiderentur ſunt mutuæ in diverſis generibus, non famulus pollicetur obſequium, & herus ſalarium repromittit. Et, ſi mihi tenetur ferre ſuppetias Mahometanus, tenebor Ego, ſtipendia militibus ſolvere, & in alijs rebus auxilianti favere. Hinc Sanchez *de matrim. tom.* 1 *lib.* [illegible] *diſp.* 5. *num.* 12. colligit ſponſalia eſſe poſſe non mutua: puta, ſi ſponſus promittat & altera promiſſionem acceptet, & nihil ex ſua parte in eodem genere repromittat. Tunc ſponſus maneret ſponſæ obligatus, nec poſſet aliam ducere; & tamen ſponſa eſſet libera. Si autem nimis differret acceptare actualem traditionem, poſſet cenſeri contemnere, & ſponſo promiſſionem remittere.

Qualia ſponſalia inter puberem & impuberem ſint?

An & quomodo reſcindi poſſint.

Hanc doctrinam confirmant ſponſalia, quæ à pubere cum impubere contrahuntur: quoniam puberem obligant, non impuberem: hic enim adveniente pubertate poterit reſilire: ſi autem intra triduum non reſiliat, cenſetur in foro externo confirmare ſponſalia *cap. cùm contingit. de offic. deleg.* Sed quid de foro interno? Coninch *dub.* 2. *num.* 6. apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 281. ſatis eſſe, ſi tempore ſtatuto interiùs diſſentiat. At tacere, eſt repromittere: ergo videndum eſſet, an, & quomodo obligaret falſa promiſſio? Et ego fateor me ſemel Pragæ vidiſſe inter magnos Principes

Principes ſponſalia non mutua iuxta Sanchezij ſententiam celebrata.

An acceptatio ſit repromiſſio?

MMMDCXCV. At communis Opinio tenet.in ſponſalibus repromiſſionem neceſſariò requiri, ita, vt ſi vnus promittat, & alter non repromittat, neuter remaneat obligatus. Ita Poncius *lib.*12. *cap.*4. *num.* 2. Huic ſtando ſententiæ dicendum eſt, acceptationem promiſſionis huiusmodi eſſe repromiſſionem; non enim aliter, quàm reptomittendo poteſt promiſſionem alterius acceptare.

An communis doctrina ſit certa?

Diana *part.*3.*tract.* 4. *reſol.* 244. & ex eo Cotonius *in ſumm.verb.ſponſalia.num.*5. indicat vtramque opinionem probabilem. At doctrina de obligationibus non mutuis eſt vera, & à nemine probatur firmiter eam non habere locum in ſponſalibus.

Quomodo acceptentur ſponſalia? An cenſeantur acceptare, ſi taceant?

Sponſalia ſunt quædam acceptata Promiſſio; ſed quomodo debet acceptari? Reſpondeo vti debere talibus ſignis, quæ ſint ſufficientia vt mutua matrimonij de futuro volũtas intelligatur. Quam ob rem, ſi ex illorum ſilentio prudentum æſtimatione inferatur conſenſus, etiam tacendo contrahent. Eſt expreſſum *in cap. vnico. de deſponſ. impuber.* §.*vlt.in* 6. ibi enim dicitur. Porrò ex ſponſalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipſi filij, ſi expreſſe conſenſerint, vel tacitè, vt, ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. Eſt idem, ſi filij tempore ſponſalium abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia, poſt ſcientes *ratificaverint, tacitè vel expreſsè* Conſonat Coninck *de Sacram. diſp.* 21.*dub.*3.*pag.*589.*a.num.*34. Et audiri poteſt Amicus, qui *tom.*9.*diſp.*29.*ſect.*2.*pag.*297.*b.* ſic inquit. [Valida eſſe ſponſalia à parentibus præſentibus & tacentibus filiis contracta, declaravit Bonifacius VIII. *cap.vnic.de deſponſ. impub.* nec ſolùm contracta à parentibus, vel iis, qui in parentum locum ſuccedunt, ſed etiam ab aliis, ſi ſponſi taceant, & non reclament.] Excipe caſum, in quo vterque, aut alteruter, ob timorem reclamare non poſſet, ideò enim ſic declaravit Pontifex, *Quia, qui tacet, quando debet & poteſt loqui, conſentire videtur.* Sed de hoc vberiùs paulo poſt cum agemus de Matrimonio diſputabimus.

De clandeſtinis ſponſalibus.

Petis. *An valeant clandeſtina ſponſalia?* Aſſero: & Navarro *in ſumm.cap.*25.*n.* 144. & *lib.*3.*conſil.de vot.conſ.*6.*in fin.* Henriquez *lib.*11.*de matr.cap.*5. *infin.* Palatio *in* 4. *diſt.* 40. *in fin.* Ludovico Lopez 1. *part. Inſtruct. conſc.cap.*85.*in fin.*& 2.*part.cap.*37. *de ſponſ.* §. *Igitur.* & 39. §. *Præterea.* Sà *verb.ſponſalia.* §. *Quidam.* Sanchez *lib.* 2. *diſp.*12. *num.* 2. Coninck *diſp.* 21. *de ſponſ. dub.* 2. *concl.* 6. Hurtado *diſp.* 1. *de matrim. diff.* 26. Barboſæ *in collect.in Trident.ſeſſ.*24.*cap.*1. *num.*127. & ſic declararunt Cardinales, diverſæ enim

Plura requiruntur, vt aliquid ritè facias quàm vt illud ritè te facturum promittas.

ſolennitates in contractibus, & aliis humanis actionibus ac in promiſſionibus requiruntur. Nam, vt confitearis Petro, debes eſſe illi præſens; &, vt Euchariſtiam recipias, debes eſſe in gratiâ, &c. Et tamen potes promittere te Sacramentaliter eſſe tuas culpas confeſſurum, etſi quando hoc promittas nullus Confeſſarius præſens ſit: & potes promittere, te eras ritè communicaturum, licèt nunc, quando id promittis, ritè diſpoſitus non ſis.

Perſona legitima, quæ?

Inter perſonas legitimas. hoc eſt *capaces*] Incapaces dicuntur, quæ nequeunt matrimonium celebrare. Vt ſunt Religioſi: cognati: affines: &c. aut quocumque alio impedimento irretiri. Qui enim non poſſunt matrimonium celebrare, nec poterunt de illo celebrando promittere.

De ſponſalibus, & aliis contractibus conditionatis.

An-ne duo conſanguinei, in gradu, in quo ſolet diſpenſatio concedi, poterunt inire conditionata ſponſalia dicendo, *ſi Papa diſpenſaverit.* Negat Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 5. *quæſt.*3.*num.*12. Sed rationem negandi non percipio; non enim illi, ſi accedat diſpenſatio, ſunt incapaces. Nam, ſi valet inſtitutio filij ſpurij, ſi *Princeps eum legitimaverit*, & campi feudalis venditio, *ſi dominus feudi conſenſerit*; etiam in Epiſcopo valebit ingrediendi in talem Religionem promiſſio, *ſi permittat Pontifex.* Ergo etiam conſanguineorum ſponſalia, *ſi diſpenſationem conſequamur.* Et hanc ob rem Poncius *lib.*3. *cap.*15. *num.*5. ſententiam aſſerentem tuetur. Cotonius vtramque probabilem indicat, & Valerum *verb.matrim.diff.*7. & Dianam *part.*3.*tract.*4. *reſol.*290. producit.

An ſpurius poſſit eſſe hæres. An res feudales vendi? An Epiſcopus ingredi Religionem?

Quando obligent cõditionata ſponſalia?

Mihi magis placet Poncij opinio, quam tuetur Amicus *tom.*9 *diſp.*29.*ſect.*2.*pag.*296. *a.num.*6. dicens. [Sponſalia contrahi poſſunt abſolutè, & ſub conditione *ex c. vnic. de ſponſ.in* 6. Quæ ſub conditione contrahuntur, non obligant, niſi conditione verificatâ, vt cæteri contractus ſub conditione celebrati, &c.]

De Diſſolutione ſponſalium.

Propter quas cauſas ſponſalia ſolvantur?

MMMDCXCVI Svnt diſſolubilia. Cauſas ſcriptores enumerant alij plures, pauciores alij, quæ tamen poſſunt omnes ad verſus ſequentes reduci.

> *Crimen, diſſenſus, fuga, tempus, & Ordo ſecundo,*
> *Morbus, & affinis, vox publica, cumque reclamant.*

Has poſuit Hoſtienſis apud Paludanum *quæſt.* 1. *art.* 3. Amicum *loc.cit.diſp.*32.*ante ſect.*1. *pag.*321.*a.num.*1. & alios. Ego tres enumero. Conſenſum, Incapacitatem, Mutationem. Conſenſus diſſolvit Sponſalia, quia ſponſi non vinciuntur inviti. Diſſolvit etiam illa ſuperveniens incapacitas, & hæc provenire poteſt à profeſſione ſolenni, ab Ordine Sacro, ab affinitate, ab impotentiâ: &c. Mutatio etiam diſſolvit, quoniam, ſi res promiſſa in promiſſione reciprocâ perdit valorem priorem, contractus promiſſionis eſt irritus. Sic, poſt ſponſalia defloretur ſponſa, ſi in morbum contagioſum incidat, &c. Et tametſi hæc doctrina generalis ſufficiat, Quæſtiones aliquas in particulari dilucidabimus.

Præmittitur generalis doctrina.

Per eaſdem cauſas. per quas res fit, etiã diſſolvitur.

De mutuo conſenſu.

Mutuo conſenſu, dixi, ſponſalia diſſolvi, quia id ratio ſuadet & authoritas probat. Vlpianus lib 48. ab Sabin. *Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidquid diſſolvi, quo colligatum eſt. Ideò verborum obligatio verbis tollitur; nudi conſenſus obligatio nudo conſenſu diſſolvitur.* At vt ſponſalia fiant, ſufficit conſenſus vtriuſque ergo etiam vt ſolvantur ſufficiet. Ita S. Thomas *in* 4. *diſt.*27. *quæſt.*2. *art.*7.

Digitized by Google

art.7. ad 5. Durandus *quæſt.* 3. *num.* 7. Paludanus *quæſt.* 1. *art.* 3. *concl.*2. *ſupp.* Richardus *artic.*3. *quæſt.*4. Gabriel *quæſt.*2.*articl.*2. *concl.*4. *caſ.*2. Navarius *in ſumm. cap.*22. *num.*25. Henriquez *lib.*11. *de matr. cap.*14. *num.*6. Et ratio eſt, quia unuſquiſque cedere poteſt ſuo jure.

MMMDCXCVI. *b.*

An diſſolvat Sponſalia iuramento firmata.

De promiſſione facta alteri tertio.

Et quid, ſi Sponſalia fuerint iuramento firmata? Negat Angelus apud Amicum *tom.*9. *diſput.*32. *ſect.* 1. *pag.* 321. *b.* §. *An quando*, affirmant cæteri: quos omnes ego ad concordiam reduco aſſerens, omnem promiſſionem promiſſario permittente diſſolvi. Ergo, ſi nullus eſt promiſſarius præter ſponſos, mutuo illorum conſenſu juramenti obligatio ſolvetur. Cæterùm, ſi juramentum promiſſorium factum fuerit avunculo exempli gratiâ, qui talia eſt præſtiturus, aut præſtitit, tunc hæc obligatio non tollitur Sponſorum conſenſu, nam etiam avunculi poſtulatur aſſenſus.

De Religionis ingreſſu. An dirimat Sponſalia?

Diſſolvuntur-ne per merum Religionis ingreſſum? Supponit Quæſtio, eum, qui Religionem ingreditur, ab altero non habere licentiam: ſi enim hanc habet, ceſſat quæſtio; nam Sponſalia ut diximus, mutuâ voluntate ſolvuntur. Sunt tres Opiniones. Prima aſſerit: Secunda negat: Tertia diſtinguit; & eum, qui manet in ſœculo, per alterius merum ingreſſum, Sponſalium obligatione liberat; alterum verò non niſi per ipſam profeſſionem. Prima defenditur ab Angelo *in ſumm. verb. Sponſalia*, 22. Sylveſtro *quæſt.*2. Soto *in* 4. *diſt* 27. *quæſt.*2. *art.*5. §. Hoc tamen Navarro *in ſumm. cap.* 22. *num.* 26. Ludovico Lopez *par.*2. *Inſtruct. conſc. cap.*38. §. *circa hanc*, Sanchezio *diſp.* 42. *num.*2. & multis aliis. Tuetur Secundam S. Thomas *in* 4. *diſtinct.* 27. *quæſt.*2. *art.* 3. *ad* 2. Durandus *ibid. quæſt.*3. *num.*7. Paludanus *q.*1. *artic.*3. *concl.*5. *caſu* 5. Armilla *verb. Sponſalia*, *num.*12. Covarruvias *in* 4. *Decret. p.*1. *cap.*5. *num.*11. & alij. Tertia tandem, quam meritò *probabiliorem* vocat Amicus *tom.*9. *diſp.*12. *ſect.*3. *pag.* 324. *b. num.*18. placuit Gabrieli *in* 4. *diſtinct.*27. *quæſt.*2. *art.*2. *caſu* 6. Henrico *lib.* 11. *de matr. cap.* 14. *num.*3. Conjunct. *diſp.* 23. *dub.* 3. *concl.*5. Rebello *de ſponſ. quæſt.*8. *ſect.*6. Pont. *lib.*12. *cap.*10. Hurtado *diſp.*2. *de matrim.* & multis aliis. Et monet bene Henriquez eum qui ingreſſus Religionem, manere ante profeſſionem liberum ab Sponſalibus, ſi in ſœculo relicta cum altero Sponſalia contraxerit.

Si in ſæculo manens contraxerit.

An præſtet fidem, & Sponſalia iurata obſervare, quem ingredi in Religionem.

Quid ſponſo conſulendum erit, ſi fuerint Sponſalia iurata, & ille voluerit ingredi Religionem? Sunt variæ Theologorum ſententiæ. Iubet PRIMA ut contrahat matrimonium priùs, hoc eſt juramentum impleat, & poſteà ad Religionem vadat. Ita Scotus *in* 4. *diſtinct.* 30. *quæſt.* 2. §.2. *in fin.* Navarrus *comment.* 1. *de regul.* §. 4. Rebellus *quæſt.*8. *de Sponſ. ſc.* 6. & alij apud Sanchez *diſput.* 43. *num.* 2. SECVNDA aſſerit, eum peccaturum mortaliter in caſu, ſi matrimonium contrahat. Et probatur, quia tale matrimonium contrahens ſe exponeret periculo mutandi bonum propoſitum, & manendi in ſæculo: at nemo tenetur ſe exponere tali periculo. Ergo. Confirmatur, quia diſſonat rectæ rationi, ut quis dominium ſui corporis alteri tradat, ſeque obliget ad id, quod poſitivè vult non implere. Confirmatur iterum, quia ſic contrahens mentitur in ipsâ celebratione Sacramenti: nam illa verba *Accipio te in meam*, per naturam Sacramenti reſtricta, æquivalent his, *Accipio te, ut in perpetuum ſis mea.* At ille non vult, ut in perpetuum ſua ſit. Ergo apertè mentitur. Confirmatur tertiò, quia ſic contrahens ſponſam decipit; quæ contrahere nollet, ſi eius voluntatem cognoſceret. Prætereà, ſummam injuriam illi infert, nam cogit, ut ſine nuptiis maneat, donec profiteatur; &, ſi à Religione egrediatur, teneatur eum illa cum dedecore admittere. Vnde Iura, quæ poſt Matrimonium ratum, ut alteruter tranſeat ad Religionem permittunt; ut cum hac intentione contrahat & Sponſam decipiat, non permittunt. Ita Sanchez *diſput. cit. in fin.* TERTIA ſententia illorum eſt, qui utramque judicarunt probabilem. Ita Richardus *in* 4. *diſtinct.* 26. *artic.* 2. *quæſt.* 4. Molina *tom.* 1. *de Iuſt. diſput.* 149. Adhæret Amicus *tom.* 9. *diſput.* 32. *ſect.* 4. *pag.* 326. *a. num.* 22. & ex illâ duo Corollaria deducit. PRIMVM. *Non tenetur Sponſus iurata Sponſalia implere: ſed poteſt ſtatim, invitâ etiam ſponsâ ad Religionem tranſire; niſi aliqua* [a] *urgens cauſa oppoſitum ſuadeat*, & Paludanum *in* 4. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 1. *art.*3. & *diſtinct.* 28. *quæſt.*5. *art.*3. *ſuppl.* Gabrielem *diſtinct.*27. *quæſt.*2. *art.*2. §. *ſext.* Sotum *quæſt.*2. *art.*5. §. *dub. hic.* Henriquez *lib.*1. *de matrim. cap.*13. *num.*3. & *cap.*14. *n.*3. Ludovicum Lopez 2. *part.* Inſtr. *Conſ. cap.*38. §.2. Suarium *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *de Iuram. cap.* 13. Coninckium *diſput.*23. *dub.*3. *concl.*2. Poncium *lib.*12. *c.*10. Hurtadum *diſp.*2. *diffic.*5. pro illo tuendo producit. SECVNDVM. *Etſi non teneatur ſponſus ante Religionis ingreſſum matrimonium contrahere; nullum tamen per ſe erit peccatum, ſi illud contrahat, ubi probabile periculum alicuius mali non tenetur* (lege, *timetur.*) Ita Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 13. & alij. Hoc autem ego non intelligo: nam mentiri in formulâ Matrimonij, mortale eſt.

Forma verborum in Matrimonio perpetuitatem importat.

Quomodo intelligenda Iura ſint, quæ poſt Matrimonium ratum non conſummatum ingreſſum Religionis concedunt?

a] Argumentū quod à Matrimonio rato ſumitur eſt fortiſſimū: nā ſi poſſū reſcindere contractum poſt traditionem, à fortiori potero poſt promiſſionem.

In Sponſalibus iuratis oportet videre, quid iuretur.

Interim quando Sponſalia juramento firmantur, vellem doceri quid juretur. An Sponſa, quæ juramentum poſtulat, *Matrimonij* nomine ratum, an verò conſummandum intelligat: nulla enim juramento vellet Sponſalia firmare, ſi de rato ageretur tantummodò. Et quis ſponſum deobligaverit, ſi inire & conſummare matrimonium interpoſito juramento promiſerit? Et Matrimonij conſummationem eſſe juramenti materiam, nemo negare poteſt: nam ſub opportunis circunſtantiis eſt materia voti, ut Leſſius *de Iuſt. cap.*40. *dub.*7. *num.*44. Sotus *lib.*7. *de Iuſt. quæſt.*1. *art.*3. Coninck *de Sacram. diſp.* 22. *dub.*10. *pag.*704. *b. n.*61. & alij Doctores affirmant.

MMMDCXCVII.

An Matrimonij conſummatio ſub iuramentum aut votum poſſit cadere?

Petis, *An Ordines diſſolvant Sponſalia?* Reſpondeo primò, illa per majorum ſuſceptionem diſſolvi Ita Ioann. XXII. *in Extr. Antiquæ.* Reſpondeo ſecundò, eadem per minorum Ordinum ſuſceptionem non diſſolvi. Eſt communis nam hi Ordines Statui connubiali non

An Sponſalia per ſuſceptionem Ordinum, aut etiam per votum ſuſcipiendi Ordines diſſolvantur?

repugnat. Reſpondeo tertiò, eadem per votum ſuſcipiendi Ordines majores non diſſolvi. Non enim poteſt promiſſio cum damno & præjudicio promiſſarij in melius commutari. Ita Paludanus *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 3. *concluſ.* 5. *immediatè ante caſ.* 6. Cui conſonare videtur Ludovicus Lopez, Sanchez, Coninck, Rebellus, Præpoſitus, Hurtadus, & alij. Oppoſitam probabiliorem eſſe aſſerit Amicus *loc. cit. pag.* 329. *b. num.* 33. & eam Azorij, Laymanni, Bonacinæ, Poncij, Sylveſtri, Angeli, & aliorum teſtimonio confirmat.

Profeſſionis ſolennis & maiorum Ordinum analogia.

Tu eum, qui poſt Sponſalia ſolenniter profeſſus eſt, cum eo, qui majores Ordines ſuſcepit compone: etiam eum, qui votum ingrediendi & Profitendi in Religione emiſit, cum eo, qui ſe majores Ordines eſſe ſuſcepturum vovit Deo, vel juravit. Si Sponſalia fuerant juramento firmata, oportet paragraphum *Interim* præcedentem relegere; & bene perpendere, quæ fuerit interpoſiti juramenti materia; An-ne Matrimonij contractio, an conſummatio? quoniam ex hac inadvertentia ortâ fuit opinionum varietas: nam, ſi juramentum cadere ſupra conſummationem dicatur, ceſſant difficultates.

Quid præſtet votum Caſtitatis?

Quantum autem in hoc genere poteſt votum Caſtitatis? Certum eſt illud, ſi præcedat Sponſalia dirimere. Quid, ſi ſequatur? ſunt duæ opiniones, tam à ratione, quàm ab authoritate probabiles. Negativam tuentur Coninck *diſp.* 23. *dub.* 2. *concl.* 7. Hurtadus *diſput.* 2. *diff.* 3. & alij qui Panormitano, Hoſtienſi, Sylveſtro, Armillæ, Navarro, Paludano, Gabrieli, Ludovico Lopez, Sanch. conſonant. Ratio potiſſima pro hac ſententiâ ſumitur ex *c. Veniens, qui clerici, verb. de ſeveritate,* Ibi enim mulieri, quæ poſt Sponſalia votum caſtitatis emiſit, imponitur pœnitentia de violatâ fide. Et inde ſic argumentātur. [Imponitur pœnitentia. Ergo votum Sponſalia non diſſolvit: quia, ſi diſſolveret, pœnitentia non imponeretur.] Et ego oppoſitum ex hoc capite inferrem. Sic enim dicerem. [Imponitur pœnitentia: ergo Sponſalia fuerunt ſoluta; ſi enim ſoluta non eſſent, non puniretur illa mulier, ſed juberetur fidem Sponſalium ſervare] Vtuntur alio argumento, quod ſimiliter videtur elumbe, inquiunt enim. [Deus non acceptat rem alteri promiſſam. At illa per Sponſalia corpus promiſerat ſponſo. Ergo illud non poterat vovere Deo: nec à Deo acceptaretur: ſi promitteret.] Aio hoc argumentum eſſe ſimile huic. [Deus non acceptat rem alteri traditam. At fœmina per matrimonium corpus tradit ſponſo. Ergo illud non poteſt vovere Deo: nec à Deo acceptabitur, ſi voveatur.] Et hoc argumentum de matrimonio rato formari poteſt, illud enim non jam promiſſionem, ſed corporum traditionem importat. Amicus *tom.* 9. *diſput.* 1. *ſect.* 1. *pag.* 3. *a. num.* 10. [Definiri poteſt, mutua corporum unius in alterum traditio, ad communem prolem progignendam externo ſigno expreſſa, &c. Infertur, ſtatim poſt mutuam corporum traditionem verbis de præſenti expreſſam, ante ullam carnalem copulam & obligationem, niſi tantùm ex Iuſtitiâ reddendi ſibi invicem maritalem debitum, contrahentes eſſe ac dici verè conjuges.] At certum eſt per votum ſolenne dirimi matrimonium ratum. Ergo non ſolùm rem alteri promiſſam, ſed alteri traditam, ſi circunſtantiæ convenientes ſuccurrant, acceptat Deus.

Quid dicendum ſit, ſi præcedat? Quid, ſi ſequatur?

Quid ex capite Veniens probetur?

An, qui Sponſalia contraxit poſſit vovere Caſtitatem?

MMMDCXCVII. *b.* *Per Matrimonium ratum verè traditur corporum mutua poſſeſſio: nam uſus ad conſummatum ſpectat.*

MMMDCXCVIII. *Si votum ſit totale & validum dirimet Sponſalia.*

An poſt Sponſalia votum totale Caſtitatis ſit validum?

Hinc prodiit altera ſententia, quæ aſſerit Sponſalia per Caſtitatis votum dirimi. Eam multi amplectuntur Canoniſtæ, quos Sanchez *diſput.* 46. *num.* 7. nominat. Conſentiunt multi etiam Theologi *in* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 2. *artic.* 3. Eam habent Cajetanus, Sotus, Henriquez, Suarez, Vaſquez, Azor, Sylvius, Layman, Poncius & alij. Hanc Sanchez, licet contrariæ adhæreat, probabiliſſimam & tutiſſimam vocat, eamdemque Amicus *tom.* 9. *diſput.* 32. *ſection.* 5. *pag.* 332. *a. num.* 40. tanquam probabiliorem defendit. Sed tamen illorum fundamentum eſt debile: inquiunt enim. [Propter ſimplex votum ſunt Sponſalia dirimenda, quia eſt fortius vinculum.] Et ego vellem, quod nihil ſupponerent, ſed, quod dicunt, probarent.

Totalis & partialis diſcrimen.

Ego puto non admitti à Deo votum, quod fit cum alterius injuriâ, nec licēre privato Theologo transferre ad ſimplex votum privilegia, quæ Eccleſia ſolennis conceſſit. Et ideò votum ſimplex Caſtitatis in totale & partiale divido: totale voco, quod debitum nec reddere, nec petere pollicetur; partiale, quod ſolùm promittit non petere. Poſt Matrimonium ratum poteſt alter ingredi Religionem, & ſolenniter Caſtitatem vovere: &, ſi hoc fecerit, non debet alter conqueri, qui enim ſuo utitur jure, nemini infert injuriam. Ergo etiam hoc ipſum poterit facere poſt Sponſalia, quæ ſunt Matrimonium promiſſum. At, ſi agatur de voto ſimplici, poſt Matrimonium ratum non poteſt alter conjux totale votum Caſtitatis emittere, quia eſſet contra juſtitiam. Ergo, nec poſt Sponſalia, ſine injuſtitiâ poterit votum totale emittere. Ergo votum erit partiale, de non petendo debito. Et hoc non opponitur Matrimonio promiſſo.

An Sponſalia inita cū uno dirimant contractū Matrimonium cum alio?

Venio ad Matrimonium: & *Vtrum illud priora Sponſalia dirimant*, inveſtigo. Si uterque ſponſus ad alia vota tranſeat, & matrimonium de facto contrahant, priora Sponſalia diſſolvi indubitatum eſt. Etiam eſt extra controverſiam ea diſſolui, quando alter tantùm init matrimonium, ſi hoc faciat cum licentiâ alterius: at in hoc caſu non tam matrimonium, quam mutuus conſenſus rumpit vinculum. Ergo tota Quæſtio reſpicit, ut exponamus, quomodo debeat caſus iſte decidi. [Cum Iſabellâ Theodomirus Sponſalia contraxerat: & eâ neglectâ duxit de facto Auſoniam, cum quâ paucis annis in vero matrimonio vixit. Auſonia moritur: manet Theodomirus: &, ut ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat, inquirit, An maneant priora Sponſalia? An reviviſcant ſaltem? an verò ſit liber?]

Caſus proponitur.

Reſpondeo ex S. Bonaventurâ *in* 3. *diſt.* 39. *artic.* 2. *quæſt.* 2 *in fin.* extinctas obligationes minimè reviviſcere, *l. qui res, §. 1. eam, D. de ſolut.* & *can. quæris, de conſecr. diſt.* 4. Addo MMMDCXCIX.

eas,

Digitized by Google

Aliud eſt obligationē extingui, & aliud ſopiri.

eas, quæ reviviſcunt, non fuiſſe extinctas, ſed ſopitas. Et ſubjungo per hanc doctrinam non reſolvi Quæſtionem, ſed exponi; ita, ut debeat reponi à petente, *Sopiantur ne, an verè extinguantur omninò Sponſalia, ſi aliud contrahatur matrimonium de facto.*

Extingui aſſerit prima ſententia. Eam amplectitur Sanchez *diſp.* 48. non paucos Canoniſtas allegans. Conſonat Paludano Henriquezio, Gabrieli, Rebello, Bonacinæ, & aliis.

Per aliud Matrimonium ſuperveniens ſopiuntur & non extinguuntur Sponſalia.

Tantùm ſopiri docet altera. Et hanc præferendam eſſe monet Amicus *tom.* 9. *diſput.* 32. *ſect.* 6. *pag.* 333. *a. num.* 44. his verbis. [Secunda affirmat teneri. Coninck *diſput.* 23. *dub.* 4. *concl.* 3. Poncius *libr.* 12. *cap.* 13. *num.* 4. Hurtad. *diſput.* 7. *de matrim. diff.* 7. Pro quâ etiam citatur Adrianus, Petrus de Ledeſma & alij recentiores, quos ſuppreſſo nomine refert Sanchez, qui etiam hanc probabilem cenſent. Limitant illam, niſi ſit nimis ſenex; aut tot cum prima ſuſceperit liberos, ut nimiùm grave illi ſit alios gignere & alere. Vtraque ſententia eſt probabilis: hæc ſecunda probabilior: quia nullum eſt in Iure pro primâ fundamentum, cum nulla in citatis (à contrariæ opinionis aſſertoribus) locis fiat hujus difficultatis mentio.]

At Ego ſententiam ipſam primò, & poſteà Amici verba conſiderabo.

Quomodo debitum extinguatur? Quomodo ſopiatur?

Circa ſententiam dico, eam eſſe ſolam veram, quæ in caſu aſſerit *Sponſalia ſopiri*: debitum enim extinguitur per ſolutionem, aut incapacitatem perpetuam, non verò per incapacitatem temporaneam. Nam, ſi Petrus debeat Ioanni centum aureos, extinguetur debitum, ſi ſolvat, extinguetur, ſi ſolenne votum paupertatis emittat. Quod, ſi per annum fuerit pauper, illud non extinguetur, ſed ſopietur; &, cùm ad pinguiorem venerit fortunam redibit. Idem de Sponſalibus dico. Ioanna ſpopondit ſe Petro. Manet poſt ſponſionem debitum contrahendi Matrimonium cum Petro. Extinguetur, ſi contrahat cum Petro, & præſtet hoc ipſum, quod promiſit. Extinguetur, ſi Petrus aut ſolenniter profiteatur, aut Ordinem majorem ſuſcipiat; quia alterutrum faciendo, perpetuam incapacitatem incurrit. At Ioanna nupſit Carolo. Ergo Sponſalia priora non extinxit. Probo conſequentiam. Ioanna debebat Petro nubere; & tamen nupſit Carolo: Ergo non ſatisfecit debito: Ergo per ſatisfactionem debitum non extinxit. At Ioanna per Matrimonium initum cum Carolo non incidit in perpetuam incapacitatem. Ergo mortuo Carolo ceſſabit incapacitas, & prior obligatio redibit.

Quomodo extinguantur Sponſalia? Quomodo ſopiantur?

Sententia, quæ dicitur fundamento carere, non poteſt vocari probabilis.

Circa verba noto, limitationem illam non cadere ſupra Matrimonium; quia, etſi non interveniſſet Matrimonium, circumſtantiis graviter alteratis & mutatis, ceſſaret obligatio Sponſalium. *Prætereà*, quomodo eam eſſe probabilem affirmat, quam nullum in Iure habere fundamentum fatetur: deberet enim habere non ſolum aliquale, ſed grave, ut probabiliter defenderetur.

Vt finem huic tandem Diſputationi imponas, inquiris, *An Sponſalia priora per poſteriora diſſolvantur*? Diſtinguit Poncius *capi.* 14. *num.* 4. nam, vel Sponſus (1) cum neutrâ habuit copulam, vel (2) cum utráque habuit copulam: vel (3) cum primâ tantùm, vel (4) cum ſecundâ tantùm. In primo & tertio caſu præcipit permanere Sponſalia priora. In quarto priora per poſteriora diſſolvit: nam prior Sponſa, ut putat, haberet jus ad lucrandum, poſterior ad damnum illatum reſarciendum: & quia in majori eſſet neceſſitate conſtituta poſterior, hanc ob rem illi potiùs proſpicitur. In ſecundo iterum ſubdiſtinguit: ſi enim copula, cum priori Sponſalia facta cum poſteriori præceſſit, ceſſat quæſtio; nam in pari fortunâ priori conſuli debet: ſi non præceſſit, quando erat copula cum poſteriori, & non cum priori, priora diſſoluta ſunt Sponſalia: quæ ſemel diſſoluta non poſſunt per novam ſupervenientem copulam revalidari. Sic diſcurrit Poncius contra Sanchez *diſp.* 49. *n.* 5. Sed, ut mihi videtur, Poncij fundamentum non eſt firmum. Porrò non debet tenere promiſſio fortior, ſed antiquior: Et, ſi fortiorem manuteneri jubeas, promiſſio ſecunda de re alteri promiſsâ fit, & ideò eſt invalida; &, ſi eſt invalida, non erit priori fortior. Quando eſt materia gratiæ, proſpicitur miſerabiliori: quando eſt materia Iuſtitiæ, conſideratur debitum. Et, ſi diviti debet decem ſcuta v. gr. aliquis, qui non eſt ita dives, cogetur per ſententiam ſolvere, nec æquum erit dicere, *Faveat ſententia minus diviti.* Hæc ſunt tam certa, ut, qui ſecunda Sponſalia juramento firmarit, debeat obſervare priora. Vnde Tabiena *in ſumm. verb. Sponſalia, num.* 10. dicit. *In cap. ſicut, habetur, quòd ſecunda de futuro etiam iurata non præiudicant primis de futuro non iuratis.* Et citatur Hoſtienſis & Panormitanus. Qui olim dicebant, Sponſalia poſteriora, ſi accedat copula præjudicare prioribus, quibus copula non acceſſerat, ideò hoc dicebant, quoniam per copulam tranſeunt in matrimonium de præſenti, & matrimonium dirimit Sponſalia, unde iterum Tabiena *loc. cit.* clariſſimè. *Si primò contraxit per verba de futuro, ſecundo per verba de præſenti, adhærebit ſecundæ: & ſecundum Panormitanum & Hoſtienſem iſtud capitulum idem dicit, quod capitulum. Sicut; & capitulum penultimum, de Sponſalibus. In iſto capitulo primo in Gloſſa habetur, quòd ſi fuerunt prima de futuro, & etiam ſecunda, & ſequitur copula cum ſecunda, habentur pro matrimonio; ſecùs, ſi copula præcederet.* Sed Sponſalia ſequente copula non tranſeunt in matrimonium, ubi Concilium Tridentinum receptum eſt; imò poſt Sponſalia haberi poteſt copula affectu fornicario, etiam ubi non eſt receptum Tridentinum. Nam, ſi tuum equum promiſeris poſt menſem dare Petro, & illum ipſe cras ſibi commodari poſtulet, & tu concedas, hæc conceſſio non debet cenſeri donatio. Ergo, ſi Titius ſe Iuliam poſt menſem ductorum promiſerit, poterit illi ſui corporis uſum cras commodare, cum animo non tradendi dominium: quod ita

MMMDCC. N.B.

Sedet pro tribunali Poncius, nō ut ſecūdum leges iudicet, ſed ut novas ferat, in quibus ſub ſpecie pietatis de ſuo, perſonæ miſerabiliori faveat.

Quod pauperior ditiori debet ſolvere tenetur.

Sponſionem priorem non dirimit poſterior, etſi iuramento firmetur.

Sponſalia cum unâ facta copula matrimonialiter habita cum altâ nō diſſolvit ſed ſuſpendit.

Poteſt ſponſus cum ſponsâ committere fornicationem, etiam ubi non eſt admiſſum Tridentinum.

eſt verum, ut ipſis innotuerit Gentilibus: nam Vlpianus *lib.36.ad Sabin.* ſcitè ſcripſit, *Nuptias, non concubitus, ſed conſenſus facit.* Eſt Iuris Cæſarei Regula X X X. *ex leg.15. de cond. & demonſtr.* deſumpta. Ergo dicendum eſt, Sponſalia per matrimonium cum aliâ ſopiri: non verò per Sponſalia cum aliâ, etiamſi firmentur ſecunda juramento, aut ſopiri, aut diſſolvi: nam juramentum de non ſervandâ promiſſione, iniquum eſt: nec obligare poteſt, quod contra Iuſtitiam emittitur.

MMMDCCI. *Caſus proponitur.*

Vberioris doctrinæ gratiâ adhuc unum Caſum proponis. Cum Antoniâ contraxit Sponſalia Ferdinandus: & modò re meliùs perpensâ vult in uxorem ducere Antoniæ ſororem Petronillam: & inquiris, *An poſſit?*

Quid ſit Publica honeſtas, & per quot gradus Matrimonium dirimat?

Ponis Antoniam non fuiſſe cognitam à Ferdinando, & addis Petronillam à Ferdinando fuiſſe cognitam. Eſto. Non erit inter Ferdinandum & Petronillam, Antoniæ ſororem, affinitas, & niſi aliud obſtaret Poncius diceret Sponſalia poſteriora propter copulam ſubſequentem tenere. Sed impedit publica honeſtas. Hoc autem impedimentum naſcitur ex Sponſalibus validis & ad primum tantum gradum ſe extendit, quam ob rem Ferdinandus vivâ vel mortuâ Antoniâ non poteſt cum eius matre, filiâ, vel ſorore contrahere. Ita *in cap. unic. de ſponſal. in 6.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.24.cap.3.* Diana *part.9.tract.6. reſol.53.*

An hoc impedimentum ſolutis Sponſalibus ceſſet?

Et quid, ſi Antonia condeſcenderet, ſoremque ſuam nubere Ferdinando permitteret? Porrò ex utriuſque conſenſu diſſolvi Sponſalia certum eſt. Solutis Sponſalibus hoc impedimentum ceſſare tenet Rebellius *part.2. lib.3. quæſt.14. num.3.* & Diana *part.1.tr.4. reſol.222.* Cotonius *in ſumma, verb. Sponſalia, num.16.* qui ſic declaraſſe Cardinales affirmant.

An poſt mortem ceſſet?

Impugnat hanc ſententiam Sanchez *tom.2. lib.7. diſp.65. num.21.* qui argumentatur ſic. Per mortem non ſolùm Sponſalia, ſed ipſa matrimonia ſolvuntur: at impedimenta poſt mortem remanent. Ergo etiam manebit honeſtatis publicæ impedimentum, etſi Sponſalia communi conſenſu dirimantur. [Sed hoc argumentum, inquit Cotonius, non eſt firmum: nam ideò mortuo Sponſo

Impedimentorum Matrimonialiũ efficacia & extenſio non ex naturâ rei, ſed ex Eccleſiæ voluntate deſumitur.

Sponſalia non diſſolvuntur, quia ille præſumitur deceſſiſſe, vel ſaltem debuiſſe decedere cum eâ voluntate cum quâ contraxit Sponſaliâ, in noſtro autem caſu adeſt voluntas expreſſa diſſolutionis Sponſalium.] At mihi videtur infirma impugnatio; non enim ratio formalis impedimenti à voluntate Sponſi debet ſumi, ſed à voluntate Apoſtolicæ Sedis. Quoniam in mundi initio, etiam inter fratrem & ſororem matrimonium validè & licitè contrahebatur. Antiqui Eccleſiæ Canones conſanguinitatis & affinitatis impedimenta ad ſeptimum gradum extendebant; ſed jam modò contraxerunt ad quartum, *cap.non licet.de conſang.& affin.* Olim tria erant affinitatis genera, unde erat ille verſus, *Mutat nupta genus, ſed generata gradum.* Et ex ipſis ſaltem duo matrimonia impediebant, *35.q.4. cap.contradicimus.* [Modò prohibitio illa ceſſavit, & manet ſolùm ſub prohibitione primi generis affinitas, in quo eſt vera affinitas, *cap.non debet, de conſang.*] inquit Tabiena *in ſumm. verb.impedimentum IV. num.4. pagin.48.a.* Stat ergo omnia hæc impedimenta ab Eccleſiæ voluntate pendere; adeoque, qui de illis diſputant, non debere aliò recurrere, quàm ad prudentem & providam Eccleſiæ voluntatem. Debuiſſet ergo Cotonius oſtendere velle Apoſtolicam ſedem, ut impedimentum remaneat, ſi Sponſalia diſſolvuntur per mortem; nolle autem, ſi per mutuum conſenſum diſſolvantur.

An affinitas ex Matrimonio rato & non conſummato proveniat.

Porrò ex Rebellij opinione argumentum ſumitur ad matrimonium ratum: & neſcio an ille conſequentiam admitteret. Ex matrimonio rato, non conſummato, non oriri impedimentum affinitatis, ſed publicæ honeſtatis ait Gutierrez *cap.54. num.23.* contra præpoſitum *in 3. part. quæſt.7. dub.11. num.88.* & probat quia affinitas verbis dicitur, ſed non contrahitur, ut declaravit Pius V. in Bullâ, *ad Romanum*, & Sacta Congregatio apud Rebellium *loc.cit.num.109.* Farinacium *in ſeſſ.44.cap.3.* & Dianam *part.7.tract.8. reſol.25.* Vnde, cùm de fide ſit per alterius ſolemnem profeſſionem ratum matrimonium diſſolvi, ut definivit Tridentinum *ſeſſ. 24. can.6.* & probabile ſit per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem etiam diſſolvi: ſequeretur eo ſemel diſſoluto impedimentum publicæ honeſtatis ceſſare: unde, qui Ioannam duceret, ſi vel illa fieret religioſa vel in matrimonio rato diſpenſaret Eccleſia, poſſet validè & licitè ſororem Ioannæ ducere, quin diſpenſatione indigeret. Tu tamen, quidquid de Dialecticâ ſit, ſubſcribe Coninkio, qui *tom. de Sacram.diſp.32. dub.5.* ſic ait. [Tridentinum *ſeſſ.24. cap.3. de reform.matrim.* hoc impedimentum quatenus provenit ex ſolis Sponſalibus, quoties hæc quâcumque ex cauſâ ſunt irrita, prorſus tollit; ubi autem valida ſunt, vult primum gradum non excedere, &c. Matrimonium ratum, ſive validum, ſive irritum, eodem modo jam inducit impedimentum, quo ante Tridentinum; quia Tridentinum, ſolùm loquitur de Sponſalibus. Ita declaravit Pius V. in Bullâ *ad Romanum*, editâ ann.1568.]

DISPV

DISPVTATIO II.

METETHICA.

De Sacramento Matrimonij.

MMMDCCII. *An omne Matrimonium ſit Sacramentum? An perpetuum?*

CONTRACTVS Matrimonialis ex naturâ ſuâ Sacramentum non eſt; nam Ethnici veras vxores habent, nec tamen pacto Sacramentali copulantur, Ex naturâ ſuâ non eſt perpetuus; præſcindendo enim à lege divinâ, quis probabit libellum repudij eſſe iniuſtum, aut non poſſe concordi animo dirimi matrimonium ratum & conſummatum? Multa habet hodie contractus iſte ſecundum ſe conſideratus, quæ lege ſunt Divinâ reſtricta: & multa etiam hodie apud Chriſtianos habet, quibus apud Ethnicos caruit, caretque, quia ad dignitatem Sacramenti elevatus, dirigitur Chriſti & Eccleſiæ legibus, à quibus habet vt multis ſtrictiùs apud nos, quàm apud Ethnicos & infideles exponatur.

Quâ verborum formâ Mechoacenſes celebrent Matrimonia?

Vſi ſunt Veteres Gentiles variis formulis, vt ſe teſtarentur contrahere; cæteras vt minùs neceſſarias, omittam, vnamque exponam, quam lego in Theſibus ſub R. P. Ludovico Connæo S. Theologiæ Profeſſore (iam cœli incolâ) anno 1650. defenſis. *Mechoacenſes in Indiâ validè ſponſalia, imò etiam matrimonia ineunt his, vel ſimilibus verbis: Ego te ſepeliam quando morieris.* Nota bene fidelitatem gentis barbaræ. Videntur velle matrimonium non diſſolvi morte, ſed funere, ita vt mortuâ vxore & nondum ſepultâ maritus ſolutus nondum ſit.

An non morte, ſed funere Matrimonium ſolvatur?

Obiectio.

Putaret fortè aliquis formam hanc ſufficientem non eſſe: & probaret hoc modo.

An per verba æquivoca, quæ poſſint aliud præter matrimonium ſignificare, illud ineatur?

Contractus, qui inter duos viros aut duas fœminas etiam validè poteſt iniri, non eſt matrimonialis. At iſte contractus, *Ego te ſepeliam cùm morieris*, &c. *Et ego viciſſim te*, &c. poteſt iniri à duobus viris, à duabus fœminis. Ergo non eſt matrimonialis. Sed hæc ratio non vrget, facili enim negotio ſe expediet reſpondens, ſi diſtinguat ſignificationem verborum Grammaticam, Politicamque, & dicat huius contractûs verba ſumpta grammaticè, ſignificare quantum ſonant: at ſumpta politicè, æquipollere his, *Duco te in meam* & *Accipio te in meum*, limitata enim à circunſtantiis conſignificantibus ſignificant contractum Matrimonij, nam & iſta, *Accipio te in meam*, &c. grammaticè ſufficientia non ſunt; puta, ſi intelligas, *an illam, villicam, coquam*; &c & tamen Politicè ſufficientia ſunt, quia circunſtantiæ adiacentes reſtringunt latiùs patentem vocem, & imperant, vt ſubintelligamus *vxorem*.

Alia eſt verborum ſignificatio Politica alia Grammatica.

Circunſtantia reſtringunt.

MMMDCCIII. *An mortuos Mechoacenſes ſinguli, ſepelire poſſint?*

Interim, ratio poſtulat, vt ſepeliendi ius apud Mechoacenſes non ſit commune, ſed ad ſuperſtitem coniugem ſpectare. Nam, ſi cœlibes ſepeliat Reſpublica, & maritum vxor, idem erit dicere, *Ego te ſepeliam*, ac dicere, *Ego ſum tua vxor.*

Hinc patet in Republica, in quâ omni cœlibi eſſet liberum condere teſtamentum, quod interdiceretur coniugatis quod vidua in bonis mariti debeat neceſſario ſuccedere, idem fore dicere, *Ego in tuis bonis extra teſtamenum ſuccedam*, ac dicere *Accipio te in maritum meum.*

Quibus Indis?

Etiam eſſet validus contrahendi Matrimonium modus in India in locis in quibus omnes & ſolæ vxores comburuntur cum marito defuncto, dicere, *Ego tecum comburar.* quoniam his verbis ſatis clarè Matrimonij vinculum ſignificaretur.

Apud Chriſtianos non ſunt verba aliqua determinata: at illa ſigna poſſunt & debent poni, quæ ſignificent connubialem conſenſum: nulla alia.

In Iberiâ Aſia, quæ hodie vocatur la Mengrilla,

Et quia Iberi Hiſpani, vix vllam habent notitiam Iberorum, qui in Aſiâ, quo iſti modo & formulis ſua celebrent Matrimonia explicabo. Omittam Quæſtiones Hiſtoricas, non enim mea impræſentiarùm intereſt examinare, An Aſiatici ab Hiſpanis, an verò Hiſpani ab Aſiaticis, an verò neutri à neutris proveniant? nam in rebus tam tempore & loco remotis, etſi adhibeam laborem, non luces, ſed fulgura Veritatis inveniam. Ipſi Chriſtiani ſunt, Patriarcham Conſtantinopolitanum ſuperiorem agnoſcunt, & in Sacramentorum adminiſtratione ſuos abuſus habent: & quo Matrimonium modo celebrent impræſentiarùm exponamus. D. Archangelus Lamberti Clericus Regularis, qui multis annis habitavit ibidem librum curioſum edidit, qui *Relatione della Colchide* inſcribitur & cap.16.pag 96.ſic inquit [Congregata la gente, & apparecchiato il tutto, prima de ſederſi a tavola, ſi chiama o'l Parocchiano, o qualcque Veſcovo per celebrarſi il Matrimonio, Ecce etiam ibi clandeſtina Matrimonia quæ ineuntur ſine præſentiâ Parochi non admittunt.) E ſe in qualla caſa vi fuſſe capella, verſo di quella tuta quella comitiva con li novelli ſpoſi s'indrizano: ma ſe a caſo non vi fuſſe, in vece diquella vanno in [a] cantina (la pari della Chieſa reveriſcono) e qui celebrano il Matrimonio in queſta maniera Eligono gli ſpoſi vn padrino, qual deue aſſiſtere à varie funtioni di quello: dopo il ſacerdote veſtito delle ſacre veſti introduce gli ſpoſi nella Chieſa, ó vero in Cantina [a] i quali tengono vna candela per vno nelle mani acceſa. Præcedono gli ſpoſi, e ſiegue il Sacerdote, che porta due corone nelle mani da porſi nelle teſte de nouelli ſpoſi Entrati dentro con tutta la gente, il Sacerdote recita dal ſuo rituale molte orationi ſopra de' ſpoſi, e finite queſte

Habent Patrinû celebraturi Matrimonium.

a] An Eccleſiam à cellâ vinariâ diſtinguant?

Quâ verborum formulâ contrahant Matrimonium?

mette ſopra de capo dello ſpoſo prima vna delle corone, dicendo; *Si coroni il ſeruo di Dio N. per la ſerua di Dio N.* Dopò metendo l'altra ſopra la teſta della ſpoſa, dice. *Si coroni la ſerua di Dio N. per il ſeruo di Dio N.* Indi

Prius Sponſo, & poſteà Sponſæ Epiſcopus hauſtum vini propinat.

prendendo vn bicchiere pieno di vino nelle ſue mani, lo porge à bere primo allo ſpoſo, e doppo alla ſpoſa; ſoſtendendo frà tanto il padrino le corone da dietro, accio che nel bere non caſcaſſero in terra Beuuto che hanno, il Padrino con vn ago, e con filo

Veſtes vtriuſque conſuit.

coſe le veſti de gli ſpoſi inſieme, & hauendo il ſacerdote recitate alcun' altre orationi leua le corone di capo a gli ſpoſi, ſoſpendendole nella Chieſa, & il Padrino con vn coltello

Denique illa ſcindit.

ſcoſe le veſti de ſpoſi; e coſi remane il Matrimonio celebrato, non pigliando giammai fra queſte cerimonie il conſenſo de'ſpoſi. Terminata la ceremonia della Chieſa, vanno tutti con maggior contento, e giubilo a

An ſponſi ſignis externis ſuū conſenſum exhibeant?

celebrare vn ſolenniſſimo conuito, Et] in huiuſmodi Matrimonio ſatis clarè conſenſus ſponſorum in ſignis externis percipitur: niſi enim copulari velint, hæc omnia quæ facere jubentur non facerent. Ergo non eſt, cur conqueratur Archangelus, quòd non petatur ſponſorum conſenſus.

Quibuſnam legibus Matrimonia regantur?

Sanè apud Chriſtianos Matrimonium eſt contractus naturalis, ciuilis, & Sacramentalis, quà naturalis ſubeſt legi naturæ; quà ciuilis ſubeſt Iuri Cæſareo & legibus Principum ſæcularium: quà Sacramentalis ſoli Iuri Eccleſiaſtico: poteſt enim ex causâ legitimâ Eccleſia Principum jura abrogare aut contrahere. Ita S. Thomas *in 4. diſt. 34. quæſt. vnic. artic. 1. ad 4.*

Ens Matrimoniale.

MMMDCCIV. *Quid illud ſit?*

Omnia, quæ hoc vltimum Sacramentum concernunt, *Matrimonialia* dicuntur, conveniunt in conceptu quodam intrinſeco aut extrinſeco; videlicet, in ratione *Entis Matrimonialis:* quod in ſua Prædicamenta dividitur; de quibus breviter eſt diſputandum.

Svbstantia Matrimonialis.

Quid Matrimonium ſit?

Mvltæ ſunt definitiones Matrimonij quas tradunt & exponunt Doctores; at omnes eò tendere debent, vt inſinuent illud eſſe quoddam ſignum coniunctionis maritalis indiſſolubilis: quæ enim diſſolvi poteſt, non eſt Sacramentalis, nec Chriſtiana. Apud Summiſtas ſic ſolet hoc Sacramen-

Præponuntur varia definitiones.

tum definiri: *Matrimonium, eſt coniunctio maritalis legitima viri & fœminæ nullo impedimento dirimenti obnoxiorum individuam*

Quid illud ſit?

vitæ conſuetudinem retinens. Auguſtinus lib. de Virginit. Beatæ Virgin. *Eſt legitima Societas inter virum & fœmin. in quâ ex pari conſenſu ſemet ipſum alter alteri debet.* Magiſter in 4. diſt. 22. *Eſt viri mulieriſque coniunctio maritalis, inter legitimas perſonas vitam indiſſolubilem retinens.* Et vt eius paſſiones, proprietates, & onera explicet, à diſt. 26. ad 42. piè & doctè diſcutit. Vt autem habetur 22. quæſt. 2. §. 1. *Eſt coniunctio maris & fœminæ, inter perſonas legitimas, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Et, vt vberiùs Theologi dicunt: *Eſt legitima & indiſſolubilis coniunctio vnius maris & vnius fœminæ, ordinata ſancita & approbata à Deo, ad procreationem, & ad vitandas libidinum confuſiones, vt Deo in caſtitate ſerviamus, & hoc modo genus humanum conſervetur & propagetur vt ex eo æterna Eccleſia colligatur.* Coninck tom. de Sacram. diſp. 24. dub. 1. pag. 721. a. num. 3. ait Matrimonium eſſe *contractum, quo legitimæ perſonæ in ſua corpora ſibi mutuum dominium tradunt ad vſum matrimonij.* Vide cap. illud quoque de præſumptionibus & §. 1. Inſtit. de patriâ poteſt, & S. Thomam in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 1.

Neceſſarius eſt legitimus vtriuſque ad valorem Matrimonij conſenſus Sed qualis?

Conſenſus eſt triplex: actualis, virtualis, & habitualis.

Tres ſunt poſſibiles in communi Philoſophorum ſententiâ: Actualis, Virtualis, & Habitualis. Quàm variè & quàm male Virtualis ab Authoribus exponatur, alibi iam expoſui. Porrò Actualem ſufficere dicunt omnes Theologi, non autem requiri, quoniam Virtualis etiam ſufficit. Habitualem, quem cæteri paſſim reiiciunt, *tom. 9. diſp. 5. ſect. 3. num. 40. pag. 75. b.* admittit dicens. [Matrimo-

An habitualis ad Matrimonium ſufficiat?

nium autem obligationem non contrahit vi præteriti conſenſus ſub conditione præſtiti, ſed vi præſentis moraliter perſeverantis, eo quòd Matrimonium habeat hoc ſpeciale, vt conſenſum requirat de præſenti, quando ipſum perficitur, & quia præteritus non poteſt eſſe phyſicè præſens ſaltem requirit illum præſertim (*lego*, præſentem) moraliter: fit autem præſens moraliter hoc ipſo quod non revocatur vſque ad tempus advenientis conditionis, qua adveniente ſtatim Matrimonium perficitur, ac primum incipit obligare vi conſenſus præteriti moraliter perſeverantis.]

Materia & forma.

Materiâ & formâ hoc Sacramentum conſtat, ſicut & alia: ſed valde eſt difficile vtramque explicare & probare. Videtur facilior & clarior illorum opinio, qui affirmant in verbis matrimonialibus reperiri oblationem acceptationemque: illamque eſſe

Conſenſus manifeſtatur verbis: etiā ſignis: an etiam ſilentio?

materiam, iſta formam. Nomine *verborum* intelligo quæcumque ſigna aut circumſtantias ſenſibiles conſenſum vtriuſque exprimentia. Sic expreſsè Enchiridium Concilij (puto Colonienſis) §. verbum, à Coninckio *diſp. 24. dub. 3. pag. 729. b. §. ſimiliter.* productum: ibi enim lego. *Verbum* (id eſt forma) *huius Sacramenti, quo quo accedente ad elementum* (id eſt, ad materiam) *fit Sacramentum:* id *nimirum, eſt, quo ambo* (*mas, & fœmina*) *cùm pietatis reſpectu, qua in Deum, eſt, ſibi mutuò fidem coniugalem dant, accipiuntque, non quovis modo* (non contractu Civili, vt faciunt Ethnici) *ſed in Dei nomine* (ſub. intelligit Sacramentum divinitùs inſtitutum) *coniunguntur aut copulantur.* Vbi vox *elementum* ſignificat materiam remotam: hoc eſt, contrahentium corpora. Vox illa *dant*, ponit ob oculos traditionem, ſiue materiam proximam; & vox illa *accipiunt*, acceptationem ſiue formam concernit.

Hic

Digitized by Google

De conſenſu in copulam. An ad eſſentiam Matrimonij pertineat?

Hic opportunè quæritur, *An conſenſus in copulam ſit de Matrimonij ſubſtantiâ?* Propter quæ dubitare poſſimus, ſunt in illo non pauca, de quibus (erat enim cœlitùs illuminatus) vt Angelus diſcurrit Auguſtinus. Et quidem de puriſſimo Deiparæ & Ioſephi connubio (nam alibi vberiùs diſputabo) ſufficiat audire impræſentiarùm Acatium March de Velaſco, qui *tom.2.verb. Matrimonio.reſol.236. pag.474. b.* ſic inquit. *El conſentimiento en la copula es de intrinſeca razon, y de eſencia del matrimonio Aſſi lo enſeña ſanto Tomas. Ni eſto ſe opone al verdadero matrimonio, que huvo entre Maria Santiſſima, y ſan Ioſef, como dize la Igleſia. Porque la forma del matrimonio conſiſte*, inquadam indiuiſibili coniunctione animarum, per quam vnus coniugum indiuiſibiliter alteri fidem ſeruare tenetur. *Y eſta formano faltà en el matrimonio de Maria ſantiſſima, y ſan Ioſef, y en orden a la demas, el conſentimiento que tuvo la Virgen, fue condicional*, ſi Deo placeret, *y implicito, que es el que baſta para el verdadero matrimonio, con el qual ſe compadece la Virginidad perpetua del cuerpo, y del alma, que tuvo ſiempre la madre de Dios Maria ſantiſſima, y como dizen ſoto, y Corrado tuvo la ſoberana Virgen revelacion del Eſpiritu ſanto, que nunca ſu eſpoſo le auia de pedir el debito.* Hæc ſecura ſunt in doctrinâ communi. Interim non inutiliter Παλίνζηςος, qui dabitur inferiùs, legetur.

An inter Deiparam & Ioſephū verum Matrimonium interceſſerit?

An, & qualem illa habuerit conſenſum in copulam?

An didicerit à Spiritu-ſancto, quòd Ioſeph nunquam eſſet debitū petiturus?

An Parentes contrahere poſſint pro filiis?

Quæris, *An ſi præſentibus & tacentibus filiis, parentes contrahant, ſit validum illud matrimonium?* Reſpondent aſſertivè nonnulli, & probant ex *cap.unic.de ſponſalib.impub. in 6.* ibi enim Bonifacius Pontifex pro parte aſſerente definit.

MMMDCCIV.

An ab Sponſalibus ad Matrimonium valeat argumentatio.

Poncius *lib. 2. cap. 14. num. 3.* Bonifacij authoritati non eſt obnoxius, quia Pontifex agit de ſponſalibus, & ab his ad matrimonia non datur conſequentia legitima; multa enim in ſponſalibus diſſimulantur, quæ in matrimonio tolerari non debent: illa enim dirimi facili negotio poſſunt, ſolentque; hoc non poteſt. Alij docent non eſſe hanc materiam à voluntate Pontificis pendentem: quia vel datur ſponſorum conſenſus ſenſibiliter expreſſus eo caſu, vel non datur: ſi non datur, invalidum erit matrimonium, quidquid Bonifacius affirmet: ſi datur, etiam præter Bonifacium ab aliis cognoſci poterit & debebit: nam Sacramenta debent eſſe ſigna ſenſibilia illis qui adſunt. Vt decidatur bene Quæſtio examinandum eſt, An hæc ſit bona conſequentia [Parentes contraxerunt audientibus filiis: iſti tacuerunt: ergo conſenſum præbuerunt: qui enim tacent conſentire videntur.] Eamque eſſe bonam negat Gabriel, qui *in ſupplem.in 4.diſt.27.queſt 1.ad 2.poſt. concl.4.* ſic pronunciat. *Quomodocumque parentes contrahant pro filiis, ſiue etiam extranei, neceſſarium eſt, quod eorum inſinuent conſenſum mutuum, & declarent aliquo ſigno, vel nutu: aliàs non videtur ſufficiens ſola filiorum taciturnitas.* Et Gabriel citat pro ſe Angelum. Ergo hic non habet locum illa Regula. *Qui tacet conſentire videtur:* quoniam illa, ſicut plurimæ aliæ, ſæpe fallit, & multas limitationes patitur, & ſæpe filios reverentia, ſæpe timor coëgit, vt taceant, nec parentibus audeant reſiſtere. Ergo, ni aliæ circunſtantiæ conſignificantes perſuadeant filios liberè conſentire, mera eorumdem taciturnitas non videtur ſufficiens vt tacitus conſenſus dicatur. Amicus *tom.9.diſp.4. ſect.7.pag.6. a.§. 77.* agens de hac Gabrielis ſententia, ſic inquit. *Vt à communi exorbitans, explodenda eſt.* Et bene; quia filiis contradicendi ineſt naturalis libertas: & habere timendi cauſam eſt res facti: & eos contradicere potuiſſe, & noluiſſe, debemus præſumere, donec impotentia probetur.

An ſit vera illa Regula, Qui tacet, conſentire videtur.

QVANTITAS MATRIMONIALIS.

Diſcretam reſpicio, & pronuncio Matrimonium prout eſt ſacramentum novæ legis, iniri inter vnum & vnam: nec poſſe vel maritum plures ducere vxores: nec vxorem pluribus locari maritis. MMMDCCV.

De bigamia.

Hæc ſtando Chriſti Domini inſtitutioni vera ſunt: at ſtando puro naturæ lumini, non facilè demonſtrare quis poſſet bigamiam eſſe illicitam: vel ſi contrarium teneas, à Sacrâ Scripturâ & lege Chriſtianâ præſcindendo, forma quæſo duos ſyllogiſmos in formâ & figurâ legitimâ, qui inferant has duas concluſiones, *Ergo Claudius non potuit habere duas vxores. Ergo Meſſalina non potuit habere duos maritos.* Interim progrediamur vlteriùs, &, ſi hanc Difficultatem vberiùs & accuratiùs intelligere velis, lege Diſputationis III. Articulum IV.

An ſit illicita iure naturæ?

QVALITAS MATRIMONIALIS.

Hvc omnia pertinent impedimenta; nam ſicut qualitates phyſicæ aliàs diſponunt, & aliàs impediunt, ſic etiam qualitates morales. Impedimenta igitur matrimonialia in duas claſſes diſtinguo; aliquando enim dirimunt, & aliquando impediunt: illa efficiunt vt contractus ſit illicitus invalidusque, iſta, vt ſit validus, ſed illicitus. Porrò ſingula Impedimenta magna indigent conſideratione, exuberant enim graviſſimis difficultatibus, quæ quâ brevitate liceat, Diſputione V. edisſerentur.

De impedimentis Matrimonij. An ſint qualitates Morales?

RELATIO MATRIMONIALIS.

Est Matrimonium neceſſarium, non quidem ſingulis hominibus in particulari, ſed toti ſpeciei. Hic occurrit celeberrima quæſtio: videlicet, *An Religioſi, ſi ſæculares ad ſpeciem propagandam deficerent, ducere tenerentur vxores.* Negat Vaſquez *in 3. part. tom.4.diſp.5. cap.3.* putat enim eo caſu inſtare finem mundi, ac proprerea homines multiplicari non poſſe. Diana *part.3. tract.4. reſol. 289.* & Auſonius Noctinot *in ſummâ verb. Matrimonium. num. 1.* aiunt de fine mundi MMMDCCVI.

De huius Sacramenti neceſſitate?

An ſit aliquod de ineundo Matrimonio præceptum?

mundi ſecluſâ revelatione conſtare non poſſe, & ideò Vaſquezij aſſertionem reiiciunt. At ego non video, cur in caſu debeamus divinam revelationem poſtulare, certum eſt enim tunc fore mundi finem, quando ſœculares ſpeciem propagare non poſſent, & Eccleſiaſtici nollent, non ergo bene Vaſquez impugnatur ab ipſis. Dicam igitur in tali caſu humanam perituram ſpeciem, & ſic arguam: [Iubet Deus vt creſcat, multiplicetur, adeoque vt conſervetur humana ſpecies *Geneſ.* 2. Ergo ſi pereat illa; imputabitur illis, qui in causâ. At in caſu non eſſent in causâ ſœculares, quos non poſſe ſpeciem propagare ſupponimus. Ergo eſſent Eccleſiaſtici, qui poſſe & non velle dicuntur.] Hinc eſt quod Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 3. *num.* 4 & alii communiter affirment, vota Eccleſiaſticorum ſolennia eum excludere caſum, qui propoſitus, adeoque debere, ſi talis neceſſitas vrgeret, vxores ducere, & ſpeciem humanam iam iam periclitantem conſervare.

An Religioſi ducere vxores poſſint in caſu extremæ neceſſitatis?

An etiam debeant?

Reſolutio.

An omnia Caſtitatis vota, etiam ſolennia ſint conditionata?

Ex hac difficultate alia naſcitur, quam proponam, & ne prolixus videar, aliis decidendam relinquam. Addam tertiam, quam etiam Lector eruditus diſſolvet. Pono in mundo duas tantummodò gentes; fidelem, infidelemque: puta Catholicam & Mahomethanam. Floret hæc, & illa bellis & miſeriis attrita conſervari non poteſt. Et inquiro, An in tali caſu poſſit præcipere, vt Eccleſiaſtici ducant vxores? An potiùs perire Otthodoxa gens debeat, & mundum Mahomethanis relinquere, quàm per matrimonia legitima gentem Chriſtianam propagare? An in tali caſu indigerent aliquâ diſpenſatione? &, ſi indigerent, An illam Summus Pontifex teneretur concedere? Et hinc tranſeundo ad tertiam controverſiam inquiro, An hodie multiplicatis hinc inde inimicis Eccleſiæ; Ethnicis; Iudæis, Mahomethanis, Lutheranis, Calvinianis, &c. gens orthodoxa (& Hiſpana, aut etiam Germana præcipuè) non ſit eximiè diminuta, & ex maiori parte extincta, & indigeret remedio? An non poſſit laudabiliter id Pontifici ſummo proponi, vt conſideratâ temporum & locorum neceſſitate, ſaltem Presbyteris ſœcularibus ducendi vxores facultatem concederet? Id alii examinent, & oculis credentes propriis, quid coram Deo & hominibus debeant dicere aut conſulere ſcient.

N. B. De hoc argumento Illuſtr. D. Angel. Manrique, in Salmanticenſi Vniverſitate Primarius Theologiæ Profeſſor, eruditiſſimũ Syntagma ſcripſit: ſed quia æmulorum obloquutiones ante editionem ſentiebat, noluit de illius publicatione cogitare.

ACTIO ET PASSIO MATRIMONIALES.

MMMDCCVII.

Qui ſint Miniſtri in Matrimonio?

Cur Parochi præſentia requiratur?

HVius Sacramenti Miniſtri ſunt ipſi contrahentes: Parochus enim, cuius præſentia requiritur, non adſiſtit vt Sacramenti miniſter, ſed vt teſtis, requiritur tamen tanquam conditio ſine quâ non, quia nullum omnino matrimonium contractum ſine Parrocho & teſtibus eſt validum, vbi admittitur Tridentinum Concilium.

QVANDO MATRIMONIALE.

MMMDCCVII. b.

Quibus temporibus non poſſint Matrimonia celebrari?

STando naturæ rei omni tempore poteſt matrimonium celebrari: imo ſtando legibus Eccleſiaſticis erit validum, ſi aliunde non obſtat, quocumque tempore celebretur: at non quocumque tempore erit licitum, nam Tridentina Synod. *ſeſſ.* 24. *c.* 10. à mediâ nocte primam Dominicam Adventûs, vſque ad feſtum Epiphaniæ: & à mediâ nocte ante diem Cinerum, vſque ad Dominicam in Albis celebrari matrimonia interdicit.

An eodem non poſſit conſummari?

Et quia tantummodò interdicitur nuptiarum ſolennitas, reiiciendus eſt Caietanus, qui *verb. Matrim. cap. vltimo* aſſerit hoc eodem tempore matrimonium conſummari non poſſe: & reiiciendus Sylveſter qui *eod. verb. quæſt.* 2 eſſe illicitam, ait, traductionem ſponſæ in domum ſponſi privatam; privatam aio, quia publica ſcandalo carere non ſolet, & ideò interdicta cenſetur.

Quid NVPTIARVM nomine intelligendum ſit?

Nuptiarum nomine Canones non ſolum Virginum, ſed & viduarum matrimonia intelligi iubent; vnde cœremoniæ illæ, quæ in ſecundis nuptiis adhibentur, hoc tempore celebrari non poſſunt.

QVAMDIV MATRIMONIALE.

MMMDCCVIII.

Quanta ſit indiſſolubilitas in matrimonio?

STando ipſi Iuri Naturæ, hoc eſt, naturæ rei, vt vt vtilis ſit in Matrimonio perpetuitas, illam Viri doctiſſimi, vt ſuperiùs vidimus, eſſe omninò neceſſariam non dicunt. Eſt contra Bellarminum *de matrim. cap.* 4. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 7. *num.* 13. Coninck. 16. *de vnit. & indiſſolubil. Matr. dub.* 2. Franciſcum Amicum *tom.* 9. *diſp.* 1. *ſect.* 2. *pag.* 6. b. *num.* 29. & alios. Illorum argumentum eſt hoc. [Matrimonium eſt contractus inter marem & fœminam ſuâ naturâ ordinatus ad prolem perfectè gignendam, & educandam, vt conſtat. Ergo naturâ ſuâ aliquam poſtulat indiſſolubilitatem: ad illum enim neceſſaria eſt opera & induſtria vtriuſque coniugis, non ad certum tempus, ſed pro tota vita. Ergo Matrimonium ad hunc finem ordinatum exigit inſeparabilitatem pro toto tempore, quo coniuges vivunt, &c.] Doctè arguunt, nec nimiùm eſſet mihi difficile illis concedere hæc omnia vera eſſe philoſophicè, modò ipſa non præiudicarent libertati Theologicæ, quæ præſcindendo à Divino præcepto in actibus Humanis reperitur. Sed vberioris doctrinæ gratia, verba ſingula conſideremus.

Ad quid ordinetur?

An ſeparari poſſint coniuges?

Semper præcepta Philoſophica à Theologicis ſunt diſtinguenda.

Matrimonium eſt contractus, inquiunt: & Ego interrogo, vnde veniant contractus, etiam illi, qui *naturales* nominantur? Illi profectò non ſunt nati in arboribus, non lapſi ex aſtris, nec inter Æternæ Veritatis Poſitiones inventi: ſunt ergo cogitati à prudentibus, & celebrati humanitùs, & aut concordiâ privatâ, aut lege publica talibus & talibus circumſtantiis, quæ ſolennitates nominantur, ſubnixi.

Vnde oriantur contractus?

Addunt hunc contractum *eſſe ſuâ naturâ ordinatum:*

Digitized by Google

An leges ſuâ naturâ ad publicū bonum ordinentur?

ordinatum: & hoc verum eſt eo ſenſu, quo leges ad bonum publicum ſuâ naturâ ordinari dicuntur: at ipſæ non exiſterent, adeoque nec naturam haberent, niſi fuiſſent à Superiore conditæ. Ergo priùs eſt, ut Princeps (Deus, homo) legem de Matrimonio conſtituat, quàm, ut illud habeat naturam, quæ poſſit in examen venire.

Magno indigent examine, quæ de fine Matrimonij à Theologis paſſim dicūtur, Palinæſti, quod ante Fundam.LXXI. immediatè ponetur ſecundam diſputationē lege.

Sed quò ordinatur? ajunt, *ad prolem perfectè gignendam.* His eſt finis operis (copulæ) nam operans, ſive ſit Legiſlator qui matrimonia inſtituit, ſive ſponſus qui illud contrahit poteſt habere alios fines.

Ergo naturâ ſuâ aliquam poſtulat indiſſolubilitatem, inferunt. Et cur non inferunt *vitæ ſecuritatem*: magis enim nociva eſt ſoboli matrimonij ſolutio, ſi parentes moriantur; quàm, ſi mutuo conſenſu initum matrimonium dirimant, nam à vivis juvari, & non à mortuis poterit. Ergo eſt contra naturam, quòd parentes moriantur. Ergo, qui dicunt Providentiæ leges vacillaturas, ſi Naturæ Author ante perfectam prolis educationem diſſolvi Matrimonium permitteret: neceſſariò debebunt addere, eaſdem eſſe periclitaturas, ſi Naturæ Author ante perfectam prolis educationem mori patrem, aut matrem, aut utrumque permitteret.

An Matrimonium poſtulet vitæ ſecuritatem?

MMMDCCIX. *An Matrimonium ex naturâ ſuâ divitias poſtulet?*

Et cur non inferunt etiam *Matrimonium poſtulare divitias*: nam vix unquam filij pauperum bene educantur. Et meliùs educari poterit orphanus à divitibus parentibus ſub curâ tutoris relictus, quàm mendicorum filios, etſi parentes, & cum ipſis matrimonium perennet.

Vnde Matrimonialis indiſſolubilitatis quantitas ſit deſumenda?

Recurrendum igitur eſt ſolummodò ad Legiſlatorem; & quidquid de Philoſophicâ ſit, dicendum *Theologicam talem ac tantam in illo fuiſſe ante Chriſtum, & eſſe nunc poſt Chriſtum, inſolubilitatem, qualem & quantam Legiſlator conſtituit.* Sic Scotus *diſt.26. §. Per hoc patet* conſonans S. Auguſtino, qui *lib. de bono coniugali, cap.7.* id expreſsè nos docet, inquit enim. *Quid ſibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis? quod nequaquam puto tantum valere potuiſſe, niſi alicuius rei maioris ex hac infimâ mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deſerentibus hominibus atque id diſſolvere cupientibus inconcuſſum illis maneret ad pœnam; ſiquidem interveniente divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis.* Hæc verba adducit Amicus *tom.9. diſput.1. ſect.2. pag.7. b. num. 34.* & illis hoc Scholion ſubſcribit [Hæc Auguſtinus, qui cauſam indiſſolubilitatis Matrimonij refert, non ad naturam Matrimonij, ſed ad rationem Sacramenti lege divinâ ſuperadditam.] Hanc ex Auguſtino didicerat ſententiam Cajetanus; illam enim *in Opuſc. tract. 28.* nos docet dicens, *Cum Matrimonium dupliciter conſideretur, ſcilicet, ut eſt officium naturæ, & vt eſt Sacramentum Eccleſiæ: attendamus in omnibus & ſingulis conditionibus, quas habet ſecundum quod eſt naturæ officium. Quæſtio clara eſt, quia conſtat Matrimonium eſſe diſſolubile, etiam poſt conſummationem, vt patet in coniugio infidelium*, hoc enim, etſi ſit conſummatum, ſaltem in caſu,

An à ratione Sacramenti indiſſolubilitas Matrimonij proveniat?

Matrimonij duplex conſideratio.

quo alter baptizetur, ſi alter nolit ſine Dei contumelia cum fideli habitare diſſolvitur. Conſonat Abulenſis, qui *in 1. Reg. cap.8. quæſt.97.98. & 99.* pronunciat *præciſo præcepto Divino homines non teneri ſub mortali* (dicebam ego, *non teneri theologicè*) *ſervare Matrimonij indiſſolubilitatem.* Firmat id. Henrici Gandavenſis authoritas, qui *quodl. 5. quæſt.19.* ſic ſtatuit. *Matrimonia, in quantum Matrimonia ex natura rei efficaciam non habent, ſed ſolum ex Divina Inſtitutione. Ipſe autem Chriſtus, Deus & homo, ſicut conſtituit coniugi per conſenſum mutuum animorum, ſic etiam ſtatuit per animorum diſſenſum poſſe* (lege, *non poſſe*) *diſſolvi.* Diſſolveretur ergo; niſi ſtatuiſſet Dominus non poſſe diſſolvi. Eamdem habent ſententiam Michael de Medina *lib.4. de ſacror. hom. continent. contr.1. cap.10.* & *lib.5. cap.88.* S. Bonaventura, nam *in 4. diſt.27. art.3 quæſt.1.* & 2. tam rati quam conſummati matrimonij indiſſolubilitatem cum à ſignificatione Sacramentali, tum ab Inſtitutione Divinâ provenire aſſeverat. Addo Argentinatem, & Palatios, quia ille *diſt.18. quæſt.1. art.3* & hic *diſt.27. diſp.3. §. exiſtis,* non aliunde quam ex Sacrâ Scripturâ argumenta deſumunt, ut hanc indiſſolubilitatem oſtendant; & proculdobio argumentarentur à ratione ſi illa ipſa indiſſolubilitas ex rei naturâ proveniret. Vnde debemus cum Richardo *in 4. diſt.27. art.2. quæſt.1. ad 3.* concludere, *quod ſi per impoſſibile poneremus coniuges non eſſe ſub Divina poteſtate, per mutuum diſſenſum poſſent Matrimonium diſſolvere.* Quoniam, ut *lib.1. Regul.* ait Gajus *Omnia, quæ Iure contrahuntur, contrario Iure pereunt.* Quam ſententiam Vlpianus *lib.48. ad Sabin.* [*leg. An ius utilis. De acceptilationib.*] propoſuit explicatiùs dicens. *Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidquid diſſolvere, quo colligatum eſt. Ideò verborum obligatio verbis tollitur: nudi conſenſûs obligatio nudo conſenſu diſſolvitur.*

An infidelium Matrimonium ſit ſolubile? Philoſophicū à Theologico præcepto Abulenſis diſtinguit.

N. B. *Lex natura (Philoſophica) præcipit, ergo obligat conſcientiam:* eſt mala conſequentia. Et etiam hæc eſt mala, *Lex natura (Theologica) talia matrimonia interdicit, Ergo etiam dirimit,* ut Coninckius oculatiſſimè animadvertit.

Quomodo contractus fiant, & diſſolvantur.

Sed qualem, quantamque indiſſolubilitatem Matrimonio Legiſlator accenſuit. Ioannes de Neapoli *q.40. p.2. §.3.* reſpondet dicens. [Matrimonium, etiam ante carnalem copulam, ſuam indiſſolubilitatem accepiſſe à Deo, in ipſo ſtatu innocentiæ, in quo fuit inſtitutum. Quam temperavit cum Hebræis Deus, concedens ut poſſent uxores dimittere. *Deuter 24.* legimus *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.*]

MMMDCCX. *Iudæis Deus libellum repudij permiſit.*

Vtrumque (tam indiſſolubilitatem adſcriptam in ipſâmet Inſtitutione Matrimonij, quàm ſolubilitatem Hebræis ex privilegio ſpeciali conceſſam) probant Domini verba, quæ *Matth.19.8* leguntur. Μωσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεψεν ὑμῖν ἀπολῦσαι τὰς γυναῖκας ὑμῶν· ἀπ' ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτω. *Moyſes ad* (propter) *duricordium veſtrum* (duritiem cordis veſtri) *permiſit vobis abſolvere* (dimittere) *uxores veſtras.* Ab initio autem non factum eſt ita. Conſidera bene. Ergo ante Moyſem Matrimonium erat indiſſolubile. Ergo per diſpenſationem apud Hebræos erat ſolubile. Ergo apud ipſos mulier repudiata poterat

Dimiſſa per repudij libellum femina, non ſolùm ſeparabatur, ſed ſolvebatur, ut licitè & validè nuberet.

Digitized by Google

poterat alij nubere, quoniam non ſolùm dimittebatur, ſed abſolvebatur. Ergo apud alios populos tam ante quam poſt Chriſtum Matrimonij vinculum inſolubile fuit. Ergo in Cæſareo Iure deleri debet totus Pandecta *de divortiis*, & corrigendi infidelium abuſus. Audi Amicum *tom*.9. *diſp*.1. *ſect*.2. *pag*.11. *l*. *num*.50. dicentem [De facto nullum matrimonium, neque fidelium, neque infidelium, non ſolùm poſt, ſed neque ante carnalem copulam, ſolo conjugum conſenſu validè diſſolvi poſſe, *cap*. *laudemus*, *de divortiis*. Nam de facto Matrimonium perfectam inſolubilitatem accepit à Iure Divino, quod ſe extendit etiam ad infideles: quia, quando reſciſſio contractûs, non ſolùm pendet à privato conſenſu contrahentium, ſed etiam à publicâ lege Principis, nequit validè reſcindi ſolo conſenſu contrahentium, ſed requiritur etiam conſenſus Principis in ſuâ lege diſpenſantis. Antecedens conſtat ex præcepto, quod Adam in paradiſo accepit poſteris omnibus communicandum Geneſ.2. *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne unâ*, quæ verba fuiſſe à Deo dicta, & per Adam poſteris promulgata expreſſit Chriſtus, *Matth*.19. dum hæc verba, non in Adam, ſed in Deum retulit]

An apud infideles hodie ſint matrimonia inſolubilia?

N. B. An hodie apud Ethnicos nullum eſt validum matrimonium? Ratio dubitandi eſt, quia ipſi non niſi ſolubile celebrant, cum tamen illud ſit inſolubile.

Scio Abulenſem *in cap*.9. *Matth*. *quæſt*.66. *ad* 5. & Vera-cruz apud Sanchez *lib*.10. *de Matrim*. *diſp*.1. *num*.8. & alios (licèt non adprobent dimittendi uxores illam diſſolutam libertatem, quâ [a] Spurij Cabillij, qui ſub ann. Vrbis conditæ quingenteſ. omnium Romanorum primus uxorem ſterilitatis causâ repudiavit, tempore, ad Theodoſij ætatem Veteres abutebantur) ſub limitationibus, & ex cauſis, quas Impp. Theodoſius. Valentinianus, & Iuſtinianus libellis repudij præſcribunt, aſſerere validè Infidelium matrimonia diſſolvi. Sed etiam ſcio rationem, quâ ipſi ſuam opinionem probant, adlucinatione ſuffundi. Argumentantur enim ſic. [Prudentiſſimi Viri, re accuratè perpensâ, & nullâ paſſione, seducti, leges de admittendo divortio ſuggeſſerunt, aut etiam pronunciarunt. Ergo judicarunt eſſe divortia licita. Et conſtat hoc, quia Philoſophi Græci, qui Scientiarum judicantur Antiſtites, & inter eos Plato, qui propter ſublimiorem doctrinam, quam ſuis in libris tradit, appellatur *Divinus*, lib.11. de legib. jubet, ut eorum conjugum, qui pacificè non poſſunt vivere, reſcindatur connubialis contractus, ut ineundo alias nuptias à diſſidiis & & rixis liberentur. Conſtat ex Romanorum legibus, quas quanta eſt Europa olim amplectebatur. Conſtat ex Gentilibus & Mahometanis, inter quos floruerunt, & etiam num florent prudentiſſimi viri, qui percepiſſent proculdubio malitiam, ſiqua in Matrimonij diſſolutione inveniretur.] Sed reſpondeo, lumen naturæ lapſæ, niſi elevetur radiis Fidei, eſſe remiſſum, & obnoxium erroribus. Multos enim legimus apud Ethnicos, propter quos excidunt à magiſterio. Quis enim in morum Rectores eos admittet, qui nefariam dilaudarunt Venerem, & præſcripſerunt, ut fœminæ communes eſſent? A judicio ergo

a] Alii eum *Corvilium*, Et alij *Corvinum* appellant.

Quis inter Romanes primus repudiarit uxorem.

Cur Plato Divinus *dicatur?*

An repudiũ admittat?

Lumen naturæ lapſæ ſæpe eſt cæcum.

Errores veterum Philoſophorum.

arceantur, qui Ethnici ſunt, & naturale lumen caligine originalis culpæ habent obtenebratum. Et quid, ſi novi crearentur homines, in quibus Originalis Iuſtitia coruſcaret? Adhuc in ipſis ad Quæſtionis reſolutionem non ſufficeret naturale judicium: nam Matrimonij indiſſolubilitas, de quâ diſſerimus, non eſt ex naturâ rei, ſed ex inſtitutione Divina, quam nemo diſcurſu poteſt adſequi; quam &, nos hodie neſciremus, niſi illam Deus in Sacrâ Scripturâ revelaſſet.

Decreta Dei libera ne quidem lumine naturæ integræ cognoſci poſſunt.

Sed quouſque, quæſo, hæc ſe perpetuitas extendet? Vſque ad mortem. Paulus primæ ſeptimo ſic Corinthios inſtituit. *Mulier eſt adligata legi, quanto tempore vir eius vivit. Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt*; *cui vult nubat, tantùm in Domino*. At mors eſt duplex; realis, moralis: & hæc in opinione interdum, & interdum in effectu conſiſtit. Vira eſt igitur Matrimonij terminus? An, quia illud morale eſt vinculum, morte morali ſolvitur; an verò mortem naturalem ante ſolutionem requirit? Scio Ethnicos per alterutrius mortem civilem matrimonium diſſolvere: nec video, cur ſtando nudo Naturæ Iuri, mors realis ad eius diſſolutionem requiratur: at ſtando Sacramentali ſignificationi, quam recepit à Chriſto, tam eſt indiſſolubile, ut niſi mors realis ſuperveniat, minimè diſſolvatur.

An Matrimonij vinculum uſq; ad mortem permaneat?

An illud morte civilis diſſolvatur?

Sed quid, ſi verè aliqua mulier moreretur, & poſtea vitæ reſtitueretur? An & ipſa deberet ſuo marito reſtitui? Siquidem Deus voluit, ut nunquam hic caſus accideret, non debuit voluntatem ſuam ſpeciali lege nobis manifeſtare. Ergo ex literâ Novi Teſtamenti debemus ſumere reſolutionem. Cùm ergo ibi conſtituatur mors ut vinculi Matrimonialis terminus, dicemus, quòd mors matrimonium ſolvit: & quod ſuperſtes poteſt ſtatim ad vota ſecunda tranſire. Reſurrectio enim jura & leges non alterat, & contractus, qui ad mortem initi, non renovat. Hinc ad votum ſolenne tranſibimus. Si æternum illud, etiam à mortuis excitatos afficeret: ſi ad mortem tantùm tendens, excitatos nullo modo concerneret. Profeſſionis ſolennis formulæ videntur ultra mortem non currere; quia de caſu, quem omnes impoſſibilem judicant, nemo cogitat ſaltem S. Benedicti Regula *in fin*. *Prolog*. in morte terminum Obedientiæ Religioſæ conſtituit: nec video, cur ſtando rigori literæ, ultra mortem Regularis obligatio percurrat. At quia, quo textus rigor pervenire non poteſt, devotio ſolet, dicamus in Religioſis Obedientiam etiam ultra mortem tranſire; quoniam ſupernaturalis huius voti perfectio videtur maiorem perennitatem poſtulare: quod confirmant repetita miracula, ſæpe enim Religioſi defuncti obedierunt Prælatis, quorum miraculoſa Obedientia eos teſtatur, niſi altiori detineantur imperio. paratos etiam poſt mortem ſatisfacere votis, quæ linguâ devotâ diſtinxerunt.

An uxor ſi à mortuis reſurgeret, deberet reſtitui marito?

An Religioſus, ſi à mortuis reſurgeret, eſſet liber à votis?

Vbi Matrimoniale.

Decentia & pietas poſtulare videtur ut omnia Sacramenta, excepto neceſſitatis caſu, in ſolâ Eccleſiâ celebretur. Et Matrimonia, in

M M M DCCXI.

Digitized by Google

An matrimonia poſſint in ædibus privatis celebrari?

in Germaniâ præcipuè, ubi Hæretici illa eſſe politicos contractus aſſerunt, ſanctè debent tractari, & extra Eccleſiam non iniri. Hinc merito Patres Concil. Provincialis Colonienſis II. *cap. XXXIII.* & Synodi Panormitanæ *part.* 2. *num.* 22. prohibent illa domi ſine iuſta cauſâ celebrari. Vide Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 279. Bohemi anno 1605. ſub Illuſtriſſimo D. D. Sbigneo Berſa Archiepiſcopo Pragenſi ex Pauli Papæ V. ſpeciali mandato habuerunt Synodum provincialem & *capit. de matrim.* hanc legem pronunciarunt, *Matrimonia in Eccleſia Parrochiali, non autem in privatis ædibus celebrentur.* Illam typis edi curavit Sbigneus anno eodem: eamdemque recudi iterum iterumque & obſervari iuſſit anno 1650. & 1651. noſter Eminentiſſimus Princeps Cardinalis ab Harrach, Archiepiſcopus Pragenſis, &c. Et eius Sanctiſſimo decreto inſiſtens rarò & non niſi ex cauſis graviſſimis facultatem concedo celebrandi matrimonia extra Parochialem Eccleſiam.

Negat Colonienſis Synodus: negat Panormitana: negat etiam Pragenſis.

An præcipere poſſint Epiſcopi ne Matrimonia in ædibus privatis celebrentur?

Hinc patet non bene diſcurrere nonnullos, qui non ſolùm exiſtimant matrimonia poſſe extra Eccleſiam iniri, ſed addunt non poſſe Epiſcopos præcipere, ut celebrentur in Eccleſia. Sic reſolvit Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *alleg.* 32. *num.* 18. cuius reſolutionem confirmat Sacræ Congregationis declaratio apud Rebellium *part.* 2. *lib.* 2. *quæſtion.* 7. *ſection.* 2. *num.* 11. Sed quia Dominorum Cardinalium dicta exoſculor, duo à Barboſa aut etiam Rebellio poſtulabo. Alterum, ut oſtendat hanc declarationem eſſe authenticam: alterum eſſe univerſalem: ſuccurrunt enim aliquando circunſtantiæ tales, ut Reſolutio, quæ unicum caſum reſpicit, ad cæteros extendi non poſſit.

De Cardinalium Declarationibus.

Obiectio.

Vident alij nihil hac declaratione evinci, & ideò ad rationem confugiunt, & volunt impotentiam illam, quam Epiſcopis adfingunt ex Synodo Tridentinâ probare. Sic inquiunt: [Vbi nullum eſt impedimentum, Parrochus copulare debet volentes contrahere in facie Eccleſiæ, ut conſtat ex Tridentinæ *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. Atqui ut matrimonium in facie Eccleſiæ celebrari dicatur, non eſt neceſſe ut in ipsâ Eccleſiâ materiali fiat, ſed ut teſtatur Abbas, *in capit. final. de clandeſt. deſp. num.* 9. ſatis eſt, ſi fiat coram fidelium multitudine. Ergo volentes matrimonium celebrare extra Eccleſiam, tenetur copulare Parrochus] *Reſpondeo* majorem eſſe certam, at nego nullum eſſe impedimentum quando adeſt Epiſcopalis inhibitio: quis enim dubitet inobedientiam, eſſe illicitam.

Quid ſit Celebrari matrimoniū in facie Eccleſiæ?

Solutio.

MMMDCCXII. *An Epiſcopi non poſſint præcipere illa, quæ in Tridentinâ Synodo non ſunt præcepta?*

At inquies, [Synodus Tridentina non interdicit matrimonia domibus privatis celebrari: Ergo hoc non poteſt interdicere Epiſcopus: non enim Synodo Generali eſt potentior.] Conſequentiam pulcherrimam! & tamen, quæ obtinuit apud aliquos. Sto novæ huic Dialecticæ, & ſic inquam: [Deus non interdixit carnes die Veneris: Ergo illas Pontifex inhibere non poteſt: non enim Deo eſt potentior.] Sic addam: [Imperator non præcepit hoc illud-ve: Ergo illud præcipere non poteſt Rex: non enim eſt Imperatore potentior.] Rideo: & novæ huic argumentandi inertiæ, aliter reſpondere non volo, quam dicendo, Concilium magis gravia & neceſſaria determinaſſe & ſtatuiſſe, & cætera reliquiſſe inferiorum Prælatorum prudentiæ.

An non poſſit præcipere Pontifex, quæ nō ſunt præcepta in Decalogo?

Situs Matrimonialis.

MMMDCCXII. b. *An Matrimonia poſſint celebrari in convivio?*

VIdi ſemel aut iterum in Palatinatu, matrimonia inter ſcyphos iniri, & clamare Hæreticos ſe majori decentiâ, & reverentiâ ſuos contractus politicos, quàm nos Sacramenta tractare. Sacra agi ſanctè debent, & præter diſpoſitionem animi, etiam corporis diſpoſitio requiritur. Pragenſis Synodus: *Ante altare genibus flexis ſint contrahentes, dum hoc Sacramentum miniſtratur. Parrochus autem, ſi extra miſſam illud celebraverit, ſuperpelliceo, & ſtola inductus ſit.*

An ſponſi, eſſe debeant genuflexi?

De ſitu, qui in copulâ matrimoniali eſt obſervandus.

HÆc ſitum, quem habere ſponſi debent in celebratione matrimonij, concernunt, ſed non minùs neceſſarium eſt ſcire, quem conjugati ſitum debent in uſu matrimonij obſervare. Omnes contranaturales ſordes in matrimonio Religio Mahometana permittit. Et inſtitutor uxorem agro comparat, & maritum agricolæ: & quia hic à quâcumque parte velit movere aratrum poteſt: ex hoc ſimili ille immundiſſimas conſequentias deducit. Apud Averſam *de matrim. quæſtion.* 21. *ſection.* 5. *pagin.* 652. *a.* Guadanolus *in ſua Apologia pro Religione Chriſt. tractat.* 2. *cap.* 7. *ſect.* 1. ſic exclamat. [*Quis honeſtus & verecundus non erubeſcit, dum audit Alcoranum cap.* 1. *ſic loquentem.* Vxores veſtræ ſunt aratura vobis, indite igitur araturam veſtram ad libitum.] Et, quia in principio libri ſemper ſelectiora ponuntur hinc poterit pius lector colligere qualia ſint cætera, quæ in illo volumine exſecrando notantur. At Lex ipſa Naturalis, & Religio Chriſtiana omnes contra naturam libidines abominatur. Et re bene conſideratâ deficit Mahometus in Dialecticâ, quia ex eodem antecedente, quod adſumit, deberet contrariam conſequentiam deducere: non enim bene argumentatur ſic. *Contraxi Matrimonium cum Fatima Ea igitur potero uti, & abuti.* Quoniam deberet ſic colligere, *Contraxi Matrimonium cum Fatima, At illud eſt ordinatum ad procreandos liberos. Ergo contra finem contractûs, & fidem promiſſam peccabo, ſi illa abuti voluero.* Hinc patet graviùs peccare conjuges, quàm ſolutos, ſi contra naturam commiſceantur; quod doctè monet Averſa *loc. citat.* dicens. [eſt illicita (talis copula) non ſolùm conſummata per effuſionem ſeminis, ſed etiam inchoata per penetrationem carnis. Eſt peccatum, non ſolùm contra naturam, ſed etiam contra fidem matrimonij quia fides ipſa matrimonij poſcit, ne inter conjuges ipſos habeatur alia copula, quam ex genere ſuo apta ad generationem. Quare participat malitiam

An, & quæ peccata contra naturā apud Mahometanos non eſſe peccata cenſeantur?

MMMDCCXII. c. *Qualis liber ſit Alcoranus?*

An peccet Mahometus in Dialecticam?

An peccata cõtra naturam, cum uxore commiſſa, habeant ſpecialem malitiam quòd matrimoniali fini & fidei contraria ſint?

An cū uxore propriâ vir poſſit adulterium committere?

malitiam adulterij ex parte utrinſque conjugis. Eſtque proinde gravius peccatum, quàm eſſet inter perſonas liberas & ſolutas, quamvis minùs grave, quam eſſet inter alienos conjuges, ubi fieret injuria & violaretur fides pluribus perſonis. Vnde debet hoc peccatum in confeſſione explicari, ſicut commiſsũ fuerit cum propriâ conjuge.] Nec miror maritum, qui illâ abutitur contra naturam *adulterum propriæ uxoris* vocari; nam hujus criminis Ambroſius eum incriminatur, qui in vaſe naturali citra generationis ſpem laſcivit: & poſteà, ut video Ambroſio Auguſtin. ſubſcribit, & eius ſententiam adſumit, ut Iulianum Pelagianum redarguat. Audi Cornelium Ianſenium, quoniam *tom.* 2. *de ſtatu naturæ lapſæ, lib.* 2. *cap.* 10. *column.* 340. ſic inquit. [Illis (Pelagianis) tanquam præſtantiſſimis libidinis advocatis ſententia Auguſtini *ſummopere diſplicuit; apertéque docuerunt, omnem concubitum conjugum [a] etiam ſolius voluptatis causâ eſſe permiſſum. Teſtatur hoc Auguſtinus *lib.* 2. *contr. Iulian. cap.* 7. diſertiſſimè. *Tibi autem libido non niſi præter uxorem videtur eſſe culpabilis! Quid ergo de Ambroſio iudicabis qui intemperantem in coniugio adulterum quemdam appellat uxoris.*

An adultera ſit, quæ cum alieno viro committit ſodomiam?

An cũ propriâ uxore citra ſpem prolis laſcivire, peccatum ſit?

a] Agit de connaturali, nam Pelagiani omnẽ immunditiam cõtranaturalem condemnabant.

Non ſolùm propudioſa & damnanda eſt Venus, quæ vas præpoſterum proſtituit; ſed, quæ permittit, ut à poſteriori parte ſuperveniens maritus in parte anteriori ſe copulet. Averſa, quem paulò antè citavi, aſſerit [Non eſſe licitam copulam, etiam in vaſe naturali, niſi ſervato etiam convenienti & naturali ſitu inter virum & mulierem, & ſecus eſſe adhuc mortale peccatum plerique ſignificant, & vocant contra naturam [b] ut refert Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 16. qui id probabile cenſet.] Interim tu tene ſententiam, quæ docet hanc deordinationem eſſe tantum modalem, & peccatum veniale non excedere, niſi adſit periculum ſeminandi extra vas, quod raiò, vel nunquam continget. Ita Baſilius *lib.* 10. *cap.* 11. *num.* 3. & 4. Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 16. *num.* 7. & 8. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 296. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 308. Armilla, *verb. debitum*, *numer.* 6. Bonacina *quæſt.* 4. *punct.* 3. *num.* 10. Averſa *loc. cit.* & alij. Qui addunt virum ex causâ legitimâ, ſic uxorem ſuam cognoſcentem, non peccare. Et fœminam marito ſine causâ, adeoque cum peccato veniali, hoc modo debitum poſtulanti, poſſe reddere ſine veniali: quia licèt ille non habeat cauſam poſtulandi, hæc habet cauſam reddendi.

An in copulâ mutare ſitũ liceat?

b] Poſſet hic aliquis diſtinguere hæc peccata in contranaturalia, quoad ſubſtãtiam, & contra naturalia quoad modum.

An mutatio ſitûs ſit peccatum mortale? An liceat, ſi detur rationabilis cauſa?

Hic autem Ego dico duo. Alterum, non bene probari illud peccatum veniale: ut enim ſit, deberet eſſe præceptum de copulæ modo, quod in Decalogo non lego, nec à ſuis Authoribus inferri video ex indubitatis præmiſſis. Alterum, ex ſuppoſitione, quòd maritus peccet venialiter petendo debitum tali modo, uxorem etiam venialiter peccaturam reddendo. Non enim à Iure humano ad Divinum & Naturale argumenta decurrunt. Hæc enim Conſequentia, *ſiquis violando legem ſine causâ peccat venialiter, illam violando ex rationabili causâ, non peccabit venialiter.* In Iure Humano eſt vera: nam, qui ſine causâ, aut horarum ordinem mutat in Officio Divino, verbi gratia, aut mane ſumit collationem, & veſpere cœnat die jejunij, &c. peccat venialiter: & tamen à veniali excuſabitur, ſi cauſam rationabilem habeat: at in Iure Divino eadem conſequentia non eſt bona, etſi enim mendacium ſine causâ, dictum ſit veniale, nunquam ſine veniali dici poterit, etſi rationabilis cauſa ſuperveniat.

M M M-DCC-XII. d.

An præceptũ de modo copulæ benè probetur. An, & ubi ſit vera hæc Propoſitio,

Quæ cum veniali culpâ facit ille, qui omni cauſâ caret, eadem ſine veniali faciet quando rationabilem cauſam habuerit.

Nunquam licet ea facere, quæ ſũt levia peccata in Decalogum.

Habere Matrimoniale.

HAbentur in nuptiis convivia, habentur tripudia, ludique; quæ ſi modeſtiæ limites non excedant, laudari debent, non culpari. At quæ vidi? Tertiam dotis florentiſſimæ partem una die deglutiri, & cum cæterorum ſcandalo ſponſos miſerrimè depauperari. Et quoties hoc? frequenter in Germaniâ, frequentiſſimè in Belgio: rariùs in Hiſpaniâ & in Galliâ. Et omnia deberent ad modum & normam reduci. Sponſæ veſtes pulchræ ſunto: ſed modeſtæ, ſtatui proprio conſentaneæ: menſa nec avara, nec prodiga: prudenter inſtituta tripudia; non enim eradicare volumus, quæ in ſubſtantiâ ſunt bona vel indifferentia, & tantum ſolent abuſu vel exceſſu peccare.

M M M-DCC-XII. e.

Apparatus. Ornamenta, Convivia.

De modeſtiâ, quæ eſt, in apparatu Matrimoniali ſervãda.

N O T A I.

De Matrimonio per Procuratorem.

NVllus eſt contractus, qui non poſſit per procuratorem celebrari: & quia matrimonium quidam contractus eſt, etiam poteſt. Nullâ lege eſt inſtitutum ut Procurator habeat talem ætatem, ſit vir aut fœmina, recipiat mandatum in ſcriptis, aut coram Parrocho & teſtibus: ſed nihilominus aliqua de Procuratore dicemus, ſine quibus ſtare Matrimonium non poteſt.

M M M-DCCXIII.

Omnis contractus iniri per procuratorẽ poteſt.

Eam ætatem habere debet Procurator, quæ requiratur ut ſit fide dignus, & libero arbitrio uti poſſit: quam ob rem, qui per puerum ſexennem matrimonium contraheret, invalidè contraheret: nam per talem puerum nec poſſet domum vendere, nec alium contractum inire.

Procuratoris ætas.

Vir eſſe poteſt fœminæ procurator; poteſt contrà, quod etiam in magnorum Principum matrimonio obſervatur. Cùm vir procurator eſt fœminæ, realiter quidem maſculus, at virtualiter fœmina eſt, illam enim repræſentat, cuius eſt procurator, & ita ſe habet ac ſi ab illâ realiter non diſtingueretur. Et fœmina, ſi viri procurator ſit, auſu generoſo in virum tranſit, & oblita ſexûs imbecillis, quem realiter habet, virtualiter maſcula eſt.

Vir eſſe fœminæ procurator poteſt: & contrà.

Scripturam non requiri certum eſt, at ipſa eſt valde utilis, ne dicatur Procurator ſuæ limites commiſſionis excedere, & mos eſt, ut mandata litteris conſignentur.

An debeat habere procuratorium in ſcriptis?

Parrochi præſentiam, cùm Procurator denominatur, non requiri, communis affirmat ſententia. At deſidero bene hoc argumentum diſſolvi. [Requirit Tridentinum præſentiam Parrochi, ut de valore matrimonij

An denominari queat abſente Parrocho?

monij teſtetur. Sed quandò matrimonium per Procuratorem contrahitur, nõn poteſt Parrochus de valore matrimonij teſtari, niſi fuerit præſens & inſtitutioni Procuratoris & celebrationi contractûs. Ergo vtramque præſentiam poſtulat Tridentinum.]

Quid, ſi celebretur Matrimonium quando ſponſus eſt amens.

An-ne validum eſt matrimonium initum per Procuratorem legitimum, ſed eo tempore, quo mandans in amentiam inciderit? Affirmat Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. diſputat. 11. num. 12.* negat Poncius *lib. 2. cap. 15. num. 14.*

N O T A II.

De Matrimonio per litteras.

MMMDCCXIV. *Dupicè quæſtio proponitur.*

DVos caſus proponit Villalobos *tom. 1. tract. 13. diff. 10. num. 2.* & Diana *par. 3. tract. 4. reſolut. 150. §. Idem.* Primò enim, ſi mittatur nuncius cum litteris, & poteſtate acceptandi conſenſum, tùnc contrahitur per Procuratorem inſtructum perſonæ principalis litteris, & hîc, ſi adfuerint cœtera, nemo inveniet difficultatem.

An conſenſus dari poſſit per litteras?

Secundò enim ſi ſcribantur litteræ quibus conſenſus & acceptatio alterius partis contineatur: quibus coram alterâ parte Parrocho & teſtibus lectis, ſi altera pars conſentiat, matrimonium tenebit. Sed hic adhuc manet ille ſcrupulus de certitudine litterarum, de quâ Parrochus nihil poteſt teſtari.

Tridentini intentio fuit antiqua inconvenientia tollere, non nova ponere.

Et quid ſi vterque ſuas litteras mitteret, & vtriuſque conſenſus & acceptatio coram Parrocho & teſtibus legerentur? Conſequentia doctrinæ poſtulat, vt Villalobos hoc matrimonium eſſe validum aſſerat, at quis negare poſſet omnia hæc eſſe obnoxia graviſſimis inconvenientibus. Et ſi inconvenientibus multis ſcateat quis audebit dicere eſſe ad mentem Tridentini Concilij, cuius ſolicitudo fuit tollere quæſtiones quæ turbabant Eccleſiam, non autem ſtatuere Canones ex quibus aboriri poſſent difficiliores.

N O T A III.

De Matrimonio, quod ſit verus contractus, & tamen non ſit Sacramentum.

MMMDCCXV. *Quæſtio valde notabilis.*

MAtrimonium apud Chriſtianos eſſe Sacramentum aſſerui, Chriſtus enim Matrimonialem contractum elevavit, & eſſe Sacramentalem voluit. Aſſentiris & quæris, *An hæc ipſa elevatio à contrahentium voluntate dependeat;* hoc eſt, *An hoc ipſo quod contrahentes verum contractum ineant, celebrent Sacramentum: an verò in eorumdem voluntate ſit contractum merè civilem celebrare?*

An, quod Matrimonium ſit aut non Sacramentum à contrahentium voluntate dependeat? Diverſa Theologorũ ſententia.

Eos, qui vellent Matrimonium celebrare tanquam quemdam verum & validum contractum, & nollent Sacramentum conficere, validè copulari, & non celebrare Sacramentum docet Vaſquez *tom. 2. in 3. part. diſp. 138. cap. 5.* Poncius *lib. 1. cap. 9. num. 3.* Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 255.* Cotonius *in ſumm. verb. Matrim. num. 2.* Rebellus *lib. 2. quæſt. 5. concl. 1.* Hurtadus *diſp. 3. diff. 19.* Villalobos *tract. 13. diff. 6.* Diana *3. part. tr. 4. reſol. 255.* qui citant Scotum, Baſolim, Almanium, & alios. Negant Layman *tract. 10. part. 2. cap. 2. n. 2.* Corneius *diſp. 1. dub. vlt. pag. 880.* Luyſius Turrianus *in ſumm. part. 2. cap. 94. dub. 10.* Suarez *tom. 1. de Sacram. quæſt. 64. art. 10. diſp. 13. ſect. 2.* Petrus de Ledeſma *quæ. 42. art. 1. dub. 7. in reſol. ad 1. & 2.* Ægidius *diſp. 24. dub. 2. num. 22.* Sanchez *de Matr. tom. 1. lib. 2. diſp. 10. num. 6.* & aſſerendi ratio eſt, quia non conſtat ex Scripturis, Conciliis, aut Patribus Chriſtum Dominum ita Matrimonium inſtituiſſe, vt in eo ratio Sacramenti & contractûs inſeparabiliter coniunctæ ſint: ita vt ſponſi debeant vtrumque (contractum ſimul & Sacramentum) aut neutrum omninò celebrare.

An poſſibile ſit inter Chriſtianos Matrimonium, quod contractus ſit, & tamen Sacramentum nõ ſit.

Hanc Quæſtionem eruditè pertractat Acacius March de Velaſco *tom. 2. reſol. 252. pag. 471. a.* & pro parte negativa Petrum de Ledeſma Laymanum, Sanchezium & Conincxium, à nobis citatos adlegat, & illam probat hoc argumento. [Impoſſibile eſt, vt quis celebret Matrimonium, quod Sacramentum ſit, & contractus non ſit. Ergo impoſſibile eſt quod Matrimonium celebret, quod contractus ſit, & tamen Sacramentum non ſit.] Hæc ratio, vt vt videatur firma, ſi penitiùs conſideretur, eſt elumbis:

An eſſe poſſit Epiſcopus, qui nõ ſit Presbyter.

poſſem enim in ſimili formâ dicere [Impoſſibile eſt conſecrare in Epiſcopum aliquem qui non ſit Presbyter. Ergo impoſſibile eſt conſecrare in Presbyterum aliquem, qui non ſit Epiſcopus.] Vt oſtendat poſſe rationem contractûs à ratione Sacramenti ſeparari Caſum iſtum proponit.

An Hæreticorum Matrimonia ſint Sacramenta.

Si dos ſe caſaſſen, y no tuvieſſen la devida intencion, que ſe requiere en el Miniſtro de Sacramento (que es hazer lo que haze la Igleſia) ſino que tuvieſſen poſitivamente intencion contraria de no hazer Sacramento (lo podria eſpecialmente ſuceder, ſi fueſſen hereges en el articulo deſte Sacramento) en eſte caſo el Matrimonio no ſeria Sacramento. Et addit hanc eſſe S. Thomæ *in addit. ad 3. part. quæſt. 51. art. 2. ad 2.* Suarij *tom. 3. diſp. 13. ſect. 2.* Sanchezij *tom. 1. lib. 2. diſp. 20. num. 6.* Et aliorum Theologorum ſententiam.

An aliquid certi in hac quæſtione haberi poſſit.

Quia nihil hinc inde ſufficienter probatur Leander, & Palaus vtramque eſſe putant opinionem probabilem: illam enim, quæ Sacramenti & Contractûs inſeparabilitatem tuetur Palaus *diſp. 2. punct. 2. num. 5.* veriorem, Leander *part. 2. tract. 9. diſp. 4. quæſt 7. pag. 229.* probabiliorem appellat. Quid autem Ego ſentiam, & quid deſiderem *not. 4. §. Ego quidem.* Et *not. 5. §. At inquam,* & *diſp. 8. Velleiti.* videbis.

Digitized by Google

NOTA IV.

An Matrimonium, quod per Procuratorem contrahitur, ſit verum Sacramentum?

MMMDCCXVI. Negant Eſtius & Sylvius: ille *in 4. diſt. 19 §. 5.* iſte *in 3. part. quæſt. 42. art. 1. in 3. part. quæſt. 42. art. 1. quæſt. 3. concl. 2.* negant alij, nam Sacramenti collatio & receptio ſunt perſonales, & præſentiam requirunt. Hæc ratio, ſi vim habet, ſuadet abſentium Matrimonium non poſſe eſſe Sacramentum, etſi vterque velit contrahere Sacramentaliter: quod alij negant, qui præſentiam ad Sacramenti valorem non requirunt. Stando ergo primæ Quæſtionis diſſolutioni, dicendum eſt huiuſmodi Matrimonium fore quale contrahentes voluerint; Sacramentum, ſi velint; ac merè civile, ſi velint; & quia non ita docti iuvenes ſunt, vt ſciant; nec ita indevoti, vt rationem Sacramenti velint ſeparare à contractu, pronuncio omnia aut fere Sacramenta, quæ hucuſque inita inter Catholicos (abſentes, aut præſentes) fuiſſe reverà Sacramenta. Quod, ſi præſentia ad Sacramenti valorem requiratur, ſtabit abſentium matrimonia, quæ per procuratorem celebrantur, Sacramenta non eſſe.

An realis præſentia in omni Sacramenti adminiſtratione requiratur?

Quid in dubio de contrahentium voluntate præſumendum ſit?

MMMDCCXVII. Hinc oritur altera Quæſtio, *An ſcilicet Matrimonium, quod ſemel ita celebratum fuit, vt veri contractûs rationem habuerit, & Sacramenti rationem non habuerit, poſſit ſucceſſu temporis in Sacramentum tranſire; puta, accedente novo contrahentium conſenſu?*

Quæſtio tertia.

Vt reſpondeam matrimonia in tres claſſes diſtinguo; alia enim ſunt infidelium, quo nomine hic non intelligo hæreticos, ſed homines non baptizatos; alia fidelium abſentium alia fidelium præſentium volentium inire contractum, & nolentium Sacramentum conficere.

Matrimonii triplex.

Infidelium matrimonia, quamdiu coniuges in infidelitate permanent, Sacramenta non eſſe certum eſt. Quid ſi illi baptizentur? Sanchez *de matrim. tom. 1 lib. 2. diſp. 9. num. 5.* aſſerit illud matrimonium per ſubſequentem baptiſmum tranſire in Sacramentum, abſque novo conſenſu; eo quod incipiat vnionem Chriſti cum Eccleſiâ repræſentare: ſed hanc opinionem meritò reiicit Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 253.* quod enim ſine vlla cauſa aſſeritur, magna ex cauſa reiicitur. Rebellius *part. 2. lib. 2.* limitat hanc ſententiam, & præter baptiſmum etiam renovationem conſenſuum præcedentium requirit, ait enim coniuges infideles ad fidem converſos, vbi primum novos conſenſus exprimunt, vel antiquos ſigno confirmant, gratiam recipere, & conficere matrimoniale Sacramentum. Sed hanc ſententiam etiam reiicit Diana, & alij Doctores cum illo: magis enim arridet eis ſententia Vaſquezij *in 3. part. tom. 2. diſp. 138. cap. 5.* aſſerentis Sacramenti rationem ipſi contractui in fieri adnexam; &, ſi ſemel contingat contractum validè fieri & tamen Sacramentum non eſſe, non poſſe in Sacramentum temporis ſucceſſu tranſire.

An Infidelium Matrimonia, ſint Sacramenta?

Vt aliquid negetur ſufficit rationem aſſerendi non eſſe.

An Matrimonium infidelium, ſi ad fidem Chriſtianã convertantur, per novum cõſenſum renovetur, & in Sacramẽtum tranſeat?

Ego quidem, cùm videam Sacramentorum inſtitutionem fuiſſe liberam; non reperio, cur non potuerit Chriſtus matrimonij & Sacramenti rationes connectere vinculo indiſſolubili, ita vt hominibus non ſit liberum illas ſeparare, & ſi velint. Et non reperio cur non potuerit etiam, eaſdem noſtro arbitrio relinquere, ita vt matrimonium ſit merus contractus civilis, ſi velimus; & ſit Sacramentum, ſi velimus. Si hoc ſecundo modo Sacramentum Matrimonij Chriſtus inſtituiſſe dicatur, non reperio, cur non potuerit Chriſtus ita voluntatem ſuam attemperare, vt vna è tribus opinionibus à nobis relatis ſit vera, & aliæ duæ falſæ. Ergo cùm quæritur, Vtra ex his opinionibus ſit vera? reſpondendum eſt, illam tantummodò eſſe veram, quæ demonſtretur: & illam eſſe veriorem, quæ meliùs probetur. Sed tamen de hoc ipſo audiamus, quid Acacius pronunciet. Ipſe *tom. 2. reſol. 232. pag. 471. num. 2.* propoſuerat caſum in quo ſponſi velint celebrare contractum, & nolint Sacramentum conficere, & *num. 4.* ſic inquit, *Dudaſſe, ſi en eſte caſo ſeria Matrimonio, y a que no fueſſe Sacramento? A eſto dize Sanchez en el lugar citado* (tom. 1. lib. 2. diſp. 10. num. 6.) *que no lo ſeria, porque en la ley nueva iuntó Chriſto inſeparablemente la razon de Sacramento con el contrato Matrimonial. Pero eſto* (N B.) *no lo prueba, ni lo puede probar, como dize Rebello* de Iuſtit. 2. part. lib. 2. quæſt. 5. num. 4. *el qual tiene la opinion contraria, y dize, que ſeria Matrimonio y no Sacramento.* Et quid Rebellus reponeret, ſi reſponderet Sancheſius, quòd hoc ipſum, quod Rebellus dicit, *ni lo prueba, ni lo puede probar.* Et, ſi à me, quid ego dicam? poſtules, ab Intellectu Voluntatem diſtinguam: non enim quod deſidero, ſentio. Inter Chriſtianos rationem contractûs à ratione Sacramenti non poſſe ſeparari deſiderarem, nam ab oppoſitâ ſententia difficultates & turbationes ſæpe proventuras prævideo: at pro mea ſententia habeo demonſtrationem, nec condemnare audeo oppoſitam, quam Viri tam docti tuentur.

Sacramentorum inſtitutio fuit libera. Illa potuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtituere: & non inſtituere, & ſic & aliter inſtituere, &c.

Etſi poſſibilia ſint, tutius negantur, quæ non poſſunt probari.

Fidelium abſentium matrimonia non eſſe Sacramenta, probabile putat Villalobos, *tom. 1 tract. 13. diff. 9. num. 3.* ſuadens vt iterum præſentes contrahant ad tollendos ſcrupulos, vt ſi fortè non receperint Sacramentum abſentes, id præſentes recipiant. Sed contra hanc doctrinam eadem dici & obiici poſſunt, quæ contra matrimonia infidelium. Ergo quouſque ſuam theſim Villalobos probaverit, nos contrariam cum Vaſquezio tenebimus.

An abſentium Matrimonia ſint Sacramenta?

Tandem matrimonia præſentium, qui voluerunt contractum inire & Sacramentum non conficere (ſi hoc eſſe probabile aſſeratur) poſſe ſucceſſu temporis novi conſenſûs vi, in Sacramenta tranſire, conſequentia doctrinæ debent dicere, qui ſimilia de aliis matrimoniis dixerunt. Hoc ſi dicant tantummodò, nos abeſſe permittent: ſi non ſolum id dicant, ſed & probent, eos ſequemur; at nemini

An ſponſis ſit liberum hodie contractum purè inire, & poſt annum illum vertere in Sacramentum?

Digitized by Google

nemini erimus iniurij, ſi hæreamus contrariæ ſententiæ,quamdiu nihil afferant adverſarij.

N O T A V.

An Matrimonium, quod contractus ſit, & tamen Sacramentum non ſit, ſubſit Eccleſiaſticis legibus?

MMMDCCXVIII. *Quæſtio quarta.*

EX controverſiâ naſcitur controverſia, & ponens eſſe probabilem Vaſquez & Poncij ſententiam aſſerentium poſſe fideles inire matrimonium, etſi nolint Sacramentum conficere: & eo caſu matrimonium illud fore validum in ratione contractûs, & non habiturum rationem Sacramenti, Ponens igitur hanc doctrinam, quæro, *An, qui hodie tali modo clandeſtinè contraherent, inirent validum matrimonium?* Agis de locis, in quibus Tridentinum admittitur, in Galliâ enim magno boni publici damno clandeſtina matrimonia eſſe valida, in confeſſo eſt. Et vniverſaliter loquendo, inquiro, *An impedimenta Eccleſiaſtica dirimant illud Matrimonium, quod non ſit Sacramentum?*

An Impedimenta Matrimonij, instituta ab Eccleſiâ, contractus Matrimoniales, qui non ſunt Sacramenta concernant?

Reſpondes Theologos inde communiter probare, Eccleſiam potuiſſe impedimenta, etiam dirimentia, ſtatuere, quia Matrimonium à Chriſto fuit elevatum ad rationem Sacramenti, & hoc ipſo à Principum Politicorum authoritate exemptum, aut ſaltem ab Eccleſiâ eximibile. Dabo vnum aut alterum Authorem, vt rationem ob quam Principes laici à cauſis Matrimonialibus excludantur percipias. Ægidius *de Sacram. diſp.* 30. *dub.* 1. *num.* 2. *pag.* 794. *a.* [Dubitatur, Vtrùm Principes ſœculares habeant poteſtatem inducendi impedimenta Matrimonij? Quidam abſolutè negant: quia Matrimonium eſt Sacramentum, circa quod ſœculares nihil poſſunt conſtituere.] Ergo, ſi non eſſet Sacramentum, circa illud Principes ſœculares poſſent aliquid conſtituere. Amicus ſimiliter philoſophatur, nam *tom.* 9. *diſp.* 9. *ſect.* 1. *num.* 2. *pag.* 134. *a.* ſic inquit. [Certum hanc poteſtatem eſſe penes Eccleſiam. Ita Tridentinum ſeſſ. 24. can 3. & 4. cuius oppoſitum vt error in Fide declaratum fuit à Concilio Senonenſi ſub Clemente VII. ann. 1518. Ratio. Eccleſia errare non poteſt in diſpoſitione Sacramentorum, &c. Cùm igitur Matrimonium ſit vnum è Sacramentis à Chriſto inſtitutis, &c.] Et poſteà *num.* 6. [Matrimonium inter Chriſtianos eſt Sacramentum. Nullus autem Princeps ſœcularis poteſtatem habet in Sacramenta] Leander etiam *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 10. *quæſt.* 7. *pag.* 266. *a.* [Contractus Matrimonij in iam baptizatis definit eſſe Civilis & ſœcularis, & factus eſt purè ſacer, poſtquam Chriſtus Dominus ad rationem Sacramenti illum elevavit. Ergo ex eo tempore non ſubditur poteſtati Principis ſœcularis.] Et tamen non eſt cur, etſi Sacramentum ſit, non poſſet ſimul eſſe contractus civilis, ait enim S.Thomas *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt. vnic. art.* 1. *ad* 4. [Matrimonium in quantum eſt officium naturæ, ſtatuitur à Lege Naturæ: in quantum eſt Sacramentum, ſtatuitur lege Divina: in quantum eſt in officium Communitatis, ſtatuitur Iure Civili: Et ideo ex qualibet dictarum legum, poteſt aliqua perſona effici ad Matrimonium illegitima.] Et his præmiſſis diſcurro. Ratio ob quam Eccleſiæ ſubſunt Matrimonia eſt, quia ſunt elevata à D.N. Ieſu-Chriſto ad dignitatem Sacramenti. Ergo, ſi quod datur verum inter Fideles Matrimonium, quod reverà Sacramentum non ſit, illud nec Eccleſiæ ſuberit, nec erit à lege Principum ſœcularium exemptum. Ergo illud non dirimetur iuxta Canones, ſed iuxta Politicas leges. Ergo ſtante admiſſione Tridentini, illud adhuc matrimonium eſt validum, & immune.

Reſolutio relegenda & examinanda.

Vnde habeat Eccleſia, quòd poſſit impedimenta, etiam dirimentia in Matrimonio ponere. & illud, licèt civilis contractus ſimul ſit, valeat eximere à ſæcularium Principum authoritate & poteſtate?

An & quando ipſemet Chriſtus à poteſtate Principum Matrimonium exemerit?

An ſimul contractus & Sacramentum ſit?

At dices, magnas hinc turbationes contingere poſſe in Republicâ: adeoque hanc ipſam doctrinam eſſe falſam. Sed fortè reſpondebunt illi, nec ſe turbationes illas prævidere, nec didiciſſe Dialecticam, quæ ex turbationibus inferat Concluſiones improbabiles eſſe. Et quidem probant turbationes non ſequi quia poſitâ hac doctrinâ ſequeretur in Hiſpaniâ aut Germaniâ ſemel iterumve, quod in Galliâ quotidie fiat in Galliâ non ſequuntur magnæ turbationes hoc nomine: ergo nec ſequerentur aliis locis. Ex turbationibus malè inferri improbabilitatem vel ex eo oſtendo, quod non ſola probabilitas, ſed & certitudo & evidentia interdum turbent privatas & publicas communitates, vnde enatum adagium illud eſt: *Multa vtiliter ignorantur.* Cæterùm, quidquid alij, multa paſſim inconvenientia abortum faciunt, vbi Matrimonia obtinent clandeſtina: & ideò non ſolùm apud Schiſmaticos, ſed etiam apud Iudæos, Mahometanos, & Ethnicos Matrimonia, vt civiliter eorundem celebratio probari poſſit, peraguntur ſolenniter. Et non minora ex hac nova doctrinâ, quæ rationem contractûs & rationem Sacramenti eſſe ſeparabiles aſſerit, in Hiſpaniâ, Italiâ, & aliis regionibus oritura prævideo, ſi medullitùs intelligatur: & ideò illam proſcribi ab Scholâ deſidero: faciant doctores quidquid velint.

Bonum, non ſolùm ſpirituale, ſed etiam temporale poſtulat, ne clandeſtina Matrimonia admittantur?

Schiſmatici, Mahometani & Ethnici illa reprobant.

Æqua gravia orirentur inconvenientia ex doctrinâ, quæ in Matrimonio cõtractum à Sacramento ſeparat. Ergo, ſi illa non ſunt intolerabilia, etiam hæc poſſent tolerari.

INTERIM Ego quid Vaſquez, Baſilius, & eorum Adſeclæ poſſint doctè reſpondere non video: & ideò pro praxi hoc Monitum neceſſarium ſubſcribo. Noli inter Chriſtianos celebratum matrimonium admittere, quod legibus Eccleſiæ non ſubſit: & hanc ob rem: in hoc argumento, *Hoc matrimonium eſt contr. ctus naturalis civiliſque: & tamen non eſt Sacramentum. Ergo in quantum eſt officium naturæ (contractus naturalis) ſtatuitur à lege naturæ: & in quantum eſt officium Communitatis (contractus civilis) ſtatuitur lege civili: Ergo cum in quantum non eſt Sacramentum non habet cur à lege Divinâ (ſive etiam Pontificiâ) ſtatuatur.* Hanc ob rem, inquam Ego, in hoc argumento materiam, & formam accuratè perpende. Si laboret in Logicâ, & oſtendere poſſis non inferri ſequelam, ſalva res eſt: nega conſequentiam, & antecedens tranſire aut ſtare permitte. Si tamen non peccat in Dialecticâ, nega rotundè antecedens, & dicendo, *Omne Chriſtianorum matrimonium eſſe Sacramentum,* te à difficultatibus intricatis ſubduces.

Monitum Morale pro praxi.

N. B. Relege, & bene perpende illa S. Thomæ verba, quæ ex 4. diſt. 34. ſumpſimus, & paulò ante dedimus: nam ad illa totũ hoc ratiocinium collimatur.

Quid fieri debeat, vt huic argumento reſpondeatur?

DISPV

DISPVTATIO III.

De Matrimonij Naturâ ad mentem Ægidij Coninkij, qui ingenioſè à communi doctrinâ diſcedit, Philoſophicè conſideratâ.

Proderit, ut Iuris Naturalis eſſentia & attributa exactiùs & clariùs cognoſcatur.

MMMDCCXIX.

Matrim. nij prædicata eſſentialia.

Quale eſſet Matrimonium, ſi homines non penderent à Deo?

An ſolvi poſſet?

NATVRAM & proprietates Matrimonij indagare & exponere aggredior, & vt illam ſpeculer debebo eamdem ab omni extrinſeco accidente ſpoliare. Eamdem viam ingredi voluit olim Ioannes de Neapoli, vt reſolveret, an inſolubilitas Matrimonio competeret ex naturâ rei? At dum vult Matrimonij conceptum denudare accidentibus, vlteriùs perrexit, quàm deberet, quoniam *quæſt.*40. *punct.*2. *num.*3. (apud Amicum *tom.* 9. *de Matrim. ſect.* 2. *pag.*5.*a.*§.*De quocumque*, *num.*25.) ſic inquit. *Si per impoſſibile poneremus coniuges deſinere eſſe ſub Divinâ poteſtate, per mutuum diſſenſum poſſent vinculum diſſolvere.* Et, inquam Ego, tametſi hoc non poneremus, modò poneremus nihil Deum de Matrimonio conſtituiſſe, aut ſaltem eius ſolutionem non interdixiſſe, poſſet illud ex mutuo coniugum conſenſu diſſolvi. Igitur omittamus hypotheſes, quæ impoſſibiles ſunt (nimirùm Deum non eſſe: aut homines ſub eius poteſtate non vivere) & ponamus poſſibiles has (nempe, Deum, qui eſt, *Et pater, atque hominum, Divûmque Æterna Poteſtas*, nullam legem in materiâ Matrimonij tuliſſe, & illud Chriſtum ad Sacramenti non evexiſſe dignitatem.

Quale eſſet ſi nulla de ipſo fuiſſent leges?

Et manendo in hac hypotheſi, quid ipſi debeatur ex naturâ rei facili negotio cognoſcemus.

Finis Operis & finis operantis diſtinguuntur.

Oportet hîc ex Philoſophia finem operis à fine operantis diſtinguere, cùm enim Medicus applicat medicinam, operis (applicationis medicinæ) finis eſt, infirmum recurare: & tamen operantis (Medici) finis eſſe poteſt & ſolet, aut lucrari Expertiſſimi gloriam, aut fortè divitias adquirere.

In carnali copulâ, alius eſſe ſolet finis Operis & alius finis Operantis.

Potiò, ſi finem operis conſideremus, nemo negare poterit fœminæ & maris coniunctionem ad ſobolis generationem ordinari: Ergo copula ex naturâ ſuâ ad filiorum procreationem dirigitur. Et hunc eumdem finem reſpexit Author ipſe Naturæ, nam Auguſtinus *lib.*5.*ſuper Geneſ.ad liter.cap.*3. exponens illa Domini verba, *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*, ſic infit. *Si quæritur ad quam rem fieri oportuerit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos; ſicut adiutorium ſemini terra eſt, ut virgultum ex vtroque naſcatur*, hoc tamen non obſtante finis operantium poteſt eſſe diverſus: quoniam plerique omnes, qui extra matrimonium conveniunt, non procreationem prolium, ſed meram voluptatem ſectantur. Et tametſi in Europâ exempla manifeſta ſuccurrant, quæ hanc veritatem ſuadeant, volo has lineas exſcribere, vt quales in Americâ ſint mulieres, noſcatis. *Hanno per coſtume molte di queſte, che quandoſi ingravidano, prendono vn'herba, con la quale ſubito diſperdono, perche dicono, che le vecchie debbono parturire, & che eſſe non vogliono eſtar occupate & laſciare li ſuoi piaceri, &c.* Ita Gonzalus de Oviedo *in ſummario India Occid. cap.* 10. *pag.*51.*c.* multæ vbique terrarum etiam fœminæ ſui corporis copiam concedunt propter lucrum, & propter valetudinem Viri non pauci: & Antonius Perezius, Philippi II. Hiſpaniarum Regis ſecretarius, fatetur, ſe Dominam N. ſolicitaſſe, & obtinuiſſe, non quidem ob libidinem; ſed, vt per illam mariti, & per hæc Regis arcana, penetraret.

An copula debeat fieri ex conſenſu? Quale peccatum ſit fœmina oppreſſio?

An præter conſenſum viri & fœminæ adhuc requiratur licentia Dei?

Copula eſt actus, qui non poteſt fieri niſi à duobus. Ergo cùm ſit Regula naturalis, quæ docet *in re communi potiorem eſſe conditionem prohibentis*, quam Bonifacius VIII. congruo ſenſu recipiens Canonicam fecit in ſexto. Hæc copula fieri debebit ex communi conſenſu. Vnde fœminæ recuſantis oppreſſio præter fornicationem dicit graviſſimam illatæ iniuriæ circunſtantiam, quæ in confeſſione debet neceſſariò explicari. Sed petis, An etiam conſenſus requiratur alius? Hoc Dubium in initio propono, propter Ægidium Coninck, qui *de Sacram.diſp.*26.*dub.*2.*pag.*753.*b.num* 27.*concl.*4. *& deinceps.* ſubtiliſſimè diſcurrit. Ergo, vt illum intelligas has ſubſequentes Aſſertiones conſidera.

MMMDCCXX.

Cur Deus ſit noſter dominus?

PRIMA. *Hoc eſt bona conſequentia [Deus creavit hominem. Ergo eſt dominus hominis.]* Eam didici à Davide, qui *Pſalm.*23.ſic concinit. *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo.* Audio, Propheta ſancte: ſed vellem, vt probares, quod dicis. Dei, & non alius eſt totus Orbis terrarum. Sed cur? *Quia ipſe ſuper maria fundavit eum, & ſuper flumina preparavit eum.* Eâdem ratione vtitur aliis in locis Rex divinitùs illuminatus, & præcipuè *Pſalm.*88. 12. dicens, *Tui ſunt cœli, & tua eſt terra*, & vt probet ſubiungit, *Orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundaſti, Aquilonem & mare tu creaſti.* Et ex hoc fundamento *in Theologiâ Moral.Intent.diſſ.*3. hanc

Non ab intellectu, aut voluntate, ſed à productione oritur immediatè rerum omnium dominum.

ego

ego Concluſionem deduco. *Deus eſt omnium rerum phyſicus dominus: non tamen quà intelligens (non quà volens, ſi voluntatem ab omnipotentia diſtinguas,) ſed quâ libere creaturas producens, & conſervans. Ita ibi pag. 40. n. 105.*

An homines ſint ſervi Dei?

Corollarium I. *Ergo homo eſt ſervus naturalis Dei.* Ita D. Franciſcus Verde *Tyrocinij lib. 1. tit. 3. pag. 27. a. §. 197.* dicens. [Dari ſervum naturalem eſt de fide: quia de Fide eſt, creaturam naturaliter eſſe Dei ſervam Ex quo patet hanc ſervitutẽ naturalẽ non labefactari à libertate, nec nobilitatis obſcurare ſplendorem, dummodo Dominus, cui ſervit ſit genere non turpis. Dixi *non turpis*, quia *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Et licèt fruatur libertate, ſit ignobilis juxta illud, *Omnes, qui derelinquunt me, erunt ignobiles.*] Prætereà, ſi natura à *naſcor, natus ſum*, & *nativitate* dicatur, iterum homines ſumus ſervi naturales Dei, nam ſumus ab ancillis nati, *leg. & ſervor. 5. D. de ſtat. homin.* Conſono Viro doctiſſimo, nam *in Theol. Morali Intent. lib. 2. diſp. 2. art. 9. dub. 3. pag. 111. a. §. 420.* [Reſpondeo nullam creaturam eſſe abſolutè dominam, nullam abſolutè ſervam omnes Virtuti Creatrici ancillantur, & Deus eſt unus univerſarum dominus: hæc autem ſervitus omnibus & ſingulis creaturis naturalis eſt. Præter hanc datur ſervitus Moralis, quæ peccando incurritur, nam *qui peccat, ſervus peccati efficitur*, &c.]

Deo ſervire regnare eſt.

Ioann. 8.

a. Petr.

Etymon vocis Natura.

Servitus duplex: naturalis, & moralis.

MMMDCCXXI. Corollarium II. *Ergo homo non eſt ſuus, ſed Dei. Ergo quidquid habet eſt Dei. Ergo de nulla re, imò neque de ſuo corpore poteſt diſponere ſine licentia Dei* Patent omnia, *ex leg. quod ſervus*, D. *de acquir. poſſ. leg. placet*, D. *de adquir. heredit.* Quoniam ſervi cenſentur mortui *leg. quod attinet. 33. leg. ſervitutem, 210.* D *de regul. Iur.* & ideò carent dominio *§. item nobis, per quas perſonas nobis adquiritur, lib. 3. leg. intercedit. 58. D. de condit. & dem. leg. cum hic ſtatus, 33. §. ſi donator.* D. *de donat. inter.*

Homo non eſt ſuus, ſed Dei.

Servi cenſentur mortui.

An, & quãdo ſervi ſint capaces dominij?

Objicis ſervos eſſe capaces dominij: & probas, quoniam, quæ ſervus lucratur in ludo ſine domini injuriâ. ſua ſunt. Hurtadus *de iuſt. diſp. 1. diff. 18* Et ſua etiam ſunt, quæ parcè vivendo à conceſſis alimentis corraſit, dummodò ſuo ipſe Domino obſequia debita præſtiterit. Leſſius *lib. 2. cap. 4 dub. 4. num. 16.* & *leg. peculium, 40. D. de peculio.* Imò, quæ quin ſervitio ſuo deficiat, ob uſum illicitum ſui corporis lucratus fuerit, ſibi & non Domino adquirere docuit Sanchez *Opuſc. tom. 1. lib. 1. c. dub. num. 8.* D. Verde *Tyrocinij lib. 1. num. 253.* contra Lugonem *de Iuſtit. tom. 2. diſp. 1. ſect. 3. num. 46. & 47.* Et eſt etiam peculium, quod omninò pertinet ad ſervum, & à Domino auferri non poteſt. Conſtat *ex leg. 5. D. de pecul. leg. peculium, 40. de pecul. leg. 1. § ſervus*, D. *de offic. Præfect. Vrbis*, ibi. *Servos ſua pecunia emptos, ut manumittantur de dominis quærentibus audiet.* item *leg. vix. 55. D. de iudiciis*, ibi. *Sed, etſi ſuis pecuniis redemptos.* Et quia textus hi probant hoc ſervos ſortiri dominium independenter à domino: infers, nihil fuiſſe probatum: nam tametſi homo ſervus ſit, & Deus dominus; non hinc ſequi videtur, *omnia quæ habet homo, eſſe Dei; illumque de nulla re, imò neque de ſuo corpore poſſe diſponere ſine licentia Dei.* Imò videretur inferri, eſſe veram duram illam Durandi opinationem, quæ tantum in operationibus ſuis dominium hominibus (aut etiam univerſim omnibus cauſis ſecundis) concedit, ut operentur independenter à concurſu ſimultaneo Divino: quia ſervus in caſibus ſuperiùs poſitis de rebus ſuis diſponit validè ſine domini conſcientiâ aut conſenſu.

An adquirant Dominium ex ludo? Ex parcimoniâ? ex corporis quæſtu?

An habeãt peculium?

De Durandi negantis ſimultaneum Dei concurſum ſententia.

MMMDCCXXII. Reſpondeo ſervos Iure Civili eſſe nullos, *leg. nec ſervus 42. D. de pecul. leg. quod attinet*, D. *de regul. Iur.* Et tamen ita eſſe incapaces dominij, ut permittente Domino illud adquirere poſſint. Hoc autem dominium non eſt permanens, ſed juxta domini voluntatem amobile, *leg. depoſiti. 5. leg. 8.* D. *de peculio.* Et teſte D. Verde in *Tyrocinij lib. 1. num. 254* Eſt omne, quod ſervus habet ſeparatum à rationibus domini permiſſu ejuſdem domini, *leg. 4. 5.* D. *de peculio.* Addo ſervum duos habere dominos; baſſum, altum; utrumque immediatum in ſuo genere Ille eſt, qui verbi gratia, ſervum emit; huic autem eſt Princeps, qui leges ſancivit, & conſtitutione ſua jura dominorum determinavit. Intereſt Reipublicæ, quod omnia in illâ ſummâ ſuavitate regantur: nam ſummum Ius meritò vocatur *ſumma iniuria*; & & quia Servitutis conceptus ſecundum ſe conſideratus erat nimis acerbus, & inconvenientibus obnoxius (ſervi enim cùm nihil ſibi adquirere poſſent, nec ſe poſſent redimere: deſpondentes animo, aut ſibi ipſis mortem conſciſcebant, aut dominorum vitis inſidiabantur) hinc factum, quòd rigor Iuris, id ſuadente experientiâ, aliquatenus temperaretur, concedendo ſervis aliqua privilegia, quibus fruerentur independenter à ſuis privatis dominis: at non à ſupremo domino, ſive Legiſlatore. Hinc conſtat nihil argumentum evincere: nam inter ſervum reſpectu ſui ſupremi domini (Imperatoris, Principis) & hominem reſpectu Dei omnimoda conceditur paritas. Attende. Servus quà ſervus eſt alius: ergo homo quà creatura Dei eſt. Ille ſecundum ſe non ſolùm nihil poſſidet, ſed nec habet poſſidendi aliquid capacitatem: & niſi hanc à domino ſupremo recipiat, nihil licitè aut validè poterit poſſidere. Ergo creatura in fieri, & in conſervari ſubjacet non ſuo, ſed arbitrio voluntatis Divinæ, nec habet jus utendi ſuo corpore, ſuis potentiis, ſuis ſenſibus, niſi illud jus recipiat à Deo. Vt ſervus nullius rei habeat proprietatem, & de nullâ re poſſit diſponere, non eſt neceſſarium, quòd Interdictio Superioris accedat, ſed ſufficit mera Non-conceſſio: quia conceptus ſervitutis tam eſt affinis nihilo, ut ſervus, niſi ſupremi Principis favor accedat, nihil poſſideat. Ergo, ut homo, nec ſui corporis, nec ſuarum potentiarum ac ſenſuum habeat poteſtatem; adeoque, ut nec de ſe, nec de ſuis actibus poſſit diſponere, non eſt neceſſarium ut Interdictio Dei ponatur, ſed ſufficit mera Non-conceſſio: quia conceptus creaturæ cum infinitate Creatoris collatus, tam eſt affinis nihilo, ut homo niſi Dei favor (poſitiva Conceſſio) accedat, nil poſſideat.

An ſervi ſint nulli civiliter?

An poſſidere aliquid poſſint Domino permittente?

De alto & inferiori dominio.

Summũ Ius, ſumma iniuria.

Cur fuerint leges de ſervitute mitigatæ?

Inter ſervũ reſpectu Principis legulatoris & hominem reſpectu Dei currit exacta paritas.

An homini ex natura rei omnis ſit interdicta operatio: & ut aliquam licitè elicere poſſit, indigeat poſitiva licentia.

MMMDCCXXIII. SECVNDA *Non eſt bona conſequentia* [*Deus creavit hominem, Ergo habet obligationem dandi illi neceſſaria ad conſerva-*

An Deus ſit vitæ & mortis dominus?

tienem individui.] Patet, quia eſt vitæ & mortis Dominus; unde apud Pſalten ait, *Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam, & ego ſanabo: & non eſt, qui de manu meâ poſſit eruere.* Et alibi ſapiens exclamat, *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem.* Ita hos & alios ſimiles locos intelligit S. Thomas *quæſt.* 54. *artic.* 3. *ad* 2. & *quæſt.*64. *art.*1. *ad* 1. & 3. Cajetanus *quæſt.* 73. *artic.* 3. Victoria *relect. de homic. num.*23. Sotus 4. *de Iuſtit. quæſt.*2. & 3. Valentia *quæſt.* 10. *punct.* 1. Aragonius & Bañez *quæſt.*66. Dicaſtillus *de Iuſtit. lib.*2. *tract.*1. *diſp.*1. *num.* 94. & alij, quos cito, & ſequor *in Theol. Mor. Intent. lib.* 1. *de lege Natur. ſeu Phyſic. diſp.* 10. *pag.* 53. *a.* Quam ob rem Deus, cùm ſit Dominus infinitè abſolutus, Hominibus etiam bene ſervientibus, ne quidem alimenta debet; unde præceptis ſalutaribus moniti, & Divinâ inſtitutione formati inter alias gratias, petimus à Deo alimenta corporea & ſpiritualia, cùm dicimus, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Multi profectò Sancti perierunt fame, multi perierunt morbo, multi aliter. Ergo, cùm Eliam Angelorum, aut etiam corvorum miniſterio nutrivit, cùm ad Danielem tranſtulit Habacucum, cùm Paulum Heremitam, &c. aluit. Cùm pueros in fornace exêmit à flammarum violentiâ: & cùm valetudini reſtituit Eccleſiam, & alia miracula peregit: nihil facit ex debito, ſed ex merâ gratiâ, ut ſuam Miſericordiam exerceret. Quam ob rem, ſi Adamum condidiſſet, & permiſiſſet fame mori, aut fulmine occidi, nullam ipſi intuliſſet injuriam.

Pſalm.

Sapient. 16. 13.

An debeat alimenta Deus?

Non ex debito, ſed ex gratiâ Deus homines multos ab ipſâ morte liberavit.

An Domini negare poſſint alimẽta ſuis ſervis?

Sed objicis. [Non poſſunt Domini alimenta ſervis denegare, licèt poſſint minuere. Nec gravi inediâ nuditate, labore, poſſunt illos affligere, aut contra ſpiritualem ſalutem aliquid præcipere. Molina *diſp.*38. *num.* 3. & *leg. ſi Dominus*, 2. D. *hoc tit.* & *hic* §.2.] Ita D. Franciſcus Verde *in Tyrocinij lib.*1. *num.* 151. Vnde hoc efformatur argumentum. [Eſſet injuſtiſſimus dominus, qui ſervo ſuo alimenta negaret. At Deus, cujus ſumus homines ſervi, dominus juſtiſſimus eſt. Ergo non poteſt nobis, ſervis ſuis, alimenta negare.]

MMMDCCXXIV. *An vita ſervi ſubſit domino?*

Reſpondeo humanum & divinum dominium toto cœlo differre. Putarunt olim Domini ſe in ſervos habere mortis & vitæ poteſtatem *leg.*1. D. *de his qui ſunt ſui vel alien. iur.* Et addo, ſi hæc doctrina eſſet vera, poſſe dominos ſuis ſervis alimenta negare. Interim, quia *dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, poſteriores Imperatores non habere jus, dominos in vitam ſervorum declararunt: juſſeruntque, ut qui proprium ſervum occidit, ita puniatur, ac ſi alienum occidiſſet, *diſt. leg.*1. *verb. Nam ex conſtitutione.* Cùm autem Deus ſit infinitè liber, & infinitè hominum Dominus ſicut illos liberè condidit, ita poterit eos liberè adnihilare. Et ſicut non conſervare eos poteſt, ſic & negare media ad vitæ conſervationem neceſſaria. Et quidem non eſt melior Angelo homo, & tamen, ſi ille ex merâ gratiâ conſervatur, homo etiam non ex debito, ſed ex gratiâ conſervatur, homo etiam non ex debito, ſed ex gratiâ ſe à Deo conſervari cognoſcet. *Lib.*2. *cap.*3. Damaſcenus. *Angelus eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo miniſtrans, gratiâ & non naturâ immortalitatem ſuſcipiens, cuius ſubſtantia ſpeciem & terminum ſolus, qui creator eſt, novit.*

Hodierna dies heſternâ eſt doctior.

Dominus, qui ſervum ſuum occidit, punitur.

Quod homo vivat, eſt gratia Dei.

Non ex obligatione, ſed ex miſericordia Angelos cõſervat Deus.

MMMDCCXXV. *Homini Deus cõceſſit verũ dominium, quod nullo iure tenebatur concedere.*

Tertia. *Cum Dominus Deus hominibus in herbis, animantibus, & cæteris mundi rebus dominium conceſſit: cùm æternam gloriam, ſi ſibi obediret, promiſit, actum meræ Miſericordiæ elicuit, non Iuſtitiæ.* Non ergo ex debito, ſed ex liberalitate proceſſit, cùm *Geneſ.*1.28. benedixit eis, & dixit. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam: & dominamini piſcibus maris & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Dixitque Deus. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram; & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, & omni volucri cæli, & univerſis quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita.* Hanc donationem dilucido *Theol. Moral. Intent. lib.*2. *diſp.*19. *pag.*205. *b.* quam poteris, ſi vacat, lege. Hujus Donationis renovationem *Geneſ.*9. reperio, ibi enim, *Benedixit Deus Noë & filiis eius, & dixit ad eos, Creſcite & multiplicamini & replete terram. Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli, & cum univerſis quæ moventur ſuper terram. Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. Et omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Ergo habuit homo in res iſtas dominium titulo Donationis. Ergo, ſi illas ipſi non donaviſſet Deus, dominium non haberet in eis.

Habet homo dominium in res in quibus illud ſibi conceſſit Deus: ſi nullũ cõceſſiſſet nullũ haberet

An Eva & Adamus comedendo pomum perpetraverint furtum?

Hæc ſunt tam vera, ut Tertullianus, [quem ſub ſecundi ſæculi finem floruiſſe conſtat, & fuiſſe Virum Magnum & celebrem Vincentius Lirinenſis, cujus verba *pag.*292. adducit Geſſelius, teſtatur,] illa Geneſ.2.16. *Præcepitque ei dicens, Ex omni ligno Paradiſi comedes, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas*, recognoſcens, Evam, Adamumque incriminatus fuerit furti. Ejus verba *in Logica Moralis Prodromo pag.*141.*a.* juxta Editionem Campanienſem anni 1668. ad longum refero: nunc pauca hæc adduco, quia ipſa mihi ſufficiunt. *Si Dominum ſuum dilexiſſent*, ait, *contra præceptum eius non feciſſent*, &c. *à furto quoque abſtinuiſſent, & de fructu arboris clam non deguſtaſſent*, &c. Ecce illos non de inobedientiâ tantùm, ſed de furto accuſat. Ergo præſcindendo à donatione, eorum non erant arbores: ſi enim ipſorum illæ eſſent, violando præceptum, inobedientes fuiſſent, ſed non fures. Ergo Tertulliani ſententiâ, ut hominum eſſent illæ arbores, non ſufficiebat Deum illos arborum non privaviſſe, dominio, ſed erat neceſſarium, ut illud poſitivè concederet.

Cur fuerint aliarum arborum domini?

MMMDCCXXVI. *Cur Deus nominetur Mirabilis.*

Hanc eamdem Concluſionem confirmat Davides, *Pſalm.*8. cùm ait. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum, in univerſa terra.* Et quidem non eſt mirabile, quod Princeps infinitè juſtus faciat

Digitized by Google

ciat id quod debet, tamen Deus eſt mirabilis: Ergo non à rigore Iuſtitiæ, ſed ex alio ipſe capite hanc nanſcicitur denominationem. Ex quo autem? ſic rem intelligo. Ideò Deus glorioſum *Mirabilis* nomen merebitur, quòd clemens & miſericors ſit, & gratias indulgeat, quas non debet. Sed cui? Homini tanto favore indigno. Quoniam Domine Deus mi, *quid eſt homo, quod memor es eius; aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* & quæ ſunt hæ indebitæ gratiæ, ob quarum conceſſionem nominatur *mirabilis*. Adloquitur Deum Propheta, & ait. *Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius: oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi. Volucres cæli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Quæ conſiderans S. Baſilius *hom.* 10. *in Geneſ.* ſic inquit. *His ſanè argumentis elucescit ab ipſo Deo vim cæteris omnibus imperandi delatam eſſe homini ubivis terrarum conſtituto: atque hinc factum eſt, ut balena omniaque maris monſtra, vel ſolis nominibus horrenda, ſub hominis ditionem atque dominatum ſubiecta & ſubſtrata ſint.* Docet ergo Baſilius, hominem, non jure creationis, ſed jure Donationis à Deo recepiſſe vim (authoritatem) cæteris omnibus imperandi.

Pſalm. 6.

Homo ſolo Angelo minor: at cæteris creaturis eſt præſtantior. Non à naturæ præſtantiâ homo, ſed à conceſſione Divinâ habet, quòd dominetur animantibus.

MMMDCCXXVII. *Nullã obligationẽ habet Deus eò ſervandi genus humanum.*

QVARTA. *Non eſt bona conſequentia: [Deus creavit hominem. Ergo habet obligationem dandi illi neceſſaria ad conſervationem ſpeciei.]* Patet: quia aliquando Mundo & generationibus finem imponet, & quem olim poterit ponere, potuit in ipſo initio poſuiſſe. Ergo, ſive illa verba *Creſcite & multiplicamini & replete terram*, conſilium, ſive præceptum importare dicantur, non habuit obligationem illa dicendi Deus, nec inſtituendi Matrimonium. *Confirmatur.* Erit tempus, quo illud præceptum ceſſet, quia Deus vult, quòd ulteriùs Matrimonia non fiant: ergo potuit ab initio velle, quod nulla Matrimonia fierent. Vt antecedens probem pono caſum, quem examini ſubjicit Amicus *tom.*9. *diſput.*1. *ſect.*3. *pag.* 24. *b.* §. *Diſputant. num.* 106. videlicet, Quid faciendum eſſet, ſi quomodocumque cæteris mortuis, ſoli Religioſi & Moniales, aut fortè pater & filia remanſiſſent in mundo? An deberent matrimonium contrahere? An tunc illud præceptum *Creſcite*, &c. obligaret? Negant plurimi, & præcipuè Durandus *in* 4. *diſtinct.*26.*quæſt.*2. *num.* 8. Paludanus *quæſt.*3. *artic.* 1. *concl.*3. Henriquez *lib.*11. *de Matrim. cap.*1. *num.*6. Vaſquez *de Matrim. diſput.* 1. *cap.*3. *in fin.* Mæratius *diſput.*1. *ſub fin.* Et probant, quia in tali caſu credendum eſſet, adventare finem Mundi; & proinde non eſſe neceſſarium Matrimonia contrahere. Contrariæ ſententiæ adhærent Sotus *quæſtion.* 1. *artic.*2. *in fin.* Sanchez *libr.* 2. *de Matrim. diſput.* 3. & alij. Quia eſt in poſſeſſione præceptum, & de diſpenſatione, ſeu cauſâ ceſſandi neſcitur. Amicus judicat utramque eſſe opinionem probabilem: & in priorem ſe inclinare fatetur. Ergo præceptum de Matrimonio eſt liberum: & ſicut poteſt, quando voluerit Deus, ceſſare, ſic potuit ab initio non poni.

An Matrimonium inſtituere debuerit?

An præceptũ de Matrimonio fuerit liberum? An potuerit non poni?

Quid deberet fieri, ſi ſoli Religioſi eſſent in mũdo? quid, ſi ſolummodò pater & filia?

Petis, An hoc præceptum fuerit poſitivum? Magiſter *in* 4. *diſtinct.*26. quem *loc. citat.* §. *Quod attinet, num.*102. citat; & ſequitur Amicus. Docet, ad Matrimonij contractum homines duplici præcepto obligari poſitivo divino ut conſtat ex illis verbis] *Creſcite*, &c. & etiam naturali. Egidius Coninck *tom. de Sacrament. diſput.* 26. *dub.*2. *pag.*753. *b. num.* 27. præceptum Divinum admittit: verum tantùm abeſt, ut naturale cognoſcat, ut aſſerat in caſu, quo Deus nihil de Matrimonio conſtituiſſe, homines ex præcepto naturali debere ſicut à carnali omni copulâ, ſic ab omni de eadem habendâ contractu aut etiam ſponſione abſtinere.

MMMDCCXXVIII. *Verum de contrahendo Matrimonio duo ſunt præcepta, alterum naturale, & alterum Divinum?*

Magiſtri, quæ eſt communis in Scholâ, ſententia, ſic ab Amico & aliis Doctoribus *probatur.* [Sicut naturali præcepto tenetur homo proprium individuum cibi potûſque uſu conſervare; ita & ſui ſpeciem Matrimonij uſu. *Præterea.* Tenetur homo non ponere impedimentum, ne finis naturæ fruſtretur, qui eſt multiplicatio & conſervatio generis humani. Sed per non uſum matrimonij homo poneret ſaltem negativum impedimentum, ne genus humanum multiplicaretur & conſervaretur; cùm de facto non ſit alius legitimus modus multiplicandi conſervandique genus humanum ſuâ naturâ corruptibile, quàm per legitimum Matrimonium. Major conſtat ex ipſâ lege naturali, quæ dictat, conſervandam eſſe tam nobilem ſpeciem, propter quam creata ſunt hæc omnia mundi viſibilia, ut iis præſit & fruatur, tanquam legitimus Dominus à Deo conſtitutus. *Probatur tertiò.* Ex naturali inclinatione, quam natura ipſa homini indidit ad uſum Matrimonij. *Probatur quartò.* Ex diverſitate ſexuum, quam non alio fine Deus condidit, quàm ut ex legitimâ utriuſque copulâ genus humanum propagaretur: nec licitum eſt homini hunc finem à Deo inſtitutum irritum facere. *Scripſerat* hæc Amicus, & addit. *Atque hoc certum eſt*, ne ab eo poſtularet aliquis, ut rem quam vocat, manifeſtam, probaret.

An ſicut proprium individuum homo ſic teneatur propriam ſpeciem conſervare?

An lex naturalis dictet eſſe tam nobilem ſpeciem conſervandam?

Quid ſexuũ diverſitas probet?

Quàm certa ſit ſententia Amicii

Suam Ægidius ſic exponit, & probat. [Solus Deus propriè habet abſolutum dominium noſtri corporis, noſque ſolùm ejus uſum, quem ipſe nobis conceſſit, non omninò abſolutè, ſed cum certis limitationibus. Quare invalidè poteſtatem noſtri corporis aliis aliter concedemus, quàm quatenus, & quâ ratione ipſe nobis id conceſſit. At, quia ipſe inſtituens Matrimonium ab initio, non conceſſit in hac re, ut aliter eam poteſtatem alteri concederemus, quàm per indiſſolubile unius cum unâ vinculum. Ergo invalidè & contra Ius Naturæ aliter conabimur facere. Hinc patet primò, ut hæc (matrimonia ad tempus, vel cum pluribus) invalidè fiant, non eſſe opus poſitivâ Dei Prohibitione, ſed tantùm Non-conceſſione: ſicut ut invalidè vendam Petri clamydem, non eſt opus, ut hic id prohibeat, ſed tantùm ut non concedat. Patet

Quale in ſuo corpore dominium homo habeat?

Ante quam licentiam Deus conceſſiſſet, non poterat homo uxorem

ducere; poſt huius licentiæ conceſſionem tale & non aliud Matrimonium inire poterit, quale Deus inſtituerat.

tet ſecundò ſine ullâ diſpenſatione in lege naturæ potuiſſe Deum concedere antiquis libellum repudij & polygamiam, ſicut potuit dare veniam Abrahamo, ut occideret innocentem filium: Et ut dixi *diſputat.* 25. *dub.* 4. poſſet duos efficere veros conjuges, etiam invitos.] Hæc Ægidius, quæ ſicut ſubtiliter dicta, non ſunt pingui Minervâ conſideranda & meditanda.

MMMDCCXXIX. *Obſcura ſunt Iuris Naturalis Principia. Quæ à Viris etiam doctis negātur.*

Ex his manifeſtè colligitur valde eſſe obſcura omnia, quæ de Iure Naturæ dicuntur, nec mirum, ſi duo nobiliſſima ingenia (Ægidius Coninck & Franciſcus Amicus) in primis Fundamentis diſſideant, quod fecerunt Socrates, Ariſtoteles, Plato, cùm videamus integras Reſpublicas, quæ bene inſtitutæ ſunt viſæ, aut etiamnum viderentur, illa eſſe licita aſſerere, quæ nobis Catholicis aliter inſtructis, etiam à Fide præſcindendo, apparent propudioſa & abſurda & lumini naturali contraria. Supereſt igitur, ut ad Ægidij mentem argumenta, quæ pro ſententiâ communi Amicus formabat, diluamus.

Præceptum de conſervandâ propriâ vitâ, non eſt tam ſeverum, ut non permittat, ut illa in multis caſibus exponatur, aut etiam expidatur.

Ad primum argumentum aſſero, non eſſe ita ſtrictum ipſum poſitivum de vitâ conſervandâ præceptum ac Amicus ſupponit. Cotonius *in ſumm. verb. Vitam exponere, num.* 8. [Probabile eſt licere. &c. occurrere hoſtibus, vel beſtiæ furenti, ut amicus evadat: item, non ſe defendere occidendo invaſorem, cùm poſſit: item tradere equum alteri, ut fugiat, & in manibus hoſtium remanere: item in maximo frigore dari alteri veſtem unicam. Vide Bovium *part.* 2. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæſt.* 4. *ibid.* §. *Eodem.* Item potes ſervire infectis peſte, etiamſi potes te moriturum Diana *part.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 31. §. 1. propè finem. Item probabiliter docuit Malderus *in* 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 19. contra Sotum *lib.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 6. licere naufrago habenti tabulam, ut ſe ſuper aquas detineat, dare illam alteri, & evidenti, ſeu certo periculo ſe exponere: nam id non eſt directè ſe occidere, ſed ſolum non ſe tueri, cùm poſſit, alioqui enim neque id liceret pro Vitâ Regis: Adverte hic obiter, te non teneri ad tabulam in naufragio præoccupatam alteri admittere, ſi non ſufficit utrique: at ſi uterque ſimul occupaſtis, ſponte quis poteſt alteri cedere, aliàs lis ſortè dirimenda [a] Ita Diana *part.* 5. *tract.* 4. *reſ.* 28. §. *ſed quia*, & *reſ.* 42.]

a] An ſortes nantes poſſunt jacere? Non dicit Diana hoc ibi poſſe fieri, ſed debere, ſi poſſet.

MMMDCCXXX. *An teneatur comedere dānatus, ut moriatur inediâ. An in extremâ neceſſitate? An carnibus humanis veſci liceat?*

Et veniendo ad cibos; eum, qui damnatus eſt per ſententiam legitimam ut moriatur inediâ, non teneri cibos clam oblatos comedere aſſeverat Malderus *in* 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 19. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 41. Cotonius *verbo. Occidere ſe ipſum, num.* 37. contra Fabrum *in* 4. *diſt.* 15. *p.* 3. *diſp.* 52. *capit.* 21. *num.* 46. Imò ex eodem Cotonio *verb. Vitam exponere, num.* 8. *mihi pag.* 546. *b.* probabile eſt, licere conſtituto in extremâ neceſſitate relinquere cibum unicum & neceſſarium, ut ſumat alius paris neceſſitatis: & citat Bovium *part.* 2. *libr.* 12. *cap.* 4. *quæſt.* 4. & Dianam *part.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 28. §. *eodem.*

Si quæras, An qui aliis caret cibis debeat mori potiùs, quàm carne humanâ veſci: ſe non audere decidere Quæſtionem reſpondebit Navarrus, *conſ.* 2. *de ſortileg.* at Cajetanus *in* 2. 2. *quæſt.* 148. *art.* 2. etiam in extremâ neceſſitate talem cibum non licêre pronunciat.

εἰδωλοθυσία. immolatio ob Idolorum honorem facta, & hinc εἰδωλόθυτον. An liceat veſci idolothyto?

De Idolothytis variæ ſunt Theologorum ſententiæ: An videlicet aliis deficientibus cibis, moriendum potiùs ſit, quàm iis utendum? Interim Auguſtinus *Epiſt.* 154. *ad Publicolam*, ſeveram fuit amplexus ſententiam dicens, *Idolothytum etiam in extremo vitæ eſſe reſpuendum, & moriendum virtute Chriſtianâ.* Leander *in Decalog. tract.* 2. *de Fide diſp.* 4. *quæſt.* 58. *pag.* 44. *a.* permittit ut idolothyta in extremâ neceſſitate comedantur, & argumenta adducit quæ non ſtringunt. Et tandem ait. [Ad Auguſtinum, quidquid alij ſentiant, dicendum eſt, ibi conſilium dediſſe, non præceptum inſinuaſſe. Non enim dixit Auguſtinus, *illicitum eſſe tunc veſci idolothyto*, ſed *melius eſſe ab illo virtute Chriſtianâ abſtinere.* Legantur Cornelius *cap.* 10. *prima ad Corinth. num.* 64. Petrus Hurtadus, Ægidius & Oviedus, &c.] At Ego, vera aut falſa illa ſit, Auguſtinum ſeveram habuiſſe ſententiam contra Leandrum demonſtraturus ſum. Nam in conſilij & præcepti concurſu, ſi ſint contraria, ſtandum eſt præcepto: & in duorum præceptorum concurſu, ſtandum præcepto primæ Tabulæ contra præceptum ſecundæ. Ergo, cùm ſit Divinum præceptum de conſervandâ vitâ, non poterat illud violare Publicola, propter Auguſtini conſilium. Sunt ergo opinione Auguſtini duo præcepta: alterum Religionis uſum idolothytorum interdicens; & hoc pertinet ad primam Tabulam: & alterum conſervari vitam præcipiens, quod ad ſecundam ſpectat.

Quid ſenſerit S. Auguſtinus? An bene à Leandro exponatur?

De Charthuſianis, An poſſint comedere carnes in articulo mortis?

An Carthuſiani poſſint in articulo mortis uti carnibus ad vitæ conſervationem neceſſariis? ſi interroges, audies negantem Vaſquez 1. *part. tom.* 1. *diſp.* 162. *cap.* 4. *num.* 16. & alios: aſſerentes verò Sanch. *in Opuſc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 34. *num.* 7. Lorcam *in p.* 2. *dub.* 21. Dianam *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 136. & *tract.* 4. *reſol.* 35. §. *Sed hic*, & §. *Verum* & *part.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 70. Buſenbaum *in Medulla, lib.* 3. *tract.* 4. *dub.* 1. *n.* 4. *pag.* 131. Cotonium *verb. Carthuſianus*, & alios. Si autem quæſieris, Utrùm in caſu veſci carnibus debeat? ſub diſtinctione reſpondet Sanchez *part.* 2. *conſil. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 35. cum aliis ſex Doctoribus aſſerens debere uti carnibus ſi nullus alius cibus ſit; non autem, ſi nulla ſit alia medicina. Loquentem autem ſine ullâ diſtinctione, vix Authores pro ſententiâ aſſerente reperies.

Ergo, ſi tam multi ſunt caſus, in quibus homo vitam conſervare non tenetur: & tam multi, in quibus cibos, aut non poteſt aut ſaltem non debet comedere, cur non ponet Amicus etiam caſum in quo Deus homini non dediſſet cibos: nam comedendo deſtruit, & non poterat alienos deſtruere; quo reſpicientes Viri Eximij docuerunt in res unico actu conſumptibiles (cibum, potum, &c.) Religioſos non obſtante voto paupertatis dominium proprietatis adquirere. Dices, qui eſt in extremâ neceſſitate hodie, poteſt cibos alienos comedere. Ergo, etiam tunc cibos, qui MMMDCCXXXI.

An in rei quæ unico actu conſumuntur, adquirant dominium Religioſi?

De extremâ neceſſitate. qui non erant ſui, ſed ſolius Dei, Adamus comedere potuit. Reſpondeo negando antecedens, quia ſtando opinioni communi, bona humana priùs fuerunt communia, & poſteà ob cauſas graves ſupervenientes communi conſenſu diviſa: excipiendo videlicet in ipsâ diviſione extremæ caſum neceſſitatis. Ergo in extremâ neceſſitate ceſſat bonorum ab hominibus inſtituta diviſio, & tunc omnia ſunt

An omnia in illâ ſint communia? communia, ergo qui eſt in extremâ neceſſitate, non comedit cibos alienos ſed ſuos. Hoc dici de Adamo non potuit: quoniam ante donationem divinitùs factam, terreſtria bona, illi cum Deo nec erant nec fuerant communia. Ergo tunc Adamus nec habuiſſet ius, nec media quibus vitam honeſtè conſervaret.

An à conſervatione individui ad conſervationem ſpeciei legitimum argumentum ſumatur? Tametſi deſtructo antecedente corruit conſequens, adhuc non videtur Amicus dialecticari, nam ille, qui antecedens concederet, non teneretur ſtatim eſſe admiſſurus conſequens: ſtrictiùs enim hodie obligat conſervatio individui, quàm ſpeciei: Primò, quia poteſt quis vovere ſe nunquam ducturum vxorem & tamen ſe non eſſe comeſturum, bibiturum, &c nemo poteſt jurare. Secundò, quia illud *Creſcite & multiplicamini*, &c. non ſolùm nunc, ſed etiam tempore Adami conſilium & non præceptum eſt opinione multorum, cùm tamen vitæ conſervatio ſemper fuerit præcepta.

An liceat vovere Caſtitatem? Secundum illius argumentum multò eſt debilius primò? aut enim fallor, aut eſt huic ſimile. [Tenetur Petrus non ponere impedimentum, ne finis naturæ fruſtretur, qui eſt multiplicatio & conſervatio generis humani. Sed per votum caſtitatis homo ponit ſaltem negativum impedimentum, ne genus humanum multiplicetur & conſervetur. Ergo pec-

Quid dicendum, ſi in mundo tantùm duo (vnus Sacerdos, & vna Monialis) manerent? cant, qui votum Caſtitatis emittunt.] Et quis non videat hoc ratiocinium abſurdiſſimum eſſe. *Dices*, omnia eſſe concedenda in Adamo, non autem in nobis: nam modò generis conſervatio & propagatio in tantâ nationum & populorum multitudine non dependet à Petro. Reſpondeo Amicum in caſu quo duo (mas & fœmina, obſtricti voto Caſtitatis (manerent ſoli in mundo aſſerere ſe iudicaturum non velle Deum, quod genus amplius humanum per Matrimonia propagaretur. Et cur non idem potuiſſet Adamus dicere, ſi nihil ipſi fuiſſet à Deo revelatum.

MMMDCCXXXII. Illa Propoſitio, *Nullus alius eſt de facto modus conſervandi & multiplicandi genus humanum ſuâ naturâ corruptibile, quàm per le-*

An ſolùm per legitimum Matrimonium ſpecies humana conſervetur? *gitimum Matrimonium*, materialiter non eſt neceſſaria. Et, ſi agatur de licito conſervationis modo, eſt vera, quia ſic Deus diſpoſuit: ſed ſi ipſe non inſtituiſſet Matrimonium, etiam conſervaretur humana ſpecies per concubitus vagos. Et hodie etiam in illegitimis & ſpuriis ſpecies humana conſervatur.

Illa *Ipſa Lex naturalis dictat conſervandam eſſe tam nobilem ſpeciem*. Si hoc Lex naturalis dictat æquè Adamo olim, quàm Amico in caſu, quo duo aut pauci in mundo remanerent, dictaret. At in caſu illa Amico hanc doctrinam non dictat; ergo nec tunc dictaret Adamo. Raito Adamo dictaret, eſſe creaturam valde no-

An Natura dictet humanam ſpeciem conſervari debere. bilem hominem: & eſſe bonum, quòd eſſent multi: adeoque optandum, vt daret multiplicationis modum Deus, & concederet vſum & praxim. Ceterùm, quamdiu hæc multiplicatio non poterat fieri ſine Creatoris iniuria (eſſet enim Deo iniurius Adamus, ſi ſuo corpore, cuius non erat dominus ſine veri domini vteretur licentiâ) nihil eſſe de illa cogitandum. Et cur non eadem velleitate poſſet dicere. Phoſphorus (vt nil de ſole aut Luna dicam) eſt Stella pulcherrima: eſſet bonum ſi multæ illi ſimiles in Firmamento coruſcarent: adeoque optandum vt daret multiplicationis modum Deus, & concederet vſum talis multiplicationis. Ceterùm, ſi Ego poſſem multiplicare Stellas furando, & non aliter, nihil deberem de Stellarum multiplicatione cogitare.

Hæc tandem. *omnia cæleſtia corpora, elementa, animantes & plantæ fuerunt propter hominem condita*, Eſt revelata, & libera: MMMDCCXXXIII.

An omnia creata ſint propter hominem? illamque non potuit Adamus cognoſcere, niſi cælitùs illuminatus. Præterea, inter Animalia hominem eſſe creaturam nobiliſſimam ſcire Adamus non poterat: Animal enim in Rationale & Irrationale primaria diviſione dividitur. Ergo ſicut ſub Irrationali plures ſunt & inæqualis perfectionis ſpecies, cur ſub Rationali non eſſe poterunt plures, &

An homo ſit perfectiſſimum animal? etiam perfectione inæquales? Ergo, niſi à Divinis inſtruamur Oraculis, quis ſtando nudæ rationi ſcire poterit ſolam humanam & non alias creatas? nunquam enim demon-

An homines ſint in ſtellis? ſtrationem purè philoſophicam vidi, quæ oſtenderet, non eſſe homines in Luna, aut in ceteris Aſtris: & ſi eſſent, debere eſſe nobis ignobiliores.

Aliæ naturæ corruptæ, & aliæ integræ inclinationes habuit. Tertium argumentum nihil probat. Illa enim naturalis inclinatio, cuius Amicus meminit, eſt Naturæ corruptæ, non autem integræ paſſio, & vocatur *concupiſcentia*, etiam in Orthodoxis poſt Baptiſmum ad agonem relicta. Ex illa infertur hominem eſſe ægrotum, non autem jubere Naturam vt homines generentur. Nam concupiſcibilem etiam iraſcibilis comitatur, nec tamen ex hac inferre licet eſſe Naturæ legem, quæ homines occidi præcipiat.

An Amicus bene argumentetur? Quartum non eſt bene diſcuſſum. Attende. Princeps N curavit parari pretioſas pro ſuis famulis veſtes (Hiſp. *vna rica librea.*) finis operis (veſtium) eſt vt induantur. Ergo-ne in iuſſu Principis, poterunt famuli has inducere veſtes. Dicet, quod ſic Amicus: quia aliàs finem à Principe inſtitutum irritum facerent. Dicam ego, quod non. Quia illæ

Veſtes, quas dominus curavit pro famulis fieri, non ſunt famulorum, nec illis vti poſſunt ipſi antequam ſibi donentur. veſtes non ſunt famulorum antequam ipſis dentur, nec poſſunt illis vti antequam vſus concedatur. Et hoc eſt tam verum ait Ægidius, vt ad hoc vt illicitus famulis ſit illarum veſtium vſus, non requiratur poſitiva Principis inhibitio, ſed ſufficiat ſola non conceſſio. Hinc ad argumentum. Fecerit Deus marem & fœminam; videlicet, vt per eos ſpeciem humanam multiplicet. Neuter eſt ſui corporis dominus: eſt enim vtrumque corpus Dei: nec alter alteri poteſt ſui corporis dominium tradere ſine licentiâ Dei. Et hæc im-

potentia non naſcitur ex ſuperveniente interdictione: vt enim non poſſit Adamus ſuum corpus Evæ tradere, ſufficit hoc ipſum corpus non eſſe ſuum, ſed Dei, & nondum habere facultatem à Deo. Infert Amicus. Ergo Adamus finem à Deo inſtitutum irritum facit. Nego Ego conſequentiam. Fecit enim duplicem ſexum in hominibus Deus, vt quando ipſe permitteret, & ſub conditionibus, quas præſcriberet, coniuges ad prolium generationem concurrerent.

Cur Deus fecerit duplicem ſexũ?

Ergo, ſiquidem homo ex naturâ rei non eſt ſui corporis dominus, ſed ex conceſſione Divinâ, & hæc conceſſio limitationibus multis reſtringitur, ſequitur.

MMMDCCXXIV. *Quo poſſit homo modo diſponere de proprio corpore.*

Vniverſim loquendo, hominem nec aliud ſui corporis habere dominium, nec alium vſum, nec aliud aut alium poſſe in alium transferre, niſi illud & illum quod & quem conceſſit Deus: & ſub circunſtantiis ſub quibus conceſſit.

Cur non liceant homicidia?

Ergo primò. Nemo poteſt ſe occidere. Patet, quia ad iſtum Deus effectum homini proprij corporis dominium & vſum non conceſſit.

Cur neque peccata cõtra naturã.

Ergo ſecundò, Nemo poterit alium privatâ authoritate occidere. Patet: quia Deus vitæ & mortis dominus, nemini dedit in proximi vitam poteſtatem.

Ergo tertiò, Nemo poterit extra generationis leges libidinari: ſunt enim falſæ & propudioſæ omnes illæ licentiæ, quæ in Alcorano à Deo datæ leguntur. Mollities ergo, Sodomia, Beſtialitas, & omnes quæcumque aliæ ſeminis effuſiones, peccata ſunt.

Cur neque ſimplex fornicatio?

Ergo quartò, Nemo poterit fœminam etſi ad generandum aptam extra Matrimonium cognoſcere, quia cognoſcendi fœminam facultatem Deus ad legem Matrimonij reſtrinxit. Ergo ſimplex Fornicatio, eſt peccatum.

Cur neque adulteria liceant?

Ergo quintò. Nullus coniugatus poterit præter ſuam aliam cognoſcere mulierem: nam vnam cum vno Deus ita devinxit, vt neque conſors ſuperſtite conſorte ſecundum poſſit Matrimonium inire; aut coniugi fidelitatem non ſervare.

Et alias adhuc poſſem conſequentias inferre, ſi Ægidij velim fundamentis inſiſtere.

Cur Author Ægidij laudet, & tamen defendere nolit doctrinam?

Fateor hanc eius Concluſionem eſſe ſatis probabilem, & in vnâ publicâ diſputatione poſſe cum laude & applauſu defendi: at quia eſt nova, & argumenta contra eam occurrunt, quæ claram ſolutionem non habent, ne abeam à torrente Doctorum) omnes enim oppoſitis fundamentis inſiſtunt) eam placuit, hic exponere, & aliàs in toto hoc libro iuxta opinionem alteram (communem) diſcurrere, & philoſophari.

DISPVTATIO IV.

De Impedimentis Dirimentibus.

MMMDCCXXV. *Cur non vberiùs de Impedimentis, quæ impedientia vocant, differamus?*

AGAM de Dirimentibus: &, ſi interroges Cur non de Impedientibus fusè? Reſpondeo pleraque omnia illa Impedimenta, quæ *impedientia* dicuntur, & aptiùs *interdicentia* vocarentur, per non vſum deſiſſe, & ideò Commentariis & Interpretationibus prolixioribus non indigere, nam diligentiſſimus Leander *part. 2. tract. 9. diſp. 23. §. 12. quæſt. 2. pag. 329. a.* ſic inquit [Probabilius reſpondeo non delinquere mortaliter, niſi ſolum illum: qui contrahit cum tribus impedimentis, nempè cum Voto, Sponſalibus, vel Interdicto, Quia cætera impedimenta in deſuetudinem abierunt; ideóque nullum erit mortale in iſtis criminibus ſine diſpenſatione contrahere. *Quod enim maius ſignum* (ait Baſilius *lib. 6. de Matrim. cap. 14. num. 4.*) *inductæ conſuetudinis, quod à longo tempore nunquam diſpenſatio petatur, neque Prælati de petenda diſpenſatione fideles vllo vnquam tempore monere curent, cùm tamen ſatis veriſimile ſit eſſe huiuſmodi crimina.* Videlicet, niſi iam conſuetudo diſpenſaſſet) ſic Baſilius poſt Sanchez *diſp. 17. num. 78. & 9.* Hurtadus *diſp. 25. diff. 1. in fin.* per hæc verba: *Ex dictis conſtat, iam nullum Impedimentum tantùm impediens Iure poſitivo ſtatutum perſeverare; quia iam tantùm impediunt ſponſalia, & Votum, quæ ſuo Iure naturali tantùm impediunt; prohibitio autem iudicis tantùm impedit, quando apponitur à iudice* Sic ille, & alij. Nec Navarrus eſt pro Bonacina nam potiùs eſt pro nobis, ait enim talia impedimenta diſſuetudine ceſſaſſe per hæc verba: *Tum quia videtur, quod conſuetudo non tantùm id habeat, ſed quod etiam, nec à Papa nec ab Epiſcopo petatur diſpenſatio, quando cum illo impedimento aliud dirimens non occurrit, nondum enim adhuc in tantâ ætate vidi, vel audivi id fieri.* Sic Doctiſſ. & excellentiſſ. Doctor Navarrus *cap. 22. num. mihi 85. fol. 130.* aliàs *num. 75.*] Conſonat Ægidius *diſput. 30. dub. 3. num. 25. pag. 798.* b. poſtquam enim duodecim recenſuerat (1) Interdictum. (2) Tempus feriatum. (3) ſponſalia (4) Votum ſimplex, ait [*Non eſt opus his ſeptem vltimis diutiùs immorari; quia iam omnino ſublata ſunt: Nam iis irretiti ſine vllâ diſpenſatione, videntibus Prælatis contrahunt. Ita Navarrus* cap. 22 num. 75. & 85. *& cum aliis Sanchez* diſp. 17. num. 8.

An, & quâde, contrahere cum Impedimẽto impediente, ſit peccatum mortale?

N B. Votum & ſponſalia, ſi valida, ſunt Iuris Naturalis impedimenta, & obligant ſub mortali. Nec in eis crebrò petitur diſpenſatio in illo enim ſine causâ graviſſimâ concedi nequit, & in his nullus agente ſuperior poteſt, niſi per ſententiam, ſecundum adlegata & probata.

MMMDCCXXVI. *Vnde cognoſcere poſſimus, an lex per conſuetudinem oppoſitam ſit abrogata?*

Ex hac particulari doctrinâ, generalem Regulam potes deducere, vt cognoſcas, quando leges per conſuetudinem contrariam abrogatæ cenſentur. *Leges enim, in quibus à nullo petitur diſpenſatio; & tamen ſcientibus ſuperioribus paſſim violantur, quin hi contra violatores (etſi poſſent, ſi vellent) procedant iam non curari cenſentur à Legiſlatoribus, & per conſequens eſſe abrogata.* Nota illud *etſi*

poſſent,

poſſent, *&c.* non enim eſt cenſendus ea ſuperior permittere, quæ impedire non poteſt.

Petis, *An in iis impedimentis, quæ ſub mortali, vt oſtendebamus, non obligant, peccatum veniale inveniatur?* &, ſi id inveniatur, *Cur non debeam ea multa ſcribere, ne vel vnum ex ignorantia committatur?*

An violare legẽ in materiâ gravi ſit mortale?

Reſpondeo ad primum, materiam eſſe gravem in ſingulis: &, vt dicebat Baſilius eſſe crimina; quia vbi datur gravis materia & præceptum Eccleſiæ, violatio eſt crimen, hoc eſt peccatum mortale, non veniale. Nec hæc Reſolutio ab illâ Quæſtione dependet, quæ interrogat. An in materiâ gravi ſuperior poſſit obligare ſub veniali? aliud enim eſt quærere, *An Eccleſia poſſit?* & aliud toto cœlo diverſum, *An fecerit?* Vnde dico, quidquid ſit de potentiâ Eccleſiæ præcepta, ſi materia ſit gravis hîc & nunc obligare ſub mortali.

An de vno veniali ſit diſputandum.

Ad ſecundum reſpondeo, non eſſe differendum de reformatione rerum levium cum detrimento gravium: vnde cùm tota Doctorum cura & diligentia requiratur, vt bene cognoſcantur mortalia, non eſſe multum diſputandum aut contendendum de vno veniali, inquit Haëphtenus *in Benedicti illuſtrati lib. 2. diſquiſ. Monaſtic. 1. pag.* 189. Suarij teſtimonio ſubſcribens.

Qui Voti, ſponſalium, aut interdicti legem temerat, peccat mortaliter.

Porrò violare fidem in ſponſalibus promiſſam eſſe peccatum mortale conſtat ex his, quæ *diſp.* 1. dicebamus: & eſſe mortale violare votum etiam ſimplex, eſt ſimiliter certum, vt conſtabit ex his, quæ in expoſitione Impedimenti III. dicemus. Interdictum (nam eſt in viridi obſervantiâ) non poteſt ſine culpâ gravi violari. Stat ergo hæc tria Impedimenta, etiamnum ſub mortali obligare. Et, quia de cæteris Impedientibus Impedimentis nihil, quod neceſſariò ſciri debeat, occurrit, ad Dirimentium dilucidationem tranſeamus.

IMPEDIMENTVM I. Error.

MMMDCCXXVII.

Præiudicia aliquorum Iudicum Epiſcopaliũ.

SOlent multa in cauſis matrimonialibus confundi, & Officiales in Epiſcopalibus Conſiſtoriis variis præiudiciis præuenti non conueniunt in praxi. Sunt qui hæc Theoremata mordicùs tenent. I. *In omni dubio ſtandum eſt pro valore ſacramenti.* II. *In omni probabilitate illa eligenda ſententia eſt, quæ faueat matrimonio.* III. *Oportet cauſas Matrimoniales tardo examine diſcutere, vt tædio affecti litigantes compoſitionum ineant, & à tribunali ſe ſubtrahant.* Sed omnia hæc tria mihi non placent. *Non primum* quia in dubio ſtandum pro poſſeſſione eſt, quæ præceſſerat dubium, cùm igitur ante Matrimonium dubium præceſſerit cœlibatus certus, ſtandum eſt pro cœlibatu. *Non ſecundum*; quia potius in probabilitate fauendum eſt coniugatis, quibus fauor maximus fieret interdum, ſi matrimonium inualidum declararetur. *Non tertium*; quia hoc eſt vexare homines & non adminiſtrare Iuſtitiam. Vidi ſemel Compluti vnum Vicarium Cardinalis Infantis, qui fuerat coniugatus, & experimento didicerat, quid ſit habere vxorem indocilem, & ſuperbam. Cauſas ipſe aliter expediebet, quàm ſolent Theologi, qui domos, in quibus patiuntur, & torquentur infeliciter coniugati, non vident. Summa, vt puto, diſcretione opus eſt, ne in cauſis Matrimonialibus, dum de Impedimento erroris, male noto diſſeritur, graves errores committantur.

An ſtandũ ſit pro matrimonij valore in dubio?

An in probabilitate?

Has doctrinas aliter intelligunt Vicarij, qui fuerunt cõiugati, & moleſtias vxoru difficilu experti ſunt.

MMMDCCXXVIII.

Error duplex ſubſtãtialis, & accidentalis.

QVàm ſæpè hîc errant Iudices! Sanè error, ſi ſubſtantialis eſt, contractum irritat: ſi accidentalis, non irritat; ſed quis eſt error accidentalis? qui non circa ſubſtantiam, ſed circa qualitatem vxoris. Hic quotidie errant Canoniſtæ, & Iuriſtæ, hic multi quotidie Theologi, quos volo propoſitione caſus ſubſequentis adiuuare.

Caſus proponitur.

Erat Romæ Sempronius homo Germanus, diues, ſed non Nobilis. Reperit ibi vnam fœminam alio nomine præditam quæ ſe dicebat filiam Comitis N. fugiſſe parentum tyrannidem, velle nubere. Cognoſcebat Sempronius Comitem, ſciebat illum habere filiam, quæ rigorem, & domum pertæſa ad Monialium Aſceterium confugerat. Credit hanc eſſe, & illam in vxorem ducit. Revertitur in patriam opinione iam ſuâ Comes factus; at ibi reperit Comitis filiam adhuc hærere apud Moniales, & hanc eſſe meretriculam quandam quæ ca[illegible]æ, & Nobilis Virginis nomen ſumpſerat. Quid faceret? Matrimonium eſſe nullum vociferatur: at Iuriſtæ dicunt, fuiſſe errorem in qualitate (hoc eſt, in diuitiis, nobilitate, famâ, &c) adeoque matrimonium tenere Me conſuluit, & ego ſic quæſtionem debere reſolui iudicaui.

Crudelia homini, nactus fuerat Iudices, qui nunquã intellexerũt neruũ difficultatis.

An error in nobilitate ſit ſubſtantialis?

MMMDCCXXIX.

Aliter reſpondemus cõſulti priuatim, aliter vt iudices publici & curi

IN caſu iſto conſcientiæ conſultus nullam difficultatem, dum priuatim conſulitur; ſummam Iudex, ſi debeat pronuntiare ſententiam iuridicam, & definitivam, inveniet: nam Theologus iuxta caſûs propoſitionem (vera aut falſa illa ſit) reſpondere tenetur: at Iudex etiam debet factum ipſum examinare, &, ſi non probetur adæquatè, pro matrimonio definire.

Procedendo ergo ex hypotheſi, quod Sempronius vera allegat, & in narratione caſus, nec decipiatur, nec decipiat, aſſero duas eſſe in hoc contractu Matrimoniali rationes dirimentes: eſt enim in perſonâ error clarus, & manifeſtus; & conditio contracti appoſita, quæ nullatenus purificatur.

Reſolutio.

Sanè error in perſona probatur. Comes enim Sempronio ex facie notus, eſt perſona determinata; & filia huius Comitis ex famâ & nomine Sempronio nota, etiam ex perſona determinata: at illi non hæc perſona, ſed alia quæ per dolum & fraudem hanc ipſam mentiebatur (nempe, Lanionis filia) traditur. Ergo erravit (imò, deceptus fuit) in perſonâ.

Error perſonæ.

Præterea, Sempronium non habuiſſe conſenſum abſolutum, ſed conditionatum (adeoque contractum hunc matrimonialem non fuiſſe abſolutum, ſed conditionatum) pronuncio: &, quia non purificatur conditio, non eſſe obligatorium infero: & ſubiungo, id tam eſſe clarum, & certum vt negari non poſſit ab homine, qui ſciat ſine conſenſu non poſſe Matrimonium conſiſtere, & voluntatis humanæ

Contractus conditionatus, non obligat, niſi purificetur conditio.

humanæ naturam exploratam habeat. Quam ob rem omiſſis Authorum citationibus (nam qui ab omnibus admiſſam doctrinam præmitto non teneor meum Lectorem allegationibus ſupervacaneis onerare;)

Ab inuitis contrahi nō poteſt matrimonium.

Pono primò, non dari humanam aliquam poteſtatem, an authoritatem, quæ poſſit vero Matrimonio duos inuitos, aut verè declarare matrimonium eſſe: quod ita certum eſt, vt contrarium à prudentibus dici non poſſit.

Volitionis conditiones & circunſtantiæ.

Pono ſecundò, in omni actu voluntatis dari circunſtantias, & conditiones; nam abſolutiſſimi, & ſimpliciſſimi actus conditiones ſuas, & circunſtantias implicitas imbibunt: quæ quidem aliquando ſunt conſequentes, aliquando concomitantes, aliquando etiam antecedentes; iam influentes; iam purè præexiſtentes; iam eſſentialiter connexæ, iam inhærentes actui tanquam accidentia moralia; iam tandem alias habitudines reſpectu voluntatis habentes.

Circumſtantiarū examen.

Hinc eſt circunſtantiarum examen eſſe valde difficile, & obſcurum; multaſque ab vno Authore eſſentiales cenſeri, quæ ab alio accidentales iudicantur. Vnde in caſu præſenti, cùm DD. Conſulti ad circunſtantias & conditiones recurrerint, tametſi mihi doctè videantur proceſſiſſe, fortè adhuc Iudices hærent, nec volunt in re tanti momenti feſtinare.

Etſi obſcurum & difficile ſit, intermitti non poteſt.

Sed, quia multa ſunt, ob quæ Sempronij, & Titiæ Matrimonium non valet, eligam tantummodò motiuum vnum, vi cuius huius contractus nullitas euidentiſſimè manifeſtetur. Et vt hoc clarè, & breviter præſtem;

De intentione & electione.

Pono tertiò, intentionem eſſe actum voluntatis, qui verſatur circa finem, & electionem prædeterminat? ita vt ſi vnicum tantùm detur medium, exſequutio, & electio ſint neceſſarij actus, & ſolùm libertate intentionis liberi.

An aliquādo electio ſit neceſſaria?

Exemplo res clarior redditur. Petrus vult egredi ex Eccleſiâ, quæ tantummodò vnum exitum habet; dico illi eſſe liberum egredi, vel non egredi; at ex ſuppoſitione, quod egredi velit, illi eſſe neceſſarium, vt hac egrediatur portâ, & non aliâ, quia ſupponitur alia non eſſe.

MMMDCCXXXX.

De libertate in eaued.

In quo caſu huius portæ electio non eſt libera libertate propriâ; ſed libertate intentionis, vel finis; quoniam Petro eſt liberum non eligere hanc portam, quia eſt liberum non intendere egreſſum; at ex ſuppoſitione, quod velit egredi, debet hac egredi, nec poterit cum egreſſu negationem huius egreſsûs, qui ſit per iſtam portam, componere.

Concluſio.

His poſitis, in quibus nemo poterit reperire dubium, nemo probabilitatem, ſunt enim certa, & euidentia; reſoluo: *Sempronij conſenſus fuit conditionatus & non purificatur conditio. Error Sempronij fuit in perſonâ. Ergo Sempronij; & Titiæ Matrimonium non ſubſiſtit*, quod ſic clarè demonſtro.

An Sempronij conſenſus fuerit liber?

Conſenſus ille Sempronij, quo voluit Titiam ducere, fuit electio medij, & medij vnici: ergo in ſe non fuit liber; ſed aut fuit liber in intentione, aut caruit omni libertate, ac propterea moraliter loquendo fuit nullus. At non fuit liber libertate intentionis: ergo nullam omninò habuit libertatem: ergo ipſe nullus fuit, & per conſequens Matrimonium, quod in illo fundatur, nullum eſt.

Cur elegiret Titiam?

An, vt finem, an tantummodo vt medium?

Quod conſenſus ille Matrimonialis fuerit mera electio, clariſſimè probari poterit. Sempronius enim Romæ non quærebat vxorem, quam duceret; erat enim in loco peregrino, in quo matrimoniales curæ illi non erant vtiles; ſed omninò incommodæ, & nociuæ, adeo que dici non poteſt, eius finem fuiſſe ducere vxorem, vt ſic; & poſteà Titiam potiùs, quàm aliam elegiſſe; quoniam in iſto caſu electionem fuiſſe liberam concederemus; nam cùm intentioni ducendi vxorem poſſet mille modis correſpondere [nulla enim eſſet in ſingulari ducenda] electio illa fuiſſet omninò libera.

Cur non propter ſemetipſam Titiam duxerit?

Sed Sempronius fatetur, ſe non habuiſſe animum ducendi vxorem, vt ſic, vi cuius Titiam potiùs elegerit, quàm aliam. Sed neque Titiam propter ſeipſam duxit Sempronius, ſciebat enim habere perſonales maculas, quas quicunque abhorreret, nî darentur grandiores circunſtantiæ, quæ aut præponderarent, aut illas poſſent tegere. Ergo videndum eſt, cur illam Sempronius ducere in vxorem voluerit.

Omnes circunſtantiæ ponderantur.

Sed quia Sempronius; vt materiæ fori interni requirunt, ſincerè ſuam mentem expandit: rationem, quæ petitur clariſſimè in medium produco. Titia Romæ gerebat ſe pro filia Caij de Liebenſtein; cognoſcebat Sempronius huius Familiæ ſplendorem, & nobilitatem; vidit eſſe poſſibile, vt ſe huic optimæ domui affinem redderet, habiturus filios maternæ nobilitatis hæredes; imò & bonorum etiam; quoniam illa Familia non ſolùm nobilis; ſed etiam opulenta eſt.

An vna voluntas poſſit aut ſoleat vim inferre alteri voluntati?

Sempronius igitur honorificum ſibi fore exiſtimans, ſi tam nobili proſapiæ coniungatur, vincit voluntatem, quam habebat, non ducendi vxorem; ſibi vim inferens, imperfectiones perſonales Titiæ diſſimulat, illaſque à Genealogicis perfectionibus ſuperari indicat; patris ſui, quem maximi fecit, & facit, voluntatem, aut conſcientiam non curat; ſed quia nullo alio modo vxorem de domo N. habere poterat quàm Titiam ducendo, illam eligit, & iuxta leges Eccleſiaſticas in vxorem ducit: *Video illum conſenſum fuiſſe electionem meram; & modò ſic diſcurro.*

Ex ipſis diſcurſus educitur.

N. B. Per eundē voluntatis actum attingi media & finem docent plurimi cum D. Thomâ in 1 part quaſt. 8. art. 2. ad 2. dicente finem & media ita ſe habere reſpectu voluntatis, ſicut & color ſe habet reſpectu potentiæ viſiuæ. Et mox. Vtile & honeſtum non ex æquo ſe habent, ſed ſicut quod

In hac electione, cùm ſit ipſa medij vnici, nulla reperitur libertas propria; ſed libertas intentionis, & finis; at finis erat ſanguinem ſuum, ſanguini domûs N. coniungere; Ergo quidquid contra hoc militat, contra Sempronij intentionem, & voluntatem militabit. Atqui ducere Lanionis filiam, militat contra hoc, quod eſt coniungi ſanguini nobiliſſimæ domûs; ergo tam certum eſt Sempronium noluiſſe Titiam filiam Lanionis ducere, quàm certum eſt eundem Sempronium honorem nobilitatis intendiſſe, vt finem, & poſuiſſe matrimonium vt medium. Cùm igitur in voluntate medij vnici, nulla libertas ſit; nulla ametur abſoluta bonitas, ſed relatiua hæc eſt vtilitas? manifeſtum eſt *primò* Titiam neceſſario eſſe electam & electionem ſolâ intentionis, & finis liberam libertate, vel nulla; cùm igitur intentio adquirendi nobilitatem opponatur ignobilitatis electioni; illa electio (ſeu conſenſus matrimonialis) omni caruiſſe libertate dicenda eſt. Et ex eodem capite manifeſtum eſt *ſecundò*, Titiam non fuiſſe amatam

ſecundùm

Digitized by Google

eſt ſecundū ſe, & ſecundum alteri: huiuſmodi autem ſemper referuntur ad eamdem potentiam, ſicut per ſe & ſtā viſivā ſentitur color, & lux: ſed quam color videtur.

ſecundùm ſe, & quà bonam; mala enim erat, ſed quà utilem; tenendumque eſt tam verè fuiſſe volitam in uxorem, quàm verè illa erat utilis, ſi duceretur, ad nobilitandam Sempronij familiam, illumque cum domo illâ illuſtriſſimâ coniungendum. Atqui non ſolùm illa eſt inutilis ad iſtum finem, ſed & poſitivè infert nocumentum oppoſitū nunquam igitur in uxorem volita eſt. Ergo videtur evidens, quod defuerit conſenſus, & illo amoto evidens eſt, matrimonium illud fuiſſe nullum.

MMMDCCXXXXI.

An matrimonium aliàs nullum, per copulam revalidetur?

Hinc ad ſecundam difficultatem tranſeo, & omitto illam quæſtionem quæ inquirit, An matrimonium, quod ab initio nullum fuit, ſequente copulâ affectu matrimoniali habitâ revalidetur? quoniam in noſtro caſu copula affectu fornicario ſecuta eſt; nec poteſt matrimonium revalidare, etiam in illorum ſententiâ, qui merâ copulâ contenti ſunt. Quoniam voluntas illa, quæ eſt utendi fœminâ ut pellice, opponitur voluntati utendi illâ ut uxore; ergo quam certum eſt illum habuiſſe primam, tam certum eſt non habuiſſe ſecundam; ſed potiùs poſitivè contrariam.

In quocumque contractu conſenſus duplex.

Nec juvat dicere, Titiam habuiſſe voluntatem utendi Sempronio tanquam marito, hancque voluntatem expreſſiſſe etiam verbis. Hoc, inquam, non juvat; quia in contractu duplex conſenſus requiritur: quamobrem tametſi fœmina centies conſenſum præbeat, nunquam validè nubet viro invito.

Matrimoniū virtualiter conditionatum, niſi cōditio purificetur, non conſiſtit.

Concludo igitur *Primò*, Matrimonium Sempronij, & Titiæ, ſi verè fuit quale à Sempronio exponitur, fuiſſe conditionatum, adeoque nullum. An bene ille caſum proponat, probare erit ipſius, adfirmare teſtium, & Iudicum examinare. *Secundò*, copulâ animo fornicario habitâ firmari, & revalidari non potuiſſe.

Copula animo fornicario habita illud non revalidat.

Tertiò, Iudices debere feſtinare, ſumma enim iniuria fit Sempronio; ſi, quod non puto, ob eorum negligentiam, cogatur laborare ignominiâ, expenſas indebitas facere, & aliam ducere non poſſe: quæ omnia conſideranda ſunt, ne fortè contingat, ut ſub pietatis erga Titiam colore, Iudices contra Sempronium ſint crudeles.

Interdum homines, ſub pietatis ſpecie ſunt crudeles.

At ipſos in re tanti momenti non voluiſſe præcipitare iudicium, ſed priùs omnia radiciùs examinaſſe, laude eſt dignum, modò tandem aliquando definitivè pronuncient.

MMMDCCXXXXII.

Alter privatus Theologus, & alter Iudex procedit.

HVcuſque proceſſi ut privatus Theologus: & à parte conſultus: omnia eſſe vera, quæ narrantur, ſupponens. At poſtulas ut ego Iudicis conditionem acceptem, & eamdem cauſam definitivè & prout poſtulant Iura, decidam.

Debet Actor plenè perſuadere, quæ dicit.

Hic Ego iubebo Sempronium probare completè & adæquatè, ea quæ dicit: ut enim in damnum tertij proferatur ſententia, non ſufficit, quod ille dicat; non quod ſpeciem facti inadæquatè & ſemiplenè probet: ſed omninò requiritur probatio plena. Ergo cùm matrimonium ſit in poſſeſſione, ſic eſt procedendum omninò.

Voluntas cōditionata poſtulat, ut purificetur conditio.

Dico primò. *Si Sempronius non habuit voluntatem abſolutam, ſed conditionatam ducendi Titiam in uxorem, & conditio non ſubſiſtit, non eſt verè coniugatus.* Patet primò quia eſt error in perſonâ. volebat enim ducere filiam Comitis N. quem cognoſcebat ex viſu, quàm ex famâ, & filiam lanionis accepit. Secundò, quia error, ſi qualitatis ſit, redit contractum conditionatum in hoc caſu, & contractus conditionatus non ſubſiſtit, niſi purificetur conditio.

Iudices pronunciant ſecundum allegata & probata.

Dico ſecundò. *Si non probet plenè ſe non habuiſſe conſenſum, etſi de facto non habuerit, debere condemnari à Iudicibus.*

Dico tertiò. *Ea quæ dicit, debet teſtibus omni exceptione maioribus adfirmare quibus, ſi careat, ad plenam probationem non veniet.*

MMMDCCXXXXIII.

Errare ſolēt ſæpe iuvenes & neſcire quid fecerint.

Sanè ſolent iuvenes amore cœco duci, aut etiam interdum ſeduci; & poſteà inveniunt difficultates, quas nunquam prævideraut. Ergo, quia matrimonialis contractus, ut feliciter fiat, poſtulat eſſe abſolutum; cenſendus eſt fuiſſe abſolutus, niſi contrarium oſtendatur. Cùm ergo omnia, quæ actus internos reſpiciunt, plenè probari in iudicio non ſoleant, dicendum eſt Sempronium, & qui ſimilia matrimonia contrahunt, vix poſſe per ſententiam definitivam Eccleſiaſtici Conſiſtorij iuvari.

Quid deerāt in hac materia Theologi?

Interim ut rem altiùs intelligas, volo ſubſcribere aliquas lineas ex Leandro de ſanctiſſimo Sacramento, *part.* 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 4. ubi interrogat, *An error antecedens circa qualitatem corporis & fortunæ perſonæ, cum quâ contrahitur, dirimat matrimonium?* & reſpondet his verbis. [Affirmant Præpoſitus *cap. ult. de coniugio leproſorum*, & Ioan. de Medinâ *de reſtit. quæſt.* 35. § *quibus præmiſſis*: maximè quando dolus dedit cauſam matrimonio.

Error ortus ex dolo.

His favet Baſilius *lib.* 4. *cap.* 21. *n.* 7. dicens hanc ſententiam eſſe veram in caſu, quo errans contrahat expreſsè & formaliter motus à qualitate, circa quam errat; aut (quod idem eſt) caſu, quo expreſsè contrahens feratur unico & indiviſibili actu in eam circumſtantiam, & in perſonam eâ circumſtantiâ veſtitam.

Error circa rationē formalem.

Citat Baſilius pro hac ſententiâ Thomam Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 18. *num.* 22. ſed certè non bene, quia oppoſitum per hæc verba docet. *Quamvis autem error hic qualitatis, dans cauſam matrimonio ineundo, id minimè dirimat*, &c. Sic ille. Citat etiam Ægidium, Rebellum, Petrum Ledeſma, Aragonium, Molinam, & alios. Sed probabilius reſpondeo: talem errorem, minime dirimere matrimonium; dummodò id, nec contrahatur cum conditione; *Si adſit illa qualitas*; ſed abſolutè, (quamvis cum errore antecedenti illius) nec error qualitatis redundet in errorem perſonæ.]

Error in cōditionem, aut etiam in perſonam tranſiens.

Hæc Leander; & tu conſidera omnes & ſingulas limitationes; ex quibus collige Sempronium, ſi erravit dolo Titiæ, hoc eſt, deceptus ab ipsâ (& ſic ille ſe erraviſſe conqueritur) Medinæ opinione, contraxiſſe matrimonium invalidum. Item invalidum opinione Baſilij, Sempronius unico indiviſibili actu voluit habere Titiam, non quà fœminam tantùm, ſed quà fœminam nobilem. Et hoc eſt quod ipſe proteſtatur, & conatur ſuadere. Et tandem opinione Leandri, ſi conſideravit nobilitatem Titiæ, tanquam conditionem ſine quâ non contraheret cum illâ: aut etiam, ſi exiſtimaverit ſe contrahere cum filiâ Comitis N. quem cognoſcebat, & redundârit error in perſonam, fuiſſe matrimonium invalidum. At non declarandum invalidum, niſi plenè probet Sempronius ea, quæ dicit.

Reſolutio.

Caſus iſte poſtulare videtur, vt de hac materia vberiùs diſcurramus. Ergo hæreamus tantiſper quæſo, Lector Optime, & de errore, qui in matrimonio ſolet allegari, vt veritas clariùs noſcatur, diſputemus.

MMMDCCXXXIV. CVm agitur de errore quoad ſubſtantiam, & de errore quoad qualitatem, ſeu accidens, non omnes Doctores nodum tangunt: non enim hîc agitur de ſubſtantiâ & qualitate rei obiectivæ, ſed de ſubſtantiâ & qualitate ipſius contractûs. Et hîc omninò philoſophandum eſt, ſicut de præcepto quoad ſubſtantiam & modum, fuimus philoſophati.

Aliud eſt agere de qualitate ſubiecti, & aliud de qualitate contractûs.

Quid ſit ſubſtantia & accidens?

Manendo in phyſicis, illud eſt ſubſtantiale ſeu eſſentiale, quod per ſe requiritur, vt res ſit. Sic anima eſt pars ſubſtantialis & eſſentialis hominis, quia ſublatâ non manet homo, ſed cadauer. Accidens eſt, quod poteſt adeſſe & abeſſe abſque ſubiecti corruptione, vt albedo.

Tranſeo ad Moralia. Illud eſt de ſubſtantiâ contractûs, quod intenditur per ſe à contrahentibus, quo ſublato aufertur obiectum contractûs. Illud autem eſt contractûs accidens aut qualitas, quod poteſt adeſſe & abeſſe abſque contractûs corruptione. Hinc patet, accidentia phyſica eſſe poſſe de ſubſtantiâ contractûs: & ſubſtantiam interdum phyſicam ad contractûs accidens ſeu qualitatem pertinere. Rem expono. Habebas in rhedâ ſex albos equos, & vno mortuo cum Franciſco paciſceris de alio equo, qui numerum compleat. Recipit ille numeratam pecuniam, & equum optimum, nigrum tamen, adducit. Te deceptum conquereris: & ille ait, errorem non fuiſſe in ſubſtantiâ, ſed in qualitate; color enim eſt qualitas, adeoque pactum & contractum ſubſiſtere. Sed Ego hîc colorem eſſe equi qualitatem concedo, nego tamen eſſe qualitatem contractûs: ſi enim contractum fuit, non de quocumque equo, ſed de albo, albedo requiritur per ſe, vt ſatisfiat contractui.

An eadem res poſſit eſſe phyſicè ſubſtantia & moraliter accidens: aut contrà.

MMMDCCXXXV. Aliqui Authores inſiſtendo Phyſicæ, nobilitatem & diuitias indicant pertinere ad qualitatem matrimonij: & alij, inſiſtendo doctrinæ morali, quam expoſui, poſſe interdum pertinere ad ſubſtantiam pronunciant, & vtrique, me iudice allucinantur: tum illi, quia accidentia phyſica poſſunt eſſe de ſubſtantia contractûs: tum iſti, quia contractus matrimonialis eſt naturâ ſuâ ſpecialiſſimus, & multa reſpuit, quæ in aliis contractibus ſolent admitti. Obſcura ſunt hæc, ſed Votum ſolenne lucem dabit.

An nobilitas & diuitiæ ſint qualitates matrimonij?

Benedictinus Religioſus vouet Deo obedientiam ſolenniter. Ergo non paupertatem & caſtitatem? probas, quia obedientiam pollicetur expreſsè: de caſtitate autem aut paupertate, nec verbulum vnum pronunciat. Et Ego nego conſequentiam; quia de ſubſtantiâ Voti ſolennis, ſunt illæ tres virtutes, quæ licèt à parte rei poſſint ſeparari realiter, in ſolenni Voto requiruntur per ſe, nec poteſt vna ſolenniter voueri ſine aliâ. Quid, ſi Petrus in profeſſione ſuâ ſolenni, non ſolùm promittat Obedientiam expreſsè, ſed etiam expreſsè abſtinentiam à vino? An-ne in tali caſu vi ſolennis Voti ad hanc abſtinentiam tenebitur? Reſpondeo negativè: quia in Ordine Benedictino (quicquid ſit de alio nouo Ordine, quem poteſt Eccleſia inſtituere) ſolenne Votum eiuſmodi abſtinentiam non poteſt attingere, quia præter Obedientiam, Caſtitatem, & Paupertatem, nihil ſolenniter vouere poteſt Benedictinus Religioſus. Ergo non tenebitur ad iſtam abſtinentiam? Et ego nego conſequentiam: quia cùm vouit Obedientiam & Abſtinentiam, non emiſit vnum votum indiuiſibile, quod attingeret per modum vnius vtramque virtutem, ſed emiſit duo vota diſtincta, alterum ſolenne, alterum ſimplex, Illud, nimirùm, Obedientiæ, ac propterea Paupertatis & Caſtitatis: iſtud verò Abſtinentiæ: quamobrem error circa ſecundum votum, non tangeret, neque irritaret primum.

An Benedictini ſolam promittant obedientiam

An poſſint abſtinentiâ profiteri ſolenniter?

An abſtinentia à vino præcipiatur à Regulâ? Vide eiuſd. Regulæ Caput 40.

Vna actio realis poteſt eſſe duplex moralis, & pertinere moraliter ad duas ſpecies.

MMMDCCXLVI. Hæc doctrina nos manuducet vt matrimonialem contractum radicitùs intelligamus. Votum ſolenne habet materiam ſuam determinatam, extra quam inueniri non poteſt. Si aliquid aliud voveas, ſimpliciter voues non ſolenniter. Sic etiam contractus matrimonialis determinatum obiectum habet, vltra quod verſari non poteſt: Ergo, ſi relucear contractus de aliâ circunſtantiâ, non eſt Matrimonialis, ſed Ciuilis, Matrimonialem concomitans. Non poſſunt viri ducere in vxores, diuitias, nobilitatem, maieſtatem, non poſſunt fœminæ nubere theſauro, officio, applauſui: quoniam matrimonialis contractus eſt perſonalis, & inter perſonas initur. Quid ſi fiat contractus de perſonâ, & de dote? Sicut de Voto Obedientiæ, & Abſtinentiæ, debebimus philoſophari. Duo ibi diximus eſſe Vota concomitantia: alterum ſolenne, ſimplex alterum; non enim poteſt Votum ſolenne abſtinentiam pertingere. Ergo dicamus in noſtro caſu, duos eſſe contractus concomitantes: alterum de perſonâ, alterum de dote. Ille eſt contractus naturalis perſonalis, & ad Sacramenti eminentiam à Chriſto Domino eleuatus; iſte autem eſt contractus Politicus, concomitans priorem contractum, tanquam qualitas moralis, hoc eſt, tanquam morale quoddam accidens, quod poteſt adeſſe & abeſſe, abſque prioris contractûs corruptione.

Votum vnū reale poteſt eſſe duplex moraliter.

Vnus contractus realis poteſt eſſe duplex moraliter.

Religioſus Benedictinus non poteſt ſolenni voto ad abſtinentiam à vino ſe obligare, ſi in ſolenni profeſſione illam expreſsè includeret, duo ſimul vota? alterum ſolenne, & alterū ſimplex, emitteret.

Hinc patet, in contractu matrimoniali abſoluto, errorem in perſonâ eſſe ſubſtantialem; errorem autem in nobilitate, diuitiis, & cæteris prærogatiuis non eſſe circa ſubſtantiam huius contractûs: quia, vt vidimus, ad eiuſmodi res non extenditur: ſed eſſe fortè circa ſubſtantiam alterius contractûs concomitantis, qui irritari poterit, non irrito, imò nec tacto valore Matrimonij.

Error ſubſtantialis & accidentalis in contractu matrimoniali abſoluto.

MMMDCCXLVII. Conſultò dixi, *In contractu matrimoniali abſoluto*: illa enim, quæ non poſſunt ingredi in obiectum contractûs matrimonialis abſolute, poſſunt ſe habere per modum conditionis *ſine quâ non*; Petrus enim, qui non poteſt dicere, *Duco in vxorem pecuniam Mariæ*, bene poteſt dicere, *Duco Mariam in vxorem, ſi verum eſt, quòd de facto habet tantā pecuniā.*

Error in contractu conditionato.

Puto hanc doctrinam omnium debere eſſe: omnes enim quoad rem conſentiunt, licèt aliqui pingui mineruâ, hoc eſt, craſſo modo loquantur. Vt etiam calamum & linguam corrigamus, audire proderit Leandrum de Sanctiſſimo

Digitized by Google

Sanctiſſimo Sacramento *part.1. diſp.10. q 4.* ubi interrogat, *An error circa qualitatem dirimat matrimonium?* quam reſoluit his verbis.

Quando ponitur conditio, aut eſt error perſonæ, ceſſat quæſtio.

[Probabiliùs reſpondeo, talem errorem minimè dirimere matrimonium, dummodò id nec contrahatur cum conditione, *Si adſit illa qualitas*; ſed abſolutè; (quamvis cum errore antecedenti illius) nec error qualitatis redundet in errorem perſonæ. Probatur *primò*. Quia, ſi cum errore qualitatis, non ignoratur perſona, ſemper permanet obiectum contractûs matrimonij: ergo & ſubſtantia matrimonij, cùm hæc, non à circunſtantiis accidentibus, ſed ab objecto per ſe deſumatur. *Secundo* probatur, præcipuè contra Baſilium. Quia etiam quando contrahens movetur ad contrahendum ex qualitate, aut, unico, & indiviſibili actu, expreſsè & formaliter in perſonam, & qualitatem fertur; adhuc reſpicit qualitatem, non tanquam quid eſſentiale ſeu neceſſarium ad eſſentiam contractûs; ſed ut quid accidentale, ut ſic enim ab ipſo contrahente apprehenditur: ergo, cùm contrahens non exprimit, ſe non velle aliter contrahere, quàm tali qualitate ſubſiſtente; ejus conſenſus, per ſe, primò, & abſolutè, reſpicit perſonam, qualitatem verò nonniſi per accidens: ac proinde, etiamſi deficiat qualitas manet contractus ſimpliciter voluntariùs, licèt ſecundùm quid involuntarius; & conſequenter matrimonium validum. Validum ergo omninò erit conjugium cum errore fortunæ, vel qualitatis perſonæ, cum quâ ſit actum, niſi caſu, quo contrahens conſenſum habuerit conditionatum; veluti, *Duco te, ſi nobilis, aut dives ſis*; aut quando error qualitatis aut fortunæ, redundat in errorem perſonæ; ut ſi fœmina proponat ſibi in mente filium primogenitum Regis Hiſpaniæ, in quem expreſsè & directè vult conſentire, & putans contrahere cum eo, contrahat cum ſecundo ejuſdem Regis filio, nam his duobus caſibus matrimonium erit invalidum.]

An unico indiviſibili actu poſſet quis reſpicere perſonam & qualitatem?

Reſpondebamus paulò antè, ſicut Voto ſolenni nô poteſt Benedictinus tres virtutes Religioſas, & abſtinentiã à vino ſimul tangere; ſic ne Matrimoniali côtractu Sempronius potuit ſimul uxoris perſonam & eius nobilitatem aut divitias attingere.

MMMDCCXLVIII. *Reſolutiones ad mentem Leandri.*

Sic diſcurrit Leander, ad cujus mentem, ſi contractus matrimonialis eſt conditionatus (puta, *Duco te, ſi es nobilis, ſi es dives,*) erit certò invalidus, niſi purificetur conditio. Si verò ſit abſolutus cum errore perſonæ (puta, ſi velit contrahere cum primogenito Regis, & per errorem contrahat cum ſecundo eiuſdem Regis filio: & à fortiori, ſi contrahat cum filio Lanionis, & non Regis: & adhuc à fortiori, ſi error natus fuerit ex dolo, & fraude ſponſi) erit certò invalidus. Si verò contractus ſit abſolutus, & indiviſibiliter tendat in perſonam & qualitatem, erit probabiliter invalidus, contrarium enim Leander pronunciat eſſe probabilius.

Nota omnia iſta.

Hoc ultimum mihi non placet: non enim contractus matrimonialis attingit perſonam & qualitatem tanquam partes unius obiecti, ut iſte cum Baſilio putat: ſed attingit tantùm perſonam, non qualitatem: quamobrem, ut iſta attingatur, requiritur alius contractus civilis concomitans. Debuit ergo Leander à Baſilio diſcedere, negareque in contractu matrimoniali perſonam & qualitatem attingi per modum unius: vel ſi hoc volebat aſſerere, vel ſupponere, conſequenter debebat aſ-

An contractus matrimonialis attingat perſonas ſolummodo?

ſerere cum Baſilio, matrimonium in tali caſu fore invalidum. Vt igitur inſufficientia rationum, quibus utitur Leander, innoteſcat, mutabo materiam & proponam hunc caſum.

An contractus civiles differant à matrimonialibus.

[Quærebat Petrus unum equum pulchrum & ſanum, promiſit illi pulchrum & ſanum Fridericus: initur contractus abſolutus: recipit pecunias venditor, & dat equum deformem & ægrotum: & petitur, Vtrum valeat contractus?]

Omnes reſpondebunt, quòd non, & meritò, quia Petrus eſt deceptus quoad contractûs ſubſtantiam: contractus enim per ſe poſtulat pulchritudinem & valetudinem in equo. Cæterùm, ſi aliquis vellet errare, & aſſerere contractum eſſe validum poſſet ad Leandri mentem conformare diſcurſum, & opinionem ſuam ſuadere *primò*: quia ſi cum errore qualitatis non ignoratur ſubſtantia equi, ſemper permanet obiectum venditionis: ergo & ſubſtantia venditionis: cùm hæc non à circunſtantiis pulchritudinis & valetudinis, ſed ab obiecto per ſe deſumatur. *Secundò*, quia etiam quando emptor movetur ad emendum ex qualitate; aut vnico & indiviſibili actu expreſsè & formaliter in ſubſtantiam equi, & in qualitates fertur; adhuc reſpicit qualitates, non tanquam quid eſſẽtiale, ſeu neceſſarium ad eſſentiam & valorem emptionis, ſed ut quid accidentale: ut ſic enim ab ipſo emptore apprehenditur: Ergo cùm emptor non exprimit, ſe non velle aliter emere, quàm tali qualitate ſubſiſtente, eius cõſenſus per ſe primò & abſolutè reſpicit ſubſtantiam equi, qualitates verò pulchritudinis & valetudinis, non niſi per accidens: ac proinde, etiamſi deficiant qualitates, manet contractus ſimpliciter voluntarius, licèt ſecundùm quid involuntarius: & conſequenter emptio valida.] Et hîc ego ſubſumo.

Ratio prima Leandri retorquetur.

Retorquetur ſecunda.

An quando equus emitur, qualitates equi pertineant ad eſſentiam contractûs.

MMMDCCXLIX. Atqui hæc venditio non eſt valida. Ergo hæc probatio non eſt bona. Atqui ſimili modo argumentabatur Leander de contractu matrimoniali. Non ergo bene argumentabatur. *Ergo dicendum eſt* Nobilitatem, divitias, & cæteras qualitates, non eſſe partialia obiecta matrimonij: iſtud enim ſolùm concernit perſonas (nempe capaces, hoc enim ſemper ſubintelligitur) adeóque de qualitatibus ſolet fieri aliquis contractus concomitans, qui poſſit eſſe invalidus illæſo valore matrimonij. *Ergo eſt addendum*, ex hypotheſi, quod in contractu matrimoniali Sempronius, v.g. movetur ad contrahendum à qualitate, & unico & indiviſibili actu expreſsè & formaliter in ſubſtantiam & qualitates Titiæ fertur, qualitates quæ ſunt accidentales Titiæ, eſſe ſubſtantiales contractui; & cur quæſo ſubſtantiales non erunt ex hypotheſi? nam ſi illas contrahens intendit expreſsè & formaliter, ut ſupponit, eaſdem intendit per ſe, & non per accidens: eaſdem igitur ſubſtantialiter, & non accidentaliter.

An divitiæ & nobilitas ſint obiecta partialia matrimonij.

Reſolutio ex hypotheſi.

Eadem res poteſt eſſe reſpectu unius eſſentialis, & reſpectu alterius accidentalis.

Præterea illa verba. *Quando unico & indiviſibili actu expreſsè & formaliter in perſonam & qualitatem fertur: adhuc reſpicit qualitatem ut quid accidentale: ut ſic enim ab ipſo contrahente apprehenditur*; ſunt omninò notanda Tres partes habent: prima contradicit ſecundæ: & tertia ultrò ponitur. Quid enim, ſi contrahens, qualitatem perſonæ apprehendat, non ut circonſtantiam accidentalem,

Côtradictorias poſitiones implicat & involuit Leander.

lem, ſed ut rationem ſubſtantialem contractus? Quid, ſi apprehendat ut debet, ex hypotheſi, nimirum, ut rationem formalem? Ergo relinquendo tertiam tanquam ſuperfluam aut diſſonam, duas priores conſideremus accuratiùs. Sic diſcurro. [Vnico & indiviſibili actu Sempronius expreſsè & formaliter fertur in perſonam & qualitatem. Ergo perſona & qualitas ſumptæ per modum unius ſunt objectum formale hujus actûs. Ergo qualitas eſt pars intrinſeca & formalis hujus contractûs objectivi. Non ergo eſt accidens hujus contractùs objectivi. Involvit igitur contradictorias poſitiones Leander.

Quid ſit objectum formale totale: quid partiale?

Impedimentum II. Conditio.

M M M-DCCL. *An hoc impedimētum à præcedēte diſtinguatur?*

COnditio ſi res bene examinetur, & intelligatur, non eſt impedimentum à præcedente diverſum: quæ enim putans ſe nubere libero (cui certè non nuberet, ſi eſſe ſervum ſciviſſet) ſervo nubit, laborat errore & ignorantiâ ſubſtantiali; & ideò invalidum contractum init. Interim non inutiliter additur hoc impedimentum, nam illius intelligentia ad penitiorem intelligentiam præcedentis conducit; & habet ſpecialem cauſam, propter quam poni poſſit, non enim Nobilitas & divitiæ, ſicut libertas, ad uſum Matrimonij requiritur: ergo particulari providentiâ cavere Eccleſia debet, ne cum ſervis liberi per errorem miſceantur. In caſu tantùm, quo liber ſervam, aut libera ſervum, in conjugem accipit, ejus conditionem ignorans, hoc Impedimentum locum habet: non enim Matrimonium dirimit in aliis caſibus; imò, nec in his ipſis, ſi liber ſciens & volens perſonam ſervilem in conſortem acceptet. Et quidem, ſi ſervus ducat ſervam, quam putat liberam? aut ducat liberam, quam putat ſervam (& idem de fœminâ dicito: videlicet, ſi ſerva nubat ſervo, quem putat liberum; aut libera nubat libero, quem putat ſervum) matrimonium ſubſiſtit. Petis. *An, & quale poſſit celebrari connubium inter ſervos?* volebant Veteres eſſe Civium Romanorum privilegium, ut ipſi ſoli inirent Matrimonia, & cæteri non niſi contubernia. Vt rem intelligas, ad notato vocem *Contubernium* triplicem habere ſignificationem: primariam, ſecundariam, tertiariam. Si in primariâ ſumatur, vox eſt caſtrenſis. Et decem ſignificat milites ſub uno papilione degentes: Hiſp. *una decuria de ſoldadoe, que viven en un pabellon.* Ita Vegetius *lib.1. de re militari.* Hinc lux Cæſari qui *lib.2. de bell. Civili* ait, *Depoſitis in contubernio armis vallum relinquebant*, &c. Secunda vocis acceptio, quia militia eſt vita hominis ſuper terram, ejus ſignificationem ampliat, ut non ſolùm militarem, ſed quamcumque ſocietatem, aut convictum ſignificet. *In Epiſt.* Plinius. *Adhuc filium pueritia ratio intra contubernium tuum* (conſuetudinem, familiaritatemque domûs tuæ) *tenuit.* Eodem ſenſu ſumitur eadem vox à ſuetonio *in Tiber. in Caligul.* & alibi. Tertia vocem acceptio iterum, ſed aliter contrahit, ita, ut conſuetudinem & convictum connubialem ſignificet, non qualemcumque, ſed qualis, aut inter ſervos, aut inter ſervum & liberam, aut ſervam & liberum, aut etiam inter viles perſonas celebratur. Paulus *lib.2. ſenten. cap.20.* ſatis clarè. *Inter ſervos & liberos matrimonia contrahi non poſſunt, contubernium poteſt.* Hotomanus. *Et hinc contubernalis mulier.* Columella lib.1. *Sed qualicunque villico* (ſervo, cui cura erat villæ) *contubernalis mulier adſignata eſt, quæ contineat eum.* Cicero 7. in Verrem. Vbi illud *contubernium muliebris militia in illo delicatiſſimo littore?*

De errore univerſim vide leg. ſi per errorem D. de Iuriſdict. & leg. cum teſtament. C. de jur. & fact. ign. 29. q.5. hoc ita, *& de Conditionis errore vide* cap. unic. & cap. oppoſuit.

De Matrimonij & Contubernij diſtinctione. An ſervi poſſint Matrimonium contrahere?

Contubernij, quid ſit?

Prima vocis acceptio eſt militaris.

Secunda eſt civilis.

Tertia eſt connubialis.

Servis contubernales fœmina à dominis adſignabātur.

Et quidem hæc Matrimonij & Contubernij connubialis diſtinctio, ſi mera accidentia concerneret, poſſet tollerari ab Eccleſiâ: at, quia inter ſervum & ſervam nec mutuus conſenſus quærebatur, nec vinculi perennitas reperiebatur; ſed dominus (ut verbis Columellæ utar) qualicumque ſervo, quam volebat, contubernalem adſignabat; eamque apud illum, quamdiu volebat, relinquebat; hæc ipſa ſervorum contubernia, non erant niſi fornicaria, & ideò à Iure Canonico ſanctiſſimè correcta (hoc eſt, ſublata) ſunt.

An, & cur ſervorum contubernia fuerint ab Eccleſiâ cōdemnata & ſublata?

Placet hic uberioris doctrinæ gratia unam & alteram Notam ſubiicere, quarum argumentum, quoniam à nemine tractatum, placere & prodeſſe poterit ingenioſo Lectori.

NOTA I.

An ſervitus ſit extrema generis humani miſeria? An ultra ſervitutem maneat aliqua, in quam Fortuna hominem poſſit detrudere?

INnocentius *de vilitate humanæ conditionis* diſſerens, exclamat dicens. *O extrema conditio ſervitutis! natura liberos genuit, ſed fortuna ſervos conſtituit. Servus cogitur pati, & nemo ſinitur compati: dolêre compellitur, & nemo condolêre permittitur.* Ecce Natura rerum parens (Deus) hominem liberum fecit: non autem, ut eſſet liber juſſit: unde Authores Veteres, qui ſervitutem eſſe contra naturam dixerunt, non puto erraviſſe mente, ſed labio: quia dixerunt *contra*, cùm *præter* deberent: eſt enim præter humanæ conditionis naturam & eſſentiam, aut libertate frui, aut in ſervitutem incidere.

M M M-DCCLI. *Vnde proveniat ſervitus?*

Natura, rerum parens, eſt Deus. An ſervitus ſit contra naturā? Ponitur cōtra pro præter.

An-ne bene Innocentius Servitutem vocat *conditionem extremam*? Videretur, quòd non: nam ſervus eſt *nullus*, non verò *nihil*. At ultra eſſe *nullum*, eſt eſſe *nihil*. Ergo ſervitus nondum ad extremum miſeriarum pervênit. *Reſpondeo* nullum in Iure hominem eſſe *nihil civiliter*: adeoque Innocentium loqui de humanis miſeris, quæ in mundo impræſentiarùm reperiuntur; & verè aſſerit ſervitutem in extremo conſtitui. An-ne poterit Princeps prudenter condemnare, ut aliquis homo ſit civiliter *nihil*? Rationem aſſerendi non video. Dicit Sophocles.

Servus eſt nullus, ſed non nihil.

An poſſit homo eſſe civiliter & virtualiter nihil?

> Εἰ σῶμα δοῦλον, ἀλλ' ὁ νοῦς ἐλεύθερος.
>
> *Et ſi corpus ſervum ſit, tamen mens eſt libera.*

Ergo, ſi in corpus tantùm agit ſervitus, ſervus

ſervus abſolutè loquendo, nec totaliter *nullus* eſt, adeoque nec totaliter *nihil* eſſe poteſt. At eſſe totaliter *nullus* ille poterit in ſenſu civili: omnibus videlicet in rebus, in quibus Ius Civile poteſtatem exercet. Vnde, cùm actus purè interni humanæ iuriſdictioni non ſubſint, & omnes externi ſubſint, qui totum corpus habet ſubditum, quoad civilia erit ſervus totaliter. An-ne in eodem ſenſu fieri poterit, vt ſit nihil? Negativè reſpondeo. Quia *nihil* nullam cauſam habet, nullum effectum; à nullo poſſideri, aut vendi poteſt; in nullum peccare, & à nullo puniri: Ergo homo, qui in aliquâ Republicâ eſſet *nihil*, nullam vt tale cauſam habere poſſet; nullam, aut actionem elicere, aut paſſionem ſubire; nullius eſſet, & nihil poſſidere poſſet: in nullum peccaret, & à nemine poſſet puniri. Et re bene perpenſâ, repugnat, vt ſtante prudentiâ talis inter alios homo vivere permittatur. Ergo repugnat eſſe hominem, qui à Iuriſtâ *totaliter nihil* cenſeatur. Nam ſervus, etſi *nullus* civiliter ſit, eſt tamen *aliquid* realiter & civiliter: *aliquid* inquam, non *aliquis*: & quia *aliquid* eſt, venditur, emitur, poſſidetur, &c.

Mens ſervi eſt libera.

Quo ſenſu ſervus ſit civiliter nullus?

Servus eſt civiliter aliquid.

Cæterùm, tametſi homo totaliter eſſe *nihil* non poſſit, poteſt tamen eſſe *nihil* partialiter, in ordine ad aliquem effectum. Sanè intellectus, realiter conſideratus, in ordine diſcurrendi eſt *tota ratio* agendi: & tamen in genere calefaciendi, *nihil* eſt: nam, nec intenſè, nec remiſsè calefacere poteſt. Sic ſimiliter, homo ſi gratiâ iuſtificante careat, in multis rerum ordinibus *multis* eſſe ſolet: nam Auguſtus totius Mundi Imperator, vniverſis ius dixit: Socrates, Plato, Ariſtoteles, &c. in Philoſophicis: Homerus, Demoſthenes, &c. Virgilius, Cicero, &c. in eloquentiâ *magni* fuerunt. Alexander, Fabius, Hannibal, Scipio, &c in militiâ, etiam *magni*, vel *maximi*; & tamen in ordine ad vitam æternam conſequendam *nihil* fuiſſe cenſentur. Quo ſapientiſſimè reſpiciebat Apoſtolus, quando dicebat, *ſi linguis hominum loquar, aut Angelorum, Charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Et cur nihil ſum? *Nam, etſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, nihil mihi prodeſt.* Vbi vides in vtilitatis genere idem eſſe *nihil eſſe*, ac *nihil prodeſſe.*

Homo in aliquo determinato ordine poteſt cenſeri nihil.

Et tunc eſſe poterit aliquid, aut multum in aliis.

1. Corinth. cap. 13.

NOTA II.

De ſervitutis initio. An fuerit ipſa per ebrietatem, an verò per bellum introducta?

MMMDCCLII. PRoponam D. Ambroſij ſententiam, quam *in ſuo Florilegio* Ioſephus Langius *præclaram* nominat, & mihi videtur difficilis: proponam, inquam, vt doctiores examinent: Sanctus enim Pater ſic infit. *Manebat ante vini inventionem omnibus inconcuſſa libertas: nemo ſciebat à conſorte naturæ ſuæ obſequia ſervitutis exigere. Non eſſet hodie ſervitus, ſi ebrietas non fuiſſet.*

Placitum S. Ambroſij.

An ante diluvium fuerit ſervitus?

Profectò, ante diluvium non fuit ſervitus. Hoc eſt certum argumento negativo: quia *in Geneſi*, ſi tunc, fuiſſet, recenſeretur, & tamen nulla eſt huiuſmodi ſervitutis memoria. Diluvij hiſtoria *cap.* 6. & 7. ediſſeritur. *Cap.* 7. Noachus plantat vineam, vinum exprimit, & inebriatur: nec tamen ideò peccaſſe dicitur; nam vini potentiam inexpertus neſciebat. Et hic eſt primus, quem vino ſepultum mundus novit. *Cap.* 10. habet Sacer Textus. *Porrò Chus genuit Nembrod. Ipſe cœpit eſſe potens in terrâ: & erat robuſtus venator coram Domino. Ob hoc exivit Proverbium.* Quaſi Nembrod robuſtus venator coram Domino. *Fuit autem principium Regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terrâ Senaar.* Vulgata propriorum nominum Interpretatio nomine *Nembrod* non niſi *Rebellem* intelligit. Goropius Becanus, cuius Manibus adulatur Scrichius, etymon à linguâ Cimbricâ (quam eſſe veterum, aut etiam ex parte, iuniorum Belgarum contendit) vult provenire. Nam primus hic Tyrannus, non ſtipendiis opportunis, ſed rapinis & furtis tolerabat & nutriebat ſuos milites; quoniam vnicuique dicebat, *Nempt broot*, Latinè *Cape panem*, hoc eſt, Tibi in omnes abſolutam libertatem concedo, vt quæ ad victum amictumque &c. ſint neceſſaria, aut apta, vbicumque reperieris, capias. Et hinc obtinuit, vt *Nembrod* diceretur. Et hac vocis derivatione præmiſsâ eruditè demonſtrat, primos in orbe Reges fures, nec non prædones fuiſſe, & tyrannide amicis oppreſſis authoritatem & maieſtatem ſubripuiſſe. Prima bella & captivitates *cap.* 14. recenſentur: ibi enim devictis quinque Regibus, & ſpoliatis Sodomis, Loth cum pleriſque aliis captivis ducitur à quatuor victoribus Regibus: quos Abram perſequutus, omnes captivos, ſpoliis recuperatis, reduxit; lætuſque decimas ad Dei maiorem gloriam obtulit. *Cap* 16. Sarai habet ancillam (ſervam) nomine Agar. Quò reſpexit Paulus *ad Galat.* 4. cùm dixit *Fratres, non ſumus filij ancillæ, ſed liberæ; quâ libertate Chriſtus vos liberavit.* Et tandem *Cap.* 37. Ioſeph à fratribus venditur Iſmaëlitis.

Noachus ſe inebriat: an peccaverit?

Primus in mundo Rex Nimbrod.

Nempt broot Belgicè eſt Cape panem.

Per bella ingreſſa eſt ſervitus.

Diluvium accenſet Alſtedius anno Mundi 1657. Et anno 1658. Semus inſtituit privatam Scholam, quæ poſteà *Hebræorum* nominata. Sub hoc tempus Noachus vinum invênit. Anno 1719. Chaldæorum, ſeu Babylonis Æra incipit, ſub Belo, qui eſt Nembrod. Ante hoc ævum, nec bellorum eſt auditus ſtrepitus, nec ſcimus victos à victoribus captos. Porrò Nembrodem ſine bello Chaldæos, & alios vicinos populos ſubegiſſe, non videtur credibile. Si fuerunt bella, fuerunt captivitates: ſi captivitates eſſe potuerunt ſervitutes. Saltem ætate Abrahami nati anno Mundi 1785. mortui anno 1949: Ætatis ſuæ 175. ſervitutes fuiſſe certum eſt.

Prima Schola poſt diluvium.

Servitus eſt antiquiſſima.

Porrò Ebrietatem & ſervitutem eſſe antiquiſſimas ſcio: illam ſeniorem fuiſſe lege, inter vnam & alteram paucos annos poſſe interſeri video, verùm enim verò propter ebrietatem homines fuiſſe ſervitutis damnatos, ſicut non audeo aſſerere, ſic nec D. Ambroſio adverſari præſumo. Fuit ſanctiſſimus & doctiſſimus ſcriptor, & Quatuor vir in Eccleſiâ Catholicâ, quicum prudentiùs erres, quàm cum aliis, & iunioribus præcipuè, ſapias.

Etiã ebrietas.

An per hãc illa in mundum ingreſſa?

Tt 3 IMPEDI

Digitized by Google

IMPEDIMENTUM III. Votum.

MMMDCCLIII.

Cur Voti nomine Votum hic intelligamus Caſtitatis? Eſt duplex ſimplex & ſolenne. Et eſt iterū duplex: nēpe Virginea & conjugalis caſtitatis.

CAſtitatis eſt, quod hoc loco intelligimus: nam licèt *Voti* nomen ſit generale, per præſentem materiam reſtrictum & determinatum, non aliàs Virtutes, ſed ſolam Caſtitatem concernit. Et eſt duplex: ſimplex, ſolenne, de quibus diſſeruimus ſuperiùs. Et iterum Votum eſt duplex: alterum enim promittit caſtitatem virgineam, alterum conjugalem. Priori voto obſtringuntur omnes Religioſi profeſſi: & in Ordinibus Militaribus ſoli S. Ioannis Equites, qui hodie *Melitenſes* vocantur: alij enim Equites poſſunt quidem uxores ducere, at extra matrimonium non poſſunt vel fœminam tangere. Ad Ordines majores promoti aut votum ſolenne emittant, aut ſolenne præceptum recipiant, de caſtitate Virginea illud eſt, & æque ſtrictè obligat ac profeſſio ſolennis.

Quando ergo Votum inter impedimenta dirimentia numeratur, agitur de voto ſolenni caſtitatis virgineæ: & hoc dirimit ſubſequens Matrimonium. Ita definiit Alexander III. & habetur *in cap. meminimus. Qui clerici, vel voventes.* Et in Concilio Toletano I. & IV. *can.* 51. & in Calcedonenſi *can.* 16. & in Tridentino *ſeſſ.* 24. *de reformat. Matrim. can.* 9. ibi enim expreſſè dicitur *Matrimonium poſt ſolenne votum Religionis contractum eſſe nullum.* Et Religioſus, qui uxorem ducit, non ſolùm invalidè ducit, ſed incurrit excommunicationem ipſo facto. *Clem.* 1. *de conſang. & affinib.* & ab Inquiſitoribus puniri poterit.

An, & quæ Equitū Militariū Vota dirimant Matrimonium?

In Theologiæ Regularis *part.* 2. *numero* 2582. *epiſt.* 11. *à pag.* 125. ago de votis Religioſorum Militarium. Et *num.* 2599. An ſint veri Religioſi? decîdo. Et quia S. Ioannis Equites vovent caſtitatem Virgineam, eorum Votum dirimit nuptias ſubſequentes. Cæteri autem Ordines Militares (puta Alcantaræ, Calatravæ, Monteſæ, S. Iacobi, &c.) ſint veri Religioſi, aut non ſint [eſſe enim veros Religioſos Baſilius, Sancius, Florius, Diana, Cotonius, Acatius, & ego aſſerimus: negant autem Bobadilla, Ioannes de la Cruz, Petrus de Ledeſma, Emanuel Sá, Valentia, &c. quos *loc. cit. pag.* 129. *b. numer.* 2602. adlego.] Vota emittunt, quæ matrimonium ſubſequens, nec impediant, nec dirimant.

An prædicti Equites ſint veri Religioſi?

An, non omne Votū ſolenne, præcedens ratū Matrimoniū dirimat?

Præterea, tametſi Votum ſolenne Matrimonium ratum, nondum conſummatum, quod præceſſerat, dicatur dirimere: hoc non de omni, ſed de adæquato, quod Caſtitatem Virgineam pollicetur, intelligendum eſt. Ergo Profeſſio in S. Ioannis Militari Religione emiſſa præcedentes ratas & non conſummatas nuptias dirimit. Ita Rodriguez *in explicat. Bullæ* §. 9. *numero* 128. Navarrus *in indicib. Eccl. ſub fin.* quos cito & ſequor *in Theolog. Regul. tom.* 2. *epiſt.* 11. *pag.* 129. *b. num.* 2601. Eamdem tenueram ſententiam *ibid. epiſt.* 2. *pag.* 19. *b. num.* 2185. ubi Antonium Cotonium *in ſumm. verb. Religioſi Milites num.* 4. producit: dicit enim. [Per Profeſſionem Equitum S. Ioannis diſſolvitur matrimonium ratum: Sic Doctores communiter contra Sotum *in* 4. *diſt.* 27. *queſt.* 1. *art.* 4. &c. Per Profeſſionem verò S. Iacobi, & aliarum Religionum Militarium matrimonium ratum non diſſolvitur; non quòd non ſit ſolennis, ſed quia Summus Pontifex, præſcribendum modum ejus & formam, minuit ſolennitatem.] Et conſonat Dianæ *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 30. §. *quinto.*

An Militarium Religioſorum Profeſſio ſit ſolennis?

MMMDCCLIV.

Quomodo Votum ſolēne & ſimplex diſtinguantur? De matrimonio poſt Votum ſimplex Caſtitatis cōtracto.

VEnio ad Votum ſimplex, ſed quomodo à ſolenni diſtinguitur? Ego tom. 1. Theolog. Reg. epiſt. 2. num. 2186. ſic inquam. [Illa quæ Votum ſolenne conſtituunt, & à ſimplici voto diſtinguunt, non ſunt quiditativæ aliquæ, & æternæ veritatis formalitates, ad naturam rei pertinentes: ſed ſunt quædam circumſtantiæ arbitrariæ, à Summi Pontificis voluntate pendentes.]

Et quidem Votum ſimplex eſt impedimentum impediens, non autem dirimens. Unde, qui poſt Votum ſimplex matrimonium contraheret, peccaret mortaliter contrahendo, ſed matrimonium eſſet validum: Et poſteà adhuc teneretur voto; ita tamen, ut uxoris juribus non præjudicaret. Ergo non poſſet debitum petere: at reddere teneretur. Et quid, ſi peteret? non contra ſextum Decalogi præceptum (ſuam enim cognoſceret) ſed contra ſecundum (hoc eſt, contra Votum) peccaret.

De Votis ſimplicibus Societatis IESU.

At hîc notabis obiter hanc generalem doctrinam ob ſpeciales rationes, quæ ibi, & non alibi militant, non habere locum in Societate IESU, ſed eſſe per Pontificum Bullas paulò aliter determinatam. Audi doctiſſimum Acatium *tom.* 2. *verb. Matrimonio. reſol.* 255. *numero* 9. apud me *tom.* 2. *Theolog. Regul. epiſt.* 2. *pag.* 19. *b. numer.* 2185. dicentem. *El Voto ſimple de Caſtidad, que antecede al matrimonio, nole dirime. Ita S. Thomas* in Addit. quæſt. 39. art. 1. *pero lo impiede. Solo el Voto ſimple de Caſtidad de los Padres de la Compañia de IESUS, que hazen deſpues de dos años del Noviciado, dirime el matrimonio futuro, como dize Trullench* de Sacram. lib. 7. cap. 9. dub. 5. num. 5. *y añade.* Nec dirimit in perpetuum; ſed tamdiu, quamdiu illos in Religione religatos retinet: de quo vide Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 19. & *lib.* 7. *diſp.* 15. *num.* 24. & *diſp.* 26. *num.* 4. &c.

An & quædam ſubſequens dirimat Matrimonium?

MMMDCCLV.

An ſolennis Profeſſio dirimat Matrimonium præcedens? Quid præſtet Profeſſio in Ordinibus Militaribus?

VOtum ſolenne ſuperveniens Matrimonium ratum, non autem conſummatum dirimit. Ita Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 24. *num.* 27. Malleus *malleat.* 56. *tract.* 15. *pagin.* 577. *b.* §. *ſciendum.* Averſa *de matrim. queſt.* 15. *ſect.* 2. *pag.* 543. *b.* Quamobrem in ſæculo relictus poteſt alteras nuptias contrahere. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 8. Hoc etiam præſtat ſolennis in Melitenſi S. Ioannis Religionis profeſſio, quia in ipſâ Virginea Caſtitas vovetur: & quia non Virginea, ſed connubialis in aliis Militaribus Ordinibus promittitur, in illis emiſſa profeſſio matrimonium nec præcedens

dens

Digitized by Google

dens nec ſubſequens dirimit. Henriquez *lib.*11.*cap.*8. *num.*6.

An, Ordo ſacer dirimat matrimonium?

Petis, an, ſicut per ſubſequentem ſolennem profeſſionem matrimonium ratum, & nondum conſummatum dirimitur, ſic per Ordinum Majorum ſuſceptionem dirimatur? Sanè, ſi à paritate rationis ſecurè argueremus in legibus, affirmativè reſponderent, qui Sacro Ordini ſolenne votum Caſtitatis Virgineæ eſſe adnexum affirmant: at quia legiſlatores ſolent in rebus ſimilibus non ſimili modo decernere, opus erit recognoſcere canones.

An in legibus & Canonibus à paritate argumēta decurrāt?

Milletus *malleat.* 56. *tract.* 21. *pag.*580. *a.* [Per Ordinis ſacri ſuſceptionem non dirimitur matrimonium ratum, ut habetur *extrav. antiqua de voto.*] Averſa *de ſacr. Ordin. quaeſt.*4. *ſect.*9. *pag.*169. *b.* ſic ait. [Nec licet viro conjugato ſuſcipere Sacrum Ordinem, etiam ſi matrimonium nondum erat conſummatum, dummodò eſſet ratum, id eſt, per verba de præſenti contractum, & non tantùm de futuro promiſſum. Ita Ioannes Papa XXII. *extravag. antiqua de voto.* Ubi in hoc differt Ordo ſacer à Religioſâ Profeſſione: quia poteſt quidem conjux ex matrimonio rato nondum conſummato tranſire ad Religionem, non tamen ad Ordinem ſacrum.] & Ioannes Paulus Lancelottus *inſtitut. Iuris Canon. lib.* 2. *tit.* 16. *cap. diverſum*, ſic inſit. [Votum per ſacri Ordinis ſuſceptionem firmatum, ad impediendum matrimonium futurum ac dirimendum poſteà contractum habeatur efficax: ad diſſolvendum tamen prius contractum, licèt non conſummatum, invalidum cenſetur. Ideóque talium Ordinum nonobſtante ſuſceptione, ſi ad profitendam probatam Religionem induci non valeat, & ſponſa eius inſtiterit, contractum matrimonium conſummare, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendus erit.] Et quidem verba extravagantis *Antiqua* ſunt clariſſima ibi enim Summus Pontifex. *Authoritate Apoſtolicâ ſtrictius inhibentes, ne quiſquam durante matrimonio, nondum etiam conſummato, aliquem de ſacris Ordinibus præſumat ſuſcipere*, &c. *Quod ſi ſecus à quoquam forſitan attentatum fuerit, ordinamus, quod nec matrimonio ſoluto in ſic ſuſcepto Ordine miniſtrare, nec ad ſuperiores Ordines provehi, nec ad aliquod beneficium vel officium Eccleſiaſticum valeat promoveri. Niſi aliquam de Religionibus approbatis*, &c. *ipſum canonice contigerit ingredi, ac ejus Regulam expreſsè vel tacitè profiteri*, &c.

Quid matrimonium ratum ſit?

Solennis Profeſſionis, & Ordinū ſuſceptionis differentia.

Sicut inſtitutiones breves ante Cæſareum jus Iuſtinianus præmiſit, ſic Lancellotus Inſtitutiones cōcinnavit, quæ ante ius Canonicum prælegerentur.

IMPEDIMENTUM IV. Cognatio.

MMMDCCLVI.

Quotuplex ſit cognatio?

COgnatio eſt triplex: Naturalis, ſpiritualis, & legalis: & quia omnes tres dirimunt Matrimonium, operæ-pretium erit agere de ſingulis in particulari.

Et pro meliori dicendorum intelligentiâ præmittendæ ſunt aliquæ doctrinæ generales, quæ in omni cognatione, affinitate, &c. locum habere poſſunt.

Quid ipſa ſit?

Cognatio eſt plurium perſonarum ab unâ & eadem provenientium collectio,

Quid lineæ (rectæ, tráſverſalis) nomine intelligatur?

Linea recta ſequitur generationis ordinem, ut ſi proavum, avum, patrem, filium, &c. numeremus.

Linea tranſverſalis eſt inter duos, quorum neuter ab altero provenit, & tamen uterque habet unum & eumdem progenitorem à quo provenit.

Qui ſint gradus?

An ſint generationum intervalla?

Gradus ſunt, quæ inter perſonas intervalla: ſicut enim ſi litteras ſequentes conſideremus [A. B. C. D. E.] inter A & B eſt unum intervallum: inter A & C. duo: inter A & D. tria: inter A & E quatuor: ſic in perſonis ſequentibus [Abavo, Proavo, Avo, Patre, Filio.] inter Abavum & Proavum eſt unus gradus: inter Abavum & Avum duo: inter Abavum & Patrem tres: & tandem inter Abavum & Filium quatuor, &c. Ergo in lineâ rectâ perſonarum numerus graduum numerum unicâ unitate ſuperabit. Modus numerandi in lineâ tranſverſali eſt iſte. Quæritur communis progenitor, & ille non ingreditur computum, & poſteà cæteræ perſonæ numerantur, & in ſingulis perſonarum numerus, erit numerus graduum. Pono exemplum

Quomodo in lineâ rectâ, & quomodo in tranſverſali numerādi ſint gradus?

	1	2	3	4
Ant.	*Carol.*	*Henric.*	*Sebaſt.*	*Frid.*
	Clara	*Anna*	*Livia*	*Iulia.*

Antonius communis progenitor non ingreditur computum. Reſpectu Antonij Carolus eſt in primo gradu, Henricus in ſecundo, Sebaſtianus in tertio, & tandem Fridericus in quarto. Carolus & Clara ſunt fratres, & in primo gradu lineæ tranſverſalis conſtituti. Henricus & Anna in ſecundo, & *primos hermanos* ab Hiſpanis vocantur. Sebaſtianum & Liviam in tertio gradu conſtitutos Hiſpanus *primos ſegundos* nominat, nec non Fridericum & Iuliam *primos terceros*, quos in quarto gradu conſtitutos conſiderat: Si in lineis ſuis habeant à communi ſtipite inæqualem diſtantiam etiam diſtabunt inæqualibus gradibus, nam Fridericus & Clara erunt in quarto & primo: & Henricus & Livia in ſecundo & tertio. Et hic obiter nota, non venire in conſiderationem gradum proximiorem, ſed remotiorem, cùm agitur de impedimentis: unde cùm Clara & Friderici filius ſint in primo & quinto poterunt validè Matrimonium contrahere.

Quoſnam Hiſpani primos hermanos & quos primos, ſegundos, terceros, &c. appellant?

Uter gradus proximior, an verò remotior numeretur?

An, & quomodo error Authoris ab errore diſtinguatur Typographi?

Leander *part.*1. *tract.*9. *diſp.* 13. *quæſt.*3. *pag* 271. *b.* ſic inquit. [Cautè eſt legendus Baſilius *lib.*7. *cap.* 30. *num.* 8. dum incuriâ Typographi ait hæc. *Fratres, quia ſunt in primo gradu cum ſtipite, ſunt etiam in ſecundo gradu inter ſe coniuncti.* Omiſit enim Typographus aliqua Authoris verba.] Oſtendit prudentiam & pietatem Leander: pietatem, quia non vult onerare Baſilium: prudentiam, quia in re, quam certò ſciebat, non potuit Baſilius errare.

His præmiſſis, ſine quibus omnia eſſent obſcura, ad impedimenta revertamur.

De

Digitized by Google

De Cognatione Naturali.

MMMDCCLVII.

Quid ſit Cognatio naturalis? Per quos gradus dirimat? Philoſophicæ Moralitates à Theologicis ſunt diſtinguendæ?

COgnatio Naturalis eſt inter eos qui proveniunt ab vno communi progenitore (patre, avo, &c.) Et hodie dirimit Matrimonium vſque ad quartum gradum incluſivè. Sed quo Iure? Qui Ius naturæ Philoſophicum à Theologico non diſtinguunt, in millenas ſe præcipitant difficultates: qui diſtinguunt, multa ab omnibus aſſerta reperiunt, quæ non poſſunt probari. Interim, Nos, qui cum Philoſophicis Theologicas non confundimus moralitates, vt expediamus, rem has paucas Concluſiones exhibemus Sit.

Quid ſit indecentia Philoſophica?

Prima. *Res indecens philoſophicè eſt illa, quam vir prudens non audeat ſine pudore facere.* Et tales ſunt non paucæ, etiam neceſſariæ, quas quia vitare omninò non poſſumus, ſaltem in loco occulto facimus, ne ab aliis videri, aut rideri poſſimus.

Cur voluerit Deus, vt homo dormiat, comedat, bibat, emittat excrementa, &c?

Voluit enim Deus, vt eſſemus humiles; & , ne haberemus ſuperbiendi occaſionem, ita hominem conſtituit, vt ſine cibo, potu, ſomno, egeſtione ciborum, &c. individuum; & ſine libidinoſo concubitu ſpeciem conſervare non poſſet.

Quid ſit indecentia Theologica?

Secunda. *Res indecens Theologicè, eſt quæ à Deo interdicta: decens autem Theologicè, quæ à Deo conſulta vel præcepta.* Vnde Auguſtinus, cùm, carnalem viri & fœminæ coïtum, eſſe rem ſordidam, & tamen ad generis humani propagationem neceſſariam conſideraret, *re malâ bene vti coniugatos* aſſeruit: re videlicet philoſophicè malâ: nemo enim poteſt re Theologicè malâ bene vti.

Ius naturæ duplex: Theologicū, & Philoſophicum.

Hinc patet, qui quærit, Quinam in cognatione gradus ſunt interdicti Iure naturæ? debere explicare priùs, de quo Iure loquatur: nam aliter, ſi agat de Philoſophico; & aliter, ſi de Theologico, reſpondere poterimus.

Ad vtrum Matrimonia pertineant?

Tertia. *Matrimonialis contractus pertinet ad Ius naturale Theologicum.* Patet: quia fuit inſtitutus à Deo: & non ſingulis, ſed toti generi humano præceptus.

MMMDCCLVIII.

Quinam gradus divinitùs ſint interdicti?

Quarta. *Ille, & non aliis gradus Ius naturale Theologicum à matrimonio excludit, in quibus Deus invalidè contrahi pronunciavit quando Matrimonium inſtituit. Et videtur primum directum tantùm gradum à Matrimonij capacitate excluſiſſe.* Conſultò illud *videtur* poſui: non enim occurrit demonſtratio, nec textus clarus, qui hanc ipſam excluſionem perſuadeat. Hæc eſt vera doctrina; & niſi moralitates Philoſophicas à Theologicis diſtinguamus, Cimmerias ingrediemur tenebras, & quid aſſerere aut negare debeamus, non poterimus ſcire. Vt hoc perſpicuè videas Ægidium Coninckium producam, virum ab ingenio & eruditione in Scholâ laudatum. *Tom. de Sacram. diſp. 32. dub. 1. pag.* 816. fatetur omnia quæ dicuntur de Iure naturæ eſſe obſcura. Sed cur? Reſpondet. *Multa enim gentes, aliàs optimè inſtituta, admiſerunt vt licitas modicas vſuras, ac matrimonij diſſolutionem, Immò plurimi olim celeberrimi Philoſophi, vt patet ex Plutarcho* lib. de liberis educand. poſt med. *crediderunt pæderaſtiam* [a] *eſſe licitam, quod etiam omnes Iapones ante converſionem crediderunt. Quæ tamen certiſſimè Iuri naturæ repugnant.*

a] παιδεραστὶς, quaſi τῶν παίδων ἐραστὴς puerorum amator, vnde παιδεραστία amor obſcœnus in pueros.

An prapoſtera Venus ſit licita?

Poſſet addere communiſſimam illam Romanorum opinationem. quæ homini in ſeipſum in ſuos filios concedebat mortis & vitæ poteſtatem. Poſſet & alia. Ergo bene probatur, Ius naturæ non eſſe ita clarum, vt multi putare ſe putant.

An Iuris Naturæ leges ſint obſcuræ?

Hinc *num.* 8. infert, *Satis difficulter poſſe clarè probari aliquam conſanguinitatem Iure naturæ dirimere Matrimonium: præſertim ex ſolis principiis, quibus hæc communiter ſolent probari; ideoque admodum variæ ſunt hac de re ſententiæ.* Et poſteà *num.* 13. vt probet Matrimonium inter patrem & filiam, aut matrem & filium eſſe invalidum, proponit argumentum commune: videlicet. *Eſt Iure naturæ irritum: quia tale Matrimonium continet talem indecentiam, vt omnes gentes, aliquo modo bene inſtitutæ, illud ſemper abominatæ ſint: & ſiquæ illud permiſerunt, habitæ ſunt omninò barbaræ & belluinæ.*

Vnde cognoſci poſſit, An aliquid ſit contra Ius naturæ?

Parthorum & Garamantum mores barbari.

Et quidem hoc vltimum veriſſimum eſt, quia Parthi & Garamantes, qui non diſtinguebant in Matrimoniis gradus, ab aliis gentibus vt barbari fuerunt contempti.

Amnon vitiat ſororē. Caligula ſorores & filiam.

Amnon violavit Thamarem vterinam ſororem: & tantum odium in ſe concitavit, vt tandem interemptus fuerit. Quæ de Caligulâ narrantur, quod videlicet duas ſorores vitiaverit, aut etiam ex altera ſuſceptam filiam, eius ſceleratam impietatem oſtendunt.

Hæ Relationes inveniuntur in libro, cui Titulus, Terzo Volume delle navigationi & viaggi. edito Venetiis anno 1556.

Quoniam in Occidentali India, ab omni commercio cum hominibus noſtris ſemota, in primo rectæ, & transverſæ lineæ gradu interdicebantur connubia. In Relatione ſua Gonzalus de Oviedo *cap.* 3. ſic ſcribit. *Hanno moglie proprie: ne alcuno di loro toglie per moglier a ſua figliuola, o ſua ſorella, & ſi abſtienda ſua madre: & in tutti gli altri gradi vſan con loro eſſendo & non eſſendo ſue mogliere.* Hi erant mores illius inſulæ, quæ a nobis *Eſpañola* vocatur. Et poſteà *cap.* 9 agens de Continente, ait. *Quanto al maritarſi fanno nel modo che ſi e detto, che ſi maritano nelle Iſole: perche in terra ferma ſimilmente non ſi maritano con ſue figliuole, ne con ſorelle, ne con ſua madre.* Et in hiſtoria Indiæ *lib.* 5. *mihi p.* 115. *a.* lego. *Havevano non dimeno generalmente vn virtuoſo coſtume nel maritarſi; per che per niun conto prendevano per moglie, ne carnalmente conocevano la madre, la figliuola, o la ſorella loro. In tutti gli altri gradi, o eſſendo moglie, o non eſſendo moglie, licencioſamēte con lor ſi giacevano. Il che pare coſa maraviglioſa in gente coſi diſordinata & inchinata al vicio della carne, poi che fra Chriſtiani in altre parte del mondo s'è qualche volta queſta legge rotta.*

In Indiâ Occidentali barbari, ſolo naturæ ductu moniti, ſciunt Matrimonia in primo gradu, tam lineæ rectæ, quàm trāſverſalis eſſe indecentia.

Ferdinandus de Alarcon à Novæ Hiſpaniæ Prorege miſſus, vt novas, regiones detegeret, prope Cevolam ab Indigenâ mores provinciæ doctus, illos *mihi pag.* 366. d. verbis iſtis deſcribit. *Lo dimandai ſe eſſi havevano donne a commune; mi diſſe di no, che colui che ſi moritava haveva da tener vna ſola moglie. Volſi intender l'ordine che teneano nel maritarſi: & diſſemi che ſe alcuno haveva qualche figliuola, ſe ne andava dove era la gente, & diceva, Io ho vna figliuola da maritare, ci è qui perſona alcuna che la voglia? & ſe qui vi era chi la voleſſe, reſpondea volerla, & ſi concertava il matrimonio; & che il padre diquel che la voleva, portava*

Quomodo Matrimoniū ipſi contrahant?

qual

Sponſi pater dat munuſculum ſponſæ, & ipſa acceptat: & nulla alia ſolennitas requiritur ad valorem contractûs.

qual che coſa a donar alla giovane : & da quell' hora avanti ſi intendeva eſſer fatto il matrimonio , & che cantavano & ballavano: & venuta la ſera i parenti gli pigliavano, & gli laſciavano ſoli in luogo che niuno gli poteſſe vedere. Et ſeppi, che non ſi maritavano fratelli con ſorelle , ne con parenti : & che le donne prima che fuſſero maritate , non praticavano ne parlavano con gli huomini, ma ſe ne ſtavano in caſa loro & nelle ſue poſſeſſioni a lavorare ; & che ſe per caſo alcuna haveva havuto commercio con gli huomini prima che ſi maritaſſe, il marito la laſciava, & ſe ne andava in altri paeſi: & che quelle, che cadevano in queſto errore, erano tenute cattive femine. Et P. Anton. Ruizius in libro, qui inſcribitur, *Conquiſta Eſpiritual, hecha por los Religioſos de la Compañia de Ieſus, en las Provincias del Paraguay*, &c. multa curioſa proponit, & *art.* 10. agens de illarum gentium matrimoniis, ſic inquit. *Conocimos algunos de eſtos* (Caziques) *que tenia a 15. 20. y 30. mugeres, &c. Tuvieron gran reſpetto en eſta parte a las madres, y hermanas: que ni por penſamiento tratan de eſſo* (de caſſarſe con ellas) *como coſa nefanda.* Ex his, & aliis hiſtoriis manifeſtè colligitur naturam ipſam hæc matrimonia abhorrere : aliàs enim unde populi indociles & barbari didiciſſent, non licere in primo gradu copulari ? Sed quid & quantum hæc argumenta probant.

Quantâ puritate ibi Virgines caſtitatem obſervent?

MMMDCCLIX. *Etſi his argumentis Matrimonia in primo gradu eſſe illicita perſuaderi dicamus: non ideò eiſdem probari eſſe nulla dicemus.*

Has aut aliàs ſimiles hiſtorias recognoſcens Coninck. *ubi ſupr.* ab ipſis deductum ratiocinium, tametſi multorum illud ſit, inefficax eſſe fatetur : & ſic concludit. *Doctores quidem communiter hoc argumento hanc Concluſionem probant : ſed ut oſtendit* n. 7. *ſi nihil aliud addatur , hoc ſolùm probat ea Matrimonia Iure Naturæ eſſe illicita.* Et forſitan, ne hoc quidem clarè : non enim repugnat pleraſque omnes gentes in unam legem humanam convenire. Ergo non eſt bona conſequentia, *Omnes gentes hoc obſervant. Ergo hoc præcipit Ius naturæ.* Nam , ut alia prætercam , apud omnes gentes dantur leges de Teſtamẽtis, & tamen fieri Teſtamenta non præcipit Ius naturæ. Et tandem, quidquid dicatur, ſemper manet Philoſophici & Theologici Iuris Naturalis diſtinctio Et, ſi quis dari Iuris Naturalis præceptum demonſtraverit, niſi illud Theologicum eſſe perſuaſerit, minimè conſcientiam tetigerit, hæc enim Philoſophicis legibus non obligatur. Progreditur ulteriùs Coninckius , & tametſi moralitates Philoſophicas à Theologicis non diſtinxiſſet, preſſus difficultate, quia aliò non poterat, ad Deum recurrit; & ut ſuam Concluſionem ſuadeat , Quartam noſtram ex noſtris Principiis demonſtrat. Inquit enim. *Vt probemus eſſe irrita, notanda ſunt, quæ dixi* diſp. 26. n. 17. & 27. *ubi oſtendi nos, quia non habemus abſolutum dominium corporis noſtri , ſed ſolùm tale* [N. B.] *quale Deus nobis concedit, invalidè id alteri per matrimonium tradere aliâ ratione, quàm Deus hoc conceſſerit. Vnde ſic argumentor.* [*Omninò incredibile eſt Deum dediſſe hominibus poteſtatem transferendi in alium dominium corporis ſui, ad eum uſum, qui nullo unquam caſu futurus fuiſſet non ſummè inhoneſtus, & quem recta ratio ſummè deteſtatur.* (Ecce non ſufficit quod recta ratio deteſtetur, niſi Dei acceſſerit præceptum irritans) *Atqui talis eſt omnis uſus Matrimonij inter prolẽ & parentem. Ergo omninò incredibile eſt Deum iis conceſſiſſe poteſtatem hoc contrahendi. Minor patet: quia* (*ut teſtatur Ariſtoteles* lib. 9. Hiſt. animal. c. 47. & *Plinius* lib. 8. natural. Hiſt. c. 42. *ubi etiam miranda hac de re exempla refert*) *copulam parentis cum prole Natura ita abhorret, ut etiam plurima bruta eam abhorrent, nec ad eam adigi poſſint.*] *Hinc ſequitur tale Matrimonium, nullo unquam caſu , ſine expreſſâ Dei conceſſione (in quâ, quo minùs de abſoluta potentia fieri poſſit, nullam video implicantiam: quia Deo non deſunt cauſæ , quibus illa conceſſio poſſet honeſtari) validè poſſe contrahi,* &c. ſic Coninck. quæ omnia illud ſuum probabile fundamentum ſupponunt: videlicet, generationem prolium, non ſolùm non interdictionem ſed etiam poſitivam licentiam , ut licitè agatur, ſupponere.

Multa plerique omnes faciunt, quæ tamen Ius natura non præcipit.

Iuris Naturalis Philoſophici leges non obſtringunt cõſcientias.

An negaverit licentiâ Deus ut inter patrem & filiam matrimonia ineantur?

An illam concedere poſſit

MMMDCCLX. QVÆST. I. De matrimonio inter Patrem & Filiam, aut Matrem & Filium.

VT omnia clariùs intelligantur, interrogas primò, *An Matrimonia in primo gradu rectæ lineæ celebrata , ſint irrita ipſo Iure Naturæ?* Leand. *p.* 2. *tr.* 9. *diſp.* 13. *q.* 4. aſſerentem ſententiam certiſſimam eſſe pronunciat , & D Thom. *in addition. q.* 54. *art.* 3 Sanch. Cornejum, Gutierr. Laymann. Ægid. Hurtad. Palaum Baun. Trullench. Dian. & alios citat: qui, ut eam probent ad indecentiam naturalem recurrunt. At deberent Philoſophica à Theologicis bene ſecernere, quod ſcitè animadvertit Baſil. Poncius *lib.* 7. *c.* 31. *n.* 5. *in fine* dicens. [Niſi fortè quis dicat Matrimonium Patris cum filiâ, Matris cum filio, divinâ aliquâ lege potiùs prohibitum quàm naturali : quæ, quia cõſonat naturæ, *naturalis* dicatur, & traditione derivata ſit : quod mihi aliquantulum arridet, cum non inveniam firmum aliquod argumentum quod oſtendat hanc conjunctionem, jure naturali nullam, cum non opponatur ita clare fini matrimonij, quod neceſſarium eſſet, ut iure naturali irritaret. Quamvis hujus divini præcepti perſeverantis , nullum inveniam veſtigium.] Hæc verba *loc. cit.* produxit Leand. & ſubjungit. [Hucuſque ille (Baſilius) in cujus ſententiam valde inclinat Caram. *lib.* 2. *Theol. Moralis* (lege *Fundamentalis*) n. 545.] nimirùm, juxta Francofurtenſem Editionem anni 1652. Et quid ibi Caram. Ejus verba multis, adhuc annis antequam imprimerentur ſcripta, & dictata in Scholis, ſubjungo. [moneo tamen me Lovanij multis Authoribus ſubſcribendo, poſſe Pontificem diſpenſare ut ſoror fraterque validè contrahant, in promotione ad lauream propugnaſſe , propugnaturus etiam poſſe ut Mater Filiuſque, Pater & Filia contrahant , ſi Authores hujus ſententiæ reperiſſem: ſed quia nullum reperi, defendi ſentẽtiam communem; quàm temerè falſam dicerem ſi authoritatem ſequerer : quam temerè veram, ſi examinarem rationes à me viſas. Fortè aliæ ſunt, quas nondum legi, fortè ſum ſententiis damnandis inſufficiens. Hoc alij iudicent, ego neminem docere teneor, ſed mentiri non teneor ; adeóque ſincere fateor me non intelligere , cur matrimonia aliqua, etiam in primo gradu, ſint irrita iure naturæ. Quod ſi hoc ſenſu loquutus eſt Pomponius , hæc verba. *Iura ſanguinis nullo Iure civili dirimi poſſunt* , æquivalebunt his, *Iura quæ inter Patrem & filiam, inter Matrem*

An ſevera ſententia Philoſophicas cum Theologicis indecentiis confundat?

Baſilius , ut dicatur hoc Matrimonium irritum, ad legem Divinam poſitivam (quæ vocetur naturalis) recurrit.

An Caramuel Baſilio ſubſcribat?

An fratris & ſororis Matrimonium ex Summi Pontificis diſpenſatione validum ſit?

An bene Authores probent Matrimonia in primo gradu eſſe Iure Naturæ irrita?

An ſanguinis iura poſſint dirimi

MMMDCCLXI. *& filium matrimonia naturaliter dirimunt, civiliter dirimi non poſſunt.* Erunt vera in ſententiâ communi.]

An inter patrem & filiam, aut matrem & filium matrimonium ſit validum ſaltem ex diſpenſatione Divinâ?

An poſſit Deus in Matrimonio hoc diſpenſare?

Sanè vbi agitur de primo gradu lineæ rectæ, multi tam ſeverè philoſophantur, vt non ſolùm dicant, talia Matrimonia ipſo Naturæ Iure dirimi, ſed & addant in hac Iuris Naturæ lege non poſſe Deum concedere diſpenſationem. Ita Perez *de matrim. diſp.* 33. *ſect.* 3. *num.* 11. vbi docet, quòd ſi contingeret, vt pater & filia, aut mater & filius ſuperelſent in mundo, non eſſe ipſis licitum matrimonium contrahere: nec Deum poſſe talem illis facultatem concedere. Hoc autem vltimum non eſſe admittendum docent bene Bannius *quæſt.* 2. *aſſerti.* 3. Leander *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 12. *quæſt.* 5. *pag.* 273. *a* Porrò huiuſmodi matrimonia à Iure Naturali dirimi, & ex ſolâ Divinâ diſpenſatione poſſe fieri docet Leander *loc. cit.* & penes ipſum Caietanus, Petrus de Ledeſma, Ægidius, Hurtadus, Sotus Lopez, Loazes, Bannius, & alij. Nos autem contrarium aſſerimus, & Soto, Angles, & aliis vſque ad decem Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 51. *num.* 10. ſubſcribimus. Et habemus à nobis Baſilium *lib.* 7. *diſp.* 30. Peſantium *in addit. ad* 3. *part. quæſt.* 54. *diſp.* 2. Lublinum *verb. Matrimonium, num.* 20. *pag.* 470. Candidum *diſqui.* 28. *art.* 5. *dub.* 4. Laymann. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 1. Guttier. *c.* 96. *n.* 14. Palaum *diſp.* 4. *punct.* 6. *num.* 3. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 7. *n.* 7. & Dian. *p.* 8. *tr* 1. *reſ.* 71. inferentem, poſſe in hoc caſu Pontificem iubere patri & filiæ vt matrimonio copulentur. Hanc ſententiam præter alios Soto *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt. vnic. art.* 3. §. *igitur*. Palatio *diſp.* 929. Henriquez *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 9. *num.* 3. Sanchezio *loc. cit.* Rebello *quæſt.* 2. *de impedim. cognat. ſect.* 3. Laymanno *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 6. *num.* 1. Poncio *lib.* 7. *cap.* 31. & aliis Viris Magnis ſubſcribens: Amicus *tom.* 9. *diſp.* 16. *num.* 12. *pag.* 190. *a* probabiliorem vocat, & in eam Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. §. *Quin etiam & plurimi*. Et alij Doctores inclinant.] Et docet extremam ipſam neceſſitatem ſufficere, vt ſine ſpeciali Numinis diſpenſatione pater licitè & validè ineat matrimonium cum filiâ. Quoniam indecentiæ Philoſophicæ cedunt neceſſitati, aut etiam præcepto Divino.

N. B. Hinc reſpõderi poteſt, & ſolet interrogantibus, *An peccaverint filiæ Lot proſtituendo ſe patri ſuo?* Aſſerat Sedoma, & conſortes ſceleris civitates ſimiliter combuſtæ fuerant. Erat Segorij in ſpeluncâ Lot Geneſ. 19. 31. *Dixitque maior ad minorem. Pater noſter ſenex eſt, & nullus virorum remanſit in terrâ, qui poſſit ingredi ad nos, iuxta morẽ vniverſæ terræ. Veni: inebriemus eum vino, ut ſervare poſſimus ex patre noſtro ſemen. Dederunt itaque patri ſuo bibere vinũ nocte illa, & ingreſſa eſt maior, dormivitque cum patre, &c. ingreſſaque minor filia, dormivit cum eo, &c. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot ex patre ſuo, &c.*

Sanè matrimonia huiuſmodi, non eſſe ex naturâ rei ſeu ex Iure Naturæ irrita, ſemper credidi: & tamen oppoſitam Reſolutionem cum admiratione ſuſpicio. Suſpicio, inquam: quis enim ſum ego ipſe, vt velim, tot & tam eruditis ſcriptoribus obloqui. Et tamen (loquor ſincerè) non admirari nequeo, cum lego *Talia, & talia matrimonia ſunt irrita Iure naturæ, Oppoſitum eſt improbabile*, & tamen Demonſtrationem, ex quâ hæc oriatur improbabilitas, non comparet; ac ſi in re tam ſeriâ, & tam gravi, non debeamus rationibus regi, ſed meris apprehenſionibus obludi.

An eſſe Matrimonia Iure Naturæ irrita, ratione ſufficienti probetur?

MMMDCCLXII. QVÆST. II. De Matrimonio inter Fratres.

An ſit irritum Iure Naturæ?

Multa in hac quæſtione Authores aſſerunt, & pauca, aut etiam nulla probant.

ET veniendo ad alteram Quæſtionem interrogas. *An matrimonium inter fratrem & ſororem extra extremæ neceſſitatis caſum ſint irrita ipſo Iure Naturæ?* Aſſerunt Bellarminus *de Matr. cap.* 28. *ſub init.* Valentia, Sanchez, Rebellus, Catherinus, Sylvius, Layman. Et tam rigidè huic adhæret opinioni Sotus *in* 4 *diſt.* 40. *quæſt. vnic. art.* 4. *concl.* 1. vt eam vocet *certiſſimam*; &, ut infert Amicus *tom.* 9. *diſp.* 16. *num.* 33. *pag.* 193. *a* oppoſitam improbabilem iudicet. At, quia multa dicunt, & nihil efficaciter probant, nos oppoſitæ adhæreamus ſententiæ quam docent Scotus *in* 4. *diſt.* 10. *quæſt. vnic. art.* 2. Richardus *art. vnic. quæſt.* 2. Durandus. *num.* 9. Paludanus *diſt.* 38. *quæſt.* 4. *art.* 4. *concl.* 13. Argentinas *diſt.* 40. *quæſt. vnic. art.* 4. *ad argum. princip. ſupp.* Gabriel. *diſt.* 40. *quæſt. vnic. art.* 3. *dub.* 2. Caietanus *in* 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 9. §. *Ad obiect.* Palatius *diſt.* 40. *diſp. vnic.* §. *Veruntamen*. Poncius *lib* 7. *cap.* 32. Hurtadus *diſp.* 17. *diff.* 5 Eam probabilem cenſent Covarruvias *in* 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 6. §. 10. *num.* 5. Coninckius *diſp.* 32. *n.* 19.

Noſtram non pauci Adverſarij ſententiam cenſent eſſe probabilem.

An bona cõſequentia ſit, Nunquã Pontifices vſi ſunt hac ſententia Ergo illa eſt improbabilis?

Et contra eos, qui obiiciebant, [Nunquam Pontifices in tali matrimonio diſpenſarunt. Ergo indicarunt ſententiam, quæ eos diſpenſare poſſet aſſerit, improbabilem eſſe] *num.* 33. reſpondet Amicus dicens. [Potuerunt Pontifices in hoc nunquam diſpenſare; non quòd putarint, eſſe improbabilem ſententiam; nam ſaltem ab extrinſecâ authoritate eam judicare potuerunt probabilem; ſed, quia cenſuerunt id non expedire, ob multa & gravia incommoda, quæ ex hac diſpenſatione timeri poſſunt] & *num.* 26. *pag.* 192. *a.* de noſtrâ agens ſententiâ dixerat.

Non omnia quæ licent, expediunt. Ita S. Paulus 1. Corinth. 6. 12. & 10. 23.

Quid Sancti Thomas, & Bonaventura ſenſerint?

Eiuſdem videntur SS. Thomas & Bonaventura: qui dum inquirunt, intra quos gradus Iure Naturæ Matrimonium ſit prohibitum, ſolùm in primo gradu lineæ rectæ adſignant.] Et tu obiter nota, non bene inferri. *Eſt prohibitum, Ergo etiam irritum.* Ita ſcitè Ægidius Coninckius *diſp.* 32. *dub.* 1. *pag.* 816. *num.* 5. inquit enim [Ex eo, quod aliquod Matrimonium ſit Iure Naturæ illicitum, non ſtatim ſequitur eſſe etiam irritum. Nam obligatus voto Caſtitatis aut ſponſalibus cum aliâ contractis contra Ius Naturæ illud contrahit, non tamen invalidè, &c.]

N. B. Etſi aliquo argumento) quod non ſcio) demõſtraretur Naturalis Iuris in aliquo Matrimonio, ex interdictione. ſi nihil aliud accederet, non ſtatim nullitas ſequeretur.

Sed quia Angelicus Doctor eſt fidelis S. Auguſtini Interpres, videamus, an habuerit ſententiam Auguſtini: quoniam Divinus Doctor. 15. *de Civit. cap.* 16. ſic inquit. *Quantò antiquius eſt, vt viri ſorores ſuas, coniuges acciperent, compellente neceſſitate, tantò poſteà factum eſt damnabilius, Religione prohibente. Fieri ergo debuit, quando potuit, vt exiſtente copiâ inde deducerentur vxores, quæ non erant iam ſorores, & non iſtud vt fieret, nulla neceſſitas eſſet; verùm etiam ſi fieret, nefas eſſet, cùm talem licentiam ita exhorreat & adverſetur humana conſuetudo, quaſi nunquam licere potuerit.* Scio hîc aliquos Authores *Religionis* & *Conſuetudinis* nomine *naturalem inclinationem* intellexiſſe: ſed quis non videat, hoc eſſe mutare vocum ſignificationem. Sentit ergo Auguſtinus (1) matrimonium inter fratrem & ſororem in lege naturali licuiſſe. (2) illud Moſaicam olim & nunc Chriſtianam Religionem inhibuiſſe. (3) & ex conſtante hac obſervandi legem conſuetudine averſionem oriri, quâ tale connubium deteſtamur.

Quid ſentiat S. Auguſtinus?

Quid vocet Religio, & Conſuetudo *ſignificent?*

N. B. Conſuetudo non eſt ipſa natura: & tamen dicitur *altera natura*, quæ enim ex cõſuetudine, quaſi naturaliter facimus.

Leander

MMMDCCLXIII. N. B. *Si Matrimonia inter fratres eſſent illicita, Cainus & Sethus, Adami filij, ducendo ſuas ſorores peccaſſent: &, ſi eſſēt irrita, fuiſſent ſpurij & illegitimi eorumdem filij.*

Leander *part.*2. *tract.*9. *diſp.*12. *quæſt.*9. dirimit controverſiam his verbis. [Probabilius reſpondeo adhuc Matrimonium inter fratres non eſſe irritum Iure Naturali; ſed tantùm Poſitivo; olim Divino in lege veteri, nunc verò Eccleſiaſtico: ideóque poſſe juſtâ ſubſiſtente causâ in eo diſpenſari à Pontifice, &c. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſtion* 154.*art.*9.*ad* 3. ibique Cajetanus §. *Ad hanc.* Scotus *in* 4. *diſt.*40. *quæſt.unic.art.*2.& alij viginti & ſex Doctores, quos citat pro hac parte Sanchez *loc. cit.* Baſilius *loc. cit.* Ægidius *diſp.*32. *num.*19. Hurtadus *diſſ.*17. *diſſ.*5. & 17 *diſſ.*3. Cornejus *diſp.*7. *dub.*13. & *ult.* Candidus *num.* 75. &c. Sic etiam tenet Palaus *diſp.*4. *punct.*6. *num.*11. &c. ſic etiam Trullench *lib.*7. *cap.*9. *num.*8 Baunius *quæſt.*2. *de impedim. cogn.pag.*724. Martinus Perez *de Matrim. diſp.* 28. *ſect.* 5. *num.*4. Diana *part.*8. *tractat.*1. *reſol.*70. Caramuel, & Eſcobar penes ipſum: ex quo bene probat, poſſe Pontificem diſpenſare, ut fratres & ſorores contrahant inter ſe matrimonium.]

Quomodo probanda ſit noſtra Concluſio.

Hæc eſt vera & tenenda ſententia. Sed quomodo probari poterit? Poſitivè ſolet: & tantùm negativè deberet. Videamus poſitiva argumenta, quæ pro illâ formantur: quoniam Authores dum volunt nimis erùditi videri, & rationes poſitivas conſtruere, multa congerunt, quæ parum intento principali proficiunt.

MMMDCCLXIV. *Apud Ægyptios, Perſaſq; fratres cum ſororibus commiſcebantur. Cleopatra fratri ſuo iubetur nubere. An Abraham ſuam ſororem duxerit? An Thamar potuerit ſuo fratri Ammoni nubere? An aliquãdo Pontifex in hoc Matrimonio diſpenſaverit?*

Argumentantur *primò*, Nam Perſæ & Ægyptij ſorores in uxores ducebant. Ergo non eſt hoc contra Naturæ Ius Probat antecedens Salianus *in Hiſt. Eccleſ. anno ante Chriſt.*50. *num.*3. nam Dione aſſerente Ptolemæus Auletus Ægypti Rex juſſit in ultimis tabulis ut Cleopatra filia ſua, & ſuus hæres & primogenitus matrimonio copularentur.

Secundò. Nam Abraham duxit Saram ſororem ſuam. Fortia enim illa verba ſunt Geneſ.20. *Verè ſoror mea eſt: filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.*

Tertiò. Nam, cùm vellet Ammon Thamarem ſororem ſuam opprimere illa 2. Reg. 13. reſpondit ei. *Noli frater mi opprimere me, quin potiùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Ergo Matrimonium inter fratrem & ſororem erat apud Iudæos licitum.

Quartò. Nam Martinus V. diſpenſavit de facto, & hoc ex Theologorum & Canoniſtarum conſilio.

Has rationes conſidero, & quid de ſingulis ſententiam, breviter inſinuabo.

MMMDCCLXV. *Ethnicorum actus non ſunt Regula morũ quibus Chriſtiani uti poſſimus? Fratrum nomine etiã cognati in Sacrâ Scripturâ intelliguntur.*

Prima vires non habet; non enim ab Ethinicis debemus Legem Naturalem addiſcere, quam illi aut neſcivêre prorſus, aut mille erroribus miſcuêre, qui enim σαρδαπάλον admiſerunt, non ſunt, qui ad Moralia tribunalia admittantur. Ergo ex Ptolemæi teſtamento noſtra opinio probatur.

Secunda corruit, ſi cum Bellarmino quis dicat, Saram Abrahami fuiſſe neptem (filiam fratris) & vocari ſororem ſumpto largè vocabulo: nam ut *lib.*22. *contra Fauſtum, c.*35. nos monet Auguſtinus, Sacra Scriptura *fratres ſorores generali nomine conſanguineos vel conſanguineas ſolet appellare.*

Fuerit Thamar Ammonis ſoror, aut non fuerit, hoc argumentum nil evincit.

Tertia nonnullos vexat, & contendunt probare Thamarem non fuiſſe Davidis filiam adeoque nec veram Ammonis ſororem. Alios autem hæc hiſtoria non urget: nam Thamar, non ſtuduerat Theologiæ, & potuit exiſtimare matrimonia inter fratres ſupremo Principe permittente licere. Vt ut non licere putaverit, voluit ſe hac viâ à periculo eripere, dando ſpem invaſori, ut illâ fictus ſe dimitteret.

Vnde Sylveſter hanc hiſtoriam habuerit?

Quarta multum probaret, ſi eſſet vera hiſtoria, quam producit. Illam Sylveſtrum habuiſſe à S. Antonino Amicus *tom.*9 *diſp.*16. *num.*28. *pag* 192. *a.* narrabat. at Sylveſter *in ſumm. verb. Papa, num.*17. non S. Antonini, ſed Archidiaconi meminit: inquit enim. Reperitur Martinus V. ut Archidiaconus refert, diſpenſaſſe cum eo, qui cum ſuâ germanâ contraxerat & conſummaverat, habito conſilio cum peritis Theologis & Canoniſtis propter mala & ſcandala aliàs inde ventura licèt aliqui (*non* alicui) dicerent eum non poſſe. Et quia certum tenendum eſt, incertum verò dimittendum, *de pœn. diſt.*7. [a] ſiquis ante factum, nulli eſt conſulendum, ut petat iſtam diſpenſationem. Quia etiam inſtar ſacrilegij eſt diſputare de potentiâ Principis, præcipuè Papæ, 17. *quæſt.*4. §. *committitur*, & *ſeqq.* ſi quis poſt contractum, & multò magis conſummatum matrimonium obtinuit talem diſpenſationem, dimittendum eſt negotium judicio Dei. Hæc ex Archidiacono.] Ecce Sylveſter, hiſtoriam veram judicat, & tamen, non vult aſſerere Pontificem bene feciſſe [Interim, quia verba Auguſtini (quæ habentur *de pœn. diſt.*7. adducit: & illa in ore multorum paſſim reſonant, monere debeo Eruditos Lectores falſum teſtimonium imponi Viro Magno. Agit enim de illis, qui ante mortis articulum nolunt agere pœnitentiam: quos, tametſi incertum ſit an habituri ſint ad pœnitentiam male facere certum eſt. Ergo illos Sanctus Pater monet, *ut relinquant, quæ ſunt certò mala; & amplectantur ea, quæ certò ſunt bona.* Et hæc circa verba Auguſtini à Sylveſtro producta, notaviſſe ſufficiat. At priorem lineam, & diſpenſationem à Martino V. conceſſam revertamur.] Sanè Archidiaconum adlucinatum fuiſſe referendo hanc hiſtoriam inquit Sotus *in* 4. *diſt.* 41. *quæſt. unic. art.*3. §. *Tandem*, & ex eo Amicus *loc.cit. num.*36. §. *exemplum*, *pag.*193. *b.* nam, ut aſſerunt, Martinus V. diſpenſavit, ut Titius in uxorem eam duceret, cuius ſororem fornicariè cognoverat. Et hoc non eſt ſuam ſororem ducere, ſed affinem in primo gradu. Interim nec Archidiaconus probavit quæ ſcripſit: nec Sotus probat Archidiaconum adlucinari. Et ideò ego neutrum credo, quia neutrum probatur.

a] Pone magna ſcandala ex negatione hujus diſpenſationis abotitura, putarem adhuc, quia indocti ſunt multi, & adverſis præoccupati apprehẽſionibus, maiora ex diſpenſatione proventura: & ideò nũquã eſſẽ author, ut talis diſpenſatio concederetur.

MMMDCCLXVI. N. B. Monetur Lector paſſim citari S. Auguſt. verba, quæ à præcedentibus avulſa contra Sancti Doctoris mẽtem oppoſitũ ſenſum præſeferũt. Ea in fonte ipſo legantur.

Qualis fuerit diſpẽſatio, quam Papa cõceſſit?

Vera noſtræ Concluſionis probatio.

Dico igitur veram noſtræ ſententiæ probationem argumento negativo ſubſiſtere. Omnia enim licent, quæ non ſunt prohibita. Ergo, ſi matrimonia inter fratres Lege Naturali irritantur, hoc in Decalogo habebitur: non enim præter Decalogum eſt Lex Naturalis Theologica. At nec in Evangelio, nec in S. Pauli Epiſtolis, &c. nec in ullo Generali Concilio ita ſextum Decalogi præceptum exponitur, ut fratrum Matrimonia dirimat. Ergo iſta valida ſunt Iure Naturæ.

Quæ ſit Lex Naturalis Theologica?

Digitized by Google

An Ethnicorum matrimonia inter fratres ſint valida?

Hinc bene Doctores, ut monet Leander inferunt, non eſſe ſeparandos infideles fratres qui matrimonium contraxerunt, antequam ad Fidem converterentur: nam contraxerunt validè, & invalidè ſepararentur.

De Cognatione Spirituali.

MMMDCCLXVII. *Quid ſit Cognatio Spiritualis?*

Cognatio Spiritialis *eſt Eccleſiaſtica quædam propinquitas, ex collatione aut receptione Baptiſmi & Confirmationis proveniens.* Ita communiter DD. *ex c. de eo,* & *cap. ſiquis filiaſtrum, de cognat. ſpirituali.* Baptizans, ſeu Confirmans vocetur *conferens,* & Baptizatus, ſeu Confirmatus, initiatus.

Per quot gradus decurrat?

Cognationis Spiritualis impedimentum reſultat inter Conferentem & Initiatum, inter Initiatum & ſuos Patrinos: inter Parentes Initiati & Patrinos. Et tandem inter Conferentem & Patrinos. Ita Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 2.* Vide Leandrum *part. 2. tract. 2. diſp. 7.* & *tract. 3. diſp. 5.* & *part. 2. tract. 9. diſp. 12. quæſt. 15.*

De Infidelibus. An his impedimentis præpediantur?

Cùm Achriſtiani non ſubſint legibus Eccleſiæ, nec Baptiſmum, nec Confirmationem ſuſceperint, hæc illos impedimenta non concernunt: &, ſi non tangunt illos quando ſunt infideles, non ſupervenient poſteà, ſi fortè ad Fidem convertantur.

De Patrinis Politicis & Eccleſiaſticis, necnon de Procuratoribus, qui aliorum nomine Patrini ſunt.

Diximus ſuperius, quando de Baptiſmo & Confirmatione tractabamus, præter Patrinos Eccleſiaſticos ſolere adjungi ad honorem Politicos, qui nullum impedimentum contrahunt. Addimus aliquando contingere ut unus alterius nomine Patrinus ſit, & aſſeruimus, non procuratorem, ſed principalem in caſu fuiſſe verè Patrinum, & ideò illum, & non Procuratorem hoc impedimentum concernere.

De Cognatione Legali.

MMMDCCLXVIII. *Quid ſit Cognatio Legalis?*

Ad Cognationem Legalem venio. Quid ipſa eſt? Eſt quarumdam perſonarum propinquitas, ex alicujus adoptione proveniens. Ita Theologi *in 4. diſt. 42.* & Canoniſtæ *30. quæſt. 3. cap. 1.* & *cap. 1. de cognat. legali.* Et vocatur *Legalis* quod à legibus ſit introducta. Quid autem eſt Adoptio? Leander *part. 2. tract. 9. §. 3. quæſt. 20.* duas definitiones proponit, quarum altera, quam acceſet Theologis actionem ipſam, altera, quam Iuris conſultis adtribuit, effectum exprimit. Ejus verba ſunt hæc. [Iuxta Iuriſperitos eſt actus legitimus, per quem fit filius vel nepos, qui non eſt filius vel nepos naturâ. Si colligunt *ex §. Adoptio, inſtit. de adopt.* & *lib. 7. tit. 7. par. 4.* Iuxta Theologos vere Adoptio eſt adſumptio legitima extraneæ perſonæ in filium vel nepotem, vel deinceps: inventa ad ſolatium eorum, qui filiis carent]

Quid ſit Adoptio?

Adoptionis leges alias tuliſſet Tribonianus, ſi quæſtionem radicitùs intellexiſſet.

Scripſi de Adoptione ſpeciale Syntagma, in quo oſtendo Tribonianum multis præjudiciis præventum titulum totum digeſſiſſe. Et quia hic ex illo Leander ait, *Nemo poteſt adoptari in patrem vel fratrem, ſicut poteſt in filium & nepotem,* reſpondeo id eſſe verum, juxta Adoptionis Tribonanææ naturam, & Iuſtinianarum legum diſpoſitionem: non autem ſecundum verum Adoptionis conceptum. In Evangelio legimus. *Ieſus ergo cùm vidiſſet matrem & diſcipulum adſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ, Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo. Ecce mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam diſcipulus in ſuam.* Ecce Princeps (Dominus noſter Ieſus-Chriſtus) Ioannem in fratrem ſibi adoptavit, & illi Deiparam in matrem dedit. Sed hoc, & alia, quæ in prædicto Syntagmate edilleruntur, non praxim, ſed ſpeculationem concernunt: regimur enim legibus, quæ ſemper poterunt aliter pronunciari: & tamen non ſecundum eas, quæ poſſent eſſe, ſed ſecundum eas, quæ ſunt defacto, noſtros mores conformare debemus.

Ioann. 19. 26.

An poſſis aliquem in fratrem, an aliquê adoptare in parentem?

De Adoptione Perfectâ & Imperfectâ.

Adoptio eſt duplex: perfecta, & imperfecta: Illa *Adrogatio* dicitur, hæc retento generis nomine ab omnibus nominatur *Adoptio.* Per priorem adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, fitque ejus neceſſarius hæres, & tantùm per ſupremum Principem: Poſterior, quæ authoritate Magiſtratûs poteſt fieri, ſub poteſtate patris carnalis relinquit adoptatum, nec præſtat, ut hic ſit hæres neceſſarius adoptantis teſtantis, ſed tantùm inteſtati.

MMMDCCLXIX. *Vtra dirimat?*

Sed utra ex his dirimit Matrimonium? Vtraque aſſerente Præpoſito *in 3. part. quæſtion. 7. dub. 13. num. 109.* Conſonat Leander, *part. 2. tractat. 9. diſput. 12. quæſt. 23. pag. 276. b.* qui etiam Scotum, Toletum, Petrum Sotum, Lopez, Richardum, Baſilium, Hurtadum, Rebellium, Guttierez, Villalobos, Loyſium de Torres, &c. adlêgat. Additque à Sanchezio, qui oppoſita placuit, triginta ſeptem Doctores pro hac ſententiâ produci. Ratio eſt generalis & bona, Quia ubi Iura non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus, niſi abſurdum inferat diſtinctionis omiſſio. At hîc nullum abſurdum illa infert. Ergo non eſt, cur Theologi Adoptionem perfectam ab imperfectâ diſtinguamus. Ideò bene Leander; qui, ut vidimus, huic opinioni adhæret, *quæſtion. 21.* dixerat [Inter has aliqua ſunt diſcrimina, quæ quia non ſunt noſtri inſtituti, libenter adnotare omitto.] Sua non intereſt cognoſcere, an hæc aut illa in particulari adoptio perfecta ſit, aut imperfecta, nam alterutra dirimit: qui autem aiunt à ſolâ perfectâ impedimentum dirimens provenire, hi neceſſariò debent dirimentem à non dirimente ſecernere. Et quidem ſolam perfectam Matrimonium dirimere docuit Diana *part. 4. tractat. 4. reſol. 110.* & *part. 9. tractat. 6. reſol. 64.* Sylveſtro, Soto, Henriquez, Petro de Ledeſma, Sanchez, Reginaldo, Ægidio, Bonacinæ, Ochagaviæ, Fillincio, Laymanno, Sylvio, Tannero, Ludovico de San Iuan, Machado, & aliis Viris magnis ſubſcribens. Et poteſt ſic probari hæc ſententia. [Hæc propoſitio, *Quando lex profertur ſpecificè, ita videlicet ut totam ſpeciem verborum tenore comprehendat, ſi tamen finis adæquatus legis ceſſat in aliquo particulari, non habet locum legis obligatio in illo particulari,* continet doctrinam ſecuram. Ergo etiam hæc ipſi ſimillima. *Quando lex profertur genericè, ita videlicet, ut omnes ſpecies inferiores verborum tenore*

Quæ Iura non diſtinguunt, inutiliter Iuriſtæ diſtinguunt.

Quorum inter ſit Perfectæ & Imperfectæ Adoptionis differentiâ cognoſcere?

De fine adæquato legis.

Digitized by Google

Quid, ſi in individuo aliquo ceſſet? Quid, ſi in ſpecie totâ?

tenore comprehendat, ſi tamen finis adæquatus legis ceſſat in aliquâ ſpecie particulari, non habet locum legis obligatio in illâ ſpecie particulari. Atqui finis adæquatus, propter quem Adoptio jubetur Matrimonium dirimere, ut in perfectâ invenitur, in imperfectâ minimè reperitur. Imperfecta igitur Matrimonium non dirimit. Probatur minor: quia, cùm imperfectè adoptivus habitet extra adoptantis domum, ceſſat omne periculum incontinentiæ. Hanc enim rationem, vt hoc probet impedimentum, *3. part. quæſt. 57. art. 2.* S. Thomas adducit.

Cur juſſa fuerit Adoptio Matrimonium dirimere?

An imperfecta ſit impedimentum impediens?

Omnes Authores, qui negant imperfectam Adoptionem eſſe dirimens impedimentum, aſſerere eam eſſe impedimentum impediens ſcribit Leander: at Diana negat id ab omnibus dici: inquit enim. [Non deſinam hîc obiter adnotare Ochagaviam, Tannerum, & alios penes ipſum probabiliter docere, ex adoptione imperfecta neque oriri impedimentum impediens; licèt Ludovicus de San-Iuan, & alij etiam Doctores probabiliter contrarium aſſerant.] At Ludovici pace, hæc conſequentia, *Non eſt impedimentum dirimens, Ergo eſt impediens*, eſt ſimilis his, *Non eſt votum ſolenne, Ergo eſt ſimplex. Non eſt Matrimonium, Ergo ſunt ſponſalia*, quæ omnes, tametſi paſſim admiſſæ, claudicant.

MMMDCCLXX. *Per quot gradus Adoptio dirimat matrimonium?*

Quæris per quot, & quos gradus hoc impedimentum decurrat? Reſpondeo *ex cap. unic. de cognat. legal.* Adoptantem, nec adoptatam, quam adſciſcit in filiam, nec ejus filiam, neptem, & proneptem; adeóque uſque ad quartum gradum (primus eſt ipſa adoptio) poſſe in uxorem ſumere. Immò nec uxorem adoptati. Addo adoptatum nec cum adoptantis uxore, nec filiâ legitimâ poteſt contrahere: poſſe enim cum illegitimâ Rebellius *part. 2. lib. 3. quæſt. 7. concl. 3. numer.* 12. Diana *part. 4. tract. 4. reſol.* 121. & alij affirmant.

An Adoptati poſſint matrimoniũ inter ſe celebrare?

An-ne ipſi adoptati poſſunt contrahere inter ſe? Negat Ledeſma *de matrim. quæſt. 57. art. 3.* ſunt enim fratres, & magis conjuncti, quam cum realibus adoptantis filiis quibuſcum non poſſunt matrimonium inire. Se fatigant Theologi, vt examinent, cur non lati ſunt canones, qui hanc Quæſtionem reſolvant. Cotonius *in ſumm. verb. Impedimenta num.* 8. hanc adducit. [Quia cùm rarò plures adoptari ſoleant, ad hoc iura non reſpexere, &c.] Mihi ſufficit ſcire, quod huc jura non reſpexerint, quin mea referat examinare, cur non reſpexerint. Immò auderem dicere legiſlatorem ex inaduertentia non interdixiſſe hæc matrimoia; & interdicturum illa fuiſſe, ſi de illis cogitaſſet. Et tamen aſſere hæc hodie Matrimonia valêre; hodie enim dirimunt indecentiæ, non illæ, quibus Eccleſia dediſſet dirimendi virtutem, ſed quibus dedit: Sequor Leandrum, qui *diſp. cit. q. 26.* aſſerit iniri hæc Matrimonia poſſe; & probat [Quia nullo Iure eſt inter illos ſtatuta cognatio.] Ita Diana *part. 4. tract. 4. reſol.* 121. adhærens Bonacinæ, Cornejo, Hurtado, Rebellio, Baſilio, Sà, Covarruviæ, Henriquez, &c. Ita etiam Sanchez *lib. 7. diſp. 63. num.* 28. qui viginti-tres Authores citat. Eſt contra Petrum, & Bartholomæum, de Ledeſma, Ochagaviam, Ludovicum de San-Iuan, & Meratium, quorum logicam Moralem reprobo, nam leges à rationis paritate propagant.

An de rarò contingentibus leges ferendæ ſint?

Legibus, quæ ſunt, nõ autem quæ fuiſſent, obligamur.

Impedimentvm V. Crimen.

MMMDCCLXXI. *Quænam crimina dirimant matrimonium?*

SVnt quædam crimina, quæ ita deteſtatur Eccleſia, ut in illorum pœnam connubia ſubſequentia dirimat.

Crimen I.

Qualis eſſe debeat promiſſio?

Primum eſt, *ſi adulter polliceatur adulteræ ſe illam in uxorem ducturam poſt mortem mariti.* Ecce duo ſimul requiruntur (adulterium, & promiſſio) & utrumque marito vivo. Ita *ex cap. ſignif. de eo, qui, &c.* Promiſſio debet habere quantum ſufficiat, ut in alia materia cenſeatur valida. Vnde ſtando conſequentiæ doctrinæ, Sanchez, qui *tom. 1. de matr. lib. 1. diſp. 9. num. 5.* docet neminem ficta promiſſione obligari, deberet dicere hîc fictam promiſſionem non inducere impedimentum dirimens: quo reſpiciens Trullenchius *lib. 7. cap. 9. dub. 10. concl. 3. numer.* 9. negat impedimentum ex ficta promiſſione procedere, *quia ficta promiſſio non eſt vera promiſſio, ſed ſolo nomine.* & Vaſquez, Ponciuſque, quorum ille *diſp. 6. de matr. cap. 3.* & hic *lib. 2. cap. 4.* docet promiſſionem externam etiam internâ deficiente, obligare in conſcientia, deberent hîc aſſerere, impedimentum dirimens à ficta etiam promiſſione procedere. Sic ut puto pronunciare deberent. Interim Sanchez *diſp. 79. num. 10.* etiam fictam impedimento onerat, alij volunt debere eſſe ſeriam. Et quid ſi non ſit juramento firmata? Matrimonium-ne dirimet? Vtrumque probabiliter dicitur. Quoniam pro utraque parte Authores apud Leandrum *quæſt.* 12. reperies: interim ſcire velim, cur aliqui juramentum ad incurrendum impedimentum poſtulent, cùm Eccleſia juramenti non meminerit? Et quid, ſi non fuerit reciproca? Probabiliter dirimet, & non dirimet: nam multi ſunt utrimque Authores, quorum apud Leandrum nomina locoſque *quæſt.* 13. reperies.

Quid præſtes, ſi juramento confirmetur?

An eſſe debeat acceptata promiſſio?

Supponis promiſſionem debere eſſe acceptatam, quæ enim eſt recuſata, non habet promiſſionis virtutem; & interrogas, *An, ſi alter promittat, & alter taceat, qui tacet acceptare cenſendus ſit?* Affirmat Baſilius *lib. 7. cap. 45. num.* 2. dicens. [Nec neceſſarium eſt, ut ſit mutua (puta, realiter) ſed ſatis videtur, ſi unus promittat, alter verò taceat, vt docet Sylveſter. *matrim. 8. quæſt. 9.* & colligitur *ex dict. cap. relatum.* & *cap. ſignificaſti*: nam illa taciturnitas cum mutuo & cœco amore inter adulteros videtur eſſe virtualis quædam acceptatio promiſſionis: & vehemens inſurgit occaſio machinandi mortem.] Ita etiam Ægidius, & Rebellius, quos citat & ſequitur Hurtadus *diſp. 23. diff. 2.* At ego Matrimonium eſſe rem onerofam, & in odioſis eum tantùm, qui tacet, ubi poteſt, & debet loqui, conſentire cenſendum eſſe, exiſtimo: & quia

An fœmina ſi tacuerit, acceptare cenſenda ſit?

An ſit res oneroſa matrimonium?

adultera, nec ſemper poteſt loqui, nec unquam debet, per meram taciturnitatem non acceptare promiſſionem affirmo. Ita Sanchez, Bonacina, Gutierrez, Cornejus, Candidus, quos adducit & ſequitur Leander *vbi ſupr. quaſt.*14.

Sed quia matrimonium interdum, nonniſi conditionatè promittitur, petis, *An conditionata promiſſio dirimat Matrimonium?* Layman *lib.*5. *tract.*10. *part.*4. *tract.*10. *numer.*4. & Diana *part.*3. *tract.* 4. *reſol.* 198. volunt aut illam eſſe abſolutam, aut conditionem ante conjugis mortem fuiſſe purificatam: quæ enim ab eventu futuro dependet, non cenſetur abſolutè promiſſio.

Quod de promiſſione acceptata, idem dicito de matrimonio de præſenti: ſi videlicet adulteri per verba de præſenti contraxerint: non enim tantummodo invalidè contrahunt, ſed ſe reddunt inhabiles, vt poſteà poſſint. Ita Leander *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.*15. *quaſt.*17.

MMMDCCLXXII. Crimen II. *An mortem requirat?*

Secundum crimen eſt, *cùm vir & fœmina conveniunt ad occidendum maritum, vt matrimonium ineant, & de facto occidunt:* nam, ſi non ſequitur mors, hoc impedimentum non reſultat: &, vt reſultet, non requiritur adulterium. Ita omnes communiter *ex cap. laudabilem de converſ. coniug.*

Crimen III. *An requiratur intẽtio?*

Tertium eſt, *cùm unus coniugum occîdit alterum vt contrahat cum adultero, etiam homicidium ignorante.* Patet *ex cap. ſuper hoc de eo, qui polluit per adult.* Conſidera ſingula verba: Per vocem *unus* tam maritum, quam uxorem intelligo, nam habetur expreſsè *in cap. Si quis vivente.* ibi. *Niſi fortè adulter, vel mulier, virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur.* Vnde non ſcio, cur Victoria, Ledeſma, Cañedus, & alij aſſerant, uxorem, quæ maritum, vt nubat proco, occiderit, ab hoc impedimento eſſe liberam. Per vocem *ut contrahat*, reſpondetur quæſtioni, quæ petit, *An Petrus, qui cum Iſabellâ mœchabatur, & non animo ducendi Iſabellam, ſed ex mero odio, aut etiam ut libidinaretur liberiùs, ſuam uxorem occîdit, poſt hoc crimen poſſit ducere Iſabellam?* Nam contra Scotum, Cajetanum, Petrum Sotum, Armillam, Angres, Ovandum & Padrazam exiſtimo præter conjugicidium intentionem contrahendi cum adulterâ neceſſariò requiri: hoc enim *ex cap. ſi quis vivente,* & *ex cap.* 1. *de converſ. infid.* colligitur. Ita Navarrus, Henriquez, Toletus, Sà, Baſilius, Ægidius, Hurtadus, Filliucius, Bonacina, Cornejus, Candidus, Torreblanca, Machadus, Moute, Palaus, Trulleneh, &c. ſequitur hanc ſententiam Sanchez *lib.*7. *diſp.* 78. *num.* 13. & pro illa adducit quinquaginta Doctores, vel plures. Eam eſſe probabiliorem judicat Leander *tract.*9. *diſp.*14. *q.*2. & Villalobos *tract.* 13. *diff.*11. *num.* 5. dicens, *Que, ſi ſucedieſſe, que el homicidio ſe hizieſſe por odio, o enemiſtad, o por tener mas libertad, ſin animo de caſarſe los adulteros, ſe podrian deſſnes caſar ſegun eſta ſententia.* Addidi vocem *cum adultero*, nam quærenti, An ad incurrendum hoc impedimentum animus contrahendi & conjugicidium ſufficiant; an vero præter hæc duo adhuc adulterium requiratur? Quoniam non requiri adulterium in caſu aſſerit D. Antoninus Hoſtienſis, Innocentius, Aſtenſis; quos Philiarchus, Vera-Cruz, Torreblanca, & Machadus ſequuntur. Semper autem requiri docent ſumma Confeſſ. Monald. & alij. Cæterùm ſententia communis diſtinguit: nam, vel alter, vel uterque (conjux & mœchus) mortem intulit. Si uterque ſumus in ſecundo crimine, in quo non requirebatur adulterium. Si alter, eſt crimen tertium; quod, ut completum ſit, adulterium requirit. Ita S. Thomas & quinquaginta & quatuor Doctores, quos & ſequitur Sanchez, quibus Leander Baſilium, Hurtadum, Bonacinam, Filliucium, Rebellium, Candidum, Palaum, Laymanum, Ægidium, Trullenchium, & Baunium adjungit. Et hîc adverte, conjugicidij ratihabitionem non ſufficere, vt hoc impedimentum inferatur; machinationem enim ad inferendam mortem, quæ in ratihabitione non invenitur, iura poſtulant. Et adverte etiam hoc impedimentum non eſſe univerſale, ita ut conjugicîda nullum poſſit poſteà matrimonium inire; ſed eſſe particulâ, & ſolùm perſonam, qui cum adulterium fuit commiſſum, reſpicere. Ita D. Thomas *in add. queſt.* 60. *art.*2. *in corp.* quem paſſim univerſi ſequuntur, contra Palacios *in* 4. *diſt.*35. *diſp. unic. col.* 22. qui exiſtimat eum, qui occiderit conjugem, eſſe inhabilem ut contrahat novas nuptias.

Et qualis hac intentio eſſe debeat?

Quid, ſi ex odio homicidium patretur.

An requiratur adulterium?

An ſufficiat coniugicidij ratihabitio.

An hoc impedimentum univerſale ſit?

An ſcire debeat ſe adulterium committere, vt quia pœnam adulterio præſcriptâ incurrat?

Et quia hîc pœna adulterio à iure præſcribitur, inquiris, *An illam incurrere poſſit, qui vel ſe committere adulterium, vel talem pœnam præſcriptam eſſe adulterio, non ſciat?* Et quia hic caſus poteſt variis modis accidere, ſic illum *diſp.*23. *diff.*2. proponit Hurtadus. *Exiſtimamus*, inquit, *contra Sanchez* lib. 7. diſp.79. (*adde* num. 31.) *ad hoc impedimentum ſufficere, quando uterque adulter eſt coniugatus, noſſe proprium coniugium, quamvis ignoret alterius; quia in hoc caſu uterque verè peccat peccato adulterij.* Et benè diſcurreret Hurtadus, ſi ad incurrendum hoc impedimentum ſolum adulterium ſufficeret: at adulterium ſecluſa promiſſione nullum impedimentum infert, ut habetur expreſsè *in cap. veniens,* & *cap. finali. de eo, qui duxit.* & *cap. relatum* 31. *quaſt.*1. & docent univerſi Doctores. Ergo, ſi promiſſio requiritur, debebit promiſſarius ſcire eum eſſe copulatum, qui promittit. Ad pœnam autem veniens, eam incurrit etiam ille, qui ignorat. Vnde bene Cotonius *in ſumm. verb. Impedimentum num.*11. [Incurrit Adulter promittens conjugatæ Matrimonium poſt mortem viri, etiam ſi ignoret hoc eſſe impedimentum. Ita Diana *part.*10. *tract.*13. *reſol.*51.

An qui præceptum eſſe ſcit, & quanam pœna ſit infligẽda tranſgreſſori non ſciat, illam incurrat?

Impedimentum VI. cultûs diſparitas.

MMMDCCLXXIII.

Iam inter Chriſtianum & Achriſtianum, hoc eſt, non baptizatum, quàm inter Catholicum & Hæreticum ſeu Schiſmaticum diſparitas cultûs inuenitur.

Si

Quinam dicantur cultu diſpares?

An in non baptizatorum matrimoniis ſint impedimenta dirimentia?

Si duo infideles, ſeu non baptizati in gradu à Naturâ non prohibito matrimonium contraxerunt, validè contraxerunt, etiamſi in gradu ab Eccleſia interdicto. Per converſionem ad Catholicam fidem, priùs validè initum matrimonium non ſolvitur. Ergo, ſi uterque convertatur, in matrimonio manutenetur. Si alter? Converſus à pagano poſtulare tenetur, ut vel Chriſtianam religionem ſuſcipiat, vel ſecum habitet ſine contumeliâ Creatoris. Si annuat, permanet matrimonium: ſi renuat à Chriſti ſupremâ poteſtate diſſolvitur.

Quid faciendum ſit, ſi alter infidelium conjugum convertatur?

Eſt deciſum ab Innocentio III. *in cap. quanto de divortiis*, inquit enim. [*Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia Divini nominis vel ut pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare volente, qui relinquitur ad ſecunda, ſi voluerit vota tranſibit. Et id hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus*, ſi infidelis diſcedit, diſcedat, frater enim vel ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi; *& Canonem, in quo dicitur*, contumelia Creatoris ſolvit jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur, *&c.*] Et idem *in cap. Gaudemus eod. tit.* definitur. Sed quid, ſi infidelis conjux multum diſtet? Reſpondeo, locorum diſtantiam, ſi nihil addatur, nil omninò præſtare. Sed, ſi diſtantia tanta ſit, ut moraliter certum ſit, quod nolit infidelis propriam domum relinquere & ad noſtram religionem converti, tunc cenſebitur ſolutum Matrimonium, non propter diſtantiam, ſed propter moralem illam certitudinem, quæ illam concomitatur. Ita Sanchez *lib. 7. diſp. 74. num. 12.* Et non ſcio cur Poncius *lib. 7. cap. 8. num. 12.* aſſerat eſſe in caſu petendam à Summo Pontifice diſpenſationem; nec percipio, cur Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 264.* Poncium loqui probabiliter ſcribat, quoniam infidelis in caſu, vel habet jus, ut impediat novum fidelis Matrimonium, vel non habet. Si primum, cum non ſit Eccleſiæ ſubditus, non poteſt privari illo jure à Pontifice. Si non habet, non eſt res, de quâ diſpenſatio petatur. Maximè, cùm experientia doceat, non dari caſum noſtro tempore, in quo infidelis ſine Creatoris contumeliâ habitet cum fideli.

An in caſu Summi Pontificis diſpenſatio proficiat?

Huc reſpicientes Patres in Concilio Toletano IV. ſub ann. 640. celebrato *can. 61.* & refertur *in cap. Iudæi 28. quæſt. 1. can 63.* ſtatuerunt, ut altero ad Fidem converſo ſeparentur, ob magna peccatorum pericula. Sic etiam D. Thomas *in 4. diſtinct. 39. quæſt. unic. art. 3.* inquit enim. [*Pari paſſu ambulans nunc utrique, ſcilicet Gentiles, & Iudæi; quia utrique obſtinati ſunt. Et ideò, niſi uxor fidelis converti velit, non permittitur ei cohabitare, ſive ſit Gentilis, ſive Iudæa.* Nec puto eſſe in hac quæſtione duas ſententias, etſi Leander pro alterâ Gloſſam *in cap. Iudæi.* Vera-cruz, Navarrum, &c. pro alterâ autem Concilium Toletanum, S. Thomam, Durandum, Richardum, Gabrielem, Sotum, Comitolum, Baſilium, Sanchez, Candidum, Bonacinam, &c. adleget: non enim iſti dicunt; quod, ſi infidelis ſine Dei contumelia & converſi periculo voluerit cohabitare, repellatur: ſed non eſſe infideli fidendum; eſt enim obſtinatus & contumax: &, quia Philiſtæi olim, quos multi Gentiles ſequuntur, fornicationes, adulteria, & ipſas propudioſas libidines, eſſe actus Religionis, quibus debebat coli Deus delirabant; & quia hodie Mahometani & pleriqne Ethnici ex ſuæ ſectæ præſcripto propudioſè abutuntur uxoribus, ceſſat caſus à Paulo propoſitus, & cohabitare non permittuntur.

Cur in Toletano Concilio ſtatim Patres infidelem cõverſum ſtatim ſeparãrunt ab altero?

An libidinoſi actus ad Religionem pertineant?

An uxore maritus ſuâ uti & abuti poſſit?

MMMDCCLXXIV.

De Chriſtiani cum non Chriſtianâ Matrimonio. An ſit cõtra jus naturale?

Quæris, *An Matrimonium baptizati cum non baptizatâ ſit nullum?* Reſpondeo jus naturale à Pontificio diſtinguendo: & agendo de naturali & præſcindendo à Canonico, aſſero Fidelis cum Infideli Matrimonium, ſemper eſſe validum, & non ſemper illicitum. Ita Ægidius Coninck, *tom. de ſacram. diſp. 31. dub. 3. num. 42. §. Reſpondeo, pag. 806. b.* inquit enim [illa (argumenta) tantùm oſtendere ejuſmodi Matrimonia eſſe illicita ob pericula prolis & fidelis conjugis, non tamen eſſe irrita: quia proles talium parentum abſolutè loquendo poteſt legitimè educari. Nam S. Clotildis nupta Clodovæo infideli optimè ſuas proles educavit. Quod autem ſæpiſſimè contingat talium liberos malè educari, ſolùm oſtendit matrimonium eſſe illicitum ex parte Fidelis: aliàs matrimonium Catholici cum Hæretica eſſet irritum, cùm ſit hic idem periculum. Immò [N B.] Matrimonium inter duos infideles eſſet irritum, quia inter eos proles multò minùs poteſt Chriſtianè educari.] Stat igitur Fidelis & Infidelis Matrimonia non irritari ipſo iure naturæ. At, quia valdè eſt indecens, ut baptizatum corpus cum non baptizato commiſceatur, providè univerſos Chriſtianos ad celebrandas cum Achriſtianis nuptias inhabiles Eccleſia reddidit.

S. Clotildis Regi Ethnico nupta optimè ſuos filios inſtituit.

Cur hæc Matrimonia Eccleſia irritet?

Quæris etiam, *An idem dicendum ſit de Catholici & Hæretici Matrimonio?* Reſpondeo eſſe illicitum, ſed validum: quia iura aut nunquam hæc matrimonia irritarunt, aut hodie vim non habent ob contrarium uſum. Ita Theologi.

An poſſint Catholici cum Hæretica Matrimonium contrahere?

Et tandem, *An tam mala ſint hæc matrimonia, ut nunquam poſſint eſſe licita?* Negant Sanchez *diſp. 72. num. 5.* Filliucius, & alij, additque ex D. Thoma & Cajetano Poncius *in append. cap. 6.* poſſe contrahi etiam cum aliquo ſubverſionis periculo, in caſu nimirùm, in quo ex tali Matrimonio proveniret Eccleſiæ propagatio & felicitas. Ita etiam Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 269.* At inter *facere*, & *permittere* ſummam differentiam reperio, adeóque inter *privatum*, & *Principem*. Porrò, ſi ita diſponantur circumſtantiæ, ut non ſit proximum peccandi periculum, ceſſat quæſtio; at, ſi periculum maneat, dico primò, neminem poſſe tale matrimonium propter Fidei propagationem, aut aliud maximum bonum contrahere; ſed dico ſecundò Principem ob majus bonum illud poſſe permittere. Primum dictum confirmo verbis Suarij, qui *de charit. diſp. 9. ſect. 2. num. 8.* inquit, [nemini licere propter aliorum ſalutem exponere ſe morali periculo peccandi mortaliter: idem eſt

An aliquando hujuſmodi Matrimonia ſint licita?

Aliter philoſophandū eſt de ſponſo, qui contrahit, & aliter de Principe, qui permittit.

Eccl. 3.

Digitized by Google

eſt enim ſe exponere periculo peccandi mortaliter, ac illud committere, ait enim Salomon, *Qui amat periculum, peribit in illo.*] Conſonat Cotonius, qui licèt *verb. Impedimentum num.* 12. Poncij contrarium ſentientis opinionem ſine vlla cenſurâ propoſuerit, illam reponit *verb. periculum, num.* 3. dicens. [An hæc opinio Poncij ſit probabilis, alij videant.] Ratio noſtræ doctrinæ eſt, quia Charitas incipit à ſe ipsâ ſecundum dictum probo; quia Princeps ob maius bonum non ſolùm peccatorum pericula, ſed ipſa etiam peccata tolerat.

An in Germaniâ & Galliâ Hæreticorum cum Catholicis Matrimonia ſint licita?

Et agendo de Catholici & Hæreticæ matrimonio in ſpecie. Leander *tract.* 9. *dub.* 11. *quæſt.* 4. extra terras, in quibus Catholici & Hæretici permixti ſunt, eiuſmodi matrimonia eſſe illicita, ſed valida aſſerit, & *quæſt.6.ſeq.* ſponſalia ibid. eſſe illicita & invalida ſimul bene affirmat, nemo enim validè promittere poteſt, quod licitè non poteſt præſtare. Tranſit poſteà ad Germaniam, & alias Boreales provincias, & *quæſt.7.pag.* 482.*b.* reſpondet eſſe licita ibi: & citat Sanchez *lib.7.diſp.*72. *n.*5. dicentem. [Hinc tamen excipi debent loca, in quibus Hæretici non denunciati, non notorij clericorum percuſſores, cum Catholicis permixti, conviviunt, vt in Germaniâ, Galliâ, Poloniâ; in his enim ex conſuetudine receptâ & toleratâ, licent coniugia Catholicæ perſonæ cum Hæreticâ, dummodò Catholica liberè permittatur & abſque perverſionis periculo in fide permanere.] Deus det, vt in his matrimoniis nullum alteri coniugi, nullum prolibus immineat perverſionis periculum. Sanè, ſi in illis provinciis Catholicorum matrimonia valida & licita ſunt, etiam erunt valida & licita ſponſalia: quoniam, vt paulò antè dicebamus. Vbi contractus eſt validus, ſed illicitus, de tali contractu celebrando promiſſio eſt de re malâ, ac propterea, non ſolùm illicita, ſed invalida. Firmat Reſolutionem hanc Regula LXIX. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.* Et quid ſi firmetur Iuramento promiſſio? Regula LVIII. reſpondebit. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentū.*

An ibidem inter eoſdem ſponſalia ſint valida?

Vbi Matrimonium eſt illicitum, ibi ſponſalia ſunt invalida.

Impedimentvm VII. Vis.

MMMDCCLXV. IVs naturæ contractus ex metu factos, tunc ſolùm dirimit, cùm metus ita contrahentes perturbaverit, vt non retineant realem libertatem. Vnde Ethnicorum, Iudæorum, & Mahometanorum Matrimonia (ni fortè ſpeciali territorij lege irritentur) etſi ex metu, qui in virum conſtantem cadat, facta fuerint, ſunt valida. Inter Chriſtianos Matrimonia ex metu gravi iniuſtè incuſſo inita Eccleſia dirimit, vt paci conſulat, & proſpiciat coniugum tranquillitati: debet enim obſequio, & non vi, coniugum obtineri conſenſus. Sed de hoc vberiùs, agentes de Conſenſu coacto. Vide, quæ *Imped.* 8. §. *Et gravior.* dicemus.

Qualis vis ex Iure Naturali, & qualis ex Pontificio dirimat Matrimonium?

Impedimentvm VIII. Ordo.

MMMDCCLXVI. SI eſſet certum, promotos ad maiores Ordines voto ſolenni Caſtitatis teneri, non eſſet cur hoc ſeptimum impedimentum poneretur, quoniam in tertio clauderetur. At, quia multi Viri docti, omnes, qui ad Maiores, Ordines promoti ſunt, ſolenni præcepto Caſtitatis obſtringunt, oportuit de Impedimento Ordinis in ſpecie tractare.

Ad Ordines Maiores promotos ad Caſtitatis obſervantiā teneri, & eſſe inhabiles ad Matrimonium, certum eſt: incertum verò, Votone ſolenni, an præcepto ſolenni obſtringantur?

Portò Minores Ordines Matrimonium non dirimunt, immò nec impediunt, his enim, qui Ordines Minores ſuſceperunt, poſſe contrahere Matrimonium *capit. ſiquis eorum, diſt* 32. expreſsè concedit. Et Sanchez interroganti, *An Eccleſia poſſit Minoribus initiatos Ordinibus voto aut præcepto Caſtitatis obſtringere?* reſpondet bene, impoſterùm ordinandos poſſe, ſed jam hucuſque ordinatos non poſſe. Ita *lib.7.diſt.*31. *num.*3. & interroganti *An coniux ſine vxoris licentiâ Minores Ordines poſſit recipere?* non vult ex Iure Naturali reſpondere, nam hoc Pontificia reſtringunt. Sanè, ſiquidem minoribus initiatus Ordinibus poteſt reddere & petere debitum in Matrimonij ſubſtantia nullam vxori iniuriam faceret, ſi maritus ſine illius conſcientiâ ad minores Ordines promoveretur. Ergo ſtando nudo Iuri Naturæ poſſet, ac ſtando Pontificio non poſſet: quia eſt prohibitum *cap. fin. de temp. Ordin. in* 6. ſic etiam Gloſſa *in dict. cap.* & omnes Doctores communiter. Et Sanchez *n.*6. hos conſiderans Canones, negativè reſpondet.

De Minoribus Ordinibus. An habeāt Caſtitatem adnexam? An ſine vxoris licentiâ maritus illos poſſit ſuſcipere?

An Philippus, qui Ordines Minores ſuſcepit, & illis eſſe adnexum votum Caſtitatis nuptias dirimens exiſtimabat, poſſit validè aut licitè Matrimonium contrahere? Reſpondeo primò, illum reverà voviſſe Caſtitatem: quia tametſi verum ſit, non fuiſſe emiſſurum votum caſtitatis, ſi non eſſe neceſſarium ſciviſſet; tamen de facto omiſit, quia eſſe putabat neceſſarium de facto. Hoc votum ſimplex eſt: & ideò ſubſequens Matrimonium non dirimet, ſed impediet: legem eſſe, aut non eſſe dirimentem, non à privatorum errore pendet, ſed à Legiſlatoris authoritate. [nam, ſi Petrus exiſtimet duos in teſtamento teſtes ſufficere, & duos ſolos adhibeat, erit illud invalidum, quia eius valor non ſumitur ab apprehenſione Petri, ſed à Reipublicæ conſtitutione. Et, ſi Paulus eiuſdem ſit opinionis, ac Petrus, ſed ad maiorem pompam ſeptem advocet, & coram illis ſuum teſtamentum condat, id erit validum, nam habebit ſolennitatem, quam & quantam Politica Iura requirunt] Ita de Philippo contra Ioan. Andr. Ant. Aucarr. Cardin. Imolam, Gaëtam, &c. Leander *diſp.* 17. *quæſt.* 4 *pag.* 294.*a.* & alij Doctores ſtatuunt.

Impedimenta pendent à Iure, & non ab apprehenſione Ordines ſuſcipientium.

Teſtamentū ſi habet ſolennitates à Iure requiſitas erit validum. ſi non habet, non erit validum, ſciat aut neſciat teſtator has vel illas requiri, aut non requiri.

Et gravior quidem eſt, quàm multi putant, difficultas, quæ inquirit, *An, qui per metum gravem Hypodiaconatum ſuſcepit, poſſit validè matrimonium contrahere?* Baſilius *lib.* 7. *de Matr. cap.*29. *num.*3. & validè Ordinem ſuſcepiſſe, & obſervare Caſtitatem debere, & eſſe ad Matrimonij celebrationem incapacem, reſolvit, & exponit his verbis. [Longè probabilius eſt attentis rationum meritis votum continentiæ valere in eo, qui ex metu gravi ordinatur, & inhabilem ad Matrimonium eſſe, licèt dignum, qui cum eo facilè diſpenſetur.] contra eſt Sanchez *lib.7. diſp.*29.*n.*5. triginta & unum Authores pro ſuâ opinione producens:

MMMDCCLXVII. *An Ordo per vim ſuſceptus dirimat nuptias ſubſequētes?*

Vnde habeat metus, quod Contractum dirimat?

producens : Sed ego libenter viderem unum textùm. Et hanc ob rem *Dico* (1) Profeſſio ſolennis per metum gravem extorta, ſtando Iuri Naturæ eſſet valida. *Dico* (2) Nunc eſt invalida, quia metus gravis ex Iure Pontificio illam dirimit. *Dico* (3) ex profeſſione ſolenni ad Majores Ordines non eſt ſecura conſequentia, quia fortè Subdiaconi non obſtringuntur voto, ſed præcepto quam ob rem ſicut non obſtante metu gravj Ordo confertur validè, ſic etiam validè poterit præceptum imponi. Et, ſi Subdiaconi voto non obſtringantur, Iura quæ de Religioſis loquuntur, non agunt de Promotis ad Ordines : & poſſet Eccleſia velle, ut qui per metum vota emiſit, ſiquidem non manet Religioſus, poſſit uxorem ducere : & nolle, ut qui per metum Ordinem Majorem ſuccepit, ſiquidem manet ordinatus, poſſit uxorem ducere : eſſet enim indecens ut unus ſubdiaconus uxorem haberet, ubi cæteri continentiam obſervant. Et quidem hanc ipſam viam, init Malletus, qui *malleat. 56. tract. 18. pag. 579. b. §. ſciendum,* & §. *ſimiliter.*

An aliter de Religioſis, & aliter de his, qui Maioribus Ordinibus ſunt initiati, philoſophandum ſit.

De illo, qui Caſtitatis obſervandæ obligationẽ eſſe annexã Hypodiaconatui ignorabat.

Quærebatur, *An ſervare teneatur Caſtitatem, qui neſciebat hanc obligationem adnexam eſſe maiori Ordini; aut etiam, ſi ſciebat, poſitivam habuit intentionem ſe non obligandi?* R E S P O N D E T V R   A D   P R I M V M ex ratione generali, [eum qui amplectitur aliquem ſtatum, præſumi ſcire & amplecti omnia acceſſoria ad illum ſtatum neceſſaria. Vnde, qui in Ordinibus ſacris ordinatur : cenſetur etiam vovere Caſtitatem, cùm tale votum ſit Ordinationi neceſſariò adnexum, &c. ſicut etiam eſt adnexa obligatio recitandi Divinum officium.] Quam ob rem, ſi id ignoret, non invincibiliter, ſed craſsè ignorat : nam unuſquiſque debet diſcere & interrogare obligationes, quæ munus, quod ſuſcipit aut affectat, afficiunt. *Reſpondetur iterum* ex ratione ſpeciali, falſum eſt enim illum ignorantiam habere, quam prætendit, cùm Pontificem, à quo fuit ordinatus, ſe & alios admonentem audiverit, dicentemque. *Hactenus enim liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcularia vota tranſire : quod, ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, ampliùs non licebit à propoſito reſilire; ſed Deo, cui ſervire regnare eſt, perpetuò famulari, & Caſtitatem, illo adiuvante, ſervare oportebit, atque in Eccleſia miniſterio ſemper eſſe mancipatos. Proinde, dum tempus eſt, cogitate; &, ſi in ſancto propoſito perſeverare placeat, in nomine Domini huc accedite.* Hæc ſunt verba clariſſima, quæ non patiuntur ſiniſtram aliquam interpretationem. Ergo impoſſibile eſt, ut ad Hypodiaconatum promovendi habere poſſint ignorantiam de obſervandæ Caſtitatis obligatione. Audiunt, quæ dicit Pontifex : & tamen accedunt, ergo hic ipſe acceſſus per Pontificis verba præcedentia reſtrictus æquipollet his verbis *Scimus nos eſſe liberos, licereque nobis ad ſæcularia vota tranſire; & ſcimus, ſi hunc Ordinem ſumpſerimus, ampliùs non fore nobis licitum à propoſito reſilire, ſed Deo, cui ſervire regnare eſt, perpetuò famulari; & Caſtitatem, illo adiuvante, ſervare debere; atque in Eccleſia miniſterio ſemper fore mancipatos. Proinde, ſeriò dum tempus habuimus, cogitavimus, & deliberavimus, & quia nobis in ſancto Caſtitatem obſervandi propoſito perſeverare placet, ut ſigno externo internam voluntatem exponamus, in nomine Domini huc accedimus.* Ergo (1) repugnat, quòd Hypodiaconus obſervandæ Caſtitatis obligationem verè ignoret. Ergo (2) repugnat, ut verè aſſerat, ſe obligationem hanc ſignis externis, quæ verborum gerunt vices non acceptaſſe. R E S P O N D E T V R   A D   S E C V N D V M, eum, qui ad Hypodiaconatum fuit promotus, ſi habuiſſe voluntatem poſitivè contrariam dicatur, mentitum fuiſſe Deo, dum ſigno externo fuit contra mentem interiorem loquutus, adeoque ſacrilegium commiſiſſe, non ſecus, ac qui cum intentione non vovendi ſolenniter profiteretur. Et additur, ſi non voto ſaltem præcepto remanere obligatum. Malletus *loc. citat.* [Dicendum eſt, quòd ſi quis, cùm ordinatur, haberet intentionem poſitivam non ſe obligandi ad Caſtitatem, adhuc obligaretur ſervare illam, non quidem ratione voti, cum non habuerit intentionem, ſe obligandi per votum, ſed ratione præcepti poſitivi Eccleſiaſtici, quo præcipitur ordinatis in Ordinibus ſacris ſervare Caſtitatem, & non poſſe contrahere matrimonium.] N O T A illud *non poſſe* : quoniam habentibus votum ſimplex Caſtitatis, *ut non contrahant,* non autem *ut non poſſint* præcipitur : & ideò, quia potentiam retinent, validè, ſed illicitè, contrahunt : verùm enim verò ſolenni voto, aut ſolenni præcepto Caſtitatis obſtrictis non ſolùm *ut non contrahant,* ſed etiam *ut non poſſint*, præcipitur : ac propterea privantur contrahendi potentiâ, & redduntur ad ineundum matrimonium inhabiles. N O T A etiam Hypodiaconum, etſi diceretur voto ſolenni obſtringi, non omninò fore liberum ob poſitivam non vovendi voluntatem; quia, ut ſuperiùs monuimus, ſolennia vota, & Deo, & hominibus promittuntur : [habeo enim ob oculos Franciſcum Sylvium *Reſolutionum variarum part.* 2. & *ex pagin.* 19. colligo, Birgittinos Deo, B. Virgini, B. Auguſtino, S. Birgittæ, Epiſcopo, & Priori Monaſterij ex vi ſolennis Profeſſionis teneri :] At humani contractus verbis externis perficiuntur, & ab actibus internis non dependent,] non enim audiretur, qui tibi equum vendidit, & tradidit, & pecuniam recepit, ſi poſteà diceret, ſe intentionem habuiſſe non vendendi.] Ergo Hypodiaconus, etſi non præcepto, ſed voto teneri dicatur; &, etſi non vovendi poſitivam voluntatem habuerit; quia extrinſecùs votum emiſit, quidquid ſit de Deo, cum Eccleſiâ, quæ de occultis non judicat, de obſervandâ Caſtitate contraxit, & ad illam obſervandam vi contractûs tenetur, & manet incapax, ut poſſit validè matrimonium inire. Et hoc dignentur conſiderare Iudices, in quorũ tribunali cauſæ ſimiles ediſſeruntur.

An poſſibile ſit, ut qui ad Maiores Ordines promovetur, hanc ſe ignoret obligationẽ acceptare?

Accedere ad Epiſcopũ, per eiuſdem Epiſcopi verba reſtrictum, eſt Caſtitatem vovere.

MMMDCCLVII. b.

Profeſſio implicita verbis expreſſis dilucidatur.

Quale peccatum committat, qui animo non vovendi Caſtitatem, ſuſcipit Maiores Ordines?

An maneat ſolenni præcepto ad Caſtitatis obſervantiam obſtrictus?

An inhabilis ad Matrimonium celebrandũ reddatur?

Deo, & hominibus tres illæ Virtutes in ſolenni profeſſione promittuntur.

An à contrahentium voluntate contractuum valor pendeat?

An contractus de obſervandâ Caſtitate inter Ordinatum & Eccleſiam celebratus ſit validus?

MMMDCCLXXVIII. *An opinio contraria admitti poſſit?*

Hinc patet non eſſe audiendos Cajetanum *tom.* 1. *Opuſc. tractat.* 27. Vaſquez *in* 3. *part. diſput.* 247. *num.* 99. Baſilium *libr.* 7. *capit.* 23. *num.* 14. & alios, qui Hypodiaconum, qui habuerit expreſſum non vovendi Caſtitatem animum, ab obligatione obſervandi Caſtitatem excuſant. Non eſſe audiendos aſſero; quia, ut dicebam, ad maiores promoti Ordines obſtringuntur præcepto; & tametſi obſtringerentur voto, id prout concernit homines, ab actibus internis non dependet.

An dari poſſit votum à voventis voluntate independens?

Hinc etiam patet hanc eamdem Concluſionem non bene probari à Leandro *diſput.* 17. *queſtion.* 7. dicente, Ideò Hypodiaconos voto Caſtitatis obſtringi, [quia videlicet votum ſit adnexum Ordini ex conſtitutione Eccleſiæ independenter ab Ordinati voluntate.] At Eccleſia non poteſt facere, dicent Theologi, ut Petrus, quando ipſe non habet voluntatem vovendi. Deo voveat validè Caſtitatem. Ergo non poteſt Eccleſia conſtituere, ut Caſtitatis votum Majoribus Ordinibus adnexum ſit, independenter ab Ordinati voluntate.

Quid Leander ſentiat de ſententiâ contrariâ?

Accedit, quod Leander ubi magis à Cajetano, Vaſquez, Baſilio abeſſe vult, eorum ſententiam amplectitur, inquit enim. *Probabilius reſpondeo teneri.* Ergo probabiliter reſpondet *non teneri.*

Quid Comparatio importet?

Hoc enim importat illud Comparativum. Igitur, quia non eſſet Ordinum Majorum puritati ſufficienter proviſum, ſi relinqueretur via, per quam Hypodiaconi ab obligatione obſervandi Caſtitatem poſſint probabiliter eximi, præſtat omninò dicere ſolenne præceptum Maioribus Ordinibus adnexum eſſe, nam præceptis ſemel ab Eccleſiâ acceptatis Summus Pontifex particulares ſingulos, etiam renitentes, obſtringit.

Leges à Cõmunitate acceptata, ſingulos, etiam invitos, obligãt.

MMMDCCLXXIX. *Huic Impedimento adnectitur. excommunicatio.*

Religioſi & Moniales necnon initiati Maioribus Ordinibus, ſi Matrimonium contrahant, excommunicationem incurrunt. Conſtat *ex Clement. unic. de conſanguinit. & affinit.* in quâ hæc verba leguntur. *Eos, qui Divino timore poſtpoſito ſcienter in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis conſtitutione Canonicâ interdictis, vel cum Monialibus contrahere non verentur; necnon Religioſos, Moniales, ac Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos Matrimonium contrahentes, ipſos Excommunicationis ſententia ipſo facto decernimus ſubiacere.*

De cenſuris & legibus, quæ ponerẽtur, an obligent?

Circa Cenſuras aut etiam Leges in communi & hanc in particulari *adnotato*, *Primo*, neminem innodari aut Cenſurâ, quæ poneretur, aut lege, quæ ferretur, ſi talis aut talis circumſtantia interveniſſet: quoniam Cenſuris tatùmmodo, quæ ſunt poſitæ; & legibus tantùm, quæ ſunt latæ, homines obſtringuntur. Quam ob rem, Canoniſtæ & Legiſtæ in ſuis Conſiliis & Reſolutionibus, non debent examinare, quid decreviſſet Pontifex, aut injunxiſſet Imperator, ſi talia aut talia illi fuiſſent ſuggeſta; ſed quid decrevit aut injunxit. Attende. Ignis, qui fuiſſet accenſus, te non calefacit: cibus, quem comediſſes, te non nutrit: aqua, quam bibiſſes ſitim tuam non ſedat: &, ut ad Moralia veniam, Pontifices & Imperatores, qui fuiſſent electi, hodie non imperant: Ergo nec legibus, quæ fuiſſent, ſed quæ ſunt, obedire debemus.

Sicut de legibus, ſic etiam de perſonis ſtatuendum eſt.

Adnotato ſecundò, ſicut de Legiſlatoribus & legibus, ſic de perſonis quibus illæ imponuntur, eſſe philoſophandum. Pontifex, qui fuiſſet electus, ut dicebam, non eſt Chriſti Vicarius, ſed qui de facto electus fuit. Hic, & non ille mihi præcepta imponit: huic, & non illi obedio. Et in eius præceptis, quæ impoſita; & non quæ imponerentur, obſervo. Ergo, quando quæritur, quinam illi ſint, qui præceptum obſervare tenentur, videndum eſt, quibus illud impoſitum ſit, & non quibus imponeretur.

Piratæ, non dicuntur, qui in fluviis furantur.

Nam, ſi verbi gratiâ, Petrus Rheni infeſtaret littora, ſpoliaret naves, & peteret, an Bullæ cænæ excommunicationem incurriſſet, Ego recognoſcerem literam, & ex illâ, & non à ratione paritatis ſumerem Reſolutionem. Sic inquam. Quarta illa excommunicatio, contra piratas, ſeu latrones maritimos diſcurrentes per mare fulminatur.

Maris nomine non intelliguntur flumina.

At qui flumina infeſtant, nec piratæ, nec maritimi latrones ſunt. Illos igitur hæc excommunicatio non concernit. Ita Leander *de Cenſur. tractat.* 3. *diſputat.* 4. *quaſtion.* 7. *pag.* 278. *a.* inquit enim [ſi reverà ſunt latrunculi fluminales, non incidunt, niſi prædentur in mari. Reginaldus *libr.* 9. *num.* 166. Duardus *can.* 3. *quaſtion.* 9. & 10. Bonacina *quaſtion.* 4. *punct.* 1. *num.* 9. & alij] Si aſſeras mentem Pontificis fuiſſe omnes latrones excommunicare, qui prædantur in aquâ, te lynceum eſſe dicam, & me *maris* nomine intelligere *mare*, & non *fluvios.* His præmiſſis hæc Excommunicatio, de quâ agebamus, facilè intelligetur.

MMMDCCLXXX. *Qualis ſit hac excommunicatio?*

Dico itaque (1) hanc excommunicationem eſſe latæ ſententiæ, incurri ipſo facto, & à ſententiâ Iudicis non dependere. *Dico* (2) eam reſervatam non eſſe: non enim reſervata cenſenda eſt Cenſura, niſi expreſsè eam eſſe reſervatam, & cui ſit reſervata, exponatur.

An comprehendat fœminas?

Dico (3) in illâ fœminas ſœculares, quæ Eccleſiaſticis nubunt non comprehendi. Ita Leander *part.* 2. *tract.* 9. *diſput.* 17. *quaſtion.* 8. *pag.* 294. *b.* dicens. [Circa quam Excommunicationem notandum eſt, &c. ſolùm comprehendi eos, de quibus expreſsè ſit mentio. Vnde fœminam contrahentem cum Clerico vel Monacho etiam ſcienter, dummodò illa profeſſa non ſit, non attingit, Sic expreſsè Baſilius *lib.* 7. *cap.* 28. *num.* 2. Sanchez *libr.* 7. *diſput.* 48. *num.* 1. & 2. Bonacina *quaſt.* 3. *de impediment. punct.* 9. *num.* 17. & omnes communiter.]

In legibus argumentũ à ratione paritatis nõ valet.

Sed ais. Eadem eſt ratio, ob quam laicus non poteſt ducere Sanctimonialem, ac illa, ob quam laica non poteſt nubere Religioſo: Ergo Pontifex, ſi advertiſſet, etiam fœminas expreſſiſſet, &c. Reſpondeo, me nec ſcire, nec examinare velle, quid Pontifex feciſſet, ſed quid fecit. Quid ſcio, an datâ hypotheſi, in hac ille

excommuni

Digitized by Google

excommunicatione fœminas laicas comprehendiſſet ? ſufficit enim mihi ſcire, eum de facto illas non comprehendiſſe. Vide, quæ inferiùs in expoſitione Impedimenti XIII. §. *vlt.* ponentur. *Dico* (4) *Religioſorum*, & *Monialium* in Clementinâ nomine intelligi ſolenniter profeſſos, vnde profeſſi invalidè, (vel quia non habuerunt convenientem Ætatem, vel quia novitiatus annum non expleverunt: vel quia vota emiſerunt in Religione, quæ non erat ab Eccleſiâ approbata, aut cum animo non vovendi, aut cum quacumque aliâ circunſtantiâ profeſſionem dirimente) huic Excommunicationi non ſubiacent. Idem dicito de Clericis ad Ordines Maiores promotis; nam, qui invalidè ordinatus eſt vndequaque provenerit, quod invalidè ordinatus ſit, etſi ducat vxorem, non eſt obnoxius huic cenſuræ. *Dico* (5) Matrimonium contrahentes hac Conſtitutione excommunicati: non ergo ſponſalia contrahentes, nec ſponſam poſteà animo maritali cognoſcentes, nam hæc omnia non ſunt matrimonium contrahere. Ita Baſilius, Sanchez, Leander, & Bonacina, quos citavi.

An invalidè profeſſi Religioſorum nomine intelligantur?

De ordinatis invalidè.

An excommunicentur, qui contrahunt ſponſalia?

IMPEDIMENTVM IX.
Ligamen.

MMMDCCLXXI.

An bigamia ſit licita?

Ligaminis impedimentum, eſt, quod naſcitur ex priori matrimonio, nec enim vir vivente primâ vxore poteſt validè, aut licitè ſecundam ducere; nec fœmina vivente priori marito poteſt validè, aut licitè, alij nubere. Eſt inter Chriſtianos certiſſima, & tenenda de Fide, quoniam eſt definita in Tridentino Concilio *ſeſſ.* 24. *de Matrim. can.* 2. his verbis *ſi quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege Divinâ eſſe prohibitum, anathema ſit?* & ſic etiam olim definierat Innocentius III. *in cap. Gaudemus. de divort.* Vide Magiſtrum *in* 4. *diſt.* 28. & cum ipſo Scholaſticos: ſed præcipuè Baſilium de Leone *lib.* 7. *de Matrim. cap.* 47. Sanchezium *lib. etiam* 7. *diſp.* 80. Bellarminum *lib. de Matr. cap.* 10. Palaum *diſp.* 3. *punct.* 1. *n.* 2 Baunium *tract.* 12. *quæſt.* 13.

Quid ſit tenendum de Fide?

Nota illud verbum *Chriſtiani*. Et ne cogita, illo vti Sanctos Concilij Tridentini Patres, vt Chriſtianos ab aliquâ Regulâ generali excipiant, quaſi Polygamia omnibus Achriſtianis liceat, & ſolis Chriſtianis non liceat: ſed ſcias ipſos de Chriſtianis ſpecialiter loqui, & ab aliis præſcindere. Et occaſio, ob quam hunc Canonem ferre debuerint, non fuit Mahometus, cuius immunda ſecta ſuo ipſo pondere corruit, & tam eſt exſecrabilis, vt impugnatione non indigeat. Sed neque propter Iudæos fuit ille latus; nam etiamnum diſputant Theologi, an illis poſſint permitti plures habere vxores. [Immò ex meis Adverſariis hæc ſcribo. Illuſtriſſimus D. Ioſephus Ciantes Marſicenſium Epiſcopus, Sabaudiæ Ducem ex Gregorij Papæ conſcientiâ & conſenſu aliquibus Iudæis, vt haberent plures vxores indulſiſſe, aſſerebat: addebatque Vrbanum

Non excipit, ſed præſcindit Concilium.

An Mahometus huic Canoni occaſionem præbuerit?

An ſaltem Iudæi?

VIII. Salomoni Toſano permiſiſſe vt duas, ſed in diverſis oppidis, vxores duceret. Interrogavi Romæ nonnullos eruditos Iudæos: & reſponderunt, eſſe omnia vera.] Prætereà, neque hic Concilij Tridentini Canon latus fuit propter Anabaptiſtas, qui Matrimonia neſciunt: non enim dicendi ſunt plures habere vxores, qui nullas habent, ſed vtuntur fœminis in communi. Sed latus eſt contra novos errores Martini Lutheri, cui ſummopere placebat Valentiniani Imperatoris, aliàs Orthodoxi, temeritas, qui Iuſtinæ obcæcatus amore, & tamen ſeveræ, adhuc vivæ obligatus, vt vtrâque frui poſſet, legem tulit, quæ duas vxores vniverſis concederet.

An Anabaptiſtæ ſint polygamii?

Temeritas Valentiniani Imperatoris.

MMMDCCLXXII.

Quo iure illicita ſit Polygamia?

Nota etiam illa verba *nulla lege Divina*. Et infer *aliquâ lege Divinâ eſſe prohibitam Polygamiam*: & interroga, *Quæ fuerit iſta lex? An Sacramentalis inſtituta à Chriſto? an verò prolata à Deo, cùm Adamum & Evam matrimonio devinxit?* quod eſt quærere, *An hæc Divina lex, quæ inhibet Polygamiam, concernat Chriſtianos tantummodò: an verò omnes homines, etiam non baptizatos, obliget?* Et interrogas tandem, *An præſcindendo à lege Divina poſitiva Polygamia ſit illicita ex natura rei?* Vbi tibi reſpondeam, ſic inquam. *Lamech Caini abnepos* (*errant, qui filium Mathuſalæ accipiunt, etſi eodem viguerit ſæculo*) *bigamiam introduxit, nam primus duas vxores habuiſſe notatur*, Geneſ. 4. *quaſi ſex primis generationibus prima inſtitutio & lex matrimonij ſiue monogamia in paradiſo lata, à nullo violata fuerit, etiam in hominum tanta paucitate.* Genebr. ad ann. 621. Occiderat Cainum Lamech, (ſic ſupponunt Hebræi) *Cuius cauſa, cùm vxores ipſi nollent reddere debitum coniugij, apud Adamum adhuc viventem dicitur conqueſtus.* Ita Rab Iſaac.

Primus bigamus in orbe, quis?

An vxores ſuas Lamech coram Adamo accuſaverit?

Hìc multa conſideranda occurrunt. Primum, An hæc conſequentia ſit evidens. *Deus vnicam ex Adami latere deduxit fœminam, & hanc vnicam illi in vxorem dedit, ergo polygamiam interdixit?* Sanè antecedens, niſi aliquid aliud accedat, conſequentiam neceſſariò non infert. Interim in ipſâmet Matrimonij inſtitutione interdici polygamiam multi docent. Portò, ſi Lamech Mathuſalæ filius dicatur, debuit & potuit Adam nuptias ſecundas interdicere, ſi has divinitùs interdictas noverat: nam filij Sethi iure & facto obediebant Adamo. Si autem Lamech, primus bigamus, de quo loquimur, filius fuerat Metuſaëlis & Caini abnepos (nam Caini linea ita defluxit: Adam, Cain, Henoch, Irad, Mahoiaël, Methuſaël, Lamech, Tubal. Cain, cum fratribus Iabel & Iubal) cùm in Caini poſteros iure quidem, non autem facto poteſtatem haberet (erant enim rebelles, & hæretici) potuit in ſecundis nuptiis diſſimulare, quia *vana eſt ſine viribus ira.* Cæterùm, quando Lamech in eius tribunali comparuit, (ſi comparuit) ſi polygamia erat divinitùs interdicta, ius debuit dicere, & ſub diſtinctione reſolvere; primam quidem vxorem, non obſtante parricidio ſolvere debere debitum:

An Polygamia ſit à lege naturali interdicta?

Qualem & quantam Adamus poteſtatem in nepotes habuerit?

Quid debuerit Adam per ſententiam reſolvere?

Digitized by Google

ſecundam verò Lamecho nihil omninò deberè, ſed ut adulteram eſſe dimittendam omnino.

Iſaac monogamus.

Sed quomodo Veteres Patres multas habuerunt uxores, aut etiam concubinas? Iſaac unicâ uxore fuit contentus. Ad annum Mundi 2109. Genebrardus. *Puriſſima vita* (fuit Iſaac) *adeò ut legem monogamiæ in paradiſo ſancitam nunquam violarit. Forma Chriſti; qui polygamiam Synagoga ſuſtulit,& monogamiam antiquam retulit.* Sed cur Iacob quatuor, uxores habuit, & aliqui Reges ſexcentas? Hæc Quæſtio poſtulat, diligentiam cum eruditione conjunctam. Habuerunt plures uxores Lamech, Abraham, Iacob, Moyſes, David, Salomon, &c. & ideò hæc Quæſtio à Sacræ ſcripturæ Interpretibus diverſis in locis tractatur; nobis autem in Lamecho, primo bigamo, occurrit, & ideò hîc illam breviter ediſſeremus. Attende.

An, & cur Patriarchæ veteres plures habuerint uxores?

MMMDCCLXXXIII.

Malitia Philoſophica à Theologicâ diſtingui debet.

ANte Reſolutionem aliqua præmittenda ſunt. Sine quibus Veritas non poterit inveniri.

Dico primò. *Malitia eſt duplex, Philoſophica & Theologica.* Illa eſt indecentia quædam naturalis, quæ tamen non eſt peccatum, & invenitur ante omne præceptum. Hæc autem Divinam legem præſupponit,& ſine illâ nec eſſe nec intelligi poteſt. Dices, mepluries hanc doctrinam poſuiſſe: & reſpondeo, me acturum tibi gratias, ſi pluries poſitam, in memoriâ retinere volueris. Quoniam ex hac doctrinâ patet nihil eſſe Theologicè malum, quod non ſit lege Divinâ prohibitum: ubi enim non eſt lex, non eſt prævaricatio, teſte Apoſtolo: & Humana præcepta ideò Theologicè obligant, quia Deus jubet, ut Præpoſitis obtemperemus, unde, ſi Deus hoc non præciperet, Civiles leges humanitus obligarent, non divinitùs. Et hîc eſt ſumma omnium Scholarum (Thomiſticæ, Scoticæ, & Nominalis) concordia.

Cur humanæ leges obligent in conſcientiâ?

Dico ſecundò. *Aliud eſt, rem eſſe malam neceſſariò, & aliud eſſe malam ex naturâ rei.* Sunt mala ex naturâ rei, quæ ab intrinſecis ſuis prædicatis malitiam habent ab omni lege independentem: talia ſunt, quæ Philoſophicè mala dicuntur: quæ etiam neceſſariò ſunt mala, nullâ enim viâ aut modo poteſt fieri, ut quæ ſunt Philoſophicè mala, non ſint Philoſophicè mala. At verò, quæ ſunt contra ſecundam Decalogi Tabulam exempli gratiâ, non habent malitiam Theologicam ex naturâ rei; non enim intelliguntur mala præſcindendo à præcepto, ita enim S. Thomas, Scotus, & Ochamus nos docent: at eadem ſunt nihilominus neceſſariò mala S. Thomâ aſſerente, quia neceſſariò interdicuntur, & non poſſunt à Deo non interdici: at eadem non ſunt neceſſariò mala, Scoti & Ochami ſententiâ, quia potuit illa Deus non interdicere, & modò poteſt in illis diſpenſare. Præterea, Neceſſitas alia eſt quoad Deum, alia quoad nos: nam malitia fornicationis, non eſt neceſſaria quoad Deum, qui poteſt in ſexto Decalogi præcepto diſpenſare: eſt autem neceſſaria quoad nos, qui in illo diſpenſare non poſſumus.

An, & quomodo differant Malitia neceſſaria & intrinſeca?

Alia ſunt neceſſaria quoad Deũ, & alia quoad nos.

Dico tertiò. *Polygamia non habet malitiam Theologicam ex natura rei.* Patet quia ex hac Propoſitione, *Polygamia non eſt mala Theologicè*, non ſequuntur duæ contradictoriæ ſimul veræ. Ægidius Coninck, *de Sacrament. diſput.26. dub.2. pag.751.a.* ſic inſit. [Nota aliquid poſſe tripliciter dici contra Ius Naturæ. Primò, quòd ſecundum ſe intrinſecè prout eſt actus quodammodo phyſicus talis ſpeciei, includit aliquam malitiam, ſaltem objectivam, Iuri Naturæ repugnantem, quale eſt odium Dei, libido contra naturam, & ſimilia. Tale quid autem Deus non aliter poteſt efficere licitum, quam immutando rerum eſſentias, quod fieri nequit. Secundò, quod ſecundum naturalem ſpeciem non ita repugnat abſolutè Iuri Naturæ, quin ſæpe licitum fieri poſſit: tamen quando repugnat ratione alicuius adjuncti, quod Iuri Naturæ repugnat. Sic furtum eſt contra Ius Naturæ; quia continet injuriam erga Dominum rei; qui ſi alteri det veniam, eam ſibi uſurpandi, hic ponet actionem ſecundum eſſe phyſicum ejuſdem rationis cum eâ, quam fur facit, & tamen licitam.] Volui citare Ægidium: quia, cùm non diſtinguat Moralitates Theologicas à Philoſophicis, nec putet poſſe Deum in Iure Naturæ diſpenſare, debebit de Polygamiâ & Mattimonij ſolutione ſtrictiſſime loqui: & tamen præmiſſis conſonando *numer. 19. concluſ. 1.* ſic inquit. [Diſſolutio vinculi Matrimonij etiam conſummati, vel Polygamia plurium uxorum, non ſunt contra Ius Naturæ primo modo ex dictis.]

An, & qualiter Polygamia malitia ſit neceſſaria?

Res contra Ius Naturæ eſſe poteſt trifariam.

De odio Dei. De peccatis cõtra naturam.

De furto

An poſſit Deus in Iure Naturæ diſpenſare?

De repudio. De polygamiâ.

Dico quartò. *Polygamia non habet malitiam Theologicam neceſſariam.* Patet; quia in illâ poteſt Deus diſpenſare: & hoc etiam in illorum ſententiâ, quæ negat Deum poſſe diſpenſare in Decalogo. Vnus ex iſtis eſt Coninck, apud quem tam parum neceſſaria omnia ſunt, quæ in Matrimonio reperiuntur, ut præſcindendo à præcepto Divino, Maneant liberrima quoad nos: & poſito præcepto, quæ nobis ſiunt neceſſaria, Deo manent libera. Sic habet *numer. 25. concl. 2.* [Spectata præciſè naturâ Matrimonij, præſcindendo ab Inſtitutione Divinâ, ex ſolâ Scripturâ cognitâ, nullo modo probari poteſt, invalidè utriuſque conſenſu matrimonium ſolvi: aut plures uxores ab eodem duci.]

An matrimonium diſſolvere, aut plures ſimul uxores ducere, ſit contra Ius Naturæ?

MMMDCCLXXXIV.

Cur matrimonium inſtitutum ſit?

Hæc dicta ſint de rebus abſolutè conſideratis. Progredior igitur, & tranſeo ad inſtitutionem Matrimonij & ſupponendo cum antiquis illud ad procurationem prolis fuiſſe inſtitutum: nam alij fines ab Auguſtino & Patribus communiter reprobantur, progredior, & hanc materiam accuratiùs ediſſero. Audi Antonium Cotonium *in ſumma verb. Matrimonium, num. 16.* probabiliſſimè dicentem. [Cauſa finalis Matrimonij eſt multiplex. Nam Matrimonium primò & principaliter inſtitutum eſt in propagationem ſpeciei: ſecundò in conſervationem individuorum: Tertiò in remedium concupi

Qui fines Matrimonij ſint?

Digitized by Google

concupiſcentiæ : Quartò in commoditatem obſequij utriuſque ad invicem. Vnde conſummantes Matrimonium cauſâ captandæ voluptatis, conſervandæ valetudinis, aut vitandæ fornicationis, non peccant venialiter. Nec peccant venialiter contrahentes ob pecuniam vel divitias. Ita Poncius *lib.* 1. *cap.* 21. *à num.*6. & Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.*216. 218.& 219.] Hac doctrinâ præmiſsâ.

De peccatis contra naturam.

Dico quintò. *Infandum crimen, & quacumque ſeminis deciſio, extra vas, nam ex ipsâ ſequi generatio non poteſt? Eſt contra naturam: nempe, ad procreationem prolis per Matrimonium ordinatam.* Hoc ſenſu communiter loquimur cum hujuſmodi ſordes eſſe contra naturam dicimus: hoc & ſenſu loquutus eſt ſenex ille, qui *judic. cap.*19. ut revocaret Gabaonitas à ſcelere peſſimo exclamabat, *Habeo filiam juvenem, & hic homo habet concubinam; adducam eas ad vos, vt humilietis eas, & veſtram libidinem compleatis: tantùm obſecro, ne ſcelus hoc operemini in virum.* Ecce crimen infandum *contra naturam* dicitur & meritò: nam opponitur primario fini Matrimonij.

De vago concubitu, ſeu fornicatione.

Dico ſextò. *Vagus concubitus, ſi finem operis conſideremus, non eſt contra naturam: ſi finem operantis, eſt contra naturam quoad modum.* Probatur prior concluſionis pars: quia ex vago concubitu naſcitur proles. Probatur poſterior; nam, qui fornicatur, voluptatem & delectationem, non autem ſobolis procreationem intendit; immò, vt plurimum non habere prolem deſiderat; & ideò invertit ordinem inſtitutionis. Accedit, quòd ex fornicatione abſurda & inconvenientia ſuboriantur: & præcipuè, quod ſoboles malè naſcatur, utpote vix benè educanda. Vnde ſanctiſſimè legiſlator omnipotens generi humano proſpexit, quando in ſexto Decalogi præcepto omnes ſordes extra matrimoniales interdixit.

De polygamiâ.

Dico ſeptimò. *Polygamia* (1) *non opponitur primario Matrimonij fini: ſed tertio, & quarto.* (2) *Fuit interdicta à Deo in Paradiſo* (3) *Potuit in illâ Deus diſpenſare, & poſt diluvium de facto diſpenſavit.*

MMMDCCLXXV.

Quibuſnam matrimonij finibus opponatur?

Suadetur prima pars. Nam, quando fœmina eſt gravida, aut ægrota niſi vir alteram habeat uxorem, non poteſt humanum genus creſcere & multiplicari: ergo Polygamia prolium procreationi, quæ eſt primarius Matrimonij finis, non opponitur. * Opponi autem tertio demonſtratur, quia, ſi Matrimonium conceſſum eſt in concupiſcentiæ remedium, quod remedium habere poterit illa uxor, cujus maritus inter plures dividitur? caret verè hoc remedio & periculo incontinentiæ ſubjacet. * Opponi etiam quarto ſuadetur, impoſſibile eſt enim, ut plures uxores ſine rixis convivant, ergo non erunt marito obſequioſæ, ſed moleſtæ. Quies igitur domeſtica poſtulat, ut unicam vir uxorem habeat.

An polygamia ſit interdicta?

Secundam partem ſupponunt communiter Theologi, & nos illis hærendo ſupponamus. Illam probat Pererius *in Geneſ. cap.* 29. *verſ.* 25. *diſp.* 6. *num.*32. *in fin.* dicens. *Namque hoc modo Deus ab initio inſtituit Matrimonium, uni Adam unicam tantum fœminam Evam dans in matrimonium: cùm tamen maximè tunc neceſſaria videretur polygamia, propagandi humani generis gratiâ.* Hæc ratio convincit probabiliter: ſed debet aliquid addi, ut concludat efficaciter & manifeſtè.

An, & quando Deus in polygamiâ diſpenſaverit?

Tertiam partem probat idem Pererius *loc. cit.* ſubdens. *Hic modus* (monogamiæ) *diſpenſabilis eſt. Eam verò diſpenſationem primùm factam eſſe poſt diluvium Noë, pro eius poſteris, oſtendimus* in 3. tom. ſuper capite 16. numer. 17. Leander autem part. 2. tract. 9. diſp. 18. quæſt.6. pag. 297. 2. non incipit à Noâ, ſed ab Abrahamo: inquit enim, [Primò diſpenſatio (ut videlicet plures uxores haberent) facta fuit Abrahæ, & aliis Patriarchis expreſsè, deinde ad alios, ex populo ſaltem Iſraelitico, verbo & exemplo derivata, ac proinde omnibus illis pluralitas uxorum licebat, ut habetur & ſupponitur *Deuteron.* 20. dum dicitur, *ſi habuerit homo duas uxores.* Et docent. Innoc. III. *in cap. gaudemus de divortiis, ut quæſt.*3. eſt habitum D. Thom. Durand. Sotus, Valentia, quos citat & ſequitur Sanchez *loc. cit. num.*13. Baſilius *loc. cit* Bonac. *loc. cit. num.* 3. Hurtado *diſp.* 9. *diff.* 2. Archangel. *diſt.* 33. Ægid. *diſp* 26. *dub.*2. *numer.*20. Reginald. *lib.*31. *num.*4. Villalobos *loc. cit. num.*4. Quia quamvis Iure Naturæ prohibitum ſit, ſimul habere plures uxores, hoc tamen jus, cùm tantùm ſit ſecundarium Naturæ, optimè poteſt Deus in illo diſpenſare, ut optimè probant Authores citati, præcipuè Hurtadus & Archangelus. Et ita diſpenſavit cum Hebræis, imò & cum aliis Gentibus. Quæ tamen diſpenſatio caſſata, & revocata fuit à Chriſto Domino. *Matth.* 19. ubi reduxit matrimonium ad primævum ſtatum, in quo vna tantum vxor licebat lege Palaum *tom.* 5. *diſput.*3. *punct.* 2. & Bauniun *quaſt.*13. *de matrim. dicto* 5.]

An Iudæis licuerit plures habere uxores?

An Chriſtus polygamiâ abſtulerit, & Matrimonium ad monogamiam veterē revocaverit?

Et cur, quæſo, poſt diluvium diſpenſavit? Nam major ratio videbatur ſub initium diſpenſationem poſtulare: olim enim duabus tantùm perſonis (Adamo & Evæ) dixerat Deus, *Creſcite & multiplicamini*; poſt diluvium autem octo perſonis (videlicet Noæ, & filiis ejus, & eorumdem uxoribus) & quidem faciliùs uberiùſque poterant octo, quàm duo humanam ſpeciem propagare.

Cur poſt diluvium Deus, & nō ante in polygamiâ diſpenſaverit?

Reſpondeo in actibus Divinæ voluntatis liberis fruſtra quæri neceſſariam rationem, nam libertati adverſatur neceſſitas. Deus eſt ſupremus Dominus, & jubet quæ vult, quando vult, & quibus vult, ut magis ſua gloria eluceat, & exerceatur hominum obedientia. Quidquid de cauſâ diſpenſationis ſit, Deum diſpenſaſſe certum eſt. Audi Hieronymum, qui in epiſt. 83. Oceano inſcriptâ, inter alia ſic ait. *Sciebat Paulus lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum familiare fuiſſe populo Hebræorum noverat, in multis uxoribus liberos ſpargere: ipſiſque Sacerdotibus huius licentia patebat arbitrium.*

An ſit in actibus liberis quærēda ratio?

MMMDCCLXXVI.

An plures ducendo uxores veteres Patriarchæ peccaverint?

Hinc patet Fauſtum Manichæum temerè Patriarchas veteres incriminari; nam, ſicut Polygamia interdicente Deo ſcelus eſt, illo permittente vitio caret. Audiendus eſt S. Auguſtinus *lib.22. contra Fauſtum, cap. 47.* qui objectionem diluit, & cur tunc Polygamia licuerit, quæ modo non licet, luculenter oſtendit. *Quando mos erat*, inquit, *crimen non erat: & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod obicitur ſancto viro Iacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſâ illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore, & in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nullâ lege prohibebatur. Nunc verò, cur crimen eſt, ſi quis hoc faciat, niſi quia & moribus & legibus non licet? Quæ duo quiſquis contempſerit, etiamſi cauſa generandi tantummodò uti poſſit pluribus fœminis, peccat tamen & ipſam violat humanam ſocietatem, cui neceſſaria eſt procreatio liberorum.*

Quæ fuerit Auguſtini ſententia?

An jus à juſtitiâ dicatur?

Vt hanc Auguſtini periodum intelligas, ſcire debes, illum in Iuriſprudentiæ libris fuiſſe verſatum. Vlpianus, qui ab anno 234. in Imperatoris Alexandri, Mammeæ filij, palatio florebat, ius à juſtitiâ more Philoſophico duxit: & inde ad Iuris diviſionem tranſivit. Conſonuit Ciceroni, apud quem *lib. 3. de Republ.* Scipio jus è juſtitiæ fontibus dimanare pronunciat: quem locum *lib.15. de Civit. Dei.* Auguſtinus adlegat. Ius ergo in Naturale, Gentium, & Humanum diſpeſcitur. Primum oritur à natura, & reperitur in Decalogo; ſecundum à populorum moribus; Tertium à præceptis poſitivis, divinitùs, humanitúſve ſuperadditis. Pronunciat igitur Auguſtinus ævo Patriarcharum Polygamiam, nec natura (naturali jure) nec moribus (jure gentium) nec præcepto (poſitivo Dei aut hominum) fuiſſe interdictam: addit interdictam nunc eſſe; non quidem natura (iure naturali) ſed moribus (gentium jure prout nunc eſt) & legibus (nimirùm, Divina, & humana.) Cùm ergo Sanctus Doctor non recurrat ad diſpenſationem, ſed rotundè neget Polygamiam naturæ (videlicet, legi naturali) adverſari, non videtur ſentire in Matrimonij inſtitutione poſuiſſe Deum præceptum de monogamia.

Iuris Diviſio.

An ante diluvium de monogamiâ præceptum fuerit?

Firmant hoc ea, quæ *lib. 3. de doctrin. Chriſt. cap. 12.* aſſerit: inquit enim. *Sufficiendæ prolis cauſa, erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum inculpabilis conſuetudo. In huiuſmodi autem uxoribus quidquid illorum temporum ſancti viri non libidinosè faciebant, quamuis ea facerent, quæ hoc tempore niſi per libidinem fieri non poſſunt, non culpat ſcriptura: Sicut enim talares & manicatas tunicas habere, apud Romanos veteres flagitium erat: nunc autem honeſto loco natis non eas habere flagitioſum eſt: Sic animadvertendum eſt, in cætero quoque uſu rerum abeſſe oportere libidinem, quæ non ſolum ipſa eorum inter quos vivit conſuetudine nequiter abutatur, ſed etiam ſæpè fines eius tranſgreſſa, fœditatem ſuam, quæ intra clauſtra ſolennium morum latitabat, flagitioſa eruptione manifeſtat.* [Et antequam his verbis utar, illa benè intelligere deſiderarem. Vellem enim doceri, quid importat illud ſyncategorema *libidinosè*; nam, ſi veteres Patriarchæ cum libidine quidem, ſed non propter libidinem uxores cognoviſſe dicantur, hoc tempore etiam id fieri poteſt: ſi autem voluit dicere illos ſine libidine cognoviſſe uxores, dicet aliquid, quod non poſſit omnibus perſuadêre. Aliquid, quod nunquam audivit Lactantius, qui *lib. de opific. cap.12.* ſic inquit. *Illud verò ipſum, quàm mirabile inſtitutum Dei eſt, quod ad conſervationem generum ſingulorum duos ſexus, maris ac fœminæ machinatus eſt, quibus inter ſe per voluptatis illecebras copulatis ſucceſſiva ſoboles pararetur, ne omne genus viventium conditio mortalitatis extingueret.* Quæ verba *tom. 2. in Phyſica ſect. 3. lib. 4. cap. 2. pag. 268. a.* Petrus Gaſſendus adduxit, & illuſtrauit hoc Scholio. *Videntur divinum eſſe inſtitutum ſubodorati, qui primi ex Veteribus Deam fecere Venerem: quippe nihil aliud intelligentes, quàm partem illam Providentiæ, quæ ab uſque initio propagationi animantium præeſt. Talem certò Plato & alij intellexiſſe prorſus videntur,* &c.] Sed ad rem veniamus. Ecce non ſentiebat Sanctus Pater, cùm has lineas ſcripſit, Polygamiam eſſe interdictam jure naturæ, ut conſtat de exemplo, quo utitur: agit enim de uxoribus ſicut de veſtibus, quæ olim vetitæ, nunc vero indictæ. Patet ex Gellio *lib. 7. cap. 12.* qui exponens veteris Romæ mores verbis S. Auguſtini erit luci. *Tunicis, inquit, uti virum prolixis, ultra brachia, & uſque in primores manus ac prope in digitos, Romæ atque omni in latio indecorum fuit: Solis namque fœminis veſtem longè latéque diffuſam non indecoram exiſtimaverunt, ſed ulnas cruráque adverſus oculos protegenda. Viri autem Romani, primò quidem ſine tunicis, toga ſola amicti fuerunt; poſteà ſubſtrictas & breves tunicas citra humerum decidentes habuerunt, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας.*

An Patriarchæ veteres ſine voluptate cognoverint uxores ſuas?

Aliud eſt ſine libidine, & aliud non propter libidinem uxorē tangere.

Ipſam actui Venerei libidinē Deus ad generationem hominum propagationem ordinavit.

Plato & alij Philoſophi Deæ Veneris nomine Divinam erga generationē animalium intellexere providētiā.

An habere unicam, vel plures uxores, ſit res accidentaria?

Quaſnam veſtes Græci ἐξωμίδας nominent?

Expoſui, quo Sanctus Auguſtinus modo de uxorum pluralitate diſcurrit. Videtur judicare monogamiam non eſſe de eſſentia Matrimonij ut ſic, ſecundum naturam ſuam conſiderati, ſed de eſſentia talis Matrimonij, quale Deus in Paradiſo inſtituit. Et quidem, non peccaſſe Sanctos Patriarchas ineundo matrimonium cum pluribus: quia illud tunc nec contra naturam, nec contra mores, nec contra præceptum. Et unde colligit Sanctus Doctor non fuiſſe contra naturam? Quia non erat contra mores. Nam in illis vicinis populis multi erant viri prudentes, multi probi, multi pij, & tamen Polygamia erat in uſu, & à nemine reprehendebatur: Ergo, aut non erat, aut ignota prorſus erat naturalis Polygamiæ interdictio. Et unde colligit Hipponenſis Antiſtes non fuiſſe tunc ullum præceptum? Quia de legis eſſentia eſt promulgatio, intimatio, notitia. At nec ipſi, nec vicini populi talis præcepti habebant ullam notitiam. Ergo illud abſolutè non erat: aut ſaltem, quoad ipſos non erat.

MMMDCCLXXVI. b.

An lex de monogamiâ ſit eſſentialis matrimonio?

Polygamiæ interdictio Patriarcharum tempore paſſim ignorabatur.

An promulgatio & intimatio ſint de legum eſſentiâ?

Vt

Præcepti diviſio.

Vt id meliùs intelligas, ſcias præceptum dividi in *præceptum quoad ſe*, & *præceptum quoad nos*. Dicitur *quoad ſe*, quando habet omnia intrinſeca quæ ſunt ex parte ſuperioris neceſſaria, vt obliget: & dicitur *quoad nos*, quando etiam ex parte noſtra ſunt poſita, quæ, ut illud obliget, ſunt requiſita. Ex parte ſuperioris ſunt, ut ille ſit legitimus, habeat rationabilem cauſam, rem honeſtam præcipiat, &c. Ex parte ſubditi neceſſariò requiritur, ut præceptum ipſe ſufficienter cognoſcat: & cognoſcere ſufficienter præſumitur, quando illud eſt ſufficienter promulgatum & intimatum. Non negat Sanctus Auguſtinus, Patriarcharum ætate fuiſſe præceptum inhibens Polygamiam, conſiderando præceptum primo modo: ſed negat fuiſſe præceptum in ſecundâ conſideratione, nempe quoad ipſos, quibus notum non erat. Quod eſt dicere, fuiſſe quidem præceptum, ſed propter ignorantiam illos ab ejus obſervantiâ fuiſſe excuſatos.

Quid ſit præceptum quoad ſe? *Quid ſit* præceptum quoad nos? *Quænam, ut obliget lex requiratur? Vt obliget, cognoſci debet.*

Exponitur mens Auguſtini.

Ignorantia excuſat.

MMMDCCLXXVI.c. Hæc eſt via ſuaviſſima excuſandi multas veterum & iuniorum actiones, quas non volumus fuiſſe peccata: & hanc viam inierunt viri Eximij, ut aliquas veterum Patriarcharum operationes eximerent à iudicio & cenſurâ. Et inter præcipuos conſtituam P. Ioannem Poncium, qui *in 3. diſt. 37. queſt. unic. pag.* 542. *num.* 74. ſic inquit. [Certum eſt, quod aliqui exiſtimare poſſint, & exiſtiment de facto aliqua eſſe juris naturalis; quæ alij non exiſtimant eſſe ejus; & è contrà. Nam inter Theologos ipſos controverſia eſt de his, quæ ſunt juris naturalis: quare nec in hoc ſenſu eadem lex naturalis apud omnes homines, quaſi omnes cognoſcerent eadem eſſe juris naturalis. [Ecce benè diſtinguit præceptum, *quoad ſe, & quoad nos*: & interroganti, *An lex naturalis ſit una in ſe, & apud omnes homines?* [a] reſpondet, in ſe (quoad ſe) eſſe quidem unam: at apud homines (quoad nos) eſſe poſſe diverſam, nam poteſt & ſolet aliter & aliter intelligi.

An hodie de multis dubitemus, An ſint Iuris Naturæ?

An lex Naturalis ſit una apud omnes?

a] Vocat *legem in ſe*, quam ego, quoad ſe: & *legem apud homines*, quam ego *quoad nos*.

Confirmo hanc doctrinam alia ejuſdem verba producendo: nam *loc. cit. numer.* 87. *pag.* 545. *a.* ſic ait. [Averſa admittit actum indifferentem, ſaltem ex opinione probabili quod detur talis, & quod hîc & nunc aliquis exiſtimaret probabiliter, innitendo ſcilicet authoritati Scotiſtarum, quod actus quem eliceret, eſſet ſic indifferens. Et ſanè credo neminem poſſe de hoc dubitare: ſicut enim exiſtimatio probabilis ſufficeret, ut actus, qui reverà eſſet malus, eſſet bonus tamen propter iſtam exiſtimationem: ita ſine dubio poſſet ſufficere, ut actus, qui reverà non eſſet indifferens à parte rei, eſſet tamen indifferens moraliter elicienti eum tali exiſtimatione.] Hoc eſt, poſſet ſufficere, ut actus, qui reverà non eſſet indifferens quoad ſe, eſſet tamen indifferens moraliter quoad illum, qui cum tali exiſtimatione eum eliceret.

MMMDCCLXXVI.d. *An dentur actus indifferentes in individuo?*

N. B. Dantur etiã ex ſuppoſitione, quod non dentur.

Actus malus, ſi indicatus bonus, erit bonus per accidẽs.

MMMDCCLXXVI.e. Hæc doctrina in aliis etiam ſacræ Scripturæ locis locum habet. Multum negotij faceſſit Theologis caput XXVII. Geneſeos, ut excuſent Iacob à mendacio & peccato: nam interroganti patri, *Quis eſſet?* reſpondit, *Ego ſum primogenitus tuus Eſau: feci ſicut præcepiſti mihi: ſurge, ſede, & comede de venatione mea*, &c. Fuit-ne mentitus? Negant S. Auguſtinus *quæſt.* 78. *in Geneſ.* 16. & *de Civit. cap.* 37. & *lib. contr. mend. cap.* 10. Theodoretus *quæſt.* 80. *in Geneſ.* Gregorius *homil.* 6. *in Ezech.* Iſidorus, Beda, Rupertus, & alij *in illum locum Geneſ.* Innocentius III. *in cap. Gaudemus de divortiis*, Gratianus 22. *quæſt.* 11. *cap. quæritur.* Alenſis 2. *part. quæſt.* 139. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 110. Magiſter *in* 3. *diſt.* 38. At quia manet hiſtoria, & illam quotidie poſſumus relegere, & examinare, nonnulli, ſicut in his Patribus & Doctoribus pietatem adverſus Iacob laudant, eum ab ipſis ſufficienter excuſari non vident. Vnde Pererius, tametſi quinque diſputationibus ſatis fusè hoc argumentum ediſſeruiſſet, Iacob à mendacio non poſſe excuſari fatetur, & *num.* 58. ſic inquit. [Ego non diſſimulo ſenſum animi mei: nam, ut non inficior dictum illud Iacob, *Ego ſum Eſau*: in quo uno ad verum intellectum interpretando, purgandóque à mendacio Doctores laborarunt, ſatis commodè in verum ſenſum redigi poſſe: ita fateor, duo alia ejuſdem dicta, *Feci, ſicut præcepiſti mihi*, & *Comede de venatione meâ*, perdifficiliter ad veritatis ſententiam accommodari poſſe.

An Iacob fuerit mentitus ſuo patri?

Patres & Doctores quâ illi excuſãt?

An ipſi ſuã piam opinionem perſuadeant?

Pererij opinio.

MMMDCCLXXVI.f. Ego autem aſſero multis poſſe Iacob viis excuſari: POSSVMVS enim PRIMÒ dicere, eum non fuiſſe mentitum, hoc enim, ut vidiſti, ſuadet gravis veterum Patrum & Doctorum authoritas: quibus aſſentitur Scotus *in 3. diſt. 30. quæſt. unic. §. ad illud*, cùm ait, *Dicitur tamen, quod tales ſermones poſſunt figurativè intelligi, vel ſub alio intellectu, quàm verba primò exprimant.* POSSVMVS SECVNDÒ dicere Iacobum reverà fuiſſe mentitum, ſed putaſſe ſe non mentiri, quia ejus ſententiâ Reſtrictio Mentalis, quâ utebatur, erat ſufficiens, vt eum à mendacio excuſaret. Ergo materialiter tantùm mentitus fuit, & non poteſt argui de formali mendacio. Et quidem opinionem, quæ admittit Reſtrictiones Mentales eſſe ab extrinſeco ſatis probabilem, licèt illam rejiciam, & acriter impugnem, nullus dubito. POSSVMVS TERTIÒ dicere, illum quidem mentitum fuiſſe, & ſe mentiri cognoviſſe, & ſciviſſe, nec tamen peccaſſe; nam mendacium peccatum eſſe invincibiliter ignorabat. Et huc reſpiciens Poncius *loc. cit. pag.* 641. *a.* ſic inquit. [Quamvis etiam (Iacob) non poſſet commodè excuſari à mendacio, tamen non eſſet difficile ipſum excuſare à peccato; quia poſſet dici, quòd licèt omne mendacium ſit peccatum à parte rei (quoad ſe) ipſe tamen non putavit propter ignorantiam invincibilem (quam non eſt inconveniens ipſi attribuere) fuiſſe peccatum mentiri ſic patri, jubente præſertim matre, quæ poſſet ipſi ſignificare non referre ſic mentiri, & cui ipſe poterat exiſtimare ſe obligatum obedire, &c.] Quod, ſi objicias illud Iacobi mendacium fuiſſe in gravi materiâ, & val de pernitioſum Eſau, adhuc illum propter

An fuerit Iacobus mentitus?

An uſus fuerit aliquâ Reſtrictione Mentali?

An probabilis ſententia ſit, quæ Mentales Reſtrictiones admittit?

An Iacob ignoraverit omne mendacium eſſe peccatum?

An ſub illis circunſtantiis indicare potuerit ſe poſſe, aut debere mentiri?

D. Thomas *quæſt.* 100. *art.* 4. Ius primogenituræ debebatur Iacob

igno

Digitized by Google

ignorantiam excuſat Poncius: inquit enim *pag.641.num.182.§. Et ſi dicas.* [Quamvis in re (quoad ſe) fuerit pernitioſum ipſi, quia abſtulerat ei tam proficuam benedictionem, quam haberet aliàs à patre: tamen non erat tam pernitioſum (quoad eum) in opinione Iacob: cùm non eſt neceſſe, quod ipſe ſciverit benedictionem illam habituram ſecum primogenituram, aut vllam vtilitatem ſpecialem quam non poſſet etiam Eſaü per aliam benedictionem adquirere: tum etiam, quia poterat exiſtimaſſe quod licèt adferret ſecum utilitatem aliquam, quâ privaretur Eſaü ipſemet tamen licitè poterat matre hortante, eam ſibi procurare: tum denique, quia non eſt neceſſe, vt cognoſceret Eſaü habuiſſe ius aliquod particulare ad benedictionem patris, ita ut ipſe & non quicumque alius non poſſet abſque iniuriâ eius, eam quocumque licito modo procurare.] Ergo, ſicut dici poteſt, mendacium eſſe peccatum, & Iacob reverà eſſe mentitum, & tamen à peccato excuſari, quòd invincibili ignorantiâ præventus neſciverit illud eſſe peccatum: ita etiam dici poteſt Polygamiam fuiſſe reverà interdictam & peccatum, & tamen Patriarchas, etſi fuerint polygami, excuſari à peccato, quòd eius inhibitionem in Iuris Naturalis Principiis non adſpectarint, ſed oppoſitum à vicinorum populorum moribus collegerint & ideò eam eſſe illicitam invincibiliter ignoraverint.

ex divinâ electione ſecundũ illud Malach. 1. *Iacob. dilexi, Eſaü autem odio habui.* Et ideò Eſaü peccavit primogenita vẽdendo: Iacob verò non peccavit emendo, quia intelligitur ſuam vexationem redemiſſe.

An Patriarcharum Polygamia ob ignorantiam invincibilem poſſit excuſari à peccato?

MMMDCCLXXVI.g. Iudithæ hiſtoria hanc doctrinam dilucidat, dixit enim Aſſyriorum exploratoribus, *Filia ſum Hebræorum: ideò ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnovi, quòd demur vobis in deprædationem*, &c. Et quæritur, an fuerit mentita? At verò, quia ſe ornavit, vt Holofernem ad ſuum amorem pelliceret, quæritur, An non eum inducendo ad peccatum dicenda ſit peccaviſſe mortaliter? Ad primum eam fuiſſe mentitam, ſed officiosè, & ideo non peccaſſe mortaliter aſſerit S. Thomas 2. 2. *quæſtion.* 110. Toſtatus *quæſt.* 6. *in cap.* 1. *Exod.* Lyranus & Salianus *in cap.* 10. *Iudith.* Cæterùm, eam non fuiſſe mentitam pronunciat Auguſtinus *ſerm.* 229. ſed multò expreſſius clariuſque Salianus *ann. mund.* 3346. Serarius *quæſt.* 10. *in cap.* 13. *Iudith.* Sanctius *in cap.* 10. *num.* 10. Tu autem aſſere Iuditham fuiſſe verè mentitam, nam oppoſita ſententia tam eſt difficilis, vt qui illam aliis ſuadere volunt, ſibi minimè ſuadeant, vnde Salianus, vt vidiſti, habet opiniones contrarias. Vt autem eamdem à peccato defendas, ne præbeas aſſenſum Carthuſiano, qui *in cap.* 10. *Iudith.* vt eam excuſet, aſſerit ironicè loquutam fuiſſe. Cuius ſententiam neſcio cur probabilem dicat Poncius *loc. cit. n.* 194. *pag.* 645. *a.* nam verba ironica à voce & manu transferuntur in oppoſitam ſignificationem: quoniam, vt ſcitè Poncius ait [Quoties quis loquitur ironicè externè id apparet. Sed certè nihil magis cavit ipſa, quàm nullam externam facere loquutionis ironicæ demonſtrationem, &c.] Hinc patet, me bene in Haplotete aſſerere orationes ironicas non poſſe exhiberi in ſcriptis, niſi novi characteres admittantur: nam vox & geſtus ſunt conſignificativæ circumſtantiæ, & hæc in ſcripturâ nequeunt exprimi. Quid ergo tibi conſulo? Vt aſſentiaris Poncio, qui ſic ait. [ſi à peccato quis eam liberare voluerit recurrere poteſt facillimè ad ignorantiam invincibilem, propter quam ipſa poterat exiſtimare in tali caſu belli iniuſtiſſimè illati ſuis civibus, ſe, vt iis conſuleret, mentiri potuiſſe.] Ad secundum reſpondet Scotus his verbis. *Ipſa etiam ſe ornavit ea intentione, vt Holofernes caperetur in adſpectu ſuo, & taliter eſt peccatum mortale. Vnde non videtur omninò certum, quod excuſata ſit ab omni peccato mortali. Et licèt factum eius narretur in ſcriptura & recitetur in Eccleſia tanquam laudabile quantum ad aliqua, quæ erant ibi Religioſitatis, aliqua tamen ibi adnexa, nec laudantur, nec licent.* Non eſſe certum ait ſubtilis Doctor, eam mortaliter non peccaviſſe: ſed neque eſt certum, inquam ego, eam peccaviſſe; ergo matronæ venerabili, laudatæ à Sacrâ Paginâ, & nobis ab Eccleſiâ in exemplum propoſitæ, ſiquidem manifeſtè non conſtat, non debet adfingi hoc peccatum. Et ideò me expedirem facilè, aſſerendo, Iuditham non fuiſſe tunc coniugatam, ſed viduam, & ignoraſſe invincibiliter fornicationem ſimplicem eſſe grave peccatum. Et quid, ſi etiam ſuo ævo fuerit ratum & indubitatum fornicationem ſimplicem in ſexto Decalogi præcepto includi, & eſſe peccatum mortale? Adhuc eam *pag.* 646 *b. num.* 200. Excuſat Poncius aſſerens [quod ipſa non intenderit aliud, quàm quòd Holofernes caperetur amore ipſius, & inde flecteretur ad eam in vxorem concupiſcendam; vt ſic viam haberet ad ipſum interficiendum, prout bene poterat ſine peccato.] Et ſubiungit [quòd, quamvis non ſperaret amorem, ex quo adſumeretur in vxorem, poterat tamen abſque peccato mortali deſiderare, vt amaretur in ordine ad copulam non maritalem; quia imprimis ex parte ſuâ poterat confidere in Domino, quòd ipſamet nunquam in hoc conſentiret, & quòd Deus eam præſervaret; Et deinde, quantum eſt ex parte Holofernis poterat exiſtimare, quòd ipſe talem actum non haberet pro peccato, & conſequenter non peccaret eam deſiderando aut procurando: vnde nec peccaret ipſamet, nec concurreret ad peccatum alterius formaliter loquendo. Quod ſi etiam concurrere materialiter ad peccatum, non eſſet ipſi licitum, poterat excuſari à ſic concurrendo ob ignorantiam invincibilem.] Nec mirum, ſi Poncius Iuditham ob invincibilem ignorantiam excuſet: nam clarior eſt malitia & iniuſtitia homicidij, quàm fornicationis, & tamen dari poſſe de homicidio ignorantiam invincibilem multi Viri docti teſtantur, & inter ipſos hanc ſententiam Sotus *de Iuſt. lib.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 5. *in fin.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 23. Becanus *in* 2. 2. *de Iuſt. & Iur. quæſt.* 11. *de homic. concl.* 1. Malderus *in* 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 17. Fillincius *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 4. *num.* 67. Molina *de Iuſt. & Iur. tom.* 4. *tract.* 3. *diſput.* 9. *num.* 5. quos ſequor, & cito *in Theolog. Præterintent. præcept.* 5. *quæſt. proœm.* 8. *pag.* 58. *b.* Et ex ipſo capite Molina *αὐτοχειρίαν*, à Lucretiâ commiſſam excuſat dicens, [Quando quod de Iure eſt naturali, occultum,

Iudith. 10.

An Iudith fuerit mentita? &, an Olofernem pellexerit & ſcandalizaverit?

An illam ironia à peccato excuſaverit?

Indigent geſtu & tono verba vt ironica ſint.

An Iudith mentiendo peccaverit?

An ſe ornando Holofernem ſcandalizaverit?

Ratio negandi Iuditham peccaviſſe, eſt non eſſe certam aſſerendi rationem.

An olim notum omnibus fuerit ſimplicem fornicationẽ eſſe peccatũ?

Amor inter cœlibes ad matrimoniũ ordinatus eſt licitus.

An Holofernes invincibiliter ignoraverit fornicationẽ ſimplicem eſſe interdictam?

An peccatũ ſit concurrere ad materiale peccati?

Malitia homicidij, quàm fornicationis eſt notior.

An dari poſſit ignorantia invincibilis de malitiâ homicidij?

An Lucretia ſe occidēdo peccaverit?

occultam, ſubtilem, minimeque facilè perviam habet rationem, in id cadere poteſt ignorantia invincibilis, quidquid alij in contrarium dicant; maximè, quando id æſtimatoribus hujus mundi, virtutis actus laude & honore dignus communiter reputatur, Neque eſt improbabile ignorantiam excuſaſſe à culpâ lethali actum quo Lucretia ſe ipſam interfecit, ſimileſque alios actus ab Ethnicis hominibus perpetratos.]

MMMDCCLXXVI. b. *An, & cur Sampſon occidendo ſe, non peccaverit?*

Hinc ad Quæſtionem principalem, *An, & cur veteres illi Patriarchæ plures habendo uxores non peccaverint?* reſpondeo primò recurrendo ad diſpenſationem Divinam: nam hunc reſpondendi modum nos docet Melleus Doctor *de precept. & diſp. c. 3. n. 6.* his verbis. *Vnde & unum exemplum pono, quod occurrit de Sampſone, qui* (Iudic. 16. g.) *ſe ipſum unà cum hoſtibus opprimens interfecit. Quot utique factum, ſi defenditur non fuiſſe peccatum, privatum habuiſſe* (à Deo) *conſilium indubitanter credendum eſt, etſi de Scripturâ hoc non habemus.* Ergo ad Patriarcharum Polygamiam convertendo oculos, ſic inquam. *Siquidem tenemus eam non fuiſſe peccatum, privatam illos habuiſſe diſpenſationem credendum eſt, etſi ex Scriptura hoc non habemus.* Hanc viam inivit Innocent. III. *c. Gaudemus, de divortiis.* S. Thom. *in 4. diſt. 33. q. 1. art. 2.* Sot. *ibid.* Henriq. *lib. 11. de Matrim. c. 2. n. 3.* Acacius March de Velaſco *tom. 2. Reſol. 272. n. 5. pag. 505. b.* Et quidem cum Hebræis expreſsè diſpenſaſſe Deum conſtat ex lege, non enim dicendus eſt Moyſes polygamiam, tametſi malam & peccaminoſam, ut minus malam toleraſſe, ſed abſolutè nomine Dei permiſſæ. Audi Averſam *de Matrim. quæſt. 14. ſect. 1. pag. 523. b. in fin.* dicentem. [Fatendum tamen omninò eſt ex conceſſione Divinâ valuiſſe olim ac licuiſſe uni viro habere plures uxores. Ita communiter Theologi, omneſque DD. affirmant. Et expreſſe D. Auguſt. *lib. de bono coniug. & lib. 22. contra Fauſt. c. 47.* ac relatum eſt in Iure *c. Obiiciuntur, 32. q. 4.* Expreſſit etiam Innocentius Papa. *c. Gaudemus.* Suponitur in verbis Scripturæ Deuter. 20. *ſi habuerit homo plures uxores,* &c.]

An eodem poſſit modo Patriarcharum Polygamia excuſari?

An revelatio debeat probari?

Sicui hæc ſolutio non placeat, quòd videat revelationem ſupponi, & non probari; poterit ſecuriſſimè ad invincibilem ignorantiam recurrere, nam ſi Iacob, Iuditha, Lucretia & alij, in mendacio, in fornicationis aut conſenſu, aut ſcandalo, aut etiam in αὐτοχειρίᾳ propter inſuperabilem ignorantiam excuſari videmus, cur non ſimiliter propter eamdem in Patriarchis excuſabimus Polygamiam, maximè, cùm Acacius ex Sot. Henriq. ex hoc capite excuſet Gentiles, qui plures duxerunt uxores, nam de diſpenſatione Patriarchis divinitùs indultâ diſſerens, ait. *No ſe oſtendió eſta diſpenſacion a los Gentiles, y aſsi pecarian, ſi uſaſſen de la Polygamia, ſino ſe eſcuſaban por la ignorancia, como dize el P. Maeſtro Soto, y Henriquez.*

An, & cur Gentiles polygami ſint excuſandi?

MMMDCCLXXVI. c. *Exorbitantia recentiorum.*

Sunt mirabiles aliquorum Iuniorum reſponſiones, cùm Patriarchis conceſſa diſpenſatio proponitur: ut enim manuteneant præconceptam ſententiam, & Deum in Naturæ Iure non poſſe diſpenſare tuentur, tamen non negent Patriarchis ex diſpenſatione Divinâ fuiſſe licitam Polygamiam, ad reduplicationes, & compoſitos ſenſus ſine causâ recurrunt. Placet nunc tantùm Averſæ doctrinam breviter examinare. Ipſe itaque *de Matr. q. 14. ſect. 1. pag. 533. b.* pronunciat [abſolute & propriè loquendo non poſſe in parte ullâ Iuris Naturalis diſpenſari, ſed bene poſſe per mutationem quandam materiæ fieri à Deo, ut id quod alioqui erat contra Ius Naturæ, non ſit in tali caſu contra Ius Naturæ, & ita concedi, ut licitè fiat jam ſtatuimus in univerſum de lege naturali *in 1. 2. q. 94. ſect. 3.* Itaque ſic nunc explicanda res eſt, ſicut etiam anteà de diſſolutione matrimonij. Vt quantum eſt de ſe non poſſit unus vir habere dominium corporis niſi uniùs fœminæ, & non poſſit tradere mutuum dominium ſui corporis, niſi uni fœminæ: at poteſt Deus facere illi poteſtatem adquirendi, & tradendi dominium reſpectu plurium: & ex hac divinâ conceſſione poterat unus vir habere plures uxores] Sūt verba. Quid enim eſt Natura, niſi Deus? Sit autem Natura quidquid ſit: dicito, quæſo, Averſa; quam materiam mutat Deus, cùm uni, ut habeat multas uxores concedit? Prætereà, ſi Deus per impoſſibile in lege Naturæ de Monogamiâ diſpenſaret, quid aliud faceret, quàm id quod admittit Averſa? faceret enim, ut non obſtante Iuris Naturæ interdictione, ille haberet poteſtatem adquirēdi & tradēdi dominium reſpectu plurium: nimirùm, ut ille haberet poteſtatem, quam ipſe negavit hominibus, quando Matrimonium inſtituit: nam nullum eſſet, niſi fuiſſet inſtitutum à Deo.

An poſſit Deus in Iure Naturæ diſpenſare?

An unus poſſit ducere plures?

Natura eſt Deus.

Averſa rē cōcedit Deo poteſtatem, quam verbis concedit?

An eſſet ullum matrimonium, ſi Deus illud non inſtituiſſet?

MMMDCCLXXVII. *Quid ſit Πολυακοιτία? Quis vocetur ἀκοίτης?*

Sicut Πολυγαμία, ſic etiam Πολυακοιτία poteſt in examen vocari. Contingit illa, ut videmus, quando unus & idem homo habet plures uxores: & contingeret hæc, ſi una & eadem fœmina multis maritis nuberet: nam ἀκοίτης nominatur *maritus.* Et hîc ſpecialis occurrit difficultas, *An ſicut unus Vir potuit plures uxores ducere, ſic una & eadem fœmina plures poſſit etiam habere coniuges?* Negat paritatem Leſſ. *de Iuſt. & iur. li. 4. c. 3. dub. 10. n. 74.* [quia longè magis repugnat Iuri naturæ, ut una fœmina jungatur duobus viris, quàm ut unus vir duabus fœminis. Vnde etiam ſi hoc aliquando fuerit conceſſum (ut patet in Patribus veteris Teſtamenti, qui habebant plures uxores) illud tamen nunquam.] Hanc ipſam diſparitatem, quam Leſſ. percipit accidentariam eſſe, & non obeſſe quominus id poſſit fieri ex diſpenſatione Divinâ teſtatur Coninck. *de Sacr. diſp. 26. dub. 1. pag. 753. n. 29. concl. 5.* dicens [Etſi unam mulierem pluribus ſimul nubere, ſit natum inferre longè majora incommoda, quàm ſi unus ducat plures uxores, tamen non eſt ita malum quin Deus id abſolutè peſſet concedere; præſertim, cum facile poſſet omnia incommoda, inde nata ſequi impedire. Ita P. Sanch. *lib. 7. diſp. 80. n. 15.*] Conſonat Averſa *de Matrimon. quæſtion. 14. ſection. 1. pag. 533. a.* dicens. [Et quamvis de facto conceſſum non fuerit, ut ſimiliter una mulier haberet plures maritos: tamen, ſaltem de poſſibili id etiam concedi potuiſſe, admittit Sanchez *diſp. 80. cit. n. 15.* cum Majore, & Petro Ledeſ. & ſequitur Coninck *dub. 2. cit. n. 5.*]

Nunquam tale matrimonium licitum fuiſſe certum eſt. Hodie in mundo eſſe populum, in

An una fœmina multis ſimul poſſit maritis nubere?

quo talia connubia permittantur, noſtri temporis non produnt Hiſtoriæ: an olim alicubi permiſſa fuerint, non definiunt; tanta enim fuit apud Ethnicos cœcitas, ut multa peiora permiſerint. Nec oppoſitum probat libidinoſæ Meſſalinæ Barbati Meſſalæ filiæ (cujus ſordes propudioſas Iuvenalis 6. Tacitus *lib.* 11. Plinius *lib.* 50. *c.* 62. & alij Scriptores recenſent) inconſulta temeritas, etſi præter Claudium Imperatorem, etiam C. filium ſuſcepit in ſecundum maritum ita ut ſimul habuerit duos. Hic autem caſus nihil probat: non enim fuit ad publicos mores elimatus; ſed tam inſolens & ſceleratus creditus, ut illa & filius trucidati, ſuo firmarint ſanguine, nulli unquam fœminæ plures habere maritos, aut licuiſſe, aut licere.

Duos ſimul maritos habet Meſſalina.

Iubente Imperatore cũ amaſio ſuo occiditur.

Pererius Pulchris rationibus perſuadere conatur impoſſibile eſſe ut una & eadem fœmina pluribus nubat; quarum efficaciam placet diſcutere & examinare.

An poſſint eſſe plura in uno corpore capita?

PRIMA eſt. Id repugnat dignitati ſexûs virilis; vir enim, ut ait Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 11. caput eſt mulieris. At eſſe plura capita prima & principalia unîus & eiuſdem, pluraque unîus rationis principia eiuſdem rei & prima & proxima, & æquè perfecta non fert rerum natura. Ergo.

Reſpondeo primò, ex ultimis verbis argumentatoris colligi, non repugnare maritos plures eiuſdẽ fœminæ, ſi inter ſe ſint ſubordinati.

Et quid, ſi ſubordinata ſint?

De Ariſtocratiâ, & Polyarchiâ.

Reſp. ſecundò, hanc rationem æquè militare contra Ariſtocratiam: nam ſicut in Polyarchiâ omnes ſimul gubernant, & omnes ſimul ſtatuunt, quid ſinguli debeant facere, ſic etiam intelligi poſſet ut plures mariti per modum unîus capitis domeſticã gubernarent familiam.

An eſſet præceptorum confuſio?

SECVNDA. Pax, & tranquillitas, bonaque diſpoſitio œconomiæ gubernationis nulla eſſe poſſet; quot enim capita, tot eſſent ſententiæ: quiſque enim illorum conjugum, quod ſibi viſum & liberum eſſet, mandaret uxori; & idem fieri vellet, nec alter cederet alteri.

MMMDCCLXXVIII.

Plures, ſi ſubordinentur vel uni præcipuo, vel toti corpori, poſſunt ſimul gubernare pacificè.

Reſpondeo primò hoc inconveniens etiam ubi unus maritus plures habet uxores, timeri poſſe; & tamen ſic apud veteres Patriarchas, & hodie apud Mahometanos & Ethnicos temperantur circunſtantiæ domeſticæ, ut illæ convivant pacificè. Pacem hanc & tranquillitatem fateor eſſe difficilem, at eſt poſſibilis, ſi uxores diſcretâ providentiâ regantur. interim audire proderit, quæ *in India Occidentalis Hiſtoria, lib.* 5. *fol.* 114. *d.* leguntur. *Benche havesſero i Cacichi ſei e ſette moglie, una era pero la principale, & la piu cara: e benche mangiaſſero tutte inſieme, e viveſſero ſotto un tetto preſſo al letto del marito tutte, non era pero fra loro mai differenza, nè lite alcuna.* Ergo ſicut quietè & pacificè convivunt multæ uni viro fœminæ, non eſſet omninò impoſſibile, ut multi etiam mariti uni uxori conviverent ſine diſcordiâ.

Reſpondeo ſecundò, huic inconvenienti etiam Politicos viam ire debere; nam, ſi in Republica plura eſſent capita, pax omninò exularet, bonaque rerum civilium diſpoſitio nulla eſſe poſſet: quot enim Principes, tot eſſent ſententiæ: quoniam unuſquiſque, quod ſibi viſum & liberum eſſet mandaret populo, & idem fieri vellet; nec alter alteri cederet. At hac obiectione non obſtante in Democratiâ gubernant omnes; in Ariſtocratia optimi; & in Monarchiâ duos, tres, & quatuor Auguſtos vidimus ſubordinationis virtute ſummâ pace populum gubernantes. Hæc igitur ratio non ſufficit, ne una mulier pluribus nubere poſſe dicamus.

Quid, ſi plures ſimul debitum peterent?

TERTIA. Sæpe contingeret, ut plures eodem tempore debitum ab uxore peterent, quibus illa ſimul non poſſet ſatisfacere. Ergo eſſent contentiones & altercationes inter ipſos.

Reſpondeo, hanc à fortiori rationem contra Polygamiam militare: quia etiam contingere poſſet, ut plures uxores ſimul debitum peterent. Et tamen certum eſt, plus in genere fœminas poſſe, quam viros: illæ enim ſaltem ſucceſſivè pluribus viris ſufficiunt, non enim exhauriuntur ſicut viri. Ergo, ſi hæc ratio non eſt efficax contra Polygamiam, nec contra Polyacœtiam, ſeu contra matrimonium inter unam & multos contrahendum efficax eſſe poterit.

An, & cur non habeãt proles meretrices?

QVARTA. Hujuſmodi connubium inter unam & multos eſt plenè contrarium fini Matrimonij, quem natura intendit, videlicet generationem prolis Nam mixtio invicem & confuſio diverſorum virilium ſeminum in eâdem muliebri vulvâ plenè enervat, aut etiam corrumpit virtutem prolificam, ut animadvertere eſt in meretricibus, quæ ratò vel nunquam concipiunt.

Non poteſt Matrimoniũ inſtitui in quo impediatur generatio.

Hæc ratio eſt à priori & ſola ſufficeret, ut Matrimonia inter unam & multos contracta incriminaretur ſobrior Ethica: non enim tale debet Matrimonium permitti, quod Matrimonij fini & inſtitutioni opponatur. Illam loco primo in ſimili quæſtione producit Leſſ. *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 9. *n.* 74. dicens. [Cauſa, cur magis repugnet, & Primò, quia una mulier pluribus viris ſatisfacere nequit, quin ordinariè impediatur generatio, quæ eſt finis iſtius coniunctionis.]

An ob voluptatem, aut divitias poſſit matrimonium iniri?

QVINTA. Fœmina, quæ pluribus nuberet, non videretur dare operam rei connubiali ut ſoboles procrearet, ſed propter voluptatem & laſciviã, vel ob quæſtum, ut avaritiei ſerviret.

Reſpondeo primò, parum efficaciæ habituram hanc rationem apud eas gentes, quæ genealogias, adeoque nobilitatum & hæreditatum ſucceſſiones, per lineam maternam deducunt Hæc enim videtur & ſcitur: altera (paterna) in fama, opinione & credulitate conſiſtit.

Reſp. ſecundò, rationem hanc efficacem non eſſe: nam ducere uxorẽ ob divitias, & cognoſcere uxorem ob voluptatem multi illuſtres Theologi non eſſe ullum peccatũ aſſeverant.

An neceſſarium ſit eſſe certos parẽtes?

SEXTA. Siqui forte ex hujuſmodi Matrimonio filij gignerentur, non haberent certum parentem: quocirca paternæ nobilitatis excellentia, quæ ad filios derivatur, tolleretur: nec jus hæreditarium conſtaret: nam hæreditas niſi filiis certò cognitis non debetur.

MMMDCCLXXIX.

An unus puer poſſit habere multos civiles patres?

Reſpondeo hanc rationem moralem tantum eſſe, nec poſſe naturalem ſuadere repugnantiam. Poſſemus dicere huiuſmodi filios non habere realiter certum parentem, at habere civiliter: omnes enim matres mariti eſſent phyſicè probabiles filiorum patres, & certi civiliter: & tunc novus adoptandi modus intercederet, qui ſingulorum conjugum nobilitatem in gnatum derivaret. Vnde hæreditarium jus tolli non poſſet, nam filij ſinguli

Digitized by Google

li eſſent omnium parentum hæredes, quorum ut dicebamus erant filij civiles.

An ceſſaret mutuus inter patres & filios amor?

Septima. Si talia Matrimonia permitterentur, patrum erga filios & filiorum erga patres naturalis illa paterni & filialis amoris charitas & dulcedo non eſſet.

Reſpondeo dilectione dulciſſimâ filios adoptivos amari: & erga quemcumque filium quemcumque matris conjugem eſſe patrem moralem, & hoc certò: eſſe affinem, & hoc etiam certò: eſſe probabiliter patrem realem: Ergo eſſent rationes, ob quas mutua intereſſet dilectio, & poſſent (niſi aliud obeſſet) hujuſmodi connubia tolerari.

An ceſſaret conſiliorum communicatio?

Octava. Amor, fides, & omnium conſiliorum, curarum, & officiorum communicatio, quæ inter virum & uxorem eſſe debet, & ubi eſt, ingentem affert utilitatem & ſolatium, nulla eſſet in tali conjugio.

An ſecreta ſint uxoribus communicanda?

Reſpondeo viros prudentes, nec ſolere, nec debere res graves uxoribus ſuis communicare. Illas reddunt conſiliorum participes, quæ ſecretum non poſtulant: aliud enim eſt uxorem ducere, & aliud eligere conſiliarium. ſunt aliquando viragines, ingenio & judicio præſtantes, ſed hæc fælicitas paucis maritis obvenit; & quando obvenit, concernit matrimonium per accidens. Et, ut generali doctrinâ rem expediam, multos periiſſe vidimus, quia uxores fecerant conſiliorum conſortes: paucos aut nullos ad felices eventus provectos maturo fœminarum conſilio.

Eſſent contentiones perpetuæ.

Nona. Vnus vir, ſciens uxorem ſuam amari & carnaliter cognoſci ab alio viro, non ſolùm eam non tenerè amaret, ſed faſtidiret, abhorreret, adverſaretur, tanquam ab alio compreſſam & fœdatam: imò cum eâ familiariter converſari nollet. Vt taceam frequentem inter viros zelum, quod uxor plus unum virum diligeret, quàm alium. Et quidem rem, quam amat, neminem ſine zelotypiâ poſſe in manibus alterius videre, ſuadet quotidiana experientia, & 4. *Tuſcul.* monet Cicero. *Obtrectatio autem*, inquit, *eſt ea, quam intelligi zelotypiam volo, ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ille ipſe concupiverit.* Vnde dicebat Antonius Ciceroni. *Iudicabam duriores partes mihi impoſitas eſſe ab offenſione noſtrâ, quæ magis à zelotypiâ meâ, quam ab iniuria tua nata eſt.* [Et habetur inter Epiſtolas ad Atticum *libr.* 10.] Ergo, quia, ſicut in D. Thomæ Scholâ ſubſtantia quantitatis magnitudine extenditur, ſic in πολυανδρίᾳ rixæ & difficultates à zelotypiæ pondere gravitatem ſuſciperent, licèt ſecundum ſe tenues viderentur aut eſſent, ubi ardere zeli flammis occiperent, fierent intolerabiles.

Quid ſit zelotypiâ?

Quas vires habeat?

Cur augeat odia?

MMMMDCCXC. *De tribus mulierum liberarum amaſiis.*

Reſpondeo hanc rationem fortiùs aut ſaltem æquè contra Polygamiam urgêre: nam fœminæ zelotypiæ & amoris impotentes, ut maritus aliam amet, non tolerant, &c. Accedit, quod hodie pleræque liberioris converſationis fœminæ tribus amaſiis (Adonidi, Iovi, & Marti) ſatisfaciant: habent enim unum pulchrum, qui eius amori correſpondeat; alterum divitem, qui èxpenſas domeſticas ſubeat; & tertium militarem, ſub cujus enſis umbrâ audentiùs inſoleſcere poſſint. Et, ſi hi tres amaſij pacificè frequentant eamdem domum; etiam, ſi eſſent ejuſdem commariti, pacificè vivere poſſent.

Cuius rei ſit Matrimonium ſymbolum?

Decima ſumitur à re, quam hoc Sacramentum ſignificat: nam Matrimonium *Sacramentum magnum* vocat Apoſtolus *ad Ephſ.* 5. Eſt enim carnale Matrimonium ſpiritualis Matrimonij, quod inter Chriſtum & Eccleſiam figura & ſymbolum. Atqui Eccleſiæ unicus ſponſus eſt Chriſtus, nec plures eſſe poſſunt. Ergo non niſi unus poteſt in matrimonio eſſe vir.

Matrimonia, quæ polygamiam & repudij libellum tolerant, ſunt imperfecta.

Reſpondeo hanc rationem non urgere, nam contra Polygamiam torqueri poſſet. Quoniam carnale matrimonium eſt quædam figura myſtica ſpiritualis Matrimonij, quod inter Chriſtum & Eccleſiam ſuſpicimus. Atqui Chriſtus non niſi unicam ſponſam habet, nempe Eccleſiam, quæ eſt unica, non enim ſunt plures Eccleſiæ. Ergo vir non niſi uxorem unicam habere poteſt. Si igitur hac doctrinâ non obſtante licuit, ut unus haberet plures uxores ex diſpenſatione Divinâ: etiam licere fœminæ poterit ut plures maritos habeat ſi Deus diſpenſare voluerit. Dico ergo non omne Matrimonium conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ ſignificare: nam hæc prærogativa in eo, quod in paradiſo fuit inſtitutum; & in eo, quod à Chriſto ad Sacramenti dignitatem fuit elevatum: cætera autem, quæ indiſſolubilitate, aut etiam unitate caruerunt, non fuiſſe aut eſſe ſymbolum ſupernaturalis conjunctionis, in quâ unicus Chriſtus & unica Eccleſia indiſſolubilis Charitatis amore devinciuntur.

Coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſimbolum non ſunt Matrimonia imperfecta.

MMMMDCCXCI. *Quam ſit difficile Quæſtionem hanc dilucidare?*

Libuit omnium rationum vires periclitari & diſcutere, ut videat ingenioſus Lector, rem eſſe difficilem, quam alij fortè putant facilem, nec rationem ſuccurrere, quæ probabiliter, aut fortè efficaciter ſolvi non poſſit. Nunc Concluſiones has ex Auguſtino proponamus. Sit

De Matrimonij neceſſitate.

Prima. *Ad filiorum procreationem phyſicè & realiter conſideratam, ab omni moralitate præciſam, non fuit neceſſaria Matrimonij inſtitutio.* Patet: quia proles etiam extra matrimonium realiter generantur.

Quid ſit ſemen: & unde vim prolificam habeat?

Secunda. *Materia illa, quæ in coitu cum voluptate deciditur ſecundum ſuam eſſentiam non eſt prolifica, ſed habet à virtute ſeu qualitate ſuperadditâ, quod prolifica ſit; quâ, ſi careret ſemen non vocaretur.* Audi Ariſtotel. qui *lib. de gener.* 2. c. 19. ſic ſcribit. *Cùm ex ſanguine concocto digeſtoque modo quodam pars quoque gignatur, ſemen autem concoctum diverſum ab (alio) ſemine ſecernatur (nam incoctum aut per vim emiſſum, videlicet, cùm præter modum re venerea quis utitur, cruentum iam aliquibus prodiit) conſtat ſemen eſſe excrementum alimenti ſanguinei, quod digeritur vltimum in membra.* Ergo concoqui, perfici, habere vim prolificã &c. eſt accidens illius materiæ, quæ vbi ad debitam perfectionem pervenit, *ſemen* dicitur.

De ſexto præcepto Decalogi.

Tertia. *Potuit Deus non ferre ſextam legem Decalogi.* Si non tuliſſet illam nulla actio libidinoſa eſſet peccatum. Eſt expreſſa S. Bernardi, Scoti, Ochami, & aliorum, vt *ſupr. Fundam.* XII. demonſtravi.

Quarta. *Interdixit Deus omnem delectationem veneream vniverſim: nullum actum*

excipiens. Ita Patres,& Auguſtinus præcipuè, legem iſtam intelligunt : putant enim eſſe priorem inſtitutione matrimonij ; & illi per hoc aliqua ex parte derogari. Vnde inferunt nullam carnis commixtionem fore licitam , ſi Deus non inſtituiſſet matrimonium. Sed de hoc Concl. V I.paulò vberiùs tractabitur.

An Matrimonij inſtitutio fuerit ſexti Decalogi præcepti partialis quædā diſpenſatio.

De humani generis propagatione.

Quinta. *Humori , qui per libidinem deciditur , indidit virtutem prolificam Deus.* Sanè potuit Deus aliter & aliter humani generis propagationi proſpicere , ſed voluit hoc modo illam fieri , vt maior eſſet ad illam hominum inclinatio.

An etiam à ſexto Decalogi præcepto præſcindendo commixtio carnalis eſſet illicita?

Sexta. *Si nihil aliud acceſſiſſet procreatio liberorum eſſet illicita , & Theologicè peccamiñoſa.* Hanc Concluſionem Coninckius & Scotus poterunt ex diverſis fundamentis probare. Quia niſi Deus Matrimonium inſtituiſſet , maneret non conceſſio, immò etiam interdictio [illa , vt carnis copula redderetur illicita , in Coninckij ingenioſâ opinione ſufficeret : quoniam homo non eſt proprij corporis dominus , & vt Petrus non poſſit vti Ioannis pallio , non requiritur, quod hunc ipſum vſum Ioannes inhibeat, ſed ſufficit quod non concedat. Hæc autem (interdictio) vt omnem commiſtionem carnalem reddat illicitam , in omnium ſententia eſt ſufficiens.] Ergo ni acceſſiſſet Matrimonij inſtitutio , maneret non conceſſio , immò etiam poſitiva interdictio , expreſſa in Decalogi ſexto præcepto , quæ omnem omninò carnalem commixtionem vetitam & illicitam redderet.

An , vt res ſit licita, præter non interdictionem requiratur poſitiva conceſſio.

Cur fuerit Matrimonium inſtitutum?

Septima. *Vt humanum genus propagaretur, Deus Matrimonium inſtituit.* Ergo iubendo aut permittendo vt homines per illud creſcerent & multiplicarentur,in rigore prioris præcepti quoad coniugatos diſpenſavit. Sic tene: qui enim docent Deum non poſſe diſpenſare ſaltem in Decalogi ſecundâ Tabulâ , nec D. Thomam , nec Sotum volunt bene intelligere nec ſenſum reduplicativum à ſpecificativo diſtinguere : nam diſpenſare (N. B.) non eſt concedere, quod violetur lex ſine peccato, vt Franciſcus Sylvius crebrò inculcat;ſed legem tollere , ne maneat aliqua , quæ violetur.

Cuiuſnam rei Matrimonium ſit ſymbolum?

Octava. *Voluit Deus , carnale Matrimonium , quod inſtituebat , eſſet figura quædam myſtica ſpiritualis Matrimonij inter Chriſtum & Eccleſiam.* At Chriſtus eſt vnicus , Eccleſia vnica. Ergo , vt ſtaret ſymbolum , debuit tale Matrimonium inſtitui , quod eſſet vinculum inter vnum & vnam. Ergo eſt contra primariam inſtitutionem Matrimonij , vt vnus vir ducat plures vxores. Ergo etiam vt vna fœmina nubat multis maritis. Firmant doctrinam hanc illa *Geneſ.* 2. verba , *Erunt duo in carne vnâ.* Quæ Tridentinum verba iſtis dilucidat. *Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari & coniungi Chriſtus Dominus apertiùs docuit, cùm poſtrema illa verba, tanquam à Deo prolata referens , dixit, Itaque iam non ſunt vna caro.* Fortia ſunt etiam illa verba , *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem , & adhærebit vxori ſuæ* , quibus vtitur Nicolaus I ad conſulta Bulgarorum.*cap.* 5. & Innocentius I I I. *cap. gaudemus* dicendo. *Verùm abſonum hoc videtur , & inimicum Fidei Chriſtianæ , cùm ab initio vna coſta in vnam fœminam ſit converſa,& Scriptura Divina teſtetur , quod propter hoc relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vnâ : non dixit*[.N.B.] *adhærebit vxoribus , ſed vxori.*&c.

Tridentinū ſeſſ. 24. in princ.

Nona. *Ratio figuræ myſticæ , quam habuit in paradiſo Matrimonium,non eſt de eius eſſentia , ſed à liberâ Inſtitutoris voluntate dependens.* Ergo poteſt à Matrimonio ſeparari. Separaretur de facto, ſi vel vnus vir plures vxores duceret , vel vna vxor maritis pluribus adſociaretur. Illud prius potuit fieri,quia vnus homo poteſt ex pluribus fœminis filios ſuſcipere : non autem hoc poſterius , nam eadem fœmina non poteſt à multis ſimul viris fœcundari. MMMDCCXCII.

An ratio Symboli accidat Matrimonio?

Decima. *Omnimodam indiſſolubilitatem,& vxorum vnitatem , & circa hæc indiſpenſabilitatem habet hodie Matrimonium ab elevatione : ex eo quod ad Sacramenti dignitatem fuerit exaltatum à Chriſto.* Audi Coninckium *de Sacram.diſp.*26.*dub.*2.*pag.*753.*b. num.*18. dicentem [Patet, quâ ratione Sanch.*lib.*2.*diſp.* 13. omnimodam indiſſolubilitatem Matrimonij inde oriri , quia Chriſtus elevavit illud ad ſignificandam vnionem Verbi cum noſtrâ Naturâ:Fuit enim hæc cauſa finalis cur Chriſtus voluerit ei ineſſe tantam hanc inſolubilitatem ; quia nimirùm, per ipſum voluit hanc vnionem ſignificari.]Paulò aliter rem intellexit Leander , & multorum Doctorum teſtimonio firmavit,*part.*2.*tr.*9.*diſp.*18.*q.* 5.*pag.* 297.*b.*ibi enim ait [Adde quod vxorum multitudo apertè repugnat naturæ Sacramenti, finique eius;cum Deus illud elevaverit ad ſignificandam vnitatem ſponſi Chriſti cum ſponsâ Eccleſiâ. Ergo. Sic optimè D. Thomas *in* 4. *diſt.*32.*q* 1.*art.*1.*corp. ad* 1. 6. & 9. Ricard. Palud.Deza , Capreol. & Sot.ibi Henriq.*lib.* 12.*c.*6.*n.*1.Bellarm.*lib.*1.*de matrim.c.*11 Valent.4.*part.diſp.*10 *q.* 1. *punct.*3. Corduba *lib.* 4.*q.*3.*dub.*2.Martin. & Barthol. de Ledeſma, Angles, & alij,quos affert,& ſequitur Sanch. *lib.*7.*diſp.*80.*n.*8. Baſil.*lib.*7. *c.*49.*à n.*2. Archangel. *in* 4. *diſt.* 33. *quaſi per tot.* Hurtado *diſp.*9 *diff.*1.Bonac.*punct.*10.*n* 3. Torreblanca *lib.*2.*practicar.c.*15.*ſect.*5. *à n.*46. Villalobos *tr.*14.*diff.*15.*n.*2.Trullench.*lib.*7.*c.*9.*dub.*14. Palaus *diſt.*33.*diſp.*1.*n* 4 & Baunius *q.*13.]

De Matrimonio perfectiſſimo.

An Verbi & Naturæ humanæ,

An potiùs Chriſti & Eccleſiæ vnionem ſupernaturalem ſignificet?

N O T A.

AD bigamiam ſpectare videtur Quæſtio hæc , in quâ adlucinantur, qui præiudiciis à Iure Cæſareo deſumptis , præpediuntur. Pono caſum.[Titius contraxit matrimonium cum Liviâ , & illud non conſummavit: & poſteà alterum inivit matrimonium cum Ioannâ,& iſtud conſummavit.Et quia ſe duas non poſſe habere vxores ſcit interrogat,*Vtri (Liviæ,an Ioannæ) teneatur adhærere ?*] Hic caſus , opinione multorum, & huic Civili ſimilis [Theodorus vendidit Auſonio ſuum equum , ſed non tradidit , & poſteà eumdem equum iterum vendidit Favino, & tradidit:& modò dubitas , Vtra venditio fuerit valida? An nunc ad Theodorum , an verò ad Favinum pertineat ille equus ?] MMMDCCXCIII.

An matrimonium cōſummatum debeat rato præponi?

An venditio cum traditione priori, ſi ſine traditione fuerit, præponatur?

Iuriſtæ,

Digitized by Google

Venditio perfecta realem rei vẽditæ traditionem requirit.

Iuriſtæ, quia parum deferunt traditioni morali, vix ullum contractum ſine phyſicâ traditione eſſe perfectum putant: & ideò Auſonio præferunt Faventinum, cui & venditus & traditus equus Theodori fuit; nam Auſonio erat venditus, non autem traditus. Et ex hac doctrina infert Rebuffus *in praxi benefic. tit. form. ſignat. num.* 30. in caſu, quo duobus vnum & idem beneficium collatum ſit, non eſſe præferendum illum, cui collatum fuit priùs, ſed illum, qui priùs poſſeſſionem accepit.

Veterũ Canoniſtarum opinatio.

Huic Civili fundamento Hoſtienſis & & alij Canoniſtæ apud Covarruviam *de matrim.* 2. *part. cap.* 7. §. 3. *num.* 5. poſterius matrimonium priori præferunt, quod in ipſo per realem corporum traditionem contractus perfectus & conſummatus fuerit.

Vera Reſolutio.

Dicendum tamen eſt, primum ſtare matrimonium, nec poſſe diſſolvi ſuperveniente altero: ait enim Paulus, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Ita Malleus *malleat.* 61. *bract.* 41. *pag* 677. *b.* & omnes Doctores communiter. Inferentes *ex leg. cum quis duas*, copulam habitam, poſt ſecundum contractum, Adulterij notâ muri, & utrumque (tam Titium, quàm Ioannam) fore ab Eccleſiaſtico iudice puniendum. Et addit Malleus [ſuſpectus etiam de fide habendus eſt, qui ſecundum matrimonium contrahit primo durante, quod non rectè ſentiat de Sacramentis. Ita plures apud Covarruviam *loc. cit.*]

An ſit ſuſpectus de hæreſi, qui poſt matrimoniũ ratum init adhuc alterum matrimonium.

IMPEDIMENTVM X.
Honeſtas.

Quid ſit publica honeſtas?

MMMMDCCXCIV. VOcatur *Publica honeſtatis*, & Matrimonium dirimit, quia eſt propinquitas quædam ex ſponſalibus de futuro (aut etiam ex Matrimonio rato) proveniens: & ob honeſtatem decentiámque hoc impedimentum eſt poſitum ab Eccleſiâ.

Per quot gradus percurrat?

Illud olim ad quartum uſque conſanguinitatis gradum extendebatur. D. Thomas *in* 4. *diſt.* 41. *quæſt* 2. *art.* 1. *quæſt.* 4. Thomas Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 68. *num.* 8. Baſilius *lib.* 7. *cap* 36. *num.* 4. & alij.

Quæ matrimonia dirimat?

Hodie ultra gradum primum non excurrit: unde, ſi Petrus cum Iulia ſponſalia contraxit, nec ejus ſororem, nec matrem, nec filiam ducet validè. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. & ex eo univerſi Doctores.

Monitum hiſtoricum.

Et hîc obiter nota, non eſſe accuſandos erroris Authores, qui ante Concilium Tridentinum ſcripſerunt: quia tametſi dixerint, quæ hodie ſunt falſa; dixerunt, quæ tunc erant vera. Quod monuero: nam vidi in hujuſmodi aliquos allucinari.

De contractu invalido.

Ex Sponſalibus invalidis non oritur aliquod impedimentum: quia quod non eſt, nec paſſiones, nec proprietates, nec effectus habet.

Patet ex Regula LII. quoniam *non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum.*

An ſponſalia ficta obligent?

Sed quid dicemus, de illis, quæ meris verbis, deficiente interno conſenſu celebrata? An-ne ex ſponſalibus fictè initis impedimentum publicæ honeſtatis deducetur? Reſpondeo me duo deſiderare: alterum circa ipſa ſponſalia, & conſequenter univerſos contractus: & alterum generaliter circa omnia impedimenta: videlicet illa (ſponſalia) verbis validè fieri: & hæc ſtare quamdiu in foro externo cauſa ſtat, quia de occultis non judicat Eccleſia. *Circa primum* dico, eum, qui domum vel equum vendidit, non audiri, ſi dicat ſe non habuiſſe intentionem vendendi. Ergo poſſemus dicere eum, qui fictè celebravit ſponſalia, validè celebraſſe, quia eſt contractus externus, inter homines factus, qui de aliorum actibus internis non judicant. Et hîc non deſeror ab ſcriptoribus, nam Leander *part.* 2. *tract* 9. *diſp.* 1. *quæſt.* 14. *pag.* 206. *a.* interrogat, *An verè ſponſalia contrahat, qui matrimonium promiſit omninò fictè, hoc eſt, non ſolùm animo non implendi, & non ſe obligandi, ſed etiam non promittendi?* Et reſpondet. *Probabiliter æquè reſpondeo etiam contrahere ſponſalia, manereque obligatum ad contrahendum, ſaltem ex fidelitate. Quia promiſſio exterior & verbalis eſt vera promiſſio reſpectu hominis: ergo valida ad illum obligandum. Antecedens latè probant Baſilius* lib. 12. cap. 2. à num. 2. *Vaſquez* diſp. 6. c. 1. à num. 13. *& Hurtadus* diſp. 1. diff. 11. *Sic docent prædicti Doctores.* Et poſtea *ibid. diſput.* 19. *quæſt.* 3. *pag.* 301. *a.* inquirit, *An publicæ honeſtatis impedimentum oriatur ex ſponſalibus fictè celebratis: hoc eſt, ore tenus abſque conſenſu interiori?* Et decidit controverſiam his verbis. *Probabilius reſpondeo, oriri: caſu quo defectus conſenſûs non conſtet exteriùs. Quia tunc verè ſponſalia ſunt valida: Quia, excepto Matrimonio, omnes contractus ſignis tantùm externis validè celebrantur. Sic Baſilius* lib. 7. cap. 36. num. 10. pag. mihi 579. *Sanchez* lib. 7. diſp. 68. numer. 14. *& penes ipſum Henriquez* lib. 12. de matr. cap. 10. num. 2. *Rodriguez* tom. 1. ſumm. cap. 234. num. 3. *Bartholomæus de Ledeſma* de matr. dub. 43. *& Vega* tom. 2. ſumm. cap. 34. caſ. 13. *Sic etiam Covarruvias & D. Antoninus penes Petrum Ledeſma* quæſt. 55. de matrim. pag. 424. col. 2. *Sic etiam Layman* lib. 5. tract. 10. cap. 9. num. 4. *&c.* Ecce excipit, non ſponſalia, ſed matrimonium à regula generali contractuum. Porrò *tract eod. diſp.* 6. *quæſt.* 18. inveſtigat, *An, qui ficto conſenſu Matrimonium contraxit teneatur cum eâdem ſponsâ denuò, vero conſenſu contrahere?* Et ſupponens invalidè contraxiſſe, ſolùm quærit, quam obligationem incurrat, quia decepit ſponſam, & ait. *Probabilius certè, abſolutè reſpondeo, teneri. Quia ex oppoſitâ ſententia latiſſima aperitur via hominibus ſceleratis ad ſæpè decipiendas fœminas. Sic Petrus Ledeſma* quæſt 45. art. 4. dub. 1. *dicens, oppoſitam ſententiam eſſe improbabilem. Idemque docet & dicit Baſilius* lib. 2. cap. 5. *&c.* At via illa hominibus ſceleratis præcluderetur, ſi Matrimonium relinqueretur in Regula generali contractuum; & diceretur verbis illud externis validè celebrari independenter à conſenſu interno, de quo humanitùs non judicatur.

An ad Civilium contractuum valorem intentio interna requiratur?

Quæ ſponſalia fictè celebrari dicantur?

An vera ſponſalia ſint, etſi ficta vocantur?

An ad ſolum matrimonialem contractum intentio requiratur?

Cur intentio ad Matrimonij valorem requiratur?

Digitized by Google

Omnia ad ſuum valorem Sacramenta Miniſtri intentionem requirunt.

Interim, quia deſiderium ab intellectione diſtinguitur, benè ſtat me hanc propoſitionem, *Matrimonium verbis externis ſine conſenſu interno liberè celebratum eſt validum*, eſſe veram deſiderare: & tamen judicare eſſe falſam; quia, potuit Deus, cui omne cor patet, & omnis intellectus loquitur, ad contractûs Connubialis valorem actus etiam purè internos requirere: & Chriſtus (quidquid de Matrimonio univerſim ſumpto dicatur) quando illud ad Sacramenti dignitatem evexit, illud generali Sacramentorum legi, quæ Miniſtri poſtulat intentionem, ſubjecit. Ergo certum eſt intentionem internam ad valorem Matrimonij requiri; nam opinatio oppoſita, ut ſuperiùs vidimus, non ſolùm à Doctoribus, ſed à Summis Pontificibus reprobatur.

MMMDCCXCV. *An impedimenti dirimentis veritas in ſubjecti, cui adhæret veritate, an verò credulitate fundetur?*

Alteram propoſitionem, quam deſideratem eſſe veram eſt hæc. *Quamdiu cauſa præbens impedimentum in foro externo ſtat, tamdiu impedimentum verè dirimit matrimonium.* Pono caſum. Petrus duxit Antoniam omnia externa verba & ſigna adhibens, quæ ad Matrimonij valorem requirebantur. Interim habebat intentionem non ineundi contractum. Matrimonium eſt invalidum in vera & communi ſententia. Et quid, ſi Petrus de facto aliam uxorem ducat, puta Ioannam, &, ſi velis matrimonium conſummet. Dicent Authores hoc ſecundum Matrimonium eſſe validum. Et, quid inde ſequetur? Debere Epiſcopum per definitivam ſententiam Petrum à Ioanna ſua legitima uxore ſeparare. Ioannæ fœminæ conjugatæ indulgere, ut ſecundo marito, vivo primo, nubat: & præcipere, ut Antoniam fœminam non ſuam Petrus tanquam legitimam uxorem habeat, &c. Quæ omnia inconvenientia ceſſarent, ſi illa à nobis optata propoſitio eſſet vera. Illam interim non eſſe manifeſtè falſam cognoſces, ſi Ægidium Coninckium volueris audire, nam *diſp.* 32. *de matrim. dub.* 5. *pag.* 825. *b.* ſic inquit.

An ſponſalia invalida, quàdiu putentur valida, dirimant?

[Excipiunt aliqui caſum, quo impedimentum eſt omninò occultum, & ſponſalia ſunt publica; quia illud impedimentum ab Eccleſiâ eſt inductum ad vitandum ſcandalum, ut dicitur *cap. iuvenis* 3. *de ſponſalib.* atqui ex nuptiis cum ſorore ſponſæ poſteà contractis orietur ſcandalum, eodem modo ac ſi priora ſponſalia fuiſſent valida, cùm talia eſſe credantur: ergò Eccleſia voluit etiam hoc caſu impedimentum hoc permanere. Huic ſententiæ valdè favet Durand: in 4. diſt. 41. quæſt. 2. Palud. *ibid.* a. 3. *concl.* 2. Sylveſt. *matrimon.* 8. *numero* 4. *dict.* 6. quatenus dicunt, id quod ſtatuitur *cap. vn. de ſponſal. in* 6. ut ſponſalia irrita ob defectum conſensûs non inducant impedimentum, intelligendum eſſe in caſu, quo hic defectus poſſit palàm probari. idque probant argumento iam allato. Vnde

An occulta nullitas auferat impedimentum?

inferunt primò, *&c.*] Ecce ut ſit impedimentum dirimens, non requiritur (& nota hoc benè) quod ſponſalia vera ſint, ſed quod vera putentur. Subjungit adhuc [ſecundò ea ſponſalia, etiam publica, tamdiu ſolùm inducere impedimentum quamdiu eorum nullitas eſt occulta. Vnde, ſi hæc poſteà, etiam per falſos teſtes fiat publica, ajunt, ceſſare omne impedimentum, quia ceſſat ratio ſcandali.] hæc ille, qui ſubjungit ſtatim [ſed in hac ſententiâ multa mihi apparent difficilia, *&c.*]

MMMDCCXCVI. *An, ſi fœmina poſt priorù mariti mortem, ſed antequam de illâ certò conſtaret, alteri nupſerit, hoc ſecundum Matrimoniũ ſit invalidum?*

Optatam à nobis propoſitionis veritatem, ut certam ſupponit Amicus *tom.* 9. *de matrim. diſp.* 22. *ſect.* 2. *pag.* 221. *b. num.* 13. rogat enim, *An ligaminis impedimentum veritatem ipſam, an verò notitiam concernat: puta, ſi Petrus reverà mortuus ſit, & tamen eius uxor Aurelia nondum habitâ de eius morte morali certitudine alij nupſerit?* Et reſpondet his verbis. [Dicendum, tale Matrimonium non fore validum. Ita communiter, tum ex fine huius Eccleſiaſticæ prohibitionis, qui eſt vitare adulteria, quæ facilè committerentur, niſi hæc moralis certitudo de morte prioris conjugis ante matrimonium ſecundum præmittenda foret: tum ex injuſtitiâ, quæ contra priorem conjugem committeretur, ſi ejus morte juridicè non examinatâ ſtatim ad ſecundas nuptias tranſiretur: habet enim conjux, etiam mortuus, præſumptum jus, ut quamdiu de ſuâ morte juridicè non conſtet, nequeat ſuperſtes ad ſecunda vota convolare. Hinc ſequitur novum præſtandum eſſe conſenſum, per verba de præſenti expreſſum, ſi matrimonium ſine morali certitudine de morte prioris conjugis initum ſit, cùm illud fuerit invalidum, utpote deſtitutum conditione ad ipſius valorem ab Eccleſiâ requiſita.] Hæc ille, qui progreditur, & argumenta, quæ contrà ponebantur, diſſolvit.

Caſus proponitur, qui magnâ indiget conſideratione.

Si exiſtimes Amicum prudenter & doctè diſcurrere, hunc caſum ad ejuſdem mentem, immò etiam eiuſdem verbis pauciſſimis mutatis decides. [Cæſarius præmiſſis omnibus à jure requiſitis ſolennitatibus, in Monaſterio N. ſolennem profeſſionem emiſit; & quia ſcit ſe caruiſſe voluntate vovendi, ſe non eſſe Religioſum aſſerit, nec voto Caſtitatis teneri. Et idcò de facto Æmiliam in uxorem adſumpſit. Et tu interrogas, An Matrimonium fuerit validum? Videretur enim quod ſic. Quia impedimentum, ſi eſſet, naſceretur ex voto: at ille nullum emiſit: Ergo nullo impedimento præpeditur.

Religioſum, dùm profitetur, cum Deo, & cum Religione paciſcitur. Vt pactum cũ Deo initum ſit validum, intentio in omniũ opinione requiritur: ut autem initũ cum Cõmunitate ſit validum intentio non nu:e in omnium opinione requiritur.

Reſpondeo primò, etſi probet ſuam intentionem, non fore omnino liberum, quia votum in ſolenni profeſſione fit Deo, & contractus cum Monaſterio & Religione celebratur: & licèt certum ſit votum illud ſine voluntate vovendi erga Deum eſſe invalidum; contractus humanos quoad valorem ab actibus internis non pendere, probabiliſſima, ut nuper dicebamus, aſſeverat opinio. Sed uberioris doctrinæ gratia Cæſarium poſſe probare, nondum autem probaſſe ſe invalidè profeſſum eſſe ſupponendo.

Reſpondeo ſecundò, Amici ingenio & etiam verbis utens, matrimonium illud inter Cæſarium, Æmiliamq; fuiſſe invalidum. Et deſiderarem, quod ita omnes reſponderent communi

communiter. Ratio, reſolutionis deſumitur ex fine huius Eccleſiaſticæ prohibitionis, qui eſt vitare ſacrilegia, quæ facilè committerentur, niſi hæc moralis certitudo (qualis à Iudicis ſententia procedit) de nullitate profeſſionis ante Matrimonium præmittenda foret. Tum ex, iniuſtitiâ, quæ contra Monaſterium & Ordinem committeretur, ſi profeſſionis nullitate iuridicè non examinatâ ſtatim ille Religioſus, qui invalidè ſe profeſſum exiſtimat, Matrimonium iniret: habet enim Monaſterium, habet Religio ius, vt quamdiu de alicuius ſui Monachi invalidâ profeſſione iuridicè non conſtet, nequeat ille ad vota Matrimonialia convolare. Hinc ſequitur (etſi poſt contractum Matrimonium ſententia pro Profeſſionis nullitate feratur) novum præſtandum eſſe à Cæſario & Æmiliâ conſenſum per verba de præſenti expreſſum: quia prior ille ante ſententiam celebratus contractus fuit nullus. Hanc doctrinam vberiùs ediſſerit & dilucidat tota Epiſtola X. quam *in Theol. Reg. tom. 3. pag.* 105. reperies.

Si profeſſionis nullitas ſit occulta, matrimonium ſubſequens erit invalidum.

Ergo veniendo ad honeſtatis impedimentum, manet illud, etſi ſponſalia fuerint nulla, ſi nullitas non poſſit probari.

MMMDCCXCVII. *An collatur publicæ honeſtatis impedimentū, ſi ſponſalia communi cōſenſu diſſolvantur?*

SEd quæris. *An hoc impedimentum ceſſet, ſi ſponſalia, quæ erant valida, mutuo contrahentium conſenſu diſſolvantur?* Reſpondeo vtrumque eſſe probabile: & pro benignâ ſententiâ citari Cardinalium Declarationem à Farinacio *ad Concilij Tridentini caput* III. *ſeſſionis* XXIV. Addo per mortem alterius ſponſi hoc impedimentum non ceſſare. Ita Baſilius, Sa, Corneius, Palaus, quos citat & ſequitur Leander *part. 2. tract. 9. diſp.* 29. 94. Et, ſi rationem petas, non dicam cum his Authoribus, quod ſponſalia illa perpetua eſſe cenſentur: quia, qui obiit iudicatur in eadem voluntate deceſſiſſe. Non, inquam, hoc ego dicam, quia mors, ſicut Matrimonium, ita & ſponſalia diſſolvit. Et ſicut ad vim impedimenti non eſt neceſſarium, quod Matrimonium ſit, ſed quod fuerit: ſic non erit neceſſarium, quod ſponſalia ſint, ſed quod fuerint. Et hinc ſumit maiores vires opinio Sanchezii, qui *lib. 7. de Matrim. diſp.* 68. aſſerit etiam ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis hoc impedimentum reſultare. Corneius *diſp. 7. dub. 30. quæſt. 5.* Sanchezium Cardinalium declarationem non vidiſſe ait; nam aliàs habuiſſet benigniorem ſententiam. Et ego auderem dicere, nec Corneium in formâ authenticâ Declarationem eam vidiſſe: &, vt viderit, non ideo poſſe dicere ſententiam oppoſitam eſſe improbabilem.

An ſicut à Matrimonio, quod non eſt, ſed fuit, ſic etiā à ſponſalibus, quæ non ſunt, ſed fuerunt, impedimentū ſuboriatur?

Impedimentum XI.
Affinitas.

MMMDCCXCVIII. *An per illicitam copulā Affinitas contrahatur?*

AFfinitas eſt quarumdam perſonarum conexio, ex copulâ carnali, licitâ aut illicitâ, proveniens. Ab illicitâ non provenire docuerunt olim Tancredus & Vincentius apud Archidiaconum *cap. vlt. num. 6. de ſponſ. in ſexto.* Gotfredus apud Angelum. *verb. matrimonium. 3. imped. 15. num. 5.* Coraſius *lib. 1. Miſcell. cap. 3.* Et eiuſdem opinationis fortè fuit Imperator *in leg. Non facile,* inquit enim. *Sciendum eſt neque cognationem neque affinitatem eſſe poſſe, niſi nuptiæ non interdictæ ſint, ex quibus affinitas coniungitur.* Sed hodie eſt indubitata doctrina, *cap. Non debet, de conſang. & affin.* & *cap. diſcretionem, de eo qui cognovit conſang.* ipſam enim firmavit Tridentinum *ſeſſ. 24. cap.* 4. affinitatem ex copula licita ad quartum gradum extendens, & ortam ab illicita ad ſecundum contrahens. Nec vrget illa lex, *Non facile*, quæ ex Iure Cæſareo producta, nam ſciendum eſt Affinitatem in Philoſophicam, Civilem, & Theologicam dividi: quoniam ſecundum ſuam eſſentiam intrinſecam, & in ordine ad hæreditatem, & in ordine ad matrimonium, à Philoſophis, Iuriſtis, & Theologis conſideratur. Et Imperatorem in lege illâ agere de Civili, vt Amicus *tom. 9. diſp. 17. ſect. 3. pag. 200. b. num.* 48. nos monet, inquit enim. *Leges Civiles negant ex copula illicita Affinitatem oriri, ad effectum dumtaxat ſuccedendi in hæreditatem, in ordine ad quem effectum gradus Conſanguinitatis & Affinitatis eædem leges computant.* Ergo illegitimi, cùm ad hæreditatem non vocentur, nec conſanguinei ſunt, nec affines civiliter. Conſonat Coninckio *de Sacram. diſp. 32. dub. 3. pag. 823. b. §. Ad ſecundum, num.* 50. dicenti. [Solum dicit Affinitatem non contrahi ex nuptiis interdictis inceſtuoſis ſcilicet; idque non abſolutè ſed quantum ad aliquos effectus civiles: v. gr. ſucceſſionem, & ſimiles: quia lex noluit concedere hæc privilegia his nuptiis, quas damnabat. Vnde ibidem etiam ſtatuit, diminutos capite, ſiue qui civitatem ac libertatem perdiderant, aut quibus aquâ & igni interdictum erat, perdere omnem cognationem ac affinitatem, quod de vinculo naturaliter antè contracto dici nequit: neque enim per ea fratres poterant deſinere eſſe fratres aut privigni eſſe privigni.] Sed quod realiter non poterant, ſiquidem in ordine ad hæreditatem ita ſe habebant ac ſi fratres aut privigni non eſſent. Hoc tamen non obſtante in ordine ad matrimonium Affinitatem ex illicita copula ortam leges Imperiales admittunt, vt patet *ex leg. liberi. 4. C. de nuptiis.* clariſſimè, nam ibi ſtatuitur, ne in vxores filij parentum concubinas adſumant. Præterea notandum eſt, conſcientiæ regulas non debere à Iure Cæſareo deſumi: nam ſiquid contra doctrinam præſentem ſtatuit, à Canonico *cap. Fraternitatis, 35. quæſt.* 10. & ab Eccleſia correctum eſt in diverſis Conciliis.

N. B. Vtraque (videlicet, tam quæ ex legitima, quàm quæ ex illegitimâ copulâ procèdebat) ad ſeptimū gradum olim extendebatur: nunc illa ad quartum, & hæc eſt ad ſecundum reſtricta.

Eſt triplex Philoſophica, Civilis, & Theologica. Prima ſua eſſentialia prædicata conſiderat, Secunda hæreditates concernit. Et Tertia pertinet ad Matrimonia.

Hinc patet vnum & eumdem reſpectu eiuſdem eſſe poſſe conſanguineum & affinem ſimul: ſic enim in ſequenti genealogia.

Carol.

Digitized by Google

Quomodo gradus affinitatis numerentur?

Carol. { Petr. { Ioann. { Titus
Carol. { Anna { Eva { Lia { Agna.
Carol. { Anna { Eva { Phyllis.

Affinitas ex copulâ licitâ quatuor, ex illicitâ duos tãtùm gradus percurrit.

Titus & Lia ſunt conſanguinei in tertio gradu: Titus & Agna in quarto: ſemper enim à remotiori ſumitur denominatio. Si autem duxerit Titus Phyllida, erit affinis Liæ in primo gradu. Et, ſi duxerit Liam erit æquè, Phyllidos, & Agnæ affinis in primo gradu. Tandem, ſi idem Titus Phyllida cognoverit extra Matrimonium, erit affinis in primo gradu Liæ: ultra ſecundum gradum poterit alias Phyllidos cognatas ducere: nam affinitas ex copulâ illicitâ ultra ſecundum gradum non tranſit.

An, & quãdo maritus affinis ſuæ uxoris reddatur?

Hinc patet hominem conjugatum, qui cum ſuæ uxoris matre, filia, aut ſorore, &c. adulterium committeret, reddi ſuæ uxoris affinem, & uſu Matrimonij privari.

MMMDCCXCIX. *Aliter ex adulterio non inceſtuoſo, & aliter ex inceſtuoſo coniux in uſu Matrimonij ligatur?*

DIces, id non eſſe in caſu præſenti ſpeciale, nam omnis adulter privatur jure petendi debitum. Hæc enim pœna eſt omni adulterio præſcripta. Sed reſpondeo inter adulterium, ex quo reſultat affinitas cum ſuâ uxore, & alia adulteria eſſe magnam diſparitatem: nam adulterium privat adulterum jure petendi debitum, non autem obligatione reddendi: at affinitas ſicut reddit perſonas inhabiles ad contrahendum; ſic, ſi poſt matrimonium contractum ſuperveniat, reddit ad debitum petendum & reddendum inhabiles; Iure nimirum Eccleſiaſtico, ut ſtatim videbimus. Et hic hæreamus tantiſper, ut pœnam hanc meliùs intelligamus. Poſſe alterum conjugem, etſi adulterium commiſerit, ab altero criminis inſcio debitum petere paſſim Theologi affirmant. Ita Coninck *de ſacrament. diſp.* 23. *dub.* 12. (non *diſt.* 12. ut citatur) *num.* 87. Cajetanus *tom.* 1. *opuſc. tract.* 31. *art.* 2. *reſponſ.* 4. Sotus *in* 4. *diſt.* 36. *quæſt.* 1. *art.* 4. §. *Verum verò uxor.* Petrus Soto *lect.* 16. *de matrim.* §. *penult.* Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 6. Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 68. *n.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 287. *in fin.* Cotonius *in ſumm. verb. Adulterium num.* 3. & alij contra Navarrum, Covarruviam, Angelum, Armillam, &c. Fusè probant Authores opinionem Coninckij, & tamen vera ratio inter ipſum & Navarrum procedit.

An poſſit debitũ petere, qui adulterium commiſit?

Dicit Coninck, *Adulter à coniuge adulterij inſciâ ſemper poteſt debitum petere:* dicit Navarrus, *Nunquam poteſt.* Dicimus nos, *Aliquando, ſed per accidens, poteſt.* Ratio eſt; quia nemo tenetur ſe prodere. Ergo neuter tenetur alteri dicere, ſe violaſſe fidem, & commiſiſſe adulterium. Ergo, quia, ſi alter nunquam debitum peteret, alter in ſuſpiciones pernitioſas veniret, poteſt adulter toties petere, quoties ad impediendam hujuſmodi ſuſpicionem ſufficiat.

Alteruter, & fœmina præcipuè, cum magno ſe periculo proderet.

Hinc venio ad Titum, qui cum uxoris ſuæ ſorore adulterium commiſit, Bifariam ipſe in uſu Matrimonij impeditur: videlicet propter adulterium, & propter affinitatem. Illud privat cum jure petendi debitum: hæc jure petendi & reddendi. At, quia Eccleſiaſticæ leges non obligant cum tanto damno (nempe, ad detegenda ſecreta crimina: ad vitæ periculum: ad perdendum honorem, &c.) ſicut, qui cum aliâ quâcumque, ſic etiam, qui cum ſorore ſuæ uxoris adulterium commiſit, poterit debitum petere & reddere, quamdiu illa crimen iſtud ignoret: non quidem liberè, & per ſe, ſed per accidens; ne videlicet illa in infidelitatis commiſſæ ſuſpicionem trahatur.

Ea poteſt facere, quæ neceſſaria fuerint, ne alter in criminis ſuſpicionem feratur.

De nõ inceſtuoſo adulterio.

Sed quid faciendum, ſi fœmina in cognitionem admiſſi adulterij tandem veniat? Si adulterium inceſtuoſum non fuerit, etſi maritus non habeat jus cogendi uxorem, aut ab illa poſſit petere ſolutionem ex debito; poteſt petere gratiam; nemini enim præcipitur, ne gratiam poſtulet. Et hanc uxor negare aut concedere poteſt. Interim, ſi ſui corporis copiam, ſemel ultrò vel rogata conceſſerit, injuriam condonaſſe, & maritum ſibi reconciliaviſſe cenſetur: nec poterit debitum poſteà ſine nova cauſa negare.

Per copulã præcedens injuria condonatur.

De inceſtuoſo, in primo, aut ſecundo gradu, adulterio.

Si autem inceſtuoſum fuerit adulterium, nempe in primo vel ſecundo gradu tantummodò, & ad uxoris notitiam venerit, intercedit inter maritum & uxorem affinitas, quæ præcipit, ne debitum petatur aut ſolvatur: in quo impedimento non poteſt illa condonando injuriam diſpenſare. Ergo abſtinere ab uſu matrimoniali debent, quouſque impetrent diſpenſationem.

MMMDCCC. *Petrus cognovit duas ſuæ uxoris conſanguineas: Liviam in ſecundo, & Carolam in tertio gradu.* Quomodo confitebitur?

An gradus debeant in inceſtu explicari?

Stando probabiliſſimæ ſententiæ, quæ docet graduum diſtinctionem non eſſe in confeſſione neceſſariò explicandam, reſpondeo Petrum duos inceſtus ejuſdem ſpeciei commiſiſſe, & ſatisfacere in confeſſione dicendo, *Bis peccatum inceſtûs perpetravi.*

Generalis pœna fornicationis.

Addo eumdem per accidens aliter & aliter ab Eccleſia puniri. Pœna generalis omni fornicationi præſcripta eſt, *ut, qui unam cognoverit fœminam, ejus in primo aut ſecundo gradu cognatam, nec poſſit in uxorem ducere, nec ſine inceſtu tangere.*

A peccatis eiuſdem ſpeciei diverſæ obligationes poſſunt naſci per accidẽs.

Petrus ergo non poteſt jam cognoſcere fœminas, quæ Liviæ & Carolæ ſint in gradu primo aut ſecundo cognatæ. At uxor Petri eſt in ſecundo gradu cognata Liviæ. Ergo Petrus commiſcendo ſe Liviæ, ſe ſuæ uxoris affinem reddidit, & à jure debitum ſolvendi & petendi privavit. Ergo à duobus peccatis ejuſdem infimæ ſpeciei onera diverſa naſcuntur, quæ debent benè conſiderari.

An de gradu inceſtûs pœnitentem poſſit interrogare Confeſſarius?

Dices. Debere pœnitentem gradus affinitatis à ſe violatæ per fornicationem exponere; quia hanc doctrinam & differentiam, quam dilucidabam, ipſe non ſcit, & niſi in inceſtu gradum explicet, non poterit à Confeſſario juvari. Addis, ſaltem debere Confeſſario concedi, ut habeat jus pœnitentem interrogandi.

Vtrumque

Quomodo hic debeat pœnitentem inſtruere?

Vtrumque nego: nec enim pœnitens gradum explicare tenetur, nec Confeſſarius habet jus præcipiendi, ut gradum exponat: nec ex ſubticentiâ inconveniens aliquod ſubſequetur; quia, ſi pœnitens vir doctus ſit, inſtructione non indiget: ſi autem ſit idiota, moneri poterit eum, qui inceſtum primi aut ſecundi gradûs affinitatis perpetrat, tales & tales incurrere obligationes. Hinc enim ſciet, quid debeat facere, quin aggravantes intra eamdem ſpeciem circumſtantias pœnitens in confeſſione explicare cogatur, nec poterit reddere, nec petere, donec impetret diſpenſationem.

An circumſtantiæ aggravantes ſint neceſſariò explicandæ?

M M M-DCCCI.
De Philoſophica & Theologica affinitate.

SI interroges, *An affinitas ſit ex Iure naturæ, an verò ex Iure Pontificio, aut Cæſareo?* Reſpondebo latêre aliquam in ipſomet nomine æquivocationem: nam bifariam poteſt affinitas conſiderari, videlicet, Philoſophicè, & Theologicè. Sub primam conſiderationem ex copulâ, tam licitâ, quàm illicitâ oritur, & multas perſonas fœdere ſpecialis amicitiæ conjungit. [Et amicitiæ conſultò dico: nam inimicitiæ, quæ ex copulâ ſuboriuntur interdum, aut concitantur injuſtè, aut ab injuſtitiâ, quæ copulam comitatur, naſcuntur.] Sub ſecundam, ita aliquas perſonas afficit, vt reddat illas matrimonij contrahendi incapaces. Porrò Affinitatem Philoſophicam ex quâcumque copulâ oriri, conſtat ex S. Paulo, qui 1. Corinth. 15. ſic inquit: *Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit! An neſcitis quoniam qui adhæret* (commiſcetur) *meretrici, unum corpus efficitur:* quoniam, *erunt duo in carne unâ.* Et eamdem Philoſophicam Affinitatem non impedire naturaliter Matrimonium, conſtat ex populis benè gubernatis, qui tale impedimentum neſciverunt. Quoniam Seleucus Syriæ Rex, cùm reſciret filium ſuum Antiochum ita ardere Stratonicen uxorem ſuam (novercam eius) ut in morbum inciderit, & periculosè laboraret, compaſſus juveni, eam illi conceſſit in uxorem. Hoc factum maximè laudat Valerius Maximus *libr.* 5. *cap.* 7. qui non laudaret illud, ſi apud Romanos crimini reputaretur. Theologicam Affinitatem in Veteri Teſtamento reperio, nam multæ habentur leges, quæ Affinium Matrimonia interdicunt, & Amos 2. 7 in patrem & filium exclamat, quod cum eâdem libidinarentur. Etiam Theologica in Iure Cæſareo invenitur: quoniam Alexander Imperator *leg. Liberi* 4. *C. de nuptiis*, cavit, ne filij parentum concubinas ducerent in uxores.

Stratonicen novercam ſuam Antiochus ducit in uxorem.

An pater & filius ad eamdē fœminam poſſint accedere?

M M M-DCCCII.
An ex quacumque copula ſuboriatur affinitas?

PRætereà ſi velis ſcire, qualis eſſe debeat copula, ex quâ prodit Affinitas? dabo Cotonij verba, quæ continent multum doctrinæ. [Inferimus, ait, cum Gutierez *cap.* 54. *num.* 23. & aliis contra Præpoſitum *in* 3. *part. quæſt.* 7. *dub.* 11. *num.* 88. ex matrimonio rato, & non conſummato non oriri impedimentum affinitatis [*a*] ſed ſolius honeſtatis: & proinde pro eius diſpenſatione non eſſe ſolvendum Datariæ duplum: nec cognoſcentem conſanguineam uxoris nondum cognitæ incurrere excommunicationem Clem. vnic. *de conſang.* Ratio autem eſt, quia propinquitas ſanguinis verbis dicitur, non efficitur [*b* vt declaravit Pius V. *in Bulla ad Romanum*, & Sacra Congregatio apud Rebell, *num.* 109. Farinac. *in ſeſſ.* 44. *cap.* 3. Ita Diana *part.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 25. Hæc Cotonius *in ſumm. verb. Impedimentum, num.* 18. Dixerat *verb. Affinitas, n.* 2. [Benedictus Pontifex *can. lex divinæ conſtitutioni.* Dicit ideò oſculum non parere affinitatem, quia nullam facit ſanguinis commixtionem. Ergo ad affinitatem requiritur ſanguinis commixtio. Ita Diana *part* 3. *tract.* 5. *reſol.* 16. *§. difficultas, & in Additionib. ſecund. reſol.* 21. necnon *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 43.]

[a Ex matrimonio rato & non cōſummato affinitatem oriri docet Sotus *in* 4. *diſt.* 41. *q. unic. art.* 2. *in fin.* Petr. Sot. *lect.* 10. *de matr.*

[b Affinitas non eſt res dicta, ſed eſt res facta.

An vtriuſque ſeminationem requirat?

Ergo ex copulâ, ſi neuter ſeminet, non naſcitur impedimentum. Ergo ex copulâ ſi alter tantummodò ſeminet, non naſcitur impedimentum. Nec hîc inquiri debet, an mulieris ſemen ſit ad generationem neceſſarium? An ipſa activè, an verò paſſivè ad generationem concurrat; nam hoc impedimentum non à rei naturâ, ſed à lege Canonicâ provenit: & ideò non eſt examinanda virtus ſeminis fœminini, [an videlicet ad generationem neceſſarium? an materialiter tantùm, an etiam efficienter concurrat, &c.] ſed verba Canonum ſunt perpendenda. Cùm autem hæc ſeminum commixtionem poſtulent, dicendum eſt ſine utriuſque ſeminatione intra vas non dari Theologicam affinitatem. Vnde, ſi vix ſub copulæ finem membrum extrahat, & extra vas fœmineum ſeminet, non contrahitur affinitas. Et quid, ſi ſemen extra vas effuſum in vas ingrediatur per accidens? Negare poſſet aliquis, caſum eſſe poſſibilem: &, ſi poſſibilis ſit, dicam ſemen in tali caſu in uterum fuiſſe ingreſſum per accidens, & hoc non ſufficere ad Theologicam Affinitatem.

Hæc quæſtio non pendet ab illa, quæ, quale ſit ſemen fœmineum, & qualiter concurrat, examinat, & cur?

M M M-DCCCIII.
De Dæmonibus incubis & ſuccubis.

HInc patet minimè ex vero fundamento decidi quæſtionem quæ interrogat, *An, ſi actu Dæmonis, aut humanâ arte ſemen extra vas fœmineum deciſum, in illud immitteretur, Affinitatis impedimentum reſultaret?* Videamus, quid reſpondeant Authores. Dian *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 19. hæc habet. [Nota etiam cum dict. Baſil. Poncio contra Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 21. *n.* 2. quòd, ſi ſemen alicujus viri ope dæmonis deferatur in uterum fœmineum, non contrahitur affinitas quia illi non ſunt facti una caro, nec ſibi adhæſerunt.] Sed cur non ſunt facti una caro, ſi commiſceantur ſemina? &, cur non adhæſiſſe ſibi dicendi ſunt quorum ſemina miſcentur & adhærent? ſed, quia Baſil. citat, an hic clariùs & doctiùs loquatur videamus. Baſil. itaque *lib.* 7. *cap.* 33 *n.* 2. his verbis quæſtionem decidit. [Vt autem contrahatur Affinitas neceſſaria eſt in primis carnalis copula; vnde, ſi ſemen alicujus viri ope dæmonis deferatur in uterum fœmineum, probabile judico non contrahi affinitatem, quidquid Thomas Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 21. *num.* 2. ut dico infrà *lib.* 9. *cap.* 9. Quia illi non ſunt facti una caro, nec ſibi adhæſerunt. Et aliàs innumeros ſcrupulos iniiceret ea opinio, dubitantibus hominibus, an ab illis dormientibus deciſum ſemen raptum à dæmone, alióque delatum, (*non* declaratū) eſſet. Vnde, neque, ſi caſu ad ſe

An ex illorū copula reſultare poſſit affinitas?

An in illa ſemina cōmiſceantur?

Non contrahitur affinitas, ſi ſemen ab extrinſeco in uterum immutatur.

traheret uterus fœmineus ſemen viri cum eâ ludentis contraheretur affinitas.] Conſonat Leander *part.* 2.*tract.* 9. *diſput.*20. *reſolut.* 7. *pag.*305.*a.* inquit enim. [Dicendum, eſt non ſufficere ad affinitatem contrahendam; quia ultra hoc requiritur quod generatio fiat per cooperationem naturalem, & nativam, & per copulam carnalem, & adhæſionem viri ad fœminam.] Sic ille, qui præter Baſilium & Dianam citat etiam P. Albizü manuſcripta, ex quibus (quia fortè Lector ea habere non poterit) hæc verba exſcribit. [Oportet tamen quod ſit copula carnalis: unde, ſi ſemen alicujus viri ope Dæmonis, aut caſu aliò deferatur in uterum fœmineum, non contrahitur affinitas: quia illi non ſunt facti una caro, nec ſibi adhæreſcunt.] Ita Albiz *tract. de Matrim. diſp.* 17. *dub.*1. ſunt verba: & Philoſophica confonduntur Theologicis, & Naturalia Moralibus. Sequentes concluſiones conſidera.

MMMDCCCIV.

Quid ſit ſemen, & quomodo à reliquo ſanguine diſtinguatur?

Prima. *Semen vivum ſpiritibus vitalibus conſtituitur formaliter.* Hi tam perfecti ſunt, ut propter illos Ethnici fingentes neſcio quam in ſemine Divinitatem, multa de illo dixerint & ſcripſerint, quæ minimè mittemus Chriſtiani. Pythagoras illud *optimi & laudabilis ſanguinis ſpumam* nuncupat. Et uberiùs Hippocrates *libr. de genitur. cap.* 3. & *libr. de naturâ fœtûs*, & *libr. Aphoriſm.*5.*part.*51.& *libell.de aere*, &c.& in aliis locis multa ad ſeminis commendationem habet, quæ ſimul hîc volui proponere.

An quid divinum ſit?

Seminis natura (inquit ille) *cùm cœlitùs inferatur, divinitatem præ ſe fert; &, quia varia producit organa, videtur habere quamdam cum elemento Stellarum, id eſt, cum Cœlo ſimilitudinem. Quem ad modum enim à Cœlo cuncta proficiſcuntur in mundum inferiorem, varia quidem illa multiformiaque: Sic ſimilitudine quâdam reſpondere videtur virtus illa ſeminis Cœlo, quod varia & difformia organa in animali, ipſumque animal vi ſuâ & facultatis virtute ſpiritibus corroborata producit: unde hos ſpiritus ſeminis*

Quâ virtute operetur?

principia animalium *nominamus, quia per eos anima in totum animatum propagatur.* Conſonat Auerroës, qui *comm.*69. aſſerit, *Semen agere & organizare fœtum virtute Divinâ*, & *libr.*7. *Metaph.* text.32. ait: *Virtutem ſeminis eſſe Divinam, artificioſæ & intellectuali virtuti ſimilem.* Et Galenus *libr. de fœtûs formation.* quærit, cogitat, rimatur, ſcrutatur, & nihil, quod ſibi ſatisfaciat invenit, & tamen concludit, *operationem ſeminis eſſe mirabilem, & non poſſe intellectu & ratione carere.*

Qualis ſit eius operatio?

Secunda. *Semen, in quo vitales ſpiritus evanuerunt, & mortuum & corruptum eſt.* Oculum animalis mortui æquivocè vocari *oculum* aſſerit Ariſtoteles: Dicamus ergo nos ſemen mortuum æquivocè *ſemen* vocari.

Quales ſint illi ſpiritus, qui ſemen conſtituunt?

Tertia. *Spiritus illi vitales, qui ſemen vivum conſtituunt, tam ſunt ſubtiles, ut ſtatim evaneſcant, cùm illud aëris inclementiæ ſubiicitur.* Hinc eſt, ut humanitùs fieri non poſſit, ut ſemen extra vas deciſum, antequàm moriatur, in uterum fœmineum inferatur. Sunt enim cogitatæ illæ Hiſtoriæ [c] quæ de mirabilibus generationibus circumferuntur: nec enim ſemen à juvene, qui ſe tactibus propriis corruperat, in balneo relictum, potuit puella ſe libidinosè tangens adtrahere, & per illud concipere; nec conjugata illa, quæ cum ſorore in lecto libidinabatur, potuit ſemen à marito receptum in uterum ſororis transfundere, & eam gravidam reddere. Hæc enim & ſimilia prodigia narrantur, ſed examini ſubiecta non ſubſiſtunt.

c Has omnes hiſtorias inter ſua ἄπιστα potuiſſet ponere Palæphatus.

An homo an ſaltem dæmon trãſportare ſemen illæsũ, & quin euaporetur, poſſit?

An Dæmonis induſtriæ concedemus, quæ humanæ negabamus? An fœminæ, quæ ſe proſtituunt Incubo, poſſunt concipere? Sanè ex maſculo & ſuccubo non poſſe generationem provenire, certum eſt. Et, quid quid mali, ſi idem de fœminâ & Incubo velimus dicere? Filij Doctoris Fauſti, quos ſuſcepit ex ſuccubo ſi ejus admittatur hiſtoria, fuerunt Dæmones: & quid, ſi idem de filiis, quos aliquæ dicuntur fœminæ ab Incubis ſuſcepiſſe aſſeramus? Et quidem Quæſtio tollitur ſi caſum poſſibilem eſſe negemus. Sed quia multi illum Viri docti admittunt, ſupponamus illum eſſe poſſibilem vt ex ſuppoſitione progrediamur, dicendo, potuiſſe contingere, vt poſtquam, vel fœmina oppreſſa ab incubo, vel ſuccubus ſe proſtituens viro, infantem phantaſticum, & non verum pepererit, aliquis parvulus verus, Deo ſic permittente, aliunde raptus, ſubſtitueretur, & filius Dæmonis judicaretur. Ceſſat ergo etiam quæſtio, ſi hoc dicatur.

Doctor Fauſtus ſuſcepit filios ex ſuccubo, qui eo pereunte, diſparuere cum matre.

Quid ex hypotheſi dicendum ſit?

MMMDCCCV.

Quarta. *Si Incubus, nam ſummo ingenio pollet, dum phantaſtico interpoſito corpore cum aliquâ muliercula coit, ſemen alibi effuſum ſuſcipit, & vivum transfert, & in uterum committit, & cum fœmineo ſemine immiſcet, erit generatio poſſibilis: & tunc filius, qui conciperetur, non eſſet, Dæmonis, ſed illius hominis, qui illud emiſit.* Et antequam hanc ipſam Concluſionem dilucidem, moneo Lectorem primò, Dæmonis vires divinitùs eſſe ligatas; nam aliàs ſæviret ille in homines, & cùm vellet occideret, ergo non poteſt ille deflorare unam virginem, neque ſub Incubi aut Succubi ſpecie cum hominibus libidinari, ſine ſpeciali permiſſione Divinâ. Moneo ſecundò, illa mortuorum corpora, quæ aliquando à Dæmone circumferuntur, damnatorum hominum eſſe: non enim eſt credibile quod Deus ſit permiſſurus, vt Dæmon utatur ad ſuas nequitias exercendas corporibus, quorum Animæ, aut in Cœlo Divinæ Beatitudinis lumine ſuffunduntur, aut ad Cœlum ſunt ex Purgatorio tandem aliquando venturæ. Ergo minimè permittet Altiſſimus, vt ſemine, quod à ſancti Viri dormientis corpore ex cauſâ purè naturali ſine peccato ullo deciditur, abuti Incubus poſſit, ut aliquam mulierem illudat. Erit ergo illud ſemen, quod Dæmon tranſportare permittitur, alicujus hominis ſcelerati, quem ob peccata admiſſa Deus vult etiam in hac vita punire. His præmiſſis Concluſionem poſitam dilucidemus verba Ildephonſi Peñafiel producendo, nam *tom.* 3. *diſputat.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 7. *pag.*41.

Maxima ſunt Dæmonis vires.

Vexaret & occideret homines, niſi ligaretur divinitùs.

Sunt dãnatorum hominum corpora, quibus in nequitiis ſuis vti permittitur.

Non niſi ſcelerati inventus ſemen erit, quod trãſmittet.

Digitized by Google

pag.41. a. ſic inquit. [Generationes, quæ fiunt à Dæmonibus Incubis, qui cùm noverint vim ſeminum, & opportuniora tempora ad generandum, ſubripiunt ab homine ſemen,& illud tranſmittunt in fœminæ vulvam ac matricem, cum quâ turpiter coëunt: non ſunt propriè generationes, de quibus loquimur, ac proïnde hujuſmodi Dæmones, non ſunt propriè generantes, quia ea generatio non provenit ab illis ut à principio conjuncto: tale enim ſemen non eſt deciſum à Dæmone, tanquam aliquid de ſubſtantiâ ejus, cùm Dæmon ratione ſuæ ſpiritualitatis & indiviſibilitatis incapax ſit talis deciſionis: quapropter filius ex tali coïtu genitus, non dicitur filius Dæmonis, ſed illius hominis, à quo Dæmon ſemen ſuffuravit (*lege*, ſuffuratus eſt) & adripuit: quemadmodum, qui adplicat ignem ligno, non dicitur phyſicè propriè comburere lignum, ſi in toto rigore loquendum ſit; ignis autem, cujus calorem applicat homo ligno, appellatur verè, propriè, & rigorosè *comburens lignum*: ita, non Dæmon, ſed ille homo, cujus virtutem ſeminalem applicat Dæmon, dicitur generare; quia ſemen non virtute Dæmonis, ſed virtute hominis generat, ut poſteà explicabitur latè, &c. Et hoc pacto natum fuiſſe Merlinum, celebrem in Angliâ vatem refert Abulenſis: idemque de Homero Poëtâ refert *in eius vita* Plutarchus ex Ariſtotele *lib.3. Poetica.*]

Filius inde proveniens, non erit Dæmonis, ſed illius, à quo ſemen deciſum.

An Merlinus in Angliâ, & Homerus in Græciâ nati fuerint ex incubis?

M M M-DCCCVI. *An ex huiuſmodi generatione oriantur conſanguinitas & affinitas?*

Quinta. *Ex generatione per Incubum facta Conſanguinitas Philoſophica naſcitur. Ergo ex commixtione ſeminum per Incubum facta Philoſophica naſcetur affinitas.* Patet (1) quia ſtrictiora Conſanguinitatis quam Affinitatis ſunt iura. Ergo, ſi Dæmonis arte poteſt adquiri Conſanguinitas, etiam poterit Affinitas. (2) Quia commixtio ſeminum ſicut ad generationem & conſanguinitatem, ſic etiam ad affinitatem requiritur: quod autem ſemen hoc vel illo modo ſit deciſum, ſicut nec ad generationem, nec ad conſanguinitatem, ſic nec ad affinitatem requiritur. Peñafiel *ubi ſupra.* [Vir in congreſſu cum fœminâ non aliud facit, quàm immittere ſemen in matricem fœminæ. Parum autem refert, quod ea immiſſio fiat à Dæmone vel ab homine; cùm talis immiſſio vel applicatio non ſit ipſa generatio, &c.]

Leges de re ignotâ non feruntur. Non ſcitur unde Dæmõ ſuffuratus ſit ſemen.

Sexta. *Potuit Eccleſia facere, ut hæc Affinitas eſſet Theologica, & impediret Matrimonium: at hoc non fecit: nam ſoli Affinitati, quæ ex maris & fœminæ copulâ oritur virtutem dirimendi Matrimonium accenſuit.* Nec hinc aliquid reſultat, quod poſſit corrigi, aut inconvenientia parturiat, (1) quia fortè falſa ſunt omniâ, quæ de talibus generationibus in libris ſcripta (2) quia, etſi eſſent vera, nunquam ſciretur unde ſemen ſumpſerit Diabolus Ergo fruſtra ferrentur de affinitate leges, ubi non poteſt ſciri, quas illa perſonas concernat.

An ex præpoſterâ Venere ſuboriatur affinitas?

Septima. *Ex copula ſodomitica nequidem eis ſurgit Philoſophica non. Affinitas.* Ita omnes: & definitur *in cap. Extraordinaria, 35. quæſtion.5. & 10,* & *in cap. Fraternitatis*, &c. An exſurgit Theologica? Affirmarunt aliqui Veteres apud Archidiaconum *in cap. Extraordinaria, 35. quæſt.5.* aſſerentes ob enormitatem criminis impediri matrimonium cum conſanguineis illius, quicum habita eſt. Conſentit illis Lambertinus *de Iure Patronatûs lib. 2. part. 1. quæſtion. 9. artic. 18. num. 9.* At omnes Theologi contrarium aſſerunt ſupponentes non eſſe ſingulis liberum ponere impedimenta, ſed omnes debere ea tantùm admittere, quæ poſita ſunt ab Eccleſiâ, quæ nunquam Matrimonia ob copulam Sodomiticam interdixit. Præterea, ſi cras Eccleſia (poteſt enim) juberet Sodomiam Matrimonium dirimere, non eſſet hæc propudioſa copula affinitatem inducere, ſed in Impedimentorum claſſe quintâ conſtitui, & inter crimina, quæ Matrimonium diriment, numerari.

An ſaltem aliis nominis impedimentum?

Octava. *Ex copulâ habitâ cum dormiente, inſanâ, aut ebriâ: imò cum fœminâ prorſus renitente, ſi ſemen uterque decidat (quod non ſemper accidit) oritur Affinitas.* Non ergo ex copulâ habitâ cum fœminâ mortuâ. Ita Trullench *lib. 7. capit. 9. dubit. 16. num. 9.* Bannius *quæſt. 3. pag.728.*

De copulâ habitâ cum dormiente, ebriâ, invitâ, mortuâ, &c.

PRo coronide volo controverſiam reſolvere, quam etiam Leander in ultimo loco decidit. Quæritur. *An diſpenſatione conceſſâ duobus affinibus aut conſanguineis ad matrimonium ineundum, copula ab ipſis ante matrimonij celebrationem fortè habita, malitiâ inficiatur inceſtûs?* M M M-DCCCVII.

An diſpenſatio tollat circumſtantiam inceſtûs?

Adhærent affirmativæ parti Major *in 4. diſtinct.40. quæſtio. 1. arg.4. prop. 8* Gallegus *de cognat. ſpiritual. cap.94. num. 17.* exiſtimantes diſpenſationem ad matrimonium tantùm, & non ad alios corporum abuſus concedi.

Negant verò Cajetanus, Armilla, Vega, Sanchez. Hanc ſententiam Leander *part. 2. tract.9. diſp.21. quæſt. etiam 21. pag.307.* vocat probabiliorem.

Tu verò affinitatem ſeu conſanguinitatem Philoſophicam à Theologicâ Iube diſtingui. Et dic illam auferri non poſſe à Pontifice: adeoque copulam, etiam poſt Matrimonij validam diſpenſationem,& celebrationem habitam, inter cognatos Philoſophicam eſſe: &, ſi illam *inceſtum Philoſophicum* nominare volueris, de vocibus non diſputabo: & ideò Majori & Gallego adhæreo, ſi continere ſe velint intra terminos Philoſophiæ. Cæterùm, ubi diſpenſatio conceditur, tollitur interdictio; & copula, quæ habetur inter perſonas, quæ poſſunt contrahere matrimonium, non eſt Thologicè loquendo inceſtus. Ergo ſponſi in caſu ſatisfacient Confeſſario ſeſe de ſimplici fornicatione accuſando.

Philoſophici & Theologici inceſtus diſtinctio.

IMPEDIMENTUM XII.
Impotentia.

ILla, quæ Matrimonium dirimit,eſt impedimentum naturale non impoſitum, ſed explicatum ab Eccleſiâ, in quo Pontifex non poteſt M M M-DCCCVIII.

Digitized by Google

An hoc impedimentū ſit Canonicum & clavibus Eccleſiæ ſubiectum.

poteſt diſpenſare, nam opponitur fini primario Matrimonij; interim aliquid ex Iure Pontificio, quod non reperitur in infidelium matrimoniis, vt ſtatim exponam, in hoc impedimento impotentiæ reperio. De ipſâ plurima Theologi ſpeculativè at pauca practicè: & quia Epiſcopalia tribunalia dum cauſa ſimilis controvertitur, perplexitatibus multis laborant, rem totam diſcutiam tam ſpeculativè, quàm practicè.

Finis matrimonij.

An omne matrimoniū ſit conditionatum?

Matrimonium eſt divinitùs inſtitutum ad procreandas proles: Prolium procreatio eſt res naturalis, & pendet ab organis inſtrumentis & actionibus naturalibus: Ergo, qui vel illa non habeat, vel abſolutè inepta habeat: vel has facere nequeat, dicitur habere Impotentiam: & hæc eſt impedimentum dirimens: is enim, qui illam habet, ſicut nec generare filios, ſic nec poteſt Matrimonium inire. Hinc patet omne Matrimonium, quibuſcumque verbis contrahatur, conditionatum eſſe: ſemper enim ſubintelligitur, *ſi tu es capax vt matrimonium conſummetur.*

Quid impotentia ſit

Et qualis matrimoniū dirimat?

Impotentia itaque hæc, de quâ diſſerimus, *eſt vitium naturale impediens coitum.* Vt matrimonium dirimat, debet eſſe perpetua & præceſſiſſe: ſi enim ad tempus ſit, aut celebrationem Matrimonij ſequatur, illud non ſoluit. Examinare cauſas, vnde huiuſmodi poſſit provenire Impotentia, remedia, quibus auferri poſſit; potiùs Medicum, aut Philoſophicum, quàm Theologicum eſt: & ideò hìc Theologi non immoramur, ſed ad Moralitates perpendendas tranſimus.

Impotentiæ diuiſio.

Sanè Impotentia in Abſolutam & Relatiuam: & altervtra in Perpetuam & Temporaneam diſtribuitur. Aliæ diuiſiones, quæ adduci poſſent, minùs neceſſariæ; & ideò has duas ſpeciali curâ dilucidabimus.

M M M D C C C I X.

Impotentia ad omnes, & ad aliquas.

Impotens abſolutè ille dicitur, qui reſpectu omnium fœminarum eſt impotens: & talis eſt ſpado, qui virgâ caret: talis eunuchus qui vtroque teſte deſtruitur. Dicitur autem impotens relativè, qui non omnium, ſed harum vel illarum reſpectu ſit impotens: hæc autem impotentia, vel in membri magnitudine, vel in debilitate ſita eſt: & hæc interdum provenit à maleficio. Singula declaremus. Sanch. *lib. 7. diſp. 93 num. 3. & 4.* doctè aſſerit nullo modo valere Matrimonium contractum cum fœminâ, quam vir ob nimiam ſui mẽbri groſſitiem non poſſit cognoſcere: licèt valeret cum aliis, quibuſcum poſſet haberi copula. Ita etiam Hurtadus *diſp. 22. diff. 6.* Cornejus *dub. 33. quæſit. 2.* Leander *part. 2. tract. 9. diſp. 21. quæſt. 12. pag. 313. a.* Vide Baſilium de Leone *lib. 7. cap. 61.* Ægidium *diſp. 31. dub. 7.* Palaum, aut quoſcumque alios, omnes enim in re tam manifeſta convenire tenentur: nam cùm finis Matrimonij ſit procreatio prolis, & hæc haberi nequeat ſine copulâ, illi qui copulam habere nequeunt, vndequâque hæc impotentia proveniat, non poſſunt inter ſe Matrimonium inire: qui autem illam habere poſſunt, niſi aliunde obſtet ex hoc capite illud inire poſſunt. Ergo, ſi vir tam improportionatum membrum habeat, vt cum nullâ copulam habere poſſit, habebit impotentiam abſolutam & vniverſalem. Si tantum tamen habeat, vt aliquas cognoſcere poſſit, alias non poſſit, habebit impotentiam relativam, & cum his contrahere Matrimonium non poterit, cum illis poterit. Sicut impotentia hæc ſe ſolet tenere ex parte viri, ſic poteſt ſe tenere ex parte fœminæ: quæ ſi ita clauſa ſit, vt à nemine penetrari poſſit, habere abſolutam impotentiam dicetur: ſi autem aliquibus & non omnibus ſit improportionata, illi poterit nubere qui cum poteſt habere copulam; non autem illi, quicum non poteſt. *Altera* ex parte viri Impotentia eſt debilitas: ſunt enim aliqui impotentes ad virginem, qui tamen alias ſine difficultate cognoſcunt. Tali impotentiâ præpeditus virginem duceret in uxorem invalidè, & tamen validè cum viduâ poſſet Matrimonium inire. *Præterea.* Deo propter noſtra peccata permittente, in Matrimonia interdum ſe Dæmon ingerit, & applicando activa paſſiuis (nec enim alio modo poteſt) impotentiam inducit: & qui huiuſmodi veneficio laborat ligatus, & morbus ipſe dicitur *ligatura.* Bifariam autem Dæmon in huiuſmodi veneficio concurrit: actualiter, aut habitualiter. Habitualiter, quando ſub initiū applicavit venena vel pharmaca, quæ generativam virtutem læderēt, aut omninò deſtruerent, & tunc hæc impotentia, quantacumque illa ſit, (nec enim ſemper eſt æqualis) abſoluta eſt, non enim hanc fœminam potius quàm illam concernit. Concurrit autem actualiter, ſi tunc virum frigefacit, quando eſt cum tali fœminâ determinatâ. Et Madriti fuit Dominus N. mihi amicus & familiaris, qui uxorem ſuam teneriè amabat, & cum ab illâ aberat, nihil ſentiret; & ſi ad alias diverteret, adoleſcentiæ ſuæ vigorem & potentiam experiretur, & tamen apud uxorem ſuam ita languebat, ut illam non potuerit cocognoſcere. Hic laborabat relativâ ex veneficio impotentiâ; quæ ſi immedicabilis judicaretur, matrimonium dirimeret, manente vtroque libero, ut poſſet ſecundum (ille cum aliâ, hæc cum alio) Matrimonium contrahere. Hæc doctrina eſt indubitata, & expreſſa, *in cap. Fraternitatis 6. de frigid. & in cap. fin. 33. quæſt. 1.* ex quibus Theologi varias conſequentias deducunt.

Ex nimiâ mẽbri magnitudine proveniens.

N. B. Sunt remedia naturalia ut fœmina laxetur, quæ ſint aut nimis difficilia, aut cum vitæ periculo, aut magno dolore coniūcta, nulla fœmina tenetur admittere.

Debilitas reddit virū impotentem quoad virginem tantum.

De veneficio.

Ligatura aut generalis, aut relativa eſt.

Poteſt unus & idem vir eſſe erga ſuam uxorem ligatus, & erga cæteras fœminas ſolutus.

M M M D C C C X.

Quæ impotentia perpetua, & quæ temporanea debeat iudicari?

Impotentia, quæ nullum humanitùs remedium habet, eſt perpetua: nam morbus meritò dicitur immedicabilis, etſi divinitùs curari poſſit: & ſæpè debet iuxta leges Canonicas iudicari perpetua, quæ poteſt habere remedium, & videlicet iſtud non ſine ſacrilegio aut peccato, aut ſine vitæ periculo, aut inciſione poni nequeat. Sic ligaturæ, quæ aſtu Dæmonis uſum connubialem impediunt, ſi tales ſint, vt ope prudentis Medici poſſent abrumpi, (nam Dæmon applicando activa paſſivis, & non aliter, in corpora humana operatur: & experientiâ didicimus Medicos interdum prævaluiſſe) non dicuntur perpetuæ: cæterùm, ſi à veneficio proveniant, quod non niſi altero veneficio tolli poſſit, (nam veneficium tollere veneficio eſt ſacrilegium) perpetuæ judicandæ ſunt. Si vir impotens ad deflorandum ſit, & nequeat illâ aliter vti, quàm ſi ferro (àut auro, quod volet) incedatur, aut ab alio defloretur, impotentia eſt perpetua, nam illa pati inciſionem non tenetur, & ſe alteri proſti-

An, & quando ligaturæ ſint perpetuæ

An liceat veneficium altero veneficio tollere?

tuere

Digitized by Google

tuere non poteſt. Sic debemus Orthodoxi diſcurrere, & gratias agere ſummæ illi providentiæ, quâ Eccleſia Orthodoxa nos dirigit; nam ſanctiſſimè vult (& hæc circumſtantia non eſt Naturalis, ſed Canonici Iuris) ut impotentia, quæ ſine peccato auferri nequeat, judicetur perpetua, & Matrimonium futurum dirimat. Verùm enim verò inter Ethnicos hoc eſſet validum Matrimonium: puta, ſi ſponſus diceret, *Ego tametſi ſim ad virginem impotens, te duco in uxorem hac lege, quod te aut corrumpas digitis, aut ab alio deflorari permittas*, & contentiret puella: nam in ipſo nihil contra eſſentiam Matrimonij reperio. Præterea, tametſi fœmina non teneatur inciſionem perpeti; ſi vitæ periculum adſit; tametſi multi viri docti, clavi naturali, & non artificiali & violentâ pudoris clauſtrum dicant aperiri debere, putarem ſponſam, quæ ſponſum amare tenetur, aliquid ejuſdem gratiâ poſſe pati: ait enim S. Thomas *in 4. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. ad 5.* ab Averſâ *tract. de matrim. quæſt 13. ſect. 3. pag. 519. §. quartò* citatus, *ſi vir non poſſit implere carnalem actum cum virgine, & tamen poſſit eum corrupta: tunc medicinaliter aliquo inſtrumento poſſunt clauſtra pudoris frangi, & ei coniungi.* Citat cap. *Fraternitatis* Avería, & ait. [Sicut valet matrimonium, & debet fœmina inciſionem aut aliud medicamentum ſubire, quando ipſa eſt nimis arcta, & poteſt hac arte juvari: ita etiam videtur, quando vir eſt aliquantum debilis, & poteſt ei hac arte aptari.] Interim quidquid ſit de hac doctrina, quæ valdè rationabilis eſt, ſi ante contractum id promittat, ſtare promiſſioni tenebitur: nullum enim eſt mortis aut notabilis damni periculum: nam cognoſco & nominare poſſum magnam Principem, quæ cùm nimis eſſet ſtricta, à ſua matre nummo aureo relaxata eſt. Sed dum alterum periculum fugitur, cavendum eſt, ne incidatur in alterum; nam, ſi luxatio illarum partium non poſſet fieri ſine conſenſu in pollutionem, aut ſine proximo hujuſmodi conſenſûs periculo, intermitti deberet, & impotentia dicenda eſſet perpetua iuxta canones, ac propterea Matrimonium dirimere.

An, & quæ impotentia ſit Iuris Eccleſiaſtici?

An ſponſa ex naturâ rei teneatur pati inciſionem, ut aptetur marito?

An ſaltem ad inciſionē puella poſſit obligari ex contractu?

Et quid, ſi ſit pollutionis periculum?

MMMDCCCXI. Ex hac doctrina multarum difficultatum poteſt oriri diſſolutio: aliquas proponamus.

Qualis potentia ad Matrimonij valorē requiratur?

Prima. *An ad Matrimonij valorem ſufficiat potentia penetrandi vas, ſi deſit potentia ſeminandi intra illud?* Reſpondeo, negativè: quia talis copula non eſt ad generationem ſufficiens. Eſt communis: ubi enim vir non ſeminat, etſi ſeminet fœmina, non commiſcetur ſanguis, nec fiunt duo in carne una.

Secunda. *An ſaltem validum ſit Matrimonium, ſi vir non poſſit emittere ſemen intra vas, ſed extra in vaſis ore illud emittat?* Propter eamdem rationem etiam negativè reſpondeo.

De impotētiâ, quæ tātùm ex parte fœminæ ſe tenet.

Tertia. *An validum ſit Matrimonium, ſi vir poſſit ſeminare intra vas, & tamen fœmina impotens ad ſeminandum ſit.* Negat Hurtadus *diſp. 12. diff. 5. in fin.* Et quidem negare etiam debent omnes illi Philoſophi, qui docent fœminas activè ad generationem concurrere. Ita Peñafiel *tom. 3. diſp. 1. quæſt. 5. ſect. 3.* ubi fortiter argumentatur. Etiam negare debent illi, qui docent fœminas materialiter (præbendo materiam) concurrere. Ergo & citatus Peñafiel nam loc. cit. ſect. 4. num. 51. pag. 68. a. ſic inquit. [Tam ſemen viri quàm fœminæ, ſunt materiale fœtûs principium. Hæc eſt communior ſententia, & de fœmineo ſemine certum eſt, atque receptum apud omnes tam Philoſophos & Medicos, quàm apud Theologos.] Hoc autem ipſum, quod tam certum eſſe affirmat hic Author, alij falſum, aut ſaltem eſſe incertum voluerunt. Sic philoſophantur etiam illi, qui tenent eaſdem materialiter (præbendo materiam) concurrere. Contrariam ſententiam habet Leander *part. 2. tract. 9. diſp. 21. quæſt. 11. pag. 310. a.* dicens [probabiliùs reſpondeo, eſſe validum, quia probabilius eſt, ſemen fœmineum non eſſe præcisè neceſſarium ad generationem, quamuis valdè conferat. Sic D. Thomas 3. part. quæſt. 31. art. 5. ad 1. Navarrus, Henriquez, Gutierez, Ledeſma, Barboſa, Sanchez, Bonacina, Candidus, Didacus, Narbona, Luyſius, Palaus, &c.] At horum Doctorum fundamentum habet contra ſe in Theologia & Philoſophia argumenta fortiſſima. Primò enim, ut omittam caniculam, quam meus Chalcographus habebat Pragæ: quæ nata fuerat ſine cauda, & nullum unquam catulum caudatum peperit, quæ multum contra Leandrum probaret: pono ob oculos mulum, qui ex equo & aſina naſcitur. Cur non eſt verus equus? non enim video, cur debeat ab equi degenerare perfectione, ſi nec activè nec materialiter concurrat fœmina? Secundò dignabitur mihi Leander exponere, quomodo intelligantur ſacræ Scripturæ textus, qui dicunt *Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum eſſe ex ſemine David ſecundum carnem*, niſi enim carnem ille de Virgine ſumpſiſſet, non eſſent veri. Audi Bedam *lib. 4. in Lucam cap. 19.* aſſerentem adverſarios ignorare Dialecticam. *Quâ conſequentiâ*, ait, *eius lacte credatur nutritus, cuius ſemine negatur eſſe conceptus, cùm ex unius einſdemque fontis origine ſecundum Phyſicos uterque liquor emanet? Niſi fortè putanda eſt Virgo ſementinam ſuæ carnis materiam nutriendo in carnem Dei filio ſuggerere potuiſſe, incarnando autem quaſi maiori, inuſitato miraculo minimè potuiſſe.* Nec vocem *ſeminis* cauſeris, non enim in naturæ perfectione, ſed in libidine qua omninò caruit Virgo, conſiſtit indecentia, vide Suarium *tom. 2. in 3. part. diſp. 10. ſect. 1.* & Peñafielem *ubi ſupr. pag. 62. a. num. 24.* Præterea, Eccleſia ſanctiſſimam Virginem Mariam in Officio Divino non *Deiparam*, modò, ſed *Dei genitricem* appellat. Activè igitur concurrit, ſi genuit. Notæ ſunt illæ Antiphonæ. *Ecce Maria genuit nobis Salvatorem*, &c. *Genuiſti, qui te fecit*, &c. *Quem genuit adoravit*, &c. *Sub tuum præſidium confugimus Sancta Dei genitrix*, &c.

An ſemen fœmineum ſit neceſſarium?

Argumentū primum.

Canicula, quæ ſine caudâ catulos ſine caudâ peperit.

Cur mulus, & nō equus naſcatur?

Argumentū ſecundum.

Quomodo Chriſtus ſit ex ſemine David, ſi fœmina ad generationē non concurrant?

An nomen ſeminis fugiendū ſit, cùm agitur, de incarnatione.

An Virgo ſit Dei genitrix?

Digitized by Google

Ora pro nobis ſancta Dei genitrix, &c. Et Ennodius in Hymno de Sanctâ Mariâ, *Quæ gignit, & qui præcipit.* Et his poſitis ſic argumentor. [Beata Virgo eſt mater Domini noſtri Ieſu-Chriſti, quia præſtitit, quæ Matres præſtant : nam quod Patres præſtant, ſupplevit Spiritus-Sanctus. At ipſa materiam præbuit, & activè concurrit. Ergo & cæteræ Matres.] Si dicas, fuiſſe miraculum & ſpeciale privilegium in Virgine, ut materiam præberet, & efficienter concurreret, quod cæteræ matres non faciunt. Dicam primum, Aſſertionem hanc tuam omni fundamento deſtitui. Et ſecundò ex illâ ſequi Virginem Chriſti fuiſſe *Matripatrem.* Et monebo hujus vocis inſolentiam ante paucos annos Theologos turbaviſſe in Hiſpaniâ, & in libro cujuſdam Doctoris deletam : nam in fundamentis noſtræ Fidei fugiendæ ſunt ſententiarum & loquutionum novitates. Tertiò doceri à Leandro velim, cur mollities eſſe peccatum mortale à Thomiſtis dicatur ? cur *viri ſanguinum* molles vocentur ? Quia, ſi ideò peccat mortaliter vir, qui ſe polluit, quod ſemine, ex quo fieri poterat generatio, abutitur : hæc ratio non habebit locum in fœmina, adeóque ſe polluendo non peccabit mortaliter. Et quis hoc toleret ? Interim videre vellem, quo Leander modo hujus ratiocinij efficaciam evadat.

Cur ſit Dei mater ?

An ſit matripater D. N. Ieſu-Chriſti ?

Vocum ſunt novitates fugiendæ.

Argumentũ tertium.

An pollutio in fœminâ peccatũ ſit ?

Hæc doctrinam concernunt : modò ad Leandri perſonam venio, quam inconſequentiæ manifeſtæ condemno. Attende. In reſolutione Quæſtionis IX. dixerat. [Multò probabiliùs, immò mihi certò reſpondeo, non eſſe ſatis ad valorem matrimonij potentiam penetrandi vas, caſu, quo deſit potentia ſeminandi intra illud. Quia ad valorem matrimonij illa requiritur copula, per quam contrahentes una efficiantur caro; ut habetur *in cap. laudabilem, de frigid. & maleſ.* At ſic eſt, quòd contrahentes, ſive conjuges, nequeunt fieri una caro abſque ſeminatione intra vas. Ergo.] Et paulò pòſt decidit non ſufficere potentiam ſeminandi extra vas, aut in ore vaſis. [Quia hæc ſeminatio non ſufficit ad hoc ut conjuges fiant una caro.] Cùm ergo per ſeminum mixtionem conjuges fiant una caro, ubi fœmina non poteſt ſeminare, non poterunt fieri una caro. Ergo in caſu non poterunt inire Matrimonium. Ergo nec fœmina caſtrata (ſeu eunuchiſſa, ut aliqui loquuntur) poteſt nubere, quidquid Leander *ubi ſupr. quæſt.*17. *pag.*311.*b.* Luyſius *in ſumm.*2. *part. quæſt.* 118. *dub.* 16. & alij dicant. Eſt enim certum fœmineum ſemen ad generationem neceſſariò requiri.

An in matrimonij conſummatione vir & fœmina fiãt una caro ?

An mulier caſtrata poſſit nubere ?

MMMDCCCXII.

De Matrimonio impotentium.

An poſſibile ſit ?

QUærunt Doctores, *An inter impotentes, cognitâ impotentiâ perpetuâ, non in ordine ad copulam, ſed ad caſtè convivendum poſſit matrimonium celebrari ?* Scio eſſe multos à parte affirmativa : ſed & ſcio Baſilium, qui *lib.*7. *de matrim. cap.*56. 57. 58. & 59. illis adhæſit, ob loquutiones graves paſſim fuiſſe Salmanticæ, quod contractuum eſſentias aut ſcire nollet, aut confundere vellet. Sanè poſſe Carolum tibi tradere equum reſervans ſibi authoritatem & poteſtatem repetendi illum cum voluerit, certum eſt; at hunc contractum eſſe donationem falſum eſt : &, ſi his verbis ineatur, *Dono tibi hunc equum, retinens apud me ius reſumendi, cùm voluero*, contradictoria complectetur : nam qui donat transfert dominium : &, qui apud ſe jus repetendi retinet, non transfert dominium, ſed uſum. Hoc etiam in precario relucet : habet ſuam determinatam eſſentiam hic contractus, nec ſuæ quiditati præjudicantes circunſtantias admittit. Sanè conceſſio precaria poteſt quandóque revocari, *leg.* 1. 2. & 4. D. *de precario*, & repugnat in terminis hæc conceſſionis formula. *Concedo tibi precario equum hunc, & me obligo ad non repetendum illum intra menſem*, ejus enim vi poſſem equum repetere, & non poſſem. Ita Abbas *in cap. fin. num.* 2. *de precario.* Covarruvias 3. *var. cap.*15. *num.*1. Velaſc. *de iur.emphyt. quæſt.*34. *num.* 1. Gomez. 2. *var. cap.*7. *numer.*1. Molina *diſp.* 298. *num.* 4. quos producit & ſequitur D. Franciſcus Verde *in Tyrocinij ſui lib* 3. *num.*685. *pag.*69. *a.* Habent ergo contractus ſuas eſſentias, quas nemo poteſt, etſi velit, invertere. Attende. Quando delineaui hunc △ triangulum, mihi liberum fuit delineare ⊓ quadrangulum. Quis de hoc dubitet ? At non potui delineare △, triangulum, qui quatuor angulis, nec ⊓ quadrangulum, qui tribus angulis conſtitueretur. Ergo ſimiliter, equum Carolum, quem tibi donavit, potuiſſe precariò concedere, & quem tibi precariò conceſſi, me potuiſſe donare, certum eſt; at, vel illum, vel me potuiſſe contractuum eſſentias mutare (hoc eſt, potuiſſe illum donare equum, & tamen donati equi reſervare dominium, &c. & potuiſſe me precariò equum concedere, & me ſimul ad non repetendum obligare, &c. falſum eſt. Et hinc ad propoſitam controverſiam redeundo, poſſe virum & fœminam (ſicut & duos viros, aut duas fœminas) quoddam vinculum ſocietatis inire, ad piè & caſtè convivendum, ut fratres, ſi nullum incontinentiæ ſit periculum, certum eſt. Ita enim Scotus, uterque Sotus, uterque Ledeſma, Sanchez, Lopez, & alij, quos citat & ſequitur Leander *part.*2. *tract.*9. *diſp.*21. *quæſt.* 5. *pag.* 309. *a.* hunc autem contractum, quibuſcumque verbis ineatur, eſſe matrimonialem, falſum eſt. Vbi enim alter dicit, *Recipio te in meam*, ſi ſociam, aut ſororem ſubintelligit, non contraxit matrimonium : ſi uxorem ſubintelligit, repugnantia connectit. Ita Sanchez *lib.* 7. *diſputat.* 97. *num.*1. ita etiam Leander *ubi ſupr. quæſt.*4. necnon Palacius, Ledeſma, Veracruz, Ludovicus Lopez, Petr. de Ledeſma, Valentia, Henriquez, Toletus, Sá, Barthol. de Ledeſma, Rodriguez, Vega, Vaſquez, Hurtadus, Candidus, Villalobus, Luyſius; & etiam Navarrus, Hoſtienſis, Præpoſitus, Felinus, Roſella, &c. apud ipſos. Firmat hanc ſententiam Bulla Sixti V. contra Eunuchorum conjugia; quia ratio, ob quam hæc ibi eſſe nulla dicuntur, eſt impotentia, adeoque omnes impotentes concernit. Nec

contrà

An poſſit quis rem donare, & donata retinere dominium ?

An poſſit quis rei precariò conceſſæ ſe privare dominio ?

Sunt etiam in cõtractibus termini repugnantes.

An ſicut figura Geometrica, ſic & contractus ſuas eſſentias determinatas habeant quæ non poſſint inverti ?

Aliud eſt ſocietatis contractum, & aliud cõtractũ Matrimonij inire.

Digitized by Google

De Eunuchorũ Connubiis.

contrà militat Deiparæ & S. Ioſephi connubium: aliud enim eſt talem rem *nolle facere*, & aliud diverſum, *non poſſe*.

MMMDCCCXIII.

Quid ſit ſeminalitas?

An Eunuchi poſſint uxorem ducere?

De Eunuchis qui utroque teſte carent.

De termino per ſe, & per accidens.

De filiis per ſe, & per accidens.

DE Eunuchis nulla eſt difficultas. Qui enim utroque teſte carent, etſi virgam erigant, & ſeminalitatem (humorem ſimilem ſemini) emittant, contrahere Matrimonium non poſſunt. Sic ratio ſuadet, & Sixtus V. definit. Sed quid, ſi daretur Eunuchus, qui verum ſemen emitteret? An-ne validè matrimonium iniret? Caſum eſſe poſſibilem, imò aliquando accidiſſe ut ex naturæ vi genuerit Spado, teſtatur Iaſon apud Henriq. *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 10. *n. ult.* & *lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 3. & Leandrum *part.* 2. *tr.* 9. *diſp.* 21. *q.* 15. *pag.* 311. *a.* At memini Ioannem Martines Compluti, ut nobis, diſcipulis ſuis, inter terminum per ſe & terminum per accidens differentiam exponeret, dixiſſe filios per ſe eſſe quæ à marito fiunt: filios autem per accidens, quæ inſcio marito, clam fiunt ab uxoris amaſio. Et ad hiſtoriam à Iaſone productam uno verbo reſpondeo, illius Spadonis filios, eſſe veros & reales, ſed per accidens. Nec juvat dicere poſſe hominem ante caſtrationem habere verum ſemen quod poſt caſtrationem emittat: nam Ariſtot. *lib.* 1. *de generat. animal. c.* 4. narrat de quodam tauro, qui immediatè poſt caſtrationem cum vaccâ coïerit, & illam prægnantem reddiderit. Hoc inquam dicere non juvat: quoniam multi aſſerunt, non eſſe Ariſtotelis illum librum: & ut ut ejus ſit, multa falſa & impoſſibilia habet, inter quæ hæc poteſt hiſtoria recenſeri; Cæterum, ex hypotheſi, quod caſus poſſibilis ſit, reſpondet Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 8. *num.* 1. *in comm. lit.* K. illum Eunuchum Iuri Naturæ ſtando ducere uxorem poſſe: at ſtando decreto Sixti V. non poſſe. Tu autem dic cum Lnyſio *in ſumm. diſput.* 4. Sanchez, Cornejo, Leandro, & alij Pontificem non tuliſſe novum aliquod Ius, ſed illâ Bullâ Ius Naturæ expoſuiſſe. Et quia ejuſdem verba ad probationem ſufficiunt, illa ſubſcribo. *Cùm frequenter in iſtis regionibus Eunuchi quidem & Spadones, qui utroque teſte carent, & ideò certum ac manifeſtum eſt, eos verum ſemen emittere non poſſe, quia impura carnis tentigine, atque immundis complexibus cum mulieribus ſe commiſcent, & humorem forſan quemdam ſimilem ſemini* (illum paulo ante *ſeminalitatem* vocabamus) *licèt ad generationem, & matrimonij cauſam minimè aptum effundunt*, &c. Ecce Pontificis diſcurſus innititur huic ſyllogiſmo.

An aliquis Eunuchus poſſit verum ſemen emittere?

Quid, ſi poſſet? An eſſet capax, ut Matrimonium contraheret?

Conſideretur bene hæc minor, quam univerſim verã eſſe putamus.

Nullus, qui verum ſemen non poteſt emittere, inire poteſt Matrimonium.

Atqui Eunuchi, qui utroque teſte carent, ut ut aliquando ſpuriam quandam ſeminalitatem emittant, verum ſemen decidere non poſſunt.

Ergo Eunuchi, qui utroque teſte carent, inire Matrimonium non poſſunt.

Porrò, ſi minor eſſet falſa, nunquam Pontifex conſequentiam illam intuliſſet. Et in caſu particulari, ſi per impoſſibile falſa ſit minor: in illo à Pontifice non fuit conſequentia deducta.

Quid de Eunuchis, qui altero carent teſte, dicendum ſit?

An ſemen perfectum emittant?

Quid, ſi teſtem intra corpus habeant?

Et quid de Eunuchis, qui carent uno teſte dicemus? Summâ Naturam providentiâ aliqua animali organa conceſſiſſe duplicia, ut ſi alterum fortè corrumperetur, alterum poſſet ſervire. Ideo homo habet duos oculos, duas aures, duas manus, duos teſtes, &c. Et quia, ſicut perfectè colores videt, qui unum oculum habet, & ſonos perfectè audit, qui unam aurem; ſic etiam, qui unum teſtem habet, perfectum ſemen emittit, & ideò poteſt Matrimonium inire. Ita Baſilius *lib.* 7. *cap.* 67. & eſt communis. Imò addit Leander *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 21. *quæſt.* 16. ſe in inſigni diœceſeos Toletanæ oppido hominem cognoviſſe, à quo chirurgus teſtem unum avulſerat, & alterum intra corpus recondiderat, ut inteſtinorum deſcenſui viam precluderet, & tamen habebat pulchram barbam, & filios ſpecioſos genuerat. Ergo, qui in ſimili caſu uxorem duxerit, non contrahet Matrimonium invalidè. Ita reſolvit Leander, Baſilio *lib.* 7. *cap.* 68. *num.* 3. ſubſcribens.

MMMDCCCXIV.

De Senibus.

An poſſint Matrimonium contrahere?

An ſicut de ſenibus, ſic de vetulis ſit ſtatuendum?

Nemini ob ſolam ſenectutem à Matrimonio arcet Eccleſia.

De morbi actualis & habitualis diſtinctione.

An poſſit aliquis uxorem ducere in articulo mortis?

SEnes in ætate decrepitâ (ſi ſint octogenarij verbi gratia) uxorem poſſe ducere negat Portius *inſtit. de nupt. in princ. colum.* 4. Dubitat verò Antonius Gomez *lib.* 9. *Tauri, num.* 57. *in fin.* Et quidem negativam ſententiam non eſſe improbabilem aſſeverat Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 5. *num.* 3. *in comment. lit.* X. & præter Antonium Gomezium, Guidonem Neguzanium adlegat. At tu inter ſenes, & ſenes diſtingue: illi enim, qui ſani ſunt, etiam in ætate provectâ veram copulam habere poſſunt. Ergo poſſunt Matrimonium inire. Et hoc à fortiori habet locum in fœminis, quæ etſi valde vetulæ ſint, calorem habent ſufficientem, ut ſemen virile ſuſcipiant. Ita Sà, Henriquez, Rodriguez, Sanchez, Bonacina, Hurtadus, Candidus, Didacus de Narbona, Covarruvias, Rojas, Matienzus: Guttierez, Palaus, quos citat & ſequitur Leander *ubi ſupr. q.* 18. *pag.* 312. *a.* Ergo non ſufficit mera ſenectus, ut aliquis à matrimonio excludatur. Suadet hoc communis Eccleſiæ Orthodoxæ conſuetudo, quæ ſemper, & ubique inter ſenes & vetulas matrimonia celebrari permiſit. Si autem ſenes etiam ægroti ſint, ita ut præ ſenectute impotentiâ laborent, erunt inhabiles ad contrahendum, non propter ſenectutem, ſed propter impotentiam comitantem. Hoc autem ipſum adhuc indiget alterâ diſtinctione: vel enim morbus virtutem generativam & potentiam ad veram copulam ligavit, vel extinxit: aut aliter, vel enim morbus ille eſt actualis, vel habitualis: actualem autem voco, qui de facto ægrotum impedit, & fortè illum occidet: cæterùm, ſi infirmus ſupervivat, ceſſabit, & ſenex poterit habere copulam: habitualem verò illum dico, qui etſi infirmus ſupervivat, eſt manſurus; & facturus, ne ille poſſit veram copulam habere vel ſemel. Porrò, quando ſenectuti adhæret impotentia ex morbo actuali proveniens, tunc ægrotus etſi certò ſit moriturus, poterit validè uxorem ducere. Et hæc eſt Eccleſiæ conſuetudo, multi enim jam jam deſperatâ ſalute, ut vel proles ſuſceptas legitimas red-

dant,

Digitized by Google

dant, vel ut amaſiis ſuis gratificentur, & à periculo æternæ damnationis ſe eripiant, illas ducunt, & tunc Matrimonium eſt validum. Si autem impotentia ex morbo habituali proveniat, & ceſſatura non ſit, etſi convaleſcat ægrotus, erit Matrimonium invalidum. Ita Sanchez *lib.*7. *diſp.* 10. *num.* 3. Palaus *diſp.*4. *punct.*14. §. 2. *num.* 7. qui benè monet impotentiam illam, niſi ante morbum præceſſerit & tunc perpetua judicata fuerit, debere temporalem præſumi.

MMMDCCCXV.

De pueris. An impotĕtia dirimat Matrimonium.

Poſt ſenes pueros in medium producamus. Impotentia ab ætate puerili proveniens Matrimonium non dirimit; non enim eſt perpetua: at ipſa ætas dirimit, quod digneris benè conſiderare. Ætas requiſita eſt in maſculo quatuordecim annorum. Duodecim verò in fœminâ. Hæc ætas debet eſſe moraliter completa: & ideò contra Hurtadum, Baſiliumque, Villalobus *tom.*1. *tract.*14. *diff.*12.*num.*1. Dianæ, Narbonæ, Sanchez, Sylveſtro, Tabienæ & Leandro conſonans ſufficere aſſerit inceptam eſſe ultimam ætatis requiſitæ diem.

Quanam ætas ad Matrimonij valorem requiratur?

Sed, ſi hoc eſt verum, quid importat illa *ex cap. continebatur*, & *cap. fin. de deſponſ. impub.* deſumpta, & à Canoniſtis limitatio inculcata, *Niſi malitia ſuppleat ætatem?*

Quădo malitia ætatĕ ſupplere dicatur?

Reſpondeo determinaſſe Eccleſiam ætatem illam, quæ videbatur univerſim ſufficere. At quoniam in aliquibus, & diſcretio, & potentia coëundi præcurrit, utramque ſimul ſumptam *malitiæ* nomine intellexit: &, ſi hæc adſit, ut ſuppleat ipſa defectum ætatis permiſit. Sed quantæ ætatis defectum poterit malitia ſupplere? Hanc Leander difficultatem *ubi ſupr. quæſt.* 36. 37. 38. *&* 39. *pag.* 316. fusè ediſſerit, & poſteà lectorem non juvat, quia nihil omninò decidit, inquit enim.

Quid malitiæ nomine in his Canonibus intelligatur?

[Ego probabiliùs reſpondeo, Iudicis arbitrio relinqui, quale tempus ſit pubertati proximum, quâve ætate dicantur maſculus & fœmina impuberes pubertati proximi. Quia, cùm id jure præſcriptum non ſit meritò judicis prudentiæ relinquitur.] At ego fateor quinque annorum ſpatio vices egiſſe Pragæ eminentiſſimi Archiepiſcopi, & habuiſſe Viros doctiſſimos in Conſiſtorio, & tamen ſemper in Matrimoniis legem generalem ſervaſſe, & nunquam, an malitia ſuppleat ætatem inquiſiuiſſe.

An, & quădo hæc doctrina poſſit ad praxim reduci?

Eodem modo in Epiſcopatu per quindecim jam annos proceſſi: & ſuadeo Epiſcopis, ne à doctrinâ generali diſcedant. Interim, ſi caſus accideret, in quo negotium graviſſimum à Matrimonio penderet (quod rarò, vel nunquam eveniet) tunc prudens Vir legat Leandrum locis nuper citatis, & intra probabilitatis terminos, quod utilius judicaverit, conſulat.

MMMDCCCXVI.

Aliter in rebus certis, & aliter in probabilibus procedunt Iudices.

OCcurrit caſus, in quo multi Doctores ex infirmis fundamentis diſcurrunt. [Sciebat Livia ſe in primo partu morituram, aut filios mortuos edituram, & interrogabat, An poſſet validum & licitum matrimonium inire? *Sciebat* dixi, non *opinabatur*, aut *ſuſpicabatur*: nam in rebus incertis certa condemnatio non profertur. Eam *morituram* dixi, non *periclitaturam*; nam ubi certò eſt mortis periculum, non eſt certa mors, ſed probabilis. Vt vel hinc colligas hunc caſum à Doctoribus malè proponi.

An poſſit nubere, quæ præſcit ſe in partu morituram eſſe?

Invalidum eſſe hoc Matrimonium, ait Victoria *in ſuis prælection.* Petrus, Martinus, & Bartholomeus de Ledeſma, Rodriguez, Vega, Veracruz, & Matienzus, & alij, quia fœmina, quæ non poteſt abſque morte parere, nequit reddere debitum: &, quæ nequit reddere debitum, non poteſt Matrimonium contrahere, & hæc omnia *ex cap. Fraternitatis de frigid. & malefic.* confirmare conantur. At deberent cogitare hi Authores, aliud eſſe non poſſe realiter reddere debitum, & aliud non poſſe illud reddere ſine peccato: quod autem reddendo debitum peccetur aut non peccetur, Matrimonij non concernit ſubſtantiam: adeoque inter infideles non eſſet impedimentum dirimens. Contrariam ſententiam habet Leander *part.* 2. *tract.* 9. *diſputat.* 21. *quæſt. etiam* 21. *pag.* 312. *b.* aſſeritque tale inter Chriſtianos Matrimonium valere, & ut ſuam ſententiam ſuadeat, Sanchez, Friburgum, Henriquez, Sa, Lopez, Bonacinam, Ægidium, Gutterez, & Rebellium, Candidum, & alios Doctores adducit: ad quorum mentem duas rationes producit; alteram, quæ impotentiam ipſam; alteram, quæ impotentiæ durationem concernit.

In quo eſſentia Matrimonij conſiſtat?

Impotentiæ qualitatem conſiderando ſic inquit. [Probabilius reſpondeo (Matrimonium) validum eſſe. Quia Matrimonij contractus eſſentialiter conſiſtit in mutuâ obligatione ad copulam perfectam ſuâ naturâ aptam ad prolis generationem (quamvis ex accidenti nequeat ſequi proles) at hîc totum hoc reperîtur. Ergo.] Et ad tempus convertens oculos ait. [Hæc impotentiæ circunſtantia non eſt perpetua, ſenectutis enim tempore, quando jam mulier erit ſterilis, neceſſario ceſſabit. At impotentia, quæ non eſt perpetua, non dirimit Matrimonium. Ergo.]

An hæc impotentia ſit perpetua?

Et quidem aſſentirer Leandro, ſi omnia hæc marito ante Matrimonij contractum exponerentur: nam aliàs eſſet defectu conſensûs Matrimonium invalidum; Quis enim non diceret deceptum fuiſſe juvenem quoad ſubſtantiam contractûs, ſi ipſe ab Apoſtolo monitus, quia urebatur, matrimonium adhibuit, & poſteà ſponſa diceret, oportet per annos 40. exſpectare, tum enim conſummari Matrimonium poterit, cùm ſiam ſterilis. Putarem enim nunquam veniſſe in illius ſponſi mentem tale Matrimonium contrahere.

An, qui cũ tali impotentiâ nuberet, ſponſam deciperet?

MMMDCCCXVII.

Citaverat inter alios Authores Leander Coninckium *de ſacr. diſp.*31.*dub.*7.*num.*86. *pag.*814. *a.* locum recognoſco, & quia doctiſſimè & ſolidiſſimè diſcurrit, & hanc ipſam doctrinam poſteà negligit Leander, placuit lineas ſubſequentes exſcribere. [Sequitur quartò (inquit ille) ſteriles, aut mulieres quæ nequeunt parere ſine vitæ periculo, aut nonniſi fœtum mortuum; ſi aliter potentes ſint ad uſum matrimonij; validè contrahere. Quia nec generatio, nec poteſtas gene

De his, quæ fœtus mortuos pariŭt.

Digitized by Google

An generatio aut generandi poteſtas ſit de eſſentiâ matrimonij?

generandi eſt de eſſentiâ matrimonij. Credo tamen tali fœminæ ſcienti hunc ſuum defectum in partiendo, illicitum eſſe nubere, quia tenetur tantum ſuæ vitæ periculum evitare, ſi commodè poſſit. Quod ſi graues tamen pateretur tentationes, præſertim cum periculo ſuccumbendi licitè nuberet. Quia non tenetur dicta incommoda cum tanto ſuo malo ſuperare. Colligitur ex Sanch. *lib.7. diſp.* 108. *n.*8. vbi ob ſimilem cauſam dicit talem conjugatam licitè petere debitum; non tamen teneri reddere cum tanto ſuo incommodo. Quod verum eſt, quando bonâ fide contraxit, & toro vult ſeparari à marito, quia ſi conſcia ſui defectûs contraxit, tenetur reddere, quia non potuit contrahere niſi ad hoc ſe obligando, alioqui graviſſimè maritum deciperet. Volendo invitum obligare ad reddendum debitum ſine jure petendi. Idémque eſt quando vult eodem toro vti, quia aliàs graviſſimis tentationibus maritum exponeret. Nec proli, quæ creditur mortua edenda, fit hoc modo iniuria; quia hoc eſt præter intentionem conjugum jure ſuo vtentium. Adde probabile eſſe ſecundùm D. Auguſt. *lib.5. contra Iulianum, cap.*8. tali proli melius eſſe ſic eſſe, quàm non eſſe, & conſequenter ex tali actu nullum ei accidit malum ſine quo nullo modo eſſet, cùm in conjugum poteſtate non ſit, ut ad eſſe omninò perfectum perveniat.] Et quidem Auguſtinus *in illo cap.*8. (*aliàs* 11.) *citato*, ſic ait: *Non dico parvulos, ſine Chriſti baptiſmate morientes, tantâ pœnâ eſſe plectendos, vt eis non naſci potiùs expediret.* Et infrà: *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos in damnatione omnium leniſſimâ futuros: qua quibus (lego, qualis) & quanta erit, quamvis definire non poſſum, non tamen audeo dicere, quòd eis, vt nulli eſſent, quàm ut ibi eſſent, potiùs expediret.*

An ad ſuperandas graves tentationes poſſit nubere fœmina cũ periculo mortis?

An poſſit conſcia ſui defectus contrahere? an cedere poſſit iure ſuo?

An fœtus prater intentionem extinguantur?

An infantibus qui in limbo, melius ſit ſic eſſe, quàm non eſſe?

MMMDCCCXVIII. De hermaphroditis.

Quinam ſexus in eis prævaleat, cõmuniter conſideratur?

Quid ſi neuter prævaleat?

An poſſint mutare uniũ ſexus?

DE Hermaphroditis non eſt cur multa dicamus. Si alter in ipſo ſexus prævaleat, illum poſſe eligere, & iuxta illum Matrimonium contrahere, ab omnibus aſſertum eſt. Si uterque ſexus ſit æqualis, poſſe, quem voluerit, eligere. Eſt etiam certum: Sed quid, ſi fœmineum elegerit, poteritne poſt mariti ſui mortem maſculinum eligere, & vxorem ducere? Invalidum fore tale Matrimonium aſſerit Torreblanca *libr* 5. *de Iur. ſpir. cap.* 9. *num.* 15. *pag.* 436. & tam ſeverè ſecundum Matrimonium condemnat, ut neget celebrari poſſe, etiam ſi diſpenſet Epiſcopus. Et citat Baſilium *libr.*7. *de Matrimon. cap.* 65. *num.* 8. qui tamen oppoſitam tenet opinionem, & ait: [Si viduus factus utatur alio ſexu, & nubat ut fœmina, qui priùs nupſit ut vir, peccat quidem, at coniugium valet, cùm ſit corpus aptum, & nullum ſit Ius Eccleſiaſticum, quo reddatur inhabilis] Idem docuerat Sanchez, & alij. Nota illa verba, *peccat quidem.* Sed contra legem, quærit Hurtadus, *diſputat.* 22. *diff.* 10. dicens forſitan non peccare, aut ſaltem non peccare mortaliter, quia juramento ſecluſo hîc nulla apparet deordinatio, ſaltem gravis. Nos autem, qui in deordinatione, ſi lex illam interdicens non adſit, Theologicam malitiam non admittimus, nolumus de deordinatione (erit enim præſcindendo à lege, Philoſophica) diſſertationem inſtituere, ſed doceri tantummodò, an in Decalogo (aliud Naturæ Ius non ſcio) vel in Iure Canonico lex reperiatur aliqua, quæ iuxta Baſilij & Sanchez mentem Hermaphroditarum matrimoniis modum & rationem præſcribat?

Vbi non eſt lex, non eſt peccatum.

An Hermaphroditus poſſit ſecundum ſexum debiliorem generare?

Poſſe etiam interdum ſecundum ſexum minùs prævalentem generare, hiſtoriæ ſuadent. Non ſunt multi anni, ex quo quidam Clericus gravidus, fuit occaſio in Italiâ, ut eruditæ literæ ſcriberentur. Et Marchio de Caſtelforte, D. Sebaſtianus del Yerro, narravit mihi Neapoli, ſe cognoviſſe Granatæ Mercatorem, in cujus domo famulus ab ancillâ fuit gravidus. Erant Hermaphroditæ: & quis dubitat, quod veſtes illis ſecundum ſexum prævalentem fuerint determinatæ: Et hanc ipſam hiſtoriam poſteà audivi ab aliis. Hac doctrinâ prætermiſsâ dubitatur, an Hermaphroditus iuxta debiliorem ſexum poſſit Matrimonium inire? Sanchez *libro* 7. *de Matrimon. diſputat.* 106. *num.* 5. Guttierrez *cap.* 119. *num,* 2. Bonacina & alij adhærent negativæ ſententiæ; quia tunc Matrimonium inter perſonas ejuſdem ſexûs diceretur iniri. Si enim ille, in quo fœmineus prævalet, vxorem duceret, fœmina fœminæ copularetur: quia ſi ſexus fœmineus prævaleat, reputabitur mulier. At quia Matrimonium eſt contractus naturalis, non deberet quæri, an ille Hermaphroditus reputetur aut cenſeatur fœmina, ſed an ſit vir? Tu ſubſcribe Hurtado *diſput.* 22. *diff.* 10. *in fin.* Baſilio *libr.* 7. *cap.* 65. *in fin.* quos citat & ſequitur Leander *part.* 2. *tract.* 9. *diſput.* 21. *quæſt.* 31. & Palaus *diſput.* 4. *punct.* 14 §.5. *num.* 2. & alij, aſſerentes illum Hermaphroditum, ſi ſecundum debiliorem ſexum ſit ineptus ad perfectam copulam, ſecundum illum Matrimonium celebrare non poſſe. Si autem aptus ſit, poſſè; hoc enim, Ius naturæ non inhibet, nec ſunt in Pontificio Canones, qui talia Matrimonia interdicant.

An etiam poſſit matrimonium cõtrahere?

An vna poſſit fœmina alteri nubere?

MMMDCCCXIX. N. B. Quæſtiones hæ exercitij gratiâ proponuntur: illas poterunt ingenioſi lectores pro ſui ingenij reſoluere dexteritate.

Progrediamur vlteriùs, & vberioris doctrinæ gratiâ mihi amice lector, Quæſtiones ſubſequentes decide. *Primò.* Si illi duo Mercatoris Granatenſis famuli jam uno modo atendo altero ſexu; jam alio modo, utendo altero ſexu commiſcerentur, quomodo peccaſſent? An ſupra ſimplicem fornicationem eſſet in hac ſexuum alternatione circumſtantia, quæ mutaret ſpeciem, & deberet in confeſſione declarari? *Secundò.* Si illi Matrimonium contraherent, & famulus ut vir ancillam duceret, etiam ut vir illam poſſet cognoſcere. Quomodo autem peccaret, ſi poſtea idem famulus ab ancillâ ut fœminâ cognoſceretur? *Tertiò.* Idem famulus qui ut vir uxorem duxerat, adulterium committeret, ſi cum aliâ fœminâ commiſceretur: quale autem committeret peccatum, ſi vt fœmina alicui ſe viro proſtitueret. *Quartò.* Siquidem ille eſt vir & fœmina, cur non poterit

unam fœminam ducere in vxorem ut vir, & alicui viro nubere ut fœmina, adeóque habere maritum & uxorem ſimul? *Et tandem*, cur famulus & ancilla, qui primum celebraverunt matrimonium ut mas & fœmina, non poſſint mutatis ſexibus ut fœmina & mas ſecundum matrimonium inire, adeóque eſſe maritus & uxor ſimul, ejuſdem perſonæ reſpectu?

Quomodo Impotentia probetur?

Quàm ſit difficile bene in hac materia pronũciare?

CLaudamus hunc articulum de probatione Impotentiæ diſputando. Vt Matrimonium declaretur à Iudice ex hoc capite nullum, non ſufficit, quod alter conjux conqueratur. Qui enim afficitur tædio, multa fingit. Et fœminæ ſemper ſunt nimiæ, & vbi aliquâ perturbantur paſſione, nec veritatem, nec rationem morantur. Sufficiétne, ſi uterque aſſerat; ſi uterque impotentiam fateatur? minimè: qui enim pacificè non poſſunt convivere, dum ſeparari volunt, & ad alia vota tranſire, colludunt inter ſe, & Iudices ex condicto decipiunt. Cauſa eſt hæc, in quam non libenter ingrederer: eſt enim ex multis capitibus periculoſa, in quâ vix habet Iudex ſufficientes præmiſſas, ut ad definitivam procedat. Vnde mirari nemo debeat, ſi aliqui Iudices, etiam docti, alucinentur aliquando; nam hoc experti ſunt ſæpe Summi Pontific. Et Innocent. III. de quodam matrimonio, quod fuerat nullum ex capite impotentiæ judicatum, rogatus ab Altiſiodorenſi Epiſcopo, ſic reſcribit: *Nos tamen perſpicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter Divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo potuit removeri; ſententiam divortij per errorem, licet probabilem, novimus eſſe prolatam, cùm pateat ex poſt facto, quod ipſa cognoſcibilis erat illi, cujus ſimili commiſcetur.* Et in omni definitivâ ſententiâ, ſive pro, vel contra pronuncietur; ſemper erunt aliqua in quibus ad neceſſariam notitiam Iudices pervenire non poſſint.

An in illâ Iudices frequenter errent?

MMMDCCCXX. Porrò experientia triennij prudentiſſimè ponitur ab Eccleſiâ. Non autem habet locum in manifeſtis: nam, ſi vir habeat teſtes exſectos, aut puella ſit omninò impervia; ceſſaret finis, ob quem tempus illud concedebatur. Sed à quâ die debet computari triennium? In hoc, quidquid argutentur Authores, placet opinio Leandri, qui *part.* 2. *tractat.* 9. *diſput.* 21. *quæſt.* 41. *pag.* 317. *a.* Omnem impotentiam quæ ante plenam pubertatem acciderit, ab ætatis defectu provenire præſumit. [Plena pubertas in maſculo 18. annos, in fœminâ 14. completos requirit.] Adeóque experientiæ triennium ante pubertatem perfectam incipere non poſſe ſtatuit. Conſonat Narbonæ *adnotat.* 18. *quæſt.* 5. Thomæ Sanchez *libro* 7. *diſputat.* 104. *num.* 18. & 19. & 110. *num.* 10. Et ſic intelligendos ait Anton. *in cap. puberes*, *num.* 4. & Covarruviam 4. *decret.* 2. *part. cap.* 5. *num.* 2. qui non ita clarè loquuti. Negativè hos Authores expoſui tametſi ipſi poſitivè loquantur: nam tametſi verum ſit quod ante plenam pubertatem triennium illud computari non poſſit, non ideò eſt verum ab illâ ætate computandum. Sed vnde? Poſt illam ætatem à die reclamationis. Sic declaravit Paulus V. ut Baſilius, Farinacius, Riccius, & alij apud Sanchez *libr.* 7. *diſputat.* 109. *num.* 2. & 3. teſtantur. Conſonat Ludovicus de San-Iuan, *de Matrimon. quæſt.* 6. *art.* 15. *dub.* 1. *pag.* 994. ait enim: *Paulo V. ſanctiſſimo Vicario de* IESU-CHRISTO *Señor nueſtro, y legitimo ſucceſſor de S. Pedro, haviendo la Rota declarado eſte triennio deberſe entender à* die reclamationis. *Su Santidad approbó la tal Deciſion, y declaró ſêr aſsi verdad; y vióſe claro ſêr aſsi juſtiſſima ſentencia; pues haviendoſe tratado de ſeparar à ciertos Duques, Vaſallos de la Igleſia, habitantes en Roma, que antes de reclamar habian eſtado juntos mas de tres años, dada la dicha ſentencia de que habitaſſen otros tres años* à die reclamationis. *Fué Dios ſervido, que al fin de los tres años ſobredichos ſe hizo preñada la dicha Duqueſa con increible gozo del pueblo Romano, de los Rotantes, y de ſu Santidad.* Et ſic debere fieri ſecundum Romanæ Curiæ ſtylum aſſerit Palaus *punct.* 14. §. 6. *num.* 5. Verùm enim verò, cùm Deciſiones Rotæ non ſunt leges vniverſales, ſed ſententiæ definitivæ in tali caſu particulari, & motiva, quæ tunc concurrerunt, non facili negotio recurrent, notant Riccius, Palaus, Baſilius, Leander, aliiſque, quod ſi ante reclamationem triennalis cohabitatio præceſſerit, liberum ſit Iudici hoc ipſum poſt reclamationem triennium ad breve tempus coarctare.

De experientiâ triennali.

Vnde incipiat computari triennium?

Quo anno plena pubertas veniat?

Pauli V. Pontif. maximi declaratio.

An deciſiones Rotæ ſine de caſibus particularibus, an in generales regulas tranſire poſſint?

Petis, an triennium, aut quantumcumque tempus ſit, quod à Iudice deſignatur, eſſe debeat continuum? Reſpondet Baſilius per hæc verba. [Debet continuum morali quâdam ratione, *ex cap. de fin. frig.* hoc eſt, ſicut ſolent conjuges cohabitare, & ſibi invicem copulari. Quod ſi magno temporis ſpatio ea cohabitatio interrumperetur, ſuppleri deberet.] Ita etiam Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 111. *num.* 2. 4. & *ſeqq.*

An triennium hoc continuum eſſe debeat?

Ex hac doctrinâ hoc Sanchez, & cum illo Leander & Narbona Corollarium deducunt. [Non poteſt peti ſeparatio Matrimonij ratione Impotentiæ, niſi vir annum decimum octavum compleverit, & quartum decimum fœmina.] Et tu adhuc infers alterum. [Non poteſt in tali caſu ſeparatio concedi, niſi poſt plenam pubertatem illi per tempus à Iudice ſecundum præcedentem doctrinam deſignatum, Matrimonium fruſtra conſummare tentaverint.]

Quando ſeparatio peti poſſit, & quando non poſſit?

Sed quid faciendum elapſo triennio, aut tempore à Iudice ad experientiam deſumendam præſcriptum? Aliqui jubent, vt inſpiciatur fœmina, an virgo ſit? Sed eſt difficultatibus hæc ipſa obnoxia inſpectio. (1) quia videtur indecens, & contra honeſtatem hæc inſpectio: & fortè MMMDCCCXXI.

illam

An fœmina ſit inſpicienda?

Digitized by Google

illam non permittet maritus, & illam fortè Iudex non audebit præſcribere, (2) ut ut præſcribatur & fiat, eſt inutilis; quoniam frequentiſſimè fallit, multæ enim virgines videntur quæ non ſunt. Gundiſalvus de Oviedo *in ſummarij de Indiâ Occidentali capit.* 10. agens de illius regionis fœminis ait. *Sono tanto ſtrette donne, che con faticha gli huomini ſatisfanno al ſuo appetito: & quelle che non hanno partorito, ſono ſempre qua ſi come vergini.* Et quod eſt in illâ regione commune, non eſt mirum, ſi in aliis interdum contingat, (3) quia, etſi maritus ſit impotens, poteſt illa eſſe corrupta (puta, ſi quando nupſit erat vidua, aut quid aliud: eſt enim tanta fœminarum fragilitas, ut ſe manibus corrumpant aliquæ; & aliæ à famulo recipiant ſolatium, quod fruſtra exſpectarunt à Domino, &c.) Quæ doctrina, tametſi non præjudicet matronis caſtiſſimis, quales pleræque ſunt, & præſumuntur omnes, eſt ſufficiens, ut cognoſcamus non eſſe bonam conſequentiam, *Vxor eſt deflorata, Ergo maritus non eſt impotens*, ut enim Regula Iuris aſſerit, *Non probat rem eſſe, quod quandoque contingit abeſſe.*

An poſſit eſſe aliquam virginē ex ſolâ inſpectione cognoſci?

An ex non virginitate uxoris mariti potentia inferatur?

De iuramēto.

Rejectâ ergo inſpectione, ut fallaci probatione & inutili, Pontifex poſtulat juramentum, ut conſtat *ex cap. laudabilem.* Et vult tam neceſſario illud exhiberi; ut, ſi omittatur, nullam fuiſſe decernat diſſolutionem Matrimonij Ita *in cap. de frig.* Quæ omnia docet Palaus *diſput.* 4. *punct.* 14. §. 9. *num.* 11. & Leander *ubi ſupra quæſtion.* 45. *pag.* 318. *a.* qui D. Thomam, Scotum, Angles, Sanchez, Hoſtienſem, Navarrum, Paludanum, & alios Doctores adlêgant.

An neceſſarium ſit?

Sed quid, ſi delatus conjux renuerit juramentum emittere? quid, ſi citatus comparare noluerit? Quid faciet Iudex? [Caſus in terminis accedit Pragæ in noſtro Conſiſtorio, in quo Magnus Princeps Impotentiæ accuſatus, nec reſpondere, nec unquam comparere voluit.] Quid tunc conſilij? Volebant aliqui, ut ad cenſuras procederetur: ſed Archiepiſcopus, quia contemnendas fore prævidebat, hanc viam non eſt auſus inire. Pone hanc illum viam intraſſe, Principem excommunicaſſe, hunc adhuc nolle reſpondere, quo in Matrimoniali causâ modo procederetur? Vociferabantur Canoniſtæ & Iuriſtæ (nam illud Conſiſtorium habet Aſſeſſores doctiſſimos: & ubi cauſæ id poſtulant, etiam Cæſareos, Regioſque Conciliarios adſciſcit) volebantque Principem in contumaciâ condemnari. Imò exclamabant, Iuriſtarum in rebus practici, eſſe præferenda conſilia, quia Theologia ſpeculationem concernit Canones verò & leges praxim. Quid hîc ego? Matrimonij valor à rei contumaciâ & inobedientiâ non pendet: quidquid de matrimonio ob mariti citati pertinaciam Conſiſtorium decernat, illud erit validum, ſi maritus ſit potens; &, ſi non ſit ille potens, invalidum. Res manſit ſic: & quia gravia inconvenientia timebantur, debuit domina, tacere & habere patientiam.

An accuſatus de impotentiâ poſſit in contumaciâ condemnari?

Pragenſe Conſiſtoriū laudatur.

Matrimonium, ſi validum ſit, per ſentētiā Iudicis non redditur invalidum.

Progrediamur ulteriùs. Eò pervenerit cauſa, ut poſt triennalem experientiam uterque conjux Impotentiam alterutrius confeſſus ſit, & confeſſionem juramento firmavit. An hoc ſufficiet, ut Iudex Matrimonium diſſolvat: hoc eſt, nullum fuiſſe declaret? Minimè: nam adhuc eſt adhibenda forma Iuris: nam *in cap. Laudabilem*, præſcribitur probatoria ſolennitas. Et quæ eſt hæc. Leander *ubi ſupr. quæſtion.* 43. *pag.* 317. *b.* aſſerit [deſiderari & requiri juramentum conjugum fatentium Impotentiam ſuam: & præter hoc juramentum alterum ſeptimæ manûs; hoc eſt propinquorum jurantium ſe credere illos verum fateri.] Et Sanchez *lib.* 7. *diſput.* 107. *num.* 14. Anton. *cap. laudabilem*, *num.* 14. Alexandrum de Nevo *ibidem num.* 17. Baſilium *libr.* 7. *cap.* 66. *num.* 2. Luiſium *dubit.* 14. & alios.

De ſeptimæ manûs iuramento. Quid illud ſit? &, an neceſſariò praſtandū?

HIs præmiſſis tutâ Iudex conſcientiâ ad definitivam procedet: & poſt ſententiam Matrimonium cenſebitur diſſolutum, & uterque conjux poterit de ſuâ vitâ diſponere: hoc eſt, aut ad ſtatum Religioſum tranſire, aut alias nuptias celebrare. Hac tamen doctrinâ, quæ in praxi & in foro conſcientiæ eſt certa & indubitata, non obſtante, unam adhuc Difficultatem proponis, quam ut ab aliis diſtinguatur, jubes *principalem* vocari, & interrogas, *Quàm certum ſit Matrimonium reverà eſſe ſolutum poſt ſententiam? An adhuc manebit periculum, ut illa, ſi fiat Monialis, aut alteri nubat, non obſtante ſolenni profeſſione, aut ſecundi Matrimonij celebratione, debeat ad primum maritum redire?* Quæſtiones ſequentes reſpondebunt.

MMM-DCCC-XXII.

De ſententiâ. Quam certa ſit, quæ profertur à Iudice?

Petitur primò. *An vir ingreſſus Religionem poſt ſententiam Iudicis & Matrimonij diſſolutionem, ſi poſt ſolennem profeſſionem conſtet impotentiam non eſſe perpetuam debeat ad uxorem redire?* Petitur ſecundò. *Quid dicendum ſit, ſi uterque ſecundas nuptias celebraſſet?* Petitur tertiò. *Quid, ſi uterque ſolennem profeſſionem emiſiſſet?* Petitur quartò. *Quid, ſi poſt ſententiam illam vir ſuſceperit ordines ſacros & fuerit ad ipſum Sacerdotium promotus?* Petitur quintò. *An fœmina ratione arctitudinis à viro ſeparata, ſi alteri nubat & ab illo laxetur, ſit priori marito reſtituenda?* Et huic ſimilis eſt Quæſtio, quæ examinat, *An, quando aliquis ad virginem, & non ad corruptam eſt impotens, & tamen ducat Virginem, & per ſententiam ſeparetur; hæc virgo, ſi alteri nubat, & defloretur, debeat ſeparari à ſecundo, & primo marito reſtitui?* Et tandem petitur ſextò, *An vir ratione frigiditatis ſeparatus, ſi ſecundam uxorem ducat, ſit ab illa ſtatim ſeparandus, & hic ſecundum matrimonium, ſine alia probatione nullum ſit declarandum?*

Proponūtur ſex Dubia, ex quorum deciſione huius Impedimenti potior notitia deſumatur.

Quæſtio Principalis reſolvitur.

Ex ſolâ harum Quæſtionum & Dubiorum propoſitione quid ſit ad Difficultatem Principalem reſpondendum colligitur: quia, ſi poſt ſententiam adhuc ſex hæ Quæſtiones habent locum, & in ipſis divortia ſententiarum leguntur, in illâ ſententiâ Iudex nihil definit certi, ſed juxta Pontificij Iuris Regulam X L V. procedit merè probabiliter, reſpicit enim in materiâ obſcuriſſimâ, quod eſt veriſimilius, & plerumque fieri conſuevit. Hinc redeamus ad Quæſtiones propoſitas, & illas (unam poſt aliam) reſolvamus.

Matrimonium ratum ſolennis profeſſio dirimit.

MMMDCCCXXIII. PRIMAM his verbis *part.2. tract.9. diſput.21. quæſt. 50. pag. 319. a.* Leander decîdit. [Reſpondeo tanquam certum ſub diſtinctione ſic. Si vir ille profeſſus eſt ante conſummatum Matrimonium; non conſummatum diſſolvitur per profeſſionem. Si verò profeſſus eſt poſt conſummationem Matrimonij debet redire ad uxorem. Quia Matrimonium conſummatum non diſſolvitur per profeſſionem] Et citat Sanchez, Covarruviam, Petr. de Ledeſma, Henriquez, Gutierez, Bonacinam, Hurtadum, Baſilium, Candidum, Villalobos, &c. At Ego neutrum eſſe verum aſſero; & reverà crediderò, hos Authores tantùm dicere Matrimonium conſummatum per ſolennem profeſſionem non dirimi: quod nemo negat. Sanè, qui uxorem duxerat, & per experientiam & ſententiam fuit declaratus impotens, ut uxorem haberet, quando ingreſſus eſt Religionem, & in ipsâ ſolennem profeſſionem emiſit, erravit in ſe quoad ſubſtantiam perſonæ, & in profeſſione quoad ſubſtantiam contractûs: ingreſſus eſt enim Religionem, quia ſe eſſe cælibem & non conjugatum, imò ſe eſſe incapacem ut uxorem duceret ſupponebat. Ecce errorem ſubſtantialem primum. Et ex hoc errore natus ſecundus fuit: nam Emiſit profeſſionem, quam, ſi in ſuâ perſonâ non erraſſet (ſi ſciviſſet ſe eſſe verè & realiter conjugatum) non emiſiſſet. Ergo illa profeſſio ab errore ſubſtantiali & antecedente proveniens fuit invalida. Non ergo ratum matrimonium dirêmit. Alterum, quod de matrimonio conſummato ſubjungit, contradictoria involvit. Repugnat enim ut Matrimonium conſummatum ratione impotentiæ ſit nullum: qui enim illud conſummavit de facto, non eſt impotens. Eſt ergo impoſſibile ut Matrimonium conſummatum per Iudicis prudentis ſententiam ob impotentiam mariti diſſolvatur: quoniam impotentia, ſiqua poſt Matrimonij conſummationem ſupervenit, illud non dirimit.

Profeſſio ex errore ſubſtantiali emiſſa, eſt invalida.

Eſt impoſſibile ut matrimonium conſummatū ob impotentiam mariti dirimatur.

Quid ſi impotentia quæ cenſebatur perpetua, poſtea ætate aut medicinis iuvantibus naturā, recedat?

SECVNDA Quæſtio nonnulla implicat, quæ debent ſigillatim exponi. Illam ergo uberioris doctrinæ gratiâ divide, & interroga *Primò*, Quid faciendum ſit, ſi maritum impotentia abſoluta afficiebat, & tamen propter illam nullum viſum fuit Matrimonium, & poſt ſententiam mulier nupſerit alij viro: an tunc, ſi fortè prior vir, aut naturali virtute refloreſcente, aut medicinis, quibus priùs caruerat, adjutus, reddatur potens, debeat uxorem ſuam repetere, & à ſecundo marito auferre & in domum reducere? *Secundò*, An, ſi impotentia judicata fuerit relativa, & poſt ſententiam uterque ad alia vota tranſiverit, & novum matrimonium contraxit: ubi cognoſcatur perpetuam eam non fuiſſe poſteriora debeant Matrimonia diſſolvi, & tam vir, quàm uxor ad primum Matrimonium redire? *Reſpondeo ad primum* viri impotentiam non fuiſſe perpetuam, & ſtando Iuri Naturæ, quidquid de Iudicis ſententiâ ſit, debere illam fœminam viro primo reſtitui. *Reſpondeo ad ſecundum* eodem modo (nimirùm, ſtando Iuri Naturæ) rerum eſſentias vi humanarum opinionum & apprehenſionum non mutari, quam ob rem, ſi illa impotentia, quæ eſſe putabatur, non erat, dicendum eſt Matrimonium, quod eſſe putabatur invalidum, fuiſſe validum. Ergo in caſu Ius naturale poſtulat, ut ſecundis illis Matrimoniis ſolutis primum manuteneatur.

An aliter de abſolutâ, & aliter de relativâ hic decernendum ſit

Veritates & eſſentia hominum opinione non mutantur.

MMMDCCCXXIV. TERTIA agebat de Profeſſione ſolenni. Et hic Leander *part.2. tract.9.* ex *diſput.2. quæſt.50. & 51. pag.319. a.* ad *diſſ.5. q.9. & 10. pag. 235. a. b.* revertitur: & tamen hæc quæſtio non dependet ab illis. Ergo nos, ut rem clarè expediamus, dicamus Primò, *Matrimonium ratum non conſummatum per alterutrius ſolennem profeſſionem diſſolvi.* Ago de validâ: nam, ſi per errorem aliquis deciperetur & profiteretur, eſſet profeſſio invalida, & ratum Matrimonium non dirimeret. Porrò Matrimonium ratum per profeſſionem ſolennem validam dirimi, eſt aſſertio de Fide; expreſſa olim *in cap. deſponſatam, 27. quæſt.2.* & *in Extravag. Antiquæ: de voto,* & nuper in Tridentino *ſeſſ.14. can.6.* definita. Vnde meritò Leander reprehendit Eſtium, quòd *in 4. diſt.27. §.4. pag 81.* illam *veriorem*, hoc eſt *probabiliorem* dixerit, ex quo liceat inferre oppoſitam eſſe probabilem, quod nemo Orthodoxus admittet. Dicamus ſecundò, *Cùm uterque poſt Matrimonium ratum Religionem ingreditur, & in eâ ſolenniter profitetur, matrimonium non certò, ſed probabiliter tantùm diſſolvi.* Cùm, quia rationes, quæ illud ſolvi ſuadent cùm alter tantùm profitetur uterque, enervantur: tum, quia dividuntur Theologi, illud enim non diſſolvi aſſerit S. Thomas *in 4. diſt.27. quæſt 1. art.3. quæſt.3. ad 3.* quem Paludanus & Cornejus ſequuntur. [Stando huic ſententiæ dicendum eſt Religioſum illum, ſi fornicetur, non ſolùm ſacrilegium, ſed etiam adulterium committere: & addendum, eumdem, etſi in votis ſolennibus diſpenſaretur, non poſſe uxorem ducere, niſi altera in Matrimonio rato concederetur diſpenſatio. Et tandem, ſi ſuam uxorem, jam Monialem cognoſceret, duplex ſacrilegium (aliter enim peccat Religioſus cum ſolutâ, & aliter cum Religioſâ) non autem fornicationem committeret. Et qualis eſſet filius, ſiquis fortè ex illa copula naſceretur? Spurius, legitimuſque: legitimus quia ex parentibus legitimè conjugatis: ſpurius, quia ex thoro ſolenniter interdicto & ſacrilego.] Sic juxta hujus ſententiæ fundamenta diſcurritur: nihilominùs hoc in caſu propoſito Matrimonium diſſolvi aſſerit oppoſita ſententia, quam Hurtadus *diſp.8. diff 4. num.15.*

An ſicut Matrimonium ratū, non conſummatum, per alterutrius ſolennem profeſſionem dirimitur, ſic etiam ſi uterque profiteatur ſolenniter, dirimatur?

Vtrumque probabiliter dicitur.

Quid, ſi nō dirimatur? Inferentur iſta Ecbeſes.

Digitized by Google

num. 15. Ochagavia *queſt.* 6. *num.* 6. Sanchez, Ledeſma, Henriquez, Machadus, Leander, & alij judicant eſſe probabiliorem. [In hac ſententiâ ille Religioſus, ſic profeſſus, ſi aliquam cognoſceret fœminam fornicationem & ſacrilegium, non autem adulterium committeret: &, ſi in votis ſolennibus diſpenſaretur, poſſet ſecundum Matrimonium inire: & tandem, ſi illam ipſam cognoſceret, quam in uxorem duxerat, eodem modo ac ſi quamcumque aliam Monialem cognoviſſet, peccaret.] Dicamus tertiò *has doctrinas, tametſi vera ſint (quidquid opinetur Leander) ad ſolutionem hujus tertiæ quæſtionis non conducere.* Patet: nam, eis admiſſis adhuc examinandum eſt, an illi fuerint decepti, & ex ſubſtantiali errore profeſſionem, quam aliàs non emiſiſſent, emiſerint. Quia, ſi error ſubſtantialis intervenit, illæ profeſſiones defectu conſenſûs & ratione deceptionis fuerunt invalidæ. Ergo dicamus quartò, *illos, ſi dixiſſent.* Fuerit, aut non fuerit validum matrimonium, volumus profiteri, *emiſiſſe profeſſionem validam, & nec debere nec poſſe ad uſum Matrimonij redire. Cæterùm, ſi dixiſſent,* ſi Matrimonium fuiſſet validum, minimè profiteremur, quia autem eſt invalidum profiteamur, *eſſet invalida in caſu profeſſio.* Sed petis, quid præſumendum ſit? Reſpondeo me in caſu hoc ſecundum præſumere, nec ſcire cur alterum præſumi debeat.

Et quid, ſi dirimatur?

Has neceſſariò deducemus.

Non ſufficit conjuges emiſiſſe profeſſionè ſolennem, ſed adhuc examinandum eſt, an decepti & ex ante cedente errore illam emiſerint?

MMMDCCCXXV.

Quid ſi poſt ſententiam conjux ad Ordines promotus fuerit?

An illos ſuſceperit validè?

Qvarta magnas excitat difficultates: quia aliqua certa & indubitata inter alia ſuccurrunt, illa à minùs certis & indubitatis ſeparemus. Dico itaque primò. *Illum, de quo in propoſitâ quæſtione agebatur, validè Ordines ſuſcepiſſe.* Nam Matrimonium Ordinum valori non præjudicat. Dico ſecundò, *Eumdem uxori, ſi repetat, eſſe reſtituendum.* Dico tertiò, *Vxorem, ſi cælebs manſit, non poſſe alteri nubere: &, ſi de facto alteri nupſerit, eſſe ab eo ſeparandam; & illud ſecundum Matrimonium eſſe invalidum, ita ut vir ille poſſit aliam uxorem ducere.* Hæc omnia certa ſunt & dilucidantur ab Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 8. *num.* 3. Petro de Ledeſma *queſt.* 8. *art.* 2. *dub.* 2 Sanchez, Leandro, Bonacinâ, Candido, Baſilio, Hurtado, & aliis. Tota difficultas eſt, an ille poſſit ad uxorem redire non vocatus? &, ſi vocetur, debeat tantùm reddere debitum, an poſſit etiam illud petere? Leander *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 21. *quæſt.* 52. *pag.* 319. *b.* ad utrumque reſpondet his verbis. [Hurtadus *diſp.* 22. *diff.* 11. *num.* 42. benè notat, quod vir, qui in dicto caſu Ordines ſuſcipit ſacros, nequibit ad uxorem redire, nec ipſam repetere, ſi uxor ipſum non repetat. Quia per Sacri Ordinis ſuſceptionem ipſi præjudicaverit. Vxore verò ipſum repetente tenetur iſte reddere debitum uxori, cùm ipſa non ſit privata lege petendi. Non tamen ipſe poterit debitum exigere (quidquid dixerint Aſtenſis & Richardus penes Sanchez) propter votum Caſtitatis emiſſum in Sacrorum Ordinum ſuſceptione.] Sed quid, ſi Aſtenſis & Richardus dicant illud votum ex errore ſubſtantiali procedere, & debito carere conſenſu? Dum Leander cogitat, quo modo illis ſatisfacturus ſit, Hurtadi ſententiam ego teneo, & hujuſmodi ſacerdotem nec poſſe ad uxorem non vocantem venire, nec vocatum poſſe debitum petere, quia non voto, ſed ſolenni præcepto ad Caſtitatis obſervantiam tenetur; & hoc ſicut ab ipſius voluntate non pendet, ſic nec uxori, cui non imponitur, debet præjudicare.

An, & quomodo ad ſuam uxorē redire debeat?

An teneatur Caſtitatē ſervare?

An votū ex errore emiſſum obliget?

De præcepto ſolenni.

MMMDCCCXXVI.

An mulier ob arctitudinem vaſis ſeparata, ſi alteri nubat, & laxetur, priori ſit marito reſtituenda?

Qvinta plurimum perturbaret & quæſtiones incapaces ſolutione excitaret, ſi ad Leandri mentem reſolveretur: ipſe enim *ubi ſupr. quæſt.* 54. *pag.* 319. *b.* ſic inquit. [Probabilius juxta doctrinam ibi datam, nimirùm primum Matrimonium irritum fuiſſe, quando fœmina abſque mortis periculo verè non potuit aptari priori viro, nec per proprium uſum, ſed per uſum viri longè potentioris. Reſpondendum eſt, ſic ſub diſtinctione. Si diſſolutum eſt primum matrimonium, eo quod illa fœmina judicatur cuicumque viro ob arctitudinem inepta, de illâ dicendum eſt, quod in quæſtione præcedenti. Si verò dicta fœmina reſpectivè arcta erat, & non abſolutè, ſi tranſiit ad ſecundas nuptias, cum (juxta *quæſt.* 22. dicta) legitimè nupſerit, non eſt ſtatim a viro ſecundo ſeparanda, & reſtituenda primo, ſed conſiderandum, an à ſecundo viro ſimilis proportionis cum primo fuerit cognita, tunc ad primum virum revocari debet, & ſecundum conjugium declarandum non ſubſiſtere. [a] At verò, ſi à diſſimili viro fuerit cognita, non eſt reſtituenda primo viro, quia tunc, omni lite remotâ, ſecundum matrimonium judicandum eſt validum fuiſſe. Sic expreſsè Baſilius *lib.* 7. *cap* 66. *num.* 9. & anteà Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 107. *à num.* 16. & alij Doctores *quæſt.* 22. citati: & Palaus *diſp.* 4. *punct.* 14. § 1. *num.* 12.] At mihi videtur certum, & non jam probabilius, primum Matrimonium nullum fuiſſe: nam impotentia, quæ ſine peccato tolli nequit, jure canonico perpetua eſt. Et ſic diſcurro. Ioanna eſt ita arcta, ut à Livio, quicum contraxit Matrimonium, cognoſci non poſſit: peto, An hoc Matrimonium ſit validum? Si invalidum dicatur, habeo intentum, ut vides: ſi validum dicatur, etiam habeo: ſic enim arguo. Matrimonium eſt invalidum, quando impotentia eſt perpetua. Cenſetur perpetua, quando ſine peccato auferri nequit. At impotentia Ioannæ ſine peccato auferri nequit. Ergo Ioannæ impotentia eſt perpetua. Probatur minor, illa auferetur, ſi à viro potentiore cognoſcatur: Et, ſi ab alio cognoſceretur (ſiquidem dicitur primum Matrimonium perſtare) adulterium committeret. Ergo Ioannæ impotentia eſt perpetua. Ergo, ſi primum Matrimonium non ſtat, ſecundum ſtat.

a] Ergo-ne judex, ut ſẽtẽtiam proferat, debet oculatos teſtes examinare (quia auriti ad definitivã non ſufficiunt) an utriuſque mariti mẽbra virilia ſint æqualia, an inæqualia: & utrius majorẽ habeat improportionem? Et, qui eſſẽt teſtes, qui de his ſordibus vellẽt deponere? & quis virũ gravem auderet de talibus examinare?

Impotentia, quæ ſine peccato tolli nequit, à Chriſtianis judicatur perpetua.

Conſiderẽtur hoc Dilemma.

Idem argumentum poteſt fieri de illo, qui impotens ad virginem, & ad corruptam potens duxit virginem. Nam, ſi hoc Matrimonium dicatur invalidum, erit in

An puella, à ſecundo marito deflorata, primo marito, qui

qui erat impotens ad virginē, ſit reſtituenda?

validum : &, ſi dicatur validum, erit etiam invalidum : ſi ratiocinium ad modum præcedentis argumenti formetur.

Sexta omni caret difficultate : ſeparandus ſtatim eſt, nam vel reverà eſt frigidus & impotens, aut ſe frigidum & impotentem finxit & Eccleſiam decepit. Et hoc

An, qui ob frigiditatem fuit ſeparatus, poſſit ad vota ſecunda tranſire? Et, ſi tranſeat, ſtatim ſeparandus ſit?

Dilemma caret medio. Si primum dicatur, vivat prior uxor aut non vivat, ſeparandus eſt, quia ut contrahat Matrimonium eſt incapax. Si ſecundum, ſeparandus eſt; quia primum Matrimonium fuit validum, & priori vivente uxore, non potuit ſecundum Matrimonium contrahere. Eſſe ſeparandum dixi, non autem priori reſtituendum. Cæterùm, ſi ſecundum Matrimonium conſummaviſſet, hoc ipſo ſe eſſe potentem demonſtraſſet; & quia prius Matrimonium conſtaret, deberet reſtitui primæ uxori. Ita Sanchez *lib. 7. diſp. 99. num. 6.* Baſilius *lib. 7. cap. 64. num. 2.* Leander *part. 2. tract. 9. diſp. 21. quaſt. 53. pag. 319. b.* & apud ipſos etiam alij.

Impedimentum XIII.
Raptus.

MMMDCCCXXVII.

Cur Raptus dirimat Matrimonium? Raptus ab oppreſſione diſtinguitur.

Quia Matrimonia debent contrahi liberè, & non tolerant leges ut per vim extorqueatur conſenſus, ideò omnia iura, Matrimonia inter raptorem & raptam reprobarunt : quod præſumant raptam violentiam pati, & liberum non præbere conſenſum. Et quidem Raptus diſtinguitur ab oppreſſione : niſi enim puella à loco in locum abducatur, rapta non dicitur : ideóque qui puellam in domo parentum oppreſſit, eam poterit in uxorem ducere. Porrò hæc Matrimonia ſtando nudo naturæ iuri ſemper ſunt de nullitate ſuſpecta : & ideò, ut unuſquiſque, ſicut certa bona, ſic etiam certam uxorem habeat, illa dirimit jus Cæſareum *leg. unic. de matr. inter raptor & raptam.* Illud etiam dirimit jus Canonicum *cap. placuit 36. quaſt. 2.* & tandem Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.

Quid circa hoc ſtatuat Tridentinū?

his verbis. *Decernit Sancta Synodus inter raptorem & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium, quod ſi rapta à raptore ſeparata & in loco libero & tuto conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat. Et nihilominus raptor ipſe, & omnes illi in conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; &, ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant.*

An hoc impedimentum ſit naturale?

In hoc impedimento reperitur aliquid, quod jus naturale concernit; aliquid, quod ad gravem Metum; & aliquid, quod ad hoc impedimentum pertineat. Porrò, ſi

An Canonicum?

rapta ita ſit perturbata, ut careat phyſicâ libertate, ejus Matrimonium à iure naturali dirimitur : ſi tamen ipſa metu gravi laboret, & careat libertate civili, illud dirimitur à jure Canonico : & tunc locum haberet ſextum impedimentum : hoc autem impedimentum, quia Eccleſia non poſſet

Cur hoc impedimentū fuerit additum?

ſecernere, an volens, an invita illa conſenſum præbeat, ut Matrimonij conſulat ſecuritati, illam quamdiu in poteſtate raptoris detineatur (velit nubere, aut non) ad contrahendum Matrimonium inhabilem eſſe declarat. Et proderit quæſtiones aliquas examinare.

Quid, ſi fœmina voluerit rapi?

Quæris primò. *An Raptus, ſi puella conſentiens invitis parentibus rapitur, dirimat Matrimonium?* Reſpondeo affirmativè, (1) quia non conſtat, an illa conſentiat, (2) quia etſi conſenſerit in raptum heri, fortè hodie mutatis circunſtantiis jam non conſentit, & cogitur dicere ſe conſentire.

Sunt duæ ſententiæ oppoſitæ.

Ita Navarrus *lib. 4. conſil.* & *lib. 5. conſil. titul. de raptor. conſ. 2. num. unic.* & Sà, Henriquez, Vega, Rodriguez, Toletus, Zerola, Rebellus, Candidus, & alij cum ipſis. At oppoſita eſt ſententia probabilis; nam illam habet Diana *part. 10. tract. 16. reſol. 84.* & ex eo Coronius *verb. Matrimonium numer. 42.* Item Sanchez *lib. 7. diſp. 13. n. 13.* cui Leander, Leſſius, Reginaldus, Ægidius, Barboſa, Hurtadus, Cornejus, & alij Doctores adhærent.

De raptu puellæ deceptæ.

Si Raptus, etiam puellæ volentis, dirimit Matrimonium : etiam deceptæ, minis, precibus importunis, aut levibus inductæ ut conſentiat in Raptum illud dirimet.

MMMDCCCXXVIII.

Quid, ſi non ad matrimonium celebrandum, ſed ad libidinem explendā rapta fuerit?

Quæris ſecundò, *An, qui rapuerit fœminam, non ad contrahendum Matrimonium, ſed ad explendam libidinem, dum illam apud ſe retinet, poſſit in uxorem accipere?* Aſſerit Sanchez *lib. 7. diſp. 13. num. 4.* cui Vega, Rodriguez, Reginaldus, Ægidius, Leſſius, & alij Doctores conſentiunt. Eorum ſententiam probabiliorem judicat Leander *part. 2. tract. 9. diſput. 22. quaſt. 5. pag. 321. a.* [quia, qui fœminam rapit, non ad contrahendum Matrimonium, ſed ad exercendam libinem, non violat libertatem ad illud, neque ad illud cogit. Ergo nullam pœnam à Tridentino adſignatam incurrit.] Ego autem oppoſitam ſententiam teneo : quoniam Eccleſia de occultis non judicat, & actiones exteriores condemnans intentiones Deo judicandas relinquit.

Eccleſia de occultis non iudicat.

Et quæ major violentia eſſe poterit, quàm, *Aut nubas mihi, aut ego te cognoſcam per vim.* Prætereà; quia ſicut cogi ad copulam, ſic cogi ad Matrimonium illa præſumitur. Providè ergo decernit Tridentinum ut invalidè nubat priùs quàm in loco libero & tuto ponatur.

Ubi materia eſt utrimque probabilis, iterdum ſunt Cardinaliū oppoſitæ Declarationes.

Subſcribo Ochagaviæ *tract. 3. quaſt. 44.* Bonacinæ *quaſt. 4. de Matrim. punct. 18. num. 2.* Cornejo *diſp. 7. dub. 38. quaſt. 2.* Velæ *de pœnis delictor. cap. 29. §. ſed ego*, & Sà *verb. matrim. num. 9.* qui à Cardinalibus ſic fuiſſe declaratum teſtatur. [Nota tamen aliam Cardinalium declarationem decernentem oppoſitum legi apud Mazillam teſte Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 261.* & Coronio *in ſumm. verb. Impedimenta num. 22.*]

An per huiuſmodi raptum ſponſalia dirimantur?

Quæris tertiò, *An Raptus impedimentum dirimens ſit, ſi ſponſus ſuam ſponſam rapuerit?* Reſpondeo primò, ſive vir ſponſam, ſive fœmina ſponſum rapiat violare ſponſalium jura; Ergo talis raptus reſcindit

ſponſalia.

Digitized by Google

ſponſalia. Ita Corneius, & Diana *part.10. tractat. 16. reſol. 83. §. ſed ſic obiter.* Et ad Quæſtionem reſpondeo ſecundò, affirmativè: quia fortè ſponſa non vult nubere: & fortè habet rationes, ob quas poſſit ab ſponſalium reſilire contractu: Et quia rapitur, quouſque in loco libero deponatur, eſſe invita præſumitur. Accedit, quòd, ut paulò antè dicebamus, potuit in raptum & non in Matrimonium conſentire. Ita Sanch. *lib.7.diſp.13.n.5.* Leand.*loc.cit.q.4.pag.320.b.*Hurtad.Cornejus, Candid.Rodrig.& alij.

An Matrimonium etiam?

An à piratâ aut alio rapta, poſſit validè in uxorem duci?

Quæris quartò, *An quando vir, non ad Matrimonium celebrandum, nec ad explendam libidinem, ſed ob aliam cauſam (puta ſi ob inimicitias ab aliquo, qui ab illâ, aut ab eius cognatis fuerat iniuriam paſſus,) vel pirata aut prædo, ut pretium extorqueat, puellam rapiat, & illam in uxorem ducat, Matrimonium ſit validum.* Reſpondeo negativè: quia Tridentinum de raptore & rapta generaliter loquitur: & ratio propter quam in præcedentibus caſibus Tridentini Conſtitutio habuit locum, habere etiam debuit in iſto.

MMMDCCCXXIX. *Quid, ſi fœmina rapuerit virū?*

Quæris quintò, *An, ſi fœmina rapuerit virum, contrahat impedimentum?* Aſſerit Rodrig. *in ſumm tom.1. cap.232.* (aliàs 230.) *num.4.* dicens. *Se ha de notar, que eſte Decreto ha lugar tambien, quando una muger robuſta* [a] *arrebata a un hombre de menos fuerças, pues ay la miſma razon.* Cui Henriquez *lib 12.de Matrim. cap.14. num.4.* Vega 2. *tom.cap.34.caſ.137. notab. 5.* Guttierrez *de Matrim.cap.88.num.6.* conſentiunt: & ipſorum ſententiam Leander *loc.cit.quæſt.2* putat eſſe probabilem; nam oppoſitam, cui ſubſcribit, vocat probabiliorem.

Quomodo Raptus perpetretur?

Ego autem ante Reſolutionem moneo nimis materialiter caſum à Rodriguez intelligi. Non accidit Raptus, ut putat, cum propriâ manu una perſona robuſta & fortis rapit debilem; hæc enim, ſi clamat, tuta eſt: ſed à ſicariis armatis incauta perſona intercipitur, & in locum jubenti ſcelus commodiorem transfertur. Et ad Quæſtionem veniens, ASSERO PRIMO, hos Authores non benè leges per paritatem rationis propagare, & ideò ex Tridentino ſuam Concluſionem deducere. Ita Malletus *de Sacr.matrim.* *18 tract.39* ubi interrogat, An lex pœnalis extendenda ſit ab uno caſu ad alium aut ab uno crimine ad aliud, vel ab una perſonâ ad aliam? Et reſpondet negativè citatque Clavē Regiam *lib 3.c.8.* Rebell.*de oblig.iuſt lib.1.part.1.q 6.art.6.* Suar. *lib.6.c.3.n.5.*& probat, quia *ex c.pœna.de pœnis, diſt...* benignior pars aſt amplectenda. Vnde infert quod [in lege pœnali non valet argumentari à ſimili, ſeu ab identitate [a] rationis, aut à fortiori, aut à minori ad minus (*lege*, ad majus) aut à contrario ſenſu, &c.] & citat Menoch *de recuper. poſſeſſ.rem.4.n.20.* ASSERO SECVNDO leges omnes, cùm humanam libertatem imminuant, ad odioſam pertinere materiam. Ergo ſi odia debent reſtringi, & favores ampliari, leges, quantum prudentia poſtulat, reſtringi debent, & non poſſunt per ſimilitudinem, aut à paritate rationis, imò nec per argumentum à fortiori decurrens, debent propagari & ampliari. ASSERO TERTIO, Concilium agere de viris raptoribus, & puellis raptis; ergo vim infert textui, qui de fœminis raptricibus & viris raptis illud explicat. Ita Dian *part.10.tr.16.reſol.83.* Vera-Cruz *in append. ad art.32.1.p.* Sanch. *lib.7.diſp.12.n.25.*& *diſp.13.n.16.* Farinacius *in praxi crim.q.145.n.45.* Rebell *part.2.q.3.q.11.n.6.* Reginald.*lib.31.n.165.* Bonac.*q.4.de Matr.punct.18* & apud ipſum Guttierrez, Baſil.Æid.Hurtad.Barb. Candidus: quos omnes citat & ſequitur Leand *ubi ſup.* Et videas eſſe fluentem doctrinam quæ docet Canones, qui concernunt viros, non poſſe extendi ad fœminas, unam, aut alteram QVÆSTIONEM proponam, & juxta communem doctrinam decidam. Quærenti, *An vidua poſſit eſſe Abbatiſſa?* reſpondet in *ſumm. verb. Abbatiſſa, num. 2.* Antonius Cotonius his verbis. [Negat cum aliis Caſtellinus, adducitque pro ſe Sacræ Congregationis Declarationem, apud Dianam 3. *part. tract.2. reſol. 99.* Idemque docet de Illegitimâ. In quo eum ſequitur Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.3. adleg.100. num.13.* & alij. Probantque *ex cap. indemnitati §. ſane, verb. verum, ſique, de electior.in 6.* Sed contrarium tenent multi cum Rodriguez, *in comp. qq. Regul. reſol.2. num 21.* qui ad citati capitis authoritatem reſpondet (& Lavorius *tit.4.cap.24. num.38.* teſtatur) Sacram Congregationem pro hac ſententiâ declaraſſe, quòd Conſtitutio Sixti V. contra Regulares illegitimos non comprehendat fœminas; quia eas non exprimit, ſicut neque exprimit *cap.1. de filiis Presbyt.* Fœminæ verò in odioſis non veniunt ſub nomine *maſculorum*. ex Regula *c. generalis, de Electio.in 6.*] PRÆTEREA eſt Excommunicatio *in cap. inhibemus, de hæretic.in 6* contra laicos diſputantes cum Hæreticis. [Vide Sanchez *in ſumm. tom 1. lib.2. cap.6. num.6.*Hurtadum *diſp.74 ſect.3.§ 24.*] Lorca *in 2.2. quæſt. 10. art.7.* hoc Canone comprehendit Sanctimoniales propter paritatem rationis: at illas Diana *part.5. tract.13. reſol.22.*& alij excludunt; quòd ſub *virorum nomine non comprehendantur.* PRÆTEREA, in Clementinâ unicâ, *de conſang. & affin.* viri, qui Moniales duxerint, excommunicationis cenſurâ condemnantur. Ergo-ne & fœminæ quæ Religioſis ſolenniter profeſſis, aut Clericis ad Ordines majores promotis nupſerint, ſimiliter excommunicantur? Negant Conſequentiam Doctores, quia *Virorum* nomine in odioſis fœminæ non intelliguntur. Vide, quæ *Impedim.* VIII. §. *Dico itaque*, ex Leandro, Baſilio, Sanchez, Bonacinâ, & aliis, qui nobiſcum ſentiunt, notabamus. DENIQVE, contra eos, qui in torneamentis pugnant, variæ excommunicationes fulminantur: & contra eos, qui in torneamentis pereunt, variæ pœnæ ponuntur. An ex torneamento ad duellum valeat conſequentia? quæ Viri ſtudioſi. Aſſerunt aliqui rationis paritate ſeducti, negant alij, quia torneamenta à duellis differunt. Interim plerique aſſerunt his cenſuris fœminas non ligari, nam illæ contra viros & non contra mulieres latæ, nec virorum nomine in re odioſa illæ veniunt intelligendæ. POSTREMÒ; Vir, qui ſuam uxorem occidit non poteſt aliam ducere: quoniam ex uxoricidio oritur impedimentum impediens,

An leges ad odia pertineant?

An hoc Concilij Canone Raptrices etiam intelligantur?

An leges, quæ de viris agunt, extendantur ad fœminas?

An viduæ & illegitimæ poſſint eſſe Abbatiſſæ?

An Moniales, aut etiā fœmina, quæ cum hæreticis diſputāt, incurrant excommunicationem?

An fœmina quæ Monacho, aut Presbytero nupſerit incurrat excommunicationem?

An fœmina, ſi quæ in torneamento, aut duello pugnent, pereant-ve, excommunicatione innodentur.

a] Videtur abuti voce *identitatis*: nā ad nihil ſervirent legum libri, ſi ab identitate non ſumerentur argumenta. Ergo *identitatis* nomine intelligit Malleus *paritatē*.

Digitized by Google

Ex uxoricidio impeditis naſcitur impedimentum.

impediens, de quo *cap. interfector.* 33. *queſt.* 2. Malletus *malleat.* 57. *bract.* 16. *pag.* 606. *b.* An ne ob paritatem rationis dictuiri ſumus, uxorem, ſi qua maritum ſuum occiderit, non poſſe alteri nubere?

An etiam ex mariticidio?

Reſpondeo negativè: & ſubſcribo Malleto, qui *malleat.* 61. *tract.* 13. *pag.* 671. *a.* aſſerit [homicidium viri commiſſum ab uxore, non eſſe impedimentum impediens, aut dirimens, Ratio? Quia textus juris Canonici hoc impedimentum ſtatuentis de ſolo uxoricidio loquuntur, non autem de viricidio patrato. Vnde ad virorum audaciam imprimendam (*lego*, reprimendam) jus Canonicum pœnam hanc ſtatuit viro interficienti uxorem, non autem uxóri virum necanti. Ita Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 16. *num.* 6. Speculum 1. *part. art.* 24. *concl.*.....ubi plures refert Doctores. Toletus *lib.* 7. *cap.* 15. & alij.]

N. B. De rarò cōtingentibus non ſolent ferri leges: non ergo de mariticidio, quod rariſſimè accidit.

Ex quo patet correctum iri Navarri *cap.* 22. *num.* 24. Paludani *in* 4. *diſt.* 34. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 2. Perezij §. *uxoricidium.* Rebelli *lib.* 3. *quaſt.* 18. *num.* 5. Guttierèz *de matrim. cap.* 88. *num.* 4. & aliorum Logicam, qui leges pœnales, & materias odioſas per rationis paritatem propagant, & eodem mariticidium modo, quo uxoricidium, non ad leges, quæ ſunt, ſed ad eas, quas ipſi ferrent, ſi Pontifices eſſent, condemnant.

An Adverſariorū logica ſit corrigenda?

Impedimentum XIV. Clandeſtinum.

MMMDCCCXXX.

Quænam Matrimonia clandeſtina dicantur, & quæ non dicantur?

NOn eſt Matrimonium clandeſtinum, quod ſine publicationibus præſente Parrocho & teſtibus celebratur. Tale Matrimonium eſt validum: ſed ſic contrahentes peccant graviter, & etiam graviter puniri debent. Contrahentes videntur nunquam poſſe excuſari: Parrochum judices cum illis colludere ſemper præſumunt: ſed aliquando culpâ carent. Vt id perſuadeam narrabo hiſtoriam, quæ queat juvare Parrochos, & Epiſcopos, eorumdémque Vicarios inſtruere. [Dum in Belgio morarer, D. Iacobus, Boonem Archiepiſcopus Mechlinienſis habebat in carcere ob ſimile Matrimonium Parrochum. Interim vocatus à Monialibus talibus in ipſo loquutorio D. Guaſcum & D. Principeſſam N. reperit: qui ac ſi oſculari vellent, apprehendentes ejus manus coram ipſo & ejus famulis per verba de præſenti contraxerunt, &c. Rediit valdè turbatus ad ſuum Palatium Archiepiſcopus, è carcere Parrochum educit: veniam orat: & aſſerit ſe jam experimento didiciſſe quo fieri modo talia matrimonia contingat.] Hoc legere, & perpendere intererit Epiſcoporum: quid inſans Cardinalis fecerit? quid Carolus, Dux Lotharingiæ dixerit? qeid D. Andreas Caſtelmus de hoc Matrimonio obmurmuraverit, in Belgicâ Hiſtoriâ legetur.

An, quando aliquod ſine publicationibus fit, debeat ſemper puniri Parrochus?

Caſus lectu digniſſimus.

De præſētiâ Parrochi.

Requiritur autem, ut Matrimonium clandeſtinum non ſit, præſentia Parrochi, aut alius ſacerdotis ex licentiâ Parrochi, & teſtium. Vbi hæc duo non concurrunt (puta, ſi adſit Parrochus ſine teſtibus, aut adſint teſtes ſine Parrocho: aut nullus adſit) Matrimonium erit clandeſtinum. Sufficient ne ad Matrimonij valorem teſtes, ſi contrahentes non videant, eorum tamen vocem audiant & benè cognoſcant? Reſpondet affirmativè Diana *part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 68. & ex eo Coroninus *in ſumm. verb. matrimonium num.* 38.

Vter adeſſe debeat Parrochus: ſponſi, an ſponſæ?

Sufficit alterutrius præſentia Parrochi, & in alterutrâ Parrochiâ. Scio in Germaniâ fieri coram Parrocho & in Parrochiâ ſponſæ, ſed hoc propter cauſam Politicam: ſi enim connubiale epulum fit in domo ſponſæ, & hæc poſt tres aut quatuor dies ad domum ſponſi conducitur, non eſt cur de Parrocho ſponſi cogitetur. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 232.

Quid, ſi neuter adſiſtat?

Si neutrius conjugis Parrochus, aut alius ſimplex Sacerdos Matrimonij celebrationi adſiſtit, illud eſt, ut dicebamus, nullum: & hic olim excommunicationem incurrebat: ut patet *ex Clement.* 1. *de priv.* Hanc pœnam abſtulit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform.* & in ſuſpenſionem commutavit, ut S. Congregatio apud Hurtadum *de matrim. diſp.* 15. *diff.* 17. *num.* 55. declaravit. Parrochus proprius ſi clandeſtino Matrimonio adſiſtebat (puta, ſi ſine teſtibus: aut fortè non præmiſſis debitis publicationibus) *ex cap. ult.* §. *fin. de cland.* ſuſpendebatur per triennium: ſed hodie hujus ſuſpenſionis duratio relinquitur arbitrio Epiſcopi. Diana *part.* 5. *tract.* 10. *reſol.* 33.

De pœnâ Parrochi clandeſtino adſiſtentis.

MMMDCCCXXXI.

An interrogare ſponſos debeat Parrochus, Vtrum conſentiant?

Debet ſponſos interrogare Parrochus, *An liberè conſentiant?* Quod ſi ſciat illos liberè conſentire, & nihil interroget, non peccabit mortaliter. Ita Diana *part.* 3. *tractat.* 4. *reſol.* 294. Sed dices. Ideò jubetur Parrochus adſiſtere, ut teſtimonium perhibeat de conſenſu: at tale teſtimonium perhibere poterit, niſi illos interroget, an conſentiant liberè. Ergo debet illos interrogare; niſi illi præveniant, & reſpondeant nondum interrogati. Reſpondeo primò, negando majorem: quia Parrochus adeſt ut teſtis: & teſtes teſtimonium perhibent de contractu, & quando domûs venditioni adſiſtunt, non tenentur interrogare, utrùm vendatur liberè. Ergo Parrochus debet de celebratione Matrimonij teſtificari, & hoc facere poteſt, etſi nihil interroget. Reſpondeo ſecundò, Parrochum, ſi vel de libero conſenſu dubitet, vel illum intervenire neſciat, debere ſponſos interrogare ſub mortali: puellæ enim, & præcipuè in parentum præſentiâ ſunt timidæ, & audent interdum, ſi interrogentur, dicere, quod non, interrogatæ non audent.

Teſtes, qui celebrāt aliquē contractum, An illum ineant liberè? non ipſi interrogant.

Solent Parrochi interrogare, *An ſponſi habeant impedimentum?* Sed ſi dicturi eſſent, ſe habere, ad quid ad Eccleſiam veniſſent? Hanc interrogationem eſſe neceſſariam aſſerit Veracruz *in Append. dub.* 2. *concluſ.* 1. *&* 2. nos cum Sanchezio *tom.* 1 *lib.* 3. *diſp.* 38. *num.* 8. negamus.

An Parrochus interrogare ſponſos debeat, An impedimento aliquo præpediantur?

Claudit ſolennitatem Matrimonij Parrochus dicens, *Ego vos conjungo in nomine Patris*, &c. vel aliquid alind juxta laudabilem morem cujuſcumque provinciæ. Hæc verba non ſunt de neceſſitate Sacramenti;

erit

Digitized by Google

An, & ſub quo onere debeant dici, re illa verba, Ego vos coniungo, &c?

erit enim validum, etſi omittantur. At ex præcepto debent dici; & quia ignorans vulgus, aut etiam ipſimet ſponſi, quia ſemper illa dici audiunt, ſi ſemel omitterentur, ſe non eſſe copulatos poſſent exiſtimare, debebit graviter puniri parochus, qui illa non dixerit. At in foro poli, ſublato ſcandalo, quale peccatum commiſiſſe cenſendus eſſet? Rigidior eſt Rebellus, quam deberet; nam *part.* 2. *lib.* 2. *quæſt.* 7. *ſect.* 2. *num.* 4. illum arguit mortiferi: tu Coninckio *de ſacram. diſp.* 27. *dub.* 4. *n.* 45. Dianæ *part.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 256. Cotonio *in ſumm. verb. Matrim. n.* 33. & aliis, qui aſſerunt venialiter peccaſſe, ſubſcribe.

MMMDCCCXXII.

De Parocho innodato cenſuris.

Quamdiu eſt verus Parochus, validè adſiſtit, & validè dat adſiſtendi licentiam.

Parochus irregularis, ſuſpenſus, excommunicatus, quamdiu non deponitur, eſt verus Parochus, Ergo validè adſiſtit, & validè licentiam adſiſtendi concedit. Ita Poncius *lib.* 1. *cap.* 17. *§. unic. n.* 9. Sanch. *de Matr. lib.* 3. *diſp.* 10. Corneius, in 3. *part. tract.* 5. *diſp.* 10. §. 1. *dub.* 5. & alij. Conſentit Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 78. & ex eo Cotonius *verb. Matrimonium*, *num.* 35. & *verb. Parochus*, *num.* 10. Et eſt communis. *Sed quid dicendum de excommunicato non tolerato?* Invalidè aſſiſtere docet Avila *part.* 2. *capit.* 6. *diſp.* 3. *dub.* 1. *concl.* 5. favet Sylveſter *verb. excomm.* 3. *num.* 2. quia invalidè fiunt contractus coram tabellione excommunicato non tolerato: & in Matrimonio videtur Parochus officium tabellionis agere. At oppoſitum docuere Sanchez, Cornejus, Diana, Cotonius, & alij: & præcipuè Poncius qui ad omnia Avilæ argumenta reſpondet, His Ego adhæreo, nam Parochi adſiſtentia non eſt actus Ordinis, nec Iuriſdictionis, nec miniſterij Interim, quia Adverſarij pro Avilæ ſententiâ fortiter argumentantur, unam aut alteram rationem producam, quam Iudico ſolutione indigere.

An Parochus Notarius ſit?

Scriptura facta à Notario excommunicato non tolerato tenemur non credere; facta à tolerato poſſumus non credere.

Dicunt itaque primò. Eſto aſſiſtentia Parochi non ſit actus Ordinis, Iuriſdictionis Miniſterij, &c. at negari non poteſt Parochum in Matrimonij celebratione agere tabellionis officium. Si hoc eſſet verum eſſet Matrimonium invalidum: quia contractus coram notario excommunicato non tolerato eſt invalidus, ut *ex cap.* 1. *de except. in* 6. & *ex cap. nullus*, 3. *quæſt.* 4. Hurtadus *de Excomm. diſp.* 8. *diff.* 5. *n.* 8. bene colligit. Et addit Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 112. hoc ipſum habere locum in excommunicato tolerato; quia nemo habet obligationem illi credendi, ficut nemo habet cum eo communicandi. Et ex his fundamentis valde probabilem judico ſententiam Avilæ.

An Parochus agat officium teſtis?

Dicunt ſecundò Parochum agere officium teſtis. At *ex cap. decernimus*, *de ſent. excommun.* & ex Fabro *cap.* 6. *num.* 292. excommunicatus non toleratus teſtis eſſe non poteſt. Ergo nec Parochus excommunicatus, non toleratus adſiſtere Matrimonio valido. Reſpondeo cum Henriquez *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 5. Dianâ *part.* 5. *tractat.* 9. *reſol.* 113. & Cotonio *in ſumm. verb. Excommunicatio*, *num.* 57. negando minorem: quia teſtimonium excommunicati non tollerati eſt validum. Imò addunt Præpoſitus *in* 3. *part. quæſt.* 2. *dub.* 12. *n.* 9. & Fillincius *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 7. *num.* 188. quibus adhæret Diana *ubi ſupr.* excommunicatum toleratum licitè teſtimonium præbere. Illa igitur minor non ſubſiſtit. Et addo, quòd licèt illa minor in aliis materiis eſſet vera, adhuc argumentum nihil poſſet probare, nam in Fidei & Matrimonij materiâ admittuntur teſtes quomodo libet excommunicati. Ita *ex cap. Fidei*, de *hæretic. in* 6. Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 41. *num.* 5. Diana *loc. cit.* & alij.

Quales teſtes in Matrimonio admittantur?

Uberioris doctrinæ gratiâ nonnulla adhuc Dubia, quorum maximè eſt neceſſaria ſolutio, ſubſcribamus.

DUBIUM I.

An præter poſita, ſint alia Impedimenta Matrimonium dirimentia?

MMMDCCCXXIII.

An excommunicatus poſſit Matrimonium contrahere?

Legis Gregorium *in cap. quoniam multos*, & Clementinam I. *verb. Præſidentes, de reſcriptis*, & quia in illis Pontifices rigoroſè & ſeverè loquuntur, & contractus excommunicatorum condemnant, infers, Matrimonialem cum excommunicato factum, eſſe invalidum. Eſt igitur Excommunicatio, unum adhuc dirimens impedimentum, quod non recenſebatur.

Poteſt validè, non autem licitè.

Sed reſpondeo contractus ab excommunicato factos, generaliter loquendo eſſe illicitos, non autem invalidos. Et probatur *ex cap. felicis, §. verum, de pœn. in* 6. ibi enim excommunicato poſt abſolutionem conceditur repetitio debitorum, quæ ſibi debebantur ex contractu facto tempore excommunicationis. Ergo ille contractus, ut ut fuerit illicitus, fuit validus: aliàs enim non haberet jus repetendi, quod enim ex invalido contractu debetur, abſolutè loquendo, non debetur.

An contractus cum excommunicato ſint invalidi?

De ſolenni Excommunicati profeſſione.

De factâ ab Excommunicato donatione.

De Matrimonio.

Addo etſi generaliter loquendo contractus cum excommunicato eſſent invalidi, eſſe aliquos qui expreſſo Iure à communi Regulâ exciperentur, Proponamus nonnullos. Primò, Novitius excommunicatus validè profitetur. Et hoc prudentiſſimè fuit ſtatutum: quia melius ille poſt profeſſionem poterit corripi, & ad bonam mentem reduci. Ita Abbas *ex cap. cum illorum, de ſentent. Excomm.* Secundò, valida eſt ab excommunicato facta donatio. Et hoc etiam ſummâ providentiâ diſponitur, nam talis donatio eſt ad favorem non excommunicati; & innocenti noceret, & prodeſſet impœnitenti, qui illam judicaret invalidam, Et hanc eſſe rationem conſtat *ex c. inter dilectos, de donationib.* & *ex c. ſignificamus, §. Credentes, tit. de hæreticis*, nam licet in illo factæ ab excommunicato donationes in ſuo valore manuteneantur, in hoc hæreticis & ſchiſmaticis factæ, irritantur. Tertiò (& propter hoc alia duo ſunt præmiſſa) validum eſt Matrimonium initum cum excommunicato, ut conſtat *ex cap. ſignificaſti*, *de eo qui duxit*, &c. Interim, tametſi hoc Matrimonium eſt validum, eam, quæ cum excommunicato denunciato ſcienter matrimonium contraxit, cum illo non poſſe communicare ait S. Thomas

An uxor cum marito excommunicato communicare queat?

Digitized by Google

Quomodo leges explicare debeamus?

in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4 ſed quia hoc eſſet nimis durum, & magnis inconvenientibus expoſitum, Gregorij *in cap. quoniam multos* decretum, ſtando generali Iuriſprudentiæ Regulæ, quæ leges ita exponi præcipit, ut ad Deum & virtutem homines dirigant, non autem ut laqueos ponant, & in præcipitia protrudant, Turrianus *de cenſur. lib. 2. diſp. 13.* Diana *part. 5. tract. 9. reſol. 122. §. ſed difficultas*, & alij uxori in caſu cum marito habitare & communicare permittunt.

DVBIVM II.

An Matrimonium cum impedimento dirimente contractum, quod ideò eſt nullum, habeat vim ſponſalium?

MMMDCCCXXIV. *An Matrimonium, ſi ſine ſponſorum culpâ, ob aliquam circumſtantiam celebretur invalidè, cenſendum ſit habere ſponſalium virtutem?*

EST ſimilis huic Quæſtioni illa, quæ inquirit, *An votum ſolenne, ſi ob aliquam circunſtantiam emittatur invalidè, habeat vim voti ſimplicis?*

Porrò agendo de Matrimonio, illud, quod ſine teſtibus fit, tranſire in Sponſalia putat Henriquez *lib. 11. cap. 5. num. 4.* Sed tu cum Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 258.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 2. alleg. 32. numer. 143.* Cotonio *in ſumm. verb. Matrimonium, num. 38.* Cenedo *in qq. Canon. quæſtion. 30. num. 28.* qui & ſic Sacram Congregationem declaraſſe teſtatur, & aliis aſſere, tale Matrimonium invalidum in Sponſalia non tranſire. Cùm, quia ſi ſcientes illi contrahunt Matrimonium invalidum, peccant mortaliter, & Eccleſiæ poteſtatem irrident: & cenſendi ſunt nolle contrahere; quia, ſi vellent, media ad valorem neceſſaria adhiberent. Ergo, ſi cenſentur nolle contrahere, quomodo cenſendi ſunt promittere, quæ non volunt implere. Tum quia, ſi ignoranter id fecerint, adhuc non video, cur Matrimonium invalidum in Sponſalia valida tranſire debeat (1) quia hoc in aliis contractibus non experimur; nam venditio invalida non eſt validæ venditionis promiſſio; nec donatio invalida eſt validæ donationis promiſſio: ergo nec Matrimonium invalidum erit validi Matrimonij promiſſio, (2) quia in Matrimonio ſunt aliquando circunſtantiæ, ob quas nolit de futuro obligari, qui contrahere de præſenti deſiderat: nam, ſi iſta ſit contrahentium voluntas, ut, ſi non ſe obligent uno modo, ſe alio obligare velint, ceſſat quæſtio, at hanc ſemper eſſe voluntatem, falſum eſt: nam ubi inferioris fortunæ vir Principem aliquam deſiderat in uxorem ducere, debet non incipere, aut facere. Res facta, infecta reddi nequit. Et cognati, ſi potentes ſint, multa poſt Sponſalia tentant, quæ poſt celebrationem Matrimonij non faciunt, (3) quia Adverſarij ex voto ſolenni analogiam deſumunt: & ego nego illud quod ſolenne non eſt, eſſe ſimplex, quoniam Novitius, niſi aliter mentem ſuam exponat, cenſendus eſt, velle emittere ſolenne, vel nullum. Ita Ego *in Theolog. Regul. in proœm. artic. 1. numer. 44.* ubi ſic inquam. [Qui vota emiſit bono & ſincero animo in Religione approbatâ, ſed ante ætatem debitam, licèt hoc impedimentum ipſe ignoret, invalidè emiſit: eſt enim impedimentum dirimens. Vide *num. 461. 466.* An-ne ſaltem tenebitur votis ſimplicibus? Hoc ab eius voluntate pendet, nemo enim obſtringitur votis invitus. Si ſe voluit vovere Deo ſolemniter, &, ſi hoc non poſſet, ſimpliciter; ceſſat quæſtio. Si autem voluit ſe vovere ſolemniter, &, ſi hoc non poſſet, maneret liber, ceſſat etiam quæſtio. Quid ſi neutrum expreſsè voluit? Hic erit difficultas. Rogandus ergo eſt, quid voluiſſet, ſi fuiſſet rogatus? Et, ſi hæreat, neſciatque quid voluiſſet, putarem eum voluiſſe, quod plerumque volumus, quia Regula XXX. docet in obſcuris *minimum eſſe ſequendum*, & Regula LV. jubet, *ut inſpiciamus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, & quod plerumque fieri conſuevit*: cùm ergo pauci habitantes in ſæculo obſtringantur ſimplicibus, caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ votis, & paucis illorum ſimplex promiſſio ſuadeatur, cenſendum eſt illum de quo impræſentiarùm agimus, non teneri.]

An ſolemnis Profeſſio, ſi ſine Novitij culpâ, ob aliquâ circumſtantiâ celebretur invalidè, vim habeat Votorũ ſimplicium?

An Matrimonium Conditionatum, antequam purificetur conditio, tantummodò Sponſalium vim habeat, agam cùm de conditionato Matrimonio diſputabo.

De Conditionato Matrimonio.

DVBIVM III.

An in aliquo Matrimonium caſu validum ſit, etſi laboret impedimento dirimente?

MMMDCCCXXV. *Non eſt poſſibilis caſus, in quo validè contrahatur Matrimonium cum impedimento naturali dirimente.*

SVnt impedimenta Naturalia & Canonica: ad illa pertinent defectus conſenſûs, impotentia, & fortè conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ: [*Fortè* conſultò dico, nam ex his quæ dilucidando Impedimentum IV. diximus, manifeſtè colligitur, eſſe valde incerta plurima, quæ de Impedimentis, à Iure Naturæ præſcriptis, ab Authoribus ſcribi ſolent] Ad hæc autem ſunt crimen, honeſtas, affinitas, abſentia Parochi & teſtium, &c. Et quidem nulla neceſſitas, nec periculum, nec utilitas facere poteſt, ut Matrimonium cum impedimento naturaliter dirimente validè contrahatur: & hanc ob rem contractum ab invitis, & ab impotentibus eſt invalidum: item illud, quod inter matrem & filium, aut patrem & filiam etiam in extremâ neceſſitate iniretur, ſi de eius Divinâ interdictione manifeſtè conſtaret. Cæterùm, cùm Impedimenta Canonica ab Eccleſiaſticis legibus pendeant, & hæ ad ædificationem, & non ad deſtructionem ferantur, ceſſante totali legum fine contrariè ceſſant illæ; adeóque, contingeret in aliquo, vel aliquibus caſibus illas, quæ de Impedimentis dirimentibus ſunt, interdum per accidens non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem conducere, illarum tunc obligatio ceſſaret. Hæc generalia, & ſpeculativè vera ſunt ſed parum Lectoribus proderunt, niſi in praxi, & in particulari ponantur. Dico igitur duas extremas eſſe Theologorum ſententias,

Omnes humanæ leges ſunt ad ædificationem.

Alteram

Digitized by Google

Alteram ſeveram, quæ abſolutè docet, in nullo caſu, etſi inſtet mortis periculum, poſſe ſine Parochi & teſtium adſiſtentiâ Matrimonium validè celebrari. Ita Henriq. *lib. 11. de Matrimon. cap. 3. num.* 8. Sanchez *lib. 3. diſput.* 17. Maracius *diſput.* 17. *de Matrimon. ſeſſ.* 17. *num.* 4. Præpoſitus *quæſt.* 4. *dub.* 4. *num.* 14. Poncius *libr.* 4. *cap.* 6. Hurtadus *diſput.* 5. *diff.* 2. & alij apud Sanchezium *loc. citat.* & Barboſam *in Collect. Tridentin. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *num.* 140. Altera ſententia eſt benigna, & aliquos caſus admittit: eámque ſequitur Iacobus de Graffiis *lib. 2. deciſ. cap.* 85. Sylvius *in addit. ad 3. part. quæſt.* 45. *artic.* 5. *quæſt.* 4. Eam probabilem iudicant Veracruz, & Vega apud Sanchez, dubiam Azebedus apud eumdem. De illâ Amicus *tom. 9. diſp. 7. ſect. 13. num.* 135. ſic inquit: [*Hæc ſententia, etſi paucos habeat patronos, ſequenda nobis eſt, vt probabilior.*] Illam

Caſus à Soto propoſiti.

etiam fuit amplexus Sotus, qui *in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2.* quatuor caſus adſignat, in quibus Matrimonium ſine Parochi & teſtium præſentiâ validè contrahatur. ET PRIMVS eſt, ſi mortis articulo concubinarius vellet concubinam ducere ad legitimandos filios, aut ad reddendam ſuam conſcientiam ſecuram, & non eſſet Parochi & teſtium copia, poſſet aliquis dicere, non eſſe neceſſarium ut filij reddantur legitimi, aut amaſiæ cohoneſtetur conditio, ſed præſtare, ut hæc puniatur, & ut in peccato concepti ſint maternæ ignominiæ conſortes. altiùs poſſet oculos ſubrigere Sotus, & ſic inſtare. Periculoſum eſt in articulo mortis habere peccandi conſuetudi-

Non poſſunt moribundo negari media neceſſaria, vt ſe eripiat à peccandi periculò, & reddat ſuâ conſcientiâ ſecuram.

nem. Ille igitur, quia tenerè eam amat, vix aut ne vix quidem poterit animum inducere, ut ſincerè proponat nunquam illam tangere, ſi ſupervivat. Ergo eſt in æternæ damnationis periculo. Si illam de facto ducat in uxorem, ceſſat peccandi periculum. Ergo ad deſtructionem eſſet lex, quæ aut impediret, ne filij illi qui innocentes ſunt, legitimentur: aut obſtaret, ne ille periculum æternæ damnationis evaderet. SECVNDVS eſt, ſi virgo nobilis, tutori iniquo obnoxia, ſe in vxorem dandam plebeio & ignobili viro timeret. TERTIVS, ſi concubinarij interficientes, vel aliâ ex cauſâ comprehenſi, ne ob contubernium patiantur, matrimonium ineant. QVARTVS, ſi aliqui, qui magnam vtilitatem ex matrimonij celebratione ſperant, vel grave damnum ex dilatione matrimonij timent, ne iniquum impedimentum ſuperveniat, quo poſſunt modo celebrant matrimonium.

MMMDCCCXXXVI. *An ſit expediens ut legitimentur ſpurij.*

At Baſilius Ponce de Leon *libr. 3. cap. 6. num.* 3. hanc Soti doctrinam refellit. & ait interdum omitti quidam denunciationes poſſe, Parochi & teſtium præſentiam nunquam poſſe. Ego autem, quidquid ſit de aliis caſibus, in iſtis quatuor neceſſitatem celebrandi matrimonium contra Canonicas leges non video. Nam in primo, vt ibi dicebatur. nulla eſt neceſſitas, ut concubinarij filij declarentur legitimi: nam hæc legitimatio eſt mera Pontificum & Principum gratia, & hæc nullam neceſſitatem inducit. Sunt diverſæ gentes aliter & aliter affectæ contra ſpurios. In Bohemiâ tanto odio illegitimi habentur, vt cognoverim Pragæ quemdam Archiepiſcopi circumpedem, qui Rudolphi Imperatoris filius publicè dicebatur. Et Ferdinandus III.

Quanto odiô habeantur in Bohemiâ illegitimi.

mihi, cum narrarem quanti in Hiſpaniâ Domina N. (erat ex Regio ſanguine, ſed illegitima) fieret: reſpondit, hîc illa ſcopis cubicula verreret. Ibi Matrimonium ſubſequens ad legitimationem non ſufficit: imò ſunt leges duræ contra illos, qui ante Matrimonij celebrationem geniti, etſi poſt illam nati. Ergo Soti argumentum ab illegitimorum legitimatione deſumptum eſt debile.

Illud matrimonium non eſt neceſſarium, vt ſecura conſcientia moribundi reddatur.

Alia ratio proponitur ſub ſpecie graviſſimæ, ubi enim de æternâ damnatione agitur, trepidant univerſi. At impræſentiarum timor fingitur, ubi non erat timor. Ducendi illam in vxorem propoſitum antequam ſuperveniat novorum peccatorum periculum ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ. Si ille moriatur antequam adſit Parochus, quid inde mali? Carebit ipſa honore uxoris, quem non meretur. Vnde enim habet jus illa, ut hunc honorem conſequatur? peccatrix eſt, & peccatum non præmium, ſed ſupplicium meretur.

Puellæ ſciunt tutoribus ſuis contradicere.

Secundus caſus minùs urget, quàm primus. Nulla enim virgo, niſi animoſa ſit, abſque conſenſu ſui tutoris audebit nubere. Et, quæ habet cor, ut tutore iniquo invito nubat, etiam habebit, ut ab eo propoſitum ſponſum teneat. Quod, ſi gravi metu perculſa violentiæ mali tutoris adnuat, iam illi

Matrimonium per metum celebratum eſt nullum.

Eccleſia ſummâ providentiâ conſuluit, Matrimonia per metum gravem contracta dirimendo.

Quidnam timere concubinarij queant?

Tertium non intelligo, vel mihi exponat Sotus, quæ ſint illa pericula, in quæ incidere poſſunt concubinarij? Quid timent? an, quod à Iudicibus incarcerabuntur: an verò, quod à conſanguineis occidentur? ſi incarcerentur, nihil erit mali: non enim ipſi habent jus, ne incarcerari debeant. Et conſanguinei, ſi ſunt matrimonio ſedandi; etiam ſedabuntur, ſi dixerint concubinarij, *vocetur Parochus, nam jam ſumus parati matrimonium contrahere.*

An matrimonium inter eos celebratum eſſet nullum?

Præterea hac viâ non poteſt Matrimonij ſine præſentiâ Parochi valor defendi: nam, cùm cognati non habeant jus concubinarios occidendi, Matrimonium ex iſto metu injuſtè incuſſo celebratum, etſi adſiſtant Parochus & teſtes, erit nullum.

Quartus caſus non eſt particularis & individuus, ſed continet doctrinam communem, quam admittit Baſilius: non enim dicit, in caſu quo lex de impedimentis ſit ad deſtructio-

An caſus à Soto propoſitus, ſit poſſibilis?

nem, eſſe ſervandum: ſed dicit non eſſe caſum poſſibilem, in quo illa lex non ſit ad ædificationem. Et ideò reſpondemus caſum à Soto, vltimo loco poſitum eſſe impoſſibilem. Si autem nolit adquieſcere, loquatur in particulari.

MMMDCCCXXXVII. *In locis ubi nullus eſt Parochus?*

Interim tametſi iſti quatuor caſus non benè ſolvantur à Soto, ſunt alij in quibus contrahitur validè Matrimonium ſine adſiſtentia Parochi.

Primus proponitur ab Ægidio Coninck *diſput. 27. dub. 1. num.* 11. aſſerente Clementem VIII. declaraſſe, valere Matrimonium contractum abſque Parocho in oppidis aut pagis vbi nullus paſtor aut vices gerens, vel in proximis locis adiri poſſit. Quò reſpiciens Sacra Congregatio ab Epiſcopo Tricari-

ſi nec in proximis locis adiri poſſit, ſine præſentiâ Parochi ineûtur validè Matrimonia.

cenſi conſult.t per hæc verba reſpondit. *Si parochia, in quâ fuit aliquando obſervatum decretum, proprio Parocho careat, & Cathedralis itidem Epiſcopo & capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nulluſque alius ibi ſit, qui vices Parochi, aut Epiſcopi ſuppleat, matrimonium valet abſque præſentia Parochi, ſervata tamen in eo, in quo poteſt, formâ Concilij, nempè adhibitis ſaltem duobus teſtibus. Si verò exſtent quidem Parochus & Epiſcopus, ſed nullo conſtituto Vicario, aut uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubi ſit, vel eodem metu à Diœceſi abſit, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus, validum eſt matrimonium contractum abſque Parocho, adhibitis tamen duobus teſtibus.*

Amicus tom.9.diſp. 6.ſect.13. pag.113.

Bellarmini ſententia.

Eamdem ſententiam amplexus fuit Cardinalis Bellarminus; qui, ut refert Sylvius *in addit. ad 3. part. quæſtion. 45. artic. 5. quæſtion. ſua* 4. conſultus ab Octavio Caraſa, Apoſtolico Nuncio, ſic inquit. *De Matrimoniis contractis, ubi nulli iam ſunt proprij Paſtores, iam olim actum fuit cum S. D. N. & cum Congregatione Concilij Tridentini. Ac ſententia communis fuit, illa eſſe recta, nec ad ea pertinere decretum Concilij, cum in huiuſmodi locis obſervari non poſſit. Non video ergo* (concludit) *cur ea matrimonia non debeant tolerari, cùm ſatis conſtet, Concilij decretum, quod, iubet matrimonium fieri coram Parrocho, non ſe extendere ad ea loca, ubi nulli ſunt Parochi.*

Non poſtulat præſentiam Parochi Concilium, ubi nullus eſt Parochus.

MMMDCCCXXXVIII. *Caſus ab Amico propoſitus, in quo ſine præſentiâ Parochi poſſit iniri Matrimonium.*

Hunc etiam Amicus *loc. citat. num.*136. *pag.* 124. *a.* proponit. [Si Princeps aliquis concubinam habeat, ex quâ filium ſuſcepit, ſitque in euidenti periculo mortis, qui ſi abſque legitimo filio decedat, totus eius principatus, cum maximâ ſubditorum iacturâ devolvatur ad Principem hæreticum: nein huiuſmodi euentu poterit ille abſque Parocho matrimonium cum concubinâ contrahere, legitimando filium ex eâ ſuſceptum, qui poſſit Principatui ſuccedere, & ſubditos in vera fide & religione conſervare. Quis negabit, hunc caſum majoris fore momenti, quàm non poſſe ad Parochum tutum habere acceſſum? quòd ſi ille non cenſetur in decreto Concilij comprehenſus, potiori ratione non cenſebitur iſte.] Vrget à fortiori argumentum. Et, quia fortè Baſilius putaret huic ſe poſſe reſpondere argumento, alium proponit adhuc Caſum multò difficiliorem. Sic enim ait. [Siquis ad evitandam mortem, ſibi ab aliquo iniuſtè intentarem, niſi ſtatim contrahat, & conſummet matrimonium modò mors non intentetur in legis contemptum, poterit hic ſine Parocho contrahere. Ratio: potuit Concilium cum hâc limitatione ſuum decretum condere. Quod autem cum hâc illud condiderit, nobis perſuadet, tum relata Cardinalium declaratio: tum ratio ipſa cum non ſoleat Eccleſia ſuas leges tanto cum damno, & detrimento ſubditorum ſervandas ferre.] Eodem modo poſſet Amicus de quocumque Impedimento Canonico argumentari: nam, ſi Tyrannus Princeps duos agnatos (pone: in ſecundo, aut tertio gradu) aut occidi, aut matrimonium contrahere, & contractum ſtatim conſummare præciperet, eadem rediret difficultas, & argumentum ſimile conformaretur.

An præſtet regnum integrum in hæreſim labi, quàm matrimonium ſine Parocho iniri?

An eſſet valida lex, quæ cogeret, ut quis aut neceſſariò mori debeat, aut peccare.

Sed monendus es Lector, timuiſſe Amicum ac ex eius doctrinâ aliquis poſſet inſolentes aliquas Concluſiones deducere, & hanc ob rem omnia quæ dixerat voluiſſe pro indictis habere, quouſque quid ſit tenendum hìc, Apoſtolica Sedes decidat.

Amicus non ita aſſertivè reſolvit, quin potiùs ad Apoſtolicam ſedem huius quæſtionis deciſionem committat.

DVBIVM IV.

An in locis, in quibus non eſt receptum Tridentinum, maneant Iuris antiqui impedimenta, quæ fuerunt à Tridentino imminuta, aut ſublata?

MMMDCCCXXXIX. *Exponitur Titulus.*

DVo ſupponit, & unum interrogat Titulus. Exponamus ſuppoſitiones priùs, ut meliùs poſteà interrogationem ediſſeramus. Supponit ergo aliqua fuiſſe olim in Iure Antiquo Impedimenta, quæ omninò Tridentinum abſtulit: & aliqua fuiſſe, quæ ad gradus pauciores reſtrinxit. De conſanguinitate hæc habet Leander *part.*2. *tr.*2. *diſp.*8.*q.*10.*pag.* 274.*b.* [Licet olim Iure antiquo Matrimonium inter conſanguineos non ſolùm uſque ad quintum gradum (ut fortè per errorem Typographi ait Cornejo *dub.* 14.) ſed uſque ad ſeptimum inita, eſſent prohibita & irrita, ut conſtat *ex c.ad ſedem.*35.*q.*5.*ex c.nullum.*35. *q.*3. nunc autem Iure moderniori reſtrictum eſt hoc Impedimentum uſque ad gradum incluſivè.&c. ut conſtat *ex c.non debet, de conſang.*& Tridentin.*ſeſſ.*24.*c.*5.] Et idem Leand. *ubi ſupr.diſp.*19 *q* 2. *pag.*300. *b.* [Licèt Iure antiquo hoc impedimentum dirimens extenderetur uſque ad quartum gradum, ita ut contrahens ſponſalia de futuro, nullo modo poterat cum conſanguineis alterius ſponſi uſque ad quartum gradum validè Matrimonium inire, ut cum D. Thom. *in* 4. *diſt.*41. *q.*1.*art.*1. *q.*4. & aliis innumeris docent Thom. Sanch. *lib.*7.*diſp* 68.*n.*8.& Baſil.*lib.*7.*c.*36.*n.*4. nunc verò Iure novo Tridentini *ſeſſ.*24.*c.*3. limitatum eſt ad gradum primum conſanguinitatis, &c.] Olim Affinitas ex legitimo Matrimonio proveniens ad ſeptimum gradum extendebatur: ita *in cap.nullum* & *c. æqualiter.*35. *q.*3. nunc ultra quartum non progreditur. Vide Sanch.*lib.*7.*diſp.*67.*n.*3.Baſil.*lib.*7.*cap.*33. *n.*4. & *cap.*34.*n.*2. Leandr.*ubi ſupr. diſp.*21. *q.*13.*pag.*306. *a.* Etiam olim ex copulâ illicitâ proveniens affinitas æque ac conſanguinitas impediebat teſte Aureolo *in* 4. *diſt.*41. *art.*1. at Tridentinum *ſeſſ.*24. *cap.*4. jubet ne tranſeat ultra ſecundum. Prætereà inter Impedimenta non dirimentia tertio loco ſolennis inſtructio, quæ vocabatur Catechiſmus ponebatur. Et hoc impedimentum ſuſtulit Tridentinum *ſeſſ.*24.*cap.*2.illis verbis. *Omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omninò ſublatis.* Et ita Sacra Congregatio iterum & iterum declaravit, &c.

Olim conſanguinitas Canonica latius extendebatur.

Similiter Publica Honeſtas.

Etiam Affinitas, ex Matrimonio proveniens.

Sicut & illa, quæ ex copulâ illicitâ.

De Catechiſmo.

An hoc Impedimentum fuerit ſublatum.

His

Digitized by Google

MMMDCCCXL.

De locis, in quibus non eſt admiſſũ Tridentinũ. An in ipſis adhuc maneant Impedimenta, quæ ſunt à Tridentino ſublata?

His præmiſſis ingreditur interrogatio, *An videlicet in locis in quibus non eſt admiſſum Tridentinum, iure antiquo vivendum ſit?* hoc eſt, *An ſicut leges novæ non obligant, ſic nec faveant legum veterum abrogationes?* & veniendo ad Matrimonij contractum quæritur, *An ſicut impedimenta ibi nova à Tridentino inventa obſervari non debent, ita illa quæ à Tridentino ablata debeant ibi neceſſariò obſervari.* Et primò videretur quod ſic. Vbi enim Concilium non habet vim, nec vim habebunt quæ ex illo ſequuntur. Ergo, ſi leges ibi non habent vim, quia Concilium ibi non habet vim: nec diſpenſationes ibi habebunt vim, quia ibidem Concilium, unde illæ procedunt, vim & authoritatem non habet. Firmat hoc Pontificij iuris Regula XXXVIII. nam, *ſi ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extiſtit impugnare*, non debent gratiis & favoribus à Tridentino indultis frui Hæretici, qui illud inſolenter impugnant; immò, neque Catholici, ſiqui illud hoc vel illo prætexto non acceptant. Confirmat Regula XXXIX. quoniam, *cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.* Ergo, ubi à Principibus prohibetur Concilij Tridentini acceptatio, ſicut gravamina, ſic etiam prohibentur gratiæ, quæ ſequuntur ex illo. Confirmat iterum Regula LII. *non* enim *præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum.* Ergo, ſi de iure Canonico eſt, quod ubi non acceptantur à populo Pontificiæ leges, non ſortiantur effectum (tanta enim Eccleſiæ eſt clementia, ut etſi poſſit, obſtringere nolit invitos) At, quæ non ſortiuntur effectum, non præſtant impedimentum, nova ergo impedimenta (clandeſtinum, & raptus) à Tridentino ſancita, ubi illud receptum non eſt, Matrimonia non dirimunt. Ergo & antiquorum impedimentorum à Tridentino facta abolitio & oblitteratio in eiſdem locis non ſortitur effectum. Nam, ſi eſt Regula morum, *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra,* etiam erit, qui non vult ſentire onera à Tridentino impoſita, non eſt dignus, qui fruiſci commodis ab ipſo conceſſis permittatur. Sicut enim, *rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſuccedit in honore.* Sic etiam conſentaneum rationi eſt, ut, qui onerum nolunt eſſe conſortes, ab honorum, favorum & gratiarum participio excludantur.

Regula 38.

Nemo uti inſtrumento poteſt, quod impugnat.

Non enim nam dantur proprietates. Ergo ab illo, ſicut nec gravamina, ſic nec favores naſci poſſunt.

Regula 52.

Non vult Eccleſia ut ſuæ leges antequam acceptentur obligent.

Quanta ſit onerum & honorum connexio?

Regula 55.

Regula 77.

Zypdi opinio.

Tametſi hæc omnia videantur ſufficienter ſuadere, antiqua impedimenta etiamnum permanere in locis, in quibus non fuit admiſſum Tridentinum Concilium, his tamen non obſtantibus Zypdus *tit. de con. ſpir. conſ. 1.* impedimenta, quæ Concilium ſuſtulit, exiſtimat eſſe ubique ſublata, etiam in locis, in quibus illud nondum receptum eſt. Et probat: quia tametſi, ut lex obliget, iuſſio & acceptatio requiratur; ut ipſa deobliget, ſufficit diſpenſatio; nec conſulendi veniunt ſubditi, an diſpenſationem acceptent: nam illos Princeps poteſt etiam invitos deobligare. Et hanc fuiſſe mentem & intentionem Concilij ex hoc & aliis fundamentis præſumit. Diſcurrit doctè, ſed tamen nil demonſtrat; nam agitur de voluntate alienâ, quæ diverſa eſſe poteſt ex diverſis motivis: & quia materia eſt gravis, hanc ipſam Zypdi ſententiam eſſe magnæ invidiæ & obloquutionibus obnoxiam fatetur Cotonius, qui *in ſumm. verb. Impedimenta Matrimonij numero* 24. ſic inquit. [Quam licèt non eſſe improbabilem exiſtimem cum Præpoſito *in* 2. 2. *quæſt.* 95. *diſput.* 1. *dub.* 7. *num.* 27. ejus tamen iudicium ad ſanctam ſedem, ſacrámque interpretum Congregationem remitto. Ita Diana *part.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 6.] At neſcio, an benè Zypdus de intentione Concilij præſumat; fortè enim prudentiùs iudicaret, nolle illud gratias & favores concedere ſubditis, qui Eccleſiæ obedire recuſant.

Etſi acceptatione indigeant leges: non tamen illâ indigent diſpenſationes.

An faveret & gratia univerſim conceſſa etiã rebellibus & inobedientibus faveant?

MMMDCCCXLI.

Et quidem non benè diſcurrere Zypdum, nec ſincerè Concilij mentem interpretari aſſeret omninò Leander, qui *tom. de cenſur. tract.* 2. *diſput.* 17. §. 2. *pag.* 214. *b. quæſt.* 41. inquirit, *An Epiſcopus poſſit abſolvere ab excommunicatione & aliis cenſuris Papæ reſervatis, ſi delictum, unde illæ proveniunt, ſit occultum?* Reſpondet eſſe certum, quod poſſit: nec diffuſâ indiget probatione, quia ſunt clara verba Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. dicentis: *In quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in diœceſi ſuâ, per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſitâ pœnitentiâ ſalutari. Idem & in hæreſis crimine, in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, & non eorum Vicariis ſit permiſſum.* Et, quia Concilium generaliter loquitur, interrogas, *An hæc ipſa facultas Epiſcopis omnibus conceſſa ſit?* Et quia Bonifacius VIII. ut ſciremus, quomodo Privilegia & Indulta, generalibus verbis concepta, interpretari deberemus, Canonem hunc præſcripſit, *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*, ante reſponſionem recogitans, quid Tridentini Concilij Patres reſpondiſſent, ſi illis hæc ipſa quæſtio fuiſſet in ſpecie propoſita, format dictamen prudens, & illam his verbis decidit. [Non poteſt, inquit, eâ facultate abſolvendi uti Epiſcopus earum religionum (*lege*, regionum) in quibus Tridentinum, quoad totum non fuerit receptum (ſecus eſſet, ſi ſolum quoad partem) etiam ſi ſubditos habeat: Quia par debet eſſe favorum, & onerum ratio: ergo ubi Tridentinum, non eſt receptum quoad leges & onera, nequit acceptari quoad favores. Suarez & Sanchez loc. cit. Alterius *tom.* 2. *diſput.* 8. *de ſuſpenſ. cap.* 3. *concl.* 4. ubi ait ita declaraſſe Sac. Congreg. Cardinal. ſuper Concilio. Venit ergo nomine *Epiſcopi* in dicto decreto, quicumque Epiſcopus electus, & confirmatus, etiam ſi conſecratus non ſit, nec Sacerdos, dummodo habeat diœceſim, in quâ Tridentinum receptum ſit. Sic Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 30. *ſect.* 2. *num.* 4. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 2. *num.* 11. & *lib.* 2. *ſumma cap.* 11. *cit. num.* 3. Et colligitur ex à nobis dictis 1. *part. tract.* 5. *de pœnit. diſputat.* 11. *quæſt.* 51. & 52. Granados *ſect.* 2. cit.

An, & quæ de in caſibus Sũmo Pontifici reſervatis diſpenſare poſſit Epiſcopus.

Decretum Tridentini Concilij.

An verbã univerſalia ſemper univerſaliter debeant intelligi?

Regula 81.

De generali conceſſione. Quomodo ſit interpretãda?

An favorũ & onerum ſit eadem ratio?

Quis Epiſcopi nomine in Concilij decreto intelligatur?

cit. numero 4. Palao *loc. cit. numero ſecundo* &c.]

Animadvertenda pro logicâ.

[Et hic obiter pro logica morali notemus non eſſe æquipollentes iſtas propoſitiones.

Iudico hanc ſententiam eſſe probabilem.

Iudico non eſſe improbabilem.

Non iudico eſſe improbabilem.

Aliud enim eſt *videri non improbabilem*, & aliud *non videri improbabilem*, ſicut aliud eſt, *videre lapidem non eſſe album*, & aliud omninò diverſum, *non videre lapidem eſſe album*, &c.]

Mutat negatio ſenſũ propoſitionum, ſi ex uno termino trãſferatur ad alium.

DISPVTATIO V.

Ad utros (an ad Principes laicos, an verò ad Eccleſiaſticos) pertineat Impedimenta Matrimonialia conſtituere?

MMMDCCCXLII. *Quid ſit imponere impedimẽta impediẽtia? Quid ſit dirimentia impedimẽta conſtituere?*

SCIENDVM ante reſolutionem eſt ex dictis, quòd imponere impedimenta impedientia, eſt præcipere, ne Matrimonia celebrentur; unde, qui contra præceptum illud celebret, erit inobedientiæ reus, peccabit mortaliter, ſed tamen validum contractum faciet. Et ſciendum etiam eſt, quòd imponere impedimenta dirimentia, eſt tales aut tales perſonas reddere & declarare ad celebrandum Matrimonium inhabiles. Quamobrem, qui cum impedimento dirimente contraheret (1) committeret crimen inobedientiæ, & peccaret mortaliter violando Canonicas leges: & (2) ſacrilegium committeret Sacramentum ſine debitâ materia celebrando, non ſecus ac qui in carne & aqua loco panis & vini miſſam diceret. Et quia hæc circumſtantia novam addit priori peccato ſpeciem, deberet illam in Sacramentali confeſſione explicare, & (3) contractum invalidum faceret.

An, qui hæc violat, inobediens & ſacrilegus ſit?

Sed, quis hæc Matrimonialia impedimenta poteſt ponere? ſit

Quid Eccleſiæ nomine intelligatur?

CONCLVSIO I. *Ad Eccleſiam ſpectat impedimenta Matrimonialia conſtituere.* Et nomine *Eccleſia* intellige Summum Pontificem, cui dicit Dominus, *Quidquid ſolveris, ligaveris-ve in terris, erit ſolutum, aut ligatum in cœlis.* Hæc noſtra concluſio eſt de Fide; & definitur à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *can.* 4. & 12. his verbis. *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonij dirimentia, anathema ſit, &c. Si quis dixerit cauſas Matrimoniales non ſpectare ad Iudices Eccleſiaſticos, anathema ſit, &c.*

Poteſt Eccleſia impedimenta Matrimonialia conſtituere.

An illa etiã imponere poſſint Epiſcopi?

An-ne etiam ſinguli in ſuis diœceſibus Epiſcopi dirimentia impedimenta poſſunt ponere? Videretur, quod ſic. Quoniam licet Epiſcopis quidquid non interdicitur. At in jure Canonico non eſt lex, quæ, ne hujuſmodi impedimenta ponant, iubeat. Ergo. Accedit, quòd de facto aliqui Epiſcopi illa conſtituant. Et, ut propriis oculis vidimus, jam ab antiquo in Conſiſtorio Pragenſi ſponſis ne pendente lite contrahant, ſub pœna nullitatis præcipitur. Et quid aliud, quæſo, eſt ſub pœna nullitatis præcipere, quàm ſponſos uſque ad novum mandatum ad celebrandum Matrimonium inhabiles reddere? Interim re benè perpenſa ſit.

An nunc de facto illa imponat Pragenſis?

CONCLVSIO II. *Epiſcopi poſſunt ex iure impedimenta conſtituere.* Ita Leander, qui *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 9. *quæſt.* 5. *pag* 265. *b.* ſic ait. [Probabilius reſpondeo, poſſe ex iure, & ex vi ſui muneris impedimenta inducere atque apponere. Quia Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi quidquid poteſt Pontifex in tota Eccleſia, niſi ei aliquid à Pontifice prohibeatur, ut optimè probat Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 61. *num.* 3. Ergo. Sic Victoria, Ledeſma, & alij, quos citat & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 1. *num.* 9. Baſilius *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 12. Cornejo *diſp.* 7. *dub.* 3. *pag.* 953. Hurtado *diſput.* 12. *diff.* 2. Villalobos *tract.* 14. *diff.* 1. *num.* 2. Ochagavia *tract.* 3. *quæſt.* 36. *num.* 4. Loſius de Torres *in ſumm. part. cap.* 109. *dubit.* 2.] Sed contrarium aſſerunt Suarez *tom.* 5. *diſput.* 7. *ſect.* 4. *num.* 5. Ægidius *diſp.* 30. *num.* 3. & 8. & pauci alij. SED OBIICIS. Nemo poteſt ex iure facere, quæ jus illi non concedit apertè. Sed nullus eſt in toto iure Canon, qui Epiſcopis conſtituendi impedimenta dirimentia poteſtatem concedat. Ergo illa ipſi non poſſunt conſtituere ex iure. RESPONDEO nos bene loqui, cùm dicimus habere ex jure Epiſcopos, quod poſſint impedimenta conſtituere. Quia exceptio firmat Regulam in contrarium. Ergo, cùm Pontificium jus à Chriſto Epiſcopis conceſſam poteſtatem reſtringit, & aliquos caſus à generali Regula expreſsè excipit, cenſetur reliquos tacitè confirmare. Ergo jus tacitè Epiſcopis poteſtatem concedit poſitivam. *Prætereà* ſi quis voluerit dicere, hanc illos habere poteſtatem, à ſui muneris virtute poſitivè (habent enim illam, quia ſunt Epiſcopi) & à Canonico iure negativè (illa enim ab hoc non fuit ablata) etiam benè loquetur, nec priori reſponſioni contradicet.

Quid ex vi ſui muneris & ex iure poſſint facere Epiſcopi?

Quanta ſit Epiſcoporũ poteſtas?

An & cur dicantur habere ex iure, quod poſſint impedimenta imponere?

Ius alia tacitè & alia expreſsè.

Alia poſitivè & alia negativè concedit.

MMMDCCCXLIII. *Qualẽ hodie Epiſcopi circa impedimentorũ conſtitutio-*

CONCLVSIO III. *Hodie Epiſcopi non poſſunt impedimenta dirimentia in Matrimonio conſtituere.* Eſt communis, ut inquit Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 76. Sed, quo hæc concluſio modo cum præcedente componetur? Poteſtatem Epiſcopis conceſſam à

Chriſto

Digitized by Google

num habeā: authoritatem? Quis illam contraxerit & limitaverit?

Chriſto à Generali aliquo Concilio fuiſſe ablatam, & adjudicatam ſoli Summo Pontifici, Victoria, Ledeſma, & alij ſuſpicantur. Suſpicantur, inquam; quæ enim dicunt, non probant: prudentiùs autem Sanchez; Baſilius, Cornejus, Luyſius, Ochagavia & alij recurrunt ad conſuetudinem; quam hodie eſſe in viridi obſervantiâ indubitatum eſt. Hanc vitam init Becanus, qui *cap.* 49. *de Sacram. in ſpecie, quæſt.* 2. *in fin.* ait: [Generatim loquendo, quidquid poteſt Pontifex in totâ Eccleſiâ quoad externam juriſdictionem, poteſt Epiſcopus in ſuâ Diœceſi, niſi Pontifex ſibi reſervet. Nunc autem reſervavit ſibi hoc Pontifex in Matrimonio, vt plerique docent, tametſi nullo jure expreſſum ſit. Veriſimile eſt ſpeciali Eccleſiæ conſuetudine haberi hanc reſtrictionem.] Vide ſuperiùs, quæ poſt Fund. XIII. Vrbani VIII. Bullam ediſſerentes, *quæſt.* 1. expoſuimus.

Qualem poteſtatem habeat in Ethnicos Pontifex?

CONCLVSIO IV. *Pontifex quà Pontifex impedimenta dirimentia in infidelium Matrimoniis non poteſt conſtituere.* Conſultò poſui illud *quà Pontifex*, quoniam quà Princeps reſpectu ſibi ſubditorum infidelium poteſt impedimenta conſtituere, vt ſtatim dicemus. Perſuadetur Concluſio, quoniam Papa ut talis non habet ullam juriſdictionem in Ethnicos & non baptizatos. Probat id Leander *diſput. cit.* 9. *quæſt.* 2. ex verbis Pauli, quæ 1. *Corinth.* 5. *in fin.* leguntur videlicet: *Quid enim mihi & eos, qui foris ſunt, iudicare? Nonne eos, qui intùs ſunt, vos iudicatis? Eos autem, qui foris, Deus iudicat.* Et bene arguit ut puto: quia licèt ibi Apoſtolus de fornicariis, maledicis, ebrioſis, & furibus diſſerat: agit ſpecialiter de idololatris: & ad illos etiam ſpecialiter referuntur hæc verba. At clariores ſunt textus, qui habentur *in c. gaudemus, & c. quando, de divortiis.*

De matrimoniis infidelium. An in illis poſſint ponere impedimenta Principes?

CONCLVSIO V. *Pontifex, & quicumque Princeps fidelis, infidelisve, poteſt conſtituere impedimenta, quæ dirimant matrimonia ſuorum ſubditorum infidelium.* Patet: quia infidelium matrimonia non ſunt Sacramenta, ſed quidam naturales & civiles contractus. Ita D. Thom. *diſt.* 39. *quæſt. vnic. art.* 2. *ad* 3. Leander *tract.* 9. *diſp.* 9. *quæſt.* 8. Navarr. *cap.* 22. *num.* 48. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 5. vterque Ledeſma, Sà, Rodriguez, & alij. Ita etiam Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 3. *num.* 5. & alij 25. Doctores apud ipſum. Ita etiam Baſilius *lib.* 6. *cap.* 1.

De infidelibus, qui Principi Chriſtiano ſint ſubditi?

Sed quid dicemus de infidelibus, qui ſubſunt Chriſtianis Principibus? An & hi etiam Summo ſubiiciuntur Pontifici, ita ut in eorum matrimoniis poſſit impedimenta dirimentia determinare? Aſſerunt Ledeſma *in* 2. *part* 4. *quæſt.* 61. *art.* 2. Abulenſis *in* 1. *Reg.* 8. *quæſt.* 178. & alij. Negant Sanchez, Baſilius, Cornejus, & Doctores communiter.

MMMDCCCXLIV. *An Princeps debeat leges de matrimonio ferre, quas ſui ſubditi infideles obſervant?*

CONCLVSIO VI. *Princeps Chriſtianus, qui Iudæos, Mahometanos, Gentiles, &c. in ſuis provinciis tolerat, tenetur ferre leges, quas circa Matrimonij valorem ipſi obſervant.* Oſtenditur, quoniam niſi talis lex ſupponatur, erunt veræ illæ Aſſertiones, quæ ſuperiùs poſt Fundam. XIII. *quæſt.* 3. proponebantur. Videlicet: *Inter Iudæos Moguntinos omnia Matrimonia, quæ non militant contra legem naturæ ſunt valida. Ergo & valida, quæ militant contra Ius Canonicum, Concilia, & Decreta Pontificum. Ergo & valida, quæ contra legem Iudaïcam. Non poteſt permittere Princeps, ut ſolvantur inter Iudæos Matrimonia, quæ inter gentes non poſſunt. Prudenter procederet Princeps Moguntinus, ſi Diploma reſpectu Iudæorum ederet, quo impedimenta veteris legis, eo modo, quo ipſi intelligunt, authoritate ſuâ firmaret. Poſitâ lege Electorali impedimenta Veteris Teſtamenti reſpectu Iudæorum firmante, invalida erunt inter Matrimonia, quæ Moyſes dirimit.* Et debere Principem hanc legem ferre ſic oſtendo. Debet, inquam, Princeps omnia facere, quæ neceſſaria, ut bene infideles gubernet: At, niſi illam de Matrimonio legem ferat, bene infideles gubernare non poterit. Ergo tenetur illas ferre: aut etiam cenſendus eſt illam tuliſſe. Probaturus minorem, ſupponam (id enim probabilis ſententia fert) ſtando Iuri naturæ fratrum matrimonia eſſe valida. Supponam etiam (quod à nemine negari poterit) legem Mahometanam eſſe falſam, & nihil validè præcipere aut inhibere. Et ſupponam denique Zaïdum Neapoli Fatimam ſororem ſuam in uxorem duxiſſe. Quid faciet Iudex? Declarabit Matrimonium invalium. Sed cur? Illud, ut ponebamus, Ius Naturæ non dirimit. Nec illud lex Mahometana dirimit; eſt enim ficta, & nullam habet authoritatem. Ergo ſubintelligitur tacita quædam Regis Hiſpaniæ lex, quæ ob bonum publicum leges Mahometanorum, quæ valorem Matrimonij concernunt, reponit, & matrimonia contra illas celebrata dirimit, & condemnat.

Quid ſequeretur, ſi illas non ferrent?

An cenſendi ſint illas tuliſſe? An, & cur Mahometanus invalidè ſororem ducat?

Idem dicendum eſt de Matrimoniis Conſtantinopoli inter fratres contractis ſunt invalida: non quòd ab Alcorano dirimantur: illud enim nullam prorſus authoritatem: ſed quod Princeps (Magnus Turca) cenſeatur jubendo, ut Alcoranum obſervetur, illa ipſa Matrimonia dirimere. Quam ob rem Theologi, vt ſcitè ait Leander *diſp.* 9. *quæſt* 8 [bene colligunt, quòd infideles, qui contra leges irritantes, à ſuis Principibus latas, matrimonium inierunt, vel illud iterum juxta leges Eccleſiæ renovaturi ſunt, vel ſeparandi.] Lege Dianam *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 77. Bannium *tract. de Matrim. vt eſt Sacram. quæſt.* 5 *d ſt.* 3. Perez *de Matrimon. diſput.* 21. *ſect.* 5. Palaum *tom.* 5. *diſp.* 4. *punct.* 1. *n.* 4.

Cur Conſtantinopoli apud Turcas matrimonia inter fratres ſint invalida? Ethnicorum matrimonia contra ſuorū Principum leges dirimentes contracta, ſunt invalida?

MMMDCCCXLV. *De Chriſtianis Principibus. An ſuorum ſubditorum fidelium poſſint matrimonia dirimere?*

CONCLVSIO VII. *Præſcindendo ab interdictione Eccleſiaſticâ Principes Chriſtianos erga ſuos ſubditos Chriſtianos poſſe ponere impedimenta dirimentia, probabile eſt.* Oſtenditur. Sunt enim utrimque Authores qui ad probabilitatem ſufficiunt. Sanè D. N. IESVM-CHRISTVM Matrimonium ad Sacramenti dignitatem elevaſſe, & à ſæcularium Principum poteſtate exemiſſe, aſſerit S. Thomas, & viginti & tres alij Authores à Sanchezio citati: quibus Hurtadus *diſput.* 12. *diff.* 2 *num.* 7. Baſilius *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. & alij ſubſcribunt. Et ſententiam oppoſitam: nempe, quæ docet Chriſtum non exemiſſe matrimonium, ſed dediſſe poteſtatem Eccleſiæ, ut illud eximeret; & hanc

illud

Digitized by Google

An Matrimonia Eccleſia à iuriſdictione Principum ſæcularium exemerit?

illud de facto exemiſſe, hodie communiter in Scholis defendimus. Quoniam illam tuentur Villalobus *tract.* 14. *diff.* 1. *numer.* 3. Cornejus *diſp.* 7. *dub.* 3. Ochagavia *tract.* 3. *quæſt.* 37. *num.* 2. Moure 3. *part. ſumm. c.* 16. §. 1. *num.* 3. Luyſius de Torres *in ſumm.* 2. *part. cap.* 109. *dub.* 5. Coninckius *diſp.* 30. *dub.* 1. Valentia *diſp.* 10. *dub.* 5. *punct.* 1. Rebellus *lib.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 2. Eam etiam defendunt uterque Sotus, omnes tres Ledeſmæ, Victoria, Bellarminus, Angles, Henriquez, & alij quos citat & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 3. *num.* 2. Et plerique Doctores, qui adhærent opinioni contrariæ, hanc etiam probabilem judicant: ita Leander, qui *diſp.* 9. *quæſt.* 7. oppoſitam, quam tenet, vocat probabiliorem.

An Matrimoniales cauſas ad ſe Eccleſia privativè reſervare potuerit?

Conclusio VIII. *Cauſas omnes Matrimoniales (adeoque ferendi leges de Matrimonij valore poteſtatem, & indicandi de contractus valore authoritatem) ad ſe advocavit Eccleſia, eaſdemque exemit Iuriſdictione Principum ſæcularium.* Eſt ingrata Politicis, & ideò poſtulat, ut examinemus radicitùs, An Eccleſia hoc ipſum, quod dicimus, potuerit facere. Audiamus Severinum (vocetur ſic) qui contrà ſic argumentatur.

Objectio.

MMMDCCCXLVI. *An polygamia & libellus repudij contra Matrimonij inſtitutionẽ militent?*

SE non velle diſputare ait, de Mahometanorum, Iudæorum, & Gentilium, quæ nunc fiunt, Matrimoniis; ſcit enim polygamiam & repudij libellum in multorum ſententiâ Matrimonij veritati & ſinceritati repugnare: & ideò, ne difficilibus difficiliora implicet, convertit ad naturalem legem oculos, & ſic inquit.

Impedimentũ duplex: Impediens & dirimẽs.

Certum eſt apud omnes Theologos in lege naturali dari vera matrimonia, eaque poſſe humanâ authoritate limitari obice, & impediente & dirimente. Sed tunc impedimenta deſignandi authoritas erat penes Principes, & Legiſlatores ſæculares; non enim matrimonium illud purè naturale eſſet Eccleſiaſticum, cùm hodie Chriſtianorum connubium à nemine Eccleſiaſticum aſſeratur quà matrimonium, ſed quà Sacramentum.

Cur Matrimonia hodie ad Eccleſiã pertineant?

Igitur priùs debet eſſe matrimonium verum, quàm Sacramentum eſſe poſſit; priùs Sacramentum, quàm ad Eccleſiam pertineat: non enim ad hanc ſpectat, aut ſpectare id poteſt, antequàm Sacramentum ſit, ab Eccleſiâ non poteſt attingi; ergo Eccleſia non habet authoritatem objiciendi impedimenta, ne contractus matrimonialis fiat. Hæc igitur authoritas, ad Reges, & Principes ſupremos pertinet.

Eiuſdem rationis Confirmatio.

Confirmatur aſſertio exemplo certiſſimo, & clariſſimo. Materia remota ſeu deſitura in Euchariſtiæ Sacramento, Chriſti Domini inſtitutione, panis, & vinum eſt, nullâ quantitate determinatâ; quis negabit potuiſſe Chriſtum non ſolùm materiæ ſpeciem; ſed & quantitatem determinare? qui conſervari ſub ſpeciebus panis; & vini voluit, cur non potuiſſet velle ſub ſpeciebus auri, argenti, lapidis, aut alterius rei cuiuſcunque? Item, qui ſub quantitate indeterminatâ panis, & vini, cur non potuiſſet ſub tantâ, aut tantâ determinatè? Supponamus igitur, ſiquidem omninò poſſibile fuit, Chriſtum Dominum inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum his verbis. *Volo Conſecrationem fieri, non in quâcunque quantitate panis, & vini; ſed in quantitate quæ floreno veneat; non autem in minore, aut maiore.* Tunc, ſi libra panis floreno væniret, & vini poculum medio floreno, deberet proculdubio conſecratio fieri in librâ panis, & duobus vini poculis: &, ſi quis vini poculum, & panis unciam conſecranda proponeret, ſacrilegium, non verò Sacramentum conficeret. Poſita hac lege, & rerum valore, deberet abſolutè Sacerdos habere in altari panis libram, & duo vini pocula; aliàs invalidè celebraturus.

Euchariſtiæ Sacramentũ potuit habere aliam materiam qualemcũque: & in materiâ determinatâ?

Materia quantitas, quoad pondus, & quoad pretium potuit à Chriſto Domino determinari.

An determinare rerũ civilium pretia pertineat ad Eccleſiaſticos?

Sed poſtulo, An Reges iuſtis de cauſis poſſent tunc victualium valorem alterare? ſi anni liberali proventu magna panis copia in Belgico ſuppeteret, & inimicorum incurſu difficulter vinum haberetur, cur non poſſet panis libra vænire aſſe, & vini poculum quatuor florenis? ſub hac rerum alteratione, qui fieri deberet conſecratio? Proculdubio juxta inſtitutionem Chriſti Domini, & non aliter; & ſi juxta Chriſti inſtitutionem, in floreno panis, & floreno vini; hoc eſt in panis viginti libris, & medià vini pinctâ, ſeu poculi quadrante.

An panis, vinum, oleum, balſamum &c. quia ſunt remota in Sacramẽtis materia à laicorum Principum iuriſdictione eximantur?

Si inclamaret aliquis, Reges non poſſe alterare ſacramentorum materiam, ac propterea nec valorem panis, & vini, ex quibus fit hoc ſacramentum: reſponderes, Deum non iuſſiſſe Regibus, ne mutarent valorem victualium; ſed juſſiſſe Sacerdotibus, ut conſecrarent in materia, quæ floreno væniret, Regeique mera ſæcularia gubernare; ſed per accidens materiam remotam ſacramenti attingere. Dictum puta.

An priùs ſit contractus in Matrimonio, quam Sacramentum?

An pro illo priori ſubſit Principibus?

Sicut priùs deberet eſſe panis ad floreni valorem, quàm converſio fieret, etiam priùs debet eſſe contractus matrimonialis, quàm ſit ſacramentum: ergò ſicut tunc poſſet Rex mutare valorem panis antequàm Sacramentum fieret, ſic etiam nunc mutare valorem matrimonialis contractûs, antequàm Sacramentum ſit.

Eiuſdẽ rationis altera confirmatio.

Confirmatur ſecundò; non enim ſupponemus poſſibilia, quæ de facto non ſunt, ſed illa merè, quæ revera jam ſunt, & à nemine negari poſſunt. Arguo ſic: Si Rex, aut privatus aliquis jure, aut injuria faceret, ne panis pinſeretur, aut ne vinum in noſtras ditiones adveheretur, ille etiam faceret, quòd Miſſæ celebrari non poſſent. Et, ſi Petro celebraturo panem, & vinum negaret, qui ſolus concedere poſſet, faceret, quòd Petrus celebrare non poſſet pro tempore, quo illa negaret; ergò ſimiliter, ſi Rex jubeat nullum contractum in toto ſuo Regno fieri, ſine Senatoris alicuius præſentia.

An Reges attingere poſſint Matrimonium quà contractum?

Matrimonium, niſi ſit verus contractus, non erit verum Sacramentum.

Sanè ſi nullus, quà contractus, nullus quà matrimonium; quia hoc non eſt, ubi verus contractus non eſt: & tandem, ſi nullus quà matrimonium, nullus, quà ſacramentum; contractus enim, ni matrimonium verum ſit, verum ſacramentum non erit.

Dicam,

Digitized by Google

Obiectio.

Dicam; Contractum illum eſſe eleuatum à Chriſto ad dignitatem Sacramenti; adeoque exemptum à iuriſdictione ſecularium Principum, & Eccleſiaſticæ authoritati ſubiectum.

MMMDCCCXLVII. Reſpondes, in Sacramento Matrimonij duas formalitates reperiri, nempe formalitatem contractûs, & formalitatem Sacramenti; duas quidem, & realiter ſeparabiles; quia in Euchariſtia eſt ratio Sacramenti ſine tali contractu, & in matrimonio Iudæi eſt contractus ſine ratione Sacramenti. Falſum quidem eſt dicere, rationem Sacramenti ſubiici authoritati Eccleſiæ; non enim poteſt Eccleclesia facere, quòd verba conſecrationis à vero Sacerdote dicta ſuper veram panis materiam, non conuertant illam in corpus Domini; non poteſt facere, ne maneat verè baptizatus, qui volens abluitur à me rectam intentionem habente, & legitima verba pronunciante: Ergò non poterit Eccleſia facere, quòd contractus matrimonialis initus ſic ab his, qui volunt ſacramentum conficere, ſit veri matrimonij verus contractus, & tamen non ſit Sacramentum. Igitur non dantur impedimenta matrimonij, quà Sacramenti; ſed matrimonialis contractûs, quà contractûs. Atqui quà contractus præciſus à ratione Sacramenti, non intelligitur eſſe Sacramentum; ergò nec ſubditus Eccleſiæ poteſtati, ergò nec exemptus ab authoritate Principum. Si dicas illum contractum, tametſi non ſit Sacramentum ſecundum ſe, eſſe tamen capax, vt ſit Sacramentum; dic idem etiam de pane, & vino, & adde Principes non poſſe circa panem & vinum leges ferre; ſed piſtores, molitores, & reliquos, pendere à legibus ſolius Pontificis, parant enim panis materiam capacem, vt in Sacramentum conuertatur, aut, ſi mauis, parant quantitatem, & ſpecies panis, quæ poſſunt eſſe materia Sacramenti.

In matrimonio ratio contractûs, & ratio Sacramenti ſunt ſeparabiles in homine infideli.
An Sacramenta ſubſint Eccleſiæ?
An ratio contractûs matrimonialis in homine fideli, poſſit à Sacramenti ratione realiter ſeparari?

MMMDCCCXLVIII. *Confirmatur tertiò.* Strictiùs obligat decalogi Lex, quàm Sacramentalis; hæc enim in omnium opinione pendet ab inſtitutione liberâ Chriſti Domini, & tolli pro Chriſti arbitrio poteſt; illa autem eſt in plurimorum ſententia indiſpenſabilis. Atqui Princeps ſæcularis poteſt attingere & tollere materiam Decalogi; ergò & Sacramenti Matrimonij. Conſequentia eſt legitima, maior certa, minor probatur. Nam abſtrahendo à primâ Tabula, cuius tractatio eſt præſenti difficilior controuerſiâ, & impræſentiarùm inutilis, non enim difficilia, per difficiliora exponi poſſunt; ad ſecundam venientes, reperiemus debere filium obedire parenti, & hoc indiſpenſabiliter; attamen penes Rempub. eſt authoritas emancipandi filios, & conſtituendi Patres familias. Ergò, qui filius familias eras, tenebaris obedire; cùm iam emancipatus ſis, ex filiis es, & obedire non teneris. Non debebas obedire Petro viro priuato; fauore Principis Conſuli facto, hoc eſt, Patri Reipublicæ, debes iam obedire. Paulus non poterat occidi, committit capitale facinus, & licitè à Principe occidetur. Antoniâ vti non poteras; ductâ in vxorem poteris. Pecunias, quæ ad Ioannem pertinebant, reſtituere debebas, condonat ille, & potes retinere. Lege naturæ ſanctum, vt verus miles teneatur defendere Rempublicam, etiam cum mortis periculo; non tamen ſanctum, quod ſis miles: ſi des nomen militiæ, huiuſmodi obligationem incurres, non aliàs. Ergò ſimiliter, Sacramentali lege ſtabilitum, omnem matrimonialem Chriſtianorum, contractum eſſe Sacramentum nulla humana authoritas impedire poteſt, vt matrimonialis contractus, ſi legitimus, in Sacramentum tranſeat; at verò contractum eſſe legitimum, aut non, pendet ab hominibus, à quibus reliqui contractus. Ergò Pontifex non habet authoritatem opponendi impedimenta matrimoniali contractui, hic enim non eſt Sacramentum formaliter, ſed materia Sacramenti, & reliqui ciuiles contractus non pendent a Romano Pontifice, ſed à Rege.

Tertia eiuſdem rationis Cõfirmatio.
An Deus poſſit diſpenſare in Decalogo?
Filiorum emancipatio.
Exfiliatio.
Miles debet ſeruire Reipublicæ, etiã cum periculo mortis.
Contractuũ Ciuilium valor pendet à Ciuilibus legibus.

Obiectio.
An de facto Princeps ponat impedimenta matrimonij?

Dicam Pontificem de facto poſuiſſe impedimenta matrimonij: ergò & poſſe. Reſpondes. *Primò*, potuiſſe hæc impedimenta ponere authoritate ordinaria; Regiâ in regno ſuo, & in aliis regnis delegatâ; ideoque in Galliâ matrimonia clandeſtina adhuc eſſe valida; quia nondum fuerunt legitimè interdicta; non enim authoritate ordinariâ, non delegatâ. *Secundò*, Reges eſſe homines, & ſæpè excedere limites ſuæ authoritatis, ſeſe in res Eccleſiaſticas ingerendo, cùmque & Pontifices etiam homines ſint, non prodeſſe reſolutioni exempla; ſed rationes fortes deſiderari: ſi enim exemplis ſtandum eſſet, multa in vitiis, & geſtis Pontificum reperiremus, quæ imitaremur, vel inuito decalogo. *Tertiò*, Pontifices ſuam opinionem ſequutos, ſed hoc non tollere quin Reges ſequi poſſint contrariam.

Obiectionis ſatis.

MMMDCCCXLIX. Dvplex ſuccurrit via, vt oppoſita argumenta ſoluamus. *Primò* enim dicere poſſumus illa fluere ſecundum curſum rerum, quem Matrimonium haberet, ſi non eſſet à Chriſto Domino eleuatum, & à iuriſdictione Principum laicorum exemptum: at eadem modò non fluere, quia cùm Chriſtus contractus Matrimoniales Sacramentales à iuriſdictione Principum laicorum exemerit, & Pontifici Summo ſubiecerit, fruſtrà, & irrito conatu Principes, aut impedimenta volunt ponere, aut poſita ab Eccleſiâ impedire. *Secundò* autem poſſumus dicere in Summo Pontifice duas eſſe poteſtates & authoritates (etiam directas) ordinariam, & extraordinariam: illam, quâ Eccleſiam gubernet intacto Principum laicorum imperio; hanc, quâ etiam tacto: illam, quâ ordinariè vtatur; hanc, quâ extraordinariè, & raro; eo videlicet caſu, quo publicum bonum id poſtulet. Et poterimus addere hac ſummâ, & extraordinaria authoritate contractus Matrimoniales Sacramentales eſſe exemptos, & interdictum Regibus ne impedimenta dirimentia aſſignare præſumant. *Sed vtra ſolutio melior eſt?*

Duplex argumentorũ ſoluendi via.
An contractus matrimoniales ſint Eccleſiâ à Chriſto ſubiecti?
An laici poſſint ponere impedimenta dirimentia?
In Pontifice duplex authoritas: ordinaria & extraordinaria. Viri uſque termini.

MMMDCCCL. Licèt vtraque videatur ſufficiens, & forſitan vtraque ſimul conſtare poſſit, prima videtur & ſecurior, & melior.

In matrimonio duæ ſunt formalitates.

His poſitis in forma reſpondeo. Erat principalis ratio [In Matrimonio duæ formalita-

Digitized by Google

tes, aut etiam realitates reperiuntur, nimirùm ratio contractus, & ratio Sacramenti: atqui nec ratio Sacramenti, nec ratio contractus ſubſunt iuriſdictioni Eccleſiaſticæ: Ergo Eccleſia non poteſt ponere impedimenta Matrimonij.] Reſpondeo concedendo maiorem. Minor duas partes habet. Concedo igitur non poſſe Eccleſiam in Sacramentis mutare materias aut formas inſtitutas à Chriſto, quam ob rem primam partem minoris veram eſſe pronuncio; aio tamen ſecundam eſſe falſam; contractus enim Matrimonialis eſt eleuatus à Chriſto, vt ſit Sacramentum, adeoque exemptus à Iuriſdictione ſæculari. Poteſt igitur Eccleſia declarare inhabiles tales, aut tales perſonas, ad contrahendum Matrimonium, aut etiam ad tali modo contrahendum. Et de facto, omnes qui voto ſolenni obſtringuntur, ſunt inhabiles, & incapaces, vt poſſint Matrimonium inire: & omnes, qui Concilium Tridentinum acceptarunt, etſi ſint Laici, ſunt incapaces ad contrahendum clandeſtinè.

An poſſit Eccleſia mutare formas aut materias Sacramentorum?

Monachi ſunt inhabiles ad cõtrahendum matrimonium, & Laici in Hiſpaniâ, v. g. ad contrahendum clandeſtinè.

MMMDCCCLI. Ratio ſecunda confirmabat priorem, & poſſet contrahi, & reduci ad hæc verba. [Potuiſſet Chriſtus inſtituere Euchariſtiæ Sacramentum ita vt materia capax nulla alia eſſet, niſi quæ floreno venderetur. Ergo in tali caſu, ſi haberet Sacerdos materiam, quæ valeret medio floreno, non conficeret Sacramentum. Atqui in eodem caſu pretia rerum non pertinerent ad Eccleſiam, ſed penes Principes Politicos eſſet definire, quot panis libræ, quot vini menſuræ, vœnire floreno deberent. Ergo de Matrimonio pariformiter philoſophaberis.] Reſpondeo rationem hanc, quæ à paritate ſumitur, eſſe conuenientiſſimam, & non ſolùm non eſſe contra nos, ſed potiùs pro nobis militare. Concedo igitur primam Propoſitionem, & conſequentiam inde illatam: nego tamen minorem ſubſumptam; tunc enim non ad Principes ſæculares, ſed ad Eccleſiam pertineret pretium panis & vini conſecrabilis determinare. Nota illam vocem *conſecrabilis*: non enim in illo caſu pertineret ad Eccleſiam, mercium pretia ſtatuere, imò nec pretium panis & vini communis, ſed tantùm panis & vini conſecrabilis: quod ipſum lucem dat, & recipit à Sacramento Matrimonij: non enim vi ſuæ inſtitutionis omnes contractus ciuiles Eccleſiæ ſubiicit, ſed illum contractum tantùm, qui eſt cum Sacramento connexus, nimirùm, qui poſſit in Sacramentum tranſire, etiamſi fortè aliquando per accidens, opinione aliquorum, non tranſeat.

Potuit Chriſtus aliter ſacramenta inſtituere.

An rerum pretia ſubſint Eccleſiaſticæ diſpoſitioni?

Non omnes contractus indefinitè: neque vniverſim omnes Matrimoniales, ſed illi, qui Sacramenta ſunt, ſubſunt Eccleſiæ.

MMMDCCCLII. Ratio tertia à materiæ oblatione ſumebatur, & ad hos terminos reduci poteſt. [Poteſt Rex auferre materiam Euchariſtiæ; & ſi auferret, nulla Miſſa dici poſſet. Ergo poteſt auferre materiam contractuum: Ergo ſi auferret, nullus iniri poſſet. Si nullus: Ergo neque Matrimonialis.] Reſpondeo diſtinguendo primum antecedens. Concedo poſſe Regem materiam Euchariſtiæ auferre phyſicè, nego poſſe auferre moraliter. Poteſt enim quicumque tyrannus, ſi violenter agere velit, auferre phyſicè & realiter è Sacerdotis manibus panem & vinum, quibus ablatis, Miſſa celebrari non poterit. At verò, nemo poterit materiam relinquere phyſicè, & nihilominùs eamdem auferre moraliter, hoc eſt, declarare incapacem, quæ conſecrari poſſit. Ergo contra ſuum Authorem militat iſta ratio: ex illa enim ſequitur poſſe Principem auferre realiter, & phyſicè materiam matrimonij, non tamen illam poſſe auferre moraliter: ſunt enim diuerſæ opiniones circa huius Sacramenti materiam, interim ſemper ſtabit, poſſe tyrannum auferre linguas, deſtruere corpora, videlicet, phyſicè & realiter; at verò poſſe relinquere omnia phyſica & realia, & tamen poſſe eumdem tollere moraliter materiam, hoc eſt, ſtabilire lege Politicâ, non poſſe de illa fieri legitimum contractum Matrimonialem, doctrinæ conſequentia non patitur.

An poſſit aliquis tollere Sacramenti materiam?

Aliud eſt illa auferre poſſe phyſicè, & aliud moraliter.

MMMDCCCLIII. Ratio quarta, quæ §. *Reſpondes* ponebatur, non multum differt à prima; interim maioris claritatis gratiâ ad verba ſequentia reducetur. [Matrimonium poteſt conſiderari, vel vt contractus eſt, vel, vt Sacramentum eſt. Vt Sacramentum eſt, non ſubeſt Iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, non enim Eccleſia diſponit de materia & forma Sacramentorum. Sed neque vt contractus eſt, ſubeſt Eccleſiæ, ratio enim propter quam ſubeſſe diceretur, eſt ratio Sacramenti à quo ſupponitur abſtractus & præciſus.] Sed hæc ratio non vrget: poſſumus enim primò, inter contractum, & rationem Sacramenti conſiderare intermediam quamdam capacitatem, vt iſte contractus tranſeat in Sacramentum, quæ quidem oritur ex inſtitutione Chriſti, & in aliis contractibus non reperitur. Dicemus igitur propter hanc eleuationem, eſſe Matrimonialem contractum exemptum à Iuriſdictione laicorum, & ſubiectum Iuriſdictioni Eccleſiaſticæ. Poſſumus ſecundò inter contractum & rationem Sacramenti, nullam potentiam aut capacitatem intermediam diſtinctam ab extremis concedere, & nihilominus facili negocio oppoſitum eneruare argumentum; nam ſi contractus iſte per rationem Sacramenti eleuatur, de facto erit eleuatus, etiamſi tu præſcindas, adeoque de facto erit exemptus. Etſi enim præſcindas niuem ab albedine picem à nigredine, illa à parte rei erit alba, iſta nigra. Ergo etſi præſcindas Religioſos ab exemptionis priuilegio, illi de facto erunt exempti. Ergo, etſi præſcindas contractum Matrimonialem à ratione Sacramenti, ille de facto erit Sacramentalis, ac proptereà à Iuriſdictione Principum laicorum exemptus.

Poteſt matrimonium dupliciter conſiderari.

An capacitas, vt Matrimonium ſit Sacramentum, ſit intermedia, & ab extremis diſtincta?

Abſtrahentium non eſt mendacium ait Ariſtoteles: nam per Philoſophorum abſtractiones ſubſtantia & accidentia realiter non immutantur.

MMMDCCCLIV. Ratio quinta, quæ vrgebatur §. *Confirmatur tertiò*, clariſſimam ſolutionem habet. Illa erat [ſtrictiùs obligat Decalogi lex, quàm Sacramentalis. Atqui Princeps ſæcularis poteſt attingere & tollere materiam Decalogi: Ergo & materiam Sacramenti.] Reſpondeo hoc ratiocinium claudicare: non enim à vero fundamento ſumitur; nam authoritas Principum ſæcularium non oritur ex eo, quod Deus aliquid ſtrictiùs

An materiam Decalogi mutare poſſimus?

aut

aut minùs ſtrictè præceperit; ſed ex eo, quod hoc illis Deus commiſerit aut non commiſerit. Venio ergo ad argumentum, & in forma reſpondeo, condonando majorem. Ad minorem reſpondeo, poſſe omnia illa Principes, quæ aſſumuntur. quia Deus, Eccleſia, & populus illa omnia ſubiecerunt illis, quoniam in rebus, quas Deus ſibi reſervat: & in rebus, in quibus populus in electione Regis liber manere voluit: & in rebus, quas ob fines ſupernaturales, Eccleſia manus Regum obſtringit, nullam illi habent authoritatem. Hinc ad Concluſionem ſubvenio. Aio, quod contractus matrimonialis eſſet Principibus laicis ſubiectus, ſi non fuiſſet exemptus à Chriſto, nec ab alio, qui poſſet illum eximere. Aio de facto, illum exemptum eſſe à Chriſto, & ad Eccleſiæ Iuriſdictionem tranſlatum. Subiungo, quòd etſi Chriſtus non exemiſſet hunc contractum à Iuriſdictione Politica, adhuc potuiſſe Eccleſiam eum eximere, propter rationes graviſſimas, quæ iſtam exemptionem poſtulant. Imò puto Ethnicos, qui haberent ius eligendi, & confirmandi ſibi Regem, poſſe in ipſa creatione, eligendi Principis authoritatem limitare; puta, ſtabiliendo v. g. ne ſe intermiſceat cauſis matrimonialibus.

Vnde nata Principum, & Regum authoritas?

An & à quibus poſſit limitari?

Cur contractus Matrimoniales Principibus non ſint ſubiecti?

Hic patet, quid dicendum ſit ad §. *Dicam Pontificem.* Concedo Pontificem in territorio Eccleſiaſtico habere duplicem authoritatem, Eccleſiaſticam, videlicet, & ſæcularem: quoniam ut ſæcularis Princeps, ea omnia poteſt. quæ potuit Conſtantinus Imperator, à quo Romam ſuſcepit: ut Eccleſiaſticus Princeps, æque Romæ ac Pariſiis, ea omnia poteſt. quæ Chriſtus Dominus, cujus Vicarium agit. Cùm ergo Conſtantinus non habuerit authoritatem ponendi Impedimenta Matrimonij, concluditur Summum Pontificem non quà Principem ſæcularem, & ſucceſſorem Cæſaris in territorio ſuo; ſed quà ſupremum Principem Eccleſiaſticum, Vicarium Chriſti, & ſucceſſorem Petri, poſſe in toto orbe Chriſtiano (hoc eſt. reſpectu Chriſtianorum) de impedimentis Matrimonij decernere.

Pontifex Romæ habet duplicem authoritatem: Eccleſiaſticam, & ſæcularem.

Concluſio.

NOTA

An Pontifex licitè & validè poſſit ſine causâ Impedimenta ponere dirimentia?

MMMDCCCLV.

Leander de Sanctiſſimo Sacramento *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 9. *quæſt.* 4. *pag.* 265. *b.* decidit controverſiam his verbis [Probabiliùs reſpondeo, in eo caſu peccare Pontificem prohibendo, ſe Matrimonium contra talem prohibitionem factum, eſſe validum & licitum. Quia talis prohibitio Matrimonij, non ſolùm injuſta, verùm & nulla & irrita eſt.] Probat idem per idem. Rem meliùs intellexit Diana, *part.* 8. *tr.* 1. *reſol.* 61. quia cùm Matrimonium ſit Iuris Naturalis & Divini, non poteſt Pontifex illud pro libitu interdicere, nec illud contrahendi jus adimere. Sequitur Diana Hoſtienſem, Henric. Ledeſmam, & alios, quos citat & ſequitur Sanchez *lib.* 6. *diſp.* 1. *num.* 6. Baſilium *lib.* 6. *cap.* 1. Cornejum *diſp.* 7 *dub.* 2. Becanum *cap.* 48. *quæſt.* 1. *num.* 4. Fillincium *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 7. Tannerum *tom.* 4. *diſp.* 8. *quæſt.* 4. *dub.* 1. Hanc opinionem eſſe multò probabiliorem ait Ægid. *diſp.* 30. *dub.* 1. Vnde mirari debeam, eam ab Ochagavia *tract.* 3. *quæſt.* 36. *n.* 3. vocari *falſam*, & à Villalobos *tract.* 12. *diff.* 2. *n.* 1. dici *omni fundamento carere*: eſt enim falſa, & fundamento deſtituta hæc Cenſura. Nullus in Mundo Princeps (Eccleſiaſticus, aut ſæcularis) qui poſſit jubere quidquid velit. Chriſtus eſt *Verbum Divinum*, eſt Λόγος, eſt *Ratio.* Ergo eius Vicarius debet cum Ratione procedere: & ideò non quæ ſibi placent, ſed quæ Dei gloriam & Chriſtianorum ædificationem concernunt, Chriſti nomine jubere poteſt.

Requiritur cauſa, vt Matrimonij impedimẽta ponantur.

Conſtituta ſine causâ non obligat.

Nemo poteſt ſine causâ privari facere, quem Ius Naturale concedit.

An hæc ſententia ſit probabilior?

An falſa eſſe, & fundamento deſtituta vocari?

An aliquis Superior poſſit iubere, quidquid velit?

DISPVTATIO VI.

De Diſpenſatione.

An poſſit validè & licitè ſine causâ concedi?

MMMDCCCLVI.

Vt nihil deſit, quod ad perfectam Diſpenſationis cognitionem conducat, proderit, de Causâ, ob quam illa conceditur, breviter diſputare. Et ab ipſâmet diſpenſandi authoritate incipiendo, & illam cum Diſpenſatione comparando, ſic inquam, *Vt potentia ab actu, ſic diſpenſandi poteſtas ab ipſâmet Diſpenſatione diſtinguitur.* Sanè diſpenſandi poteſtas ſtrictè eſt intelligenda, quia in poſſeſſione ſunt Iura, (hoc eſt, præcepta, & leges) at ipſæ Diſpenſationes largè debent exponi, quia ut habet Regula LVII. *Contra eum, qui legem dicere* (adeoque & diſpenſationem concedere) *potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.* Ita Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 1. Antonius Cotonius *in ſumm. verb. Diſpenſatio, num.* 1. Et hæc Regula demonſtratur clariſſimè, quia cùm ſubditus debeat Superiori obedire, quotieſcumque, aut eſt ambiguum præceptum, aut ambiguum redditur per Diſpenſationem obſcuram, fruitur ille privilegio, quod debitori Regula LXX. indulget. Illa eſt, *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterutrum adimpleri.* Vide Layman *lib.* 3. *tractat.* 4. *ſection.* 5. *capit.* 5. *num.* 5. necnon *libr.* 3. *tractat.* 4. *cap.* 8. *num.* 12. *fol.* 647.

Cur hic Articulus ad datur?

De potentiâ & actu.

Cur illa reſtringi, & hic debeat ampliari?

Cur contra Principem ſit interpretatio facienda?

Eſt in ambiguis penes debitorem electio.

An Vir prudens poſſit ſine causâ operari?

Quæri & hîc debet primò, *An requiratur cauſa ad diſpenſationem?* Conveniunt Theologi aſſerentes non poſſe virum prudentem dictamen ſine cauſa mutare: at quia nec omnes actiones imprudentes ſunt illicitæ, nec omnes invalidæ (multæ enim ſunt tantùm philoſophicè malæ) pergunt ulteriùs, & definiunt diſpenſationem in ſuperioris lege ſine cauſa conceſſam, eſſe invalidam: &, ubi de ea agitur, quæ legem propriam, aut legem inferioris concernit, dividuntur in oppoſitas claſſes.

An Diſpenſatio, ſine causâ conceſſa ſit invalida?

Vaſquez enim *in part. 2. tract. 2. diſput. 178. cap. 4.* exiſtimat diſpenſationem in propria aut inferioris lege ſine cauſa factam eſſe invalidam. At abeſt à communi ſententia, quam habet Villalobos *tract. 2. dub. 4. numer. 5.* Diana *part. 1. tract. 10. reſol. 32.* & alij: nam lex pendet à voluntate ſuperioris, & ſicut antequam ferretur, non erat; ſic nec remanet poſt diſpenſationem.

MMMDCCCLVII. *An, & quale peccatum ſit, concedere diſpenſationem ſine causâ?*

Ex hypotheſi, quod valida ſit diſpenſatio in propria aut inferioris lege ſine cauſa conceſſa, ambigitur, *An qui illam concedit, & qui illam impetrat, peccent mortaliter?* Aſſerit Granadus *controv. 7. tract. 3. part. 2. diſp. 17. ſect. 3. num. 24.* negat Villalobus *loc. cit. num. 6.* ſed contraria ſententia probabilis eſt, nam Sanchez *de matrim. tom. 3. diſp. 18. num. 10.* cui Diana *ubi ſupr. §. Nota, & reſol. 35.* Cotonius *loc. cit. num. 2.* & alij, aſſerunt, illos non peccare venialiter.

Cur leges ferantur?

Tu autem diſcurre ſic. Leges ob bonum publicum feruntur; non enim validè aut licitè poſſunt Principes ferre, quas volunt. Conſiderandum ergo eſt, quid ex diſpenſatione ſequatur: nam, ſi ceſſat gravis utilitas, aut grave damnum imminet, peccabit mortaliter ſuperior, qui illam concedit: & inferior, qui eam impetrat.

Quando peccet Princeps Diſpenſationẽ concedendo?

Ille, quia contra officij ſui obligationem operatur, nam debet conſulere & proſpicere publicæ utilitati. Iſte, quia cooperatur ſuperioris peccato, & cooperando Communitati damnum infert.

Quando illam poſtulando ſubditus?

Cæterùm, ſi te minimè poſtulante ſuperior diſpenſationem validè, illicitè tamen conceſſerit, ne quidem venialiter peccabis contra Obedientiam ſi illa diſpenſatione utaris. Conſultò *contra Obedientiam* dixi; quoniam, ſi utendo tali diſpenſatione graviter noceas alicui, in alio genere peccabis.

N. B. Antequam ferantur nõ ſunt leges. Et ipſæ in fieri & in facto eſſe pendent à voluntate Legiſlatoris. Etſi ſummè ſint neceſſariæ Legiſlatore invito nõ exiſtunt. *Ergo præcepta & leges voluntatis legiſlatoris exiſtentiâ exiſtere dicenda ſunt.*

Pono exemplum. Graſſante peſte per Provinciam, in civitate N. ad quam nondum pervênit morbus, fert legem Regulus, præcipientem, Ne quis peregrinos intromittere audeat. Et dico (1) eum hanc legem ferre debuiſſe ſub peccato mortali. Et addo (2) eum eamdem debere manutenere ſub eodem peccato. Subjungo (3) poſſe hanc eamdem legem validè abrogare, at abrogando peccaturum mortaliter. Et ratio eſt, quia hæc lex eſt ſaluti publicæ neceſſaria, & debet à ſuperiori ferri & conſervari donec ceſſet neceſſitas. Petis licentiam ut introducas Petrum: & interrogo, Quî valeat Petrus? Si bene valet, & tu licitè potuiſti hanc ipſam poſtulare licentiam, & Regulus eam concedere potuit: & tu poteris uti conceſsâ. Sed quid, ſi Petrus ſit infectus peſte? Aio (4) peccare Regulum mortaliter poſtulatam Diſpenſationem concedendo: ſed Diſpenſationem concedere validè.

An, quando & quomodo, poſſit quis utendo validâ Diſpenſatione, peccare?

Infero (5) peccaturum mortaliter, qui hanc Diſpenſationem poſtularit, petit enim ut Regulus committat peccatum mortale. Sed quid, ſi tibi non poſtulanti concedat Regulus, ut Petrum infectum peſte in civitatem introducas? Reſpondeo (6) te introducendo Petrum non eſſe inobedientem, nec aliquam Politicam legem violare: quoniam illa, quæ erat, jam per Diſpenſationem abrogatur. Sed nihilominus pronuncio (7) te peccare mortaliter in alio genere; nam introducendo in civitatem peſtem, peccas in quintum & ſeptimum præceptum Decalogi: multi enim morientur propter te; & multæ expenſæ cogentur cives facere, quæ excuſarentur, ſi tu Petrum non induxiſſes.

An cauſam certam aut ſaltem probabilem poſtulet Diſpenſatio?

Sed qualis eſſe debet cauſa, ut Diſpenſatio licitè concedatur? Debétne eſſe certa, aut ſaltem probabilior: an ſufficiet adhuc minùs probabilis? Reſpondeo, nec minùs probabilem opinionem requiri, nam, ut ſuperior licitè Diſpenſationem concedat, habet cauſam ſufficientem, quando non eſt certum, eam debere negari.

Eſt cauſa ſufficiens, ut diſpenſatio concedatur, non dari cauſam, ob quam debeat neceſſariò negari.

Hinc patet, quid in dubio dicendum ſit? nam licèt Bonacina *de legib. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 3. num. 7.* ſeveram amplectatur ſententiam; quia, qui ſine causâ diſpenſat, peccat mortaliter: & qui in dubio diſpenſat, ſe exponit periculo diſpenſandi ſine causâ. [*Sanchez* in ſumm. tract. 1. lib. 4. cap. 45. num.] 10. *probabiliter docet, poſſe; quia in dubio in benigniorem partem inclinandum eſt. Et ita petit ſuave Eccleſiæ regimen, ne ſcrupulorum ambagibus implicemur. Diana* part. 1. tractat. 10. reſol. 31. & part. 4. tract. 3. reſol. 44.] Dedi verba Cotonij *loc. cit. num. 3.*

Quid dubij nomine hic ſit intelligendum?

Sed quia vox *Dubium* variè ſumitur: tu ita illam accipe, ut cum *Non-certo* convertatur.

MMMDCCCLVIII. *De eo, qui bonâ fide diſpenſat ſine causâ.*

Uberioris doctrinæ gratiâ duos Caſus, quorum notitia eſt valde neceſſaria, propono. *Sit primus.* Heri Ioannes in ſuperioris lege ſine causâ iuſtâ bonâ fide (ſe poſſe diſpenſare ſincerè exiſtimans) diſpenſavit. At hodie, quia cauſam non fuiſſe ſufficientem cognoſcit, dubitat, an diſpenſatio fuerit valida? Et quidem non quærit, an illa fuerit licita? conſcientiam enim reddit bona fides ſecuram; ſed de ſolo Diſpenſationis valore dubium movet.

De illo, qui malâ fide (temerè) diſpenſat cum legitima cauſa.

Sit ſecundus. Heri etiam Franciſcus in ſuperioris lege temerè (hoc eſt, causâ incognitâ, & re minimè examinatâ) diſpenſavit: & cùm hodie re meliùs perpensâ reperiat cauſam diſpenſandi fuiſſe legitimam, inquirit, an Diſpenſatio fuerit valida? Et quidem, non quærit, an illa fuerit licita? nam temeritas, & mala fides in re gravi, eſt peccatum mortale.

Prælatus inferior, quãdo prudenter in lege ſuperioris diſpenſat, validè diſpenſat.

Reſpondeo ad primum, ideò illam Facultatem, quæ de legibus diſputat *Iuriſ-prudentiam* dici, quia leges ferri juxta prudentiam debent, & juxta prudentiam diſpenſari. Cùm autem Ioannes, quem prævio ſufficiente examine proceſſiſſe ſuppono, prudenter in Diſpenſationis conceſſione proceſſerit, validè diſpenſavit. Ita Sanch. *de matr. tom. 3. lib. 8. diſputat. 17. num. 8.* Diana *part. 1. tractat. 10. reſol. 33.*

reſol. 33.& alij. Et hoc probat Coton.*loc. cit. num.* 4. dicens talem debere præſumi intentionem Papæ erga ſuas leges, & Dei erga ſuas. Hoc autem poſterius non admitte: certum eſt enim, nulli homini conceſſam eſſe poteſtatem aut authoritatem, vt diſpenſet in lege Divinâ: nullâ enim ex cauſâ, aut hominis Diſpenſatione poterit v. gr. ſine culpâ mentiri. Contrariam ſententiam tenet Salas *de legib. diſput.* 20. *ſect.* 4. *num.* 35. & probat, bona enim fides non poteſt acta, aliàs invalida, valida reddere. Quoniam, ſi Epiſcopus bonâ fide in tertio aut quarto conſanguinitatis gradu diſpenſaret, non ideò matrimonia ſine Apoſtolicâ diſpenſatione in illis gradibus inita, eſſent valida. Sed reſpondeo Caſum eſſe impoſſibilem: quia certum & univerſis notum eſt non poſſe Epiſcopum in illis gradibus diſpenſare; adeóque ſi diſpenſaret, malâ fide procederet: non enim in re tam tritâ & ſcitâ poſſet invincibilem ignorantiam habere. Et huc pertinet. Iuris Canonici XXIII. Regula, *Ignorantia facti, non Iuris excuſat* quam Fillincius *part.2. fol.* 23. *num.* 378. Comitolus *libr.* 5. *quæſt.*1.*num.*8. Bartholomæus à S.Fauſto *lib.6. Theſaur. Relig. quæſt.* 33. *num.* 11. Azorius *tom.* 1. *lib.*1. *cap.* 13. *quæſt.*1. & 3. Layman *lib* 1.*tract.*4.*cap.* 20.*num.*6. dilucidant. Nec contrà militat Regula XLVII. *Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur.* Nam hic probatur ſciendi debitum; tenentur enim Epiſcopi ſcire leges Canonicas, juxta quas ſubditos debent gubernare. Vnde, ſi fortè ita eſſet imperitus Epiſcopus, vt impedimenta dirimentia Matrimonium non ſciret, non ideò bonâ fide procederet, nam deberet non admittere dignitatem, cui non ſcit ſatisfacere. Doctrina enim Sanchezij, Dianæ, & aliorum locum habet, cùm prævio examine prudenter & ſincerè proceditur.

Nullus homo poteſt in lege Divina diſpenſare?

An bona fides acta invalida reddat valida?

Impoſſibile eſt diſpenſationem bona fide concedi, vbi non poſſe concedi certum & manifeſtum eſt.

Reſpondeo ad ſecundum me Prælatum ſuperiorem prudentiſſimum eſſe præſumere, adeóque ratum habere, quidquid Prælatus inferior prudenter fecerit. Ex hoc fundamento vtrique Caſui reſpondebo, dicendo, Diſpenſationem conceſſam à Ioanne fuiſſe validam: & invalidam à Franciſco conceſſam. Illud prius aſſerunt Sanchez, Diana, & Cotonius, quos citavimus: & hoc poſterius Azorius *part.*1.*lib.*5. *cap.*15. *quæſt.* 9. & 10. nam facultas temerè diſpenſandi, nonniſi temerè concederetur. Hanc viam inîre poteris, ſi mihi adhærere volueris. Sed proderit nihilominùs ſcire eos, qui hunc ſecundum Caſum piè & benignè decidunt, probabiliter philoſophari. Ergo, ſi illos ſequi volueris, dicito Superiorem Prælatum in cujus lege Prælatus diſpenſavit inferior, juſtis ſubditorum petitionibus favere velle, & ideò quando temerè conceduntur, eſſe invitum, nó quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum Et ideò pronuncia Franciſcum validè, ſed illicitè Diſpenſationem conceſſiſſe. Et adde hujuſmodi Diſpenſationem impetrantem, & impetratâ utentem nullo modo peccare: quia cùm illa poſſit temerè & prudenter concedi, non eſt cenſendus ſubditus poſtulare, ut eam temerè concedat ſuperior. Et quia validè Diſpenſatio conceditur, ceſſat lex, & ſubditus licitè poteſt procedere. Ita Sanchez *loc. cit. num.*21. Diana *part.*1. *tract.* 10. *reſol.* 34. Cotonius *loc. cit. num.*4. His ergo præmiſſis ſit CONCLVSIO PRIMA. *Vbi certum eſt non poſſe diſpenſationem concedi, debet non concedi.* SECVNDA. *Vbi non eſt certum diſpenſationem eſſe illicitam licitè poteſt concedi.* TERTIA. *Vbi non eſt certum diſpenſationem dari invalidè, valide poteſt concedi.*

An diſpenſationes temerè conceſſa ſint invalida?

De eo, qui diſpenſationem, quæ temerè conceditur, poſtulavit.

MMMDCCCLIX.

An diſpenſatio debeat in dubio poſtulari?

An aliter de poſitivo & aliter de negativo dubio in caſu philoſophandum ſit?

VT FINIS huic articulo imponatur, interrogas, *An in dubio* (ſi videlicet dubitetur, vtrum caſus diſpenſatione indigeat) *ſit poſtulanda diſpenſatio?* In dubio poſitivo non debere peti diſpenſationem docet Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.*2. *adleg.* 35. *num.*18. Diana *part.*3. *tract.*6. *reſol.* 82. Palaus *tom.*1. *tract.*3. *diſp.*6. *punct.*5.*num.*10. Cotonius *loc. cit. num.* 11. & alij. In dubio autem negativo, etiam ſi quis magis in eam partem propendeat, quòd caſus egeat diſpenſatione, non eſſe cur illa petatur, docet Diana *loc. cit.* & iterum *part.* 4. *tract.*3. *reſol.*46. & *part.*8. *tract.*3. *reſol.* 72. Et probat *loc. cit.* Cotonius, quia in tali caſu poſſeſſio ſtat pro libertate. His poſitis ſit QVARTA CONCLVSIO. *Vbi certum eſt diſpenſationem requiri, res licitè non poteſt fieri, niſi diſpenſatio impetretur.* QVINTA. *Vbi non eſt certum diſpenſationem requiri, res licitè poteſt fieri, etſi diſpenſatio non petatur.*

MMMDCCCLX.

De impedimento dirimente occulto.

De homicidio caſuali.

De defectu natalium.

CLaudo hunc articulum tres caſus Politicos in hac materia proponendo. *Sit primus*, Maria & Claudius contraxerunt matrimonium cum impedimento dirimente, & quia ſeparatio eſt difficilis, probari enim non poteſt illam eſſe faciendam, recurrerunt ad Summum Pontificem, qui diſpenſationem negavit. Et modò inquirunt, An hanc poſſit Epiſcopus concedere diſpenſationem. Et, ſi illam neget, an eamdem concedere poſſit Vicarius. *Sit ſecundus*. Ioannes propter homicidium caſuale, quod ſecretò commiſerat, incurrerat irregularitatem. Negat illi Pontifex diſpenſationem, & quia recurrit ad Epiſcopum, quæritur, An poſſit hic concedere, quam Papa negaverat. Et quid, ſi etiam neget Epiſcopus? An-ne illam concedere poterit ejus Vicarius? *Sit tertius*, Ferdinandus erat illegitimus, & diſpenſationem à Vicario Generali petierat, qui illam negavit: & ideò ad Epiſcopum recurrit, & petitur, An hic à Vicario negatam concedere valeat, aut velit?

Cur dicantur Politici iſti caſus?

Vocavi *Politicos* hos caſus, quia ab Vrbanitatis legibus ex parte non parvâ dependent.

An, & quã, do diſpenſare poſſit Epiſcopus in Matrimonij impedimentis?

Reſpondeo ad primum, ſuccurrere interdum aliquas circunſtantias, quarum intuitu concedit Epiſcopis Apoſtolica ſedes, ut diſpenſent in Matrimonij impedimentis, & inter ipſas recenſeri; Quando ſeparatio eſt difficilis, aut non ita poſſibilis, quia ex altera aut ex utraque probari nequit parte illam eſſe faciendam. Profectò in tali caſu potuit diſpenſare Summus Pontifex. Quid, ſi noluerit? Cotonius *loc. cit. num.* 59. ait.

Digitized by Google

An poſſit, quando Pontifex negavit Diſpēſationem?

[Epiſcopus poteſt diſpenſare cum aliquo, cui Papa denegavit diſpenſationem judicans cauſam non eſſe juſtam, etſi Epiſcopus ſciat hanc denegationem, quia non privatur jure ſuo.] Et Dianam *part.4. tract.4. reſol* 49. & Suarium producit. At Vrbanitas poſtulat, ne doctior videri velit Epiſcopus Summo Pontifice; non enim omnia, quæ ipſi licent, expediunt: Interim, ſi diſpenſatio in ſecreto maneret, concedi ab Epiſcopo poſſet, non enim læditur per actus ocultos Vrbanitas. Si Epiſcopus non diſpenſet, non poteſt diſpenſare ejus Vicarius in hoc caſu: cùm ob rationem generalem; tum, quia illi hic & alij ſimiles caſus non ſunt commiſſi. Cotonius *loc.cit.num.*81. Diana *ubi ſupr.reſol.*79.Præpoſitus & alij.

Quid poſſit eius Vicarius facere?

MMMDCCCLXI.

An in irregularitate, quæ ex caſuali homicidio provēnit, Epiſcopus poſſit diſpenſare? An eius Vicarius?

Reſpondeo ad ſecundum poſſe Epiſcopum diſpenſare in irregularitate ex homicidio caſuali occulto. Ita Diana *part.* 1. *tract.* 11. *reſol.*121. §. *Notandum*, & *part.*4. *tract.*1. *reſol.* 72. §. *Notandum*, & ex eo Cotonius *in ſumm. verb. Epiſcopus*, *num.* 29. Addo Ioannem recurrendo ad Pontificem, non præjudicaſſe Epiſcopi poteſtati ordinariæ. Ergo negatam à Pontifice Diſpenſationem validè poterit concedere Epiſcopus, etſi ſciat fuiſſe à Papâ negatam. At poſtulare videretur Vrbanitas, ne ſine neceſſitate hujuſmodi Diſpenſationem concederet. Sed quid de Vicario Generali dicemus in caſu, ſi Epiſcopus hanc etiam Diſpenſationem negaverit? ſive ordinariam, ſive delegatam authoritatem Vicarius Generalis habeat, ſi hanc concedat diſpenſationem, peccabit contra Vrbanitatem. Eum ordinariam habere authoritatem ait Diana *part.*10. *tract.*15. *reſol.*31. §. *Verum.* Vnde *ibid.reſ.*24. probabiliter infert, ad libitum amoveri non poſſe, nec amotum cenſeri per creationem ſecundi Vicarij. Quò reſpiciendo prudentiores Epiſcopi, Locumtenentem ad nutum amobilem denominamus, cui delegamus authoritatem quantam expedire cenſemus, & eum permittimus *Vicarium Generalem* vocari. Porrò Vicarius, qui ordinariâ fungitur authoritate, validè concedere poterit Diſpenſationem: quam ſciat ab Epiſcopo fuiſſe negatam. At verò Locumtenens invalidè: non enim cenſendus eſt Epiſcopus delegare Locum-tenenti poteſtatem diſpenſandi in caſu, in quo non vult Diſpenſationem concedi. Conſidera hæc ultima verba: aliud enim eſt *nolle Diſpenſationem concedi*, & aliud *nolle Diſpenſationem concedere*, ſæpe enim contingit, ut intercurrant circunſtantiæ, quæ poſtulent, ut Vicarius, & non Epiſcopus tali aut tali Decreto, aut Diſpenſationi ſubſcribat. [Et hic obiter nota Appellationem, quia debet fieri ad immediatum, à Locum-tenente ad Epiſcopum, & à Vicario ad Archiepiſcopum adſcendere: quòd etiam dignentur Epiſcopi conſiderare: & legere Dianam *part.*5. *tract.*10. *reſol.*18. Decium *in cap. Conſuluit, num.*45. & Expoſitores *in leg.eius* 5. *militia*, ff. *de milit. teſt.* & *leg. in teſtam.* C. *de teſtament. milit.* quia etiam illi, qui ex privilegio poſſunt appellare omiſſo medio, in dubio voluiſſe potiùs ſequi commune Ius, quam uti privilegio cenſentur. Conſonat Ioannes Baptiſta Ventriglia *de Iuriſdict. Archiepiſc. cap.*134. *num.*5. dicens, Scacc. *de appellat. cap.*2. *quæſt.*8. *num.*99. *verſ.limita nunc.* notat, quòd à delegato Epiſcopi, non ad Metropolitanum, ſed ad Epiſcopum eſt appellandum. *Gloſſ. in cap.*2. *in verb.official. de conſuet.in* 6.Franch. *in cap.dilecti, num.*33. *de appell. in cap. Romana*, *num.* 5. *eod. tit. in* 6. Rota *deciſ.* 3. &c.]

An Vicarius Epiſcopi Ordinariam habeat authoritatem? Qualem & quãtam habeat Locūtenens?

An alter uter concedere Diſpē ſationē poſſit, quæ ab Epiſcopo fuerat negata?

Nota id bene.

De appellatione. Ad quem à Vicario, & ad quem à Locum-tenente appelletur?

Lectores moneo, legem eſſe in Religione Ciſtertienſi, cujus Legiſlatores à prudentiâ laudamus: eamque præcipere, ut negata à Priore, & conceſſa ab Abbate licentia ſit nulla, niſi ſubditus Abbati expreſsè dicat, illam fuiſſe à Priore negatam. Ergo Vrbanitas & ſuavitas regiminis poſtulat, ne Epiſcopus licentiam à Vicario negatam concedat: &, ut declaret invalidam & ſubreptitiam eſſe, quæ à ſe impetretur, ſi illa circunſtantia (videlicet, fuiſſe à Vicario negatam) ſubticeatur. Interim ſi à Vicario negatam Epiſcopus, aut negatam ab Epiſcopo Pontifex velit concedere, validè profectò concedet.

An, & quãdo licentia negata à Priore, & conceſſa ab Abbate ſit valida? An idē dicendum ſit de negatâ à Vicario & conceſſâ ab Epiſcopo?

MMMDCCCLXII.

An Epiſcopus diſpenſare poſſit ſine causâ in defectu natalium?

Et veniendo ad tertium Caſum, propter quem hæc dicuntur, aſſero Diſpenſationem illam, quæ petebatur, prudentiſſimè Vicarium Ferdinando negaſſe: quia communis ſententia docet, non poſſe cum illegitimis diſpenſare Epiſcopum ſine causâ, ut ad ſacros Ordines promoveantur, etiam, ſi ſit occulta irregularitas, quia hæc non oritur ex illorum delicto, ſed ex defectu. Ita Suares *in* 3. *part. tom.*5. *diſp.*50. *ſect.*5. *num.*5. [Conſultò dixi *ſine causa*, nam cum causâ (ut *in ſumm.verb. Epiſcopus, num.*27. inquit Cotonius (eorum ſuffragantibus meritis, diſpenſare poteſt cum quibusvis illegitimis ad Sacros Ordines, & beneficia ſimplicia, etiam Canonicatus Eccleſiarum Collegiatarum, & in dimidiis portionibus, ſeu Eccleſiæ Cathedralis inferioribus beneficiis. Imò hanc Diſpenſationem impertiri poteſt Capitulum Sede vacante. Ita Barboſa *allegat.*45.*num.*19. & Diana *part.*4. *tract.*2.*reſol.*64. §. *Notandum.*] Ferdinando ergo Vicarius prudenter negauit diſpenſationem in defectu natalium, vel quia illam non poſſe concedi ab Epiſcopo, vel quia non ſubeſſe cauſam ſufficientem putavit. At Epiſcopus, ſi urbanus ſit, non concedet Diſpenſationem à Vicario negatam. Interim, ſi à Ferdinando poſtulatam conceſſerit, validè concedet: vix enim poterit non reperiri cauſa, quæ hanc poſtulet Diſpenſationem: &, ſi fortè nulla cauſa ſuccurrat, poterit adhuc Epiſcopus Avilæ adhærere ſententiæ, qui *de cenſur.p.*7. *diſ.*3. *dub.*7. aſſerit, Epiſcopum, etiam ſine causâ, poſſe in hac irregularitate diſpenſare: nam, ut doctè adnimadvertit, etiam hæc irregularitas provenit ex delicto, nam per illam punitur peccatum parentum. Quam doctrinam probabilem vocat Præpoſitus *in* 3. *part. quæſt.* 5. *dub.* 16. *num.* 131. Diana *part.* 2. *tract.* 5. *reſol.*21. & *part.*4. *tract.*2.*reſol.*64. & *part.*7. *tract.*2. *reſol.*24. Avilæ ſententiam confirmant ea quæ à Theologis de peccato Originali dicuntur: inobedientia enim, quæ in Adamo actualis culpa fuit, in poſteris eſt Originalis: Vnde oritur dari culpam originalem Politicam, & eam à Republicâ puniri pœnâ damni, quam ipſam non

Et quidem cum causâ poſſit facere?

Nō erit difficile Epiſcopo reperire cauſā quando vult illegitimo, aliàs probo & docto, cōcedere diſpenſatiōnē.

An irregularitas, quæ illegitimos afficit, à delicto proveniat?

De peccato Originali. An ſicut datur Theologicum: detur etiam Civile, & Eccleſiaſticum?

Digitized by Google

non ignorant Canones, eos enim *infames* dicunt, quos leges ſœculi infames appellant, & Regulâ penult. indicunt, *Infamibus porta non pateant dignitatum.* Ita Layman *lib.*1. *tract.*5.*p.*5. *cap.*5.*num.*2. Reginaldus *lib.*30. *tract.*3. *cap.* 11. *num.* 161. & alij. Ergo parentum libido, in illegitimis eſt peccatum originale Canonicum, quod pœnâ damni condemnatur, cùm inuritur irregularitatis cenſurâ. Sed hoc breviter inſinuaſſe ſufficiat, quod uberiùs alibi dilucidatur.

FVNDAMENT. LXXI.

De Rebus Sacramentalibus.

MMMDCCCLXIII. *Sacramenta ſunt inſtituta à Chriſto, & Sacramentalia ab Eccleſiâ. Quæ ſint* Προμυσήεια, *ſeu* Anteſacramenta? *Quid ſint Sacramentalia, & quæ? Quomodo à Sacramentis Novæ Legis, & quo à Promyſteriis Antiquæ Legis diſtinguantur?*

PRÆTER Sacramenta novæ Legis dantur etiam Sacramentalia, quæ ſunt quædam Sacramentorum umbræ, & imagines, non quidem inanes, & vacuæ, ſed gratiæ ſupernaturalis collativæ, inſtitutæ ab Eccleſiâ Catholicâ. Differunt à Veteris Legis Myſteriis; nam hæc erant ſymbola, quæ repræſentabant futura Chriſtianæ Eccleſiæ Sacramenta: Sacramentalia verò non ſignificant Sacramenta, ſed ad Sacramentorum ſimilitudinem fuerunt inſtituta ab Eccleſiâ. Illa Græcè Προμυσήεια, Latinè *Anteſacramenta* dici poſſent, & in ſuum cenſum Ioannis Baptiſmum, oblationem Melchiſedeci, omnia præſcripta à Moyſe Sacrificia, Vnctionem recenſitam à Marco, & his ſimilia. Hæc autem (videlicet Sacramentalia) multa ſunt quidem, & inter ea præcipua, Abſolutio ſolennis, Benedictio Epiſcopalis: Aqua benedicta: Panis Benedictus: Sal benedictum, &c.

MMMDCCCLXIV. *Proponitur Dubium.*

VT ea, quæ perſtringuntur breviter his paucis lineis, uberiùs, & clariùs expendamus, volo ſubijcere Epiſtolam, quam ante annos paucos ſcripſi, & interrogatus, *An prima Tonſura eſſet Sacramentum, & ordo? An poſſet claudo, aliàs probo, & docto. conferri? An eſſet tantummodò aliquid ſacramentale? Et quomodo ſacramenta, & ſacramentalia differrent?* Scripſi igitur ſic.

Quæſtio duplex confunditur in Reſolutione ad Authorem transmiſſâ.

DOminationis tuæ litteras, & Eximiorum etiam Dominorum iudicia Francofurto diſceſſurus recepi, & conſtans meæ reſolutioni dico, aliud eſſe inquirere, *Poſſit-ne Epiſcopus Titio claudo primam conferre Tonſuram?* aliud & omninò diverſum. *Poſſit-ne illam eidem negare?* Rationes enim, quas obijciunt, huic ultimo dubio reſpondent, nullæ primo. Fateor eſſe probabile, quod non poſſit Epiſcopus claudum primâ tonſurâ, aut minoribus ordinibus condecorare; fateor inquam, quia Viri magni id dicunt, tametſi mallem audire rationes, quàm authoritates. Sed hoc ipſum potiùs videtur ſupponi? quàm inquiri: ſolummodò enim petitur, *An ſit probabile, quod poſſit?* Reſpondi, & ut puto, benignè, & ſolidè; ſed quia Epiſtolæ, aut conſilij brevitas longos excurſus non patitur, breviùs quàm deſideras, & cauſa ipſa poſtulare videtur. Reſumo igitur calamum, ut eandem materiam retractem, rem altiùs deducendo, ut non ſolùm mea opinio (illam iam nuper expreſſi) ſed & fundamenta proponantur.

Aliud eſt quærere, An Epiſcopus poſſit? aliud verò. An debeat?

Concluſio I. *Dantur Sacramenta, & Sacramentalia.* Sacramentum eſt inſenſibilis gratiæ ſenſibile ſignum à Chriſto Domino inſtitutum. Sacramentale eſt inſenſibilis gratiæ ſenſibile ſignum inſtitutum ab Eccleſiâ Romanâ. illa habent ex opere operato, hoc eſt, ex meritis Chriſti virtutem: hæc ex opere operantis, ex operibus operatis Sanctorum quæ reperiuntur in Eccleſiæ Theſauro, & ex opere operato Chriſti, non quidem divinitùs promiſſam; ſed humanitùs ab Eccleſia imploratam. *Prima* igitur differentia, quæ inter Sacramenta, & Sacramentalia reperitur, eſt evidentiſſima, & in Inſtitutore conſiſtit; illa enim inſtituuntur à Chriſto, hæc ab eius Eccleſiâ. *Secunda* in effectu, quoniam Sacramenta per ſe, aut per accidens conferre ſolent primam gratiam, quæ nunquam à Sacramentalibus confertur hæc enim primam augent, roborant; non tamen mortalia peccata, ſed venialia à cordibus humanis diluunt. *Tertia*, in Iure; quia per Sacramenta adquiritur jus ad rem ipſam, per Sacramentalia aliquam circunſtantiam præviam, aut comitem, ut videre eſt in Matrimonij Sacramento, cui Sacramentalia correſpondent, quæ Sponſalia vocantur, & ex communi Theologorum ſententiâ illud confert jus in conjugis corpus, at iſta ſolùm in oſcula, tactuſque in quibus nullum reluceat pollutionis periculum, [Averſa *quæſt.* 8. *de Sponſal. ſect.* 5. *pag.* 190. *b.* Quia etiamnum inter ſponſos poſt abſolutam promiſſionem licent tactus & oſcula,] & tamen tales tactus, & oſcula ante Sponſalia mala ſunt. *Quarta*, in certitudine ipſâ: quoniam de fide eſt, gratiam

Quid ſit Sacramentum? & quid Sacramentale?

Vtriuſque differentia? Habent diverſã cauſam:

Diverſos effectus:

Et conferũt diverſa iura.

An Sponſalia ſint aliquid Sacramentale? Negat Ægidius Coninck, ſed videntur poſſe numerari inter alia.

Digitized by Google

An per iſta ſponſi ius in oſcula & tactus adquirant?

Certitudo, quam habemus de Sacramentis tanta eſt, ut non poſſit comparari cum certitudine de Sacramentalibus.

tiam à Sacramentis conferri; & eiſdem concedi poteſtatem illam determinatam, ad quam ipſa ordinantur; conferri autem à ſacramentalibus gratiam, & poteſtates ſecundarias, prudentiſſimè creditur, tametſi de fide non ſit. Videtur enim oportere Eccleſiam tanti fieri à ſponſo ſuo Chriſto, ut in minoris momenti rebus (tales culpæ veniales, & circunſtantiæ leves, quæ occurrunt) valeat diſpenſare, eo, aut ſimili modo quo in gravibus ipſemet Chriſtus. *Quinta*, in modo operandi, nam Sacramenta eſſe gratiæ cauſas phyſicas probabiliter à Thomiſtis aſſeritur; at Sacramentalia moraliter influere dicuntur, nec habere phyſicam aliquam cauſalitatem: potuit enim Chriſtus aquæ baptiſmali virtutem realem, & phyſicam, quâ elevetur, ut phyſicè producat gratiam, & primariò originalem culpam proſcribat, & ſecundariò, vel concomitanter univerſas actuales; ſi iſtæ etiam inficiant hominem, qui baptizatur: potuit inquam, & forſan fecit: At Eccleſia Aquæ ſuæ luſtrali nullam virtutem phyſicam communicare poteſt; ſed ſuâ oratione moraliter eam elevat, ut eius interventu Deus, qui ſponſam ſuam amore infinito proſequitur, dignetur conferre fortitudinem gratiæ iam per Sacramenta collatæ: & aliqua venialia condonare, prout hominis devotio exigit, aut placet ſuæ miſericordiæ. *Alia* etiam poſſent adiungi differentiæ, quas libenter omitto, exiſtimans præmiſſas ſufficere, ut bene intelligatur diſcrimen, quod intereſt Sacramentis, & Sacramentalibus. Et quidem, ut manifeſtiùs id ipſum pateat, nonnihil adhuc de Sacramentis ſingulis, & Sacramentalibus ad ea pertinentibus, non verò prolixè ſubijciam.

An Sacramenta, & Sacramentalia ſint cauſa phyſica?

N. B. A ſolo Deo dantur potentiæ phyſicæ, nam poteſtas ab hominibus data eſt tantùm moralis aut virtualis. Sic Rex quando Proregem creat, poteſtatem iudicandi, & gubernandi illi cōcedit: at hæc nihil phyſicum eſt.

M M M-DCCC-LXV. Concluſio II. *Baptiſmus inſtitutus à Chriſto eſt in flumine, flamine & ſanguine: ordinatur primariò ad delendum originale peccatum, ſecundariò ad delenda actualia, ſi concurrant, & roborandum naturam ægram hominis lapſi.* Conſultò *roborandam* dixi, non *ſanandam*, quia Adamus lapſu maculatus, & vulneratus eſt; & baptiſmo totaliter abluitur, non verò totaliter ſanatur. Concupiſcentia (vulnus grave) ad agonem relinquitur, ut maius meritum apud Deum velitando obtineamus. Sic enim à Concilio Tridentino docemur.

Baptiſmus triplex.

Homo per Baptiſmum totaliter abluitur, nō autem totaliter ſanatur.

Baptiſmi imago.

Ad baptiſmi ſimilitudinem inſtituit Sacramentalia Eccleſia, in flamine, in flumine, in ſanguine. Infans enim baptizatus domi, cùm per ſalutem, aut alias circunſtantias licet, defertur ad Eccleſiam, & magno ceremoniarum, & exorciſmorum apparatu inſufflationis virtutem recipit: & quidem inſufflatio ipſa non eſt Sacramentum; ſed Sacramentalis Baptiſmi ipſius ſimilitudo, mediâ qua à Deo implorat Eccleſia gratiam, qua baptizatus ille Concupiſcentiæ vulnus poſt originalis peccati ablutionem adhuc inficiens animam, minùs ſentiat. Aqua etiam luſtralis nihil eſt aliud, quàm baptiſmalis aquæ ſimilitudo, & non ſolùm venialia peccata, ſed & venialiter peccandi neceſſitatem originalis culpæ ſobolem minuit. Et quia Regularis profeſſio mors quædam moralis eſt, *baptiſmus alter* dici debet, & ſolet, non quòd ipſa ſit Sacramentum inſtitutum à Chriſto: ſed quod ſit baptiſmus Eccleſiaſticus, in ſanguine morali iſtitutus, ex vi cuius homo moritur mundo, & voluntarium, longumque martyrium incipit tolerare.

Inſufflatio.

Aqua benedicta.

Solennis profeſſio.

Profeſſio alter baptiſmus.

Hinc eſt, quod ſicut mortalia Sacramento baptiſmi, ſic etiam ſolenni profeſſione deleri venialia putemus, & pœnas debitas remitti: profeſſio enim ſolennis inſtitutione Eccleſiæ res quædam Sacramentalis eſt.

De voto ſolenni multa Authores, de Aqua-benedictâ parcius: & ideò, ut meam mentem dilucidem & roborem, proponam Didaci Nugni verba, qui *tom. 2. in 3. part. quæſt. 87. art. 3. difficul. 2.* ſic inquit. [Sicut Sacramenta novæ legis elevantur à Deo ad cauſandam gratiam phyſicè, & realiter per verum contactum phyſicum realem ad modum rerum naturalium; quia ſcilicet materia ſenſibilis verè tangit animam tactu reali, non quidem tactu quantitativo, propter quod appellatur *contactus virtualis*, eſt nihilominus contactus realis, & entitativus, ſicut Angelus verè, & realiter tangit cœlum quando illud movet. Ita ſimiliter aqua-benedicta elevatur à Deo, ut verè & realiter tangat animam tactu illo, qui appellatur virtualis, propterea quòd non eſt quantitativus, & nihilominùs ille contactus, & realis, & entitativus, quo medio movet ipſam animam, remittendo, & realiter corrumpendo veniale peccatum. Et ſicut in adultis ſemper requiritur actus aliquis, ut Sacramenta cauſent gratiam, quanta eſt illa, quæ cauſatur de facto in Sacramento, Et ſic verum eſt, quod Sacramenta cauſant gratiam ex opere operato. Similiter licet ad hoc quod aqua benedicta remittat peccata venialia, ſemper requiratur aliquis actus; tamen vel actus non eſt ſufficiens ad peccata venialia remittenda, vel ſaltem non eſt ſufficiens ad omnia illa, quæ de facto remittuntur per aquam benedictam. Et ſic verificatur propriè, & rigoroſè, quod ipſa benedicta ex opere operato remittit peccata venialia, ad quod tamen non eſt neceſſarium, quod maneat in illá aliqua qualitas permanens, ſed ſufficit ipſa elevatio divina, quæ eſt motus tranſiens.]

An Sacramenta ſint cauſa phyſicæ?

Contactus virtualis.

Quomodo Angeli moveant cœlos?

Quomodo aqua benedicta operetur in animam?

Quomodo elevetur aqua benedicta ad producendam gratiā?

Hucuſque Nugnus. Et P. Philippus à Sanctiſſima Trinitate Carmelita Excalceatus *in 3. part. tractatu de Sacram. in genere, diſp. 10. dub. 5.* ait: [Reſpondeo dicendum, quod eſt certiſſimum, Sacramentalia cauſare aliquem effectum ſpiritualem ex opere operantis. Ex opere operato autem, non cauſant immediatè gratiam gratum facientem, nec phyſicè nec moraliter. Auxilia divinæ gratiæ cauſant ex opere operato, moraliter tantùm: ſicut, & effectus corporales aſſignatos. Remiſſionem etiam peccati venialis, & pœnæ ipſi debitæ cauſant ex opere operato, ſolùm moraliter: ſicut & expulſionem Dœmonum. Hæc Concluſio eſt communis inter Thomiſtas: quamvis aliqui velint, quod Sacramentalia cauſent etiam phyſicè remiſſionem peccati venialis, & expulſionem Dæmonum.] Sic ille.

An, quomodo, & quid cauſent Sacramētalia?

An ſint cauſa morales? An ſint, qui eis tribuant virtutem phyſicam?

Concluſio III. *Confirmatio, Sacramentum eſt novæ legis, conferens gratiam, quà quis in fide roboretur.* Ad huius Sacramenti phyſicè firmantis animum ſimilitudinem inſtituit morales

Cōfirmatio. Quæ ſint eius imagines?

Digitized by Google

rales aliquas confirmationes Eccleſia, quæ res Sacramentales ſunt, & moraliter etiam concurrunt. Huius generis ſunt, conciones, meditationes, orationes, quæ ſi Eccleſiæ authoritate fiant, præter operis opera[n]tis virtutem, quam retinent, elevantur opere operato ob Eccleſiæ interceſſionem, & Sacramentales dici debent, & primariò firmare animam in Religione catholicâ, & ſecundariò delere aliqua peccata venialia, & mentem longius amovere à periculo eadem committendi.

Concio, Meditatio, Oratio.

MMM-DCCC-LXVI. Pœnitentia. Eius imagines. Abſolutio dominicalis. Quâ fiat ſolemnitate

Concluſio IV. *Pœnitentia eſt ſecunda poſt naufragium tabula; videlicet, Sacramentum inſtitutum à Chriſto ad obtinendam abſolutionem peccatorum actualium.* Sed & Eccleſia habet ſua Sacramentalia correſpondentia huic Sacramento. Primò enim abſolutio Parochi, quæ diebus Dominicis conceditur populo, Sacramentalis eſt, ut conſtat ex communi formulâ, quam vidi in pluribus Eccleſiis ſervari. Nam apud Hiſpanos Paſtor poſt Evangelium die Dominicâ Sanctorum feſta, quæ in hebdomadam incidunt, exponit, ſubiungitque: *Qui mortali aliquo peccato irretitur, ſuo tempore confitebitur; omnes verò ob peccata venialia dicent mecum; Confiteor Deo, &c* Additque *indulgentiam, & abſolutionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens & miſericors Dominus, &c.* Secundò abſolutiones illæ ſolemnes, quæ Hiſpanorũ more diebus aliquibus feſtivis in Eccleſia cantantur, Sacramentales etiam ſunt. Tertiò etiam benedictio Epiſcopalis, & præcipuè Summi Pontificis. Quartò abſolutio à cenſuris, & aliqua quæcumque, quæ animum authoritate Eccleſiæ reſpiciat; nec tamen Sacramentum ſit. Huc refer Indulgentias etiam defunctis applicatas, quas tàm certas putamus, ut probabilioritate contenti non ſimus. Et huc denique qui velit, referat ſolemnem illam Abſolutionem, quam in nonnullis feſtis Prælati in Ordine B Mariæ de Mercede concedunt. De cujus origine, quia varia dicunt Viri docti, volui haberet Lector ſententiam, quam digniorem & probabiliorem judicavi. Vide, quæ num. 3448 ponuntur.

Benedictio Epiſcopalis. Abſolutio à cenſuris. Abſolutio ſolemnis. Indulgentia. Solemnis abſolutio, quæ in Ordine S. Mariæ de Mercede cõceditur.

Concl V. *Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum à Chriſto eſt ad nutrimentum, animæ, & unionem phyſicam Chriſtiani, & Chriſti.* Græcæ Eccleſiæ ritu ſacerdos integrum panem offert, & benedicit, partem conſecrat, & in conſecrato repetitur ratio veri Sacramenti, in reliquo rei Sacramentalis Sed & apud Romanos die Iovis ſancto memoria Cœnæ in multis Eccleſiis celebratur; & hæc cæremonialis communio, ſacramentalis res; non tamen ſacramentum eſt. Datur etiam panis authoritate publicâ Eccleſiæ benedictus, qui inter res ſacramentales poterit numerari; illo enim non ſolum corpus; ſed & anima moraliter paſcitur, & Deo moraliter unitur, & ab aliquibus venialibus culpis, tametſi ſecundariò, liberatur.

Euchariſtia. Græcorum ritus. Panis benedictus.

MMM-DCCC-LXVII. Extrema-Unctio. Eius vis.

Concl. VI. *Extrema-Unctio eſt Sacramentum inſtitutum à Chriſto, ut levetur infirmus, & ſi in peccatis fuerit, remittantur ei.* Hoc Sacramentum confert gratiam, quæ primariò fortificat animum phyſicè, & ſecundariò excludit peccatum mortale, ſi id reperiatur (puta ſi bene diſpoſitus, hoc eſt attritus fuerit, & ta-

men, vel non habuerit, vel habuerit invalidè priora Sacramenta) & ad huius Sacramenti ſimilitudinem inſtituit Eccleſia unctiones, quæ nec Sacramenta ſunt, nec ad Sacramenti integritatem ſpectant; & tamen ex Eccleſiæ intentione ſunt res Sacramentales, quæ moraliter inferunt gratiam, & moraliter animum roborant, & peccata venialia diminuunt. Tales unctiones ſunt omnes illæ, quæ non ſunt ad integritatem Sacramenti neceſſariæ; nam communiter dantur ſeptem, vel octo (pectus etiam ſolet inungi) & tamen præter quinque reliquas non eſſe de eſſentia Sacramenti, certum omninò eſt.

Unctiones Eccleſiaſticæ. Unctionum numerus.

Concluſio VII. *Matrimonium eſt Sacramentum, quod inter alios effectus habet hunc, quòd det coniugi ius* (nempe matrimoniale non aliud) *in corpus coniugis.* Ad iſtius Sacramenti ſimilitudinem ſponſalia, tanquam diſpoſitio, ab Eccleſia ſunt inſtituta; & hæc ipſa non conferunt jus matrimoniale coniugibus; non enim poſſunt ſponſi commiſceri; ſed conferunt illud in omnia, quæ diſponunt ad copulam, modò non ſit pollutionis periculum, ut apud doctiſſimos authores legimus.

Matrimonium. Sponſalia.

His poſitis.

MMM-DCCC-LXVIII.

AD Ordinis Sacramentum adveniens, quæ ſint Sacramentalia ab Eccleſiâ hoc genere inſtituta diſquiram. Et ut ad particularia expeditiùs deſcendam, juvabor verbis Trid. Conc. quod *ſeſſ 23. can. 6.* ſic in genere de Ordinibus Sacris definit. *Si quis dixerit, in Eccleſiâ Catholicâ non eſſe Hierarchiam Divinâ ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* ſed qui, & quot ſunt hi Catholicæ Eccleſiæ miniſtri? Ediſſeret.

Ordo. Quot olim fuerint Ordines in Eccleſiâ?

Concl. VIII. *In primitivâ Eccleſiâ fuerunt novem ordines; nimirum Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorum, & Oſtiariorum, quibus adiunge, Cantorum, & Sepulturariorum.*

Ordines Angelorum ſunt novem.

Videtur hæc Inſtitutio Cœlum ipſum reſpicere, & res ita diſponere, ut ſicut in Eccleſiâ triumphante novem Angelorum ordines reperiuntur, ſic etiam in militante humani Angeli ad Corporis Chriſti conſecrationem ordinati, in novem Choros diſtincti miniſtrarent. Videtur imminutus Minorum Ordinum numerus, aut etiam olim fuiſſe, nam in Concilio Tridentino aliqui non leguntur. ſeſſ. 23. cap. 2 ſic inquit. *Ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina atque unius cuiuſque eorum propria miniſteria: Subdiaconi ſcilicet, Acolyti, exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarij in uſu fuiſſe cognoſcuntur.* Et cap. 17. de Reform. *Sacrorum Ordinum à Diaconatu ad Oſtiariatum functiones ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſiâ laudabiliter receptæ.* Et in his, ut vides, locis, Cantorum, Pſalmiſtarum, & Sepulturariorum non meminit.

MMM-DCCC-LXIX. Sacerdotium eſt Sacramentum.

Concluſio IX. *Sacerdotij collatio eſt verum Sacramentum in omnium opinione.* Dicunt aliqui (an probabiliter, alij diſcutiant, & examinent) in hoc Sacramento conſecrandi corpus, & ſanguinem Chriſti poteſtatem abſolutè, & primariò concedi, ſecundariò, & conditionaliter poteſtatem abſolvendi à peccatis,

Digitized by Google

Epiſcopatus includit Sacerdotiū, ut Homo animalitatem. & ideò non minùs repugnat eſſe Epiſcopū, qui non eſt Sacerdos, quàm eſſe hominē, qui non eſt animal.

catis, conſecrandi Sacerdotes, conferendi Epiſcopatus, decidendi infallibiliter quæſtiones fidei, nempe abſolnendi à peccatis, ſi legitimè approbetur, & oves validè recipiat; conſecrandi Sacerdotes, ſi fiat Epiſcopus; conferendi Epiſcopatus, & decidendi veritates fidei, ſi fiat Pontifex Maximus. Vnde conſtaret Epiſcopi conſecrationem ultimatè ſumptam, hoc eſt præciſam à ſacerdotio, non eſſe Sacramentum formaliter; ſed completivè. Si obiicias Tridentinum, in cujus Seſſion. XXIII. cap. VIII. legis: *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, aut vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem, &c. anathema ſit.* Non tanguntur; poteſtas enim abſoluta, quæ competit Epiſcopis, non eſt communis omnibus ſacerdotibus: his enim conſecrationis ſuæ virtute poteſtas, non niſi conditionate conceditur, nimirum habenda, ſi fiant Epiſcopi.

An Epiſcopi differant ab aliis ſacerdotibus?

MMMDCCCLXX. *An Epiſcopatus ſit ſacramentū.* Scio eſſe Viros Eximios, qui conſecrationem Epiſcopi eſſe Sacramentum contendunt: eſſe, qui negent; & re bene examinatâ non videtur eſſe quæſtio de re, ſed modo loquendi, nam Petrus Soto, *lect.4. de ſacram. ordinis* negantes putat eſſe hæreticos: Michaël de Medina, *lib. 1. de ſacr. hominum contin. cap.15.* eoſdem aſſerit periculosè diſcurrere: & gravi dignos notâ Vaſquezius *in 3. part. diſp. 240. cap. 4.* modeſtiùs autem omnibus Ægidius Coninck *de ſacr. diſp. 10. dub. 6. num.43.* docet ſententiam, quæ tenet Epiſcopi conſecrationem eſſe verum Sacramentum, eſſe iam fere communem. Quorum rigor videtur remitti à dicentibus, ut iam ante vidimus, nos debere in hac materiâ philoſophari aſſerendo Epiſcopum eſſe talem Sacerdotem, adeoque conſecrationem eius poſſe bifariam intelligi, adæquatè videlicèt, & inadæquatè: adæquatè ſumptam eſſe verum Sacramentum, quia eſt talis Sacerdotis conſecratio: inadæquatè ſumptam; nempe qua talem, eſſe Sacramentum completivè, ſeu complementum prioris Sacramenti; non verò Sacramentum totale à priore diſtinctum. At ego, quia in re tantâ non volo à communi opinione diſcedere, teneo Subdiaconatûs Diaconatûs, Sacerdotij, & Epiſcopatûs conſecrationes eſſe vera Sacramenta: quì autem inter ſe diſtinguantur, aut conveniant, non videtur ad noſtram controverſiam conducere; quæ non concernit diſtinctionem Sacramentorum inter ſe, ſed Sacramentorum, & Sacramentalium.

Anton. Diana *part.12.*) quæ tractatum de conſecratione Epiſcopi tū exhibet) *reſolut. 6.* iam certam eſſe judicat hanc ſententiam, ut in titulo ſcribat. *Epiſcopatū eſſe Sacramentū demonſtratur.*

Et an ſit à ſacerdotio diſtinctum?

MMMDCCCLXXI. *Diaconatus, & Subdiaconatus.* Concluſio X. *Certior ſententia eſt, qua Diaconatum eſſe Sacramentum affirmat, illa qua Subdiaconatum.* Oſtenditur, quia plures Diaconatui rationem Sacramenti, & non ita plures Subdiaconatui ipſi concedunt; nam Diaconatum eſſe Sacramentum ſoli negant Durandus, & Cajetanus Viri magni, qui ſimul cur non debeant facere opinionem probabilem, non video, legatur ille *in 4. diſt.24.q.2. art.1.* iſte *tom.1. opuſc.11.11.* quorum rationes, qui evidenter diluat, erit magnus Apollo. Notet tamen Lector, me, cùm dico non videre cur non ſit probabilis, non dicere, me videre, cur ſit probabilis: nam inter hæc duo magnam differentiam reperio. At Subdiaconatum eſſe Sacramentum, præter Durandum, & Cajetanum iam citatos negat Magiſter *in 4. diſt.24. §. ſeptimus in fine.* Cui adiungi debet Gratianus, *in decreti diſt.21. in fine, primi §.* Martinus de Ayata *lib. de traditionibus Apoſtolic. part.2. cap. de ord. §. ſynodus, d. ſilu.* Et probabiliter Ægid Coninch, qui *diſp.20. de Sacr. dub.6.n.4.* Contrariam ſententiam judicat probabiliorem. [Addo obiter, Diaconiſſarum inſtitutionem illi opinioni, quæ negat Diaconatum eſſe Sacramentum, favere; fateor tamen id ipſum poſſe ab aliis ſufficienter diſſolvi, nam ſi Diaconiſſæ diaconatum non eſſe Sacramentum probarent, etiam Presbyteræ Sacerdotium Sacramentum non eſſe: vel detur diſparitatis ratio. Vnde hoc argumentum, quia nimium probat, nihil probat. Videatur idem Coninck *ubi ſupr. dub.5. num.96.* Favet etiam eidem ſententiæ multorum Abbatum Ordinis Ciſtertienſis Privilegium, ex vi cuius ordinem Diaconatûs, & Subdiaconatûs conferunt, cùm tamen Sacramentum Ordinis conferri debeat ab Epiſcopo: hoc autem ſuam ſolutionem habet. Et hodie ceſſat quæſtio ſunt enim clara verba Trid Concil. quod *ſeſſ.23.c.1* ſic inquit. *De Diaconis Sacræ Literæ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum Ordinatione attendenda ſunt, graviſſimis verbis docent.* An ita apertam de Hypodiaconis? Vrbanus relatus *diſt.60. c.4* cùm dicit primitivam Eccleſiam habuiſſe tantùm Sacerdotium, & Diaconatum, videretur Subdiaconatum excludere Sed & ipſi noſter Fulienſis Petrus à S Ioſeph *cap.35. reſ.5.* reſpondet.

An Sacramenta ſint?

Nota bene. *Aliud eſt dicere,* Hæc ſententia nō videtur improbabilis, *& aliud.* Hæc ſententia videtur probabilis.

Diaconiſſa, & Presbyteræ.

Quandò fuerint?

Abbates Ordines maiores conferunt.

An in primitivâ Eccleſiâ fuerint Subdiaconi.

MMMDCCCLXXII. *Quid Diaconatus & Subdiaconatus eſſent, ſi non eſſent Sacramenta?* Si ſupponeretur ſolum Sacerdotium eſſe Sacramentum, Diaconatus res ſacramentalis eſſet ad Sacerdotiū diſponens, quæ cùm immediatè diſponeret, magna res, & gravis cenſenda: ſed iam gravior: dicitur enim eſſe Sacramentum, ut tenet ſententia communis. Subdiaconatus ſi non ſit Sacramentum, vel eſt ad diſpoſitionem diſpoſitio, vel ſaltem diſpoſitio ad Sacramentum, poteſt dici res gravis, quia probabiliter eſt Sacramentum, & ad Sacramentum diſponens. Si dicas Ordinem eſſe Sacramentum, quod conſiſtit in Diaconatu initiativè, in Sacerdotio formaliter, in Epiſcopatu completivè; nec dabis octo Sacramenta, nec evidenter à veritate diſcedes.

Subdiaconatus. Concluſio XI. *Multi aſſerunt eſſe probabile, Subdiaconatum non eſſe Sacramentum.* Supponendo igitur, illum Sacramentum non eſſe, quid erit? Res Sacramentalis, magni quidem momenti, & ideò meritò inter maiores ordines numerata. Et quid nos dicimus? *Conſtamus opinioni communi, & eſſe verum Sacramentum tenemus.* Sententiam hanc tam certam judicant Viri doctiſſimi, ut Vaſq. *diſp.137.n.14.* eam eſſe dicat tam communem, ut fortè ſine aliquâ notâ à nemine hoc tempore negari poſſit: & Didac Nugn *in Add. ad 3. part. q.37. art.2. concl.2.* eſſe tam certam aſſerat, ut oppoſita improbabilis, & fortè temeraria ſit. Et Averſa *tr. de Ordin. q.1 ſect.3. pag.7.b.* ait [ſic atteſtatur Conc. Trid. ſeſſ 23.c.2. *ſubdiaconatus ad Maiores Ordines à Patribus, & Sacris Conciliis refertur.*]

An Sacramentum.

An oppoſitū hodie probabiliter defendi poſſit?

Concl. XII. *Probabile eſt Minores Ord. non eſſe Sacr.* Hæc modalis admittitur ab univerſis.

Et

Et quidem illos non eſſe Sacramenta aſſerit Michaël de Medina *lib. 1. de Sacr. hom. contin. cap. 46.* Navarrus *in ſumm. cap. 22.* Petrus Acurdius *in Concord. Orient. & Occid. Eccl. lib. 6. cap. 9.* Et in eam inclinat Sotus *in 4.* diſt. 24. quæſt. 1. art. 4. concl. 7. & diſt. 25. *quæſt. 1. art. 2. concl. 2.* Eam eſſe probabiliſſimam docet Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 31. num. 27.* & valde probabilem vocat *in Opuſc. cap. de Ordin. dub. 7.* & maiori quàm alij niſi eam fuſe probat Vaſquez *diſp. 237.* ſtando igitur huic ſententiæ, Minores Ordines ſunt res ſacramentales ad Subdiaconatum, qui res eſt etiam probabiliter ſacramentalis, ordinatæ; hoc eſt, minores diſpoſitiones ordinatæ ad maiorem diſpoſitionem ordinatam ad ſacramentum.

Minores Ordines.
An Sacramenta ſint?

Cantoratus, & Sepulturatus.
Pſalmiſtratus.

Concluſio XIII. *Cantoratus, & ſepulturatus videntur fuiſſe olim ordines, iam non ſunt.* Conſtat ex Concilij IV. Carthaginenſis *cap. 10.* in quo mentio fit Cantorum, ſiue Pſalmiſtarum; vnde Turrianus apud Valentiam *diſp. 9. quæſt. 2. pun. 2. ſub finem*, & apud Coninch *diſput. 20. de ſac. diſp. 2. num. 6.* admittit eſſe hodie Pſalmiſtatum Ordinem, cùm deberet aſſerere, illum fuiſſe, iam non eſſe; quia à Tridentino, quod diminutè proceſſiſſe dicendum non eſt, non enumeratur: Res enim Sacramentalis pendet ab Eccleſiæ inſtituto, ſicut à Dei inſtituto Sacramenta veteris legis mutauit Deus: Et nouæ legis Sacramentalia mutare poteſt, & ſolet Eccleſia. De Sepulturatu vide Petrum à S. Ioſeph. *in idea ſacramentalis Theologiæ cap. 35. reſol. 6 §. dices inter.* Et puto rationem ordinis minoris verius in ipſo, quàm in multis ex quatuor poſſe concipi, nam etiam Sepulturatus Euchariſtiam concernit; cùm ſæpe contingat mori hominem antequàm ſpecies ſacramentales digerat, & tunc illud cadauer vas eſt corporis Chriſti, & non debet prophanè tractari. Potuit igitur Eccleſia Ordinem ſepulturatûs inſtituere & quia rationes in contrarium occurrerunt, quæ praxim difficilem redderent, potuit reuocare, aut permittere, quod obſoleſceret, & in diſſuetudinem tranſiret.

Sacramentalia mutari poſſunt.
An corpus Chriſti in cadauere maneat?

Prima tonſura.
An ſit Sacramentum?

Concluſio XIV. *Prima tonſura non ſolum non eſt Sacramentum, ſed neque res Sacramentalis magna, Ordinis Sacramento reſpondens: Eſt tamen aliqua diſpoſitio ad Sacramentum ordinis, non videtur intrinſecè eſſe res Sacramentalis; ſed extrinſecè; eſt enim diſpoſitio ad res Sacramentales.* Non eſſe Sacramentum, imò nec ordinem minorem, docent communiter Theologi, vt videre eſt apud Coninch *de Sacr. diſput. 20 num. 3. & 9.* Altiſiodorenſem *lib. 4. ſum. tract. 8. quæſt. 2.* D. Antoninum *3. part. tit. 14. cap. 16. §. 6.* & hæc eſt ſententia D. Thomæ, Richardi, Durandi, D. Bonauenturæ, Paludani, Soti, Palat. & aliorum Scholaſticorum *in 4. diſt. 28.* Eamque etiam tuentur Petrus Soto, Bartholomæus de Ledeſma, Victoria, Sanchez, Marchinus, & alij differentes de Ordine. Et nuper Raphaël Averſa *de eod. Sacr. quæſt. 1. ſect. 5. pag. 14. a.* eam tradit, & exponit his verbis. [Communis & vera ſententia eſt, hanc clericalem initiationem (hanc Primam Tonſuram) non eſſe Ordinem, non eſſe Sacramentum, eſſeque puram inſtitutionem Eccleſiæ, eſſe diſpoſitionem & præparationem ad Ordines. Patet quia ab antiquis Patribus & Doctoribus non computatur inter Ordines. In Concilio Carthaginenſi IV. vbi ſingulorum Ordinum ritus præſcriptus eſt, non recenſetur. Ac tandem in Concilio Tridentino numerantur ac nominantur ſinguli Ordines, nec tamen inter eos ponitur prima Tonſura: quinimò diſtinctè à ſeparatim commemoratur tanquam prævium quid ad omnes Ordines: dicitur enim cap. 2. *Vt qui iam Clericali tonſurâ inſigniti eſſent, per minores ad maiores Ordines adſcenderent.*]

Concluſio XV. *Res magis ſacra, & maioris momenti eſt aqua benedicta, quam prima tonſura, ſi loquamur formaliter: ſi initiatiuè ſublimior eſt prima tonſura. Atque idcircò* M M M DCCC LXXIII. *maiore reuerentia tractanda.* Oſtenditur clariſſimè, quia aqua benedicta eſt res ſacramentalis, in rebus leuibus vim baptiſmi imitans ex inſtitutione Eccleſiæ; at tonſura non eſt intrinſecè res ſacramentalis, nec ordo, ſed diſpoſitio ad ordines minores, qui ſunt diſpoſitiones ſucceſſiuæ ad Subdiaconatum, & per hunc, & Diaconatum ad Sacerdotium, vnde immediatè nullam gratiam ex opere operato confert; ſed eſt remotiſſima quædam diſpoſitio ad ſacramentum.

Aqua benedicta.
Eſt quid Sacramentale inſtitutum ab Eccleſiâ ad ſimilitudinem Baptiſmi.

De clericorum priuilegiis.
Tonſura ordo virtualis.

Ex fauore Eccleſiæ multa ſunt Priuilegia, habentibus tonſuram conceſſa, quibus videntur piorum animi adlici, vt propiùs Eccleſiam accedant. Vnde quamuis Ordo non eſt, in rebus fauorabilibus Ordo dici poteſt; eſt enim Ordo virtualiter, quia licèt Ordo non ſit, ita ſe habet, ac ſi Ordo veraciter eſſet.

Quid nomẽ Ordo ſignificet?
Ad Ordines maiores promoti, & ſolenniter profeſſi, inualidè matrimonium contrahunt.
An olim omnes Clerici ad ſeruandam Caſtitatem generaliter obligarentur?
Nomen Clerici aliquando Sacerdotem ſignificat. Et hoc in Hiſpaniâ præcipuè.
Tonſura non eſt ordo.

In rebus odioſis quando nomen Ordinis abſolutè ponitur, intelligendum eſt de Maioribus; vnde omnia Iura, quæ ordinatos à matrimonio arcent, intelligenda ſunt arcere ſolùm ad Ordines Maiores promotos. Vel ſi contrarium velis defendere, audi Seſſ. 24. Can. 9. Tridentini: *Si quis dixerit Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares, Caſtitatem ſolenniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica vel voto, &c. Anathema ſit.* Vbi *clericorum, in ſacris ordinibus conſtitutorum* nomine non intelliguntur alij, quam promoti ad maiores. Hoc eodem ſenſu intelligendum eſt Concilium Nicænum I. *can. 3.* vbi prohibetur, ne quis ex iis, qui in Clero ſunt conſtituti, cum mulieribus habitent: nam vt optimè exponit Petrus à S. Ioſeph, *cap. 36. reſol. 5. not. 2.* per illa verba non intelliguntur omnes clerici, ſed ij tantùm, qui in clero ſunt conſtituti, cum obligatione ſeruandi caſtitatem, quales ſunt Sacerdotes, diaconi, & ſubdiaconi. Eodem omninò modo venit exponendus S. Hieronymus contra Vigilantium poſt initium dicens: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut Virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* Vbi *clericorum* nomine Sacerdotes, aut fortè Diaconi, & vix Subdiaconi, & nullo modo ad ordines minores promoti, debent intelligi. Et eſt tam communis in Hiſpaniâ iſta vocis acceptio, vt ſolos Sacerdotes *Clerigos* nominemus. Quando nomen *minorum Ordinum* in odioſis exprimitur,

Abbates qui ex privilegio conferūt Primam tonſuram, vel etiam minores Ordines, ſuis ſubditis & non aliis poſſunt conferre.

non includit tonſuram, quia hæc non eſt ordo ſacer, eamque à minoribus ordinibus Concilium Tridentinum diſtinguit. Seſſionis XXIII. c 5. hæc lego. *Abbatibus, ac etiam aliis quibuſcunque quantumuis exemptis, non liceat impoſterùm cui quam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſurã, vel minores Ordines conferre.* Ecce minores illud ordines à tonſura diſtinguit; quia cùm res eſſet odioſa; ſi illam omiſiſſet, adhuc illam Abbates etiam non ſubditis conferrent. Ergo ſicut hic debuit expreſsè poni

Ordines inferiores.

tonſura, vt ciderctur affecta hoc grauamine, etiam debebit alibi: nec erit nomine minorum ordinum intelligenda, vbi materia odioſa ſit.

In rebus fauorabilibus nomine *ordinum inferiorum* omnes minores ſacerdotio veniunt intelligendi. Conſtat *ex cap. vnico de clerico per ſaltum promoto*, quod explicat Coninch.

An claudi admiſſi poſſint.

diſp. 20. de ſacram. num. 99. his verbis: *Notandum eſt, per ordines inferiores, quos ille ibi dicitur ſuſcepiſſe, non intelligi ſolos minores, ſed omnes inferiores ſacerdotio, &c.*

Concluſio XVI. *Non reperitur in toto Canonico Iure locus, in quo aſſeratur claudos non poſſe ad primam tonſuram promoueri.*

M M M-
D C C C-
L X X I V.

Vel qui contrarium opinetur, oſtendat. Ergo claudi tonſurâ Eccleſiaſticâ donari poſſunt.

Non omnia, quæ in iure de Primâ Tonſurâ, & minoribus Ordinibus ponūtur obligant ſub mortali.

Concluſio XVII. *Poſito non conceſſo, quòd Canon aliquis daretur circa primam tonſuram, videretur potiùs conſultiuus, quàm præceptiuus.* Conſtat; quia cùm eò collineauerit præcedens apparatus, vt clarè oſtendat tonſuram eſſe rem bonam, & tametſi initiatiuè ſit maximi, formaliter eſt res minoris in ſe ſanctitatis, quàm aqua benedicta, adeoque non niſi parui momenti [concluſionem præcedentem relege] cumque ex aliâ parte

An ætas minoribus Ordinibus deſignata, grauiter obliget?

ferre legem ſit res grauiſſimi momenti, & non niſi de rebus grauibus debeat iure poſitiuo diſponi: Conſequens eſt, vt res ex ſe leues conſiliis potiùs, quàm legibus ſoleant gubernari. Et hoc ipſum probatur euidenter à ſimili, quia dantur leges de ſcientia, &

Tonſura non eſt minor ordo.

ætate pro ſingulis ordinibus etiam minoribus, nempe implicitè, aut explicitè latæ; nec tamen reſpectu minorum ordinum grauiter obligant. Ægidius Coninch *diſp. 20. dub. 10. num. 102.* ſic inquit. *Pro minoribus ordinibus nulla certa ætas praſcribitur, ſed ſolùm cap. 4. & 11. pro tonſura, & minoribus ordinibus* (Ecce illam ab iſtis diſtinguit) *requiritur certa ſcientia, quæ communiter ſaltem nouem, aut decem annos ætatis requirit.* Petrus à S. Ioſeph. *cap. 36. idea Sacramentalis reſolution. 4.* ſic inquit. *Ex quâ* (nempe *praxi Eccle-*

An peccaret mortaliter Epiſcopus, qui infanti ante rationis vſum Primâ Tonſurâ, aut Ordines minores conferret?

ſia) *etiam habemus ad primam tonſuram ſufficere ætatem ſeptem annorum, imò ordines minores poſt ſeptennium poſſe conferri, excepto Acolythatu, qui non niſi anno duodecimo adminiſtrari debet.* Vbi tria obſerua: primò, primam tonſuram ſemper à minoribus ordinibus diſtingui: ſecundò, praxin Eccleſiæ in rebus grauibus habere vim legis: tertium, de ſcientia ad minores ordines promouendorum dati expreſſam legem, vt bene Coninch adnotauit. Et audi eundem Fulienſem, qui paulò ante dixerat, *Ad primam tonſuram, & minores Ordines* (ſemper hos ab illâ diſtinguit) *exſpectandum eſſe ex congruentiâ, & honeſtate vſum rationis. Ad maiores verò etiam ex præcepto: ita vt ſi quis Epiſcopus infantem nondum ratione vtentem, Subdiaconatu, ac Presbyteratu initiet, peccet mortaliter contra præceptum Eccleſiæ.* Non igitur, qui infan-

An minores Ordines res graves ſint?

tem minoribus Ordinibus. Ergò praxis Eccleſiæ, quam Petrus à Sancto Ioſeph, & lex de ſufficientia, quam Ægidius Coninch cognoſcit, obligant per modum congruentiæ,

An etiam Sacramenta?

& conſilij. Sunt igitur minores ordines res etiam leues, aliàs grauiter obligarent. Quod locum omninò habet ſupponendo illos non eſſe Sacramenta; quod eſſe probabiliſſimum nemo Theologus negare poteſt.

Sed quidquid ſit de hac concluſione vltima, penultima omninò ſufficit impræſentiarum.

M M M-
D C C C-
L X X V.

Claudos poſſe tonderi, ſi probi ſint.

Concluditur, *Titium, tametſi claudum, poſſe ad tonſuram promoueri*, & cùm eædem rationes pro minoribus ordinibus militent, & hi ipſi non Sacramenta; ſed res quædam Sacramentales, & Cæremoniales probabiliter ſint; fortè non ſunt, ob quas tot verba

Quanti debeant fieri res parvæ

inſumi debeant, & tot Viri docti in diuerſis Academiis conſuli; errat enim, qui grauia parui facit, errat qui parua magni; debent enim magna fieri magni, parua parui, nulla

Quanti Sacramentalia?

nihili; & res Cæremoniales, imò & Sacramentales tanta ſunt in genere boni, quanta peccata venialia in genere mali: his enim directè opponuntur: cumque venialia non ſint grauiter mala, cur illa debeant grauiter bona cenſeri non video. Quam ob rem, cùm Haephtenus in Benedict. illuſtrat. lib. 2. diſquiſ. Monaſt. 1. pag. 289. moneat non eſſe cur nimiæ taxantur diſputationes de peccato veniali, inferam non eſſe cur nimias de Prima Tonſura concinnemus. Si minores Ordines Sacramenta ſint, omnia, quæ obiecta, & dicta locum habeant, grauiter obligatur Epiſcopus, ne claudum promoueat: ſed eſſe probabile, eoſdem ordines Sacramenta non eſſe, euidens eſt. Si non ſunt Sacramenta, res cæremoniales ſunt, aut vt plurimùm Sacramentales, & vt reliquæ Sacramentales tractandæ. Suam ſententiam aliis relinquo; non diſcutio, non approbo, non improbo; meam eſſe probabilem contendo, & poſſe cuicunque Epiſcopo tutò conſuli, & à quolibet poſſe practicari.

Sic ſentio, ſaluo doctiorum iudicio. Dedi Herbipoli die octaua Maij, Anno M. DC. X L V.

APPENDIX

Digitized by Google

APPENDIX

Compleɛtitur obſervationes aliquas circa capita præcedentia.

MMMDCCCLXXVI. *Omnes ſcientiæ Morales, etiam ſpeculativè bene examinatæ, ſpeciali conſideratione & cõſilio indigent, vt in praxi ponãtur.*

MVLTA ſunt intra ſpeculationis terminos dicta, quæ novâ ſpeculatione indigent, ut legitimè reducuntur ad praxim. Hanc Ego ob cauſam has paucas paginas ſubſcripſi, ne quid eſſet, in quo Lector meus hallucinari, aut perturbari poſſet.

SECTIO I.

De præcedentium Principiorum intelligentiâ, & uſu.

De rationis paritate.

EST inter doctos celebris controverſia, quæ inquirit, *An ex vno caſu liceat ad alterum argumentari?* aliis rationis paritatem nimis laxè admittentibus, aliis concludentibus cum Ariſtotele nihil ex particularibus inferri poſſe. At quia ego aſſerui in Logica, ex meris particularibus poſſe aliquando vniverſales conſequentias inferri; aliquando non poſſe: neutris vniverſaliter ſubſcribo, ſed mediâ incedens viâ, iam iſtis, iam illis me attempero, prout rationis poſtulat vis, & argumentationis efficacia. *Ex particularibus Vniverſa et deducuntur interdum.*

Propoſitionum materia quadruplex.

Vt rem intelligas, adnotato dari quatuor propoſitionum materias. Aliæ enim ſunt in neceſſaria, aliæ in remota, aliæ in convertibili, aliæ in contingente. Sanè neceſſaria materia eſt, cum prædicatum eſt de eſſentia ſingulorum inferiorum; vt cùm dicimus *Petrus eſt animal*: animal enim, quia convenit Petro eſſentialiter, convenit etiam omnibus aliis hominibus, vnde admittetur hæc illatio, *Petrus eſt eſſentialiter animal: Ergò omnis homo eſt animal.* *Neceſſaria.* Idem omninò dicam, ſi materia ſit convertibilis; (ſic dicitur cùm prædicatum eſt proprietas in quarto modo, quæ competit omni, ſoli & ſemper vi cujus, ſi *Petrus eſt riſibilis, Etiam omnis homo erit riſibilis.*) *Convertibilis.* Materia remota, neceſſaria etiam eſt, ſed alio modo; quia ſicut *animal* Petro neceſſariò convenit, ſic etiam *Lapis* neceſſariò repugnat: unde ſi *Petrus eſt eſſentialiter non lapis, Nemo erit lapis*: *Remota.* At materia contingens eſt fragilis, & in ipſa nec ab uno particulari ad alterum, nec ab uno ſingulari ad univerſale, ſed ſolùm ex univerſali ad particulare valet argumentatio. *Et contingens.* Hanc ob cauſam non valet, *Petrus eſt albus, Ergo & Paulus eſt albus*, adeóque nec hæc, *Ioannes eſt niger, Ergo omnis homo eſt niger.* ſed ſolùm hæc. *Omnis homo eſt niger, Ergo Ioannes eſt niger.* Hinc patet, alto conſilio in Logica à me poni iſtam Regulam. *Si aliqua præmiſſa fuerit particularis, & materia convertibilis, aut neceſſaria, inferri poterit Concluſio univerſalis; ſecus ſi materia fuerit accidentalis, aut contingens.* & etiam hanc. *Ex puris particularibus in materia convertibili, aut neceſſaria, idem quod ex univerſalibus; in materia autem contingenie nihil ſequitur.* *Regulâ Dialectica.*

MMMDCCCLXXVII. *Moralium propoſitionũ materia etiã quadruplex.*

Hanc doctrinam facili modo poterimus reducere ad mores, & Theologiam practicam. Dico igitur Morales propoſitiones ad quatuor materias omninò diverſas ſpectare; nimirùm, neceſſariam, ſeu indiſpenſabilem; remotam, ſeu inconceſſibilem; propriam, ſeu univerſaliter conſectariam; contingentem, ſeu liberam, & ab arbitrio dependentem. Materia neceſſaria moraliter, quæ humanitùs indiſpenſabilis eſt, eſt præcepta divinitùs; ſive à Deo in Decalogo, ſive à Chriſto in Sacramentorum uſu: *Neceſſaria, ſeu Indiſpenſabilis.* Materia remota moraliter eſt humanitùs inconceſſibilis; nempe aut à Deo in Decalogo, aut à Chriſto in Sacramentis interdicta. *Remota, ſeu Inconceſſibilis.* Et quia res præceptæ, ſicut etiam interdictæ, ſuas habent univerſales proprietates, & ut loquuntur Dialectici, in quarto modo, datur etiam materia convertibilis moralis. *Convertibilis.* Et denique quia præter præcepta Decalogi, quæ ſi affirmativa ſint, neceſſitatem; ſi negativa, impoſſibilitatem important, dantur humanæ leges liberæ, & diſpenſabiles, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe; addenda fuit materia moralis contingens, in qua nulla præcipiendi, aut aſſerendi neceſſitas, aut impoſſibilitas, ſed mera congruentia, & voluntas reperiretur. *Contingens, aut Libera.*

MMMDCCCLXXVIII. *Qualis ſit Regula S. Benedicti?*

Hanc doctrinam altè percallebat meus Bernardus, cùm libro de præcepto, & diſpenſatione, ſic inquit: *Vt ſentio ego, Regula S. Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli. Prodeſt ſi devotè ſuſcipitur, & tenetur; non tamen ſi non ſuſcipitur, obeſt. Quod autem in voluntate eſt ſuſcipientis, non*

malus in illo genere. Seu el malus in negligentia materia, ſemper etiam malus, & negligens reputatur: & tandem in omnibus materiis ſimili modo proceditur. Omnis ergo, qui ſemel inuentus ſit malus, ſemper in illo genere præſumetur malus, ni contrarium oſtendas. Vbi habes fundamentum Regulæ, & ex illo electam legitimam expoſitionem. Ex his patet illam Regulam, quam pleriquc Iuriſtæ docent, nimirùm, *Propoſitio indefinita Iuris æqualis eſt vniuerſali*, debere diſtingui; & admitti in neceſſariis, & in contingentibus negari. *Vbi Portellum verb. Ignorantia n.* 20. Bartholomæum à S. Fauſto *Theſauri lib.* 6. *queſt.* 147. Emanuelem Rodriguez *tom.* 2. *regul. queſt.* 100. 101. *artic.* 2. Laymanum *fol.*888 *n.*20 Filliucium 104 *n.*265.

An indefinita ſit ſemper vniuerſalis?

An in iure à pari, aut à ſimili valeat argumentatio.

An vnus caſus per alium ſimilem reſolvi poſſit?

Hinc intelligendi ſunt, qui *l. illud quæſitum.* 32. *in princ ff. ad leg. Aquil.* vtuntur paritate rationis in caſibus à Iure omiſſis: hinc Iulianus, cuius verba habentur *l. non poſſunt.* 12. *cum l. ſequent. ff. de Legib.* qui ſic ait: *Non poſſunt omnes articuli ſigillatim, aut Legibus, aut Senatuſconſultis comprehendi: ſed cùm in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta (fortè, non eſt) is qui iuriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita ius dicere debet.* Sed quoniam in modo argumentandi à paritate rationis erant multæ remotæ, & difficultates, Regulæ iſtæ debuerunt non priuatâ, ſed publicâ authoritate pronunciari. Interim ſemper manet *paritatis* aut *ſimilitudinis* nomine intelligi ſolam identitatem: & hoc tam verum eſt, vt Iuriſconſulti oculatiores in materiis odioſis ne quidem *à fortiori*, aut *à maiori ad minus* patiantur argumenta deduci.

An regulæ vtiles ſint?

An ſeruus inuitus poſſit manumitti.

Contra ipſas autem inuehitur Iacobus Cujacius in opere illo poſthumo, quod aliquorum cenſurâ alterius eſſe videtur, aſſerens, ex Regula leuia, & pernitioſa argumenta deſumi poſſe, non pauca, & erroribus multis obnoxia, & probat, Quia contra Regulam, *Inuito beneficium non datur*, libertas inuito datur, *l. vlt. C. de teſtam. manumiſſ.* & tamen huius conceſſio maximus fauor eſt, & contra Regulam, *Deterior conditio per ſeruum fieri non poteſt*, quam deſumunt *ex l. melior. ff. de Reg. iuris.* miliat peccatum ipſius ſerui, quem Dominus tradere cogitur *l.* 1. §. *quod igitur. ff. de vi, & vi arm.*

An per ſeruum conditio poſſit reddi deterior?

MMMDCCCLXXXI. Reſpondeo multum nos debere Bonifacio Pontifici, qui glaciem fregit, & illas Regulas edidit, quas noluere petiti habere tanquam infallibiles; aliàs enim corpus Iuris, vt inutile, & ſuperuacaneum ſupprimerent) ſed tanquam Regulas vniuerſales, quæ ſuas paterentur exceptiones; quæque deberent perfici, & contrahi. Non enim voluit Bonifacius, vt Regulæ ſtaretur contra legem expreſſam Iuris, ſed quod illi ſtaretur in illis caſibus, qui in ſpecie non fuerant à Iure deciſi, & hoc ex *l.* 1 *ff. de reg. iur.* Quam ob rem ad maiorem intelligentiam Regularum, etiam ſunt adiungendæ nouæ Regulæ.

Quando Regulis ſtandum, & quando non ſtandum eſt.

Sed & exempla, quæ à Cuiacio afferuntur, non videntur Regulas antiquas limitare, quoniam condonatio debiti non poſtulat debitoris conſenſum, ideò inuitus poteſt abſolui à pœnâ, ab excommunicatione, à cenſuris (poteſt etiam diuinitùs à peccatis; & poſſet ſacramentaliter; ſi Deus voluiſſet) & in ſervitute duo reperio, primò obligationem, qua ſervus tenetur domino, ſecundò obligationem, quâ dominus tenetur ſervo, certum eſt dominum poſſe cedere iure ſuo, & concedere ſervo etiam invito, ne ſibi ſervire teneatur; at quia viciſſim dominus tenebatur ſervum alere, poteritne invito ſervo ſe ab hoc onere liberare? ſtando iuri naturæ non poterit, niſi forte contractus ſic initus dicatur, *Vt ſervus ſe non fugiturum ſed tota vita ſeruiturum promittat; & compromittat dominus ſe eum non occiſurum, ſed daturum omnia ad victum amictumque neceſſaria, aut alias dimiſſurum.* In tali enim caſu poſſet inuitus manu-mitti: at tunc manu-miſſio nec eſſet beneficium nec fauor; grauamen enim potiùs eſt, quod fit inuito, & manu-miſſio, quoties inuito conceſſa, grauis eſt; & quoties grauis, etiam grauamen eſt. Nec iuuat ad errorem recurrere; non enim errat ſenex, qui mauult apud dominum manere, quàm manumitti, ſi iam incapax ſit, qui poſſit neceſſaria lucrari.

An poſſit creditor inuitus à ſoluendi obligatione liberari?

An poſſit ſeruus inuitus manumitti?

Qualis ſit contractus, qui expreſsè aut tacitè inter ſeruū & dominū iniri ſolet?

An manumiſſio ſit fauor.

Præſtat ſeruo, iam ſeni, manere apud ſuum dominum, quàm manumitti.

Alterum exemplum etiam non vrget, quoniam Regula non agit de illo caſu, quem Cuiacius obtrudit, ſed de bonorum adminiſtratione: diciturque, ſeruum, ſi bona aut iura domini prodigat, inualidè facere, non enim æquum, vt ſeruus deteriorem poſſit reddere domini conditionem.

An ſeruus bona domini poſſit prodigere?

Vt igitur Regulas, à Bonifacio latas, & cæteras à nobis poſitas & expoſitas, intelligas, conſidera ſequentes Regulas. MMMDCCCLXXXII.

REGVLA I *Hæc limitatio [Excepto caſu, quem fortè in ſpecie contra hanc Regulam reſoluit Ius] eſt tranſcendentalis, & debet in omnibus & ſingulis intelligi.* Hinc eſt, quòd iam ipſæmet Regulæ ad exceptiones fuerint meâ diligentiâ limitatæ, vt iam videantur vix eſſe capaces aliarum limitationum: nam, vt videris addito vno aut altero verbulo, omnes illi caſus excipiuntur; in quibus debebat Regula falſificari. Erat Bonifacij Regula XLIII. *Qui tacet conſentire videtur*, quæ vera erat in fauorabilibus ſemper; & in odioſis tunc, cùm tacebat, qui loqui non tenebatur; at hodie vniuerſaliter eſt vera, his verbis propoſita, *Qui tacet ſi fauorabilis materia ſit, aut ſi odioſa, ſi ipſe habet loquendo obligationem, conſentire videtur*, quæ creditur non poſſe alicubi falſificari.

De Regularum exceptionibus.

Modus nouus & ſecuriſſimus dilucidandi Regulas.

REGVLA II. *Potior eſt eius cauſa, pro quo agit Regula; debetque ſubſiſtere, quouque aduerſarius oſtendat, cur ille caſus excipiendus à Regula generali ſit.* Ita Gloſſa Iuris Canonici ad Rubric. circa finem. Hoc modo philoſophantur omnes etiam Ciuilis Iuris Profeſſores, nam Vlpianus inter ipſos authoritatis eminentis, ex Regulâ ſecundâ Digeſtorum. *Fœmina ab omnibus officiis ciuilibus & publicis remota ſunt*, ſubſumens: *Gerere magiſtratum, & iudicare, eſſe munia publica & ciuilia*, intulit; *Illas nec poſſe eſſe indices, nec magiſtratum gerere.*

Standum eſt Regulæ quamdiu nō ſuadetur exceptio.

Poſitâ generali Regulâ, qui caſum, de quo agitur, excipi dicat, hoc debebit probare.

REGVLA III. *In Regulis, ſicut in omnibus aliis legibus vtriuſque Iuris, à genere ad ſpeciem (ab vniuerſali ad particulare) irrefragabili*

Ab vniverſali ad particulare valet argumentatio.

Digitized by Google

gabili argumentatione proceditur. Patet quia deſcenſus, eſt fortiſſimus modus argumentandi.

MMMDCCCLXXXIII. *De exceptionibus.*

An quando vnus caſus à generali Regulâ excipitur, omnes ſimiles fuiſſe exceptos cenſendum ſit?

Regvla IV. *Quando excipitur aliquis caſus a Regula, vel etiam lege generali omnes ſimiles non præſumuntur excepti præcipuè ſi materia ſit odioſa & pœnalis.* Et clarius loquendo, *In odioſis non valet rationis paritas.* Ita Ego olim *in Theologia Regularis Comm. in Reg. Benedictinam num.* 550.1445. *& in Philoſophia Moralis num.* 135. *c.* adlegans Salas *De legibus* Portel. *in addition. ad dub. Regul. verb. Lex. n.* 13. Ioannem Valerium *in different. vtriuſque fori. verb. lex. differ.* 5. *num.* 2. Bonacinam *de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 8. *num.* 23. & apud eum Sayrum, Suarezque. Dianam *tract. de legib. reſolut.* 26. quibus nunc addo Antonium Naldum *in quæſtionibus practicis verb. caſus. num.* 3. (cuius verba habes *in philoſophia Moral. num.* 115. *c.* Laymanum *lib.* 3. *tract.* 3. *c.* 6. *num.* 8. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 27. *& lib.* 4. *tract.* 3. *c.* 6. *num.* 6. Azorium *lib.* 1. *cap.* 9. *quæſt.* 2. Laymas *pag.* 367. & Reginaldum *lib.* 23. *num.* 160. 174. *& ſeqq.*

Rationis paritas in odioſis non valet.

An-ne in fauorabilibus valet rationis paritas? Non valet, ſi materia ſit gratiæ; non enim Priuilegium conceſſum vni, reliquis conceſſum dicetur. Sic Eſcobar *Moral. Theolog. tract.* 1. *examin.* 15. *cap.* 4. *num.* 117. *§. poteſt-ne extendi. Pagina Ioannis Vuagnero* 201. Vide philoſophiam Moralem meam *n.* 125. *c.* Cæterùm ſi materia iuſtitiæ ſit, pertinebit ad ſeptimum præceptum Decalogi.

An valeat in favorabilibus?

Paritas rationis differt ab Identitate rationis.

Nota hîc obiter, ſolere Authores hæc duo nomina, *Paritatem rationis*, & *Identitatem rationis* confundere; ſed tametſi loquendum ſit cum multis, quid interſit videri poterit *mea Philoſophia Moralis, num.* 125. *f.* vbi oculatiùs rem examino.

SECTIO II.

De arctiſſimâ Theologia Moralis, & Iuris vtriuſque connexione.

MMMDCCCLXXXIV. *Virtutes concatenatæ ſunt.*

OMnes Virtutes concatenatas eſſe oſtendi Theologiæ Regularis *n.* 1059. concatenatas omnes Scientias Philoſophiæ Moralis *num.* 18. 25. 27. *a. b.* de quâ materiâ ante vnum aut alterum annum cum Reverendiſſimo D. D. Auguſtano Suffraganeo in Bavariâ diſſeruiſſe memini, à quo multa vnâ die didici, quæ poſſent ad honorem ipſius, ad aliorum confuſionem referri. Polingæium cum Reverendiſſimo D. Furtenfeldenſi veneram, & propter negotia aliqua in Tirolem & Stampſenſe Monaſterium cogitabamus; & ſubaudimus Viſitatorem expectari. Quem? Principis Auguſtani Suffraganeum. Miramur tantâ Iudicem, famulorum & religioſorum tranquillitate expectari, & doceri volumus. An-ne, vt ſæpè propriis oculis vidimus, rhedis ille & famulatu Monaſterium gravet? An ſit in tractatione nimius? An in ſuarum vacantiarum iuribus extorquendis ſeverus & avarus? Et audîmus eſſe hominem, qui poſſit in exemplum poni omnibus domos monaſticas viſitaturis: Ire ad menſam communem, conventualibus cibis contentum; carere rhedâ; habere vnum tantùm famulum aut alterum, gratis Deo & viſitationi ſervire, & viſitationis expenſas nunquam vltra octo florenos adſcendere. Audi Reverendiſſime Domine Bernarde Campmans Dunenſis Monaſterij Antiſtes; fuiſti martyr, dum viveres, & iam inter Cœlites, vt ſpero triumphas; octo florenos non ſuperant expenſæ, quæ fiunt in vno monaſterio, cùm ab Epiſcopo ſæculari viſitatur! quo igitur modo factum eſt, vt ab vno viſitatus Abbate, præter aliquas expenſas, quas pudeat recenſere, debueris mille florenos pecuniâ numeratâ ſoluere? Deus viderit; & audiuerit me, non iam Monachorum, ſed Reformatorum reformationem implorantem. Putabam Ego tuis miſeriis doctus, viſitare eſſe extorquere pecunias, diteſcere ſanguine alieno, & nihil omninò alterare, nil corrigere, nil mutare; at iam doceor ab Auguſtano Suffraganeo, viſitare eſſe agere hominem modeſtum, lucri incurium, & ſolius pietatis promotorem; & multum diſco, & ſi videat tranſgreſſus aut digreſſus, multum doceo; & venio ad rem, & ſententiam eiuſdem Suffraganei, Viri eminenter eruditi, propono.

Auguſtani Suffraganei laus.

Qualeseſſe, & qualiter procedere debeant Viſitatores Monaſteriorum?

Notent ſingula Viſitatores.

Quanti onuſus committi ſoleant in Monaſteriorum Viſitatione!

Quid ſit Monaſteria viſitare?

Putat ipſe nullam eſſe facultatem aut ſcientiam, quâ carere poſſit, qui perfecti Theologi generoſo vocabulo poſſit condecorari. Nimirùm, Theologum, vt perfectus dicatur, debere ſcire Ius Canonicum Ciuileque: ſpaciales Prouinciarum Leges, Religionum & Eccleſiarum Priuilegia, dantur enim conſultationes plurimæ, quarum deciſio, à notitia harum Facultatum dependet. Debere profundè percallere rem Phyſicam, rem Medicam; (ſexcentæ enim ſordes, quæ ad ſolamen fragilitatis humanæ benignè reſoluuntur, Phyſicam, aut etiam Medicinam ſupponunt.) Debere Hiſtoriam percallere, quæ ob oculos ponit facta veterum, quæ ſæpè redeunt in examen, vt poſſeſſio iuniorum in legitimum iudicium veniat. Debere ſcire omnes artes mechanicas, vt conſcientias dubitantium, non ſartorum modò, ſed & aliorum (vix enim eſt ars, quæ non habeat ſua fortula, quæ *Iura* nominat) poſſet dirigere & componere. Rem etiam militarem, vt iura neceſſitatemque valeat ab extorſionibus & iniuriis diſtinguere, Et vt verbo omnia dicam, debere omnia ſcire; nihil eſt enim quod ſub Theologiæ latiſſimam materiam non cadat.

Theologus perfectus quis eſt?

An debeat ſcire Ius Canonicum & Civile?

An Phyſicâ & Medicinam.

An Hiſtoriam?

An mechanicas artes?

An artem militarem?

An Theologi Iurisprudentia, & Legiſtæ Iuris Canonici notitiâ indigeant?

Laudo Doctoris Eximij reſolutionem ſapientiſſimam: & quia Henricus Caniſius Primarius olim Sacrorum Canonum Ingolſtadij Profeſſor, imbui Iuris-prudentia deſiderauit vniverſos Theologos, notitia Sanctorum Canonum vniverſos Legiſtas, & videatur Reverendiſſimi Domini Suffraganei opinionem tenere, quid Lecturo ſummam Iuris Canonici dicat, audiamus; quoniam tametſi placeat mihi Concluſio, rationes quibus illa probatur non placent, præcipuè cum Legiſtis aliquas ſententias exprobret, quæ non poſſunt ex ſolo Iuſtiniano defendi. Quamob rem in Eruditorum gratiam placet hunc tractatum claudere, Prœmium Caniſij,

Caniſij, & hanc in eo quæſtionem diſcutiendo. Ille ſic.

MMMDCCCLXXXV. *Caniſius in Proœmio, quod Summæ Iuris Canonici præfixit. Theologus debet Canonibus ſacris ſtudere.*

HABES HIC, benevole Lector, ſummam Iuris Canonici, quartò editam, correctam & reſtitutam. Quem laborem eò libentiùs ſubivi, quòd intelligebam non ſolùm ſtudioſis Iuris, ſed & Theologiæ, hunc conatum meum non ingratum cecidiſſe. Et certè cùm Theologus omnia ſua ſtudia ad Eccleſiæ utilitatem & ornamentum referat, (niſi deſes eſſe velit ſolâ contemplatione contentus) non inconſultò facit, quod & Eccleſiaſticas Regulas, id eſt, ſacros Canones, (quibus Eccleſiæ corpus veluti quibuſdam vinculis continetur) Theologico ſtudio coniungat.

De Sacramentis.

Habet enim hîc (ni fallor) compendio quodam, quæ ad Sacramentorum Eccleſiaſticorum confectionem & exhibitionem ſpectant; quæ quove ritu ſingulis adminiſtranda ſint. Nam licet Sacramentorum uſus ex Theologiæ fontibus dimanavit, tamen quibus, quo loco, & tempore, & modo applicanda vel conferenda ſint, uberiùs & explicatiùs tradunt Sacri Canones: adeò, quod non parum interſit Theologi, hæc pleniùs ex Iure Canonum hauſiſſe.

De aliis functionibus.

Iam quod ad reliquas Eccleſiaſticas functiones attinet; habet hic, quæ potiſſimum concernunt officium Ordinarij, id eſt, Epiſcopi, Archidiaconi, Archipreſbyteri, Primicerij, aliorumque Clericorum; item quæ ſit authoritas Legatorum Sedis Apoſtolicæ, quæ poteſtas Delegatorum, Vicariorum, Coadjutorum, Capituli ſede vacante: item quæ ad Monachos aliosque Regulares pertinent: demùm, quo vitæ genere, doctrinæ morumque innocentiâ & integritate inſtructi eſſe debeant Clerici in ſortem Domini vocati. Quæ omnia ex variis Iuris Eccleſiaſtici locis conquiſita, in certos & diſtinctos titulos hic breviter coniecimus. Quæ nec Theologum ignorare convenit, ſi profeſſionem ſuam integrè & cum dignitate in Eccleſia tueri velit.

MMMDCCCLXXXVI. *De Prælatorum promotione. Iure patronatûs. Cenſuris. De Parochis. De matrimonij impedimentis, De Vſurâ & Simoniâ De Voto & Iuramento.*

Porrò de Prælatorum electione, poſtulatione, confirmatione, conſecratione; de beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione, uſu & adminiſtratione; de decimis, de iure patronatûs; de immunitate & ſepultura Eccleſiaſtica; de voto, & voti mutatione ſive redemptione; de excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, irregularitate, & id genus aliis quæ Eccleſiaſtici Iuris ſunt; ſi quæſtio aut mentio incidat; quid de his differet Theologus, ſi Canonum ſcientiâ deſtitutus ſit? Quid ſi ad animarum curam adſcitus Theologus rogetur de impedimentis matrimonij, aut de conventione, uſurariâ aut ſimoniacâ? An votum ſive iuramentum præſtitum ſervandum ſit; ipſe verò aut nihil aut perperam reſpondeat, imperitus Canonum; nonne hic cum ignominia & pernicie aliorum in Eccleſia verſatur? Sed remittetet, inquies, huiuſmodi cauſas ad Iureconſultos. Sed ſi ad manum Iureconſultus non ſit, aut non niſi iocello reſponſum ſit daturus; quid faciet miſer? qua ratione ſe explicabit? Quo ſe vertet Parochus, ſi auditâ confeſſione pœnitentis hæreat ſuſpicione motus Eccleſiaſticæ Cenſuræ; utrum à ſe abſolvendus, an ad Superiorem remittendus ſit pœnitens? Surget Parochus, reſpondebis, conſulturus Canonum peritum. Interim relictus pœnitens angitur animo dubio, expectans Parochi abſolutionem; quam ſi fortè reverſus Parochus non adferat, tunc maiore perturbatione corripitur: quod ſanè incommodum facile evitat Parochus aut alius quiſpiam qui confeſſioni præeſt, ſi pœnitentem doceat ex præſcripto Sacrorum Canonum à ſe abſolui non poſſe, ac proinde ſalubri conſilio adhibito, ei perſuadeat, ut Superiorem pro abſolutione adeat.

Sed ſi Parochi quærendi ſint tales, quales à Caniſio petuntur, & eſſe deberent, omnes aut ferè Eccleſia careret Parochis: ſed hodie, qui eorumdem curâ gerimus, no nullum habeamus, multò minore ſcientiâ cogimur eſſe contenti.

MMMDCCCLXXXVII *An eſſe Sacerdos queat qui ignoret Canones. Eum, qui nō audit confeſſiones, nec curam animarum gerit, nō indigere magnâ ſcientiâ in Theologia Regulari accuratiùs oſtendi.*

Vt hinc diſertè conſtitutum ſit à Cœleſtino Papâ [*c. nulli diſtinct.* 38.] *Nulli*, inquit *Sacerdotum liceat Canones ignorare nec quidquam facere, quod Patrum poſſit Regulis obviare.* Et quod graviter interminatur Gregorius [*c. hac conſona*, inquiens *Sanctis Patribus diffinitione ſancimus, ut qui ſacris neſcit obedire Canonibus, nec ſacris adminiſtrare, nec communionem capere ſit dignus altaris.* Quare etiam generaliter ſancitum eſt in Concilio Meldenſi [extra in cap. 1. de conſtitutionib.] *ut Canonum Statuta cuſtodiantur ab omnibus, & nemo in actionibus vel Iudiciis Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate ducatur.* Rem igitur neceſſariam agit Theologiæ ſtudioſus, cùm & Sacrorum Canonum cognitionem ſuæ profeſſioni coniungit, eam aliquando in Eccleſiæ uſum & ornamentum traducturus.

An Iuriſta & Legiſta debeant Canonico Iuri ſtudere?

De ſtudioſis Iuris Civilis nulla apud me dubitatio eſt, quin hi neceſſariam exiſtiment Iuris Canonici cum Iure Civili coniunctionem. Quod vel ex eo planè conicio, quod hactenus me viginti annos Ius Canonicum publicè in hac Academia profitentem magno concurſu & diligentia audiverint & exceperint, rationibus non levibus adducti: Quod ſcilicet exploratum habeant, quæ à Iure Civili de perſonis & rebus Eccleſiaſticis prodita ſunt, ea iam pridem antiquata & ad Eccleſiaſticas Conſtitutiones reiecta eſſe. [*c. Eccleſia S. Mariæ, 10. extr. de conſtit. c. x. diſt. 96.*] Item quæ de matrimonio contrahendo, vel diſtrahendo vano conatu conſtituit Ius Civile, ea ſimiliter redacta eſſe ad regulas Sacrorum Canonum [*c. 1. in fin. de conſang. & affin. c. 12. de exceſſ. Prælat. c. 4. & 5. extr. de ſecund. nupt. Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 12.*] Neque ignorant concubinatum, uſuras, præſcriptionem cum mala fide, id eſt, cum conſcientia rei alienæ, à Iure Civili admiſſa, ad normam Iuris Canonici revocata eſſe. [*c. fin. in ver. cum generaliter extr. de præſcript. cap. 4. diſt. 10.*] Hæ etenim lacunæ Iuris Civilis Chriſtiano homine indignæ, neceſſariò reſtituuntur ex Iure Canonico; quemadmodum & illud, quod contra omnem pietatis rationem à Iuſtiniano Imperat. conſtitutum eſt. [*§. fin. No. 89. quibus modis naturales effi. ſui. auth. ex complexu. cap. de inceſt. & inut. nupt.*] de non alendis liberis à parentibus, ex inceſtu vel alias à legibus damnato concubitu natis: Et quod non minorem impietatem redolet, dum comprobat Leges Iuriſconſultorum quibus patri permittitur, ut is filiam ſuam in adulterio

De perſonis & rebus Eccleſiaſticis.

De matrimonio.

Præſcriptio cum mala fide an ſit valida?

Iuris politici lacuna.

An ſint alēdi ſpurij?

An liceat occidere filias?

adulterio comprehenſam poſſit unà cum adultero impunè & ſine ſcelere occidere : [*l. patri, 20. & l. qui ait, ff. ad L. Iuliam de adulter.*] Vtrumque enim per Ius Canonicum ſumma æquitate exploſum eſt, [*illud ex cap. cum haberet 5. ext. de eo qui duxit in matrim. & ibi Panor. num. 5. And. Gail. lib. 2. obſ. 88. in 4. Alterum verò ex c. 6. cap. 9. 33. q. 2.*] In his igitur aliiſque ſimilibus, quæ vel Iuri divino, vel naturali refragantur, iſtius aditur Ius Canonicum, [*d. c. ſi horum & ſi in ſumma ſuis locus meminimus*] ad exemplum Iuris Prætorij, quod & in multis articulis rigorem Iuris Civilis naturali quadam æquitate attemperavit. Quamvis aliàs non ignoremus, Iuſtinianum præclarè & religioſè de ſacris Canonibus ſenſiſſe. Quod vel indicat eiuſdem Novell. 131. de Eccleſiaſt. tit. §. 1. ubi his verbis edicit : *Sancimus igitur, vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas regulas, quæ à ſanctis quatuor Concilijs expoſitæ ſunt aut firmatæ*, (Nicæno ſcilicet, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi) *prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, ſicut ſanctas ſcripturas accipimus, & regulas ſicut leges obſervamus*, [horum Conciliorum Canones extant ſparſim in Decreto Gratiani, & apud alios.]

Nota illud, iuſtius, nam ſi illud prius eſt impiũ, quomodo poſterius iuſtius eſt?

Iuſtiniani de Canonum authoritate ſententia.

MMMDCCCLXXXVIII. Accedat, quòd ex Iuris Canonici lectione id commodi (quod nec minimum cenſeri debet) reportent Iuris Civilis ſtudioſi ; quòd ea quæ legibus civilibus comprehenſa non ſunt, aut minus explicata, rectè mutuentur ex Iure Canonico, ſicut & è diverſo rectè fit à ſtudioſis Iuris Canonici, iuxta illud Lucij 3. ſcholæ uſu & praxi forenſi receptum [cap. 1. ext. de novi op. nunciat.] *Quia verò*, inquit, *ſicut leges dedignantur Sacros Canones imitari ; ita & ſacrorum Statuta Canonum Principum Conſtitutionibus adiuvantur.*] Vt & hinc non immeritò in hac ſumma noſtra Legum Civilium paſſim meminerimus. Idem factitatum videmus ab Hoſtienſi in Summa ſua. A quo tamen longè diſtamus ; quod is non tam Summam Iuris Canonici, quàm *Paratitla*, id eſt Summaria in ſingulos Decretalium Gregor. IX. titulos (quæ & inſtar iuſti Commentarij ſunt) perſcripſerit : nos verò totam quaſi materiam Iuris Canonici variis locis diſperſam, in quatuor Inſtitut. libros diſtinctis capitibus, coëgerimus, ita quidem, ut & ea ſimul complecteremur, quæ in lib. 6. Decretal. Bonifacij VIII. in Clementinis & in Extravag. tum etiam in Concilio Trident. exſtarent : quantum ſcilicet poſtulabat inſtituti Operis ratio. Quæ ab Hoſtienſi omiſſa ſunt, utpotè qui Summam ſuam antequam Bonifacij VIII. Conſtitutiones promulgatæ eſſent, & conſcripſit, & ſic mutilam eam nobis reliquit.

Vtrumque Ius (Canonicum & Civile) ſunt ſibi mutuò luci & complemento.

Differentia inter libros Hoſtienſis & Caniſij.

Cur ſuam Hoſtienſis ſummam inſcribi voluerit Paratitla ?

Itaque benevole Lector, hunc laborem noſtrum accipe & candidè interpretare, qui in utilitatem tuam ſuſceptus, iam iterum in lucem emittitur.

Quænam in Summa Hoſtienſis deſint, & addi à Caniſio debuerint ?

Hucuſque Henricus Caniſius, qui me Iudice doctiſſimus fuit, ſed aliqua hic intermiſcet, quæ indigent clariore expoſitione, Ego igitur, quia Iuris Civilis ſtudioſis, Philoſophiæ plerumque imperitis condoleo, ut videant proprijs oculis, quanta debuerint pati vulnera, nec tela aliter poſſe regere, quàm ad Philoſophiam Theologiam, & rerum naturalium ſupernaturaliumque naturam recurrendo ; Caniſio, nunc ut ſpero, in cœlis triumphanti, ſic ſcribo.

An in Iuriſprudentiâ poſſit excellere, qui Philoſophiæ ignorat ?

MMMDCCCLXXXIX. SVMMAM Iuris Canonici, olim à Te fœliciter ſcriptam, quintò recognitam, reſtitutam & illuſtratam, auctiorem correctioremque Ingolſtadij MDCXXIX. publicavit Ederus, & diſtraxit ſtatim, omnibus utilem, ab omnibus deſideratam. Bone Deus : Aſſuetus divinitùs omnia verbo comprehendere, ô quàm multa humanitùs comprehendis verbo ! Scitè olim ſententiâ univerſorum Hortenſius ille Paravicinus, huius ætatis ornamentum, dicebat, *Aſſumere argumentum difficile, & illud tractare clarè, eſſe Hominis docti ; at clarè & breviter, ne docti quidem hominis, ſed ſolius Angeli.* Ergo eiuſdem ſententiâ, maior Homine fuiſti qui totum Ius Canonicum difficile, implicatum, obſcurum illuſtraſti clariſſimè, ſummamque in ſingulis titulis brevitatem ſervaſti. *Gaudent brevitate Moderni*, ait Chriſtophorus de Capite *in compendio Privileg. Fratrum Minorum*, & quia tu obſervas Summam, & Summam Amo, Te lego libentiſſimè, & amicis diſcipuliſque legendum libenter propono. Hortaris Theologos Iuriſtaſque ut Te legant ; eoſdem Ego cohortor ; ſed quia exhortatio illa tua nonnulla ſublimiùs dicta, quàm à me capi poſſint, complectitur ; patere ut qua poteſt reverentiâ Homo Angelo, Terrigena Cœliti, Patriam adſequuto peregrinans, pugnans triumphum adepto, dubia proponam aliqua, quæ poſſint ſuperſtitum inſtructioni ſervire.

Caniſio in cœlis triumphanti Caramuel.

Hortenſij Regij Concionatoris pulchra verba.

De brevitate & claritate.

Cum quantâ in ſuo Compendio procedat Caniſius ?

MMMDCCCXC. STatim initio ſic inquis : *Certè cum Theologus omnia ſua ſtudia ad Eccleſiæ utilitatem & ornamentum referat (niſi deſes eſſe velit ſola contemplatione contentus) non inconſultò facit, quod & Eccleſiaſticas Regulas, id eſt, ſacros Canones quibus Eccleſiæ corpus veluti quibuſdam vinculis continetur, Theologico ſtudio coniungat.* At ego tametſi laudem illos, qui Canonico ſtudio dant operam, vellemque omnes & ſingulos ſacræ paginæ & Iuris utriuſque lectioni horis ſucciſivis vacare, non tamen *deſides* audebo nominare illos, qui ſolâ ſunt ſublimium rerum ſpeculatione contenti : nam aliàs damnare neceſſariò deberem eminentes Theologos, qui hac noſtrâ tempeſtate Salmanticæ, Compluti, & Romæ florent, qui ſuavitate contemplationis illecti, ſacræ Scripturæ obtortas interpretationes, Controverſias, Canones, Legeſque faſtidiunt ; ne debeant per ſenſa humana repere, cùm volare per divinas contemplationes poſſunt. Me indice, deſides illi ſunt, qui horas, quas ſæpè perdunt, In Iurium utili lectione non inſumunt ; non tamen illi, qui ſoli contemplationi vacant, quoniam, ſi *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*, neceſſarium eſt, ut uni ſoli Arti ſtudeat, qui in illâ velit aliquando eminere : Imò, nec uni Integræ, ſed unius parti : ſunt enim nobis exemplo dilaudati Piſtores, qui inter ſe Artem dividunt, ut

An ſint deſides, qui ſolâ ſunt contemplatione contenti ?

An Scholaſtici deſides ſint?

An uni ſoli ſcientiæ, aut Arti debeat incumbere, qui præ cæteris eminere voluerit?

An adhuc debeat ſcientia dividi, ut ſinguli ſtudeant uni parti?

Digitized by Google

ut ſinguli in parte, quam elegit, excellant. Alij flores, alij arbores, alij caſas & ruſticos, alij animalia, & alij homines pingunt, & ſub annum 1635. erat Antuerpiæ, qui ſola imaginaret ſaxa, ſed ita perfectè, ut vera crederes, quæ proſtabant in tabulâ. Ergo ſimiliter deberet in aliis ſcientiis fieri. Expedit igitur eſſe aliquos ſummi ingenij homines, qui uni & ſoli Scholaſticæ Theologiæ deſudent, & loco miraculorum habiti nationem & ætatem honorent.

M M M-DCCC-XCI.

Sacramenta Theologiæ & Canonũ notitiam poſtulant.

PRogrederis & §. *Habet enim*, Sacramentorum notitiam, uſumque proponens: à Theologiâ illam, hanc à Canonibus eruendam aſſeris. Et quidem meritò, quoniam Sacramentorum materia nec bene à purè Theologo, nec bene à purè Canoniſtâ tractatur. Scit Theologus quid ſit Sacramentalis Materia; quid forma; qui Cauſa: multa eſſe, in quibus Summus Pontifex non poteſt eſſe arbiter; multa quæ poſſunt ad ornatum & maiorem reverentiam adiungi. In quibus omnibus credit Canoniſta Theologo, mavult fidere, quàm multos annos in ſtudio ſcholaſtico impendere, ut queat examinare. Contrà etiam, quæ à facto pendent, ratione adſequi nequit, & diſcit à Canoniſtâ Theologus; ritus, cæremonias, dies, & ſexcenta alia, quæ non à ratione ſpeciali, ſed à voluntate inſtituentis procedunt. Et ut ſingula Sacramenta percurram, ignorat Canoniſta, *An in veteri Eccleſia fuerint aliqua? An vim habuerint? & ſi habuerint, qualem; An Sacramenta novæ legis ſint cauſæ morales, vel phyſicæ? An in Baptiſmo poſſimus uti aquâ artificiali? An caput debeat neceſſariò intingi? An valeret Baptiſmus, ſi intingeretur alia pars? An Confirmatio poſſit à ſimplici ſacerdote conferri? An omnis ſacerdos poſſit confeſſiones audire? & ſi non, An ut poſſit, aut indigeat doctrina mero teſtimonio, an etiam iuriſdictionis collatione. An qui habet authoritatem probabilem abſolvendi, abſolvat probabiliter, an infallibiliter & certò? An requiratur ante abſolutionem contritio? An in alteram vitam poſſit diferri ſatisfactio? An poſſit abſolvi moribundus, qui confeſſionem non petiit? An poſſit reſervari circunſtantia aggravans? An peccati ſubſtantia non tamen ſemper, ſed ſub tali circunſtantia? An per abſolutionem de attrito quis fiat contritus phyſicè, non ſolum virtualiter? An Euchariſtiæ forma (videlicet, in facto eſſe) ſit corpus Chriſti, ut multi Salmanticenſes tenent?* [a] *An poſſit dari in una ſpecie? An hoſtia magna plus conferat gratiæ, quàm parva? An de neceſſitate medij ſit? An Extrema-Unctio in uno ſenſu compleatur? An debeat dari peſte infectis: An inferiores ordines ſint Sacramenta? An poſſint Abbates maiores ordines conferre? An ſicut Matrimonium, poſſint alia etiam Sacramenta confici aut recipi per procuratorem? An in qualibet lingua? An quacumque intentione, voluntate, culpa, aut fictione? An liceant ſponſis oſcula? An coniugatis omnes ſordes, modò non ſit pollutionis periculum?* Et ſexcenta alia, quæ debent in materia Sacramentorum ſciri, nec aliunde à Theologiæ fontibus haberi poſſunt. Hæc enim omnia in ratione fundantur; & in Iure, aut non tanguntur, aut tam breviter obſcurè.

An in Sacramentis omnia ſubſint Summi Pontificis arbitrio? De antiqua Eccleſiæ Sacramentis. De Sacramentis nova. Proponuntur multa Difficultates, in quibus reſolutionem Canoniſta debeat expectare à Theologo?

a] Nota id bene. In omnibus Sacramentis eſt cõpoſitio moralis ſimillima Phyſicæ ex materiâ & formâ. At quia Homo Scoticus duas formas habet: videlicet formã corporeitatis & animã rationalem ſic in Euchariſtiâ diſcurrebat Illuſtriſſimus noſter Manrique. Materia remota, eſt panis & vinum: proxima ſpecies. forma prior verba permanentia moraliter: forma altera, corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu-Chriſti realiter permanentia.

que, ut erraturus omninò ſit, qui Theologiâ careat. Salmanticæ enim ante annos paucos Doctor Iuris dictavit, baptiſmum ab adulto, ſe velle baptizari fingente, receptum, eſſe validum; quòd Baptiſmum, cum *fictione* validum legeret, nec quid illa eſſet intelligeret. [b]

An baptiſmus cum fictione ſuſceptus, ſit validus.

b] Cognovi Hominẽ, *& erat bene doctus, at Theologiæ rudis.*

M M M-DCCC-XCII.

An Theologus functiones Eccleſiaſticas tutò ignoret? De Corepiſcopis, & Decanis ruralibus. An Prælatorum authoritas addiſci queat à contextu Iuris Canonici?

PRoponis functiones Eccleſiaſticas §. *Iam quod*; illaſque, non debere à Theologo ignorari dicis, & urbanus aſſentior; urbanus inquam, multæ enim hodie ab ipſiſmet ignorantur Canoniſtis, nec ideò carpuntur ab aliis. Inter alias *titul.4. pag. 24.* Corepiſcopos numeras, & ſublatos affirmas; cùm tamen Theologi illi, qui ſcripſerunt Formulam Reformationis quam Carolus V. anno 1548. propoſuit §. *De ordinum Eccleſiaſticorum officiis*, affirment *Corepiſcopos* ab aliquibus dici, qui ab aliis *Decaniruralas*: & iſti ſublati non ſunt. Sed hoc non urgeo. Neſcio tamen cur Theologus aut Iuris Civilis peritus, ſi ſcire debeat quanta ſit unius Cardinalis, Epiſcopi, aut Abbatis authoritas, poſſit Canonico Iuri confidere? omnia enim diebus ſingulis novis privilegiis alterantur; & contra Ius commune tot ubique conceſſa, ut id millenas exceptiones ſit paſſum.

M M M-DCCC-XCIII.

Quæſtiones in quibus vult Caniſtus, nil poſſe decidi à Theologo, qui ius Pontificium ignorat? Quæſtiones, quæ poſtulant Philoſophiæ & Metaphyſicæ peritiorem notitiam, & non poſſunt à puro Canoniſtâ diſſolvi.

VEnio ad Paragraphum *Porrò de Prælatorum*, & doceri velim *quid* (tua tibi verba obijcio) *de Prælatorum electione, poſtulatione, confirmatione, conſecratione; de beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione, uſu & adminiſtratione; de decimis, de iure patronatûs, de immunitate & ſepultura Eccleſiaſtica, de voto & voti mutatione ſeu redemptione, de excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, irregularitate, & id genus aliis, quæ Eccleſiaſtici Iuris ſunt; ſi quæſtio aut mentio incidat;* quid inquam de his differet Canoniſta, ſi Theologiæ ſcientiâ deſtitutus? Fortè nonnulla ſuperficialia; nihil tamen omninò, quod ſapiat ſcientiam & doctrinam. Quoniam, ut alia omittam, hæ Quæſtiones Canonibus diſſolui non poſſunt, nimirùm, *An ex rei natura debeat aliquis promovere digniorem? An poſſit purè dignum? An aliquando digniori negare teneatur ſuffragium? An ſe poſſit eligere? An ſemper poſſit poſtulare? Quid addat creationi confirmatio? An & cur non poſſit ſine Simonia unum beneficium pro altero commutari? An fructus ſint ſtipendia, an favores, hoc eſt, an ad horarum lectionem teneantur ex iuſtitia; an ex mera obedientia? An decimæ ſint de Iure divino? & ſi non; An poſſit Eccleſia cogere ſæculares ad ſolutionem decimarum? ubi? & quando? An Parocho, aut etiam Epiſcopo, qui non vult ſatisfacere ſuis obligationibus, teneantur ruſtici decimas ſoluere? An peccet Patronus, ſi indignum præſentet examinandum ab Epiſcopo? An Eccleſiæ immunitas ſit de Iure divino? An ſit de Cæſareo, aut Canonico? An poſſint ſepulturæ vendi, nunc? An ſaltem de licentia Pontificis? Cur votum factum Deo ſubſit hominum irritationi, diſpenſationi, commutationi?* [b] *An ſit certum peccare mortaliter Superiorem, qui ex cauſa probabili excommunicationem fulminat? Quale peccatum ſit violare*

b] Monet Dux de Roſ ſametiſi, Calviniſta, excommunicationem eſſe tremẽdum fulmẽ, ſed iam hodie ob indiſcretionem Prælatorum à ſubditis multis contemni. Explodi debet in cauſis graviſſimis & certiſſimis, non in levibus, incertisve. Et, ſi juſta ſit, væ excommunicato: &, ſi iniuſta, væ excommunicanti.

interdiſtum? Et an irregularitas ſine culpa, an etiam incurri poſſit actu, ad quem tenear ſub peccato mortali? & aliæ Quæſtiones innumeræ, quæ ad Canones poſitæ non poterunt lucem recipere, & tamen ſciri omninò debent.

MMMDCCCXCIV. *De impedimentis Matrimonij: & Simonia.*

Theologum accedo, quem miſerum Caniſi nominas, fateorque non poſſe illum ſine Canonibus impedimenta matrimonij nec Simoniam Eccleſiaſticam cognoſcere: teneo tamen Canoniſtam impedimenta naturalia neſcire, & Simoniam veram nondum bene cognoſcere. Porrò uſuras, neſcio, cur examinari à Canoniſtâ velis, à quo pingui minervâ cognoſcuntur, cum magno ingenio & examine indigeant, qui illas velint diſcutere.

An iuramento & Voto.

An Iuramentum & Votum, præſtitum ſervandum ſit, Theologus à Canoniſta doceri non debet, ille enim in hac materiâ multa ſcit, hic multa ignorat. Dicet Canoniſta, *Iuramentum, quod contra bonos mores, ſervandum non eſſe*; hoc dicit à ſuis Canonibus.

An Iuramẽta, quæ cõtra bonos mores, vim habeant?

Sed Theologus ſtatim dabit illi millena iuramenta, quæ tametſi contra bonos mores ſint, debent ſervari. Aut dicito, Nonne contra bonos mores omne iuramentum peccaminoſum? & qui vanæ gloriæ intuitu, ut videatur probus, promiſit eleemoſynam pauperi, & promiſſionem iuramento firmavit, tenetur ſtare iuramento: & quidem iurando peccavit. Etiam, qui ſine neceſſitate iurat, peccat & tamen promiſſorio iuramento obligatur. Qui matrimonij iuratâ promiſſione fœminam inducit, utitur iuramento ut medio ad fornicationem, adeoque iurando peccat, & tamen tenetur iuramento licèt emiſſo contra bonos mores. Præterea ſi agamus de metu cadente ſuper conſtantem virum, qui irrita reddit vota, quî poterit Canoniſta reſolvere, an metus liberet in foro interiori? Quid dicet, ſi vovens ad reſtrictiones mentales, ad conſignificationes politicas illectas in Iure recurrat? *Non ne potiùs hic cum ignominiâ & pernicie aliorum in Eccleſiâ verſatur? Sed remittet, inquies, huiuſmodi cauſas ad Theologos. Sed ſi ad manum Theologus non ſit, aut non niſi lucello reſponſum ſit daturus; quid faciet miſer Canoniſta? quâ ratione ſe explicabit? quo ſe vertet?* Fortaſſis argumentationis calor me impulit, ut acriùs loquerer; at nondum erraſſe me puto, quoniam tuis uſus verbis, ſi abſolvaris, condemnari non poſſum.

N. B. Aliud eſt, Propter vanam gloriã iuro me eleemoſynã daturum eſſe, & aliud toto cœlo diverſum. Iuro me daturum eſſe eleemoſynã propter vanam gloriã.

De Metu.

An de reſtrictionibus mentalibus aliquid ſciant Canoniſtæ pro, aut cõtra?

MMMDCCCXCV. *Ita debet reſervatio caſuũ manuteneri ut nõ obſit ſigillo.*

SEd ad caſus reſervatos recurris. *Quò ſe vertet, ais, Parochus, ſi audita confeſſione pœnitentis hereat ſuſpicione motus Eccleſiaſtica cenſura; Utrùm à ſe abſolvendus, an ad ſuperiorem remittendus ſit pœnitens?* Et quidem hîc ego Canonum neceſſitatem non video. *Primò* enim à Theologiâ docebitur ſecreti ſigillum in Sacramentali confeſſione eſſe de Iure divino, extra de naturali, utrobique tantum, ut nemo à Superiore cogi poſſit, ut vel confiteatur publicè, vel ſecretò, commiſſa extra confeſſionem manifeſtet; ſcietque reſervationem non tenere, ſi vel reſervantis improbitate, vel circumſtantiarum rigore eò confeſſio redigenda ſit, ut pœnitens extra confeſſionem cognoſcatur. Quod quia eſt valde neceſſarium, debet ab omnibus benè notari. *Secundò*, docebitur leges non acceptatas non obligare, imò nec dubias; & cùm videat Bullam cœnæ in multis locis non acceptatam, eſſe dubiæ authoritatis in aliis, ab omni erit liber ſcrupulo. *Tertiò*, Epiſcopo reſervata cuicumque ſeculari Sacerdoti notificantur; imò ſæpe in ſuis Viſitationibus jubent Epiſcopi, ut eorum copia in omni confeſſionali adfigatur: ut nec confeſſarij nec pœnitentes poſſint ignorantiam habere? Præterea, non omnes indigent iſtâ notitiâ, quoniam Religioſi ſua privilegia ignorare non volunt; ſciunt enim eorumdem ratione multa ſibi concedi, quæ Epiſcopis ſolent negari. Quamobrem, qui Theologus ſit, non hærebit in reſervationis materia.

De ſecreto Sacramentali, & Naturali.

Notãda pro reſervatis.

De Religioſorum privilegiis.

MMMDCCCXCVI. *Quales eſſe debeant Clerici? quales Epiſcopi?*

COeleſtini zelum laudo; *Nulli Sacerdotum*, inquit ipſe, *liceat Canones ignorare: nec quidquam facere, quod Patrum poſſit Regulis obviare*, & hodie id ipſum licere plurimis Sacerdotibus; & quod miſerabilius eſt, multis Epiſcopis multis Cardinalibus, nemo ignorat. De maioribus aliquid eram dicturus; ſed in Verbo, & mea verba, & quàm ipſa fuerint vera etiam vides. Pono calamum; non enim libenter de Præſulum murmurabo doctrinâ, dicuntur enim utrumque Teſtamentum ſcire, Canones in pectoris ſcrinio ſe habere, & quî illa ſint vera, non video. Fortè non quales ſunt, ſed quales deberent, nòminantur; nam & Ego Regularis dicor, & nihilominus multa ex Eccleſiæ diſpenſatione contra Regulam, ut reliquis convivam, factito.

An omnes Epiſcopi ſciant utrũque Teſtamentum: an ſaltem Canonicum Ius?

MMMDCCCXCVII. *An Legiſta Iuris canonici notitiâ carere poſſint?*

AD paragraphum ſequentem venio, ubi *de Studioſis Iuris Civilis* agis quibus Canonum notitiam utilem ſcio, eſſe neceſſariam non video, præcipuè in caſibus à te aſſignatis.

An Principes in omnibus admittant Canones?

Tibi eſt prima ratio, *Quòd ſcilicet exploratum habeant, quæ à Iure Civili de perſonis, & rebus Eccleſiaſticis prodita ſunt, ea iam pridem antiquata, & ad Eccleſiaſticas Conſtitutiones reiecta.* Et ô utinam id exploratum hodie, ut ſupponis, haberent. Alij errant, alij excedunt; Eccleſiaſticos Sæculares quà poſſunt, vel non poſſunt, frequenter opprimunt; nec Canonibus in hac materiâ credunt. Ad rationem, & Theologiam confugiunt; territorium Pontificis ab aliis Provinciis diſtinguunt, retorſionum iura ingeminant, conſuetudines, non acceptationes, proteſtationes; aliaque argumenta, quibus ſolvendi non ſufficiunt Canones; agi enim ſolent ipſi canones rei, & ſententia à ſuperiore tribunali expectatur, nimirùm, probabilis à Doctorum iudicio, & infallibilis ab Eccleſiæ Catholicâ definitione. Scio in nonnullis Provinciis dici à ſummis Principibus, *Concilium Tridentinum, non eſt in Tabulis Regni*, & hodie meum ipſum Monaſterium litem evicit in Archiepiſcopali Tribunali, nec adhuc proficit, quod *Canonicum Ius*, dicatur *in Tabulis Regni non eſſe*. Unde diſſimulato Iure Canonico cogar rem ab ovo diducere, & apud Regni Tabulas iuxta Regni Leges ſecundo labore procedere. Et tamen Principes Auſtriaci, ſub quibus vivimus, non Catholici ſolùm, ſed & pij ſunt. & ſibi ſummam iniuriam fieri putant, cùm temporalia iuxta Leges Canonicas

An omnia infallibilia ſint, quæ in Iure Canonico.

Nota hoc.

An Reges in temporalibus ſupremi ſint?

Digitized by Google

An in rerum temporalium gubernatione procedere debeãt iuxta Canones?

cas dijudicamus. Et Galli, qui Chriſtianiſſimi ſunt, & Eccleſiæ Romanæ Primogeniti, manu Mancipij publici [ſic carnificem appellant]igni mandant quoſcumque libros,qui docent Reges in temporalium rerum gubernatione ſubeſſe Eccleſiaſticis Canonibus, vt videre eſt apud Bartholomæum Gramondum *in Hiſtoria Ludouici XIII. ad annum* 1626. *pag.* 655. vbi videbis immunitati Politicæ contra immunitatem Eccleſiaſticam Parlamentum Pariſienſe, Sorbonam, Clerum Gallicanum, & PP. Ieſuitas Gallos ſubſcripſiſſe.

M M M-D C C C-X C V I I I.
An Principes impedimenta Matrimonij cõſtituant? an etiam profeſſionis ſolennis?

SEcunda ratio ibi eſt, quia *quæ de matrimonio contrahendo, vel diſtrahendo vano conatu conſtituit Ius Ciuile, ea ſimiliter redacta ſunt ad Regulas Sacrorum Canonum.* Lego, & hæreo; nec volo Iudex eſſe in re arduâ. Et tamen Te cum Gallis diſputare permittam. Hodie enim in Galliâ, regione Chriſtianiſſimâ, impedimenta ſolennis Profeſſionis, & Matrimonij ponit Reſpublica, & Eccleſia vix ponit. Clandeſtina Matrimonia condemnat, & annullat Tridentinum Concilium; ipſi illorum valorem ſuſtinent, annullationis valorem non admittunt: Contracta ſine Parentum, aut etiam Tutorum conſcientia Tridentinum admittit; illi ſæpe dirimunt; & in hac & ſimilibus materiis ſuam ſequuntur à naturâ conceſſam libertatem, nec *tam vano conatu*, vt exiſtimas; nemo enim audebit dicere Gallorum filios in clandeſtino matrimonio ſuſceptos eſſe ſpurios, copulas fornicarias, diuortia legitima, non eſſe violationem adulteram, & licere alterutri ad nouas nuptias tranſuolare. Legi Senatuſconſulta (*arreſt*) in quibus exponitur irrita ſolennis profeſſio, quæ vel fiat contra mandatum Principis,aut talibus qualitatibus [c] careat. Quæ omnia ſiue ſint vero-ſimilia, & probabilia, ſiue falſa, non poterunt à Canoniſtà impugnari, ſed debent à Theologo, vel à nullo; non enim ipſi negant hæc eſſe contra Canonum, aut etiam Tridentini Sanctiones; ſed vel dicunt obligare in territorio Eccleſiæ, vel non eſſe acceptatas in Gallia; vel aliquid aliud habere, vnde in conſcientia practicari non poſſint. Vano igitur conatu Canoniſtæ cum Gallis agent, ſed totam difficultatem, quanta eſt, debebunt remittere ad Theologos, qui quæſtionem dirimant.

c] Multi ſæpe, vt ſui Principis authoritatẽ augeãt,propriam in nihilum omninò conuerto. Accede huc,quæſo, qui tui Principis maieſtatem exaltas. Dicas mihi, quæ eſt ratio formalis & totalis tuæ ſubiectionis? Bona temporalia quæ poſſides? Ergo de tua diſponere perſona poteris (ducere vxorẽ, promoueri ad Ordines, ingredi in Religionem) ſine licentia Principis: eſt perſona? Non ergo potes de tua perſona diſponere. Ergo jam non es vaſſallus, ſed ſeruus. At non vis dici ſeruus: Ergo tui tantiſper Principis, quoad hoc poteſtatem decitrans.

M M M-D C C C-X C I X.
De concubinis.
De Lupanaribus.

POrrò Clericorum, aut etiam Sæcularium concubinatum Iura Ciuilia non præcipiunt, ſed tolerant, cùm conſideratâ hominum fragilitate, ipſamet interdictio maiora inconuenientia paritura dignoſcitur. Antequam Carolus (tunc Walleſiæ Princeps, poſteà Angliæ Rex, iam à ſuo Parlamento plexus capite) adueniret Hiſpaniam, publica ibi Lupanaria permiſſa, imò & domus fornicariæ publicis expenſis conſeruatæ; & in ipſis minora mala tolerata, vt euitarentur maiora. Poſteà ob Caluinianiſtarum obloquia, & rationes aliquas grauis momenti meretrices proſcriptæ; nec tamen proſcriptio ipſa à doctis vniuerſis laudatur. Multa habet inconuenientia meretricum permiſſio, habet multa interdictio, & multorum opinione maiora.

N. B.
Nunquam licet ex duobus malis minus facere: ſed licet tolerare minus, quando vtrumque vitari non poteſt.

VSuras etiam non approbat publicares, tolerat tamen, ne videat ſuos grauia perpeti damna præſentium pecuniarum defectu. At iam in pluribus locis vſurariis abactis, Montes pietatis, aut admiſſi, aut erecti, qui æquè vel duriùs grauant pauperes, tutâ tamen conſcientiâ. Audiat obſecro, puto enim pietatis montes eſſe licitos, at vtiles eſſe non puto. Bruxellæ ante Montis erectionem erat vſurarius, qui vt habeo à viris doctis, & harum rerum ſciis, volebat habere decimam partem ſupra ſortem, & pecunias quas pendebat Principi, recipiebat enim quindecim in centum, ſed qui quina, aut plura Principi, vt toleraretur, pendebat. Vt obuiam iretur vſuris, magnis expenſis erectus fuit pietatis mons. Fructus? liberè dicam. Olim pauper, qui mille ab Vſurario acceperat, mille, centum quinquaginta poſt annum ſoluebat, & quia vſuræ ſunt omninò illicitæ, illa centum quinquaginta,aut ſaltem illa centum(quinque enim in centum ſunt permiſſa) ſe aliquando recepturum ſperabat. Monti verò pietatis tantundem, aut ferè addit ſupra ſortem, & quia in illo omnia tutâ recipiuntur conſcientiâ, nihil ſe recuperaturum ſperat. Vide fructum.

M M M-C M.
De vſuris. De Montibus pietatis. In Monte pietatis Bruxellenſi ſoluebantur 12. in 100. anno 1635.

Montium fructus.

Quomodo mutentur dominia?

De præſcriptione cum mala fide iam ſuperiùs nonnihil, modò addo, vel repeto, poſſe ſuperiores ex cauſa rerum mutare dominia; ſuperiores, & inferiores ſimul ex communi conſenſu (talis eſt, vbi lex pronuntiatur, & acceptatur (etiam ſine cauſa; ſubiungo præſcriptionem cum mala fide admitti à Iure Canonico, ſaltem in vno caſu (vide num.595.) poſſe in multis, nec eſſe cur in re facili tempus perdamus. Hanc tamen Concluſionem ſubiungo. *Iudex, qui Fridericum, qui iuxta Ciuile Ius præſcripſerat, condemnat, & ex Canonico rem alteri adiudicat, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem.* Peccatum mortale ex eo conſtat, quòd Iudex non poſſit ad phantaſiam, ſed ad leges ciuiles iudicare; & reſtitutionis obligatio ex eo, quòd Fridericus vbi vi legum Ciuilium præſcripſerit, fiat verus illius rei dominus, & exſpoliatur authoritate priuata, adeoque in integrum debet reſtitui; vbi ſi debeam tecum, Caniſi mi, ſincerè loqui, cùm dicis, *Hæ etenim lacunæ Iuris Ciuilis Chriſtiano homine indignæ, neceſſariò reſtituuntur ex Iure Canonico*, ſtyli acrimoniam demiror, nec volo Chriſtiano homine illam indignam dicere, ſed indiſcreto zelo adſingo,& ſcholaſticæ Theologiæ ignorantiæ: Chriſtiani enim fuerunt, & ſunt milleni homines, qui Iura Ciuilia pronuntiarunt, & profitentur in Academiis excellentiſſimis, quos mouet ratio euidentiſſima, quique non debent ideò minùs Chriſtiani dici, quòd illa non placuerit Caniſio.

Cùm agitur de rerum ciuilium dominio, ſtandum eſt Iuri Ciuili.

Cenſurâ digna ſunt quæcumque imprudentes cenſura.

M M M-C M I.
An ſint alendi ſpurij?

Quid iubeat Iuſtinianus?

NOn alendos filios à parentibus ex inceſtu, vel aliàs à legibus damnato concubitu natis,Imperator Iuſtinianus conſtituit. Ita,ne? contra omnem pietatis rationem? Parciùs hîc, amice, & rem audi. Non iubet Iuſtinianus ſpurios occîdi; non vult illos non ali; ſolùm enim præcipit, ſi verè præcipit, eos non ali à parentibus, ſed vt alij pauperes, & orphani ſolent. Et verè cur hoc non poſſit

Quàm parvi, aut nihili fiant ſpurij in Germania?

iubere, non video: illi enim, cùm moraliter filij non ſint, non habent ius petendi alimenta à parentibus: ſed illa poſſunt ab hominibus; homines enim phyſicè ſunt, & tenemur homines iuuare in neceſſitate conſtitutos. Porrò Principis filius ſpurius, ſi alatur à Patre, ſeu filius, multa millia conſumet; ſi vt homo, vt orphanus, vt pauper pauciſſimis erit contentus. Quod ipſum hodie apud Germanos eſt in vſu, noſco enim ſpurium, qui maximi Principis filius dicitur, & tamen vni Eccleſiaſtico ſeruit à pedibus, nempe hic Pragæ hoc anno 1650. [a]

[a] Dicebatur publicè Rudolphi Imperatoris filius, & tamen erat circumpes Cardinalis ab Harach.

MMMCMII. *Quanta ſit parentum obligatio erga filios.*

Vt videat autem candidus & eruditus Lector, non ita candidè & eruditè Caniſium Iura Civilia incriminari aliquid de obligatione alendi filios, quam Ius Naturæ imponit parentibus, & Iuſtinianus exponit, aut etiam intendit, breviter ſcripturus ſum.

Quid Ius Naturale præſcribat?

Sanè Patrem debere filios alere, educare, nutrire, habere curam, vt valetudinem conſervent, & notitias rerum ſuæ ſtatui & conditioni neceſſarias addiſcant, ex Platone probat Fortun. Garcia *in l.1.§.ius naturale, n.19. & 20. D. de Iuſtitiâ & Iur.* Conſonant *lex. ſiquis à liberis.5.D.de lib.agnoſc.* & *lex. ſi patrem.4.C.de alend.lib.* nec non *cap. cum haberet: de eo, qui duxit matrim. quam polluit per adult.* Et debere parentes expendere neceſſaria in ſtudiis, vt filij in viros egregios evadant, ſtatuit *lex. de bonis 6. §. qui pupillo. D. Carbon. Edict.* quam doctè expendit Surdus *de aliment.tit.4.quæſt.6.n.5.*

An parentes procurare debeant, vt ſui filij habeant præceptores idoneos?

MMMCMIII. *An, & quo ſenſu filiorũ educatio ad Ius Civile reducatur?*

Et quidem, licèt filiorum educatio Iuris ſit Naturalis, & à naturali illo inſtinctu, quo univerſæ animantes ſuas educant ſoboles, procedat: cæterùm, quia hæc ipſa filiorum educatio eſt neceſſaria ad æternitatem Reipublicæ, & ideò Politicis legibus gubernatur, eſſe hodie dicitur Iuris Civilis. *leg.ſiquis à liberis.D.de lib.agnoſc.* Idque eruditè poſt Baldum & Claudium de Seyſellio firmat Zaſius *in leg.1. §. huius ſtudij, num. 22. D. de iuſt.& iur.* Et hoc procedit regulariter: ſunt enim multi caſus, in quibus ex cauſa legitimâ Politica filiis alimenta negantur.

Quid Poteſtas ſit, ſi vniverſim ſumatur?

Poteſtas latè ſumitur *in leg.poteſtatis. 205.* & ibi Alciatus. *D. de verb. ſignif.* Et hodie apud Venetos, civitatum Rectores *Poteſtates* vocantur. Cæterùm, ſi ſtrictè ſumatur, Patriam ſignificat. Eſt autem Patria Poteſtas (vt inquit Azo *in ſumm. C.eod. num.2.*) inter patrem & filium de Iure Civili vinculum reverentiæ, pietatis, ſubiectionis, caſtigationis: &c. & oſtendunt Parentum imperium in filios *lex.pronunciatio.§.familiæ D.de verb. ſignific.* Martucius *variar. expl. Iuris lib. 1. cap. 9. num. 9.* Vnde rectè colligit Surdus; patrem poſſe filiis præcepta imponere: quam ego Concluſionem fusè probo *in Theol. Intent. lib.4. precept.4. num.1619.* vbi etiam doceo, qualia eſſe debeant hæc præcepta; vt eis filij obedire teneantur.

Et quid Patria Poteſtas in ſpecie?

An, & qualia præcepta poſſit filiis ſuis pater imponere?

An pater in filios habeat mortis & vitæ poteſtatem? Quid olim iudicaverint Ethnici?

Poſſunt puniri filij, ſi non obediant. An pœnâ mortis? Ethnici patri in filios concedebant vitæ & mortis abſolutiſſimam authoritatem: & multa apud Valerium Maximum *lib.5.cap. 8.* exempla de vſu huius poteſtatis leguntur. Et, ſi rem radicitùs examinarent, eam deberent hodie Lutherani concedere, qui animas docent per traducem in corpora filiorum infundi. Quam ſententiam etiam amplexi ſunt olim Chriſtiani Imperatores, vt conſtat *ex leg.in ſuis.D.de lib. & poſthum. leg.vlt. C. de part.poteſt.* Interim, quia dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, hodie aliter intelligitur patria poteſtas: nemo enim admittit ex Iure Naturæ poſſe parentem filios ſuos occidere, nec Reipublicæ nomine illi, niſi in vno ſolo caſu permittitur, nempe quando filiam, quæ in poteſtate ſua eſt, in adulterio actuali reperit. Extra hunc tamen caſum, ſi occidat filios, acerbè punitur; *leg.vnic.C.de his, qui parent. vel fil.occid.leg.Divus.D.ad leg.Pompeiam.de parricid.* At poteſt, & debet filios inobedientes prudenter corripere & caſtigare *leg. ſi filius.3. C.de patr. poteſt.* vbi Imperator Alexander ſic infit. *Quem, ſi pietatem patri debitam non agnoſcit* (lege, *non obſervat*, multi enim cognoſcunt, quam obſervare recuſant.) *caſtigare iure patriæ poteſtatis non prohiberis; acriore remedio vſurus, ſi in pari contumacia perſeveraverit, eumque Præſidi provinciæ oblaturus, dicturo ſententiam, quam tu quoque dici volueris.*

Quid nunc debeant ſentire Lutherani?

Quid hodie Iura ſtatuant?

An & quãdo pater poſſit filiã occidere?

An, & quo modo pater poſſit filios inobedientes caſtigare?

MMMCMIV. *An filius ſit hæres patris?*

Patri filius in hæreditate ſuccedit: & hoc tam neceſſarium eſt, vt ſi habeat cauſas pater, ob quas nolit ad filium hæreditatem tranſmittere, illum debeat nominatim exhæredare, aut aliàs teſtamentum eſt nullum. *leg. Si filius.7. leg. Gallus.19.in princ.& in §. in omnib. leg. inter Cætera. 30. leg. penult. in fin. D.de liber. & poſth. leg.maximum vitium. 4. C. de liber. præter.* Vnde *Inſt.de exhæred. lib.in princ.* filius in patris poteſtate conſtitutus *ſuus hæres* dicitur, & etiam patre adhuc ſuperſtite paternorum bonorum quodammodo dominus, & poſt patris mortem non adquirere novum dominium, ſed quod priùs habebat continuare. Hoc tamen non obſtante ſunt multæ cauſæ, ob quas poteſt filius paterna hæreditate privari: ex quibus ſunt præcipuæ quatuordecim, quas in *§. aliud quoque capitul. Auth.vt cum.de appell.cognoſc.* Imperator Iuſtinianus enumerat.

An poſſit omitti in teſtamento?

Si nominatim non excludatur, teſtamentũ eſt nullum.

An paternorum bonorum dominus ſit vivente patre?

An, & cur poſſit exhæredari?

Tantâ providentia & circumſpectione Cæſarea Iura filiorum educationi proſpexerunt: nec ita ſunt iniqua ſpuriis, vt Caniſius occlamat; nam magnæ illa æquitati & prudentiæ innituntur, Certum eſt eos parentibus & avis paternis non ſuccedere. Ita *gloſſ. & Doctores in §.noviſſimè. de S. C. Orfi.per text. & ibi nota.l. ſi ſpurius.4.& in l. hac parte.4. D.vnde cognati.* At hoc ipſum ratione ſecurâ fundatur: nam ſpurij non ſunt certò filij, & certa hæreditas filiis incertis non debetur. Scitè enim D.Franciſcus Verde *in tract. contra ſelectas Borgiæ, quæſt.4.§.45. pag. 43. b.* ait. [Sotus *lib.1. num.2. in fin. verb. ſed moleſtior.* quæ vnum admiſit, abſque iniuria credi poteſt alium admiſiſſe. *leg.huius D. de condit. & demonſtr.*] quoniam ex Regula VIII, *quæ ſemel mala ſemper mala præſumitur.* At hoc ipſum non eſt ita generaliter verum: nam Baldus *in l.1. C.de iure aur.annull.* eos ad ſucceſſionem admittit, ſi detur Statutum, quod corrigat Iura communia.

An iniquũ ſpuriis ſit Ius Cæſareum?

Cur illegitimi non ſunt hæredes?

An, quæ vnum admiſit, alios admiſiſſe cenſenda ſit?

Cæterùm certum eſt eos æque ac legitimos ſuccedere matri ab inteſtato. *d.§. noviſſimè.*

mè.de SC.Orſi.l.hac parte.3. D.vnde cog.l. 1. *§.ſed & vulgo.* D. *ad SC. Tert.* Immò etiam avis maternis.*l. Modeſtinus.* 8. D. *vnde cog.* Succedunt etiam matri ex teſtamento. Et, ſi hæredes inſtituti non fuerint, aut ſine iuſta cauſa exhæredati movere poſſunt querelam inofficioſi teſtamenti *l. 6. ſuſpecta.* 29. *de in offic.* D. *inoffic. teſtam.* Et ratio eſt eadem. Quia ideò non ſuccedunt patri, quia neſcitur an verè illius filij ſint. At eos eſſe matris ſuæ filios certum eſt. Ergo matri ſuccedent.

An illegitimi matri neceſſariò ſuccedant? An ſine cauſa poſſint à matre exhæredari? & cur non poſſint?

Præterea deberi ſpuriis, ſi non Civilia, ſaltem naturalia alimenta, nunquam negarunt Legiſtæ, nam hæc negare eſt interficere.*l.necare.*4.D.*de lib.agn. & cap. paſce.* 21. *diſt.* 85. Et quidem apud Veteres Iuris conſultos etiam ſpuriis partem hæreditatis, ſuæ conditioni congruam & convenientem fuiſſe adſignatam, demonſtrat nomen *nothia*, quod à voce *nothus* oritur, & in Lexicis eam portionem ſignificare dicitur, quæ filiis nothis debebatur: & certè fruſtra nomen haberet in Republicà, quæ in illa non eſſet. Et præter alios Bartolus *in Auth. ex complexu.* aſſerit parentes huiuſmodi liberis in teſtamento ratione alimentorum relinquere, & dotes filiabus conſtituere poſſe, cùm dos ſuccedat loco alimentorum. Et tam latè, aut etiam laxè viſus eſt loqui Bartolus, vt Additionator apud Ioannem Oinotomum *in lib.* 1. *Inſtit. tit.*1.*pag.*226.ꝛ iuxta Editionem Venet.ann. 1619.hanc limitation. adpoſuerit. [Dummodò non immoderata alimenta eis relinquantur Modus autem intelligitur pro qualitate perſonæ Baldus *in auth. ex complexu.* C. *de inceſt. nupt.*]

Alimenta, alia ſunt naturalia, alia civilia, vtra ſpuriis negentur? An nothia ſit pars hæreditatis, quæ nothis debita? An Iura ſolùm nimia alimenta illegitimis dari interdicant?

Denique, quod ſtatuitur de vno correlativo, cenſetur quoque ſtatutum in altero. *l.fin.* C.*de ind vid.toll.* Vide Everardum *in Topicis. loc.à correlativo.* At ſpurius tenetur naturaliter patri, & eum in neceſſitate debet alere. Ergo pater filium in ſimili neceſſitate. Oinotomus *in lib.*3 *Inſtit.tit.*1.*pag.*230.*b.num.*51. [Tales filij in caſu neceſſitatis parentes alere tenentur, ſicut & huiuſmodi filij de æquitate Canonicà à parentibus ſunt alendi]

Illegitimus tenetur alere patrem: ergo contrà.

M M M-CMV. Similem poſſet formare querimoniam Caniſius contra *legem. Lucius.* D. *de act. empt.* ex quâ inferunt Iuriſperiti, mulieri, quæ ob mariti ſævitiam diſceſſit, alimenta deberi: ei autem, quæ ob ſuam culpam receſſit, non deberi. Surdus *de alim.titul.* 1. *quæſt.* 38. & *tit.*9 *quæſt.*16. Et quid,ſi argutetur, & inſtet. Alimenta negare, eſt necare. *leg. necare.* 4. D.*de lib.agn.& cap. paſce.*21. *diſt.*85.*citatis.* At maritus vxorem non poteſt occidere. Ergo nec poteſt illi alimenta negare.

An, & quando vxori, quæ à marito receſſit alimenta debeantur?

Sed reſpondeo primò Legiſtas in caſu non negare vxori naturalia alimenta, ſed negare civilia: non enim illa tenetur maritus præſtare. At negare civilia non eſt necare: nam innumeri in Republicà vivunt, & bene valent homines, qui Civilia alimenta non habent.

An occidatur illi, quibus civilia alimenta negantur?

Et reſpondeo ſecundò hanc ipſam Legiſtarum doctrinam à Theologis vniverſis admitti. Audi doctiſſimum Malletum *de ſacram. malleat.* 60. *bract.* 6. dicit enim [Videndum eſſe cuius ſit vltima culpa, quæ immediatè fuit cauſa diſceſſûs vxoris è domo mariti, & iuxta illam iudicandum. Quod ſi vltima culpa fuerit mariti, ob quam vxor diſceſſit ab ipſius domo, vir tenetur eam alere: ſi verò vltima culpa fuit vxoris, vir non tenetur eam alere.] Et citat pro ſe Sanchez *lib.* 9. *diſp.*4. & *lib.* 10. *diſp.* 18. *num.* 24. & Regnaldum *lib.* 20. *num.* 48. & alios. Et reponit hanc eamdem doctrinam *cit. maleat.* 60. *bract.*27. *pag.*658.*b.* Præterea, *bract.*7. interrogat, An maritus teneatur alere vxorem, dum is, qui dotem promiſit, eſt in morà ſolvendi dotem, quam commodè ſolvere poteſt?] & reſpondet negativè: quia dos traditur ad ſuſtentanda onera matrimonij. *leg. pro oneribus.* Et ſubiungit. [Sciendum, quòd, ſi dos culpâ vxoris perit, vt quia fiſco culpà ipſius addicta, tunc maritus vxorem alere non tenetur, ac ſi dotem non accepiſſet. Ita Sanchez *lib.*9.*diſp.*5.*num.*10. Molina *de iuſtit.c.* 425. Surdus *de aliment. titul.*9. *quæſt.* 19. & alij.] Etiam adulteræ alimenta negantur. Quoniam dos apud Europæos datur marito, vt alimenta vxori præbeat, *leg. pro onerib.* C. *de iure dotium*, & *leg.dotis fructus.* D. *eod. tit.* & *leg. marit. ſolut. matrim.* At mulier, à marito ob adulterium ſeparata, perdit dotem. *cap. plerumque de donat inter vir. & vxor.*(*lib.*4. *tit.* 19 *cap.* 4.) Ergo nullum ius retinet ad alimenta.

An videndum ſit, cuius culpâ diſceſſerit? An maritus alere teneatur vxorem, ſi dos non ſolvatur? An, ſi dos culpâ vxoris perdatur? An, ſi vxor adulterium committat?

M M M-CMVI. IN quo vlteriùs peccavit Iuſtinianus? *Dum comprobat*, inquis, *leges Iuriſconſultorum, quibus Patri permittitur, vt is filiam ſuam in adulterio deprehenſam poſſit vna cum adultero impunè, & ſine ſcelere occidere.l.patri.*20. *& l.quæ ait ff. ad l. Iuliam de adulteriis.* At Imperatorem defendo. Nam videris primò aſſerere hanc patri poteſtatem abſolutè concedi, quam, vt ex contextu videre potuiſti;& debuiſti,cum limitatione concedit: & multas eſſe vniverſales propoſitiones falſas, quæ reſtrictæ ſunt veræ, indubitatum eſt. Præterea, videris aſſerere ſecundò, concedere poſſe maritum vxorem comprehenſam in adulterio interficere:& ego in Decalogo tam vxoricidium, quàm filicidium interdictum reperio. Porro à te vxoricidium licitum eſſe in tali caſu credi, vel inde colligo, quòd cùm illud admittat Iuſtinianus *l. merito.ff. de adulteriis, & l. Gracchus*, *eodem titul.* & tu ſpicas interlegas, quæ poſſis carpere,illud omittis.

An Pater poſſit filiam occidere? An Maritus vxorem?

Hanc quæſtionem, ſicut omnes alias, doctiſſimè & ſolidiſſimè pertractat D Franciſcus Verde *in defenſione huius Teologiæ Fundam. contra ſelectas Borgiæ Propoſitiones*; *quæſt.* 4. §.48. *num.*181.*pag.* 44. *b.* ex quo aliquorum incidentium dubiorum doctam ſolutionem deſumam.

Dominus Verde laudatus.

Quæro primò, *An reverà in Cæſareo Iure marito concedatur adulteram occidendi facultas?* Reſpondet [Non invenio tamen in Iure textum, in quo marito habeatur poſſe occidi adulteram. Imò *leg.ſi adulterium cum inceſtu.*38.§ *Imperatores,ff.de adult.* punitur, ſi occidat, licèt mitiùs; quia ſe vindicare non debuit.] Et forſitan eiuſdem erat opinionis Caniſius, ſiquidem Iuſtinianum ex hoc capite non incriminatur. Progreditur D. Verde veniendo ad iudicium. [Adulter plectitur pœnâ

An impunè occidatur adultera? Qui eam occidit, pœnâ mortis punitur.

Digitized by Google

pœnâ mortis naturalis. *leg. quamuis. l'a. 2. C. ad leg. Iuliam de adult.* vbi Angelus *in princ.* Salicetus *col. pen.* Franc. *deciſ.* 240. *num.* 5. vbi ex cauſis talis pœna interdum minoratur.]

Quid in Neapolitano regno iubeant Conſtitutiones?

Fatetur tamen huiuſmodi homicidium permitti ex Conſtitutionibus Regni Neapolitani: inquit enim. [Obſerva hîc iure Regni, *Conſtit. ſi maritus, tit. de pœna vxor. in adult. deprehenſa*, maritum poſſe occidere vxorem & adulterum cuiuſlibet conditionis : ſi verò non poteſt occidere, ſed indicio probatur, tunc truncatur à viro naſus vxori. *Conſtit. legum aſperitate. tit. ad adult.*]

M M M-CMVII. *Quanam leges dicantur id concedere? Quando, qualem, & vbi, poſſit pater occidere filiam? Quando, & vbi maritus adulteram, adulterum-ve?*

Et quidem tres leges, quæ à Legiſtis communiter adducuntur, limitationes multas habent : primò enim producitur *lex. patri.* 20. *cum* 21. 22. 23. *D. ad legem. Iuliam de adulter:* ſecundò, *leg. marito quoque.* & tertiò *lex. Graccus.* 4. *C. ad leg. Iuliam. de adult.* Prima enim concedit patri, vt filiam ſuam, non quamcumque, ſed in poteſtate ſuâ exiſtentem : non vbivis, ſed tantùm domi ſuæ, aut generi, & non alibi : ſecunda concedit marito, vt domi ſuæ, non autem in domo ſoceri, aut alibi, vxorem occidat : Tertia indulget ſimiliter marito, vt occidat adulterum, ſi vilis conditionis fuerit. Et omnes, vt in continenti : non autem hodie propter adulterium, quod heri perpetratum fuit. Et cenſetur eſſe vnus actus, cùm occiſo adultero illa non niſi poſt aliquas horas invenitur. *leg.* 23. *§. vlt. D. ad leg. Iul. de adult.*

Quid ſit in continenti occidere?

An adulter aut adultera tutâ conſcientiâ occidi poſſint?

Quæro ſecundò, *An peccet vir, qui occidit adulterum, aut adulteram, in caſu & ſub circumſtantiis, ſub quibus id Politica leges permittunt?* Citat D. Verde pro affirmativâ Sanchezium *lib.* 10. *de Matrim. diſp.* 8. *num.* 39. qui etiam alios ſcriptores adlegat. Et eorum opinionem in margine magis piam, quàm doctam eſſe aſſeverat : Pro negativa autem Leſſium *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 16. Azevedum *lib.* 8. *tit.* 20. Thomam Hurtadum *tom.* 2. *variar. tract. vlt. reſol.* 5. & 7. *num.* 204. Baſilium Poncium *lib.* 9. *de matrim. cap.* 15. qui teſtatur multos Doctores Salmanticenſes eam liberam ab omni cenſurâ iudicaſſe, præterea etiam Alverium de Rozate, Menchacam, Sà, Iaſonem, Barboſam & alios producit. Eamdem etiam tenet Caſtillus *in leg.* 82. *Tauri. num.* 6. *in fin.* vbi & Gomez *num.* 52. & alij. Pro eâdem citat Caramuelem Guimenius *tract. de iuſt. & iur. propoſ.* 4. Sed quia non vniverſaliter loquitur Caramuel, operæ pretium erit, ſequentes legere conſiderationes.

Authores pro vtraque ſententia adducuntur.

Quanam ſit ſententia Caramuelis?

An hæ leges impunitatẽ ſolam, non verò poteſtatem indulgeant?

Ante reſolutionem doceri volebat Caramuel, veram legum, quæ ſolent citari, intelligentiam. Poſſet enim quis dicere, id illas non præcipere, nec licitum declarare, ſed tantùm tolerare ad maiora mala vitanda : nam Romæ & Pragæ, & in multis vrbibus Catholiciſſimis, ad vitanda maiora mala, & boni maioris intuitu, meretrices, & Iudæi permittuntur. Hunc enim videtur reſpexiſſe Poncius *lib.* 9. *de matrim. cap.* 15. *n.* 20.

M M M-CMVIII. *An maritus poſſit adulteram vxorem plectere, vt miniſter Reipublicæ?*

Quid, ſi dicamus, poſſe Rempublicam condemnare ſententiâ vltimâ adulteros, & exſecutionem ſententiæ committere lictori, & ſi velit, aut parenti, aut marito? Porrò in tali caſu illis daretur authoritas, vt non nomine proprio, ſed nomine Reipublicæ, vt miniſtri authoritate publicâ inſtituti, comprehenſos in adulterio liberè, & impunè confodiant. Et hinc licere docet Caſtillus *in l.* 82. *Tauri. n.* 6. cuius opinioni probabiliter ſubſcribit Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 5. *num.* 16. quam neſcio ab alio, quam à ſolo Baſilio Poncio *vbi ſupra* improbabilem dici : me enim Iudice, ſtando authoritati, eſt probabilis ; & ſtando rationi, quam debuiſſet percallere Baſilius, certa & euidens.

Obiectio.

Si obiicias Nicolaum Pontificem Summum *cap. inter hac* dicentem, non licere ſecundum leges Eccleſiaſticas vxorem adulteram interficere: Reſpondebit fortaſſis aliquis, id non militare contra Iuſtinianum: non enim ipſe dicit id licere ſecundum Eccleſiaſticas leges, ſed ſecundum ſuas. Addet id non militare contra Caſtillum, Leſſium, aut etiam alios, qui illorum ſententiæ ſubſcribunt : non etiam aſſerunt id licere ſecundum Canonicas, ſed ſecundum Ciuiles ; ſicut multa alia, in quibus non ſolùm leges Eccleſiaſticæ differunt à Cæſareis, ſed etiam Cæſareæ à Regalibus in diuerſis Prouinciis. Vnde ad intelligendam hanc ſolutionem Lectori proderit videre Appendicem de differentiis Iuris Canonici, & Ciuilis, quæ Tuæ Summæ his annis vltimis acceſſit. Vnde, vt vnum exemplum ſolùm ponam, inquiram, *an, ſi in tres arbitros Petrus, & Paulus compromittant, & tamen vnus ex illis noluerit comparere, duo alij arbitri poſſint in cauſa procedere?* & reſpondebitur iuxta Canones poſſe *cap.* 2. *de arbitris, lib.* 6. at iuxta leges Cæſareas non poſſe, *l. ſi in tres.* 20. *ff. de receptis arbitris*, adeoque inter Eccleſiaſticos ſtandum eſſe Iuri Canonico, inter ſæculares Ciuili. Vnde ad vxoricidium, & filiicidium deueniendo, puto, *Nullum Eccleſiaſticum poſſe ſuam vxorem, aut filiam in adulterio comprehenſam occidere* ; & ratio eſt, quia ad Canones eſt iudicandus. Quam ob rem, ſi duo coniugati communi conſenſu ad religionem tranſirent, vel ſacerdotes vxores ducerent, tunc nec Eccleſiaſticus vxorem, nec Pater ſæcularis filiam Religioſam, nec Eccleſiaſticus ſæcularem, nec Eccleſiaſticus Religioſam poſſet occidere, tametſi in actuali adulterio repertam.

Leges Canonica Cæſarea & Regia differunt: multa licita ſecundum alias, quæ ſecundum alias ſunt illicita.

De Arbitris. An poſſint plures & non omnes in cauſa procedere.

De filiabus, & vxoribus Eccleſiaſticorum.

Sed quia definitiuam reſolutionem exſpectas, & hucuſque hinc inde diſputationis gratia ingenij alis volitare voluimus, vt Lectori ſtudioſo morem geram, Poſitiones ſubſequentes ſubſcribo. Sit. M M M-CMIX.

De Eccleſiaſticis.

Prima. *Non licet Eccleſiaſtico vxorem aut filiam deprehenſam in adulterio, aut fornicatione interimere.* Patet, quia Eccleſiaſticæ leges eiuſmodi homicidia interdicunt. *Eccleſiaſtici* nomine intelligere volo omnem hominem, qui Iuri Canonico ſubditur : adeoque non ſolùm Clericum, ſed Laicum, etiam in S. Petri territorio habitantem. Ergo Eccleſiaſticus, qui tale homicidium commiſerit, erit reus homicidij.

Quinam illi ſint?

Secunda. *Sæculares*) *Hiſpani, Germani, Galli, &c.*) *apud quos eiuſmodi homicidia permittuntur, ſi lex tantùm ſit permiſſiua, impunè vxores adulteras, aut filias fornicarias in actu ipſo deprehenſas occident, at peccabunt mortaliter.* Patet ex ipſâmet ſuppoſitione : ſi enim M M M-CMX.

Leges aliæ permiſſiuæ, & aliæ definitiuæ ſunt.

Digitized by Google

Non omnia, quæ in foro exteriori, ſunt in interiori permiſſa.

enim lex tolerat meretrices, non facit, ut fornicatio non ſit peccatum, ſed ob bonum publicum tolerat, ut committatur impunè. Et quidem illas Cæſareas leges, non plus concedere, quàm ut adultera occidatur impunè, multi Viri docti aſſeverant: Et præcipuè Malletus *malleat. 60. tract. 35. pag 661. A.*

Maritus eſſe poteſt miniſter publicus.

Tertia. *Vbi ſæculares leges maritum in tali caſu, aut patrem exſequutorem ſententiæ capitalis inſtituunt, nihilominus peccabunt mortaliter, ſi reos confiteri non permittant.* Patet: quia ſine cauſa, aut neceſſitate reos in orcum præcipitant. Quo enim illi miſeri modo inſtantaneâ turbatione perculſi poterunt actum contritionis elicere, quem vix eliciunt homines, cum ſedato animo illum elicere procurant? At huiuſmodi leges, ſicubi dantur, iniuſtitiæ incriminantur Molina *de Iuſtit. tract. 3. diſputat. 7. num. 2.* Malletus *ubi ſupr.* & alij; non enim fœminam inauditam, & ſine proceſſu Reſpublica poteſt tradere carnifici, ergo nec marito occidendam. Dices, in manifeſtis & notoriis non eſſe neceſſarios teſtes nec proceſſus: vt conſtat *ex cap. bona de elect.* Et reſpondeo adulterium Reipublicæ notorium non eſſe, & hic argumentum corruere.

Eſt difficile actum contritionis elicere.

Civiles leges ſæpe corriguntur à Iure Canonico.

Quid ſi illos confiteri permittant? Adhuc peccabunt, vbicumque Ius Canonicum receptum eſt: nam leges Civiles in hoc expreſsè à Pontificiis corriguntur, *per cap. Præter hæc. 31. q. 2.* Vbicumque enim Politicæ leges exorbitant, & præcipuè in materia peccati, corrigi poſſunt, & ſolent à Canonicis; ut teſtantur non ſolùm Iura Pontificia (*cap. cum eſſet de teſtam. cap. 2. de arbitr. in 6. cap. ius canonicum. & cap. licet mulieres, &c.*) ſed & Cæſarea (*l. Privilegia, l. de ſacroſanct.* & *ibi* Gloſſa. *Ambitiones.* quod etiam Caroli Magni ſpeciali lege ſanctum eſſe latè, & doctè perſuadet Reverendiſſ. D. Auguſtinus de Belis, ingenij, & eruditionis ſummæ Vir, *in proœmio libri de Eccleſiaſtica Hierarchia. num. 28.*) Ita communiter Doctores, ut teſtatur Covarruvias *de matrim. 2. part. cap. 7. num. 15.* Iulius Clarus §. *Adulteria*, Baſilius Poncius *lib. 9. cap. 15. num. 19.* Malletus *malleat. 57. tract. 16. pag. 606. B.* & alij.

De provinciis, in quibus Ius Canonicum nõ eſt receptũ.

Sed quid de illis Provinciis, ſiquæ ſunt, in quibus Ius Canonicum, quoad ſæculares receptum non eſt? Reſpondeo in tali hominès loco poſſe licitè occidere adulteram, aut fornicariam; nempe, ut miniſtros publicos, modò permittant, ut rei cõſcientias expient, & ſua peccata confiteantur, & mandata publica, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad vllum modum excedant.

MMMCMXI. *An poſſit aliquis ſine prævia confeſſione à Republica occidi?*

Dices In multis Rempublicam caſibus iubere, ut occidantur homines. quorum animas æternùm eſſe perituras dignoſcit: ut patet in bello iuſto contra infideles; & in perſecutione banditorum, &c. Ergo etiam in præſenti caſu poſſet permittere, aut iubere, ut ſine prævia confeſſione occidantur fornicariæ, & adulteræ.

Occidi ſine confeſſione nõ poteſt, qui ſine damno & iniuria alius vt confiteatur, permitti poteſt.

Reſpondebo, nunquam licere occidere hominem ſine confeſſione. ſi poſſit illi favor iſte concedi. Sæpe autem ſine confeſſione occiduntur: nempe hæretici, quia frui iſto favore nolunt: & banditi, quia non ſunt capti, & fugerent, cum magno Reipublicæ damno, ſi confiteri iuberentur. At adultera comprehenſa permitti, ut ad Deum ſe convertat poteſt, & poſteà iuxta leges puniri.

MMMCMXII. *Iuſtiniani obedientia & ſinceritas.*

ILla verba, *Sancimus igitur vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas Regulas, quæ à ſanctis quatuor Conciliis (videlicet, Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi) expoſita ſunt, aut firmata; prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, ſicut Sacras Scripturas accipimus, & regulas ſicut leges obſervamus.* Novel. 131. de Eccleſiaſticis titul. §. 1. Iuſtiniani obedientiam & humilitatem commendant; qui admittere dogmata, hoc eſt, Canones, Definitiones, aut Fidei articulos debuit, eſſet enim hæreticus, ſi diſſentiret; Regulas ſeu Leges potuit, nam & Concilij Tridentini Canones, à ſolis Hæreticis negatos videmus; Leges verò à Gallis & aliis multis Orthodoxis non admiſſas; Leges enim (ut inquiunt) Eccleſiaſticæ ſi non acceptentur, in conſcientia non obligant; quod totius Europæ praxi & communi teſtimonio confirmant.

In Concilio alia ſunt leges, & alia ſunt definitiones: iſta rejici non poſſunt ſalvâ Fide: illa poſſunt.

MMMCMXIII. *De iuris Canonici utilitate & neceſſitate.*

HIs poſitis Tuam ego præfationem relego, meam reſponſionem recognoſco, & has concluſiones ſubjungo.

PRIMA. *Canonici Iuris notitia valde utilis eſt Iuriſtæ: valde etiam utilis Theologo; non tamen ſimpliciter neceſſaria, ſed ad melius.* Vtilitatem demonſtro; quoniam multa ſunt in altero Iure omiſſa, multa obſcuriùs poſita, quæ collatione ſupplentur & illuſtrantur. Non eſſe ſimpliciter neceſſarium oſtendo, quoniam magnos Theologos & Iuris Profeſſores vidimus ſola ſcholaſtica ſuæ facultatis ſpeculatione contentos, quos eſſe neceſſarios Reipublicæ nemo litteratus ignorat,

Hæc tuam mentem Concluſio exponit omninò, & dilucidat; ſed quia tu, quantum Theologus, aut etiam Legiſta egeat Iure Canonico, eruditè expoſuiſti; non tamen quantum Canoniſta Theologiæ aut Legum indigeat cognitione; paucas has lineas addo Sit igitur Concluſio

De iuris Civilis utilitate & neceſſitate.

SECVNDA. *Iuris Cæſarei notitia eſt Canoniſtæ neceſſaria; non ſimpliciter quidem, ſed ad melius.* Et eadem ſubſiſtit ratione, qua utilitas Iuris Canonici perſuadebatur: & firmatur verbis Lucij III. *cap. 1. extr. de novi oper. nunciat.* dicentis, *Sicut Leges non dedignantur ſacros Canones imitari* (Ecce Canones luci ſunt Legibus) *ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adiuvantur.* (Ecce Leges ad Canonum intelligentiam penitiorem conducunt.)

De Theologia ſcholaſtica utilitate & neceſſitate.

TERTIA. *Eſt ſummis erroribus expoſitus Canoniſta, qui Theologia Scholaſtica careat.* Et ratio eſt manifeſta, quoniam omnis textuum intelligentia Theologicis fundamentis ſubſtruitur; videmúſque verſatiſſimos nonnullos Canoniſtas interdum defectu Metaphyſicæ & Scholaſticæ Theologiæ claudicare: ita enim exponendi ſunt textus, ne expoſitio ſit rationi contraria; rationem autem non diſcutit, elimat, aut examinat Patrũ

authoritas, ſed ſcholaſtica & rationalis mentium magnarum concertatio.

Multis verbis indigemus homines, ut res diſcamus, aut doceamus: At beati omnia vident in Verbo: & totâ Deus Pater æternitate unicum tantummodo produxit verbum.

Hæc eſſe vera, Caniſi mi, multis ego verbis pronuncio, multis ſcribo, & tamen cœcutio in rebus claris. Tu omnia clarè diſtinctéque in uno Verbo, ſed divino, intueris (ſic ſpero) ſciſque, Theologiam. Canoneſque ita concatenari, ut qui illam neſciat, iſtos etiam ignoret. Ora Deum, ut qui divinitate & brevitate ingenij tui docemur, tibi olim in Empyreo ſiſtamur, Deo gloriam & tibi laudum mineral ſoluturi, & convicturi æternis annis.

Sic ego olim Caniſio, ut Iuris utriuſque notitiam & ſpeculativam Theologiam eſſe concatenatas demonſtrarem. Tu ſubſcribe, & quà poſſis, Canones Theologiæ coniunge, illos ab Articulis Fidei diſtingue, & in doctiſſimum Virum evades.

SECTIO III.

De Authoris Mente, & Voluntate.

MMMCMXIV. *De ignorantiâ Authoris.*

DVo ſunt, Candide Lector, quæ adverſus ignorantias meas ab Æmulis obiici ſolent: Alterum, *Cur non debeam intelligere, quæ nemo imperitus ignorat?* alterum, *Cur meâ debeam ignorantiâ abuti, & accuſare aliquos, quos multi tolerant; & excuſare alios, quos torrens Theologorum condemnat?* Quibus ut reſpondere exactè poſſim, debebo mente alienâ uti, ne etiamnum dicar propriâ abuti. Recenſebo igitur unum aut alterum Apophthegma, cuius cooptatione iuvabor.

Patris Antolines laus.

Patri Antolines Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Provinciali, Theologiæ Doctori profundiſſimo, & in Salmanticenſi Univerſitate Profeſſori primario, qui fuit poſteà Compoſtellanus Archiepiſcopus, ſerviebat Frater Ioannes, Laicus ſenex & diligens, ſed analphabeticus & literarum omnium expers. Hunc exercebat aliquando Pater Mendoza, qui Cathedram veſpertinam ibidem tenuit; ſinceritate enim hominis ſummopere delectabatur. Et cùm ſemel Frater Ioannes tranſiret, *Heus tu*, inquit, *accede, & redde villicationis tuæ rationem. Tu adſiſtis Patri Antolines totâ die: homini nimirùm doctiſſimo, & inter Theologos Europæ Principi: eius lectiones audis quotidie iam à quindecim annis: alij condiſcipuli tui triennio abſoluunt, & in Viros magnos evadunt. Omnes, qui hodie in Ordine noſtro Philoſophiam, aut Theologiam profitentur, omnes qui concionantur, omnes qui excipiunt confeſſiones; omnes tecum audiverunt duobus aut tribus annis hoc ſcientiarum prodigium, quod tu quindecim; & interim illi ſunt doctiſſimi; & tu hæres & hæres in primâ Abecedarij lineâ, & nondum internoſcis Vocales! Redde rationem perditi temporis, Frater Ioannes. Quid reſpondere Chriſto poteris iudicaturo vivos mortuoſque? Quid es, quæſo, dicturus, cum tandem aliquando rogeris, cur omnia ignores, cùm tamen habueris tempus & locum, ut omnia addiſceres?* Putabat Mendoza nihil reponi à Ioanne poſſe: hærebant circumſtantes; & quid ille reſponderet ſummâ animi ſuſpenſione expectabant. Tunc ille ex tempore: *Si Dominus Ieſus Chriſtus talia dixerit, paucis me expediam. Qua ratione, inquam Ego, à me rationem exiges Domine Deus, de ratione quam mihi negaſti? Si volebas me evadere in Virum doctiſſimum, cur me creaſti tam ſtupidum barbarumque? Hæc eſt ratio villicationis meæ.* Homines & iumenta ſaluabis Domine. *Homines, quia Antolines, Mendozam, alioſque: iumenta, quia Ioannem, & alios laicos illi ſimiles, qui ſerviunt huic ſancto Collegio.* Reſpectabant univerſi Mendozam, & ille hac inexpectatâ ſolutione perculſus, neſciebat quid laico reſponderet. Hæret paululum; & in ſe ſeductus, dicit omnibus: *Per Deum, quòd non ſcio replicare: nec occurrit quid alius replicare poſſit. Ioannes evicit ſuum intentum.*

Fuit Sacræ Theologiæ Doctor, & Salmanticæ (Primaria univerſitas eſt) Anteceſſor Primarius. Pauperum protector, pupillorum & viduarũ patronus. Et tandem non ſine miraculo ad Epiſcopatũ evectus. Vixit pientiſſimè & cum opinione ſanctitatis defunctus eſt:

N. B. Hic opportunè quæri poſſet in margine, *An verum ſit, eſſe homines, qui ſolo labore proficiunt; quod de multis ſuæ ætatis Doctoribus Petrus Abaëlardus affirmat?* Uno verbo reſpondeo *Ingenium ſine ſtudio & labore aliquid interdum præſtare; laborem ſine ingenio nihil.* Sunt, qui memoriâ, quæ legunt retinent, & eiſdem verbis, quibus didicere, reponunt, at hi non debent docti dici: cæterùm ingenioſi etiam in materiis, in quibus non fuerunt diſcipuli, ſi illas attentè meditentur, oſtendunt ſe eſſe magnos Magiſtros.

Hac doctrinâ ego inſtructus reſpondeo illis, qui ignorantiæ heri, & iam hodie benigniùs, aut fortè ſeverius, me arguunt ſcientiæ. Scientiæ quidem; quamdiu enim putarunt æmuli, de ſcientiâ me vanè gloriari, omni niſu conati ſunt errores meos & ignorantias propalare: at quia iam meam ego ignorantiam profiteor, iurant deierant mihi nota illa omnia, quæ ignota affirmo. Et quid reſpondebit Deo, inquiunt, Caramuel in tremendâ illâ die, quâ cogetur reddere rationis ſuæ rationem: Et illis confidenter Caramuel: *Si Dominus Deus, quod non faciet, talem à me rationem exigat, paucis me expediam. Nemo eſt, inquam hodie in terrarum orbe, quem ſciã, Domine Deus, qui ab infantiâ tam aſſiduè libris impallucrit, quàm Ego. Hoc tu ſcis. Cùm fui puer, nullum luſum amavi; nullum exercui; nullum ſcivi: nullum etiamnum ſcio; mihi libri ſtudio & recreationi ſemper fuerunt; quod tu etiam ſcis: Si ſim in rhedâ, ſi in equo, ſi in menſâ, ſi in lecto: [& quod cum pudore dicturus ſim; ſi in choro, ſi in meditatione, ſi in horarum lectione (puto enim me ad attentionem internam non teneri: puto me ad impoſſibile non obligari; mihi autem ex quacumque poſitione ad centenas alias non diſcurrere, impoſſibile eſt: puto Deum ſcholaſticè meditari, eiuſque attributa in creaturis rimari, quod facit in Pſalmis omnibus aut ferè David; eſſe bonam attentionem habere, etiam in illorum ſententiâ, qui internam poſtulant) ſi in labore, aut aliis actibus Communitatis] ſemper ſtudeo: & ſi ſtudere eſt orare, ſemper oro: & hoc etiam tu ſcis, & tamen illa, aut pleraque neſcio, quæ in hoc libro aliis olim reſolvenda propoſui: vel etiamnum in hac novâ editione, aut intacta relinquo, aut tanquam merè probabilia doceo. Ergo ſi illa volebas à me ſciri, cur me creaſti tam ſtupidum & rudem? nam, qui diligentiam omnem adhibeo,*

Authoris genius.

An interna Attentio in lectione Canonici Officij requiratur.

An contra debitam attentionem militent Scholaſticæ meditationes de Deo?

adhibeo, nec proficio, cogor in mentis tenuitatem, ignorantiæ culpam exonerare. Scio, quod homines & iumenta ſalvabis Domine; *Sunto homines, qui nati docti, & omnia ſciunt, cum genio indulgeant, potitationibus & comeſſationibus totâ die vacent, & nihil omninò didicerint, adhuc ego in ignorantia mea apud te ſum, & ſi poſſum doceri, laborem & diligentiam non recuſo.* Et quid contra Æmulus? Si doctus, ſi ſincerus ſit; quod Mendoza: non enim aliud, quod poſſit reſponderi, ſuccurrit.

N. B. Sunt de attentione & intentione æquivocationes non paucæ. Nemo negat intentionem pronunciandi illa verba materialia requiri, qui enim tali intentione & attentione careret, illa non pronunciaret: ſolùm quæritur, An intentio ſatisfaciendi, aut attentio ad illorum verborum ſignificationem, aut alia fortè meditatio, dum horæ leguntur, requiratur? & reſpondere debent negativè, qui illi Piotheoretæ ati inſiſtunt, *De occultis non judicat Eccleſia.*

M M M-CMXV. *An Caramuelis ſint ignorantiæ tolerandæ?*

Sed hæ ipſæ Caramuelis ignorantiæ, inquis, ſunt multis miræ, omnibus pernicioſæ; Nam dum frequenter in Editione prima, imò etiam interdum in ſecundâ, ſubtiliter dialecticatur, multa alterat in expoſitione præceptorum Decalogi: multa circa hæreſin materialem inſinuat: multa circa iuramenta & vota; multa dicit de feſtorum obſervantiâ; de cultu Parentum nonnulla, quæ negant reliqui: de homicidio & duello multa ediſſerit, quæ utilius neſcirentur à Laicis: in genere Luxuriæ multa inutiliter ſpeculatur: multas uſuras & ſimonias excuſat; multas æquivocationes etiam, quæ mendacia videntur, licèt deteſtari ſe dicat. Reſtrictiones mentales nomine *Politicæ veritatis* colorat; & expunctis Reſtrictionibus mentalibus aliam viam iniit, quæ plures conſequentias & magis inconvenientes parturit: & ut verbo omnia dicas, Non manet in totâ Theologiâ Morali veritas, quæ non arietetur à Caramuelis iſtis dubiis. Cohibenda igitur eſt hominis ignorantia, nec debet permitti ille impoſterum tam multa ignorare aut neſcire.

Politica Veritas differt toto cœlo à Grammaticâ.

M M M-CMXVI. *Permittendum eſt ut indocti conſulant doctos.*

Sed hoc ipſum, me Iudice in Veritatem & Ingenium ſævire eſt. Non errat, qui interrogat; non, qui dubitat, & ſcrupulos ſuos humili ſinceritate proponit. Non, qui ſuam tenuitatem fatetur, & doctiores interrogat, erudiri & doceri paratus. Scripſi ante annos multos Dialecticæ, Philoſophiæ, & Theologiæ Moralis curſum, quem exorno, & luci publicæ quamprimùm dabo. In contextu novi & curioſi Operis reperiebam ſcopulos, & tempeſtates: ſententiæ enim quamplurimæ, quæ vulgò dicebantur probabiles, opponebantur ſibi mutuò, rigore conſequentiæ ſervato: & multæ etiam, quæ videbantur temerariæ & præcipites inferebantur neceſſariò ex communi doctrinâ: Dum Moralitates omnes ad Fundamenta Naturalia reducerem, improportionata aliqua membra producebat accurata Syntaxis; & ideò proprio ingenio diffidens, ſelegi, quæ iudicavi examine maiore digna, quæ percallere optabam, quæ fortè ab ingeniis nobilioribus diſcere poteram; & hunc in finem ſub annum MDCL. typis ſubieci hoc Opus, in quo mentem Authoris & rerum tractandarum Ideam Titulus præferret. Fuit ille: THEOLOGIA MORALIS FUNDAMENTALIS: *multas complectens Poſitiones, quæ aſſerta, placita Iuniorum Theologorum evertunt: quæ negatæ, in primas Philoſophiæ Veritates impingunt: quibus eſſe vel exeſſe permiſſis, multarum Opinionum hucuſque probabilium, & aliarum hucuſque improbabilium necessaria demonſtratur connexio; quam, ut vel reiiciantur priores, vel admittantur poſteriores, doctiorum mentes exploraturus, toti Orbi literario proponebat Caramuel.* Non ergo laxavi, non contraxi communes Theologorum ſententias; ſed, ut ſecuriùs ſecundam poſſem exornare Editionem, Tuo omnia ingenio & arbitrio commiſi. Et ne querelis locus ſit, ecce Novam Editionem iam habes, quam promiſi.

Curſus moralis ſcholaſtico ſtylo ab Authore conſcriptus.

Multorum Authorum opiniones, ſi comparentur, non cohærent.

De primâ Editione huius Libri.

Eius inſcriptio.

Et eadem̄ ſtrat mentem Authoris eſſe, non has, aut illas opiniones docere, ſed evidenter oſtendere, multas, quæ vulgò cenſentur probabiles, cum aliis, quæ paſſim vocantur improbabiles, eſſe neceſſariò connexas.

At in eâ adhuc nonnulla ſunt, reponis, quæ aliter potuiſſent reſolvi, plurima quæ non placent.

M M M-CMXVII. *Satisfit Obiectioni communi. An Chriſtus Dominus placuerit omnibus?*

Et quis in Mundo, quæſo, placuit omnibus? Omitto Chriſtum, cuius puriſſima doctrina multis diſplicet: quam enim ille Theologiam Scholaſticam docuit, Macedoniani, Arriani, Neſtoriani, & alij Hæretici antiqui reiiciunt, de Divinarum Perſonarum Trinitate, Infinitate, & Æqualitate delirantes: & Theologiam Moralem, quâ nos ille ad Empyreum perducit, Hæretici huius ævi reiiciunt Arbitrium liberum humanæ voluntati negantes. Chriſtum; inquam, omitto; ne ambire privilegia videar, quæ illi negata. Submitto alios; & duos Doctores Summos, Thomam, Scotum in arenam produco. Ille, quia omnia ſubtiliſſimè expendit, vocitatur *Angelicus*: iſte quia angelicius ſingula ediſſerit, nominatur *Subtilis*, & tamen neuter placet omnibus: multa enim occurrent in alterutro, quæ à doctiſſimis admiſſa Viris, à doctiſſimis etiam negentur: quoniam, ut pronunciat Satyricus,

An S.Thom. An Scotus?

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli.

Et quia D. Franciſcus Borgias Princeps de Eſquilache, Vir ſanè eruditiſſimus, hanc ipſam Satyrici ſententiam feliciter in linguam Hiſpanicam tranſtulit; placet eius ingenio & verbis uti, & de manibus Librum hunc dimiſſurus, cum his numeris concomitari. Sic inquam.

El que ſabe, eſtimará,
Si algun eſtudio teneis:
A mas gloria no aſpireis,
Ni mas el tiempo os dará.
Quien defenderos podrá
Sera quando mas alguno,
Y ſi es doto, baſta uno [a].
Que en las Reglas y los Modos
Querer contentar a todos,
Es no contentar a ninguno.

a] Et quidem multi ſunt, qui huius libri defenſionem ſuſcipiunt; &, ſi eſſet ſolus D. Franciſcus Verde, ipſe ſolus ſufficeret; quoniam eſt vir Sapientiſſimus, Regius Iuris in Neapolitanâ univerſitate Profeſſor, & hodie in totâ Europâ celeber ob doctiſſimos libros, quos in luce emiſit.

Stát igitur (Candide Lector) me nec poſſe, nec velle placere omnibus; quia nec omnes mihi placent, nec omnes diſplicent. Dummodò permittatis, ut in meo ſenſu abundans, Fundamenta hæc propugnem, quæ iecit ſeverior Dialectica; per me ſtabit, ut, ſi nolueritis eiſdem Fundamentis conſtare, diſgregativa viſûs *nigra*, congregativa *alba*, aut etiam *purpurea* vocetis. Et quidem ſic rem altè conſideranti loqui placuit: quæ enim in hoc Opere tanquam certa propono, ſunt mihi tam evidenter certa, &, quæ ut probabilia intermiſceo, ſunt mihi tam evidenter probabilia; ut obloquentes impatienter ſubaudiam, putemque ab illis, nigris alba, & quadra rotundis confundi. Cæterùm, quia ſpero vos (Lectores Candidiſſimi & eruditiſſimi) ſuavi rationum potiùs Zephyro, quàm procelloſo affectuum Boreâ (quod contingit multis) perducendos, hæc folia evulgo, tantâ legenda & examinanda ſinceritate, quantâ fuerunt ſcripti [b] & quia paratus ſum veſtram ſententiam ſequi, ſi demonſtraveritis veram ſecuramque: non dubito, quin diſſimulatâ meæ perſonæ tenuitate, rationes à me poſitas conſiderabitis, & adquieſcetis ſicubi convincant intellectum: fruſtra enim inſiſtitis antiquorum veſtigiis, ſi fortè illos erraſſe hæc mea ſecunda Editio evidenter convincat. Vt hanc exornarem dedi primam multa ab ingenio Amicorum ſperans, multa de eorum doctrinâ & humanitate præſumens. Elapſi fuerunt anni quinque, & à Diana ſolo fui reſponſione honoratus. Tractu I. Partis XI. illam habes: ſed quæ ſecundâ reſponſione indigebit, nam vertit hypotheſes in theſes; interdumque, ut ſe potiùs quàm Caramuelem oppetat, ſuas ipſas opiniones adſcribit. Sed de hoc alibi. Interim Viro Sapientiſſimo & eruditiſſimo, quem ut Patrem diligo, ut Magiſtrum veneror, gratias ago; & deſidero, ut ſicut ille, etiam alij ſuo ingenio & doctrinâ meos labores promoveant. Verum enim verò, cùm iam elaberentur anni multi; & nemo alius in arenam deſcenderet, qui nodos à me poſitos ſolveret, obiectiones enervaret, auſus ſum proprio ingenio confidere, & proprio marte militare. Placebit ingenioſis Lectoribus αὐτομαχία; & ſicut in arenis Ægyptiis Pyramidum eminentium miracula, ſic etiam in noſtræ Scholæ arenâ inventura eſt Poſteritas gigantæas Fundamentorum moles, quibus omnes Theologiæ Moralis Reſolutiones ſecuriſſimè inſiſtant. Et quia meum fuit (Sapientiſſimi Domini) ad veſtrum ingenium & humanitatem recurrere; veſtrum etiamnum erit me iuvare: veſtrûm me docere & inſtruere: veſtrûmque alias meliores & doctiores Reſolutiones ponere, ſi poſitæ à nobis non placeant. Non omnia diſſolui, quæ in primâ Editione propoſui: aliqua enim, aut veſtro ingenio, aut tertiæ, quartæ, aut alij Editioni relinquo. Reſolutiones iſtas trado, non quidèm ut Articulos Fidei, ſed multas ut certas, & multas ut merè probabiles: contra illas, aliquos argutari non patiar; tædio enim & labore fractus, inutiles contentiones recuſo: contra iſtas libentiſſimè audiam, quidquid placeat obiicere: retinebo nihilominùs illas, eiſdemque inſiſtam, quouſque clarâ aliquâ demonſtratione ab oppoſito doctâ, ingenium meum illuminetis. Valete igitur Viri doctiſſimi & eruditiſſimi; me pergite honorare & diligere; &, ſi aliquid ſuggerere aut obiicere placeat, ad veſtra obſequia paratiſſimus, maneo Pragæ apud Cæſareum Montiſſerrati Monaſterium, [nunc Viglevani in ſtatu mediolanenſi) ubi veſtras doctiſſimas & humaniſſimas literas, aut etiam cenſuras, exſpecto.

b] Nota bene. Eſt Caramuel ſub conditione paratus adhærere Placitis cuiuſcumque Lectoris. Sed ſub quâ? Porrò non habet ius ut alios in ſuam ſententiam trahat, qui Demonſtratione deſtituitur, & tamen dextrorſum, ſiniſtrorſum decidit, *non quia ſic licuit, ſed ſic placuit.*

Laudatur Diana, An

illi ſit reſpondendum?

Cur diutiùs expectare noluerim, ſed ego ipſe ſoluerim dubia in primâ editione propoſita?

N. B. Fruſtra contra Probabilitatem Opinionis obiiciuntur probabilia argumenta: qui aliquam rationem certam & evidentem habeat, ne occultet talentum ſuum ſub modio, ſed ponat ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt: at illi, qui dubiis & incertis armatus ratiociniis deſcendere in arenam voluerit, gratias habeo, cras redire ille poterit, quoniam hodie non pugno.

EPISTOLA

EPISTOLA

Ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum D. Carolum Septalam digniſſimum Dertonenſium Epiſcopum, Virum doctiſſimum & eruditiſſimum, &c.

IOANNES CARAMVEL.

Diſſerit de Rituum & Cæremoniarum Myſteriis.

De Erraticis Cæli ſyderibus.

VERBA Tua Tibi reddo (Præſul Vigilantiſſime) & Epiſcopum Solem eſſe Eccleſiaſtici Cœli tecum [a] confidenter aſſirmo Errant ſydera, quæ illuſtriora cenſentur: & ab errando Græcè πλανῆται, & Latinè [b] *Errones* nuncupantur. Luna creſcit, minuitur: & ſimillima homini in eodem ſtatu nunquam permanet. Quinque aliæ Stellæ, quæ

MMMCMXII.

diverſis circa Solem ſpaciis ſuas periodos exercent, ut ut dirigantur interdum, ſtant nonnunquam, & aliquando contra ſignorum ſucceſſionem recurrunt. At vices has ignorat Sol: nec enim in cornua acuitur, nec διχοτομίαν patitur, nec in gibbum protuberat: ſed progreditur ſemper, nunquam recurrit; &, ſi ſemel ſteterit, ſtandi habuit à Deo ſpeciale præceptum. Putarit aliquis me his coloribus Solem Æthereum expreſſiſſe, & tamen Ego expreſſi Epiſcopum Eccleſiæ Solem. Ipſa eſt Cœlum puriſſimum: in quo Summi Numinis lex Zodiacum, [c] qui Latinè *Signifer* appellatur, deſcribit. Eſt autem Zodiacus via illa Regia, quam Orthodoxi univerſi percurrunt. Et eam poſſem his numeris ingenioſis deſcribere.

In Quadrato Luna cõtingit Dichotomia.

Eccleſia eſt Cœlum Myſticum: & huius Cœli eſt Epiſcopus Sol.

Via ad Cœlum, qualis?

Eſt via ſublimis, Cœlo diſtincta ſereno,
Regia *nomen habens, candore notabilis ipſo.* [d]
Hac iter ad Superos ſupremaque Regna Tonantis.

Et hæc via, quia eſt Zonæ ſimilis, habet ſuam latitudinem; inquit enim Propheta

Pſ. 118. 32.

Rex, *Latum mandatum tuum nimis.* Eſt inquam lata, ut capiat hominum laicorum corda, quibus eſſe latis permittit, unde & ipſe Propheta, *Viam mandatorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Hanc latam viam in Militante Eccleſiâ peragunt ſæculares: nam per Matrimonia legitima, hinc ad converſationem remiſſiorem deſcendunt, inde per Cœlibatum ad vitam ſeveriorem ſe ſubrigunt; curſum ipſi per libera Pietatis exercitia intendunt; ubi volunt, ſtant; & ubi præter præcepta erant devoti, ſine crimine hærent, ſine labe recurrunt. Et de his,

Eſt duplex: benigna & ſevera, lata & ſtricta.

Illam percurrũt Laici.

Daniel 12. 3.

qui aut in Matrimonio ſuos filios, aut in Cœlibatu ſuos famulos ad Pietatem producunt, ait Propheta, *Qui ad Iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi Stellæ in perpetuas æternitates.* At Epiſcopo Deus non præſcripſit hanc viam: quoniam Pontificalis ſemita, quam Eclipticam vocant, eſt Geometrica linea, latitudinis expers, nec enim huc, nec illuc declinare permittitur. Et, quia ſunt immaterialia nobiliora corporeis, liberaliori manu Solem Eccleſiaſticum, quam in Æthereum Summus Artifex momenta ſecuritatis & ſalutis profudit: quoniam Æthereus Sol, etſi legem Naturalem obſervet, eclipſes frequentiſſimè ſubit, deliquia patitur, & ſplendorem ſuum in obſcuritatem convertit. At Epiſcopus (Eccleſiæ Sol) quamdiu legem Naturalem obſervat, tutus eſt ab eclipſi; tunc enim ſolùm ſplendorem amittit, cùm obliviſcitur ſe Solem eſſe, & à viâ, quam ei præſcripſit Evangelium declinat. Et quidem, ſi exclamat Ptolemæus, *Nullam ſolis eclipſim Mundus impunè vidit.* [Et meritò, nam in Supremi Luminaris deliquio, radij ſunt delinquentes, campos & agros deſtruunt, populoſque ab illorum fertilitate dependentes flagellant.] Nos profectò eidem Aſtrologorum Principi conſonare poterimus, & edicere, *Nullam Epiſcopi eclipſim (nullam imperfectionem) Clerus impunè vidit*, quoniam, ut ait S. Hieronymus, *Cleri vita in Eccleſiâ Dei debet ornari, & propter vitia Sacerdotum* (agit de Summis, hoc eſt, de Epiſcopis) *Dei* [e] *Sanctuarium deſtructum eſt, & populi flagellantur.* Et bene κατ' ἐξοχὴν Epiſcopus intelligit Sacerdotum vocabulo, quoniam illa Oſeæ 6. verba, *Celavit Sacerdos viam Domini*, exponit S. Ambroſius dicens, *Celavit, prædicationis munus Epiſcopale præcipuum non exercendo.* Et quidem celat viam Domini quoties eam non obſervat. Hinc patet Epiſcopum debere eſſe perfectum, & viam mediam tenere: quoniam, ut habet Protheorema Morale, *Medius tutiſſimus ibit.* Debet eſſe Iuſtus, conſtans, & ſibi ſimilis: ſumma enim Prudentia, & Providentia in Navarcho requiritur, & prudens ſibi conſtat, & ſtultus ſicut Luna mutatur. Si fortaſſe recurrere in viâ Virtutis audeat, audiat dicentem anathema colono, qui aratro appoſuit manum, & reſpexit retrò. Cui non licet retrogredi, ſtare & hærere non expedit; quoniam Mellifluo Doctore ſucclamante, *In Virtutis itinere non progredi, regredi eſt.* Et hinc capere incipio, cur Summo in Miſsâ Pontifici *Dominus vobiſcum*, dicenti,

Hanc autem Eccleſiaſtici & Epiſcopi.

Quantum ſit inter ſolis & Epiſcopi eclipſes diſcrimen?

Quando ſol eclipſatur?

Quando Epiſcopus?

In medio conſiſtit Virtus.

An Epiſcopo liceat, aut ſtare, aut recurrere?

Ioannes Keplerus libro de motibus Stellæ Martis. Et ſæpe alibi oſtendit Solem ſuâ luce & motu univerſas Stellas, tam Erraticas, quàm Fixas per Zodiacum convertere.

nullus homo reſpondeat, nam cum id exigente Munere, ſummè perfectus ſit. In Cœlis habitat, & ubi nos ſalutat [ſ] reſponſum ab Angelis jubemur exſpectare & habere.

Sui Sol ſplendoris effluvio omnes Stellas, ſicut intervallis diverſis, ſic non eâdem celeritate promovet. Vt ſciat Epiſcopus ſuæ lucis efficaciâ ad Empyrij abſidem univerſos propellere. Eſto ob oculos ei lucerna ardens & lucens, ut noverit, tunc poſſe aliis lucere, cùm ſibi æſtuet Charitatis incendio. Concionari tenetur vita & verbis, eſt enim ſupernaturalis quidam Paſtor, & non ſolùm debet intendere paſtui ovium, ſed diſſeminare verba ſalutis & vitæ in agro Domini; eſt enim concionatio munus proprium Epiſcopi, ut nuper à Sancta Tridentinâ Synodo, & dudum poſt S. Ambroſium à D. Benedicto & iterum à D. Bernardo monebatur.

MMMCMXIX.

Qualis eſſe debeat Epiſcopus?

Hinc Te Deus, Illuſtriſſime Pontifex, (quia Ideam Optimi Prælati voluit in ſpeculo oſtendere) ut univerſi addiſcerent vivendi, loquendi & ſcribendi normam, Eccleſiæ Dertonenſi conceſſit, ut tanquam lucerna ardens & lucens, & arderes Tibi, & Inſubriæ toti, aut etiam toti Europæ luceres. *Nihil in Epiſcopo*, ait Ambroſius, *tam periculoſum eſt apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod ſentiat, non libere pronunciare.* Et quia, ne hoc periculum incurreret & ne hac turpitudine dedecoraretur, *Regibus Ioannes, Ægyptiis Moyſes, fornicantibus Phinees, Helias Idololatris, Heliſæus avaris, Petrus mentientibus, Paulus blaſphemantibus*, &c. generosè obſtiterunt, Tu ſpiritus illorum particeps, in conſpectu Regum (& quorumcumque aliorum) loqueris, concionaris, ſcribis, & non confunderis.

Ambroſius Epiſtol. 17.

Bernardus lib. 4. de Conſiderat.

Pſal. 118. 46.

Quid praſtet Liber de Miſſâ ab Illuſtriſſimo Domino editus?

Habeo, dum hæc ſcribo, ob oculos aureum Tuum illum librum, quo Miſſæ Myſteria dilucidas. In illo à Numa Pompilio, quem Priſci ab Ethnicæ Religionis obſervantiâ dilaudant, ſumis opportunum exemplum, ut Reges [h] doceas, quanta Rei Sacræ debeant devotioni intereſſe; & producis Baſilium, ut [i] doceantur Epiſcopi, quàm humili debeant Maieſtate coram Regibus & Imperatoribus Officia Divina peragere. Et quia Ægyptiorum nomine Hæreticos [k] ſolemus intelligere Veteres & [l] Iuniores Novatores componis, oſtendens, pertinere ad Catholicam Fidem, quæ illi ut novum & ſuperſtitioſum condemnant. Et ſanè Athei ſunt, qui dicuntur Hæretici, qui enim Veracitate, etiam Deum Exiſtentiâ deſtituunt. Demonſtrat id ipſa nominis intelligentia, quoniam infinitè ſanctam & perfectam ſubſtantiam quæcumque imperfectio Moralis vel Phyſica dedecet. Et illi à quibus [m] Idololatræ dicimur, te demonſtrante ſunt Idololatris execrabiliores nam negant Summo nomini cultum quod ſub panis & vini ſpeciebus reconditum oculis Fidei Orthodoxi ſuſpicimus & adoramus. Pollutos Venere arcebant ab Aris Gentiles, unde exclamat Ovidius,

De Iunioribus & Antiquis Hæreticis.

An, & cur ſint Athei?

An, & cur Catholici ab Hæreticis dicamur Athei?

— Procul, ô procul eſte profani,
Queis dedit heſternâ gaudia nocte Venus.

Et tu [n] quanta mentis & corporis puritate debeant Sacerdotes ut Synaxim Sacroſanctam conficiant, Laici ut recipiant, debeant ad Eccleſiam venire, eruditè & copioſè declaras. Et quia Avaritia, & non rarò Simoniæ coloribus dilibuta, in Altaria ſe inſinuat, [o] hoc execrabile Vitium eliminas diſſerendo Canones & Apoſtolicas Declarationes, quæ Miſſarum ſtipendia concernunt. Et ne Scioli de doctrinæ Tuæ Veritate ſubdubitent, tanta illam Teſtimoniorum copiâ roboras, ut ſola poſſit in tam claro Authoritatum ſplendore dubitare Temeritas. In Te meritò, dum hæc conſidero, ubertatem Divinorum Chariſmatum, vivamque Ioannis, Moyſeos, Phinees, Heliæ, Heliſæi, & Petri imaginem proſpecto, & veneror.

De aliquorũ Eccleſiaſticorum avaritiâ.

Illam retundit Illuſtriſſimus Dominus à pag. 367.

At Sancti obliviſcebar Pauli. Quid apud Bernardum ille? Obſiſtebat blaſphemis Et, quia inſolens aliquorum Vox eſt [*Sibi prorſus nunquam fuiſſe neque in pueritiâ Chriſtianos Catechiſmo, nec in ætate adultâ Evangelicâ Inſtructione indigere: ac per conſequens Conciones neceſſarias non eſſe; nec reprehendi poſſe ſubditos ſi nolint in propriis Eccleſiis Verbi Dei interpretationi, & dilucidationi intereſſe*] Quam Tu eruditè & copioſè, eximio pondere rationum & authoritatum, *toto libro*, refellis; ut argumenta tua licèt fortiſſima & irrefragabilia corroborem prudentiſſimam hanc [p] Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Deciſionem adiungo. Eam Xenij loco ſuſcipe: feliciſſimas ſanctiſſimaſque multorum annorum revolutiones (ſic Deum oro: ſic à Divinâ Miſericordiâ ſpero) ſalvus & incolumis videas, ut Vitæ exemplo & Doctrinæ ubertate Eccleſiam & Scholam illuſtres.

An Chriſtiani audiendi Conciones obligationem habeant?

Quid Cardinales declaraverint?

SCHOLIA.

DVM relego præcedentem Epiſtolam, ſuccurrunt aliqua, quæ aut lucem majorem requirunt, aut dare poterunt, ſi attente legantur. Et hanc ob rem, ut Eruditæ Curioſitati ſatisfaciam, hæc Scholia ſubſcribo.

Occaſio ſcribendi has Scholia?

NOTA I.

De Familia Septalia.

EST notiſſima & illuſtriſſima apud Inſubres. In ſago & togâ Heroas celeberrimos habuit, Dedit Militiæ fortiſſimos Exercituum Ductores; Aulæ Conſiliarios & Senatores integerrimos; Eccleſiæ Epiſcopos & Archiepiſcopos vigilantiſſimos Ex quorum hodie numero Dertonæ Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus. Carolus Septalius, Vir doctiſſimus & eruditiſſimus, qui ingenioſis & devotis Scriptis Eccleſiam & Scholam dilucidat.

MMMCMXX.

Quotus ſit Illuſtriſſimus Domin. Septalius?

Qualis D. Carolus?

Edidit inter alia Librum valde neceſſarium, cui Epigraphe, *Myſterij e ſenſi Miſtici*

Qualis & eius liber?

ſtici della Meſſa, in quo univerſi Sacerdotes docemur, debitâ attentione & conſideratione Sacrum legere, quod multi Magiſtrorum defectu indoctè legunt, & legent doctè, ubi librum hunc legerint.

NOTA II.

De Caremoniis.

An fuerint caſu, an verò conſultò inſtituta?

Eſt Quæſtio antiqua, & iam olim à Viris doctis mota, *An Caremoniæ ad merum ornatum ſint inventæ? an verò præter decorem præſentem, quem ob oculos gerunt, rem notabilem aliquam præteritam, aut futuram ſignificent?*

MMMCMXXI. *Vnde illæ ſint nomen ſortitæ?*

Viderentur cæremoniæ ad merum ornatum inſtitutæ: nam nomen ſumpſeræ à Cærete, Hetruriæ civitate fortiſſimâ, cuius Virgilius meminit.

Eſt ingens gelidum lucus prope Caretis amnem.

Primæ caremoniæ non ſunt hæ, quoniam ante Vrbem conditam apud Hebræos divinitus ſunt inſtitutæ.

Et occaſio denominationis fuit hæc. Vrbe à Gallis captâ, cum Veſtales Virgines Romanorum Deorum ſimulachra traducerent, in oppidum Cære potiſſimum convenerunt: ubi benignè ſunt hoſpitio receptæ, donec expulſis à Camillo Gallis, & recuperatâ Vrbe, liberè potuerunt redire: rediere ipſæ cum pompâ, & illam *Caremoniam* dixerunt: & per ampliationem poſteà, omnia, quæ Divini cultûs gratia in templis fiebant, *Caremonias* vocarunt. Eſt mihi teſtis Livius *lib.4.* ait enim *L. Albinum de plebe virum, Virgines Sacerdotes, Sacraque plauſtro Care invexiſſe* (alij, *evexiſſe*) *unde Caremoniis ſit natum nomen.* Et quis credere aut ſuſpicari volet inter armorum tonitrua illas Virgines de ſignificatione Cæremoniarum cogitaſſe.

An ipſæ ſignificationẽ ullam habeant?

Accedit, quòd pompa illa, non à Virginibus, quæ erant nobiles, & poſſent rem ingenioſè diſponere, ſed à L. Albino, ignobili & ignorante viro, inſtituta & exornata fuerit: Ergo non eſt, cur in illâ grandium myſteriorum ſignificationes inveniri aſſeramus.

Confirmant hanc ſententiam omnes illi, qui *Caremonias* iubent dici à carendo. Macrobius lib.2. cap.3. *Servius ſulpicius Religionem eſſe dictam tradidit, quæ propter ſanctitatem aliquam remota & ſepoſita à nobis ſit, quaſi à relinquendo dicta: ut à carendo* [*] *Caremonia.* Ecce à relinquendo *Religio*, & à carendo *Caremonia*, quòd cùm ratione careant, omnis, quæ illas concernit diſputatio, ſit otioſis ingeniis relinquenda.

*] Nota obiter ex Macrobio *Caremoniam* etiam in ſingulari dici. Favet etiam Cæſar lib.7 de bello Gallic. *Quod more eorum graviſſima Caremonia continetur.*

MMMCMXXII. *Propoſitionũ aliæ quoad ſe, & aliæ quoad nos veræ dicuntur.*

Contraria autem Sententia vera eſt, & ex illâ dicendum omnes Cæremonias congruam ſignificationem præ ſe ferre. Et, ut id bene intelligas, adnotato, aliquas Propoſitiones quoad ſe, & alias quoad nos eſſe veras: hæc enim: *Sunt Antipodes*, quoad ſe tempore S. Auguſtini erat vera; nam Braſilia noſtræ Europæ eſt oppoſita. Vnde D. Prudentius de Sandoval *in Hiſt. Caroli V. ann.1521. pag.601.* de Freto Magellanico diſſerens, *Todo es*, inquit, *de tierras fragoſiſſimas, y muy frias: y à lo que yo creo, deben de sêr antipodas de Flandes, o Polonia.* Interim, quia ſub illud tempus illarum regionum nullam prorſus habebamus notitiam; illa eadem Propoſitio non erat vera quoad nos: unde à pleriſque omnibus negabatur, & nulla ratione poſitivâ probabiliter ſuaderi poterat.

De Antipodibus. An cognitis S. Auguſtini tempore? Cuinã Europæ provinciæ Magellanicum Fretum opponatur?

Hinc illuſtratur Imperatoris mens, qui *leg. non omnium.20. ff. de legib.* ſcribit. *Non omnium, quæ à Maioribus noſtris inſtituta, ratio reddi poteſt.* Non ait, ſine ratione illa à Veteribus fuiſſe inſtituta; quia Legum anima eſt Ratio, & ſicut Homo carens animâ, cadaver eſt; ſic Lex, quæ Ratione careret, non eſſet vera aut viva Lex, ſed Legis imago aut cadaver. Sed ait gravi quidem ratione compulſos fuiſſe Veteres ut ſingulas Leges decernerent, at mutátis temporibus & circumſtantiis illam (Legum rationem) in oblivionem abiiſſe, & hodie in Senatu & Scholâ ignorari.

An omnium Legum detur ratio?

An lex ſine ratione poſſit eſſe?

Cur multarum hodie Legum neſciatur ratio?

MMMCMXXIII. *An omnium Caremoniarum detur ratio?*

Si hinc inferas, *Ergo non omnium Caremoniarum & rituum Eccleſiaſticorum ratio reddi poteſt.* Dicam Primò, Cæremonias omnes à ſanctiſſimis & doctiſſimis Viris magno conſilio inſtitutas, eſſe ſigna Myſtica, quæ Fidem, Spem, & Charitatem fovent, & in operationibus dirigunt: Fidem quidẽ, ut Homo credat, Spem, ut ſperet; [&, ſi perfecta ſit, ut cum Abrahamo contra, aut cum Davide ſupra ſpem, Divinam promiſſionem exſpectet] Charitatem autem, ut Fide præmunitus, & ſpe impulſus piè & devotè operetur. Vnde Dominus Septala cap 10. num.7. pag.61. agens de Maieſtate, quâ debent Divina Officia celebrari, ſic ſcribit. [*Per rendere Maeſtà la Chieſa Santa, teſtifica il Concilio di Trento, introduſſe tante Ceremonie, tanti Riti, & tanti Ornamenti: onde Innocenzo III. dice,* Hæc omnia Divinis ſunt plena Sacramentis, *&c.*] Dicam ſecundò illam olim quoad nos Reſolutionem fuiſſe admiſſam: nam illam tradidit Auguſtinus, quem Gerſon, & alij Scriptores ſequuntur. Dicam Tertiò cum Prophetâ Rege, *Quòd dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, nimirùm, quod dies hodierna heſternâ eſt doctior. Et addam, quòd, ſicut olim verè Antipodes erant, ignorati ſunt tamen, quonſque Chriſtophorus Columbus eos detexit, ſic etiam Rituum & Cæremoniarum rationes etiam olim devotiſſimæ & certiſſimæ fuerunt, ſed ſunt neſcitæ, quonſque Septalius, quaſi Columbus alter, ſeptem alas expandens ſe promovit ad antiquæ Eruditionis Arcem, ubi omnia patent, quæ extra controvertuntur.

Quid Caremoniæ præſtent?

Concilium Tridentinũ ſeſſ.22. cap.1. de Sacrif. Miſſæ. Innocentius III. lib.2. de myſter. Miſſæ. c.1. S. Auguſtinus, ut habetur c. omnia. diſt.12. Gerſon 3. part. tract. Direct. Pſal.18.2.

Cur hodie illarum rationes cognoſcantur.

NOTA

NOTA III.

De Ceremoniis & Myſteriis, quæ in Baptiſmo, Confirmatione; & Ordinum collatione exhibentur.

MMMCMXXIV *De Cæremoniis in ſpecie.*

TAmetſi præcedentia viderentur ſufficere, ut univerſi ſciant nullam Eccleſiæ cæremoniam carere ratione vel causâ; placet loqui in ſpecie, & de illis agere in particulari.

Miſſæ omnes Cæremoniæ quales ſint.

Suppono Miſſæ cæremonias eſſe myſteriis plenas, & hoc à D. Septalâ copiosè & eruditè demonſtrari: unde Miſſale claudo, & Pontificale aperio & *Vtrùm Cæremoniæ, quæ in Ordinum collatione & Sacramentorum miniſtratione adhibentur, expertes ſint Myſtica ſignificationis?* explicabo. Sit itaque

De Ordinationum ritibus & cæremoniis.

Prima Concluſio. *Cæremoniæ omnes, quæ in Pontificali præſcribuntur, Sacramentis exuberant.*

An ſublimia myſteria complectantur?

Secunda. *Earum ſignificatio in contextu ipſo ſufficienter exponitur, & non indiget Extraneis Commentariis.*

Vnde illæ cognoſcantur?

Et utramque nullo alio modo potero perſuadere, quàm diſcurrendo per ſingula, & audiendo Pontificem, qui ubi Sacramentum adminiſtrat, myſteria miniſterij luculenter exponit.

De Baptiſmate. *Quid in ipſo cæremoniæ ſignificent?*

MVltæ ſunt in Baptiſmi adminiſtratione cæremoniæ, & omnes eò tendunt, ut exponant ſicut infantis corpus aquâ naturali abluitur, ita eius animam aquâ ſupernaturali (nimirum, iuſtificante gratiâ) abſtergi à ſordibus peccati originalis.

MMMCMXXV. De Confirmatione.

HIs verbis adminiſtratur Confirmatio. *Signo te ſigno † & confirmo te Chriſmate ſalutis*, &c. Et in ipſis Crucis conformatio ſignificat Animæ in militiæ Chriſti confirmationem: & materialis illa chriſmatis unctio, immaterialis olei unctionem, quod eſt ſpecialis quædam gratia, quæ Animam roborat, & in Fide Orthodoxâ confirmat, & *Chriſma ſalutis* vocatur.

Cur Crucis ſigno confirmentur? Quid Chriſma importet?

Servi ſigillantur: & cur?

Solent domini ſervos, ne fugiant, ſuo charactere inurere: qui tamen non efficit, ut ſervi ſint; ſed eos eſſe ſervos teſtificatur. Et ſic Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ubi per Epiſcopi manum in Chriſtiani fronte Crucis ſignum deſcribit, non illum ſervat, aut ſervum reddit, ſed iam fuiſſe per baptiſmum ſervatum, & novo titulo ſuum ſervum eſſe, extrinſecus teſtificatur: & intrinſecus confert illi robur & fortitudinem, ut in ſtatione ſuâ maneat, omni Diabolicæ ſuggeſtioni reſiſtat, & tandem cæleſti gratiâ cooperante victoriam felicem & glorioſam obtineat.

Cur ſignentur Chriſtiani?

Quid præſtet gratia confirmationis?

Confirmationis ſymbolum. Apocal. 8. 3. *Quo ſigno homines ſigillentur angelicè?*

Sacramenti huius ſymbolum in Apocalypſi præ ſe ferebat ille Angelus, qui ſuclamabat dicens. Μὴ ἀδικήσητε τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν, μή τε τὰ δένδρα, ἄχρις οὗ σφραγίσωμεν τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν. *Ne nocete terræ, neque mari, neque arboribus, quoad uſque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.* Hoc autem ſignum erat Ταῦ: hoc eſt, ſignum Crucis.

De collatione Tonſuræ. MMMCMXXVI *An illa verus Ordo ſit?*

MErito non ponitur in titulo *De Clerici Ordinatione*, ſicut ponitur, *De Oſtiariorum (Lectorum, Exorciſtarum, Acolytorum:* aut etiam, *Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri) Ordinatione*, quia Prima Tonſura non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ut accipiantur Ordines.

Quid ſignificet Tonſio?

Cæremoniæ, quæ adhibentur ſunt tonſio, & ſuperpellicij impoſitio. Quid illa importet, dilucidat Pontifex orans Dominum, *ut ſicut ſimilitudinem coronæ eius illos geſtare facit in capitibus, ſic eiuſdem virtute hæreditatem conſequi mereantur æternam in cordibus.* Quid autem ſignificet hæc, explicat Pontifex his verbis, *Induat Te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in Iuſtitia & Sanctitate Veritatis.* Clericus ergo, ubi deponere habitum laicalem iubetur, monetur tacitè, ut veterem hominem (Adamum) cum actibus ſuis (hoc eſt, mores liberiores) exſuat, & deponat; & accipiendo ſuperpelliceum audit, ſe novum hominem (Chriſtum) debere induere: poſteà, non niſi ſecundum Deum debere vivere in verâ Iuſtitiâ & Sanctitate. Et hic meritò ſecernit à ſanctitate hypocryſim; veritatem à fuco, ſunt enim ſepulchra dealbata, qui iuſti & ſancti videri volunt, & tamen, ut S. Benedictus conqueritur, *ſervant mundo & Diabolo fidem, & mentiri Deo per tonſuram noſcuntur.*

Et quid ſuperpellicij impoſitio?

Quid ſit hominem antiquum exſuere?

Et quid novum induere?

De hypocryſi.

MMMCMXXVII. De Ordinatione Oſtiariorum.

CLavium traditio, per quam ordinantur Oſtiarij, myſterium habet, quod Pontifex his verbis exponit. *Studete, ut ſicut materialibus clavibus Eccleſiam viſibilem aperitis, & clauditis; ſic & inviſibilem Dei domum (corda ſcilicet Fidelium) dictis & exemplis veſtris claudatis Diabolo, & aperiatis Deo; ut Divina verba, quæ audierint, corde retineant, & opere compleant. Quod in verbis Dominus perficiat per miſericordiam ſuam.*

Quid clavium importet traditio?

De Ordinatione Lectorum. MMMCXXVIII.

IN ipsâ ad Lectoratum promotione Liber traditur. Et ad quid? *Vt aſſiduitate lectionum inſtructi ſint & ordinati, & agenda dicant, & dicta opere impleant; ut in utroque Sancta Eccleſia exemplo ſanctitatis ſuæ conſulant.* Cur autem legere iubentur in pulpito? Reſpondet & exponit Pontifex. *Dum legitis*, ait, *in alto loco Eccleſiæ ſtetis, ut ab omnibus audiamini & videamini, figurantes poſitione corporali, vos in alto Virtutum gradu debere converſari: quatenus cunctis, à quibus audimini & videmini Cæleſtis vitæ formam præbeatis. Quod in vobis Deus impleat per gratiam ſuam.* Et, quid, ſi ſic faciant & procedant, habebunt? Illis declarat Pontifex: inquit enim. *Eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem* (portionem) *cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtraverunt ab initio.* Et partem eſſe portionem illam, de quâ Pſalmiſta Rex agebat, quando ad veræ Fidei fides modulabatur, *Portio mea, Domine* (in hac vitâ) *dixi, cuſtodire*

Quid per libri traditionem ſignificetur?

Cur Lectores ad pulpitũ iubentur adſcendere?

Corporis diſpoſitio ſuam etiam ſignificationem habet.

Lectorum præmium.

Pſal. 118.

Quæ ſit tertia viventium?

cuſtodire legem tuam (unde in alterâ) *Particeps ego ſum omnium timentium Te.* Et cur? *Credo enim videre bona Domini in terrâ* (& in Cœlo) *Viventium.*

De Ordinatione Exorciſtarum.

An, & cur Exorciſtæ Imperatores *nominentur?*

MMMCMXXIX

VOcantur *Imperatores* Exorciſtæ; nam ordinantur, *ut ſint ſpirituales Imperatores ad eiiciendos Dæmones à corporibus obſeſſis.* Et quæritur, Cur tali decorentur vocabulo? Dices, *Imperator* nomen eſſe ad militiam ſpectans, & ſummo Duci imponi, quod univerſos debeat ducere; & ideò illud in militante Dei Eccleſiâ accenſeri Exorciſtis, quòd debeant tam religiosè vivere, ut morum elegantiâ & exemplo ita viam Divinorum mandatorum percurrant, ut omnes ad metam, quæ eſt æterna Beatitudo, perducant. Eſto. Minimè contradico. At præter id, aliud etiam Sancta Mater Eccleſia vult hoc nomine ſignificare: hunc enim Ordinem confert, ut qui illud ſuſcipiunt, *per impoſitionem manuum, & oris officium, poteſtatem & imperium habeant Spiritus immundos coërcendi; & probabiles ſint Medici Eccleſiæ Dei gratiâ curationum, virtuteque Cœleſti confirmati.* Curant ergo energumenos ore & manu. Ore quidem, verba exorciſmi, ab Eccleſiâ inſtituti proferendo: manu, illam imponendo. Et quâ certitudine & efficaciâ? quantam nomina *imperium*, & *poteſtas* important.

An militare nomen Imperatoris *ſit?*

Qua, & qualis poteſtas Exorciſtis in ſuâ Ordinatione conferatur? Duobus illi modis energumenos curant.

An vera ſit hæc Exorciſtarum authoritas?

Inſtant autem cum ſuo Calvino Hæretici. In Baptiſmo Miniſter habet poteſtatem & Imperium, & poteſtatis vi confert infanti primam gratiam, & culpam originariam delet; imperij virtute expellit Diabolum, ita ut in infantis anima nullo modo remaneat: Igitur Exorciſta, ſi fungitur poteſtate & imperio, conferet, ſpecialem exorcizato energumeno ſuæ gratiæ effectum, Dæmonemque certò & infallibiliter expellet. At hoc eſt falſum: ſæpe enim poſt exorciſmum Dæmon in illo remanet, ut experientia quotidiana confirmat. Nec valet dicere, hærere adhuc poſt exorciſmum Dæmonem propter peccata exorcizantis, nam Sacramentorum effectus non à ſanctitate Miniſtri ſed ab intentione dependet.

Quid energumeno per exorciſmum conferatur?

Cur nō ſemper obſeſſus, exorciſmum liberetur à Diabolo?

MMMCMXXX. Reſpondeo eſſe duas in Scholâ Opiniones; nam multi aſſerunt omnes minores Ordines non eſſe Sacramenta, ſed eſſe cæremonias quaſdam Sacramentales ab Eccleſiâ inſtitutas: alij autem docent eſſe verà Sacramenta, à Chriſto Domino inſtituta, & tantùm ab Eccleſiâ tradita & explicata.

An Minores Ordines ſint Sacramenta?

Si primam eligere placeat, ceſſat omninò difficultas; quoniam Sacramentalia, ut piè credimus, ſemper habent aliquem effectum: nam illum Eccleſia orat, & eam ſemper exaudiri putamus. At, quia non eſt de Fide, quod Sacramentalia habent neceſſarium effectum, poterit contingere, quod aliquando effectu careant. Vnde ſi Exorciſtarum Ordo, non eſt Sacramentum, ſed res tantùm Sacramentalis, non erit neceſſarium, ut ſemper infallibiliter effectum inferat.

An Sacramentalia ſemper effectum habeant?

MMMCMXXXI. Si ſecundæ adhæreamus ſententiæ, poterimus dicere eſſe Sacramenta, quæ petunt, in ſuſcipiente debitam diſpoſitionem, nam licèt Confeſſarius ſui Officij virtute habeat poteſtatem & imperium, ut peccata remittat, gratiam inferat, & Dæmonem in animâ habitantem abigat; tamen, niſi pœnitens actum perfectæ aut imperfectæ contritionis eliciat, effectu Sacramentum carebit. Ergo dicendum eſt, aliquam in energumeno diſpoſitionem (internam, aut externam) requiri; quâ deficiente effectum exorciſmus non habeat. Et poterimus addere aliam certitudinem in Sacramentorum collatione, & aliam in actibus hominum, qui recepere Sacramenta, inveniri. Oſtiarius enim, tametſi in ordinatione ſuâ Sacramentum & effectum Sacramenti, nempe poteſtatem aperiendi & claudendi portas Eccleſiæ ſuſcipiat, non tamen ſuſcipit efficaciam; nam intervenire multæ cauſæ reales (in ſerâ, in clavibus, in viâ, &c.) ſolent, ob quas Eccleſiæ portam aperire non poſſit. Similem doctrinam in aliis Ordinibus ſuo modo reperire poſſemus: immò in ipſis certiſſimis Sacramentis Eccleſiæ. Nam in Matrimonio ex. gr. certò vinciuntur cælibes, & certò in corpora mutuam poteſtatem recipiunt: at hæc poteſtas non ſemper ſortitur effectum; ſolent enim intervenire realia impedimenta; propter quæ non poſſit ſemper hæc potentia in effectum prodire. Ergo eodem modo de Exorciſtarum Ordine philoſophabimur. Eſto ille Sacramentum. Eius effectus erit certiſſimus. At effectus non eſt expellere Dæmones, ſed ad illos expellendum authoritas. Hæc certò in Ordinatione recipietur. Ergo ſicut Eccleſiæ portas aperiendi & claudendi facultas in Oſtiariatu, & uxorem cognoſcendi poteſtas in Matrimonio, &c. non poſſunt ſemper efficaciter in effectum prodire, & id propter impedimenta, quæ intercurrunt; ſic ſimiliter poterunt intervenire obices (reales, morales) qui Exorciſtici exercitij efficaciam impediant.

Multa Sacramenta diſpoſitionē neceſſariò requirunt.

Indiſpoſitū abſolvere non poteſt Confeſſarius.

An Oſtiarij ſemper Eccleſiæ portas poſſint claudere & aperire?

An coniux ſemper uxorem ſuam poſſit cognoſcere?

An Exorciſta ſemper Dæmones poſſit expellere?

Venio ad manuum impoſitionis & verborum exorciſmi myſticam ſignificationem. Illam ediſſerit Pontifex dicens. *Accipitis itaque poteſtatem imponendi manum ſuper energumenos (ſive baptizatos, ſive catechumenos.) Et per impoſitionem manuum veſtrarum, gratiâ Spiritusſancti, & verbis exorciſmi* (cooperantibus) *pelluntur Spiritus immundi à corporibus obſeſſis.* Et hæc ipſa Miniſterij ſignificatio eſt monitoria; monet enim ſymbolicè quid Exorciſtæ debeant agere; unde exclamat Epiſcopus. *Studete igitur, ut ſicut à corporibus aliorum Dæmones expellitis, ita à mentibus & corporibus veſtris omnem immunditiam & nequitiam eiiciatis; ne illis ſuccumbatis, quos ab aliis veſtro miniſterio effugatis. Diſcite per Officium veſtrum vitiis imperare, ne in moribus veſtris aliquid ſui iuris inimicus valeat vindicare. Tunc enim rectè in aliis Dæmonibus imperabitis, cùm prius in vobis eorum multimodam nequitiam ſuperatis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum ſuum Sanctum.*

Quid manuum impoſitio ſignificet?

An, & quo verba modo operentur?

Eccleſiaſticus debet eſſe lucerna ardens & lucens: ſicut enim priùs debet ardere, quàm lucere; ſic priùs ſanctè vivere, quàm alios ad viam ſanctitatis deducere.

MMMCMXXXII. *De Ordinatione Acolytorum.*

Quid ſignificent Inſtrumenta, quæ in Acolytatu traduntur? Quid candelabrũ & candela inſinuent?

IN collatione huius, ſupremi inter Minores Ordinis, candelabrum, candela, & urceolus traduntur. Et hæc ipſa traditio poteſtatem & onus ſignificat, quæ Ordinem ſuſceptum comitatur. Significat enim cerei & ceroferarij ſuſceptio, *Acolytos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari:* & urceoli ſuſceptio, *debere eoſdem vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti ſuggerere.*

Veteres & iuniores refutantur Hæretici. An aquam Chriſtus in vinum poſuerit? Vide Dur. lib. 4. cap. 30. num. 8. Septalam cap. 26. num. 7. Hæc conſequentia perpendatur. An Samſon Deo præcipiente ſe interemerit?

Acolyti aquam & vinum ſuggerunt ut priſcos Hæreticos, quos nuper ſequebantur Armeni, & hodie Lutherani, & etiam Calviniſtæ ſequuntur, ipſo facto condemnent. Et in hac commiſtione tria myſteria exponit Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 9.* Id enim (1) tametſi in Evangelio non legatur, S. Cypriano *lib. 2. Epiſt. 2.* fecit Chriſtus, quem nos imitari debemus. Vnde patet, non bene argumentari Hæreticos dicentes, *non legitur in Sacrâ Scripturâ Chriſtum aquâ vinum miſcuiſſe. Ergo non fecit. Ergo nec nos debemus facere*, multa enim ex hypotheſi neceſſariò inferuntur. Audi Bernardum *lib. de præcepto & diſpenſ. cap. 7.* iuxta meam diviſionem, dicentem, *Quod utique factum* (diſputat de morte Samſonis) *ſi defenditur non fuiſſe peccatum, privatum habuiſſe* (Dei) *conſilium indubitanter credendus eſt, etiamſi de Scripturâ id non habeamus.* Multa etiam ex traditione Apoſtolicâ conſtant, quæ tametſi non ſint in Sacrâ Paginâ in Conciliis antiquis accuratè notantur. Nam & Hæretici hodie infantes baptizant, & tamen non legitur in Evangeliis Chriſtum aut Apoſtolos aliquem infantem baptizaſſe.

De traditione Eccleſiaſticâ.

An, & cur baptizentur infantes?

Et id (2) ſignificat ſanguinem aquamque à Chriſti latere effluxiſſe, quod expreſsè S. Ioannes teſtatur. Vnde, cùm dicat Chriſtus, *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, oportuit aquam & vinum adhibere, ut Veritatem adæquatè exprimeret commemoratio.

Quid aqua fuſa in vinũ ſignificet?

MMMCMXXXIII. *Chriſti & Eccleſiæ unio. Fideles ſumus mẽbra Chriſti. Noſtra redemptionis pretium.*

Et tandem (3) id unionem & conciliationem Chriſti, qui eſt verum omnium Caput, & Fidelium, qui ſunt eiuſdem membra hieroglyphicè exponit. Vnde S. Paſchaſius *de corpore & ſanguine Chriſti*, Bonacina *de Sacram. diſp. 4. quæſt. 2.* & alij ſanctè affirmant, ſanguinem noſtræ Redemptionis fuiſſe pretium, & aquam quaſi novo baptiſmate noſtras culpas abluiſſe.

An, & cur aqua omitti non poſſit?

Et hic duplex moveri Quæſtio poſſet, Altera, *An aqua ſit neceſſario ſuggerenda? An poſſit validè aut licitè omitti?* Altera, *An aqua miſta vino in ſuâ ſubſtantiâ permaneat, vel in quid aliud, ſi non maneat, convertatur?*

MMMCMXXXIV. *Aqua ex præcepto requiritur. Armeni S. Chryſoſtomum malè intelligebãt.*

Et Ego reſpondeo breviter ad Primum, aquam non Sacramenti, ſed præcepti neceſſitate vino infundi, Armenoſque, qui illam non adhibebant, ductì, verbis S. Chryſoſtomi male intellectis, *in Sexta Synodo Conſtantinopolitana cap. 32.* correctos fuiſſe. Vnde aſſero Sacerdotem, qui aquam omitteret, verè conſecraturum, ſed peccaturum graviter. Et hæc eſt omnium Theologorum ſententia.

An aqua cõvertatur in vinum?

Reſpondeo ad ſecundum, nondum conſtare, aquam converti in vinum: nam, ſi illa tranſire in vinum nequeat, caſſæ ſunt Ciſtercienſium, Dominicanorum, aut etiam aliorum diligentiæ: fruſtra enim ante Miſſam miſcetur; ut, ſit tempus, quod ad converſionem ſufficiat.

Cur ab aliquibus fiat aquæ & vini ante miſſam commixtio?

Videntur ſuadere experientiæ, minimè converti aquam in vinum? &, ſi id ſit verum, aut aqua (non aliter ac palea aut granum arenæ in hoſtiâ) inconverſa manebit; aut immediatè converteretur in ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Si autem id falſum ſit, dici debebit, aquam in vinum immediatè tranſire, & poſteà totum illud vinum in ſanguinem Chriſti converti.

An immediatè aqua in ſanguinẽ Chriſti convertatur?

Prodierunt de hoc argumento docti libri, inter quos laudem meretur ille, quem D. Areſius Epiſcopus Dertonenſium compoſuit.

MMMCMXXXV.

At omnia, quæ dicuntur, aut dici in hac materiâ poſſunt, intra Probabilitatis terminos ſe continent: unde eorum libri, ut de Areſiano D. Septala loquitur, quantâ ſunt efficaciâ impugnati, tantâ gloriâ & virtute defenſi.

Quales eſſe debeant Acolyti?

Porrò Acolyti in ipſamet Ordinis ſuſceptione monentur, quam puram vitam debeant agere. Quæ enim tacitè vociferatur Candelabrum, dilucidat & exponit Vrceolus. Exclamat illud *Deo placere non poterunt, ſi lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inſerviant, & per hoc exempla perfidiæ aliis præbeant.* Et de ipſis appoſitè poſſunt verba Veritatis intelligi, *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* Item & verba Apoſtoli, *In medio nationis pravæ & perverſæ lucete, ſicut Luminaria in Mundo verbum vitæ continentes.*

Cur cum lucernis cõponantur?

Hoc eſt: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, ut filij lucis ſitis. Abiiciatis opera tenebrarum, & induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate.*

De lucis fructu.

Quæ autem ſit iſta lux, quam tantopere inculcat Apoſtolus, ipſe demonſtrat, ſubdens, *Fructus enim lucis eſt in omni Bonitate, & Iuſtitia, & Veritate.* Vnde exclamat Epiſcopus, *Eſtote igitur ſoliciti in omni Iuſtitia, Bonitate, & Veritate, ut & vos, & alios, & Dei Eccleſiam illuminetis.*

Quid importet urceolus?

Quæ taciturna Candelabri verba hoc Scholio illuſtrat & exponit Vrceolus, inquit enim, *Tunc in Sacrificio dignè vinum ſuggeretis, & aquam, cùm vos ipſi Deo ſacrificium per caſtam vitam, & bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per miſericordiam ſuam.*

MMMCMXXXVI. De Ordinatione Hypodiaconi.

An, & quale Subdiaconi Votum Caſtitatis emittant? An ipſo facto, tametſi nulla verba proferant, Votum ſolemne emittant?

IN promotione Subdiaconi illa primum verba ſunt examinanda, & expendenda. *Iterum atque iterum conſiderare debetis, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcularia vota* (ad matrimonium) *tranſire: quod ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, amplius non licebit à propoſito reſilire; ſed Deo, cui ſervire regnare eſt, perpetuò famulari, & caſtitatem illo adiuvante ſervare oportebit*, &c. *Proinde dum tempus eſt, cogitate: &, ſi in ſancto propoſito perſeverare placet, huc accedite.*

Digitized by Google

Communis Sententia aſſerit, Subdiaconos voto implicito, ſolemni tamen, Caſtitatis teneri: & idem eſſe accedere ut ordinetur, ac Caſtitatem vovere: hoc enim important illa verba, *huc accedite*. Ergo accedere ad Epiſcopum, non eſt tunc cæremonia nuda, ſignificatione altiori carens, nam ille pedum motus ab Epiſcopi verbis reſtrictus & dilucidatus, æquipollet his verbis, *Ego Deo voveo Caſtitatem*.

An eorum Votum conditionatum ſit?

An ſemper & omnibus Deus conferat auxilia ſufficientia?

Ne mireris, ſi ex falsâ doctrinâ etiam falſa conſequentia inferantur?

Præterea ex illis, *Deo adiuvante*; dubitant; An Hypodiaconus, quem per impoſſibile, Deus non adiuvaret, voto Caſtitatis obligaretur? Et ratio dubitandi eſt; nam hoc votum videtur conditionatè emitti. Et ad hoc ego *Reſpondeo primò*, Caſum non habere locum in praxi: quoniam Deus gratiarum liberali profluvio homines prævenit, comitatur, & ſequitur. Ergo nullus eſt quem Deus non adiuvet. *Reſpondeo ſecundò*, in ſententiâ Ianſenij nullum poſſe Subdiaconum ſacrilegium in materiâ Caſtitatis committere: negat enim auxilia ſufficientia: unde hoc debet argumentum formari. Subdiaconus, qui Caſtitatem violat, efficax auxilium ad eam obſervandam non habet. Patet: ſervaret enim illam, ſi efficax auxilium haberet. At neque habet ſufficiens: nam ſufficientia non admittit Ianſenius; Ergo nullum tunc Dei auxilium aut adiutorium habet; Ergo non violavit Votum: non enim Caſtitatem abſolutè promiſit; ſed, ſi Deus adiutorium concedat. *Reſpondeo tertiò*, hanc Ianſenij doctrinam eſſe abſonam; dari enim auxilia ſufficientia de fide eſt.

An dentur auxilia ſufficientia?

Et an id ſit de Fide?

M M M-CMXXXVII.

An in Ordinatione Subdiaconi, imponatur ſolemne Caſtitatis præceptum?

Eſt etiam aliquorum, qui rem profundè diſcuſſerunt, Opinio, in Ordinatione Hypodiaconi non emitti votum implicitum, ſed implicitum præceptum, non ab Epiſcopo Ordinante, ſed ab Eccleſiâ, imponi. Et ratio ſic diſcurrendi eſt; nam *Primò*, voto nemo obſtringitur nolens; Ergo, qui diceret, *Ego volo ordinari, & tamen nolo Caſtitatem vovere*, maneret ordinatus, & voto in interiori foro non teneretur. Et, ſi probare poſſet, ſe habuiſſe non vovendi intentionem, non poſſet cogi in foro externo. *Secundò*, quia hoc votum in Diaconalis aut Sacerdotalis Ordinis ſuſceptione non emittitur, ſed ſupponitur in Subdiaconatu iam emiſſum. Ergo, ſiquis per ſaltum, ſine Subdiaconatu, ad Diaconatum, aut Sacerdotium promoveretur, illa verba, *Si in ſancto propoſito* (nempe, vovendi Caſtitatem) *perſeverare placet, in nomine Domini huc accedite*, non audiret: ergo accedendo nîl voveret. *Ergo*, ne talia ſubſint inconvenientia, dicendum eſt ſingulis, qui Ordines Maiores ſuſcipiunt, ſolemne præceptum Caſtitatis imponi. Et hoc illi onus ultrò admittunt: ſi enim nollent Caſtitatem ſervare, ad ſuſcipiendos Ordines non accederent.

N. B. Si dicas has duas Obiectiones ſolutionem habere, adhuc dicam in Ordinibus Maioribus ſolemne præceptum obſervandi Caſtitatem imponi, hæc enim doctrina eſt facilior, & argumentis fortibus arietari non poteſt.

M M M-CMXXXVIII.

De peccatis Religioſi Presbyteri.

Vt rem meliùs intelligas, interrogas: *Quale peccatum committat, & qualiter confiteri debeat Religioſus, ad Ordines maiores promotus, ſi mulierem cognoverit?*

An Votum Religioſi & Subdiaconi diſtinguantur ſpecie?

Stando primæ ſententiæ, quia votum expreſſum in profeſſione emiſſum, & implicitum, in Subdiaconatu ſubintellectum ſunt eiuſdem ſpeciei virtualiter, non duas, ſed unicam circumſtantiam ſacrilegij addunt fornicationi, unde ille bene confiteretur, ſi fornicationem diceret, & ſe vel eſſe Subdiaconum, vel eſſe Religioſum exponeret.

An Religioſus Presbyter, præter ſolemne votum, etiam ſolemne præceptum Caſtitatis violaret?

An Eccleſia aliquid faciat fruſtra?

Stando ſecundæ, dicunt aliqui illam fornicationem duabus adhuc malitiis ſpecie diſtinctis maculari: nam votum in profeſſione emiſſum & præceptum in ordinatione impoſitum violat. Et quidem, conſultò ſcripſi, *dicunt aliqui*, quoniam P. Amicus, cuius prudentiam & ingenium univerſi ſuſpiciunt, ſic diſcurrit. [Deus & Natura nihil faciunt fruſtra. Ergo neque Vicarius Dei fruſtra aliquid facere cenſendus eſt. At Religioſis fruſtra præceptum Caſtitatis imponeret. Ergo illud ſolemne præceptum illis tantum imponitur, quibus dicitur, *Adhuc liberi eſtis licetque vobis pro arbitrio ad ſæcularia vota tranſire*. At hoc non dicitur Religioſis non enim ſunt liberi, nec poſſunt ad vota ſæcularia tranſire. Ergo illud Caſtitatis præceptum Religioſis non imponitur.

Corollarium ex Amici doctrinâ.

Et Ego Amici rationem conſiderans, & illa Epiſcopi verba, *Adhuc liberi eſtis*, &c. perpendens, aſſero limitationem ab Amico propoſitam habere locum poſſe in utraque ſententiâ. Quia, ſi ideò præceptum non imponitur Religioſis, quia votum, quo ipſi obſtringuntur, ſufficit: nec ſecundum ab eis petetur votum, quia primum ſufficit. Ergo dicendi erunt nec in Ordinatione novum votum emittere, nec novo præcepto obligari.

M M M C-M X X X I X.

An in Subdiaconi Ordinatione bene intelligantur verba Apoſtoli?

Quid Fidei nomine S. Paulus intelligat?

Verba illa, *Eſtote ergo tales, qui ſacrificiis Divinis, & Eccleſiæ Dei, hoc eſt, corpori Chriſti dignè ſervire valeatis, in Verâ & Catholicâ Fide fundati: quoniam, ut ait Apoſtolus*, Omne quod non eſt ex Fide peccatum eſt, & Schiſmaticum eſt, & extra unitatem Eccleſiæ eſt. *Et ideò*, &c. indigent expoſitione; nam contra ſic poſſet aliquis argumentari. Hìc Epiſcopus de Fide Theologicâ loquitur. Ergo male citat D. Paulum, qui de bonâ fide, ſeu de dictamine rationis loquitur. Dicit Paulus, *Quod non fit bonâ fide, & ſecundum rationis dictamen, peccatum eſt*. Abutitur ergo Apoſtoli verbis Epiſcopus. Reſpondeo cum Auguſtino Sacræ Scripturæ verba habere ſolere plures ſenſus Literales. Addo & Accommodatitium ab univerſis Orthodoxis admitti: illa enim verba, *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*, quæ in Bibliis de Sapientiâ æternâ, ſeu Verbo Divino ſunt dicta, Deiparæ in Miſſali applicantur. Ergo, quia hæc verba, *Quod non eſt ex fide, peccatū eſt*, ſive *Fidei* nomine Fidē Theologicā, ſive dictamē rationis accipiamus, ſunt vera; poterimus

Habet Sacra Scriptura plures ſenſus.

Verba de Æterno Verbo dicta Beatæ Virgini ab Eccleſiâ applicantur.

dicere duos illa ſenſus literales habere, & in altero ibi à S. Paulo accipi, & in alio alibi; & Eccleſiam hunc poſteriorem expreſſiſſe. Vel poterimus dicere, quæ Paulus bene de dictamine rationis ſcripſerat, Eccleſiam bene Theologicæ Fidei applicaſſe.

M M M-CMXL. *Quæ in Subdiaconi Ordinatione ſpiritalem Commentarium requirant?*

HIs interpoſitis, quæ vim Parentheſis habere volumus, ad Cæremonias redeamus.

Quatuor in Ordinatione Subdiaconi ſpecialiter veniunt conſiderandæ. (1) amict (2) manipuli, & (3) dalmaticæ impoſitio, & (4) traditio libri Epiſtolarum. Omnes ſunt myſticæ, & habent ſuas ſignificationes, quas ipſemet Pontifex ediſſerit, cum illas facit.

Quid deſignet Amictus?

Nam (1) imponit amictum, *per quem deſignatur caſtigatio vocis.*

Quid Manipulus?

Et (2) imponit manipulum, *per quem deſignatur fructus bonorum operum.*

Quid Dalmatica?

Poſteà (3) induit Ordinandum dalmaticâ dicens, *Tunicâ iucunditatis* (hoc eſt, gratiâ) *& indumento lætitiæ* (hoc eſt, æternâ beatitudine & gloriâ) *induat te Dominus.* Dalmatica ergo huius vitæ gratiam, & gloriam alterius repræſentat.

Et quid Liber?

Et tandem (4) idem eſt tradere librum Epiſtolarum, ac *dare poteſtatem legendi eas in Eccleſiâ ſanctâ Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis.* Sed quid ſpeciale hîc conceditur? An non interdum Clericus ſine manipulo cantat Epiſtolam, illamque pro vivis aut defunctis offert? Mox in Diaconi Ordinatione, cum Evangeliorum libri traditionem exponam, reſpondebo.

An, & quo ſimplex Clericus modo Epiſtolam poteſt cantare?

De Ordinatione Diaconi.

SAncta & valde neceſſaria ſunt omnia Monita, quæ in verbis Pontificis continentur. Et huc videntur omnia tendere, *Provehendi filij chariſſimi ad Leviticum Ordinem*, &c. *Curate, ut quibus Evangelium ore adnunciatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur*, Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. *Habete pedes veſtros calceatos ſanctorum exemplis*, &c. Imitemini Apoſtolum, qui corpus ſuum caſtigabat, & in ſervitutem redigebat, ne cùm aliis prædicaret, ipſe reprobus efficeretur. *&c.*

Diaconi Levitæ nominantur.

M M M-CMXLI.

Debent non ſolùm verbis, ſed & bonis operibus Diaconi concionari.

Ergo hinc habemus, quod non ſolùm linguæ, ſed bona etiam opera Evangelium prædicent & exponant.

Cæremoniæ piæ & devotæ omnes ſunt, & altiſſimis myſteriis plenæ.

De χειροθεσία.

Quid ipſa importet?

Dexteram ſuper caput cuiuſlibet Ordinandi imponit. Et quid hæc χειροθεσία ſignificat? Exponit Pontifex dicens, *Accipe Spiritumſanctum ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus eius.* Ergo χειροθεσία eſt ſignum practicum; quod, non ſolùm ſpecialem Dei gratiam ſignificat, ſed eam etiam infundit. Et qualis ſit hæc ſpecialis gratia Dei, & quos effectus habeat, paragrapho, *Emitte in eos*, qui ſequitur, Epiſcopus luculenter oſtendit.

An ſit practicum ſignum?

De Stola ſignificatione.

Stolæ impoſitio, gratiæ iam receptæ, incrementum ſignificat. Ait enim Pontifex. *Potens eſt Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam.*

M M M-CMXLII.

Et quid Dalmatica?

Dalmatica ſalutem Lætitiam, & Iuſtitiam oſtendit: quoniam Pontifex ait, *Induat te Dominus indumento ſalutis, & veſtimento lætitiæ: & dalmaticâ Iuſtitiæ circumdet te ſemper.* Per ſalutem intelligitur gratia; quia omnia vitia & & peccata ſunt morbi animæ, à quibus eam Pœnitentia recurat. Et ſalus animæ, quæ per pœnitentiam adquiritur, gratia eſt. Beatitudinem lætitia repræſentat, & eſt duplex; imperfecta, & perfecta. Illa in hac vitâ obtinetur, hæc verò in alterâ. Eſt vitæ huius beatitudo conſcientiæ tranquillitas & ſecuritas: videlicet,

Quid ſonet Salus.

Omnia vitia ſunt morbi.

De imperfectâ huius vitæ beatitudine.

Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.

Hæc ex ſalute & gratiâ naſcitur, lætitiamque æternæ gloriæ reſpicit; unde Propheta David exultabundus concinebat, *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* Et in Empyreâ domo Domini eſt perfecta lætitia: quæ quoniam perpetua eſt, perfecta eſt: quoniam non eſt perfectè lætus, quem mœror occupat: & nequit mœrore carere, qui bona ditiſſima poſſidet, ſi ſe ſciat illis privandum eſſe.

De Æternæ beatitudinis expectatione.

Ipſa eſt perfecta.

Quid fine caret.

Æterna gloria eſt magna gratia, eſt & magna iuſtitia: magna gratia in infantibus, quos aqua Sacramentalis, v. gr. emaculavit. Non illi propriis meritis, ſed Chriſti favore ſunt ad Cœlum evecti. Magna Iuſtitia in adultis videtur; quoniam exclamat Paulus, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus Iudex: non ſolùm autem mihi, ſed iis, qui diligunt adventum eius.* Et hîc obiter nota hanc ipſam magnam Iuſtitiam, eſſe etiam magnam gratiam: quia ſecundum ſe conſideratæ, *non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam.* Vnde autem habent quod cenſeantur condignæ? A promiſſione: canunt enim Ciſtercienſes in Hymno.

An ipſamet gloria ſit gratia?

An ſit etiam Iuſtitia?

Quomodo Iuſtitia & gratia componantur?

Si corde rogamus pio,
Certè debes ex promiſſo.

At hæc ipſa promiſſio hominibus non erat debita. Ergo fuit ipſa ex gratiâ. Bene igitur reſolvebamus, Iuſtitiam, quæ Sanctos in Empyreo coronat, condecorari gratiâ: & gratiam quæ gloriam impertitur, exornari Iuſtitiâ.

N. B. Videtur ex hoc Apoſtoli loco probari Promiſſiones pertinere ad Iuſtitiam.

Quid liber Evangeliorum ſignificet?

M M M-CMXLIII.

Vltima in Diaconi Ordinatione cæremonia eſt libri Evangeliorum traditio: & ſignificat poteſtatem quæ traditur, dicente Epiſcopo, *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſiâ Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis.* Et duo docemur. Alterum, ipſam Evangelij lectionem meritoriam, impetratoriam, & ſatisfactoriam eſſe. Alterum, ſatiſfactionem (immò etiam impetrationem) non ſolùm poſſe ſibi Diaconum, ſed etiam, quibus velit, vivis aut defunctis adſcribere.

De bonorum operum merito, impetratione, & ſatisfactione

Dices, nihil te reperire ſpeciale; quoniam omnes humani actus, ſi boni ſint, & ab homine gratiâ prædito fiant, meritorij, impetratorij, & ſatisfactorij etiam ſunt. Fruſtra ergo de Evangelij lectione dicitur, quod omnibus

An hæ tres proprietates bonis operibus univerſim conveniant?

Digitized by Google

omnibus bonis actibus commune eſt.

Aliud eſt proprio, & aliud Eccleſiæ nomine orare Deũ.

Reſpondeo rem eſſe toto cœlo diverſam, privatim ac publicè (hoc eſt, proprio operantis nomine, ac Eccleſiæ, Chriſti Sponſæ, nomine, Deo actus bonos offerre. Illud prius eſt commune bonis omnibus operationibus: hoc poſterius omnibus Eccleſiaſticis: at verò non ſine differentiâ; nam ad minores Ordines promotis videtur *Eccleſia* favere: videtur enim non fore Eccleſiam invitam, ſi eius Oſtiarij Exorciſtæ, Lectores, & Acolyti nomine, laborem quem in miniſteriis ſuis exercendis ſuſtinēt ſummo Numini offerāt: verùm ad Ordines maiores promotis expreſſo privilegio indulgetur ut totius Eccleſiæ nomine munerum ſuorum exercitia poſſint offerre Deo.

MMMCMXLIV.

Et aliud Eccleſiâ tacitè permittente, & aliud expreſsè concedente, aut iubente.

De Clerico, qui ſine manipulo & ſtolâ Epiſtolam, aut Evangelium concinit.

Hoc autem privilegium non conceditur Clerico, qui ſine manipulo aut ſtolâ Epiſtolam aut Evangelium in Miſsâ canit. Et hoc poſſe & ſolere fieri conſtat ex uſu communi, & Illuſtriſſimo D. Septalâ, qui *tit. de Miſſa myſteriis Syntagmate, pag. 153. lit. E. n. 14.* hæc ſcribit. *L'Evangelio & Epiſtola può cantarſi in neceſſita da un Chierico; ma quello ſenza ſtola, e queſto ſenza manipulo, pur che ciò faccia, non come Diacono, ò Subdiacono, ma come Cantore.*

MMMCMXLV.

An in Miſsâ ſatisfaciat Sacerdos audiendo Epiſtolã & Evangelium: An etiam illa debeat voce ſuppreſsâ legere?

Et hinc poſſet inquiri, *An in miſsâ ſolenni Sacerdos teneatur ſuppreſsâ voce legere Epiſtolam & Evangelium?* Reſpondeo, Miniſtros vel eſſe ordinatos, vel non. Si non: etſi illi Epiſtolam & Evangelium cantent, eadem nihilominus Sacerdos ſubmiſsâ voce recitare debebit: quia Epiſtola & Evangelium ſunt partes miſſæ, &, qui non habent maiores Ordines non ſunt Sacerdotis Comminiſtri, Sacramentali authoritate deſtinati. Si ordinati illi ſint, ſervandæ ſunt Miſſalis rubricæ, quæ *cap. 6. num. 4.* ponuntur: ipſæ enim illa ſubmiſsâ voce legi iubent. Interim, inter alias Velleitates hanc etiam Apoſtolicæ Sedi proponerem, ut in miſſis ſolemnibus Pontifex non recitaret, quæ ab aliis cantantur: nam, ſicut quando duo canunt Horas, neuter tenetur ſuppreſſâ voce legere, quæ alter cecinerat, ſic quando tres vel plures miſſam cantant, poſſet concedi, ne debeat Sacerdos legere, quæ miniſtri (nempe, ordinati) aut etiam Choriſtæ cecinerunt.

Quid Rubrica ſtatuant?

Sed inquiris, *An Subdiaconus ſine manipulo, & ſine ſtolâ Epiſtolam, & Diaconus Evangelium cantare poſſit?* Et petis etiam, *Quid obtineant, ſi ſine manipulo & ſtola cecinerint?*

De Lovanienſi Rectore, & Cardinalibus, quando incedunt incogniti.

SVm Lovanienſis Doctor, & volo, ut Quæſtionem decidam & dilucidem aliquid de ritibus huius Vniverſitatis proponere. Magnifici Rectoris habitus ibi dicitur *Magnificentia*; & quando magnificentiâ induitur ut Rector ab univerſis honoratur: quando verò illâ caret, ut Doctor privatus ſuſpicitur. Et Cardinales Romæ dicuntur incedere incogniti, cùm equi rhedæ floccis carent, & tunc ceſſant cæremoniæ, quas aliàs ipſis debita reverentia præſcribit. Hinc fortè poſſet aliquis à pari argumentum deducere: & inde aſſerere Diaconum, & Subdiaconum, quando ſine ſtolâ & mani-

Magnificentia quid?

Quid inde impræſentiarum inferatur?

in miſsâ concinunt, nec privilegiis frui, nec ſubire gravamina, quæ eiſdem nonnulli Doctores imponunt, quando utuntur habitu, quo eos uti poteſtate Ordinis ſignificatur.

MMMCMXLVI. De Ordinatione Presbyteri.

DVas præmittit Pontifex Aſſertiones certiſſimas; nempe (1) *Quod nonnunquam ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis.* Et (2) *Neceſſe eſt, ut facilius ei quis obediat notiam exhibeat ordinato, cui aſſenſum præbuerit ordinando.*

An impediri debeat promotio indigni.

Ex primâ ſequitur poſſe & debere prudentem hominem crimen verum, quod extra Sacramentalem confeſſionem reſciverit, ſi indignus ad aliquam dignitatem adſpirat, revelare. Nam Electores indigent illâ notitiâ, & eius defectu creando indignum Communitati in gravi materiâ nocerent. Id etiam poterit, ne minùs dignus eligatur. At hîc etiam habere locum debet inculpatæ tutelæ moderamen: nam Communitas habet ius, ut in quocumque miniſterio aut officio non ſumantur indigni: & tu potes & debes illis quorum intereſt, non autem aliis occultam indignitatem (veram tamen) oſtendere. Vnde Romæ, qui in alicuius Epiſcopi Creatione Cardinalibus inſufficientiæ aut incapacitatis alicuius veritatem oſtenderet, Deo ſerviret: ſi autem in vulgus emitteret, quod ſolet, peccaret mortaliter: quia illa notitia eſt accuſato aut delato ignominiæ, & ipſâ Populus Romanus non indiget. Et hinc à fortiori eos damnabimus, qui digniſſimos Viros ex odio falſis teſtimoniis dedecorant. Quamobrem verba illa, quæ in Presbyterorum Ordinatione dicuntur, in omni electione habent locum: non enim vult Deus, nec Eccleſia & Reſpublica, ut dignis præponantur indigni; & ideò, ut Candidatorum (qui ad munus aut officium adſpirant) morum elegantia, & capacitatis ſufficientia innoteſcat, ſingulis è populo inclamare videntur: *Siquis habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat: Verumtamen memor ſit conditionis ſuæ.* Iubet, ut illis dicat, qui iſtâ notitiâ indigent: nec enim pro Deo, nec propter Deum procederet, ſi vulgo, cuius id ſcire aut neſcire non intereſt, temerè revelaret.

Quid fieri debeat in creatione Epiſcopi.

Peccant qui in vulgus creandi defectus & imperfectiones immittunt, nam vulgus his notitiis non indiget.

Quid importent illa verba, Verumtamen memor ſit conditionis ſuæ.

Sed quid ſibi volunt illa verba, *Verumtamen memor ſit conditionis ſuæ?* An-ne, nec teſtis, nec Iudex eſſe poteſt, qui eſt obnoxius peccatis? Fortè videretur, quod ſic: ait enim Chriſtus, *Qui ſine peccato eſt, mittat primum lapidem.* Iniuſtus igitur (& omnis peccator eſt iniuſtus,) ubi de Iuſtitiâ agitur, locum non habet. Non docet, non ſuadet hanc conſequentiam Chriſtus; eſt enim ſol Iuſtitiæ, & ideò Iuſtitiam potiùs quàm ſacrificium diligit, & ne in illius cognitione & diſcretione allucinemur, interioris & exterioris lucis radiis oculos mortalium illuminat. Quid ergo dicit? Inclamat *Ne quid nimis.* Et iterum, *Noli nimium iuſtus eſſe.* Et cur? *Quia nimium ius, nimia iniuria.* Purgari debent vitra, non frangi: & unuſquiſque amare debet proximum, ſicut ſe ipſum. Inter Imperatores cæteros celebratur Trajanus, quòd dicebat, *Velle talem*

An-ne peccatores, teſtes eſſe poſſint, vel Iudices?

Nimiũ ius, nimia iniuria.

Trajani pulchrum Apophthegma.

Digitized by Google

ſe exhibere privatis, qualem optaret ſibi eſſe Imperatorem, ſi Imperator non eſſet. Ergo,

Reſolutio.

ſi habeas in aliquâ Electione ſuffragium; ſi in tribunali votum, ſi in muneris diſtributione arbitrium; ſis memor conditionis tuæ: hoc eſt, talem te univerſis exhibeas, qualem Electorem, Iudicem, aut Arbitrum iuſtè deſiderares, ſi tua res ageretur, &c. [Conſultò illud *iuſtè* interſerui; nam iniuſta hominum deſideria, non ſunt Regulæ morum.]

Libentius Superiori obedimus, quem elegimus.

Secundum firmant illa fortiſſima verba, *Iudic.* 18. 24. videlicet, *Deos meos, quos mihi feci.* Erat enim circumſtantia, ſe illos feciſſe, ut eos libentiùs coleret. Ergo promptiori animo ſuſpicimus & veneramur, quos in ſublime eveximus, & reſignatiore voluntate obedimus Prælato, quem elegimus.

Ethnici ſibi faciebant Deos, ut eos libenter colerent.

[Sunt multa teſtimonia ſimilia, quæ hoc ipſum aut inſinuant, aut ſuadent: hæc perpende. *Surge, fac nobis Deos.* Exod. 32. 1. *Dixerunt mihi: Fac nobis Deos* ibid. 32. 23. *Dicentes, Fac nobis Deos.* Actor. 7. 40. *Fecerunt ſibi Deos aureos.* Exod. 32. 32. *Feciſti tibi Deos alienos.* 3 Reg. 14. 9. &c. Hi loci, & alij ſimiles, demonſtrare videntur, Deos à ſe factos, quàm ab aliis indictos, ſemper Gentilibus gratiores fuiſſe.]

An ſit poſſibilis caſus, in quo, ubi de electione Prælati agitur, minùs dignus, (dignus tamè) præponatur digniori?

MMMCMXLVII. Hinc ſolvitur Quæſtio, quæ inquirit, *An in electione Prælati digniori poſſit minùs dignus præponi?* Dum enim alij aliter ſtatuunt, Ego reſpondeo, non eſſe poſſibilem caſum, in quo è duobus dignis Religioſi eligant minùs dignum. Et hoc clarè perſuadeo. Nam præter qualitates, quæ requiruntur, ut ſit dignus, ille erit dignior, qui Monaſterio bene gubernando ſit aptior. Et ille erit aptior, qui amabilior; ille nimirum cui faciliùs obedient. At qui amatur à pluribus, habet plurium ſuffragia; & qui à pluribus eligitur, habet plures, qui libenter obediant. Ergo inter duos dignos, cæteris paribus, erit dignior.

Septuaginta Veteris Teſtamenti Viri, Sacerdotes Legis Chriſtianæ repræſentât.

Sequitur Admonitio, quæ incipit, *Conſecrandi Filij dilectiſſimi.* Et eſt lectu, & ponderatione digniſſima; complectitur enim variam & utilem doctrinam, quæ fuſis poſſet Scholiis illuſtrari. Me iuvant illa verba, *Vos ſiquidem in ſeptuaginta viris & ſenibus ſignati eſtis, ſi per ſpiritum ſeptiformem, Decalogum Legis cuſtodientes, probi & maturi in ſcientia ſimiliter & opere eritis.*

Malitia, vel Philoſophica, vel Theologica eſt. Hæc poſterior ſine lege non datur.

vt etiamnum videam malitiam in Philoſophicam & Theologicam neceſſariò diſtingui; nec ullam Theologicam eſſe præſcindendo à Dei lege, quam vocamus *Decalogum.*

MMMCMXLVIII. *Quid ſtola ſignificet.*

Imponit poſteà Pontifex Sacerdotalia inſignia: ſtolam ante ordinandi pectus per Crucis modum coaptando, & uſque ad ſcapulas caſulam imponendo. Stola per modum Crucis poſita quale ſit Chriſti iugum ſignificat: unde ait Epiſcopus: *Accipe iugum Domini: iugum enim eius* (non aliter, ac illa ſtola) *ſuave eſt, & onus eius leve.*

Quid caſula.

Caſulâ autem ſignificari Charitatem, teſtatur ipſe Epiſcopus dicens, *Accipe veſtem Sacerdotalem, per quam Charitas intelligitur:*

An Charitas intendi & augeri poſſit?

& hanc admittere magis & minus oſtendit, addens, *Potens eſt enim Deus, ut augeat tibi Charitatem, & opus perfectum.*

De manuum conſecratione.

Deinde, quid manuum Conſecratio practicè repræſentet, Pontifex exponit his verbis: *Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine, manus iſtas per iſtam ſanctam unctionem & noſtram benedictionem. Amen. ut*

Quid ipſa importet?

quæcumque benedixerint, benedicantur; & quæcumque conſecraverint, conſecrentur & ſanctificentur in nomine Domini noſtri Ieſu-Chriſti.

Tradit poſteà Pontifex calicem cum aquâ & vino, & patenam cum hoſtia. Et hæc ipſa traditio habet practicam ſignificationem, quam Epiſcopus exponit dicens. *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, miſſáſque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis.* MMMCMXLIX. *De panis & vini traditione.*

De poſteriori manuum impoſitione.

Claudit Cæremonias altera χειροθεσία, nam ſuper Sacerdotis caput utrâque imponit manum Pontifex: & poteſtatem tradit abſolvendi à peccatis, quam exponit his verbis: *Accipe Spiritum ſanctum: quorum remiſeris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta ſunt.* *De poteſtate abſolvendi à peccatis.*

An conſecrandi & abſolvendi poteſtates ſeparabiles ſint?

Poteſtatem conſecrandi à poteſtate abſolvendi dividunt & ſeparant Græci, nec eâdem die conferunt: at contrà Latini inſeparabiles eſſe aſſeverant, & in eodem Ordinationis actu vtramque indulgent.

Quid caſulæ explicatio ſignificet?

Denique Preſbyteri caſulam, quæ ſuper humeros implicabatur, explicat Epiſcopus dicens, *Stola innocentiæ induat te Dominus.* Hæc ergo caſulæ explicatio innocentiam ſignificat.

Qualis virtus ſit Innocentia.

Nam importat hæc Virtus Sinceritatem; &, qui operationes diverſarum interpretationum tenebris implicare conatur, non eſt innocens. Et hæc de huiuſmodi Cæremoniis notaviſſe ſufficiat: modò unum aut alterum caſum, ſcitu dignum, breviter decidamus.

MMMCML. *An-ne, & cur non poſſint ſimplices Sacerdotes Confeſſiones audire?*

RElegis illa verba, *Accipe Spiritum ſanctum,* &c. & infers; ergo in ipſamet Ordinatione Preſbyteris confertur poteſtas abſolvendi à peccatis. Ergo ex vi recepti ordinis Sacerdotalis, poterunt pœnitentes univerſos abſolvere. Ergo abſolutionis valor ab approbatione Epiſcopi non dependet. Ergo non dantur caſus Epiſcopo reſervati. Conſequentiæ hæ proponebantur. Non enim pendet ab approbatione Epiſcopi ſemel data conſecrandi poteſtas: nec reſervare talem

An conſecrandi poteſtas reſervationi ſubiaceat?

panem aut vinum poteſt Pontifex, ne validè conſecretur: quoniam Sacerdos, etſi irregularis, excommunicatus, aut etiam degradatus ſit, ſuper materiam legitimam (hoc eſt, panem ex tritico & vinum è vite) cum conſecrandi intentione, Epiſcopo invito formam proferens, illicitè conſecrabit, ſed validè:

An abſolvendi poteſtas ab Epiſcopi voluntate dependeat?

ergo ſimiliter Sacerdos, etſi irregularis, excommunicatus, aut degradatus ſit, ſi ſuper ſubiectum legitimum, & materiam legitimam (hoc eſt, ſuper adultum, & peccata actualia, quæ confitetur) cum abſolvendi intentione, Epiſcopo invito, formam profetat illicitè abſolvet, ſed validè.

Duo omninò requiruntur, ut Agens de facto operetur.

Reſpondeo in omni actione duo requiri; alterum, eſſe virtutem operativam in agente, & eſſe capacitatem in paſſo. Homini enim, ut quæ voluerit videat, non ſufficit habere

vividiſſimos

Penitur exemplum in oculo.

An Angelus, & aër, videre poſſint.

vividiſſimos oculos : nam, licèt lynceos habeas, non poteris videre Angelum, non aërem ; quia viſus obiectum debet tingi colore, & ideò Angelus nunquam oculis corporeis videbitur, quia eſſe coloratus non poteſt ; & aër, tametſi materiale corpus ſit, non percipietur oculis,, niſi colore aliquo (quod poteſt, & ſolet) inficiatur. Eodem modo de Sacerdote ſtatue. Vt ritè à peccatis abſolvat, duo requirit : nempe, in ſe poteſtatem, & in pœnitente capacitatem. Illam in Ordinatione recepit, quando dixit Epiſcopus, *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. At hanc ipſe poteſtatem, niſi in ſubjectum legitimũ exercere non poteſt. Pronuncio tamen ſubjectum legitimum eſſe adultum ; qui ſit Confeſſarij ſubditus, qui aliàs bene diſpoſitus peccata actualia confitetur. [Quoniam Originale, peccata hypothetica, quæ committerentur; futura, quæ committentur, ſi nondum ſunt commiſſa : debita civilia, &c. ad Sacramentalem Confeſſionem non pertinent] Et quidem pœnitentem debere eſſe Confeſſarij ſubditum, & alias fore Confeſſionem invalidam ; probo clariſſimè : quia abſolutio actus iuriſdictionis eſt, & debet exerceri in ſubditos. Ergo ſimplex Sacerdos non habebit ſubditos, in quos iuriſdictionem exerceat, niſi illos ſibi concedat & deſignet Epiſcopus Ergo hic, quia poteſt concedere nullos, ita poterit dare hos, & illos negare : & tales quoad talia peccata, & non quoad alia ſubmittere. Ergo eſt inter panem aut vinum & pœnitentem manifeſta diſparitas : nam illa, ut ſint conſecrabilia nîl omninò præter realitatem requirunt ; homo autem, ut abſolui poſſit, præter entitatem ſuam phyſicam, & uſum rationis ; qui ad realitatum etiam cenſum pertinet, eſſe debet ſubditus confeſſarij, quod non fiet, ſi noluerit Epiſcopus.

Duo in Sacerdote, ut à peccatis abſolvat, requiruntur. Quando recipit poteſtatem?

Circa quæ peccata.

Et circa quẽ pœnitentem verſetur abſolutio?

Cur ſimplex Sacerdos ſine licentiâ Epiſcopi non poſſit confeſſiones audire?

Abſolutio Iuriſdictionis actus eſt, & debet exerceri in ſubditos.

An Religionum Prælati, & Doctores Theologiæ, &c. ſine licentia Epiſcopi poſſint Confeſſiones excipere?

MMMCMLI. Hinc patet Approbationem ad audiendas Confeſſiones, quam concedit Epiſcopus, non eſſe merum teſtimonium idoneitatis, aut meram iuriſdictionis collationem [nam idoneitas non ſufficit ſine iuriſdictione ; nec iuriſdictio conferri debet incapaci.] ſed utrumque. Vnde corruit illa aliquorum adlucinatio, quæ aſſerebat, Doctores, & Licentiatos Illuſtrium Vniverſitatum, nec non Ordinum grauium Superiores, habere teſtimonium publicum ſuæ ſufficientiæ, & poſſe Confeſſiones audire. Corruit, inquam, quia cùm præter ſufficientiam requiratur iuriſdictio, quæ ex Epiſcopi gratiâ procedit, poteſt Epiſcopus Titio dicere, *Ego fateor te eſſe doctiſſimum & capaciſſimum, ſed tamen nolo licentiam audiendi confeſſiones concedere.* Hæc doctrina eſt hodie in Eccleſia. & ſchola communis, & traduntur à P. Andrea Mendo, prudentiſſimo & doctiſſimo Viro, *in Epitome verb. Confeſſarius, num.*23. his verbis. [Nullus Sacerdos, dum non ſit Parochus aut approbatus ab Ordinario poteſt excipere confeſſiones ſæcularium (confeſſiones enim Regularium valet audire Sacerdos deputatus à Prælato Regulari.) Approbatio autem eſt teſtimonium publicum idoneitatis, probitatis, doctrinæ, & morum, & ſupra id cadit iuriſdictio. Nec ipſo iure Doctores, Magiſtri, aut Licentiati in Academiis ſunt Approbati.] Et citat Tamburinum, Lezanam, Leandrum, Suarium, Fillincium. & alios apud ſe *in tract. de Bull. Cruciat. diſput.* 23. *num.* 23. & *in tract. de Iure Academ. lib.*2. *quæſt.*7. Vide etiam, quæ ego de hoc argumento docui *libr.* 3. *num.* 3145. *pag.*117. *A.*

Ad excipiendas validè Confeſſiones, non ſufficit teſtimonium publicum idoneitatis.

R. P. Andr. Mendo laudatus.

Duo ad audiendas confeſſiones requiruntur, idoneitas, & & iuriſdictio.

MMMCMLII. Hic placet caſum hunc proponere, qui accidit in Civitate N. dum ego ob noſtri Epiſcopatus negotia ibi hærerem. [Pater N. Ordinis S. Franciſci Religioſus, ob nimiam ſinceritatem loquendi parùm gratus Epiſcopo, petiit audiendi confeſſiones licentiam, & Epiſcopus, ne publicè ſuam averſionem oſtenderet, remiſit, ad examinatores Poſt examen eis iniunxit, ut illum reprobarent ; at illi noluerunt obedire, ſed inconſulto Epiſcopo dederunt eidem literas, quarum ſumma erat hæc, *Fatemur Patrem N. eſſe virum doctum, adeoque idoneum dignúmque, ut ei Illuſtriſſimus Dominus concedat audiendi confeſſiones licentiam, ſi voluerit*, &c. Sequutæ ſunt vociferationes ; & ego conſultus dico PRIMO, Epiſcopum, præſcindendo ab omni privilegio Sanctæ Patrum Franciſcanorum Religioni conceſſo, potuiſſe illi audiendi facultatem negare. SECVNDO, potuiſſe illum ſubjicere examini: ſunt enim, qui cum Novario *in ſumm. Bull. tom.*2. *tit. de Regularib. aud. conf. ſæcul. num.*9. dicant, non poſſe omitti examen, & nemo docet illud debere omitti. TERTIO, non potuiſſe præcipere examinatoribus, ut illum reprobarent, etſi eſſet idoneus ; licèt enim ſit in materia gratiæ confeſſiones audiendi facultatem concedere, eſt in materiâ juſtitiæ, examinatorum declaratio, peccarentque mortaliter, & ad reſtitutionem tenerentur, ſi teſtimonium perhiberent mendacio, & quem doctum & idoneum reperérant, indoctum & inidoneum declararent. QVARTÒ, examinatores, non potuiſſe obedire, & ſuæ obligationi ſatisfeciſſe non obediendo.

An poſſit Epiſcopus præcipere examinatoribus, ut aliquem, aliàs virum doctum & idoneum, reprobent?

An ipſi debeant non obedire?

An poſſit alicui ſine examine Epiſcopus, audiendi Confeſſiones facultatem concedere?

Quid in hoc caſu ad gratiam, & quid ad Iuſtitiam pertineat?

MMMCMLIII. Hvic Caſui eſt ſimillimus hic. [In Vniverſitate N. Regij Conſilij Senatores ob rationes Politicas iuſſerunt Vocalibus, ne Aurelio, qui ad cathedram vacantem adſpirabant, votum impertirentur.] Et hîc illos *Vocales* nomino, qui habebant activam vocem in promotione ad illam cathedram.

An poſſit præcipi Vocalibus, ut negent tali viro, admiſſo ad concurſum, ſuffragium.

Reſolutio exit ſimilis præcedenti. Patres enim Conſcripti, & in ſupremo Conſilio Regnum ſupremâ Providentiâ regentes, potuerunt quidem, ſi cauſæ erant, præcipere, ne adſpiraret ; verùm enim verò non potuerũt iubere ut Vocales in doctiori ſuo ſuffragio faverent ; nam illud importat hæc implicitè verba, *Ego indico, quòd Doctor N. eſt aliis Doctior*, Et mentitur Vocalis, qui dat teſtimonium minùs docto.

MMMCMLIV. Volo adhuc addere alium Caſum, qui ſæpe proponitur, & ſemper in Lectorum animis ſcrupulos & dubia relinquit. Attende.

De excõmunicatione, quæ ante celebrationem Ordinum fulminatur.

In generali Ordinum collatione altâ & intelligibili

telligibili voce aliquis è Miniſtris Epiſcopi publicare & intimare debet omnibus Ordinandis hoc decretum.

Omnibus intimatur.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater, &c. *ſub excommunicationis pœnâ præcipit & mandat omnibus & ſingulis pro ſuſcipiendis hic præſentibus, ne quis forſan eorum irregularis, aut alias à Iure vel ab homine excommunicatus, interdictus, ſuſpenſus, ſpurius, infamis, aut aliàs à Iure prohibitus, ſive ex alienâ diœceſi oriundus ſine licentia ſui Epiſcopi*, &c. *ullo pacto audeat ad ſuſcipiendos Ordines accedere.*

Caſus proponitur.

Interim, quia Titius erat irregularis, aut ex alienâ diœceſi cum fictis literis venerat, &c. Et tamen Ordines Minores & Maiores ſuſcepit, quæritur, *An fuerit ordinatus validè?* Non petitur, *An fuerit licitè?* nam eum mortaliter peccaviſſe, & excommunicationem incurriſſe ſupponitur: ſolùm enim dubitatur, *An validè?*

Rationes pro ſententiâ ſeverâ.

Videretur hanc Ordinationem fuiſſe invalidam; nam Titius iuſſus non accedere, acceſſit de facto: Ergo fuit de facto inobediens; Ergo antequam ſuſciperet Ordinem, incurrerat excommunicationem. At qui excommunicato Sacramenta adminiſtrat, ipſo iure incurrit excommunicationem, *cap. Epiſcopor. de priv. in* 6. & *cap. Significavit, de ſentent. excommunicat.* Ergo, ſicut non eſt præſumendum voluiſſe Epiſcopum hanc latam excommunicationem incurrere, ſic nec cenſendum erit, eumdem voluiſſe cum excommunicato in divinis communicare. Ergo dicendus eſt Epiſcopus habuiſſe hunc actum conditionatum, *Ego te volo ordinare, ſi non es excommunicatus.* At excommunicatus ille erat. Ergo invalidè fuit ordinatus. Hanc præſumptionem, ſi non certam, ſaltem probabilem iudicat Cardinalis de Lugo: iubet enim, ut Epiſcopus conſulatur, ut ipſe qualem habuerit intentionem exponat.

De intentione & voluntate Ordinantis.

Caſus reſolvitur.

Reſpondeo tamen *Titium fuiſſe ordinatum validè*: & *fieri iniuriam Epiſcopo, ſi de intentione interrogetur.* Et, ut Concluſionem intelligas, nam duas illa partes complectitur, ſingulas breviter dilucidabo. *Dicam igitur Primò*, excommunicatum ad Ordines validè promoveri, R.P. Andreas Mendo *in Epitome. verb. Litera*, *num.*8. [Qui ordinaretur cum literis dimiſſoriis iam revocatis, & qui ſine ullis dimiſſoriis, vel fictis ab alieno Epiſcopo, peccaret mortaliter, & ſubiaceret ſuſpenſioni.] Conſonat Cotonio, qui *in Summ. verb. Ordo. num.*10. dixerat. [Qui ordinatur cum ficto patrimonio, beneficio, aut fictâ penſione, &c. peccat mortaliter, & ſecundum Navarrum *cap.*17. *num.*158. incurrit ſuſpenſionem *cap. Neminem*, & *cap. Sanctorum, diſt.*50. quæ videtur innovare Tridentinum *ſeſſ.*21. *cap.*2. ibi. *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando*, &c.] At nemo ſuſpendi ab exercitio Ordinis poteſt: quem non ſuſceperat. Ergo excommunicati, qui ordinantur, validè ordinantur: aliàs enim non poſſent ſuſpendi.

Actus, qui ſunt, ab illis, qui eſſent, debent neceſſario Diſtingui.

Dicam ſecundò, Actus qui fuerunt aut ſunt, cum actibus qui fuiſſent aut eſſent, non debere confundi. Hoſtiam enim publicæ adorationi in miſsâ expoſitam, etſi conſecrata non ſit, Ego de facto adoro, quia invincibiliter neſcio non eſſe conſecratam: MMMC-MLV. & tamen, ſi non eſſe conſecratam cognoſcerem, illam non adorarem; adoro tamen, abſolutè, & non conditionatè. Vt enim conditionem adhibeam, debeo habere gravem rationem dubitandi: nam debeo bene præſumere de proximo, niſi habeam fundamenta aliter iudicandi. Sicut enim peccat mortaliter qui ſine ullâ ratione in dubium vocat, an Petronilla caſta ſit? an Iudex N. ſit ſubornatus? an Petrus fuerit falſus teſtis? &c. Sic etiam, qui ſine ullo fundamento dubitat, An Sacerdos N. in miſsâ conſecrandi intentionem habuerit. Ergo, quia omnis præſumitur bonus, niſi malus probetur: erit certò bonus [*] quoad nos, quem in individuo nulla ratio probabilis eſſe malum perſuadet. Ergo Epiſcopus debuit ſub peccato mortali iudicare Titium eſſe bonum; quia non habebat rationem iudicandi contrarium. Ergo, licèt certum ſit, quod Epiſcopus non habuiſset intentionem, immò nec materias tradidiſſet Titio, nec pronunciaſſet formas, ſi illum excommunicatum eſſe noſſet; tam certum eſt eum habuiſſe abſolutam & veram intentionem, quàm eſt verum materias Titio tradidiſſe, & formas pronunciaſſe de facto. Confirmatur: nam in adminiſtratione Sacramentorum conditionis poſitio petit probabilitatem, Ergo, ſicut peccaret mortaliter, qui infantem quem baptizatum eſſe ſciret, iterum ſub conditione baptizaret: ſic etiam peccabit mortaliter, qui ſub conditione Ordines confert, ubi non eſt ratio conditionem ponendi. Vnde

Sunt peccata gravia temeraria iudicia.

*] Certitudo eſt duplex: Poſitiva & Negativa. Illã præbet infallibilis ratio: iſtam poſſeſſio, contra quã nulla opponitur ratio probabilis.

In Sacramentorum adminiſtratione, ſi ſit capacitas certa, aut incapacitas certa, non poteſt adhiberi conditio.

An habere poſſit Epiſcopus conditionatam intentionẽ?

Colligo (1) *Epiſcopum duo peccata mortalia commiſſurum, ſi ſine gravi aliquâ dubitandi ratione, alicui Ordines conditionatè conferat.* Nec mirum videri debet duabus unum & eumdem actum peccaminoſitatibus infici: nam moralitates, actuum ſunt accidentia & accidentia diſtincta ſpecie in eodẽ ſubiecto inveniuntur. Epiſcopum duo in caſu gravia peccata commiſsurum, oſtendo: quoniam ſacrilegium committeret, Sacramentum ſine causâ ſub conditione adminiſtrando: & gravem iniuriam Titio inferret, ſi eum eſse excommunicatum dubitaret.

An debeat interrogari?

Colligo (2) *non debere interrogari Epiſcopum; qualem intentionem habuerit?* præſumendum eſt enim eum habuiſse rectam, videlicet, quam debebat habere. Patet; quia aliàs temerè iudicaretur. MMMC-MLVI.

An ſaltem poſſit.

Colligo (3) *peccaturum mortaliter, qui Epiſcopo talem interrogationem proponeret.* Patet ex præcedentibus; nam magnam illi iniuriam inferret, ſimilia interrogando.

Quid ſervetur in praxi?

Hæc doctrina ubique ſervatur in praxi: & omiſſis multis caſibus antiquis, quos adducere poſsem, hunc ut recentiorem propono. [Ex literis Illuſtriſſimi D. Gabrielis Santanderij, Hydruntini Archiepiſcopi, apud S. Petrum in Galatinâ 4. Ianuar. 1672. datis. Semphronius homo nobilis proditoriè occidit Guadalaxaræ ſuum cognatum. Fugit in Galliam: & literas falſas præſentando, recepit Ordines; etiam Sacerdotalem.

Rediit

Digitized by Google

Rediit poſteà in Hiſpaniam, & Madriti capitur, & in carceres publicos truditur. Petitur ab Archiepiſcopo: & tandem re maturè conſideratâ, ut verus (tametſi ſacrilegus) Presbyter, ad carceres Archiepiſcopales transfertur, &c.] Quid de illo poſteà factum ſit noſtra non intereſt: ſufficit enim ſcire, Sempronium falſas dimiſſoriales præſentaſſe excommunicatum Ordines ſuſcepiſſe, & tamen in nullius veniſſe mentem, ut Epiſcopus, qui eum ordinaverat, conſuleretur, ſed fuiſſe in iudicio contradictorio definitum, *illum Ordines ſuſcepiſſe validè.*

N. B. Ne huiuſmodi fraudes eveniant, Sacra Romæ decrevit Congregatio, ne Epiſcopi literæ iudicentur authenticæ, niſi Nuncij Apoſtolici ſubſcriptio & ſigillum eas roboret: eſt enim Nuncius perſona magis nota, quam privatus Epiſcopus.

Dum hæc ſcriberem, recepi literas, quæ aſſerunt obiiſſe Dominum Santanderium 4. April. 1674.

Reſpondetur argumento poſito pro parte contraria. Supereſt ut rationi in contrarium §. *videretur* poſitæ ſatisfaciamus. Dico igitur excommunicationem illam non habere locum in hoc caſu: quoniam fulminatur contra Epiſcopos, qui ſcienter excommunicatis Sacramenta miniſtrant. Notant autem Doctores excommunicationem, quæ fulminatur, eſſe minorem, & non incurri, niſi ille, cui adminiſtrantur Sacramenta, ſit excommunicatus denuntiatus. Ita Caietanus *in ſumma verb. excommunicatus, cap.* 8. Mercerus *in* 3. *par. quæſt.* 21. *dub.* 4. *n.* 2. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſolut.* 82. §. *ſed ſi quis.* Cotonius *in ſum. verb. excommunicatio, num.* 14.

A

MMMCMLVII *Quantâ debet cura Diœceſim viſitare & illuſtrare? Ezech.* 34. 4.

ESſe Epiſcopum, ſolem Eccleſiaſtici Cæli, teſtatur Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dominus Carolus Septala; his enim verbis in Dedicatoria, quæ Innocentio X. Pontifici Maximo inſcribitur, Epiſcopum cum Sole componit, aitque [*Procurai viſitare piu volte diligentemente tutta la Dioceſi: ma come il ſole, che viſita li ſegni del Zodiaco ſenſa Scoſtarſi dall' Eclittica*, & quod in ea firmum erat, conſolidavi; quod ægrotum, ſanavi; quod confractum, adligavi; quod abjectum, reduxi; & quod ſanum, cuſtodivi, *e poſſo, come il paſtore Evangelico*, proprias oves vocare nominatim, &c. (Ioan. 10. 3.)

B

MMMCMLVIII. *Quæ in cælo ſtellæ nominentur Errones? Cur ſic vocentur?*

ERrones à Nigidio dicuntur Mobilia ſydera; non quod in ſuis periodis exorbitent, ſed quod errent Aſtronomi, ubi eis Tabulas & Leges præſcribunt. Vnde in Hymno,

Hæc omnis Erronum cohors
Viam nocendi deſerit.

Qui πλανῶνται ſint? Et cur dicantur? Ἀπλανὴς quid?

Et malè *errorum chorus* in multis exemplaribus legitur. Hæc Græci ſydera Πλανῆτες vocant, ἀπὸ τ̃ πλανάω, nimirùm ab errando, ut à Firmamento diſtinguantur, quod eſt ἀπλανὴς, cuius ſydera dicuntur *Fixa.*

Quibus paſſionibus Sol careat? Caret Sol paſſionibus & infirmitatibus, quibus Luna, & aliæ Erraticæ Stellæ laborant. Creſcit illa, decreſcit; iam falcata, iam ſemiplena & iam gibbo onerata ſuſpicitur, unde Corrippus

——*Et cornua Lunæ,*
Paulatim minui, & paulatim creſcere iuſſit.

Vbi quinque Planetæ, Directi, Retrogradi, & ſtationarij ſint? Et aliæ quinque Lampades, dum per epicycli partem ſuperiorem volitant, diriguntur: regrediuntur per inferiorem actæ: & motu ſenſibili carent, quoties ad puncta, quibus nomen à contactu, perveniunt.

Sol eſt conſtans. Morbis his caret Sol; eſt enim conſtantiſſimus; quoniam nec Protei ritu vultus variat, nec ſtat, nec recurrit.

C

Quid ſit Zodiacus? Quantus ſit? Vnde dicatur?

SIgnifer, quem Græci Ζωδιακὸν appellant, eſt zona, quam mediam Ecliptica interſecat, octo gradus, hinc inde, ut exorbitent Planetæ, relinquens. Habet à ſignis nomen: & quoniam illa animantium exprimuntur figuris ἀπὸ τῶν ζωῶν *Zodiacus* denominatus eſt. Habet Zodhacum ſuum Eccleſiaſticum Cœlum: & in ipſo Eclipticam *De Eccleſiaſtico Cœlo, & eius Zodiaco.*

——*Solemque ſuum ſua ſydera norunt.*

Per ipſum varia Principum ſigna & Inſignia decurrunt. Et, ne illa carere ſignificatione ſcioli exiſtiment, Ivo Carnotenſis exclamat. *Ornamenta Sacerdotum & Epiſcoporum* (necnon Imperatorum, Regum, Principum) *non ſunt Virtutes, ſed Virtutum inſignia: quibus utentes admoneantur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem ſua facta dirigere.*

Ivo Carnotenſis Orat. de ſign. indum.

D

MMMCMLX. *De Galaxiâ Vbi: & quid tandè ipſa ſit?*

SVnt verba, quibus Poëta Lacteam Viam eruditè deſcribit. Eſt autem Lactea Via, non ſublunaris, ut putant Ariſtotelei; non Firmamenti pars ſolidior, ut aſſeruerunt alij; ſed eſt minutiſſimarum Stellarum ſucceſſiva congeries, ut à Galilæo moniti Batavico Teleſcopio intuemur. Ioannes Keplerus in Diſſertat. cum Nuncio ſyder. pag. 9. B. ſic ſcribit. [De Galaxia, & nubeculis & nebuloſis Convolutionibus (Conſtellationibus) beaſti Aſtronomos & Phyſicos detectâ earum eſſentiâ, & confirmatis iis, qui pridem hoc idem tecum aſſeverabant, nihil eſſe niſi congeriem Stellarum confuſis luminibus ob oculorum hebetudinem. Itaque deſinent porro Cometas & nova ſydera cum Brahæo efformare ex viâ lacteâ, ne perfectorum & perennium Mundi corporum interitum abſurdè introducant.] *An ex ipſâ Cometæ, & nova ſtella fiant? Opinatio Tychonis.*

Tonans eſt nomen Dei. Interim, quia Deus in Poëtæ verſibus vocatur *Tonans*, ſciendum eſt, inter multa

Digitized by Google

Dei nomina, quibus diverſa ipſius adtributa exprimuntur, hoc communiſſimum & notiſſimum eſſe; unde David in Pſalmo: *Intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam.*

E

MMMCMLX. OPtimè percallebat Politica Poëta, qui cecinit.

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Vndenam dicatur Epiſcopus? Sed quid Ἐπίσκοπος à verbo ἐπισκοποῦμαι, quod eſt *ſpeculor*; quod ſicut omnes videt, ab omnibus etiam ſummâ oculorum attentione & contentione proſpectatur. Vnde Lectoribus quia quædam ipſi præſeferunt dignitatis Epiſcopalis tyrocinia, in Ordinatione ipſa dicitur, *Quod ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus auditores veſtros verbo pariter & exemplo veſtro docere poſſitis: Ideoque dum legitis in alto (ἐπὶ σκοπιᾶ, in ſpecula) Eccleſia ſtetis ut ab omnibus audiamini & videamini, figurantes poſitione corporali vos in alto virtutum gradu debere converſari; quatenus cunctis, à quibus auditmini & videmini Celeſtis Vita formam præbeatis.* Et ideò ſummas vires apprehenſionis, & quàm omnes attentè vitam Superiorum contemplentur conſiderans, per παρῳδίαν exclamo,

Qualis eſſe debeat Lector?

Ergo à fortiori tanto eſſe debet Presbyter; talis Epiſcopus.

Quàm ſit efficax Prælatorum exemplum.

Præſulis exemplo totus componitur Ordo.

Fortia profectò ſunt illa Sancti Petri Damiani à Domino Septala adducta verba, inquit enim: *Quod ab ovibus erratur negligentia Paſtorum adſcribitur:* ut enim ex Sancto Gregorio, Divus Bernardus ſcribit *Ignorantia Clericorum mater eſt negligentia Epiſcoporum.* Quæ tamen, ut video, querimonia in Dertonenſi Diœceſi non habet locum, ibi enim *Pietatis & Doctrina, quæ condecorant Clericos, mater eſt diligentia Epiſcopi vigilantiſſimi.*

S.Petr Dam. ep.1.& 15. S.Grego.lib. 3. ep. & lib. 7.ep.76. S.Bernard. ep.15.

De Clericis Dertonenſibus.

F

REfertur hæc Hiſtoria ab Illuſtriſſimo Domino Septala, *cap.42.num.9.pa.275.* his verbis: *Non è da tralaſciare ciò, che Gio. Diacone & Innocenzo III. Dicone; cioè che celebrando Meſſa San Gregorio in Santa Maria Maggiore, perche non riſpoſere li miniſtri,* Cum Spiritu tuo, *riſpoſero gl' Angeli. Onde colà celebrando il Sommo Pontifice niuno riſponde, laſciando ciò à gl' Angeli.* Et quàm alieni à rebus terrenis eſſe debent Pontifices, qui à Miniſtris omiſſam, ab Angelis reſponſionem exſpectant.

Ioan. Diaconus in S. Greg.vita. Innoc. III. eod.loc.

Reſpondent Angeli Sūmo Pontifici.

G

MMMCMLXI. MOrum elegantiâ, & verborum eloquentiâ Epiſcopos concionari debere idem Illuſtriſſimus Dominus in Dedic. 21. luculenter perſuadet, inquit enim: [*Li Veſcovi ſono* Sal terræ, *e deveno* condire mentes æternæ vitæ ſapore, & prædicationis verbo, *Come ricorda San Gregorio, & il Sacr.Concil. eſſendo le parole del Veſcovo al ſuo popolo.* Sagittæ in manu potentis, *e vento che produce l'aque delle lagrime.* Flabit Spiritus eius, & fluent æquæ; *e ſono* eius labia lilia ſtillantia mirrham probatiſſimam, *aprendo le quali* in medio Eccleſiæ implet ea Dominus Spiritu Sapientiæ, & intellectûs; *Per tanto ho nutrito queſti Popoli.* Etiam verbo, *Acciò non mi rimproveri Oſea Profeta dicendomi* celavit Sacerdos viam Domini. *Cioè ſoggionge S. Ambroſ. & il Concil. di Trento,* Prædicationis munus Epiſcopale præcipuum non exercendo, *Non ricercando l'Apoſtolo ad altro fine, che li Veſcovi ſiano copulativamente* Patres & Doctores, *che dicono li SS. PP.* ut, ſint Paſtores ovium, & Doctores hominum, *nel quale miniſtero, dirò con S. Paolo,* ſi non fructificavi, *come deſideravo, almeno* laboravi, *conſolandomi, che nella parabola Evangelica non ſi commanda al Stabulario, che* ſanet *il ferito, ma che* curet.]

Quomodo concionentur Epiſcopi

Matth 5. S Gregor. hom.17. in Luc. Conc. Trid. ſeſſ.5.c 2. & ſeſſ.24.c.2. Pſal.119.4. Pſal.147.18. Can.5.13. Eccl.15. Oſeæ 6. S Ambr. lib. 10. eſſ c.1. Conc. Trid. ſeſſ.4.c.4. de reform. S.Io. Chryſ. hom.25. S.Anſelm.in Epiſt ad Epheſ. 1.Cor.5.10. Luc.10.35.

Sicut enim Aſſerente Ariſtotele, nec ſemper Rhetor ſuadet, nec ſemper Medicus ſanat, ſic nec ſemper Epiſcopus mores ſuorum reformat, ſed Deo ſatisfacit, ſi omnem ut reformaret ſubditos, quam potuit, diligentiam adhibuit.

Laus Epiſcopi non ab effectus felicitate, ſed vigilantia, pietate, & ſincera intentione dependet.

H

SVnt Chriſtianis pudori Principes Ethnici, quorum exempla ab Orthodoxis hodie cum admiratione leguntur. Id ſcitè *cap.50.num.13.pag.143.* ponderat & urget Dominus Septala, hoc diſcurſu, [*Qual mai maggior biſogno di fretta può accadere ad un Sacerdote Chriſtiano di affrettarſi all' Altare, di quello avenne al Rè Numa Pompilio, al quale, mentre ſacrificava, fù areccato aviſo, che l'eſſercito nemico era vicino à Roma, & egli ſenza ponto affrettare le cerimonie riſpoſe,* Ego verò ſacrifico, *come che piu importaſſe il Sacrificio, che il ſoccorrere Roma. Mà, ô Dio; che queſto errore è coſi hoggidi dilatato, che per fretta ſi dicono le Meſſe da morti da certi tali anche nelle feſte doppie, non ſenza peccato come contro la Rubriche!* &c. MMMCMLXII.

Maluit Numa Pompilius Vrbis defenſioni, quàm ſacrificij perfectioni deſſe.

Plutharchus in Numá.

Eſt Numa licèt Ethnicus, noſtris Presbyteris cōfuſioni & pudori.

MMMCMLXIII. Firmant hoc, quæ *cap.6.num.15.pag.35.* dixerat; nimirùm. [Li Gentili & Idolatri ci fanno arroſſire con la loro compoſitione eſteriore, modeſtia, & divotione nelli tempij; ſentite Ariſtotele adotto da Seneca ſi in Templum compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omni modeſtiæ argumentum formamur; e ſoggionge à confuſione noſtra il gran Quintiliano. In Templo verbis parcimus, in quo animas componimus, in quo etiam debitam mentem cuſtodimus, Il che dicero altri SS. Dottori, e nel Sacrificare atteſta Cicerone, che s'intonava ad

Senec. *lib.7. Nat.q.6.30.*

alta

Quintil. *decl.*365. S.Chryſ. *Homil* 38. *ad popul.* Iſid. Peruſ. *Epiſt.* 45. S.Ambroſ. *li.*3.*de Virg.* Cicero *lib.* 1.*de divin.* Ambroſiûs. Virgil. *Enei.* 2. Ambr. *lib* 3. *de Virgin.* *Magni Alexander E phebus, etſi ardens carbo incidiſſet in brachiũ, in adolendo thure tacemendo non ceſſavit.* S. Chryſoſt. *hom.*1. *ad Tim.* S. Ambroſ. *lib* 3 *Virg.* Alex. ab Alex. *dies Gen.lib.*1. Rodhigin. 15.c.23.27. S. Thom *opuſc* 58 *de Sacram.* *Ali.*26. Prov.23.2.

alta voce. Favete linguis (il che è in vſo nelle Meſſe Pontificali, all' Ambroſiana, oue dal Pulpito ſi dice al Popolo, Silentium habete, e da vno del Coro ſi riſponde, habete Silentium, Quindì canta la Chieſa Te decet Hymnus Deus in Sion. S. Gerolamo legge, Te decet ſilentium Deus in Sion, cioè in Chieſa, perciò Virgilio ſcrive, fida ſilentia Sacris. Onde dice S. Ambroſio, quanto maggior ſilentio, e per eſſo riverenza dobbiamo al Tempio, Cum Gentiles Idolis ſuis reverentiam tacendo deferant, e tale era la riverenza, che il medeſimo Sancto adduce l'eſempio del Paggio d'Aleſſandro Magno, quale nel ſacrificare che faceva eſſo Aleſſandro, eſſendogli caduto un carbone ſopra un braccio, per non ſturbare il ſuo Re ſacrificante, volle piu toſto gli ſi abbruciaſſe il braccio. Quindi nella primitiva Chieſa ſobra le porte à caratteri cubitali ſtava, ſilentium, ne ſi ardiva quaſi toſſire, come atteſta S. Ambroſio, del quale ſilentio nelli antichi Sacrificij trattano. Aleſſandro ab Aleſſandro, & il Rodhigino, e del neceſſario ſilentio alla Meſſa, unione di mente, moderatione delli occhi, modeſtia e velamento delle donne, tratta un moderno, Quindi li Sacerdoti che degnamente s'accoſtono all'Altare, manducant & manducantur. Il che parmi ci voleſſe dire lo Spirito Santo quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende; quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, cioè con il coltello della conſideratione, e meditatione, e fede. Stritola minutamente ciò, che operi, e all'hora vi inviterà Dio, dicendo, Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.

I

MMMCMLXIV. *De Modeſtiâ externâ. An neceſſaria ſit?*

Quàm admiratus fuerit Imperator S. Baſilij modeſtiam?

DEvotionem externam, quæ internam comitatur cap 10. num.7. pag.61. deſcribit idem Illuſtriſſimus dicens. [*Deve in oltre il Sacerdote andare* Erecto corpore, *cioè con tutta la perſona aggiuſtata tanto nel corpo quanto ne gli habiti, cioè mondi, netti, religioſi, e non affettati*, Placendo autem Divinis oculis, etiam in habitu corporis ſit compoſitus, *diſſe S. Cipriano, con humiltà maeſtoſa, come uſava l'humile S. Baſilio, quale perciò rendeva maraviglia all' Imperatore*, &c.]

K

MMMCMLXV. *Quæ ſit Matheſis, quam Patres Eccleſiæ aſpernantur?*

ÆGyptiorum & Chaldæorum nomine Divinos intellexere Veteres, qui futura prædicunt: Hi dici volebant *Mathematici*, Et hinc ſcies omnia in hos ipſos dirigi, quæ à Sanctis Patribus contra Mathematicos ſcripta. Voluerunt multi ſumere argumenta à ſyderibus, ut futura præſcitent, at illos poſt Comitem Mirandulanum & alios P.Alexander de Angelis libris quinque eruditè & copioſè confudit. Alij ab avibus, à brutis, ab elementis, &c. receperunt auguria. Et me iudice quoniam in eâdem navi omnes navigant, eidem debent ſubiacere cenſuræ. Illorum Cenſor ſit M. Cato, qui apud Ciceronem *lib.*2.*de Divin.* ſe demirari, aiebat, quòd non rideret Aruſpex (aut etiam univerſim [*] Aſtrologus) quoties alij Aruſpici (Aſtrologo) occurreret. Sentiebat ergo, omnem Divinationem fucum & impoſturam eſſe: nam impoſtores, cùm hominum à ſe deceptorum recenſent ſtultitiam, effuſiſſimè ridere ſolent.

* Vt ſuas quiſque Divinus ineptias honoret, Aſtrologiæ inſigniat ſpecioſo vocabulo.

Omnes ſuperſtitiones & hæreſes profluxere Ægypto.

Nec mirum videri alicui debet, me Ægyptiorum nomine Hæreticos intellexiſſe, nam omnis ſuperſtitio ab Ægyptiis profluxit & prima etiam ab ipſis hæreſis [quæ docebat Humanam Animam immortalem eſſe, & per diverſa corpora peregrinari, & poſteà à Dædalo, Melampo, Pythagora, Homero, Virgilio, & hodie à plurimis in Indiâ defenditur] velut à fonte dimanavit.

L

MMMCMLXVI. *Omnia ſunt contra Hæreticos, quæ in libro D. Septala leguntur.*

SI ſcire velit aliquis, An, & quæ in hoc D. Septalius libro contra Hæreticos ſcribat. Reſpondebo univerſa, quæ in eo leguntur, eſſe contra illos fulmina. Miſſam negant & exſecrantur Calviniſtæ; & hodie, qui Luterani dicuntur, calvinizant: unde aut Miſſam reiiciunt, aut ſolummodò retinent eiuſdem umbram.

M

MMMCMLXVII. *Interminatio Hæreticorum.*

IDololatræ dicimur, quod Chriſtum Dominum ſub panis & vini ſpeciebus in Sacramento Altaris adoramus. Et tamen impia eſt hæc ipſa Novatorum Cenſura quam ipſi tueri nequeunt, niſi in Sacræ Scripturæ litteram evidenter impingant.

N

MMMCMLXVIII. *Quantâ corporis & animi puritate ſit recipienda Eucharistia?*

SVmmam in conſcientiâ puritatem, in corpore munditiem Communio poſtulat. Veteres profectò Sacerdotes, quorum ante Chriſtum Sacra intererant, noſtrorum Sacerdotum ſunt umbræ. Ergo, quæ illis olim à Prophetâ ſunt dicta, noſtris à fortiori dicuntur. Ergo audiunto. *Ad vos ò Sacerdotes, qui deſpicitis Nomen meum, & dixiſtis: In quo deſpicimus Nomen tuum? Offertis ſuper Altare meum panem pollutum* (vocatur pollutus extrinſecè, qui ab homine offertur polluto) *Et dicitis, In quo polluimus te? In eo quo dicitis, Menſa Domini deſpecta eſt. Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat Altare meum gratuitò? Munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ. In omni loco ſacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt Nomen meum in gentibus: dicit Dominus Deus exercituum.* Conſiderent noſtri hæc verba Preſbyteri: multi enim panem pollutum offerunt, &

Malach.1.6. Scem. שם. *quod ſignificat* Nomẽ, *eſt unum ex nominibus Dei, & tunc ſignificat* Numen.

An Sacra poſſint vẽdi? An ſint danda gratuitò?

Digitized by Google

& pauci faciunt Rem Sacram gratuitò. Audiant Legem Levitici. *Homo, qui habuerit maculam, non offeret panem Deo, nec accedet ad miniſterium eius*, Et, quæ materiam ſonant, in ſpiritu audiant: Sacerdos enim, cuius conſcientiā grauem habuerit maculam, indignus eſt, qui panem Eucharisticum offerat Deo; & ideò niſi priùs expiet animam, non accedet ad miniſterium. Et huc ferè omnia pertinent, quæ per totum ſuum librum Illuſtriſſimus Præſul edifferit.

Culpa leves non auferũt gratiam, nec Euchariſtia receptionem impediunt.

O

MMMCMLXIX. SVnt qui in altari ſuum conſtituunt telonium, & faciunt ex ſacrificio mercaturam. Et qui olim nummularios, vendentéſque & ementes accinctus flagello è templo corporaliter èxpulit, ſimoniacos Sacerdotes ſpiritualiter hodie non arcet; nam ipſi dudum, ſe, antequam ejicerentur, ſubduxerunt. Et illos, etiam materialiter arcendos eſſe inſinuaſſe videntur, qui Sanctum Ambroſium armatum flagello pinxerunt. Huius Symbolicæ Imaginis meminit D. Septala *cap. 25. num. 17. pag. 240.* & ait *Sant' Ambroſia era ſpirituale flagello, &c. perilche ſimbolicamente ſi dipinge con sferza alla mano contro eſſi* (nimirùm, contra Hæreticos) *per dimonſtrare anche piu volte doppo morte eſſer comparſo contro gl' Ariani in aiuto de' Chriſtiani.* Et quidem meritò Septala Arianos à Chriſtianis diſtinguit; non enim bene baptizati ſunt, qui in Patris Creatoris, & Filij Creati, &c. nomine fuerunt abluti. Et ab Arianis ego vix Simoniacos Sacerdotes diſtinguo, Chriſtus enim Deus non eſt, ſi eius finiti valoris ſanguis eſt. Et finiti profectò valoris apud eos eſt, qui illum præſumunt tanti vel tanti vendere, vel comparare. Vnde eos tantùm excuſat ab infidelitate malitia, qui eos ita excæcat, vt audeant vendere, quem ſciunt vendi non poſſe.

Cur Chriſtus è templo nummularios expulerit?

Cur S. Ambroſ. accinctus flagello pingatur?

Verùm Ariani ſint Chriſtiani?

An Simoniaci ſint Chriſtiani?

Chriſtus vendi non poteſt.

P

MMMCMLXX. HOdie, ut video, propriam Chriſtiani Eccleſiam faſtidiunt, & Monaſterium Regularium ſub initium frequentant: & poſteà paulatim etiam negligunt, ita ut nec in propriâ, nec aliena verbum Dei audiant, & inſtructiones ſalútares recipiant. Hæc negligentia, quæ erat multorum, & in multis provinciis ſerpere videbatur, in cauſa fuit, vt timoratæ conſcientiæ Epiſcopi recurrerint ad Oraculum Apoſtolicæ Sedis, quæ per Eminentiſſimos Dominos Cardinales eis reſpondit ut ſequitur.

An debeamus Conciones in Eccleſiis audire?

Iubente Sanctiſſimo Domino noſtro fuit à Reverendiſſimo Aſſeſſore Sancti Officij tranſmiſſa ad hanc ſacram Congregationem examinanda: & qualificanda infraſcripta Propoſitio, his verbis concepta: Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur ad audiendum verbum Dei, Divinam legem, Fidei rudimenta, morúmque doctrinam, quæ ibi in catecheſibus annuntiantur, & docentur.

Copia Declarationis expedita à ſacra Congregatione Eminentiſſimorum DD. Cardinalium ſacri Concilij Interpretum in favorem Concionis Parochialis, quam idem Concilium tantopere commendat.

Die 5. Octobris 1658. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimor. Dominorum S. R. E. Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, & maturè examinata cenſuit ſupraſcriptam Propoſitionem, pro ut iacet, non eſſe admittendam.

Et die 12. eiuſdem menſis facta per Secretarium eiuſdem Congregationis relatione ad Sanctiſſimum, Sanctitas ſua præfatam Congregationis ſententiam approbavit.

An teneantur Chriſtiani Conciones & doctrinā Chriſtianam in propriis Parochiis audire?

F. CARDINALIS PAVLATIVS Præfectus.

C. DE VECCHIIS Epiſcop. Cluſinus, S. C. C. Secretarius.

EPISTOLA

Digitized by Google

EPISTOLA

Ad Perilluſtrem & Clariſſimum Virum , Dominum Ioſephum Ypetrarieta , Eruditiſſimum Iuris utriuſque Doctorem , &c. Dominum & Amicum ſuum Obſervandiſſimum , &c.

Et eſt Præcedentis [illegible].

MMMCMLXXI *Doctor Ioannes Marcus Marcius laudatus.*

DOCTISSIMAS Literas Tuas legi , relegi : & in ipſis ſubtilem Ingenij Tui vivacitatem veneror , & admiror. De quidam in eis Doctoris Ioannis Marci Marcij , Viri quidem doctiſſimi. & modeſtiſſimi ; Amici mei,etiamnum in Cœlo (ſic ſpero) chariſſimi, Opinatione differitur,& quia ſententiarum authoritas ab Scriptorum excellentiâ dependet , proderit quis, qualis,& quãtus fuerit ille breviter explicare.

MMMCMLXXII. *Quis , & qualis fuerit.* *An Avicenna bene tranſlatus ſit?*

Natus eſt Landskronæ in Bohemiâ anno Domini 1595. Et in pueritiâ ita Literis Floridioribus ſtuduit , ut Latini , Græci , Hebræi, & Arabici Idiomatis peritiſſimus fuerit : Correxit in Avicennâ poſteà plurima, quæ Interpretum vitio exorbitabant : Adeptus in Medicinâ Lauream , Primariam multis annis Cathedram moderatus , ex Regni Summo Phyſico (Græcè ἀρχιατρῷ, Hiſpanicéque *Protomedico*)demum in Cæſareum Medicum Electus eſt : De Idearum Ideis librum adoleſcens ſcripſit ; in quo , dum novas init vias , ita nonnulla tractat, ut faciliùs in iis obſcuritatem ſentias, quàm Veritatem, aut etiam falſitatem percipias. In maturiore ætate libros alios ſcripſit , quos Orbis Literarius honorat, in quibus tamen Ideas, olim à ſe protruſas , non admittit. Fuit profectò ſuaviſſimus : vixit innocentiſſimus & ob excellentiam doctrinæ , & elegantiam morum Imperatori & Principibus Germaniæ charus. Vxore ad vitam meliorem tranſlatâ , ſe vitæ contemplativæ totum credidit : & à R. P. Paulo Oliva , Societatis Ieſu Generali digniſſimo , ad Tyrocinium Ordinis etiam æger admiſſus eſt. Obiit adhuc Novitius , & magnum ſui deſiderium reliquit. Prodiit in lucem eius vita. polito D.Kinneri ſcripta calamo : quæ ex Bohemiâ in Italiam ad P. Kircherum tranſmiſſa , & ab eo multis communicata, notiorem , & venerabiliorem eumdem reddidit. Plurima proſtant in illa lectu digna : ſed , quia non omnia noſtra referunt, exſcribam inde illas lineas tantummodò , quæ Ideas ſupradictas concernunt. Ibi enim lego. *Ne verò aliquando fortaſſis nota adſcriberetur Societati ex libris à ſe typo editis , quod de Ideis aliiſque quibuſdam ſcripſiſſet , & aliqua licentius , aut confidentius, quàm deberet , chirographo teſtatus eſt , illos libros à ſe , exſorte adhuc huius Sancti Inſtituti (verba ipſius Marci ſunt) exaratos, & in lucem emiſſos* , &c. Ergo , cùm hæc doctrina , de quâ agimus, quam oſtentandi ingenij gratiâ in ipsâ adoleſcentiâ Marcius ſcripſerat , Societati Ieſu , Religioni doctiſſimæ , nec non etiam Authori , iam ſeni , & Societati adſcripto , non adrideat , non eſt cur ab alio(docto,aut indocto) propugnetur.

Liber De Idearum Ideis cuius, & qualis fuerit?

Doctor Marcius admittitur in Societate, & obiit in illâ Novitius.

Eius vitam D. Kinnerus ſcripſit.

Doctoris Marcij de Idearum libro, à ſe olim ſcripto, in ætate provectâ, & articulo mortis Cenſura.

Ego illam iam olim refellebam argumentis , quæ videbantur ſufficienti ſolutione caruiſſe:nec enim in re, omnium iudicio indubiâ uberiùs diſputare opus erat. Interim (quia MMMCMLXXIII

Pro captu Lectoris habent ſua fata Libelli, meus ille Cenſuras eſt ſortitus extremas;nam ab aliis ſummis evectus laudibus , habuit, cur non nimium moraretur ſcommata , quibus à cæteris deprimebatur. At omnes diſſenſerunt de re , non de modo probandi ; & univerſi bonum eſſe Dialecticum Caramuelem affirmant, tametſi videant ſeipſos ab illo de Logicæ neglectu appellari. Primus autem, aut etiam ſolus, qui non de re , ſed de modo probandi , voluit Diſſertationem inſtituere, fuit noſter Reverendiſſimus P. Mag. Ioſephus Sanz de Aguirre , Ordinis [a] noſtri Religioſus , etſi Congregatione differamus. Hominem non cognoſco , ſed audivi ab ingenio & modeſtiâ laudari ; unde ſiquid illi calore argumentandi exciderit , in ſenſu recipiam Academico, qui verba, quæ in Aulâ eſſent gravia & iniuria , elevat & emaculat, ut vel ſic θλιβομένους in verâ Amicitiâ conſervet. Ergo non erit. cur ob ſcommata de ſcribendis vindiciis cogitetur. Sed neque , ut mearum argumentationum defendam efficaciam , me manet ulla ſcribendi neceſſitas; illæ enim ipſæ , ſi fortè à me non fuerint nactæ ſufficientem virtutem ; iam hodie propter ſolidiſſimas Inſtantias Tuas , cenſebuntur ſolutione carere. Vnde Sera Tibi debeat Poſteritas lucem , quam Adverſarij obnubilare conabantur : & protectionem Ego; quam, ſi nondum promeritus , obſequio aſſiduo impoſterum promereri conabor. Ergo immortales gratias habeo (agam,cum liceat) quod à me eſſe Digneris ; oroque Deum, ut ad honorem ſui , Orbiſque Literarij gloriam , te conſervare dignetur multis annis. Romæ 25. Auguſti 1673.

Cur non ſint plura de hac materiâ ſcribenda?

a] Ordo Benedictinus in Nobiliſſimas dividitur Congregationes : & inter ipſas vix ulla eſt antiquior Ciſtercienſi. Vnde Molimenſes , Furſtenfeldenſes, Caſſinenſes, Iuſtinenſes , Ciſtercienſes , &c. non Religione , aut Ordine , ſed ſola differunt Congregatione. Vide noſtram Theologiam Regularem , in qua num 352. Diſputatio XXXV. *Benedictinum & Ciſtercienſem Ordinem nullatenus diſtingui perſuadet.*

Perilluſtris & Clariſſimi Domini,

IOSEPHI DE YPETRARIETA,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS, &c.

Ad D. Ioannem Caramuelem.

EPISTOLA.

De Doctoris Marci Marcij, in Vniverſitate Pragenſi Medicinæ Primarij Profeſſoris, Bohemiæ Regni ἀρχιατρὸς *&c. Opinatione, quæ, ut* Fundam. LV. quæſt. VI. num. 2626. §. Tertia etiam negat. pag. 825. *videris, aſſerit*, Fœtum in ventre matris clauſum, eſſe integralem eius partem, & eiuſdem animâ informari, & ubi primum naſcitur, Rationalem recipere. *Accuratè diſſeritur. Non inquiritur*, An vera ſit? *Sed contra Reverendiſſimum P. Magiſtrum Ioſephum Sanz de Aguirre oſtenditur, eſſe efficacia & ſecura argumenta, quibus eſſe falſam demonſtravit Caramuel.*

MMMCMLXXIV.

Domini Ioſephi adverſus Caramuelem affectus.

EA fuit ſemper (Illuſtriſſime Vir) tui apud me, nominis veneranda amplitudo, ut æquali venerationis ac reverentiæ loco ſedem minimè relinqueret. Nec mirum profectò, cum tuæ doctrinæ mirâ ingenij eruditione ſplendidiſſima maieſtas, tot operum voluminibus, tot impreſſa animorum mentiumque cultribus in tui nominis ſingulare obſequium haud reluctantem, ſed proprio pondere latum genium invehit, & amica quâdam ſympathiâ, gentilitioque conſenſu iucundiſſimè trahit. Ea eſt tui ſublimatiſſimi intellectus mira [a] entelechia, ubi abſenti oculorum teſtimonio (in conciliandâ animorum voluntate ac reverentiâ vinculo validiſſimo) ad ſe magnetis ritu corda alliciens, ingens eſt gratitudinis conciliatricula, in cuius obſequium potiori iure, quàm Tityro illi Virgiliano ſuo Cæſari, tibi canere mihi licebit.

——— Illius aras
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuit agnus.

a] Ἐντελέχεια, vis motrix animæ, vel continuata & perennis motio, ut 1. *Tuſc.* Cicero interpretatur. Et hoc *lib. 2. de Anim.* nomen, ut rem obſcuram per obſcuriorem explicet, Ariſtoteles, Animæ Humanæ adfinxit.

Occaſio Scribendi.

Sed quorſum hæc? Iam inquieta quadam aſtri implacabilis impatientiâ cietur animus quibuſdam, neſcio an genij, neſcio an voluntatis igniculis æſtuat calami ardor, dum moræ his interrumpitur, dum trepidat, dum

Irritationé, Decimam

non pervenit ad huius officioſæ Epiſtolæ præcipuum nodum. Eum breviter explanare conabor, ut impolita orationis contextura gratior brevitate fiat id habens politioris litteraturæ, quòd prolixis parcat anfractibus.

eſſe Scholaſtici Parnaſſi Muſam, & cæteris numeroſiorē, D. Bucellinus affirmat.

In varia quidem tuæ fundamentalis Theologiæ undequaque eruditione atque doctrinâ repletæ amenisſimâ & polydædalâ ſylvâ, eam inveni Quæſtionem, quæ plurimorum adhuc doctiſſimorum Philoſophorum torquet ingenia, *de tempore, quo animatur fœtus clauſtris clauſus maternis*, ſudoroſè admodum ventilatam. Nec deciſa lis eſt; pertinax namque & indefeſſus authorum ſemper fuit labor, quorum varia profectò philoſophandi ratio in diverſas contrariaſque opiniones litterarios agonetas traxit, quarum referre in præſentiarum numerum, ac Authorum placita prolixum fore meritò putabis. Ea tamen ſententia minimè ſilentio erit prætereunda, utpotè in cuius incudibus huius diſputationis candens quatitur ferrum, quæ à te ſignanter debellatur, atque funditus extirpatur, à Sapientiſſimo Doctore D. Ioanne Marco, ſubtilius plus.. quàm veraciter excogitata, aſſerenti, *quod, dum fœtus matris clauditur utero, non aliâ, quàm ipſius matris informatur animâ*, quæ ſententia à te recenſetur, in quam adeo (ut ſoles) acriter & acutè irruis, ut iaceat profectò ipſius defenſor Achilles. Sed hucuſque nil novum aperio, huius verò fuit neceſſaria prælibatio. Quid ultra? Audias.

Humanum Ingenium ſibi derelictum non ſufficit, ut diē, aut horam, quâ Anima rationalis fœtui infunditur, valeat determinare. Et hanc ob rem ſunt Authores diviſi, & illorum Sententiæ, verius *Placita* vocari poterunt; nemo enim hucuſque habuit, cur talem potiùs diē, quàm talem conceptioni præſcriberet, & ideò unuſquiſque diem notavit, qui placuit.

Nuper R. P. M. Fr. Ioſephus Sanz de Aguirre,

MMMCMLXXV. *De Domini Marci Marty Opinione, quæ fœtum animâ matris informari pronūtiat.*

Aguirre, Benedictinus, & in Academiâ Salmanticenſi Sacræ Theologiæ Profeſſor laureatus, quondam Salmanticenſes ludos (ut ipſe inſcripſit) ſeu Theologiam floſculentam in lucem edidit, ſub Illuſtriſſimi Principis D.D Henrici de Peralta & Cardenas Archiepiſcopi Burgenſis auſpiciis. Is igitur Author in ſuo ludo quinto ex curſu primo, illius Doctiſſimi D. Ioannis Marci opinionem ſingulariſſimam refert de fœtu matris animâ informato ipſius utero clauſo: eam diſcutit, denuum excitat pulverem, & fortaſſe cœcutiens animosè aſſerit infirmiſſima eſſe argumenta quibus divellere contendis, O Vir ampliſſime, Doctoris Marci paradoxum. Hunc illotum ſermonem adeò impatienter (pateat nulli modeſtia quamiſpei) adeò iracundè tuli, ut ſtatim huius Theologi, aliàs docti & eruditi, rationes, etſi breviori cothurno, nullâ tamen enervatâ acutie, tibi ſcribere decrevi.

An benè illa à Caramuele impugnetur?

MMMCMLXXVI. *An Iacobū & Eſaūum diverſas animas habuiſſe probet illa colluſio, quam in utero materno patiebantur?*

Eſt ergo primum argumentum, quo in Doctorem Marcum irruis deſumptum ex illo Geneſis. 25. ubi legitur. *Dedit (Dominus) conceptum Rebeccæ, ſed collidebantur in utero eius parvuli*; ex quo efficaciſſimè arguis, gemellos fratres, dum in utero eſſent conſtitiſſe animabus propriis, nam ſine iis non poſſent pugnare in utero, atque invicem ſe collidere.

Seſe manus infirmi febre laborantis collidunt, & tamen diverſis nō informantur animabus.

Infirmum putat hoc argumentum Ludorum Author, & iudicat quod facile enervari, & inſtari poteſt, ut ipſe loquitur febricitantium exemplo, dicens, [ij enim dum rigent, frigentque ante quartanam febrim toto corpore contremiſcunt, ac ſæpe manus contra voluntatem patientis invicem ſe collidunt, non minùs quàm gemelli in utero Rebeccæ; & tamen manus invicem ſe collidentes non habent animam diſtinctam ab anima patientis infirmi; igitur ex eo quod gemelli invicem collidantur, male colligitur, quòd animentur diſtincto ſpiritu ab animâ matris.] Hucuſque Benedictinus, quibus putat labefactaſſe totam tuæ argumentationis vim; cuius energia ut clariſſimè conſpiciatur, etſi caligo & lipitudo lividi oculorum lumina obſcuret, ut & huius Authoris redargutio inutilis appareat, liceat mihi per te, O clariſſime Vir, O Doctiſſime Præſul, ſi fortè gemino fonte Iuris imbutus, vivam adhuc Philoſophiæ memoriam teneo, taliter inſurgere.

An hinc pro Marci opinione argumentum ſumatur?

De corporis motibus. An omnes ſint liberi? & unde proveniat, quod aliqui neceſſariò eliciantur?

Omnis motus animalis Rebeccæ, ut cuiuſlibet, ſunt pro nutu Rebeccæ, proque ipſius voluntate, niſi affectis partibus nervoſis, vel ipſo à quo dimanat virtus loco motiva lædatur ob inobedientiam inſtrumentorum, vel ob læſionem potentiæ; Sed illi motus gemellorum Rebeccæ non fuerunt pro nutu, nec pro voluntate Rebeccæ; nec Rebecca cerebro nec nervoſis partibus tunc laboravit: Ergo illi motus & colliſiones gemellorum Rebeccæ non ſunt motus animales Rebeccæ: Ergo non fuerunt ab animâ Rebeccæ tanquam à principio formali: Ergo à diſtinctâ animâ infantulorum: Vnde conſtat diſparitas quartanæ vel tertianæ febris, in quâ dum æger concutitur, partibus afficitur nervoſis, per quas humor ſuâ acrimoniâ dilapſus eas titillat, & involuntariè movet.

Datur inter Rebeccam & febre laborantem diſparitas.

MMMCMLXXVII. *Vnde virtus animalis dimanet?*

Præterea corroboratur. Virtus animalis loco motiva dimanat à cerebro, à quo per nervos reliquis communicatur partibus; Sed à cerebro Rebeccæ (velut alterius cuiuſlibet utero gerentis) uſque ad membra gemellorum nulli dantur ductus ſpirituum animalium delatores: Ergo virtus animalis loco motiva gemellorum, non poteſt provenire ab animâ Rebeccæ: Ergo ex eo, quod gemelli colluderent, vellet, nollet Rebecca, efficaciſſimè arguitur informari diſtinctâ animâ ab animâ Rebeccæ. Nec reſpondere valet, quòd per umbilicalem ductum deferantur ſpiritus pro loco motione. Primò, quia talis umbilicalis ductus ſolum alimentum deportat, ſpiritusque animales non niſi per nervos communicari valent. Secundò, quia ille umbilicalis tranſitus non oritur à cerebro gravidæ mulieris, ut ex Anatomicâ demonſtratione apertè conſtat: Ergo non poteſt deferre infantulo ſpiritus animales genitos in cerebo gravidæ matris.

An per umbilicales tubos ſpiritus vitales deferantur?

MMMCMLXXVIII. *An ſanctificatio Ieremiæ eum probet adhuc in matris utero, habuiſſe animam, à diſtinctam ab animâ matris?*

Arguis ſecundò pro tui ingenij acumine deſumpto argumento ex verbis Domini ad Ieremiam dicentis. *Antequam exires de vulvâ ſanctificavi te.* Ex quibus infers: Ergo habuit animam; nam, ſi Ieremias fuit in utero ſanctificatus, ab originalique labe mundatus, non niſi animâ propriâ fruens tali gauderet privilegio. Sed adhuc in hoc diſplicet Benedictino Argumentum, quod etſi validius putet antecedenti, non tamen irrefragabile tenet hic ludorum Author his verbis [Solidior ratio, ſed quæ evaſionem aliquam patiatur. Et hæc evaſio in eo conſiſtit, quod verbum illud *Sanctificavi* idem ſit apud plurimos expoſitores, ac ſi diceret Dominus, *præordinavi te, deputavi, preparavi te muneri prophetico quod Sacrum & Sanctum eſt.* Affertque non paucam Authorum ſeriem, qui ita verbum *Sanctificavi* intelligi debere putant. Tandem aſſerit præſens argumentum ſolùm probare in [a] receptiſſimâ ſententiâ (citatque huius Sectatores) aſſeveranti, τὸ *Sanctificavi*, intelligendum eſſe de verâ & rigoroſâ in utero matris Ieremiæ iuſtificatione.

a] Non eſt poſſibile argumentum, quod in omni ſententiâ vel Scholâ convincat; Ergo ſi Caramuel iuxta receptiſſimam doctrinam bene diſcurrit, unde incriminari debeat, neſcio.

De verbo קדש *Eadas, an ſanctificare apud omnes ſignificet?*

In primis conſpicere apparet Benedictini pronam impugnandi cupiditas, cum debilitatem argumenti ex eo arguat; quòd apud omnes non liqueat de verâ litterali ſignificatione illius verbi *Sanctificavi*, cum ipſe fateatur quod ferè omnes (pauci namque excipiuntur) in rigoroſâ ſanctificatione conveniant. Sed quidquid ſit de hoc ad indiſſolubilem, meo iudicio nodum, ſic deſero arguriam.

Sive Verbū קדש *Eadas hoc vel illo modo exponatur, ſemper*

Eadem anima non nati Ieremiæ requiritur, ut de ipſo verificetur verbum Domini dicentis, *antequam exires de vulva ſanctifi cavi te*, ſive illud *ſanctificavi* iuſtificationem concernat, ut pleríque omnes ſentiunt; ſive ſignificet præordinationem, deputationem,

Digitized by Google

eamdem argumentum vim habet.

nem, aut præparationem, ut aliqui æſtumãt: Ergo in quocumque ſenſu intelligatur, perioca textûs ex verborum diorisino infertur Ieremiam ante in lucem editum propriâ animâ informatum fuiſſe: Ergo ad entelechiam & energiam argumenti, ex ſupradicto textu deſumpti non eſt neceſſum, quod *ſanctificatio* intelligenda ſit in rigoroſo ſenſu: [*b*] Probatur antecedens. Eo modo quo requiritur anima Ieremiæ, ut recipiat ſtrictam ſanctificationem, requiritur ut de Ieremiâ intelligatur præordinatio: Ergo, &c. Probatur antecedens: Si Ieremias non haberet animam in matris utero, non poſſet Deus loquens ei dicere *ſanctificavi*, aut *præordinavi te*, nam eo tunc non eſſet, Ieremias, cum non haberet animam Ieremiæ: Ergo eo modo, quo requiritur anima Ieremiæ, ut recipiat ſtrictam Sanctificationem, requiritur ut de ipſo intelligatur præordinatio: Ergo in quocumque ſenſu intelligantur textûs præcitati verba, eadem adverſus Doctorem Marcum ſervatur vis arguendi.

b] Interim quidquid ſit de ſpeculationibus Iuniorum, ubi קדש, *Cadas*, ſignificet *ſanctificare*, nã hoc ſenſu paſſim à Patribus Eccleſiæ accipitur.

MMMCMLXXIX. *An in matris ventre Ioannes animam ſpecialem habuerit?*

Irruis Tertiò, Doctiſſime Præſul, adverſus Doctorem Marcum ex Luc Evang 1. 40. illis verbis. *Exultavit infans in utero*, & ſic ratiocinaris. Ioannes in utero matris Spiritu Sancto repletur, & ſanctificatur: Ergo vivit: Ergo non animâ matris, ſed propriâ. Sed huic acutiſſimo argumento, ut ſatisfaciat Benedictinus, in hæc verba arroganter & immodeſte (ne aliter dicam) prorumpit. [*Sed quid, ſi neque telum ſic vibratum adverſarij cutem deguſtet?*] Abſit à Religioſo viro tam indecora prolatio. Quid profers? Profectò telum ita vibratum, non tantum cutem, verùm & viſcera penetrare, ac dilacerare valebit.

An hinc forte ratiocinium ſumatur?

Ratio ob quam dictum argumentum debile putatur, ea affertur: quia textus citatus exultationis Baptiſtæ apud Auguſtinum, Eucherium, & Maldonatum, non intelligitur de proprio ſenſu, cognitione, aut fide infantis. Ergo non convincit quod [*c*] animaretur diſtinctâ animâ. Sed quàm inepta iſta ſit ratio, apertè conſtat; nam quamvis ſenſus, cognitio, & fides denegentur Baptiſtæ apud citatos Authores, tamen exultationis motus denegari non valet, & hic exultationis motus infantis, non niſi ab Infantis animâ provenire poteſt: Ergo quamvis textus intelligatur, non de fide & cognitione Baptiſtæ, attamen remanet argumentum utrâque probatione acutum ad ima cordis penetranda.

c] Non quæritur, an Ioannes in utero clauſus Chriſtum cognoverit, & adeſſe intellexerit; ſed, an exultaverit, & ſanctificatus fuerit?

MMMCMLXXX. *Vita requiritur, ut aliqua ſubſtantia exultet.*

Quod exultationis motus non niſi ab animâ infantis poſſit provenire, certiſſimum eſt. Exultatio namque affectus eſt hilaritatis, qui propriiſſimus eſt animæ præ lætitiâ gaudentis, itaque cecinit. Beata Virgo Maria. *Et exultavit Spiritus meus in Deo Salutari meo:* Ergo quomodocumque intelligatur infantis Baptiſtæ exultatio, modo ſit cum cognitione, & Sanctificatione, modò aliter explicetur, ſemper remanet vis exultationis iuxta litteram ex quâ evidenter concluditur, animâ diſtinctâ informatum fuiſſe.

Propriâ Deipara animâ informabatur, etiam in ventre matris ſuæ.

Arguis quartò adverſus paradoxum Doctoris Marci, ex eo quod Deipara Virgo Maria fuit ſine maculâ peccati concepta, & non purgata, ſed præſervata: Ergo vivebat, & propriâ quidem animâ, non alienâ: Verum hæc ratio, inquit Doctor ille, non urget: nam homo, ſi in puris naturalibus conciperetur, ſine ullo originali peccato adhuc manebit integer locus diſputationis ac præſenti difficultati: Ergo etiamſi Beata Virgo ſine peccato Originali concepta ſit, adhuc inexploratum manet: Utrùm in utero haberet propriam animam. Hæc Aguirre, ſed quàm debilia, videant omnes. Nam, ſi in matris utero Beata Virgo informata fuiſſet animâ matris, aliovo tempore informata fuiſſet anima ab originali labe non præſervatâ, ſed cùm apud omnes receptum ſit ſtabiliâ opinione, quòd Beata Virgo [*d*] Maria ſemper habuit præſervatam Animam, etiam in Matris utero, conſequenter debet concedi diſtinctam habuiſſe. Ex quibus aſſerendum etiam eſt, quod ex quolibet homine, de quo diceretur ſimilis à labe præſervatio originali, conſequenter concedendam eſſe ei animam diſtinctam.

d] Nemo unquam dubitavit, An Virginis Nativitas fuerit immaculata; ergo, quia ante Nativitatem eſt Conceptio, qui illam ſine maculâ conceptam dicimus, in matris illam utero habuiſſe propriam animam dicturi ſumus.

MMMCMLXXXI. *P. Aguirra de rationibus Caramuelis Cenſura.*

Hæ ſunt, Illuſtriſſime Præſul, rationes, quibus Aguirre in ſuis Ludis tentat acutiſſima tua contundere tela, quas tibi referre ſine aliquâ noſtra negativâ criſi minimè potui, aperiam modò argumenta quibus ſuperbus & arrogans opinionem Marci debellare conatur, & quid de eorum levitate ſentiam, tranſeunter ac pacificè enucleabo.

Domini Iſtrartota de eâdem Cenſurâ Cenſura.

Ratio prima deſumpta eſt ex incarnationis Myſterio, ex quo conſtat, quod Verbum factum eſt homo, aſſumendo in Mariæ Virginis utero verum corpus, veramque animam ab anima matris diſtinctam. Ex hoc principio deſumitur paritas ad reliquos homines, ex eo quòd cæteri homines in animationis tempore æquales Chriſto Domino debeant cenſeri; nam ſi Chriſtus Dominus (excepta Spiritus Sancti obumbratione nulla Viri ope) æquali legi humani ordinis ſe ſubiunxit. Quod autem Chriſtus Dominus in utero Matris Virginis habuiſſet propriam animam, ex eo probat in primis, quòd cùm in utero Matris Chriſtus Dominus habuit naturam divinam & humanam, ſequeretur, quod anima Virginis Mariæ unita fuerit unione hypoſtatica, quod hæreticum eſt, vel quod Verbum in utero Matris fuit inanime, quod etiam fidei Catholicæ repugnat.

An Verbi Incarnatio Doctoris Marci Opinionem debellet?

In quibus rebus Chriſtus Dominus cæteris hominibus fuerit ſimilis?

MMMCMLXXXII. *An virorum anima à mulierum an maius ſpecie diſtinguantur?*

Confirmat hanc rationem Ludorum Authot, quod fide ſit ſancitum, quòd Filius Dei, *incarnatus eſt de Spiritu Sancto, & ex Mariâ Virgine, & homo factus eſt*; videlicet, *in ipſius utero*, ut in Symbolo Nicænæ Fidei exprimitur; At non eſt Filius mulier, ſed vir, ut pariter Fides docet: Ergo in utero Virginis factus eſt homo vir, atque

adeò

Digitized by Google

Cur Chriſtus in matris utero non fuerit mulier?

adeò, intra maternam vulvam aſſumpſit animam virilem, & ſui ipſius propriam, non verò fœmineam animam ſuę matris, Alioquin intra alvum Virginis Chriſtus Dominus non eſſet vir, ſed fœmina ex parte animæ, & ſolùm ex parte corporis Vir.

MMMCMLXXXIII.
An à Chriſto ad cæteros homines tranſeat argumentatio?

Ad hanc autem rationem, niſi animus me fallit, facillimè reſponderetur, quòd Chriſtus Dominus habuit animam in utero Virginis Mariæ diſtinctam à matris animâ. Sed ex hoc non ſequitur ad reliquos merè homines paritatis argumentum; Nam, creatio animæ Chriſti non fuit ad exigentiam Virilis Seminis, ſed fuit altioris ordinis opus, & poſſet inde Doctor Marcus inferre, quòd Chriſtus Dominus habuerit animam diſtinctam in Virgineâ vulvâ, ſecùs verò reliquos homines. Ad confirmationem, non verbis, ſed cachinnationibus reſpondere ſatius eſſet, cum eius diorismus tot ſcateat ineptiis, ut quivis Philoſophus literis mediocriter verſatus, imò qui vix Philoſophiæ ſalutarit penetralia, inter quos ſum, tanta cognoſceret ταὐτολογίαν, quibus miror profecto virum, aliàs doctum, allucinatum. Supponit igitur Author iſte Ludorum, animas virorum diſtinctas eſſe ſexu à mulierum animabus. Quis umquam [e] talia excogitavit? Vnde aſſumpſit terminos tales philoſophandi. *Animam virilem, animam fœmineam.* Nego ſuppoſitum: nam eadem numero anima informans corpus Viri, virum efficit, quæ mulierem efficeret, ſi corpus informaret fœmineum, ſexus quippe in corporeis organis, non autem in ſpirituali conſiſtit formâ. Si enim animæ darentur Viri, & animæ mulieris, profectò parum abeſſet, quin ex meris ſpiritibus daretur generatio. Liceat hæc abſurda hyperbolicè inferre ex tali Doctrinâ de animarum ſexu. Sed veniamus ad reliqua argumenta, nam his immorari iam tædet nauſeabundam mentem.

e] Graviſſima eſt Quæſtio, quæ inquirit, *Quænam ſit cauſa corporu humani conformatrix?* Efficiens inveniri non poteſt: Ergo, ſi eſt Formalis, diverſæ Animæ ſunt, quæ corpora diverſa conformant. Huc reſpiciens Oviedus, quia non audebat aſſerere Virum & Fœminam diſtingui ſpecie, & neſciebat unde ſexuum proveniret diſparitas, ſi puro numero diſtinguerentur; viam inivit mediam, illoſque voluit ſpecie inadæquatâ diſtingui.

MMMCMLXXXIV.
An in matris utero Chriſtus Divinam Viſionem habuerit?

Secunda ratio probare conatur Chriſtum Dominum habuiſſe animam in utero Mariæ Virginis; ex quo, ut in antecedenti, paritatem ducit ad cæteros homines. Et probat animam Chriſti diſtinctam, quia in utero matris exiſtens habuit ſcientiam, ſive cognitionem beatam iuxta illud Ieremiæ *fœmina circumdabit Virum*, & Zachariæ *Vir oriens.* Ex quibus Sancitum eſt ſecundum doctrinam & expoſitionem Patrum, Chriſtum habuiſſe in vulvâ Sacratâ Virginis beatam cognitionem, quæ ſine propriâ animâ intelligi non poteſt. Sed ex dictis nuper relatis pro reſponſione primi argumenti, facilè liquet [f] huius rationis enodatio, concedendo libentiſſimè Chriſtum Dominum in utero Virginali Mariæ habuiſſe diſtinctam animam, ſecus verò reliquos homines. Nam ſicut habuit ſcientiam & cognitionem beatam, quam cæteri non habent homines, conſequenter dicere poſſet Doctor Marcus, illum etiam in utero habuiſſe animam, quam cæteri non habent. Si enim iuxta Philoſophica Principia, qui dat formam dat conſequentia ad formam, à fortiori, qui dat formam, dat (aut ſaltem ſupponit) antecedentia ad formam. Ita ſe habet anima reſpectu advenientis cognitionis: Ergo, qui dat cognitionem, debet & dare (aut ſaltem ſupponere) ipſam animam.

f] Concluſionem veram non bene probavit Aguirre, nam, ſi hæc Conſequentia, *Chriſtus in utero matris habuit lumen gloriæ, Ergo & cæteri homines*, non eſt bona: nec erit hæc, *Habuit propriam animam, Ergo & cæteri omnes.*

Et, ne videar ad Sacrum Chriſti confugere privilegium: ſimile concedi debet in probabiliſſimâ opinione aſſerenti, quod uſque ad quadrageſimum diem in viris non creatur anima, & tamen omnes [g] fatentur, quod eo inſtanti quo Beata Virgo conſenſum protulit incarnationis verbi, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*, Anima Chriſti creata ſit: Si ergo in hac receptiſſima opinione de animæ creatione quadrageſimo die excipitur Chriſtus Dominus tanquam huic legi non ſubditus, quare in opinione Doctoris Marci non excipietur?

g] Sed neque hæc erit bona, *Chriſtus habuit animam rationalem in primo conceptionis inſtanti. Ergo & cæteri homines.*

MMMCMLXXXV.
An Aguirre argumento Caramuelis utatur?

Tertia Authoris Ludorum ratio deſumpta eſt ab argumento tuo, ô Doctiſſime Caramuel, ex illis verbis 1, Lucæ. *Exultavit in gaudio infans in utero.* Et quidquid excogitavit Aguirre in hoc textu tribuiſti ei, tuo ſubtiliſſimo argumento: cumque facile ſit inventis addere, nil mirum, ſi tanto gubernaculo ductus, tantis illuminatus igniculis, aliqua videatur excogitaſſe, ac enucleaſſe argumenta, quæ primâ facie diverſa longè illitteratis appareant; quæ ſi perpendamus altiùs, cùm turno, & cothurno & ad lineam & limam redigamus, eadem eſſe prorſus certò putemus. Aſſerit namque gaudium Baptiſtæ & animæ affectum, non niſi ab ipſius animâ Baptiſtæ provenire potuiſſe; nam per animam Eliſabethis iuxta bona principia non potuit infans exultare præ gaudio.

Non ſunt ſemper diverſa, quæ verbis diverſis conformantur.

MMMCMLXXXVI.
h] Quæſtio Theologica pendet à Philoſophicâ, quæ inquirit, *An intellectio in actione, an verò in paſſione cum*

Confirmat deinde hanc doctrinam diſcurſu quodam Philoſophico, ac Theologico, quo controvertitur, *An natura intellectualis creata intelligere* [h] *valeat per actum Divinæ mentis ſecundum potentiam abſolutam?* circa quam Quæſtionem, etſi pauci affirment, nullus fere eſt qui neget, idque extorquere videtur Sexta Synodus generalis Act. 17. ubi habetur in unitate perſonæ Chriſti *duas concurriſſe naturas, & duas naturales voluntates, & duas natu-*

vales operationes indiviſè, inſeparabiliter inconfuſè. Et deinceps alia leguntur verba, quibus conſtat, quòd una natura non poteſt operari, aut intelligere per actum alterius naturæ, ſed per proprium: Ex qua Concilij doctrinâ ſic conficit [i] argumentum: Magis coniuncta eſt Verbo humanitas Chriſti, quam Deiparæ in utero Chriſtus, aut Eliſabethæ Ioannes, quia prima illa coniunctio eſt ſubſtantialis & hypoſtatica in eadem numero perſonâ, hæc autem accidentalis, localiſque tantùm, cum ſuppoſitorum diverſitate, At non obſtante illâ maiori coniunctione humanitas Chriſti non intellexit aut voluit, neque poterat per intellectionem volitionemque Divinam: Ergo Chriſtus & Ioannes in utero, minorem coniunctionem habentes cum matribus, non intellexere aut voluere, imò nec poterant, per intellectionem, aut volitionem ſuarum matrum.

ſiſtat? Si enim conſiſtit in actione, nemo intelligere per actum poterit, quē non producat.

i] Nihil obſtat: nam ſuppoſitum eſt id quod agit, non autem eſt ratio aut forma agendi.

MMMCMLXXXVII.

Deinde propter diverſitatem naturæ humanæ a Divina & Angelica negat Concilium poſſe operationem vitalem unius eſſe operationem vitalem alterius: Ergo propter diſtinctionem realem naturæ, individuique, & diverſitatem ſuppoſiti à Deiparâ & Eliſabethâ non potuerunt Chriſtus & Ioannes vivere per vitales operationes matrum. Tandem ipſi quorum opinione humanitas Chriſti intellexit per actum mentis Divinæ, negant intellectum hominis, aut Angeli de facto intelligere aut vivere per intellectionem creatam alterius, quia hæc connaturaliter poſtulat egreſſum à principio extrinſeco viventi, ſecus illa quæ tantùm poſtulat unionem intentionalem ad intellectum extraneum: ergo ſupponunt impoſſibile eſſe, quòd infantes in utero verè vivant, moveantur à ſe, doleant, nutriantur, creſcant per motus vitales, aut animas matrum, ſaltem naturaliter loquendo & ſine miraculo. [k]

k] Non procedit directè contra Opinionem, quam impugnat. Non enim dicit Marcus fœtum in utero reſpectu matris vivere, ſicut Petrus reſpectu Pauli, ſed ſicut digitus reſpectu manus.

MMMCMLXXXVIII. *De Sancto Ioanne Baptiſta.*

Plura hic confuſa, & aliqua inepta profectò continentur; & in primis, quidquid de Chriſto Domino arguitur, iam ſuprà dictum eſt non convincere ad paritatem ſervandam in reliquis hominibus. Quod autem ad Baptiſtam pertinet potiſſima & indiſſolubilis ratio ex exultatione in utero deſumpta, iam à te, Sapientiſſime Caramuel, excogitata ſubtiliſſimè fuit; nam, ſi de ſanctificatione iudicium feratur, evidenter propria infertur Baptiſtæ animatio; ſi de exultationis affectu ſolùm ſit ſermo, etiam convincit; nam talis affectus ſupponit principium infantis condiſtinctum ab animâ matris. Reliqua verò, quæ affert P. Aguirre, præter ea, quæ arguunt actum mentis Baptiſtæ in utero exiſtentis (Chriſtum Dominum excipio, cui non datur ſimilis) facilem patiuntur evaſionem. Nam actus mentis Baptiſtæ evidenter arguit animam exiſtentem in cerebro Baptiſtæ, & non animam Matris, nam anima Matris non poteſt naturaliter informare duplex cerebrum ad duplicem actum intellectionis eliciendum.

An Aguirre rationes Caramuelis repetat?

An una & eadem anima duorum hominum capita informare poſſit?

MMMCMLXXXIX.

Sed hæc Argumentatio deſumpta eſt ex viſceribus tui ſubtiliſſimi diſcurſus, quem circa Baptiſtæ exultationem enucleaſti, quem diſtincta veſte circum circa parare aſtutia eſt, non ars; indumentaque facere ſutoris eſt, non Philoſophi. Sed ea quæ præter hanc exultationis argutiam actumque Baptiſtæ mentis excogitavit Aguirre, facilem, ut nuper dixi, evaſionem patiuntur, iuxta Principia, quæ conſentanea admodum Doctoris Marci doctrinæ ritè videntur, in quibus aſſeri debet infantem utero Matris incluſum, partem integralem eſſe mulieris gravidæ, ut gravidæ; ac per conſequens omnes actiones naturales, & vitales fœtûs dimanare ab animâ matris, tanquam à principio formali, velut nutritio, & ſenſatio manus & pedis. Itaque dato, quòd fœtus pars ſit integralis unione continuitatis, verè & realiter unita matri, eodem modo ſe habebit, ac ſi eſſet brachium aut crus; at verò quando talis continuitatis unio ſolutione perit, tunc, cùm anima matris non poſſit informare membra non unita, neceſſum eſt ad exigentiam diſpoſitionum fœtûs, Deum creare animam: quod accidit, cum prodit in lucem, aut aliter unio animæ matris perit. Itaque omne quod argumentum P. Aguirræ [l] probat circa actiones vitales & naturales fœtus, debiliſſimum eſt, cùm mater & fœtus non adæquatè diſtinguantur, ſed tanquam membrum à toto cuius eſt membrum. Quod autem de actu intellectionis probat, veriſſimum eſt & irrefragabile, quia unica anima in duplici corpore non poſſit naturaliter elicere intellectionem; itaque multiplicitas actuum intellectionum in duplici cerebro exercita evidenter arguit multiplicitatem animarum; ſed hoc, ut iam retuli, à te excogitatum fuit, cùm ex textu Baptiſtæ confeciſti argumentum.

Sicut digitus manus, ſic fœtus matris eſt integralis pars, iuxta Marci ſententiam.

In quâ etiam, ſicut anima, quæ in manu, movet digitum, ſic fœtum movet anima, quæ eſt in matre.

Quādonam fœtus anima propria infundatur?

l] Non tangit punctum: deberet enim P. Aguirre oſtendere, fœtum non eſſe partem matris, ſed ab illâ adæquatè diſtingui.

Quarta ratio quâ Doctorem Marcum P. Aguirre impugnare contendit, deſumitur ex verbis Gabrielis ad Zachariam de Ioanne naſcituro dicentis. Lucæ 1. *Spiritu Sancto replebitur*, ex quibus conſtat ſecundum expoſitionem Patrum, Ioannem in utero matris à peccato originali emundatum fuiſſe: quod evidenter arguit animam habuiſſe. Quod ex ſanctificatione Baptiſtæ evidenter arguatur eius in utero animatio, validiſſimus eſt diſcurſus, ſed eum non P. Aguirre, ſed tu, Sapientiſſime Præſul, primus enucleaſti: ſed quod ex prædicto texto inferatur Baptiſtæ in utero ſanctificatio, ſalvâ pace, & ſemper mihi excolendo aliorum iudicio, tanquam in aliorum choro ponenti pedem, ſic dubito. Ex verbis Gabrielis dicentis. *Spiritu Sancto replebitur ex utero matris ſuæ:* niſi

Non potuit ſanctificari in utero matris Baptiſta, niſi ſuam ipſe propriam haberet animam.

Digitized by Google

niſi addamus conſenſum Patrum, quod faciebat Caramuel. Non ſequitur repleri Spirituſancto in utero matris, nam iuxta principia philoſophica *ex utero* ſignificat terminum *à quo*, & bene componitur, quòd ſanctificetur ex utero, hoc eſt in primo illo inſtanti, quo exivit ex utero, quo propriâ animâ fuit animatus, & non in utero: nam ut Philoſophis compertum eſt, terminus *à quo* productionis alicuius formæ, eſt ipſius formæ privatio. Docente Ariſtotele. *Muſicum fieri ex non muſico, & album fieri ex non albo*; Ex quo ſequitur, quòd in termino *à quo* non muſico, non datur muſicus, nec in termino *à quo* non albo, non datur album: quia ex ratione termini *à quo* excluditur coëxiſtentia cum termino producendo. Ergo ex vi verborum *Spiritu Sancto replebitur ex utero matris ſue* non infertur fuiſſe Baptiſtam ſanctificatum in utero: & tamen ex illis iiſdem verbis ſanctificatum fuiſſe ſequitur; non enim illa ſumi debent ſenſu, quo Eraſmus, & Grammatici volunt, ſed quo Auguſtinus, & Patres Veteres, qui fuerunt divinitùs illuminati.

Multa ex Sacra Scriptura verbis & Patrum doctrinâ ſimul ſumptis inferuntur, quæ ex ſolo Sacræ Paginæ textu in bonâ Logicâ non ſequerentur.

Pergit P. Aguirre ulteriùs; & ſuam ipſe ſententiam ſequenti diſcurſu confirmat. Poteſt, inquit, animari, & ſæpe animatur fœtus intra uterum, quando mulier gravida exiſtit in gratiâ: Ergo, ut infans tempore animationis contrahat originalem culpam, neceſſum eſt [*m*] quòd ſimul coexiſtant animæ duæ, cum gratia & peccatum coexiſtere in unicâ animâ non valeant.

m] Sed quomodo infans habebit peccatum originale, ſi ſit pars matris?

MMMCMXC. *Supponit Aguirre, quod probare deberet.*

Sed hoc argumentum leviſſimo exſtirpatur ſtylo: Nego ſuppoſitum Antecedentis; nam, ſi in D. Marci opinione fœtus in utero non propriâ animatur animâ, nec contrahet peccatum originale, donec acquirens naſcendo propriam animam, contrahat originalem culpam.

An peccatum originale ex Pſalmo ſolo bene probetur?

Quinta ratio Authoris Ludorum ſumitur ex univerſali fundamento, quo dicitur, omnes nos in generatione & conceptione contrahere peccatum originale, quod probat verſu illo Pſalmographi. *In iniquitatibus conceptus ſum.* Sed huic argumento haud difficulter ſatisfactio præbetur; omnes enim fatentur, quod in eo inſtanti, quo creatur anima rationalis contrahit peccatum originale; ſed hoc non probat, quod in utero matris creetur anima rationalis. Textus verò Pſalmiſtæ Regis *In iniquitatibus conceptus ſum*, non videtur intelligendus de originali labe contracta in utero, nam hæc non explicaretur per iniquitates, ſed per iniquitatem: Ergo non debet intelligi per illa verba originale peccatum; ſenſus enim aptior videtur, ac ſi diceret David, materia illa, ex quâ genitus fui, ex progenitorum iniquitatibus ortum duxit, & quid ex hoc ad ſuadendum fœtus in utero animationem?

An originale peccatum unicum in ſingulis hominibus ſit?

MMMCMXCI Confirmat iterum Reſolutionem ſuam P. Aguirre ex Tridentinâ Synodo, ſeſſ. enim quintâ, agens de originario peccato, ait, *Propagatione transfunditur, ineſtque unicuique proprium.* Tota autem hæc doctrina evertitur, ſi infans tempore conceptionis non habet propriam animam: Sed hæc etiam leviſſima eſt adverſus Marcum impugnatio, eius enim ſententiâ [*n*] puer in utero exiſtens, non eſt quid adæquatè diſtinctum à matre, ſed membrum integrale ipſius ut gravidæ ſicut anteà dixi; itaque nondum capax eſt peccati, donec tempore excluſionis animetur aliâ diſtincta forma, & tunc *ineſt unicuique proprium* ut ait Concilium.

n] In communi Peripateticorum ſententiâ priùs fœtus vegetabili, dein de ſenſibili, & tandem rationali animâ informatur; & tamē nō incurrit originalem labem, niſi quando recipit animā rationalem.

Sexta ratio Authoris Ludorum ſiſtit in eo, quod ex communi Theologorum doctrinâ conſtat, verum eſſe homicidam, eum qui abortum animati fœtûs procurat: Ergo, quia fœtus in utero exiſtens propriâ animatur animâ. Sed reſponderet Doctor Marcus, verum eſſe homicidam, quia abortum provocat, ſed eſſe homicidam privatiuum, non poſitiuum; privatiuum, quia impedit animæ creandæ productionem, poſitivum neutiquam, quia nondum producta eſt. [*o*]

o] In Theologiâ Fundamentali ex doctrinâ Fieni inferebatur, in omni abortu, ex Marci ſententiâ in nullo verum & poſitivum homicidium committi. Ergo hîc Aguirre reponit, quod legerat in Caramuele.

MMMCMXCII. *De infantibus à ventre parentum excisis.*

Confirmat præterea diſcurſum D. Ramonis non nati, & aliorum exemplo, quo traditur plurimos poſt obitum matris vivos remanſiſſe. Sed hoc etiam arundineum eſt fundamentum; quia eo inſtanti quo pereunt diſpoſitiones pro conſervandâ animâ in matre, deficit unio animæ matris, ſed in ipſiſſimo inſtanti, cùm adhuc permanent diſpoſitiones in fœtu, ad harum exigentiam Deus illicò animam creat. En, ut fumus, tota P. Aguirræ ſubtilitas & argutiæ evaneſcunt.

MMMCMXCIII. Septima eiuſdem ratio ſic ſe habet. Ponamus, quòd mulier gravida ſimul cum fœtu animato intra uterum confodiatur enſe, aut fulmine in ictu oculi utrumque occidente. Ponamus etiam, quòd mulier in gratiâ exiſtat, infans autem in originali peccato, ut fide ſancitum eſt. [*p*] Mulier gravida in cœlum evolabit, infans autem deferetur in limbum. Sed hoc, quod ſtando Fidei Orthodoxæ Principiis dicere neceſſariò debemus, iuxta doctrinam Marci abſurdum & naturaliter impoſſibile eſt. Ergo, &c.

p] Quomodo infans, dicet Marcus, originali labe infici aſſeritur, antequā habeat propriam animam?

Verùm enim verò in ipſo limine negando ſuppoſitum reſponderetur: petit enim principium P Aguirre, cùm ſupponit, mulierem gravidam, fœtumque in eius utero exiſtentem informari animabus diverſis: quoniam, ſi ſit fœtus matris animâ informatus, ut in D. Marci tenetur opinione, adhuc non contrahit originalem culpam, & ſic nulla erit anima, quæ deferatur in limbum. [*q*]

q] Si, quando in doctrinâ communi fœtus animâ ſenſitivâ informatur; videlicet, antequam intellectuali informetur, caſus accidat (ſi moriatur uterque) an-ne deferetur ad limbum fœtûs anima? Minimè; quoniam eſt mortalis ſenſitiva, & nondum eſt producta rationalis.

MMMCMXCIV. Octava ratio deſumpta eſt ex verbis Concilij Lateranenſis ſub Leone X, ſeſſ. 8. ibi *Damna-*

Digitized by Google

An fœtus & mater gravida ſint duæ perſonæ?

Damnamus omnes aſſerentes, animam eſſe unam & mortalem in cunctis hominibus, &c. quo telo indicat Aguirre quòd Achillem oppoſitæ ſententiæ proſternet. Gauderem utique, ſi iaceret, nam communis eſt inimicus: ſed hoc debiliſſimo non iacebit ictu. Concilium enim Lateranenſe damnat, tum eos, qui animam rationalem mortalem eſſe aſſerebant; tum & eos qui in diſtinctis hominibus diſtinctas animas eſſe negabant. Sed in opinione Doctoris Marci fœtus & mater non ſunt duo homines; nam fœtus non adæquatè iudicatur diſtinctus, cùm ſit membrum gravidæ mulieris. Præstereà ex illis verbis *pro corporum quibus infunditur multitudine*, colligitur clariſſimè loqui de corporibus, quibus infunditur anima, at de corporibus ſive de partibus velut integralibus, quibus adhuc anima non eſt infuſa, quid probat Aguirre? Dic Litteratiſſime Vir.

Quo ſenſu Concilium loquatur?

MMMCMXCV. *An manifeſtum contra Doctorẽ Marcum ex immaculatâ Conceptione Deiparæ argumentum ſumatur?*

Nona & Vltima ratio fabricatur ex Immaculatæ Deiparæ conceptionis myſterio iam ſub Fidei Catholicæ aurorâ naſcenti, ex quo infertur, quod ſiquidem Eccleſia, Marianæ Conceptionis celebrat ſolemnitatem, ſupponit Beatam Virginem animam habuiſſe ab animâ ſuæ matris diſtinctam, quæ ſubiectum eſſet illius gratiæ, quâ concepta ſit. Sed hoc argumentum evidens eſt, miror tamen acutum Aguirre, qui nuper tua retulit argumenta, quæ ineſficacia eſſe aſſeveravit, nunc ſui immemorem, hoc, quod à te iam pridem excogitatum fuit, pro ſe attuliſſe. Sed modò ſufficiat de huius Ludorum Magiſtri argumentationibus, ex quibus eas, quæ animarum ſexum comprobant proprio excogitavit Marte, ſed quæ his diſſimiles apparent, ſub alieno gladio ultionem liber quæſivit.

MMMCMXCVI.

Hæc ſunt, Sapientiſſime Vir, Illuſtriſſime Præſul, quæ circa P. Aguirræ animoſitatem, haud in te modeſtam, ac adeò apud me egrè latam, tibi ſcribere decrevi de Doctoris Marci exoticâ opinione, quæ certè eidem poterat arridere, ut novitatum amatori. Ei ſeſe calamo pene ſubitario concinnaſſe [*r*] teſtatur, quod & ab ipſo Scripti Ludi confirmare videntur. Ego adlaboravi, ut rem bene intelligerem, forſitan tamen, ut fundamentorum Principia huius opinionis ignorans, in pluribus errare potui. Itaque Doctoris Marci Opera iam diu perlegere optavi, huic obſecro deſiderio reſpondeas. P. Aguirræ Ludos, ſi videre cupis, eos tibi mittere haud pigrè curabo, meque tui ſemper nominis cultorem, & obſervatorem habe. Vale, in longiſſimum Vale Matriti die 24. menſis Iulij, ann. 1673.

r] Nemo ab Apelle petit, quantum impendat tempus, ut Alexandrũ imaginet, ſed an illum ad vivum imaginet. Ergo eſt ineſficax excuſatio, quæ à temporis brevitate prætenditur.

INDEX

INDEX
LOCVPLETISSIMVS
IN THEOLOGIAM
FVNDAMENTALEM,

In quatuor partes digeſtus.

Quarum I. *materias Scholaſticas per Indices exhibet.*
II. *Quæſtiones ad Elucidationem* DECALOGI *pertinentes.*
III. *Dubia & Reſolutiones circa veteris & novæ legis Sacramenta.*
IV. *Denique res omnes quæ toto opere tractantur.*

PARS I.

Indices Scholaſticos continens.

Omnes numeri ſunt marginales.

VIRIS doctis ſcripſimus: (nec enim ab idiotis & imperitis libenter audimur, aut legimur) & ut illis meliùs ſervire & prodeſſe poſſimus, hos INDICES SCHOLASTICOS addimus, in quibus vnuſquiſque videat, quid ſupponi ut certum, aut probabile in aliis Facultatibus volumus, cùm Moralia (ſeu Virtualia) tractamus.

INDEX I.

Grammaticus.

GRAMMATICÆ nomine intelligimus Artem loquendi. Et conſultò *loquendi*, & non *bene loquendi Artem* eam dixi, nam in voce *Artem* clauditur illud *bene*; non enim ad male operandum inſtitutæ ſunt Artes; & qui illam *Artem bene loquendi* dicunt, bis (& hoc contra exactæ Definitionis legem) illud *bene* ponunt, non ſecus, ac qui Hominem, *animal ſenſibile rationabile* diceret; fruſtra enim reponeret illud *ſenſibile*, quod in voce *animal* continebatur.

Grammatica eſt duplex ſpeculativa & Practica. Hæc pro Idiomatum & Dialectorum varietate eſt diverſa, illa eſt in toto Mundo eadem, & intellecta à paucis, & à paucioribus dilucidata. De illâ ſcripſi ſpeciale Syntagma, quod Logicæ noſtræ præmittitur. Et eius notitiam tam neceſſariam iudico, vt præ foribus SCHOLÆ ETHICÆ hanc poſuerim Epigraphen,

NEMO HVC INGREDIATVR, QVI GRAMMATICAM SPECVLATIVAM, ET PHILOSOPHIAM NATVRALEM NON SCIAT.

Vide num. 2901.

Orthographia eſt prima Grammaticæ pars, & in ipſa de Literis & Accentibus agitur de tetragrammato Dei nomine, יהוה; Cur in pleriſque omnibus linguis etiam quatuor literas habeat? 2906

De Omnipotentiâ, Semipotentiâ, & Nullipotentiâ aſſertâ ab Abailardo. ibid.

De vocibus ὁμοούσιος, & ὁμοιούσιος, quæ Orthodoxos ab Arianis ſecernunt. ibid.

An Deipara Θεότοκος, an Θεοτόκος, vocari debeat? 2907

Digitized by Google

Quanta ab uno accẽtu dependeãt? An lingua Latina nõ tam in labio, quàm in calamo habeat diverſas dialectos? De balbutientibus. An poſſint Sacramenta validè celebrare? ibid.

An Poëtæ ſint Grammatici? An in Deo ſint caſus, & quales? 2908

Deus Genitivus. An genuerit homines? 2909.

Deus Dativus. An Deus dicatur à dando? Deus Accuſativus, Ablativus, &c. 2910

De vocibus Agnus, & Iuppiter: quomodo declinentur? ibid.

De Conjugationibus. An Deus ſit in tempore? Quid ſit eius æternitas? 2911

Cur verbum *Morior* non varietur ut *Orior*? 2912

An mulier ſit homo imperfectus? An in Divinis ſit generum & ſexuum diſtinctio? Cujus generis ſit Deus? 2912

De Subſtantivo & Adjectivo. Sæpe ſubſtantiva à Theologis ſumuntur adjectivè. Sunt tres Perſonæ Divinæ, non tres Dij. Sunt duæ Perſonæ ſpirantes, non duo Spiratores. 2913. & 2914

An Spiritus ſanctus ſit nomen commune, an perſonale? Sitne abſolutum an verò relativum? An ſit activum, an paſſivum? 2913

De nomine Paracletus. An ſumatur eſſentialiter & perſonaliter? 2914. An Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſint Παράκλητοι.

An veteres ſemper fuerint rigoroſè loquuti? An loqui poſſimus aut debeamus cum ipſis? Eccleſia, & eius doctrina immutabiles ſunt. 2915

Voces Spirator, Peccator, Cauſa, Subſtantia, Homo, φυσικὸς, Naturalis, Corpus, &c. ibid. Eſſentia, Natura, &c. 2910. ὕλη, & φύσις. 2921.

An Verbum Æternum ſumpſerit Hominem? An Gratia ſit Homini naturalis? An, & quo in Chriſto modo Diuinitas corporaliter ſit. 2915.

De Syllabarum Quantitate. Sola interdum unius ſyllabæ, aut correptio, aut productio ſententiam Catholicam, aut Hæreticam facit. 2916. Differentia inter *idem* & *īdem*, inter *unus*, & *unum* explicatur. 2916. & 2917.

De Animæ Rationalis creatione & infuſione. Non educitur de potentiâ materiæ. Non exigitur à diſpoſitionibus corporis, & tamen producitur ſecundum exigentiam illarum. Punctum eſt difficile, & tamen explicatur facillimè ſecundum fundamenta Grammaticæ. 2921

INDEX II.

Criticus.

SIc hodie dicitur quædam Metragrammatica, nomen à criſi, ſeu indicio ſortita: nam de vocibus quas Nomenclatores poſuerunt, impoſuerúntve, indicare præſumit. Inter alia, quæ variis in locis reperies, hæ voces liquidiùs & accuratiùs explicantur.

A

ABBAS quis ſit, & unde nomen traxerit? num. 1155
Acceſſorium quid ſignificet? An ſequatur ſuum principale. 934
Adiectivum, An aliquando deſtruat ſignificationem ſubſtantivi? 2277
Æquivoca lex, An aliquando contra Grammaticam ſit explicanda? 956. 1329. An Regula LXVII. Iuris Canonici ſit æquivoca? 958
Æquivoca lex, an ſit valida? An contractus æquivocus ſit validus? 926
Æquivocatio Antonij de Yepes. 927
Affectus & *effectus* quo ſenſu accipiantur? 1012.
Agnus eſt nomen Dei. 810
Agnus-Leo eſt etiam nomen Dei. ibid.
Alius, alia, aliud: an habeat in genitivo. *alij, alia, alij*, an *alius*? 1287
Amans amens. 2723
Aries nomen æquivocum. 1804
Articuli. Caret illis Lingua Latina, & ideò claudicat in multis ac deficit. 2233
Auctor apud Vlpianum eſt ille qui ius derivat in alium, ut venditor, teſtator, donator, &c. 965. 1287. & 1303
Audire & *Auſcultare* quomodo differant? 2464.
Axioma Civile. 1177. Peripateticum. 103. 760. 1177. & 1240.

B

B*Abylon*, *CoroZaima*, & *Bethſayda*. 120.
Balſamum an reperiatur in India? 3088. & 3116.
Beneficium inventarij quid ſit? 1308

C

C*Al* & *Hiphil* Hebreæ coniugationes. 1806. & 1810.
Capere & *Non-capere* virtualiter, 1246
Capere ut quod, & ut quo. 1181
Cauſam conijcere quid ſit? 1129
Ceilita qui fuerint? 117
Centinela perdida apud Hiſpanos. 637
Certus quis eſt? an certiorari dabeat? 998
Certus ut aliquis dicatur, quæ requirantur? ibid.
Chriſma, quid ſignificet? 3088
Chriſtus quà Homo. 1124
Circumſtantia adiacentes loquuntur. 1804. & 1805.
Claudus cœcum ſuſtentans. 804
Claves Iuris cur dicantur? 814
Clericus, Hiſp. *Clerigo*, *Cleirgo*, quid ſignificet? 926. 927. Antonij de Yepes error unde ortus? ibid.
Evangeliſterus in pagis Hiſpanorum quis? 926.
Corpora librorum, quid ſignificent? 928
Clericus Sacerdotem ſignificat. 2060
Coincidentia dictionum. 2764
Commodum ſignificat ius. 1251
Commutatio, Vide *Venditio*.
Comparativum: an ſupponat in utroque extremo

tremo poſitivum. 1365. 1846. & 1855.
Quomodo comparativa componantur & inferantur? 1430
Comprar en vn lance, apud Hiſpanos, eſt merces ultroneas emere. 1095. 1096
Concedere ſub onere, aliud eſt, quàm *concedere cum onere*, illa enim conceſſio eſt conditionata, hæc abſoluta. 994
Conditio intrinſeca ponatur aut non ponatur, perinde eſt. 865
Purificari conditionem dicimus cùm impletur. De contractu condtionato, & poſitione conditionum diſſero. 859
Conditio quid ſignificet? 859
Connaturalis, coëſſentialis. 2
Conſenſerit, illa vox, eſt de futuro. 883
Converſi ſunt famuli religioſi. 1155
Coreſ iſ opus antiqua vox, quod ſignificet? 2086.
Cor leonis vox æquivoca. 1804
Coroza apud Hiſpanos mitræ genus: & quibus conveniat. 1046
Credere quid ſit. 1808
Cuartel quid? 673
Cuerpo de libros, quid ſignificet? 928

D

Damnas eſto, quid ſit? 1181. & 1308
Damnum diſtinguitur ab iniuria. 1282
Dare, Aliud eſt *dabo*; & aliud *ſolvam*: Qui iuraverit ſe ſoluturum, vi huius iuramenti nihil tenetur gratis dare, nec ſolvere quod non debet; quæ enim non debentur, non ſolvuntur. 935. & 996
Aliud eſt *dare vt quod*, aliud *ut quo*. 965
Dare vitam aut nummos virtualiter. 1246
Dei nomen an conveniat homini. 1327
Delirare aliud, & aliud *deſperare* eſt. 1633
Deſides quid ſint? 2084
Deſperare quid ſit? 1633
Deus vnde dicatur, à dando. 2. 1090
Differentia inter *Ego facio*, & *Ego faciam*. 884.
Differentia inter *præſcindere*, *affirmare*, aut *negare*. 107
Donati, ſunt famuli religioſi. 1155
Dubium negativum & poſitivum quid ſint? *num.* 2

E

Eccleſia, quid ſignificet? 1099
Eccleſiaſtici nomine quis ſit intelligendus? 2098
Effectus & *affectus* quo ſenſu accipiantur? 1012
Ego clauditur in prima perſona verbi. 1812
Pronomina enim clauduntur in verbis: 1810
Ego Clauditur in voce *baptizo*. 1813
Egoitas eſt culpa. 2377
Emptor ſuarum rerum, *Depoſitarius*, *Locatarius* nemo eſt. 1175
Ens morale aut *virtuale* quid ſit? 2
Ens rationis. An poſſit fieri à Deo quæſtio eſt de nomine. 95
Ens ſecundum dici, quid ſit? & cur inventum? *n.* 2
Epiſtola quid ſit? *n.* 3
E'πιεία quid ſit? 1844
Errare aliud, & aliud *mentiri* eſt. 338
Evangeliſterus apud Hiſpanos quis. 927
Evidentia apud Iuriſperitos quid ſit? 1309
Expoſiti infantes. 7
Extra ſumitur interdum pro *contra*. 988

F

Familiæ nomine qui intelligendi ſint? 917
Feſtum Comitis in Palatinatu. 1438. quale? 1443
Fictio in baptiſmo non ſignificat fictionem. 2085
Fictio, peccatum ſignificat. 5
Fides quid? *Bona fides*, *mala fides*. An quidquid non eſt ex fide, peccatum ſit? 891
Mala Fides vox eſt, quæ aliter accipitur à Iuriſtis, & aliter à Canoniſtis. An Fides dubia vocanda ſit bona vel mala? 896
Fides ſignificat dictamen. 892
Filius adoptivus. 2
Finitum videtur nomen poſitivum, & tamen ſignificat carentiam extenſionis aut perfectionis ulterioris. 916
Formula vera mutui. 1792
Formula concedendi domum. *n.* 1786
Fortè. Quid hæc particula ſignificet in Sacra Pagina? 115

G

Ganymedes, an Aquarius. 7
Goaconux, arbor unde exprimitur balſamum. 1821. 1822
God, Deus: *Dog*, canis, anagrammata. 223
Grammatici abutuntur vocabulis. 916. Frequenter errant in Theologicis. *n.* 891
Magna gratia dicitur æterna vita cur? 115
Gyrovagi. *n.* 2

H

Hebræa lingua, & verborum in ea voces ſeu coniugationes. 183
Hæredis legitimi nomine quis intelligatur. 1119
Hæres dicitur ab hærendo. 1190
Non ergo ſine *a* debet ſcribi.
Hiphil Hebræorum vox prædeterminativa. 183. 1086. 1810
Homo vitellam gerens. 804
Chriſti Domini, Deiparæ, nec non Sanctorum & Illuſtrium Virorum vitæ & laudabiles actus ſunt Virtutum Exempla, ad quæ noſtros mores conformare debemus. Vide *n.*6

Et huc ſpectant omnia illa, quæ de Exemplo, & ſcandalo diverſis in locis dicuntur.

Antiqua Sacramenta Sacramentorum Novæ Legis erant umbræ & imagines. *n.*2941. Vide Indicem Sacramentalem.

§. X.

De Infinito.

DE illo agit Ariſtoteles libro Phyſicæ tertio. In Categorematicum & Syncategorematicum dividitur: & hoc (quod veriùs Indefinitum quàm Infinitum eſt) bene concipi ab hominibus ſolet, & bene exponitur in Diſcretâ Quantitate illis verbis, *non tot, quin plura*, & in continuâ illis, *non tantum, quin maius.* At Categorematici infiniti cognitio ſuperat naturalem Hominis & Angeli capacitatem. 97

An Creaturæ poſſibiles ſint ſimpliciter infinitæ? An res creatæ? puta, omnes partes Continui, aut Angelorum cogitationes eliciendæ totâ æternitate? adde omnes poſſibiles numeri incipiendo ab unitate & in infinitum progrediendo, &c. 98

An exiſtant de facto Entia indefinita & incerta? An certiſſimâ illa Deus cognitione intueatur? An ultimam in Continuo partem, ultimamque in Circulo Tangentem aut Secantem intelligat? 101

In Peripatu & Scholâ Ariſtotelis componi & ſimul propugnari non poſſunt hæ propoſitiones.

Repugnat Infinitum actu.

Mundus fuit ab æterno.

Anima Humana eſt immortalis.

Si enim admittantur duæ priores, deſtruitur tertia: &, ſi admittatur tertia, prima vel ſecunda dirimitur. Conſidera ſyllogiſmos ſequentes.

Mundus fuit ab æterno; Ergo fuerunt in ipſo infiniti homines. Ergo habuerunt infinitas Animas rationales.

At, ſi eſſent immortales, exſtarent hodie actu infinitæ hominum Animæ, quod eſt impoſſibile, nam repugnat multitudo infinita ſimpliciter.

Ergo præteritorum hominum animæ nunc non exſtant. Ergo ſunt mortales.

Humanæ Animæ ſunt immortales. Ergo etiam nunc exſtant omnium hominum Animæ.

Atqui Mundus fuit ab æterno. Adeóque tranſiverunt in ipſo infiniti homines.

Ergo hodie actu ſunt infinitæ hominum Animæ. Ergo datur de facto multitudo infinita.

Humanæ Animæ ſunt immortales. Ergo omnium hominum, qui unquam fuerunt, Animæ etiam nunc exſtant.

At, ſi Mundus eſſet ab æterno, eſſent actu infinitæ: quod omninò repugnat.

Mundus igitur non fuit ab æterno. Ergo creatus eſt ex nihilo: & in tempore determinato.

De Animæ immortalitate contra Lucretium *n.*155.156.& 157.&c. diſſeritur.

Infinitas in intrinſecam & extrinſecam dividitur: illa uni Deo competit: hæc omnibus creaturis eſt communis: nam à creatore, à quo fit, & ad quem correfertur, vel minima muſca extrinſecus eſt infinita: actus Charitatis ob obiectum quod reſpicit: & peccatum, ob perſonam, quam offendit, habent infinitatem extrinſecam: & ſimiliter in Reginâ Angelorum Maternitas eſt infinita extrinſecè à Filio denominatione deſumptâ. *tom.*3.*pag.*18.*a.n.*2942

Cùm Sacramentorum Inſtitutor ſit Chriſtus habent extrinſecam quamdam infinitatem: & Euchariſtia, quia intrinſecè continet Chriſtum, intriſecè habet infinitatem. ibid. §. *in ſupernaturali.*

§. XI.

De Loco, & Vacuo.

REpugnat Vacuum. Qui interrogant, An illud poſſibile ſit? quid ſit ſpacium neſciunt. Spatia imaginaria extra *Cælum non dantur. Et bene de his omnibus diſcurrit libro quarto* Phyſicæ ſuæ Ariſtoteles. 2943

Sunt loca rebus Politicis & Eccleſiaſticis determinata: non poſſunt in omni loco Miſſæ legi: non in omni celebrari nuptiæ, aut alia Sacramenta adminiſtrari. *tom.*3.*pag.* 19. *a. n.*2944

De loco intrinſeco & extrinſeco. An, quem

Digitized by Google

quem habet Chriſtus in Cœlo, ſit intrinſecus, & quem in Euchariſtia extrinſecus? ibid. §.*quæſtiones.*

De Vacuo. De Gratiâ in vacuum receptâ. Quid ipſa ſit? ibid. §.*ne in vacuum.*

An vacua ſint Sacramenta, quæ vocantur *informia*? An bene loquantur Theologi? ibid. §.*Et hic obiter.*

§. XII.

De Tempore.

EſT rerum materialium duratio. De illâ diſputat Ariſtoteles *lib.*4. Tempus eſt duplex: Reale & Morale: illud vocatur Græcè χρόνος, hoc καιρὸς; quo modo differant inter ſe? 1943

Exponuntur illa Angeli (*Apocal.*10.6.) verba χρόνος οὐκ ἔτι ἔσαι. *Tempus non ampliùs erit.*&c. ibid. *tom.*3.*pag.*19.*a.* §.*Græcus,* & 19.*b.*§.*ſua habent.*

Nec omnis dies, nec omnis diei hora: nec omnis ætas, eſt apta ut conferantur & recipiantur Sacramenta. 1943

§. XIII.

De Motu.

TOtum librum quintum impendit Ariſtoteles, ut de Motûs eſſentiâ, ſpeciebus & contrarietatibus diſputet. Nos ex illo 1944. Deducimus nonnullas Concluſiones Morales.

An Formæ Sacramentales ſint ſucceſſivæ An in Euchariſtiâ ſit duplex forma; altera ſucceſſiva & altera permanens. 1945

§. XIV.

De Continuo.

QVæritur, *An ex indiviſibilibus, an verò ex partibus ſemper dividuis componatur?* Hanc Quæſtionem Ariſtoteles libro ſexto decidit. Ea ſententia, quæ ex Mathematicis atomis Continuum Quantitatem componit, eſt falſa impoſſibiliſque: an etiam ab Eccleſia damnata? 1946

De Atomis phyſicis, ſeu de corpuſculis, non diſputavit Ariſtoteles, & hodie ſunt præclari Philoſophi, qui illas admittant. ibid.

Errat Ariſtoteles cum Zenonem & Antiquos Philoſophos aſſerit Continuum concinnaſſe Geometricis indiviſibilibus. Lucretius.

Dicere enim poſſis, Cœleſtis fulminis ignem
Subtilem magis, & parvis conſtare figuris.

Erant ergo Veterum Philoſophorum ἄτομοι, quædam figurata corpuſcula, quæ non poterant naturaliter dividi. An dentur peccata in genere morum indiviſibilia, quibus minora eſſe non poſſint diſcutio *in Theologia Regulari.*

§. XV.

De Primo Motore, Cauſâ Primâ, & Fine Vltimo.

LIbro ſeptimo & octavo Ariſtoteles nos perducit ad Deum. A motu argumentum deducit: at illud, aut inefficax, aut merè probabile eſt. Argumentatur enim ſic.

Quidquid movetur ab alio movetur;

Ergo, vel dabitur proceſſus in infinitum, vel veniendum eſt ad Primum Motorem, qui moveat, quin moveatur ab alio:

At repugnat proceſſus in infinitum in cauſis actu nunc exiſtentibus;

Datur igitur Primus Motor; & hic eſt Deus.

Et aio Maiorem falſam eſſe; & ideò rem aliàs certam, hoc argumento non evinci. Et quidem falſam eſſe Maiorem minimè negabit Ariſtoteles, apud quem Viventia ſe movent ab intrinſeco, hoc eſt, à ſeipſis. Stat ergo Primum Motorem ab Ariſtotele non demonſtrari.

Nos ad Cauſam efficientem recurrimus, & in ſimili formâ ſic argumentamur. 2226

Quidquid producitur ab alio producitur.

Ergo, vel dabitur proceſſus in infinitum, vel veniendum eſt ad Primum Productorem (ad Cauſam Primam efficientem) qui producat, quin producatur ab alio.

At repugnat proceſſus in infinitum in cauſis nunc actu exiſtentibus.

Datur igitur Primus omnium rerum Productor (Prima Cauſa Efficiens) Ergo & Deus.

Et hîc obiter nota meliùs Deum perſuadere potuiſſe Ariſtotelem, ſi cum Magiſtro ſuo Platone Mundum in tempore incepiſſe aſſereret. Vide *n.*1387. 2226. & 2927

An aliquis ſeipſum poſſit producere? Negatur: & aſſeritur Lactantium, Firmianum, & Renatum Carteſium, & ſi qui alij ſint, qui Deum ſe feciſſe dixerunt, non in re, ſed in verbis erraſſe. 2226

Poteſt etiam alia Dei demonſtratio à Cauſâ Finali deſumi: puta, ſi diceremus.

Quidquid ordinatur ad aliud ordinatur ut ad finem.

Ergo, vel dabitur proceſſus in infinitum, vel veniendum eſt ad Finem Vltimum, ad quem omnia ordinentur, quin ipſe ordinetur ad alium.

At repugnat proceſſus in infinitum in cauſis actu nunc exiſtentibus.

Datur igitur Finis Vltimus; & hic eſt Deus.

Vide, quæ *n.*1946. (*tom.*3. *pag.*20. *b.*) inſinuantur.

Deus & Natura nihil faciunt fruſtra. Ergo non ſunt multiplicanda Entia ſine neceſſitate. 998

Ergo ad Moralia veniendo dicendus eſt Deus nîl præcipere, fruſtra: dicenda eſt Natura (ſed Natura præceptrix Deus eſt) nîl fruſtra iubere. ibid.

Ergo non ſunt multiplicanda peccata ſine neceſſitate. ibid.

Eſt-ne Deus Cauſa æquivoca: an potiùs Eminens? An virtute & eminentiâ ſuâ effectus omnes continet, quos producit. 958

An Deus ad Cauſarum ſecundarum operationes immediatè concurrat? à *n.*125. ad 154

An poſſit Deus pro libitu ceſſare à concurſu immediato in actionem creaturæ, ſubſtituendo aliam cauſam, quæ loco ſui efficienter

cientes

Digitized by Google

cienter concurrat. 150
An Deus univerſa conſervet? 154
An Fieri, Actio, Paſſio, & Concurſus Divinus ſint eadem entitas diverſimodè conſiderata? 146

Quia Ariſtoteles in Phyſica graves nonnullas Controverſias breviùs contractarat, quàm illarum poſtulabat ſubtilitas, ſumpſit alterum calamum, & alios libellos ſcripſit, in quibus illas reſumit, & dilucidat. Et hanc ob rem Peripatetici, Scholarchæ ſui inſiſtendo veſtigiis, eaſdem etiam poſt libros Phyſicorum exponunt: & nos, quia à Peripatu nunquam ſine causâ diſcedimus, ſeorſim de Generatione & Corruptione, nec non Intenſione & Remiſſione diſputabimus.

§. XVI.

De Generatione, & Corruptione.

PAter & mater ad ſobolis generationem concurrunt. An mater tantummodò paſſivè ſolam materiam miniſtrando? An etiam pater concurrat materialiter. 1462
De Generatione Morali. Adoptio eſt quædam Generatio Civilis. 1564
Qui poſſint adoptare & adoptari? An Reipublicæ Adoptiones ſint utiles? Multi per Adoptionem fuerunt ad Imperium promoti. An, & cur Eunuchi adoptare non poſſint? ſæpe in legibus ſtat pro ratione voluntas. 1564
Adoptionis & Adrogationis formulæ. 1565
Adoptio dat cognationem Legalem, quæ Matrimonium dirimit. *Vide Indicem Sacramentalem §.XV. verb. de Cognatione legali.*
Totum in eas partes diſſoluitur: quibus componitur: unde Binarius in unitates duas, & Totum Phyſicum in materiam, & formam (Homo in corpus, & animam.) Moralia ſunt ſimilia Phyſicis: & ut fiunt, ita & deſtruuntur. Verborum obligatio verbis tollitur. Orta ex conſenſu, contrario conſenſu adnullatur. An, & quomodo, Promiſſio, Votum, & Matrimonium diſſolui poſſint. 851
Generatio, & corruptio ſunt analogæ. 1115.1165.1230
Quot generationum, tot ſunt etiam corruptionum ſpecies. 1165
De accidentium corruptione in Euchariſtiâ. An vermes in hoſtiâ conſecratâ naſcantur? An ipſi materiâ & formâ conſtent? 2287
Adoptio eſt quædam generatio moralis: & Deportatio eſt mors quædam moralis. Ergo quærere, An deportatus aut forisdicatus poſſit generare moraliter? eſt quærere, An moraliter mortuus poſſit generare moraliter? 1487
Aliqui cognationem à iure cognationis diſtinguendo ſe multis putarunt ſatisfeciſſe difficultatibus. Cognatio eſt duplex: realis, moraliſque: Cognatio realis realiter auferri non poteſt, poteſt moraliter: & moraliter civiliter auferri ſolet. 1486.1487
An Ius cognationis ſit proprietas, quæ pullulat à cognatione morali? An pullulet à reali? ibid.

§. XVII.

De Alteratione.

ALteratio quantitatis vocatur Rarefactio, & Condenſatio: Qualitatis Intenſio, & Remiſſio. An-ne alteretur aliquando ſubſtantia? An & ipſa ſuos gradus habeat? 154
An in Obedientiâ debita Superiori ſint gradus?
De Ordinariâ, Delegatâ, & Subdelegatâ authoritate. An Politica olim apud Romanos Dignitatum fuerit ſubordinatio? 1514

INDEX VI.

Pſychicus.

GRÆCÆ ſunt voces φύσις, & ψυχὴ (Natura, & Anima) à quibus duæ Scientiæ φυσικὴ Philoſophia Naturalis, & ψυχικὴ Animaſtica proficiſcuntur. Egimus de priori, de poſteriori breviter diſſeramus.

Eſt ſanè Tractatus de Anima Philoſophiæ nobiliſſima Pars; ſcripta à multis, nec tamen ab omnibus dilucidata: multi enim illam offundunt tenebris, quia habet graviſſimas difficultates. Omnes ſcholaſtico calamo, ſuo loco perſequimur, accuratiſſimè: in hoc tamen Opere illas, quæ Moralitates concernunt.

§. I.

De Animâ Vegetativa.

DEbet admitti forma configuratrix. An iſta ſit anima vegetativa? 2626
Eius præcipuæ facultates ſunt Generativa, Nutritiva, Augmentativa. An incrementa hæc ſint inſtantanea? 1709
Lignum ſiccum rigatur, & fructum dat. 1004

§. II.

De Senſitivâ.

AN Detur forma corporeitatis in viventibus? An formæ partiales? An animalium partes ſint homogeneæ? 714
An carnium, & piſcium corpora diſtinguantur ſpecie? ibid.
Animalia, ſunt quædam horologia naturalia: & horologia, ſunt quædam animalia artificialia. 404
An equæ in Hiſpania ex vento concipiant? 410
De Gallo, & Leone. An Leo Gallum fugiat? 405
Leæna imperante, Antiſtite ligatur à Monacho. & in monaſterium adducitur. 1034
Elephas genua flectit. 406
Camæleontis figura. An aëre puro vivat? an muſcas edat? an in omnem colorem tranſeat? an etiam in rubrum, & candidum? 407.408.409
Vnde ortum ſit Adagium, *De corio ſuo ludere.* 407

An mas, & fœmina in brutis, an in hominibus diſtinguantur ſpecie. 1162.& 1833
De generatione,& corruptione animalium multa alibi: hic aliqua, ſed valde notanda. An ſtatim fœtus belluinus, aut humanus) vivat? an in vtero animetur matris anima? an adquirat propriam, cùm naſcitur? Cur, & à quo ſignetur in utero? 1312.& 2627
An forma cadaverina ſit poſitiva? An in omnibus animalibus eiuſdem infimæ ſpeciei, 714
Animal non ſemper eſt mortuum cum videtur. 1881.& 1882

§. III.

De Anima Rationali.

Anima humana vegetativa, ſenſitiva, & rationalis eſt. Eſt ſpiritualis. Eſt immortalis etiam,& indiviſibilis. 155.& 156
Cùm homo moritur, ſeparatur, non deperit. 157
Homo lethaliter vuneratus, ultra dies quadraginta non poteſt vivere. 1090.1102
An in homine ſint tres ſcientiæ: ſimplex intelligentia,viſio,& media? 91. & 92
An intellectus humanus poſſit ſimul elicere multos actus? 1892
An voluntate ſit prior? 711
Senſus internos, ac propterea intellectum, & voluntatem, plurimi liberos habent, qui tamen nec linguam, nec manum extrinſecus movere poſſunt. 1856
Hoc interdum accidit moribundis. An poſſint in tali ſtatu abſolvi? 1847
An poſſint abſolvi, qui cenſentur mortui? 1877.
An omnes ſint mortui,qui putantur. 1881 & 1882.

§. IV.

De Intellectu.

Potentia perceptiva ſpiritualis Intelectus vocatur. Poteſt errare ab intrinſeco, & ab extrinſeco. 309
Huc omnia pertinent, quæ de ſcientia, & igorantia dicuntur: hæc enim ſemper præſumitur, ubi illa non probatur. 818
Scientia eſt duplex: realis, & virtualis. Ignorantia etiam eſt duplex: realis & virtualis. Qui voluntariè rem ignorat, virtualiter rem ſcire cenſetur: ita enim ſe habet, ac ſi illam ſciret. Multa de ignorantia, & ſcientia reperies in Regulis Iuris Canonici *à num.* 811.813. *ad* 1090.

§. V.

De voluntate.

Voluntas eſt appetitus ſpiritualis. Nihil volitum, quin præcognitum: at multa ſunt cognita, quin volita. 711.1110
Voluntas eſt in homine triplex, actualis, virtualis,& habitualis. Exponuntur ſingulæ. An actualis,ſit quæ virtualis vocatur? Quænam requiratur aut ſufficiat in Sacramentorum adminiſtratione? 2228
Nota bene hanc doctrinam, hæc enim voluntatis diviſio, etiam Intentioni & Attentioni adpropriatur.
Tutor eſt voluntas civilis pupilli. Caret civili voluntate furioſus, non pupillus. At poſſet amenti, & furioſo concedi, ut habeat voluntatem moralem. 856

§. VI.

De libero arbitrio.

Libertas liberi arbitrij, aſſerta à Catholicis, negata ab Hæreticis, definitur, dividitur & dilucidatur, 1361
Et ibi omnia reperies, quæ ad eam ſpectare videbuntur. Vide 1420
Eſt quadruplex: à coactione, à neceſſitate, à peccato,& à miſeria. Prima eſt nobis communis cum brutis; imo etiam cum plantis: ſecunda conſtituit liberum arbitium *à n.* 30
Neceſſitas duplex, ſenſus diviſi, & compoſiti. Vtra opponitur neceſſitati? 38.& 58
Chriſtus eſt mortuus pro omnibus. Dat omnibus ſua auxilia ſufficientia & efficacia: proxima remota,&c. 36
Facienti, quod in ſe ſit, Deus non denegabit gratiam. 33
De ſimultate potentiæ, & potentia ſimultatis. 38. & 58
Dei voluntati nemo poteſt reſiſtere:& tamen Dei voluntas non lædit humanam libertatem. 39
Homini eſt liberum habere auxilium Dei, & phyſicam prædeterminationem, cùm voluerit. 41.& 61
Cùm auxilia diuina conceduntur, homo admittere, & ſi noluerit, etiam non admittere poteſt. 42
Inefficacia auxilia poteſt efficacia reddere. 43
Semel admiſſa poteſt reiicere. 44
Reiecta poteſt recuperare. 46
Non peccaret homo, ſi auxilio ſaltem ſufficiente (aut potentia) careret. 47
Auxilij negatio favor interdum eſt. 45
Deus non præcepit impoſſibilia. 47
Gratia ſenſu congruo dici ſolet *Omnipotens.* An ea abuti poſſimus? An nos utamur gratia: an gratia nobis? 50

§. VII.

De Cælo,& Mundo.

Congruè Mundus in Sublunarem, & Superlunarem dividimus: ille eſt Elementorum globus: iſte continet Cœlos, quos Errones, & Sydera motu irrequieto pectunt. Si inquiras an fuerit ab æterno? reſpondebis. 2362
Si quæras, A ſit Helioсentricus? 7
De mundi principio. 1387

§. VIII.

De Elementis.

Elementa vulgo dicuntur eſſe quatuor: Terra, Aqua, Aër, Ignis. Non eſt idem negare ſphæram ignis, ac elementum ignis: multi enim, tametſi negent iſtam, illud concedunt, & includunt in viſceribus terræ. 564
Omnia Elementa ſunt gravia. In Aëre, &

Digitized by Google

& Igne vocatur leuitas, quæ eſt minor gravitas. 554

An terra ſit in Mundi centro? 385

§. IX.

De Cœlo.

PLanetæ ſunt ſeptem: quorum ordinem, & nomina dat hæc dictio, *ſim ſimul:* ſunt enim, *Saturnus, Iuppiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.*

Sol motu ſuo rapto horas diſtinguit. Illas aliqui ab ortu numerant. 384

Alij ab occaſu. ibid.

A meridie, & media nocte Hiſpani, & Galli. 241

Horarum aliæ ſunt naturales, aliæ artificiales, aliæ morales. Naturales eædem, quæ cœleſtes. An iſtæ æquales? 387

Artificiales, ſunt quas horologia metiuntur, & diſtingunt, Horæ morales ſunt Eccleſiaſticæ, aut Politicæ. De illis ago. 389. & 396.

De iſtis. 2525

De horarum moralium, & Mathematicarum diſtinctione diſſero. 352

An horæ publicæ debeant ob negotia privata anticipari, inquiro. 2525

§. X.

De Motu Diurno.

EST hoc ævo celebris illa Queſtio, quæ inquirit, *An Sol quieſcat, & terra moveatur? An motus iſte raptùs; quo dies, & horas diſtinguimus; ſit in terra, aut in cœlo? An horologium naturale, quod primum mobile dicimus; ſit ipſa terra?* De hac materia vberrimè diſputo à *num.* 262. *ad* 286.

Diſſeritur de motu terræ ab Eminentiſſimis DD. Cardinalibus condemnato. 262

Sitne opinio Copernici ſaltem probabilis? ibid.

Cur hodie hæretici motum terræ defendant? 264

An, qui dicunt terram moveri ſint hæretici? 266

An Galilæi liber de motu terræ Superiorum authoritate & approbatione editus ſit? 267

An in quæſtionibus Philoſophicis ſit indulgendum libertati? 269

Communis eaque conditionata Aſtronomorum Catholicorum opinio. 270

An ſit ſola Copernici, non autem Davidis Origani & Longomontani ſententia condemnata? 271. & 275

An ſtãdo puræ rationi, altera alteri ſententia ſit anteferenda? 272

An terræ quies Philoſophicè probari poſſit? 278

Vtrum Syſtema pulchrius ſit Tychonicum, an Copernicanum? ibid.

Sacra Pagina terræ diurnum motum condemnat. 281

An tellus virtualiter quieſcat? 284

An demonſtrari poſſit terræ quies? 285.

§. X[illegible]

De Sole, ſeu [illegible]

AN annuus motus ſit in Sole, [illegible] ra? Cur hæretici illum [illegible] bant, negent Soli?

An ſit difficile Solis annuum [illegible] fendere? 272. & 273

Qui movent terram annuo motu, debent eamdem movere diurno, non contrà. 280

Ergo Cardinales, cùm condemnaverunt motum diurnum, etiam condemnaverunt annuum. ibid.

De Æquinoctio Cœleſti, & Eccleſiaſtico. 389

De tempore apparenti, & vero. 385

§. XII.

De maculis Solaribus.

SVnt à paucis annis detectæ: quid illæ ſint, neſcitur: curioſè quæritur? An ex illis poteſt demonſtrari terræ quies? Aſſerit Scheinerus à me approbatus, & laudatus. 285.

§. XIII.

De Luna.

AN præcipiente Ioſue, non ſolùm Sol, ſed etiam Luna quieverit? 282

An quies Lunæ fuerit tantùm virtualis, aut apparens. 284

An hora diei ex Lunæ motu, & loco innoteſcat? 385

De motu Lunæ menſtruo. Quantùm differant Novilunia, & Plenilunia Cœleſtia ab Eccleſiaſticis? 389

§. XIV.

De Stellis fixis.

INtolerabilis, & improbabilis eſt illa immenſa abyſſus, quam Copernicani, velint nolint, tenentur inter Saturni circulos, & Stellas adfixas concedere. 272. & 278

Inerrantes Stellæ in Copernicana opinione ſunt monſtra: minimæ multis ſunt vicibus maiores Sole; maximæ totum fortè cœlum Planetarium excedunt. 278

An ſtellæ polares, aut fortè aliæ horas diſtinguant accuratè? 385

An numerus Stellarum ſit impar? 1939

Dantur parallaxes, & refractiones; quæ vix notæ, & à multis neglectæ. 384

Quanta Solis maxima refractio. ibid.

An linea meridiana ſit conſtans? An mundi plagæ, & puncta (videlicet, Meridies, Septentrio, Ortus, & Occaſus) mutentur? ibid.

An motus Cœlorum ſint æquales? 385

§. XV.

De Horologio, ſeu Cœlo artificiali.

SI Cœlum eſt quoddam naturale horologium, horologia ſunt artificiales quidam Cœli, quibus horas; dies, & menſes (imò etiam annos) diſtinguere periti poſſint.

Sciaterica

Sciaterica ſunt horologia, quæ umbris horas deſignant. Poſſumus umbrâ Lunæ horam determinare? 385

Sciaterica Solaria ferè omnia concepta ſunt in originali peccato; habent actualia multa: faciliùs novum delinees, quàm vetus corrigas. 384

Horoſcopia ſunt inſtrumenta, quibus cœlum aſpicimus, ut horam diſcamus. Serviunt noctu præcipuè. An poſſit medium noctis exactè inſtrumento cognoſci? 342.393

Septentrionale illud horologium, quo noctu horas metimur, Vrſæ minoris (aut etiam majoris) ſydera conſiderando, fallax eſt. 385

Automata ſunt horologia rotarum. 1656

Nullus Artifex, fecit, facietve, duo automata, tam ſimilia, ut linea lineæ, dens denti, & campanæ ictus ictui correſpondeat exactè. 355.386

Horæ Automatum non ſunt æquales. Hæc inæqualitas etiam ad partes horarum (quadrantes, minuta, &c.) derivatur. 386.387

Horas primus campanæ ictus diſtinguit: poſſet ultimus, ſi Artifici docto placeret. 351.352.376.387.388

A vero horologiâ multum deviant? Quantum? 370.381.396

Horologium in mundo nullum datur, quod intra horæ ſcrupulum cœlo reſpondeat? 380

Tychonicum, accuratè directum, errat fere tribus quadrantibus. 363

[Qui de hoc dubitet, legat Hiſtoriam Cœleſtem, in quâ Tychonis Obſervationes exhibentur: ibi enim paſſim Horologia componuntur cum Cœlo, & magna differentia notatur.]

Ab Horologiis non poſſumus haurire notitiam ſecuriorem probabili. 342.351

Horas illa non diſtinguunt realiter, ſed moraliter: & quid eſt illas diſtinguere moraliter? 306

Quàm lapſæ fidei ſint, etiam illa, quæ bene gubernata vocantur? 358.386

Automa turrium quale? 373

An primo horologio credendum? 341

Fruſtra horologiorum ab aliquibus propugnatur veracitas. 205.1126

Horologiorum peccata. 380

Horologium Brugenſe. 394

Horologia Turcarum. 141

An horarium Automaton conſequatur ſuum finem? ſemper conſequitur, quem intendit Natura: & ſæpe non conſequitur intentum ab Artifice. 2215

Hora vigeſima-quarta incidit in Occaſum Solis: Vnde autem ſcient Itali, quando occumbit Sol, cum tota ſit plena montibus regio, & liberum horizontem non habeat? Putant Sacriſtæ tunc eſſe vigeſimam-quartam, cùm ingruunt tenebræ: & ideò ſub primæ medium hanc horam pulſant. Hoc in Directoriis monemur. Viglevanenſe anno 1673. Sede vacante editum. pag. 3. Auroræ initium, Meridiem, Mediamque noctem cum horis ab occaſu componit, aitque [*Theodoſius Rubeus Privernas monet quod noſtra Italiæ Horologia tardiùs horas ſonant, quàm ſolaria Horologia indicent; quandoque per quadrantem horæ, quandoque per dimidiam horam: ideoque detrahenda erit illa quantitas horæ.*] Non ergo ab Horologiis in Italiâ, quando ſit mediæ noctis momentum, non ſolùm Mathematicum, ſed neque Civile, ſciri poteſt; nam ſicut à Cœlo exſequutio, ſic inter ſe variat & diſſidet Directorum intentio. Caret ergo Eccleſiaſtici Regulâ, ut ſciant, an ante finem diei abſolverint Officium Divinum; an biberint poſt medium noctis, & debeant ſequenti die non celebrare: & Chriſtiani univerſi, ut ſciant die Iovis v.gr. quando incipiat præceptum abſtinendi à carnibus, &c. Ergo, ſi Horologia, quæ Directorum intentioni reſponderent, nec Eccleſiaſticis nec ſæcularibus ſervire poſſent, cur defendantur illa, quæ eorumdem non reſpondent intentioni, non capio: & tamen ſunt, qui, ut ea propugnent, magno verborum ſtrepitu vociferantur.

INDEX VII.

Metaphyſicus.

Post ultimam Phyſices metam conſtituunt Scholaſtici *Metaphyſicam*: Sed cur? Quia eſt *meta Phyſicæ*. Et oſtendunt magnam interdum gratiam & doctrinam includi in Etymis adulterinis. Eius obiectum ipſi tam variè exponunt, ut non poſſint ad concordiam reduci. Nos huic ſupremæ Scientiæ Syſtema Supremum obiicimus. Eſt autem Syſtema Aggregatum omnium Prædicamentorum. Omnium dico, non decem; non enim neceſſarium eſt, ut ſingula Syſtemata habeant decem Prædicamenta. Ergo Syſtema Supremum erit, quod abſtractiſſimum, quod præciſum ab attributis Syſtematicis conſideratur. Sed quâ linguâ hæc dicuntur? petet Lector. Iam video. Loquor bene: nec cum multis loqui ego potero, qui in Philoſophicis cum paucis ſentio. Te, quia curioſus & ingenioſus es, ad meam Philoſophiam remitto.

§. I.

De Ente.

Vniverſim ſumptum eſt, quod non eſt nihil. In Poſſibile & Exiſtens dividitur. 96 97

Quid autem eſt rerum poſſibilitas? ibid.

Proponuntur quatuor formalitates, quæ in Subſtantiæ Prædicamento inveniuntur (videlicet Virtutes Vegetativa, Senſitiva, Locomotiva, & Intellectiva) & edifferuntur earum omnes poſſibiles combinationes. Quænam exiſtant, quænam ſint poſſibiles, & quænam repugnent, exponitur. 1067. & ſeq.

Exiſtens dividitur in Infinitum, & Finitum. Præter Deum nihil eſt infinitum. 96

Repugnat multitudo infinita, Corpus infinitum; & qualitas intenſa infinitè. 97

Creaturæ omnes poſſibiles ſimul ſumptæ, nec ſunt finitæ, nec infinitæ, ſed indefinitæ. 96.97

An ſit verum illud Axioma. *Omne Ens naturaliter eſſe deſiderat?* An omnia creata potiùs naturali ſuo pōdere tendāt in nihilū? 154

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De Nihilo.

NIhil difficilius in mundo, quàm cognoſcere Nihilum, & Infinitum.

Nihil morale eſt quod prudentum opinione ita ſe habet, ac ſi eſſet nihil. Ergo illud quod eſt realiter aliquid, moraliter tamen eſt nihil.

Quæ parum diſtant, nihil diſtare videntur 1142

Vnus teſtis, nullus teſtis. 1103.1105

Spurij politicè ſunt nulli. Eſt hoc pœna, an pœnalitas? Sunt non entia civiliter. 1066

Servi etiam ſunt nulli. 855.856.1161

Infames, in ordine ad promotiones, etiam ſunt nulli. 853

Sicut id, quod eſt aliquid phyſicè ſolet eſſe nihil moraliter; ſic etiam quod eſt nihil phyſicè, poteſt eſſe aliquid moraliter. 716

Hinc illa Axiomata: *Nullum reſponſum, etiam eſt reſponſum. Multum dicit, qui nihil dicit.* 952.1273

Qui tacet, conſentit. 747. &c.

§. III.

De Subſtantia, & Accidente.

SVbſtantia eſt ens per ſe: accidens quod non eſt per ſe. 800

Modus, ſine quo res eſſe poteſt, at ille nec divinitus poteſt eſſe ſine re. 715

Quantitas continua duplex Permanens, & Succeſſiva: illius ſpecies ſunt Linea, Superficies, Corpus. 101

Huius Motus, Tempus, Oratio. 785.779

Præcepti ſubſtantia eſt quod præcipitur per ſe: præcepti accidens quod non præcipitur per ſe. 697.712.714.715

An modus poſſit præcipi re non præcepta? 715

Subſtantia realis poteſt eſſe accidens morale: & accidens reale ſubſtantia moralis. 716

§. IV.

De Quantitate.

EST duplex, Continua & Diſcreta. Et eas duæ diverſæ ſcientiæ contemplantur: videlicet Geometria, & Arithmetica. Illa lineas, angulos, ſuperficies, & ſolida corpora metitur; hæc unitates numerat. *Vide Indicem Mathematicum.*

An Araneæ Geometricas figuras exprimant? 1675

An bruta (& præcipuè Apes, & Equi) Arithmeticam ſciant? 1673

An Paragueyenſes in America? An Caſpij in Aſiâ? An aliter inſtitui poſſint Arithmeticæ revolutiones? 1673

Quid ſit Quantitas molis? An ſit primum Subſtantiæ accidens? An det partes Materiæ? 800

Quantitas eſt duplex: diſcreta, & continua. An heterogeneæ partes ſint integrales? 2702

An accidentia poſſint exiſtere ſine ſubſtantia. 715

An poſt conſecrationem quantitati panis & vini inhæreant qualitates? 2285

Quid ſit ſubſtantia moralis? quid accidens morale? quid modus moralis? An actus internus ſit modus externi? 715

An ſint perpetuæ, & æternæ ſubſtantiæ? 155

An habeant gradus? an proprio pondere tendant in nihilum? 155.156.157

De toto actuali. 925.951

In ſe continet partes. 951

An continuum coaleſcat ex indiviſibilibus? An potiùs in infinitum diviſibile ſit? 96.2643

An habeat partes actu? 98

De linea tangente, ſecante, &c. 101. Vide 2211

Vnus indiviſibilis actus phyſicus poteſt eſſe multiplex moraliter; & multi phyſici poſſunt eſſe unicus moraliter. 2704. 2706. 730.732

Præcepti quantitas ſumitur materiâ. 719

An poſſit Superior leviter obligare in materia gravi, & graviter in levi? 720

§. V.

De Qualitate.

EST quantitatis accidens: & valde varium. 800

Dantur etiam qualitates morales; omnes enim res (Eccleſiaſticæ, aut Civiles) ſuas proprietates, & qualitates habent. Quid dicamus de qualitatibus legum. Vide *n.* 633.634. 727

An ſit poſſibilis qualitas, quæ illæſa libertate infallibiliter eam ad actum? 64

Species præcipuè Qualitatum ſunt iſtæ: Habitus; Diſpoſitio, Potentia, Impotentia: Senſibilis Qualitas: Forma, ſeu Figura. An Habitus à Diſpoſitione diſtinguatur? an realiter, an tantùm modaliter. 2337

Inter Supernaturales Qualitates nobiliſſima eſt Charitas. An realiter diſtinguatur à Gratiâ. 2255

Qui gratiâ caret, moraliter loquendo nullus eſt, nihil eſt. Martyrium ſine Charitate non prodeſt, non iuſtificat. 2255

An Chriſtus habuerit gratiam? Quid illa in nobis præſtet? Quid in Chriſto præſtiterit? 2298

Quos in ipſo effectus debuerit non præſtare per accidens? 2299

De Gratiâ primâ & ſecundâ per accidens. Quænam ſit inter ipſas diſtinctio? Quænam Sacramenta primam per ſe, & quæ conferant primam Gratiam per accidens. 2301

Quænam ſint mortuorum Sacramenta? An B. Virgo Baptiſmum ſuſceperit? 2301

An Cornelius, Ambroſius, Martinus, & ſimiles, per baptiſmum ſuſceperint ſecundam gratiam. 2303

An, qui eſt in peccato mortali, & tamen ſe eſſe in gratiâ exiſtimans ad Euchariſtiam accedit, recipiat gratiam? 2304

§. VI.

De Relatione.

EST habitudo ad aliud. Relationes Philoſophi dividũt in tres claſſes: aliæ enim in unitate, & numero: aliæ in menſura, & pondere; & aliæ in actione, & paſſione fundantur. 800

Digitized by Google

Relatio ſine termino cognoſci non poteſt. 109

Eadem res uno reſpectu erit eſſentialis, & alio accidentalis. 2030

E duabus correlationibus poteſt altera eſſe realis, & altera rationis: altera realiter ab extremis diſtincta, & altera realiter ſuo extremo ſeu fundamento identificata. 147

Relationes ſecundum dici. Admittuntur ab omnibus. At pertinent ad integrum Syſtema, & hoc edifferitur à Philoſophiâ ſecundum dici. An dentur Virtutes & Vitia ſecundum dici? An ſcandala ſecundum dici? 2316

De Fine ſecundum dici. 2318

§. VII.

De Duratione, & Quando.

Exiſtentia eſt accidens ſubſtantiæ, & pertinet ad hoc prædicamentum. 800

Duratio eſt exiſtentiæ perſiſtentia: & *quando* eſt relatio inter durationes diverſas.

Duratio eſt triplex: nam in Tempus, Ævum, & Æternitatem dividitur. Hæc eſt duratio ſolius Dei: Ævum eſt Angelorum: & Tempus rerum materialium. Hæ tres durationes *à num.* 2087. explicantur.

Tempus realiter & civiliter ſumitur. Realiter dicit nudum tempus: & civiliter tempus opportunum, tempus videlicet affectum opportunitate.

Temporum diſtinctionem debet Ethicus conſiderare; aut aliàs in maximos errores incidet. 1100

Tempus ſervit ad valorem contractuum. 904.

An detur potentia ad præteritum? An poſſit Deus facere quod hic mundus nunquam conditus fuerit? 977. & 983

An partes Entis ſucceſſivi poſſint eſſe ſimul? An Miſſa res ſucceſſiva ſit? An poſſis ſimul audire eius partes? 750 & 774

Tempus reale, & morale. Quando incipiat dies moraliter? 767

Differt æquinoctium Eccleſiaſticum ab Aſtronomico. 389. Item novilunia Eccleſiaſtica, & cœleſtia. ibid.

An brevitas temporis excuſet in rebus moralibus? 795

Nihil brevius inſtanti. Eſt duplex: morale, & mathematicum. 739. Terminativum, & initiativum. 352. Eſt indiviſibile. Non habet prius & poſterius. 361.

Quot dies contineant menſes duo? 1131

An differat ab apparenti tempus verum, 385.

§. VIII.

De Actione & Paſſione.

An Actio & Paſſio, & Fieri è ſuis fundamentis diſtinguantur? 133

An actio ſit in agente, Paſſio in paſſo? 147. 148. & 800.

Actio & cooperatio morales, ſunt conſenſus, iuſſio, &c. non verò ſemper permiſſio. 1108.

Actiones naturales & ſupernaturales, ſunt perſonales. Non poteſt unus pro altero videre, audire, &c. comedere, &c. confiteri, actum contritionis elicere, &c. 959

An agere & pati ſint eiuſdem ſpeciei? 2775. An productio ſit aliquid. 134

§. IX.

De Vbicatione.

Eſt locus intrinſecus, quem ſingulæ corpora occupant in hoc mundo. 800

Ad locum pertinet motus localis, qui eſt aut unicus in rebus corporeis, aut notiſſimus.

An Principes immenſi ſint? an & eorumdem leges? 683

Loci exleges. 412. An loci circumſtantia ſit explicanda in confeſſione? 797. & 2694

§. X.

De Situ.

Eſt ordo partium inter ſe. 800

An inter Maieſtates & Poteſtates humanas ſint gradus? 685

De ſubordinatione Principum Regularium. 686

De ſubordinatione ſæcularium. ibid.

§. XI.

De Habere.

Ad hoc Prædicamentum pertinent res, quæ accidentaliter habentur. In illius expoſitione allucinatur Ariſtoteles, Naturalia enim & artificialia confundit. 800. 2289. & 2949.

Huc à Peripateticis reducuntur omnes ſubſtantiæ quæ accidentaliter habentur. An tunc ſint formæ per accidens? 2289

Huc etiam ſpectant omnia accidentia extrinſeca naturalia: ut crines, ungues, cornua, plumæ. An etiam veſtes, & arma? 800.

An Materia, Forma, Subſiſtentia, Exiſtentia, &c, ut habitæ. 800. & 804

An habere ſit modus? ibid.

An Dæmones poſſideant aliquid? 800

Vide quæ 3495. *b. pag.* 230. *b.* §. *Ariſtotelem.* de hoc prædicamento dicuntur.

§. XII.

De Entibus Rationis.

An Entia rationis, ſi darentur, novum Prædicamentum (quod volunt aliqui) an potiùs (ut aſſerimus nos) integrum Syſtema conſtituerent? 800

An cognoſcerentur, aut etiam fierent à Deo. 94. & 95

An ab Homine aut Angelo. ibid.

Non dantur chimæræ: & ideò cognoſci non poſſunt. 90

Entia rationis non dantur: quæ hoc vocantur nomine ſunt entia linguæ. 2.94

An in falſo iudicio conſiſtant? 95

§. XIII.

Digitized by Google

§. XIII.

De Moralitatibus.

ENs morale eſt, quod non eſt quale dicitur prudentum tamen æſtimatione aut ſuppoſitione ita ſe habet, ac ſi quale diceretur eſſet. 2949. §. *Syſtema morale.*

Hinc filius Moralis (adoptivus) ille eſt, qui re vera non eſt qualis dicitur, prudentum verò Legiſlatorum, adoptantium, &c. æſtimatione & voluntate ita ſe habet ac ſi filius realis, & naturalis eſſet. 1155. 1458. & 1564.

Entia ſanè Moralia non habere locum in Prædicamentis, quæ tradidit & dilucidavit Ariſtoteles, oculatiores obſervarunt Philoſophi; & ideò ſub annum 1640. aliqui Doctores Salmanticæ cognoſcentes Ariſtotelei Syſtematis inſufficientiam, duo nova Prædicamenta, ſubiunxerunt: alterum, quod entia Moralia; alterum, quod entia rationis complecteretur. Sed oculatiſſimè fuerunt adlucinati: nam entia Moralia, quæ dantur; & entia rationis, ſi dantur; integra requirunt Syſtemata. Erit igitur *Syſtema Morale aggregatum decem Prædicamentorum Moralium ſub Ente Morali conſtitutorum.* Et pariformiter de Entium rationis ſyſtemate philoſophabimur. *Vide tom. 3. pag. 22. b. num.* 2949. §. *Syſtema Morale. Vide etiam* 800. 280. *&c.*

Mathematica Moralis tradita à S. Gregorio. 800. *pag.* 285

Dilucidatur, & oſtenditur percurrere per Virtualia decem Prædicamenta.

§. XIV.

De Modis.

AN dentur? Quid ſint? An Vnio, ſubſiſtentia, Vbi, & Situs ſint modi. 715

An omnes modi ſint accidentales: an non etiam multi ſubſtantiales: non ſolùm in Phyſica, ſed etiam in Ethica? 715

An legere] unum Officium divinum pro alio ſit violare præceptum quoad modum? 712. 718. & 2471

An etiam ſumere prandium veſpere & & collationem mane, die ieiunij? 712

An ordo horarum ſit modus? 715

An veſtium regularium materia ſit modus? An etiam color? 716

§. XV.

De Syſtematibus, & numero Prædicamentorum.

VT res omnes corporeas, quas habebat ob oculos (non enim videtur Spirituales agnoviſſe) Architas Tarentinus in decem rerum Claſſes inſtituit, ad quas reducerentur univerſæ. Sequutus fuit Architam Ariſtoteles, & hunc Peripatetici, qui has Claſſes ſeu Ordines rerum, Græcè *κατηγορήματα*, & Latinè vocant *Prædicamenta, &c.* 800. 1328. & 1359.

Quot autem ipſa? In Syſtemate Corporeo ſunt decem. Sunt in aliis pauciora, quia in ſupernaturali multi negant Prædicamentum ſubſtantiæ eſſe probabile: & in Divino (in quo omnia identificantur ubi non obviat relationis oppoſitio) voluntas & omnipotentia, immenſitas & Vbiquitas (ut alia præterea) coincidunt. Eſt autē Syſtema, omniū ſimilium Prædicamentorum aggregatum. Et quia dantur *attributa Syſtematica*; videlicet, *Corporeitas, Spiritualitas, Supernaturalitas,* &c. *Moralitas,* &c. *Divinitas,* &c. & *Præciſio,* hinc prodibunt *Syſtemata, Corporeum, Spirituale, Supernaturale, Morale, Divinum,* & *Præciſum,* & hoc ultimum eſt Metaphyſicæ conſiderationis.

Civile ad Morale reducitur, & tria continet Prædicamenta; nam *Perſonas, Res,* & *actiones* complectitur. 1328. 1329. & 1338. *& ſeqq.* Interim, quia in his Iuris-conſulti *Quantitatem, Qualitates, Habitudines, Tempus, Locum, Ordinem, &c.* in examen adducunt, dicendi ſunt decem etiam admittere Prædicamenta.

De Locis communibus libellum curioſum, & ingenioſum edidit Ariſtoteles: de Theologicis Canus, alij de Iuridicis, Hiſtoricis, &c. Illos ego ad Prædicamenta reduco; & hæc ipſa ſufficere, ut Deſcriptiones & Diſſertationes formentur, oſtendi in Logicâ, & ad illa in præſenti Opere totum Tertium Librum elimo.

§. XVI.

De ente Supernaturali.

AN admittendum ſit Syſtema ſupernaturale? An in ipſo ſint decem Prædicamenta Corporeis ſimilia & analoga? Non dantur ſubſtantiæ ſupernaturales. An poſſibiles ſint? De quantitate Virtutis. Poteſt eſſe ſupernaturalis. Multæ ſunt Supernaturales Qualitates. Fides, Spes, & Charitas, licèt vocentur *Habitus,* quodammodo ſunt veræ potentiæ. Quid ſit Contritio? De Actionibus, Paſſionibus, & aliis Prædicamentis ſupernaturalibus, *tom. 3. pag.* 21. *&* 22. hoc eſt, 2949. & 2942.

Quæſtio eſt moleſta & graviſſima, quæ interrogat, *Quid ſit ſupernaturalitas, & quo res ſupernaturales modo à Naturalibus diſtinguantur?* Sanè. 3013

Propono ſententiam, quæ ab aliquibus attribuitur Scoto; quæ, ſi eſſet vera, nam eſt facillima, Theologos eriperet à graviſſimis difficultatibus. Illam *loco cit.* Philomuſus ad ſequentia Fundamenta reſtringit. *Aſſerit enim* (1) *Qualitates uſque ad octavum gradum naturaliter intendi poſſe.* (2) *Vltra octavum intendi à Deo poſſe ſupra vires Naturæ operante.* (3) *Ergo Qualitas ut* 8. *ut* 7. *ut* 6. *&c. eſt naturalis: & intenſa ut* 9. *ut* 10. *ut* 11. *&c. ſupernaturalis. Ergo ſupernaturalitas eſt intenſio maior octavo gradu: & talis dicitur, quia omnium cauſarum ſecundarum vires ſuperat, & à ſolo Deo introduci poteſt.* (4) *Cum regulariter ab extremo ad extremum non detur immediatus tranſitus, corpus calidum ut* 4. *v. gr. ut habeat calorem ut* 10. *tempus & motum ſucceſſivum requirit. Ergo tempus requiritur, ut Qualitas naturalis in ſupernaturalem tranſeat.*

Digitized by Google

(5) *Hinc patet, quo Fides, Spes, Charitas, & aliæ Virtutes Supernaturales modo à Naturalibus diſtinguantur.* (6) *Et hinc patet, lumen additum intellectui eſſe habitum, &, ſi infrà octavum gradum intenſum ſit, eſſe Naturale; &, ſi ſuprà, Supernaturale. Et idem de peccatorum dolore, & aliis Qualitatibus dicendum eſt.* (7) *Ergo non datur, nec dari poteſt Subſtantia Supernaturalis: nam intenſionis eſt incapax.* (8) *Ergò & poſſumus, aſſerendo aut negando, diſcurrere per cætera Prædicamenta.* Et hæc eſt Scoti ſententia, qualem Philomuſus intelligit. 3013

An & illam didicerit à D. Thomâ? 3014

Nos autem, quia ſpiritualia eſſe quædam entia ſupermaterialia videmus, ſupra entitates ſpirituales dari alium rerum Ordinem aſſerimus, & *ſuperſpiritualem* dicimus, & eſſe illum, quem vocant *ſupernaturalem* Theologi, aſſeveramus. Ergo, ſicut Materialia & ſpiritualia, ſic etiam ſpiritualia & ſupernaturalia erunt analoga. 3017

INDEX VIII.

Angelicus.

NON bene rem intelligunt, qui interrogant, *An Deus & Angelus in Prædicamento ponantur?* Nam, ſi agamus de corporeo ſyſtemate, & Materialibus Prædicamentis, in nullo Deus, in nullo poteſt Angelus collocari. Ergo ſicut unum ſyſtema Materiale, & in ipſo decem Prædicamenta Materialia poſuimus, & unum Morale ſyſtema, &c. Sic oportet Divinum ſyſtema conſtituere, & identicè (nullus enim alius eſt Divinæ perfectioni conveniens) in eo Divina Prædicamenta ediſſerere, per quæ Divina Eſſentia, & Divina Attributa profundantur Ergo ſimiliter Angelicum Syſtema adſignare debebimus, & in illo ſub uno Ente Angelico, Quantitatem, Qualitates, Relationes, Durationes, Actiones, Paſſiones, Vbicationes, &c. Angelicas dilucidare. 1949. *pag.* 22

Ergo quærenti, *An Deus in Prædicamento collocetur?* reſpondendum, collocari in Divino ſyſtemate. Et poſtulanti, *An ponantur Angeli in Prædicamento?* dicendum dari ſyſtema Angelicum, & in ipſo decem Prædicamenta, ad quæ revocantur omnes realitates, quæ inveniuntur in Angelis.

EXISTENTIA. An revera ſint Angeli? An etiam Dæmones? 2050. 2057

SVBSTANTIA. An Angeli ſint ſpirituales? An ſexuum ſit in ipſis diſtinctio. 2136

An Lucifer voluerit eſſe Deus? An adorari ut Deus? 2159. 2166

An Filij Dei, quorum in Geneſeos libro Moyſes meminit, fuerint Angeli? ibid.

Intellectus. An errare potuerint Angeli circa exiſtentiam & unitatem Dei? An eſſe ἄθεοι, aut πολύθεοι? 2130

An univerſa cognoſcant? 2140

An habeant ſpecies ingenitas. 2146

An, & cur detur ſecretum inter Angelos? 2140

Voluntas. Cur non poſſint Angeli reſolutionem, ſiquam ſuſceperunt, mutare? 2124

An appetere rem potuerint, quam ſciebant impoſſibilem eſſe? 2166

De peccato Luciferi. ibid.

QVANTITAS. Eſt triplex, Molis, Virtutis, & Multitudinis. Duæ priores poſſunt dici continuæ: & ſublunaria & Cæleſtia habent primam, quæ convenit ſolis corporibus, habent ſecundam Spiritus; nam ſicut illa partibus, ſic hi formalitatibus conſtituuntur.

Numerus. Eſt magna multitudo Angelorum. An cogitationes, quas tota æternitate elicient, ſint futuræ infinitæ? 98

Illorum Hierarchiæ ſunt tres, & Chori novem.

QVALITAS. Quales Angeli fuiſſent in ſtatu puræ naturæ? 2102

Quales fuerint in ſtatu gratiæ? 2120

Quando in illâ ſint confirmati. 2124

De Angelis glorificatis. 2202. *b.*

RELATIO. Comparantur cum Hominibus. An, & quomodo, aut Angelos reſpectu Hominum, aut Homines reſpectu Angelorum obligarit Decalogus? 2157

DVRATIO. In Angelis eſt ævum. Quando Angeli fuerint conditi? An multis ſæculis ante Mundi creationem? 2073

An in primo ſuæ durationis inſtanti converti debuerint ad Deum? 2132

An ſint immortales, & victuri in æternum? 155

VBI. Ante Mundi creationem non erat locus; non erat ſpacium reale: non erat ubi. An Angeli, ſi fuiſſent, ut aſſerunt Græci, ante Mundum creati, omnes ſimul exſtitiſſent in eodem loco? ibid.

SITVS. An detur inter Angelos ordo? An Inferiores Superioribus obedire debuerint? 2134

An Angeli præficiantur hominibus? An potuerint ſubiici? 2189

ACTIO. Angeli operationes ſuas in viâ ad Dei legem elimare debebant. 2129

An vota, & Iuramenta elicere ac violare potuerint? 2131. 2180. 2185

An eos concernat ſecunda Decalogi Tabula? 2133

An occidere, libidinari, furari & mentiri potuerint? 2137 2138. 2152

An ſcandalizare? 2146. 2102

An poſſint adminiſtrare Sacramenta? An, quæ adminiſtrarent, ab iis, quæ ab hominibus adminiſtrantur, diſtinguerentur ſpecie? 2202. *g.*

PASSIO. An Gentiles cognoverint eſſe aliquos Angelos condemnatos à Deo, qui æterna tormenta patiantur? 2057

An Angeli poſſint occidi? An à naturâ, an verò à gratiâ habeant, quòd mori non poſſint. 2135. 2192

An potuerint luxuriâ maculari? 2136. 2192

An furari, & mentiri? 2137. 2138. 2152. 2201

HABERE. An Angeli habere poſſint rerum aliquarum dominium? An ſuis ipſi rebus per iniuriam & furtum, ab hominibus, aut etiam ab aliis Angelis ſpoliari? 2152. &c.

INDEX

Digitized by Google

INDEX IX.

Theologicus.

DEo auſpice ad finem ultimum (hoc eſt, *Deum*) devenimus. Eius nomen eſt communius, quàm notius. 2

Quod, ſi bene exponatur, multas nobis Numinis perfectiones exponet. *Deus*, ut nonnullis placet deducitur à verbo δαίω, *noſco*, quod Etymon placebit D. Thomæ, qui eius eſſentiam ait in intellectione conſiſtere. Alij malunt ἀπὸ τοῦ δέους, hoc eſt *à timore* deducere: unde Papinius, *Primus in Orbe Deos fecit timor*. Cuius Sententia, niſi temperetur, & reducatur ad illam. *Initium ſapientiæ timor Domini*, impia eſt. Alij ad Hebræos fontes recurrunt, & à די *Dai*, quod eſt *potens*, & *ſufficiens*, ſeu *nullâ re carens*, deducunt. Hinc omnia Græca δῖος, & δίος, Iovi attributa: hinc Latina *Deus*, *Divus*, *Divinus*: hinc, *Dis*, *Dives*: aut etiam *Dies*. Hinc, ut aliquibus videtur, Δαίμων. Hinc tandem venerabile illud nomen שדי *Sadai*: præmiſsâ ש, quæ eſt litera referens pronomen relatiuum. *Ex ſenſu & Significatione vocis* די natum fuit apud Græcos Divinum nomen Πᾶν, quaſi Πᾶν *Omnitas*. hoc eſt, *Omnium perfectionum poſſibilium & intelligibilium idenditas*. 2377

Nec abſunt à vero, qui intra Latinæ Linguæ terminos originem vocis requirunt; cur enim non dicetur *à dando*, à quo eſſe & perſiſtere univerſa recipiunt? Et hanc in Dedicatoriâ Libri I. ſum derivationem ſequutus. Quæris, An Deus habeat diverſa nomina? Attalus Martyr, à Tyranno per contemptum rogatus, quod nomen Deus haberet? reſpondit: *Qui plures ſunt, nominibus diſtinguuntur; qui unicus, non indiget nomine.* 4

De Divino ſyſtemate. An, & quomodo Deus in Prædicamento ponatur? An detur unum Divinum Syſtema, in quo ſub uno Ente Divino proſtent Corporeis analoga Prædicamenta? *num.* 2949. (*tom.* 3. *pag.* 21. & 22.)

§. I.

Ens Divinum.

ENtis in Divinum & non divinum, in infinitum, & finitum, neceſſarium & contingens eadem eſt diviſio. 862

Præter Deum omnia ſunt caduca, contingentia, mortalia, & finita. Omnia orta ex nihilo, ſuo naturali ingenio & pondere tendunt in nihilum. 155.156.157

§. II.

Veritas. Cognoſcibilitas.

DEus abſconditus dicitur & cur? 813

Quomodo infinitum ab hominibus cognoſcatur? quomodo Deus? 91.92.1814

An Deus ſit inviſibilis? An etiam Angelus & Anima rationalis? 701

Dei potentia cognoſcitur ab effectibus; eiuſque ſpecialis præſentia à favoribus, quos cauſat in anima. 811

§. III.

Bonitas. Amabilitas.

OMnibus dat ſuas gratias: & præcipuè derelictis ab homine. Pulchra Philonis verba. 4

Diſtribuit providè viros doctos per regiones & ſæcula. 333

Neminem tentari ſuprà vires permittit. 516

Non eſt acceptor perſonarum. 1079

Nulli facit iniuriam. 1282

Quomodo ſit amandus Deus: & quomodo proximus? 2378

Deus ſe nobis attemperat. 115

Dei iuſtitia eſt miſericors. 1112

Multi Dei bonitate abutuntur. 629

§. IV.

Vnitas. Vnicitas.

DEus unus eſt: plures repugnant: hæc repugnantia naſcitur ex infinitate: repugnat enim eſſe plura infinita.

Nomina *Optimus*, *Maximus*, ſumuntur aut abſolutè aut relativè: hoc poſteriori modo ſumpta non conveniunt Deo; quia non eſt reſpectu aliorum Deorum ſummè bonus aut magnus: debent igitur ſumi abſolutè. Vide Epiſtolam Procemialem, primum in margine. 4

De Vnitate & exiſtentiâ Dei. 1387

§. V.

SVBSTANTIA. Omnitas, Aſeitas, Infinitas.

DEus eſt Natura agens. 333

Natura naturans. 570

Quid ſit Deus; & quos oculos habeat? 12

Eſt ens abſolutè neceſſarium. 862

Primus Dei conceptus eſt Omnitas: eſt enim Deus omnium perfectionum poſſibilium & intelligibilium, inter ſe identificatarum, theſaurus. 2377

Ex Omnitate naſcitur Infinitas & Aſeitas: quia, ſi omnia ſunt infinita, Infinitas erit ille, qui formaliter aut eminenter omnia poſſidet: &, ſi extra omnia nihil eſt, qui omnia continet, non potuit ab aliis produci. ibid.

§. VI.

Scientia Dei.

DE eius obiecto. 90

Quotuplex ſit? ibid.

An in Deo ſint tres ſcientiæ? 91.92

An cognoſcat Entia rationis? An illa faciat? 94

Quid de hac materia fide tenendum ſit? 95

Quomodo Scientia ſimplicis intelligentiæ verſetur circa res poſſibiles? 96

An cognoſcat infinitas creaturas poſſibiles? An in continuo infinitas partes diviſibiles? 96.97

An ſecantem aut tangentem ultimam? ibid.
Quomodo ſcientia viſionis verſetur circa res præſentes? 98
Certa, probabilia, & dubia, certiſſima ſcientia attingit Deus. An dentur creaturæ incertæ? 99.100
Quomodo Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta? An Scientia Viſionis ab Omnipotentia dependeat? Quot modis Deus cognoſcat futura contingentia? An reſpectu Dei non ſint futura. 66.101.105.1[illegible]
An habeat Deus ſcientiam mediam? 116
Quomodo cognoſcat futura conditionata? quotuplicia ſint iſta futura? 107
An Deus cognoſcat ſuos actus ut futuros? 112
An detur in Deo ſcientia coniecturalis? 117
An aliquid incipiat Deus de novo cognoſcere? exponitur locus difficilis Geneſeos. 283.1810
Deus non poteſt fallere nec falli: adeoque nec mentiri. 159 547

§. VII.

Voluntas Dei.

DEus habet voluntatem liberam. An habeat decreta abſoluta formaliter, quæ ſint conditionata obiectivè? 113
Deus non ſolùm vult actum humanum, ſed modum etiam actus; & ideò vult cauſas liberas operari modo libero, & neceſſarias neceſſario. 84
An liberas cauſas prædeterminet? 61
Nemo poteſt divinæ voluntati reſiſtere. 59

§. VIII.

Quantitas. Immenſitas.

DEus eſt accidentium incapax. 146.147.148
Eius Magnitudo eſt ſubſtantia, & quia infinita, eſt Immenſitas. Hoc attributum nulli poteſt Deus creaturæ communicare. Non poteſt producere corpus immenſum. 97
§. *De Infinito*, & etiam. 112
Ex Infinitate bene demonſtratur Dei Vnitas; repugnant enim duo Infinita. 1388

§. IX.

Qualitas. Attributa Dei.

Summus Pontifex: eſt in ſpiritualibus totius Eccleſiæ Caput. Ethnici etiam Romani habuerunt ſuos Summos Pontifices. An aliqui Imperatores Chriſtiani Idolorum fuerint Summi Pontifices? 2005

De Eccleſiæ Romanæ ſecuritate & infallibilitate. *à n.*160.item *à n.*245

De Congregatione Cardinalium. 255

De Academiis. 317

De Doctoribus. 329.332

Rex. Quam antiqua ſit Dignitas Regia. An Cainus fuerit Rex? An, & quam Civitatem condiderit? 1450

An qui olim in ſacrâ ſcripturâ, & Hiſtoriis profanis, & hodie in Aſiâ *Reges* nominantur, ſint Reguli. Tales fuerint illi triginta & unus, quos Ioſue debellavit: & tales ſeptuaginta ſubacti ab Adonibezecho. De Abbate, quem Regem Indi appellant. De Ramo Ran Rege De Rege Olalæ, De Latinorum Turnò. De Rege Evandro. 1450

An Rex, aut quicumque Superior vices Dei gerat? an ſit quidam Moralis pater? cur inſtitutus? *n.*1840.*ad fin.n.*2005

Vtrùm poſſit iubere quidquid velit? 1499 An res leves ſub culpâ gravi? An præceptum Adamo impoſitum, fuerit de re levi, & tamen ad mortale obligaverit? 1501. 1504.1507.1510

An Rex rem levem poſſit præcipere ſub culpâ gravi? 2508

An actus purè internos poſſint iubere Principes? 1564

In quibuſnam rebus Superiori (Reali Morali) inferior obedire teneatur? 2561.*b*

An Superior, qui non punit ſubditum, peccet ut alij, qui fraternam correptionem omittunt? an committat ſpeciale peccatum? 1767.1768.1842.1843

An poſſit? an & aliquando præcipere debeat minùs bona? 1844

An in Obedientiâ Superiori debitâ ſint gradus? De Ordinariâ, Delegatâ, & Subdelegatâ authoritate. Politica Dignitatum apud Romanos ſubordinatio. 1514

Principes poſſunt & ſolent ferre leges Morales, & Pœnales. Illæ ſemper obligant in conſcientiâ: hæ autem interdum. Sed quando? An, cùm imponunt pœnam gravem? an quando capitalem? 1505.1506.1507

Vide noſtram Theologiam Regularem. *diſp.*1.*art.*1.*&* 3. *à n.*30

De Parricidio. Eſt exſecrabilis ingratitudo proprium patrem occidere. An hoc crimen ad plures gradus extendatur? 1849.2554 *b*.2555

De Inceſtu. Reverentia ſanguinis poſtulat, ne cognati inter ſe libidinentur. Cognatio triplex: Naturalis, Spiritualis Legalis. Prima olim ad plures gradus extendebatur. 1852.2556. ad 2560

Quomodo debeat confiteri, qui commiſit inceſtum? 1855.2555.*& ſeq.*

De Furto & Mendacio. Etiam in Parentes furando & mentiendo peccatur. 2560

De cultu Morali, & Politico. Qui nobis præcepit ut honoraremus Parentes, etiam compræcepit, ut ſingulos honore congruo præveniremus. Et hinc oritur Quæſtio quæ poſtulat, An Vrbanitas obliget ſub peccato? De hoc argumento agit Antonius Coroninus *in Summ.verb.Affabilit.* qui poterit utiliter legi. Nos illam *à num.*2562. *& pag.*752. ediſſerimus, & Vrbanitatis leges ad Iuſtitiam pertinere probamus.

PRÆCEPTVM V.

HOmo, nec in ſe, nec in alios habet mortis, & vitæ libertatem. *pag.*486.*e*

An poſſit occidere filios? ibid.*f*

Hanc Veritatem, etſi Lucretia, & alij ignoraverint, cognovit Ovidius, qui ſcripſit Livio.

Vita data eſt utenda, data eſt ſine fœnore nobis.
Mutua, nec certâ perſolvenda die.

Vitæ propriæ defenſio eſt Iuris Naturalis. 1569

De Homicidio. Quid illud ſit? An ſit nomen criminis? an poſſit à beſtiâ committi? An homicidæ olim gauderent privilegiis Aſyli. 1400

Cain Abelem occidendo primum homicidium commiſit. 1429.1430

Quomodo à Deo fuerit punitus? 1436. 1411.1441.1443

Iudæorum contra homicidas lex. 1442

Cain foriudicatur. Timet ab Vniverſis. An multi tunc homines in Mundo fuerint? 1445.1446

Cur homicidium peccatum ſit? An reſolutio à Florentino adducta ſit vera? 1773

Non peccat, qui invaſorem occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ. *num.* 1775

An etiam honos gladio poſſit defendi? 1775

Quæ tua ſunt in bene gubernatâ Republica, per Iudices, & non per vim debes recuperare. 1775

An homicidium ex naturâ ſuâ malum ſit: An verò ſit tale, ut ſub aliquibus circumſtantiis honeſtum, & laudabile ſit? 2564. not. 1.

Quàm grave peccatum illud ſit. ibid. not. 2.

An-ne omnia homicidia ſint illicita? Minimè: Eſt enim Reipublicæ licitum reos ultimâ condemnare ſententiâ: Et privatâ authoritate poſſumus cum moderamine inculpatæ tutelæ aggreſſorem occidere, defendendo nimirùm Vitam, Divitias, Honorem, etiam Amicorum, & Innocentum quorumcumque. Ita 2563. 2583

Sed, quia nimis generalis eſt hæc doctrina, in particulari aliquæ Quæſtiones diſſolvantur.

De Clerici percuſſore. An ſemper Excommunicationem incurrat? an poſſit declarari excommunicatus? Quod eſt quærere, An omnia peccata ſuadente Diabolo committantur? Et, ſi non omnia. An qui non ſuadente Diabolo Sacerdotem occidat, incidat in Excommunicationem? An ante ſententiam hæc debeat circumſtantia probari? 2602. b

De Caſtratione. Licere, quando ex prudentis Medici conſilio ad vitæ conſervationem requiritur, indubium eſt, At Dubium extra neceſſitatis caſum ponitur, & inquirit, An conſentientem filium pater caſtrare poſſit, ut voce & cantu Eccleſiæ ſerviat? ut, qui aliàs non niſi miſerè viveret, habeat divitias & poſſit ſuos cognatos iuvare? 2603

De libro de hoc argumento in lucem edito. 2618

An Origenes ſe licitè caſtrare potuerit, aut etiamnum aliquis poſſit, ut careat tentationibus carnis, ſi ſe imparem reſiſtendo cognoſcat? 2610

An Eunuchi graviores patiantur tentationes, quàm integri? 2612

De Gravidâ. An ad carnis tentationes ſedandas teneatur jejunare, etiam cum manifeſto fœtûs periculo? 2619

De Abortu. 2622

Abortus eſt duplex: vel enim immaturæ fœtûs animati vel inanimati eſt expulſio. ibid.

Hæc Definitio poſtulat, ut tempus, quo embrioni infunditur rationalis Anima determinemus. Oppoſitæ Fieni & Marcij proponuntur Sententiæ. Ex priori ſequitur in omni Abortu homicidium includi: ex poſteriori verò oppoſitum. 2624

An in fœtu detur Animarum ſucceſſio? 2624

Et An graviùs peccet, qui ſenſitivâ, & minùs graviter, qui præditum vegetativâ expelleret? 2627. pag. 817. a

De Suicidio. Illud αὐτοχειρίαν Græci appellant. 2628

An ſit caſus poſſibilis in quo aliquis ſe poſſit occidere licitè? ibid.

An homo in ſeipſum habeat mortis & vitæ poteſtatem? An in capitali cauſâ accuſate ſe poſſit? an aliquando teneatur? Damnatus, ut veneno hauſto pereat, illud poteſt licitè bibere. n. 2631. & pag. 827. b

An poſſit quis ſcalas adſcendere? laqueum collo applicare? An ex Reipublicæ mandato ſe occidere? 2629

Poteſt damnatus capite, & gradus adſcendere, genuflectere, ſedere, & alia quæcumque facere, quæ ſecundum ſe indifferentia ſunt, ſed non tenetur; quia ſicut violentiâ externâ occiditur, ſic & reniti licitè poterit, & facere ut non niſi per violentiam media illa, etſi indifferentia, ponantur. Occurrunt hîc duo exempla. Teſte D. Prudentio Sandovalio *in Vita Caroli V. lib.* 9. §. 21. *pag.* 414. & 415

Ioannes de Padilla & Ioannes Bravus fuerunt decapitati. Ille corpus diſpoſuit, ut ultima præſcribebat neceſſitas; hic autem noluit. De illo Hiſtoriographus. *Tendo a ponerſe para sêr degollado, &c.* de hoc autem. *Mandandole, que ſe tendieſſe para sêr degollado, reſpondio, qué le tomaſſen ellos por fuerça: y lo hizieſſen, que el no havia de tomar la muerte por ſu voluntad. Luego aſſieron de el, y le tendieron ſobre un repoſtero, y allí le degollaron,* Et Ego, nec in Padillâ obedientiam, nec in Bravo renitentiam incriminor; ille enim fecit quod potuit; & hic facere noluit, quod non debuit. Vide etiam quæ in ſimili Tragœdiâ fecit Carolus Mariſchalcus de Viron; &, ſi te eloquentia delectat, lege Doctorem Ioannem Perez de Montalvan *in Comediâ cognomine*, quæ eius mirabilem æquè ac miſerabilem hiſtoriam exhibet: *act.* 3. *pag.* 39. *a. b*

Et, quia hæc doctrina eſt neceſſaria, & rara ſuccurrunt exempla, debuit etiam hîc, in Indice, dilucidari.

An caſta puella poſſit Pudicitiæ invaſorem occidere? n. 1584. *pag.* 806. §. *Dicu.* & n. 2632

An eadem ſi aliter non poſſit evadere, ſe licitè è feneſtrâ præcipitet, & occidat? 2632

Proponuntur aliqui notabiles Caſus. *à n.* 2633

Eſt tam contra humanam inclinationem αὐτοχειρία, ut niſi rationes manifeſtæ ſuccurrant, potiùs credam ſibi hominem ex delirio mortem, quàm ex malitiâ conſciviſſe.

De Bello: A Summo Principe (qui in Mundo non habet in temporalibus Superiorem) poteſt tantùm indici. Multa illud poſtulat, ut juſtum ſit. Qui iniuſtum movet, omnium cædium, & rapinarum, quæ committuntur reus eſt, & ad reſtitutionem tenetur. In bello iuſto Princeps, Legionarius, Centurio, ſuos poteſt milites exponere, immò etiam expendere, non autem vel unum prodigere. Miles privatus Superiorum iniuſſu nulli hoſti poteſt ſalutem concedere. 2563

De Duello. Nullus eſt Caſus, in quo ad duellum provocare liceat. n. 412. *pag.* 142

Interdum, quæ Grammaticè Provocatio cenſeretur, civiliter eſt Acceptatio, Propter ſolum honorem duellum acceptare non licet, ob vitæ & bonorum, ſi alia via non ſuppetat,

Digitized by Google

ſuppetat, licet. *n.* 2571. §. *Quæritis tertiò.* Vide etiam quæ à *n.* 411. *pag.* 140. proponuntur, ibi enim ſequentes Concluſiones invenies.

Duellum eſt duorum inimicorum bellum (& hinc nomen deductum) inſtitutum privatâ authoritate. *n.* 412. *pag.* 141. *a*

Vtinam nunquam authoritate publicâ eius iniquitas decoloretur. [Sæpe perſonæ Regiæ intereſſe voluerunt. Apud Sandovalium *in Caroli V. hiſtoriâ libr.* 11. §. 9. *pag.* 494. *b.*

Duûm Nobilium pugnæ Imperator & alij Primores adſiſtunt.] Eſt triplex: Decretorium, Propugnatorium, Satisfactorium ſingula dilucidantur. ibid.

Non eſt poſſibilis Caſus, in quo (ſive de provocatione, ſive de acceptatione agatur) duellum Decretorium ſit licitum. 412. *b.* *pag.* 141. *b*

Stando nudo Iuri Naturæ, & ab omni humanâ lege præſcindendo, homo qui habitaret in inſulâ nulli Principi ſubdita, & nullis Politicis legibus obnoxiâ, fortè poſſet duello ſatisfactorio ſibi proſpicere, ſi divitias aut honorem perdidiſſet iniuſtè; at hodie non poteſt quia ratio, ob quam illud tentare in illâ poſſet inſulâ, ceſſat in bene gubernatis provinciis, in quibus iniuſtè læſo Cæſareâ, Regiâ, &c. authoritate ſuccurritur. ibid.

Nullus acceptare duellum poteſt, quando ſine duello vitam, opes, & honorem tueri poteſt. 412. *d.* *pag.* 142. *a*

Qui in eorum, qui arma non gerunt, eſt ſtatu (nempe Sacerdos, Religioſus, Senator, Conſiliarius, Advocatus, &c.) non tenetur ad campum exire provocatus. Immò, ſi egrederetur, non conſequeretur, ſed perderet æſtimationem. *pag.* 142. *b*

Gladius aliis eſt impedimento, aliis ornatui, aliis uſui. Qui ad primam & ſecundam claſſem pertinent, non tenentur, etiamſi advocentur, exire. ibid.

Inter ipſoſmet milites non cenſetur debere ad duellum egredi, qui à Superiore, aut inferiore provocatur, 412. *f.* *pag.* 143. *a*

Regiæ perſonæ, quales ubique ſunt Regum filij, & in Gallia illi omnes, qui nominantur *Pares*, cæteris Nobilibus quodammodo præſidere cenſentur, nec debere duelli aleam acceptare. 413

Guiſij & Luxij hiſtoria recenſetur.

Senex provocatus à juvene, & juvenis provocatus à ſene, non tenetur duellum acceptare. 414

Qui vitam conceſſit alicui, ſi ab eo provocetur, non tenetur ad campum exire. 414. *pag.* 144. *a*

Nemo tenetur ſe illi ſiſtere, à quo nomine alieno provocatur, ibid. *pag.* 145. *a*

Qui non acceptat duellum, non perdit honorem apud Viros probos & doctos, ſed ſolùm apud viles, improbos & imperitos. Eſſe in pretio, aut non eſſe, apud iſtos perinde eſt. Cæterùm, ſi horum ſit dignitates conſervare, aut conferre, poſſet quis acceptare duellum, ſi aliter debeat, aut privari officio, aut ad munia, ſibi aliàs debita, non moveri. ibid.

Si Reſpublica (Eccleſiaſtica, Politicave) etiam ſub iſtis omnibus limitationibus duelli acceptationem inhiberet, qui his legibus gubernarentur, cederent iure ſuo, ſiquod habebant, aliter procedendi, & duellum acceptare non poſſent. ibid.

De defenſione honoris. An poſſit gladio Petrus ſuum honorem defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. 2566

Propter Franciſci Amici librum debuit hæc doctrina uberiùs tradi. 2572

Et eam firmant, quæ *n.* 411. *pag.* 140. 141. dicebantur.

Poteſt homo innocens defendere ſuam vitam, etiam occidendo invaſorem, modò ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ. 2577. *pag.* 805. *a*

Eſt doctrina communis & univerſalis, etiam Ethnicis & Philoſophis antiquis nota. 2583. *pag.* 807. *b*

Poteſt homo ſæcularis innocens defendere ſuas pecunias & divitias, etiam occidendo invaſorem, modò ſervetur debitum moderamen. ibid.

Etiam eſt doctrina communis.

Poteſt ſtando mero Iuri Naturæ, ab omnibus Humanis (Eccleſiaſticis & Civilibus) legibus præſcindendo, quicumque homo ſæcularis innocens defendere ſuum honorem, etiam occidendo invaſorem, modò limites prudentiæ & neceſſitatis non excedat. ibid.

Non ſemper perditur honos, cùm putatur, præcipuè, ſi calumniæ oppetant Viros ſanctos & pios. ibid & 2578

Sæpe honos ingenui, & innocentis Viri verè læſus, aut perditus, poteſt meris verbis, & ſi iſtis non, ſaltem remediis Iuridicis, iuxta Leges, & Canones recurari, & recuperari. Et addo, in tali caſu non poſſe honoris defendendi aut recuperandi gratia ad gladium & Sanguinem recurri. 2579

Sæpe honos ita perditur, ut non poſſit verbis, ut non poſſit remediis Iuris, ut nec poſſit ſanguine recuperari Addo igitur, iniuſtè in tali caſu ad gladium privatum recurri. 2580

Si Titium Albericus, homo laicus infamat (hoc eſt infamare pergit) perfidè nimitùm, & iniuſtè: ſi verum ſit Titij opinionem, & authoritatem calumniis his graviter lædi (nam leves iacturæ indignæ ſunt remediis gravibus) ſi verbis non ſe poſſit defendere; ſi eum Reſpublica protegere, & defendere nolit, aut nequeat: & tandem, ſi ſuum honorem verè tueri poſſit occidendo Albericum, & non aliter: in tali inquam circumſtantiarum concurrentia, ſtando Iuri naturæ poterit Titius Albericum occidere: & ſi poſſit, etiam aliquando debebit; eo videlicet caſu, quo & debeat ſuum honorem defendere. Conſultò dixi, *Stando Iuri Naturæ*; hoc enim conſtans, & æternum eſt, & Humana mutantur quotidie, & alterantur. *n.* 2580. *pag.* 807. §. *Concluſionum Concluſio.*

An Hæc doctrina prodeſſe poſſit Eccleſiaſticis & Religioſis? ibid.

Qui in Republicâ vivunt, debent ad Superiores recurrere ; ipſiſque quæcumque privata inſtitia eſt illicita. 1566. & 258. §. *An-ne eadem doctrina.*

De Medicis. Huc etiam pertinent, quæ dicuntur de Medicis ; qui poſſunt malitiâ, ignorantiâ, aut negligentiâ peccare. Qui ægrotum vitam ſuam ſibi concredentem occidit, homicidium proditorium committit ; occidit enim, quem ſervare ex officio debebat. Qui ægrotum negligit, quia aut eum non inviſit, quando debet, aut non ſtudet, quantùm debet, etiam ex malitiâ delinquit. Quid autem de ignorantiâ dicemus? Qui non eſt ſatis doctus, ut poſſit curam infirmorum ſuſcipere, temerè in re gravi procedit, & ſimiliter ex malitiâ delinquit, & peccat mortaliter. *pag.* 799 *a.* §. *Eſſe multos.*

De hoc argumento ſcripſi Librum integrum, in quo omnia tractantur fuſius, quæ hic ad *εὐσύνοψιν* compendioſam reduxi. Sed & anno 1652. prodiit in lucem Mediolani curioſus Liber, qui inſcribitur *Le Confuſioni de Medici*, in quo Raphaëlius Carrara (etiam Medicus) demonſtrare conatur Medicos vel oculatiſſimos in acutorum morborum curâ cœcutire.

Qualis ſit, quæ hodie in Scholis traditur Medicina ? Ioannis Helmontij Archiatri Bruxellenſis Cenſura. *pag.* 799. *a*

Plempij Doctoris & Primarij Medicinæ Profeſſoris Lovanienſis Iudicium. *pag.* 801. §. *Reſtitui.*

Quid ſit Medicina? 799. *b*

Conſidera Aſſertiones ſequentes.

Si eſſet in Mundo aliquis, qui ſcientificè Medicinam calleret, & omnia quæ haberet infirmus, ut à morbo acuto eum liberaret, peteret pro honorario, imprudens eſſet æger, qui maioris ſuas divitias, quàm vitam faceret. Ergo nullus eſt honos, tametſi maximus, qui exæquet merita hominis, qui ſcientificè Medicinam cognoſcat. 2564. *pag.* 799

Sed cur ſub conditione loquor, & non propono Reſolutionem abſolutam ? Quoniam, qui percalluerit Medicinam ſcientificè, nullus fuit, nullus eſt, nullus erit. ibid.

Nec inde velim, ut contemnantur Medici, qui ſpeculationi & praxi aſſiduo ſtudio incumbunt : Doctrinæ enim antecedentis Veritas, non naſcitur ex negligentiâ Medicorum, non ex ſtupore, & tenuitate ingenij eorumdem, ſed ex incognoſcibilitate ipſius obiecti. ibid.

Medicina cum Scholaſticâ Theologiâ collata, non incertior, ſed infelicior eſt. ibid.

Legatur ; continet enim conſiderationem ſcitu dignam : quoniam actuum humanorum bonitas & malitia à prudenti pendet Operantis iudicio ; & tamen ſalubritas & malignitas medicinarum à Phyſici prudentia non dependet ? Vnde, ſi Deus (quod potuit facere) talem pharmacis conceſſiſſet virtutem, ut haberent effectum qualem, & quantum ægrotus ex prudentis Medici conſilio opinaretur, eſſent Medicinæ, & Theologiæ Moralis æquæ felices facultates. ibid.

Qui in morbo periculoſo conſtitutus, niſi ſupernaturali aliquo motivo ducatur, ſi uti non velit Medico (ſumo hoc nomen formaliter, & illo intelligo hominem, qui poteſt, & vult ægrotum reſtituere ſaluti) delirare cenſendus eſt. Ergo, ſi daretur talis homo in Mundo, qui reverà eſſet Medicus, cogi poſſet, deberetque infirmus authoritate publicâ, ut ab illo recuraretur, *pag.* 800. *b.* §. *Aſſertum I.*

In morbis non periculoſis (in quibus non de vitâ, ſed de commoditate infirmi agitur) etiam à quolibet Supernaturali motivo præſcindendo, poteſt homo tutâ conſcientiâ certiſſima remedia reſpuere. *pag.* 801. *a*

In morbis periculoſis (in quibus de vitâ ægroti agitur, & non de ſolâ commoditate) à motivo Supernaturali, & à nimio dolore præſcindendo, tenetur infirmus certiſſimum acceptare remedium ſub mortali. *pag.* 801. *b*

Sed quis Medicus in morbis talibus præſcribet tale?

Poteſt ægroto Medicus propinare Medicinam probabilem : nempe, quando certò ſcit illam damnum non illaturam, & opinatur eamdem poſſe prodeſſe. ibid.

Eodem in loco hæc Dubia reſolvuntur. An Religioſi uti teneantur medicinis ? An fœmina, quæ in pudendis laborat teneatur Chirurgi inſpectionem admittere ? An Carthuſianus teneatur comedere carnes in articulo mortis, ſi Medicus ut neceſſarias ad vitæ conſervationem conſulat ? An ad ſalubriorem civitatem æger migrare debeat ? An ſyrupum valdè pretioſum ſumere ? An permittere ut ſerretur brachium, etſi dolores graviſſimos ſit perpeſſurus, ſi aliter vitam conſervare non poſſit ? An teneatur comedere, qui in comedendo ſummam patitur difficultatem? 801

Præceptvm VI.

De Matrimonio. An fœminæ debeant eſſe communes ? An debeant admitti connubia. 1706

De Perſis & Anabaptiſtis. 1739

An tam repugnet plures eſſe uni viro uxores, quàm uni uxori plures viros ? *pag.* 487. *m.o.n.* 1378

An, & quale multiplicandi præceptum primi homines in paradiſo habuerint ? Quanto tempore manſerint Virgines. 1412. 1414

An etiamnum detur contrahendi matrimonium præceptum? 1414. 2639

An expediret ſordes Venereas ſilentio condemnari à Theologis, quàm illas uberiori rationum & authoritatum apparatu radicitùs examinari? 2641. *pag.* 832. *a*

An in materiâ Luxuriæ debeat Confeſſarius ſingulas ſpecies diligenter inquirere, pœnitentemque curioſè examinare? 2707

An ſenſualitas & Materia Venerea diſtinguantur ? An Senſualis recreatio quæ libidine caret, ſit peccatum ? 2762. *pag.* 876. *b*

De Semine & Seminalitate. Quo ſemen modo à ſeminalitate diſtinguatur ? An ſicut ſemen, ſic etiam ſeminalitatem extra Matrimonium decidere grave peccatum ſit? 2642

An

Digitized by Google

An in ſeminalitate aliquis ex materiæ parvitate excuſetur? 2643

Luxuriæ peccatum generaliſſima diſtributione in Connaturale & Contranaturale dividitur. Illud eſt illicita deciſio ſeminis in vas naturale: & hoc illicita ſeminis deciſio extra vas naturale.

Prioris ſpecies ſunt, *Stuprum, Fornicatio ſimplex, Adulterium, Oppreſſio, Sacrilegium.* 2639

Virginis conſentientis defloratio non eſt ſpeciale peccatum, nec differt à ſimplici fornicatione. 2648

Hæc autem eſt ſoluti & ſolutæ commixtio. 2648

Adulterium eſt copula inter ſolutum & coniugatum, aut inter coniugatum & ſolutam aut inter coniugatum & coniugatam. Oppreſſio vim addit fornicationi, & poteſt æquè in viro ac in fœminâ inveniri. 2639

Sacrilegium eſt Fornicatio à perſonâ voto obſtrictâ commiſſa: nempe à Religioſo cum liberâ à libero cum Moniali, aut à Monacho cum Moniali. 2639

De Simplici Fornicatione. An eam eſſe peccatum illi Thomiſtæ tueri poſſint, qui dicunt eſſe prohibitam quia eſt mala non autem eſſe malam, quia prohibita? 2645

An ſufficienter alij Theologi probent illam eſſe grave peccatum? 2646.b

De Copula inter coniugatos. An aliquando peccatum ſit? An, quæ ſine ſpe prolis habetur ſit peccatum? 2654. *pag.*841. *b.* §.*Fatebor.*

An extra Matrimonium hæc circumſtantia ſit ſpecialiter conſideranda? ibid. §.*Et quid.*

De copulâ habita cum gravidâ, vetulâ, ſterili. An non ſolùm generationis impedimentum, ſed & impedimenti diſtinctio ſit in Confeſſione explicanda? 1701. 1654. *pag.*841.*b.*§.*Præterea.*

De accidentibus copulæ. Vtrùm propriam uxorem è latere, ſedendo, iacendo, ſtando, à tergo, &c. modò ſemen infundatur intra vas naturale ſit mortale? 2748

An rationabilis cauſa excuſet à veniali? 2750. §.*Quarta.*

An uxor teneatur reddere debitum cum veniali? 2751.§.*Hinc tranſeo.*

De complemento copulæ. An inter coniugatos, aut amaſios tactibus copula compleri queat? An, ſi vir amiſſo ſemine recedat, fœmina quæ nondum ſemen decîdit, ſe poſſit licitè tactibus iuvare, ut ſemen emittat, & copulam præcedentem compleat? 2647

An ſicut de Vxore, ſic de Amaſiâ philoſophandum ſit? ibid.§.*Et ad Corollaria.*

De Delectationibus moroſis. Quid illæ ſint, & cur illicitæ dicantur? 2649

De delectatione merè ſpirituali. An, ſi abſit libido, admitti poſſit? 2650. §.*De cogitatione.*

De Comediis carminibus, & laſcivis colloquiis. 2650.§.*Hinc patet.*

De Humectate. Poteſt ad ſeminalitatem reduci. 2643.2651

An omnis pars ſeminis ſit ſemen. An ſit peccatum effundere ſemen indirectè? An ſemen pharmacis corrumpi poſſit? An ſaltem minui? 2651.*pag.*840.*a*

De Impotentium copula. An Eunuchi, ſi cognoſcant fœminam, peccent contra naturam? 2655

An hæc copula à pollutione diſtinguatur? ibid.

Qualis copula ſit, in quâ ſterilem cognoſcat Eunuchus? ibid.

De ſedando pruritu. An pudendarum partium fricationes, quæ ordinantur ad ſedandum pruritum, ſint licitæ? 2657

De Periculo. An Chirurgus poſſit fœminæ verenda curare? 2657.2658

Quatuor diverſi modi peccandi contra Caſtitatem explicantur. 2661. Illos lege.

De Peccatu contra naturam. An diſtinguatur ſpecie? 2664.*pag.*846.*a*

Propter Dianam plura coactus ſum dè hoc argumento ſcribere, quàm aliàs debuiſſem. Vide, quæ *à n.*2664. ad 2700. diſputantur.

Cur Pollutio ſit mala? An quia interdicta? 2652.2653

An molles ſint homicidæ? Cur *Viri ſanguinum* in ſacrâ Scripturâ vocentur? *An occidi nondum conceptus poſſit?* 1433. 2654

Pollutio tactibus propriis procurata à procuratâ alienis differt. Eius malitia in eo conſiſtit, quod ſemen extra vas debitum effunditur. 2671

Excitata tactibus Viri ab excitatâ tactibus fœmina non videtur ſpecie differre. 2672. 2673

Finis eſt duplex, Operis, & Operantis. Quemnam finem tactus laſcivi reſpiciant? 1861

Noſtra ſententia proponitur, & explicatur. 2664

Illa quæ modalem diſtinctionem admittit. 2665

Modi peccandi contra naturam ſunt *Mollities, Sodomia, Beſtialitas,* 2669.2670

Pollutio. De ipſâ ago. 2652.2671.2672. 2673

Sodomia. Hoc olim nomen cuicumque peccato contra naturam adtribuebatur, at hodie maſculorum commixtionem ſignificat. 2674

An in ipſâ inter agere & pati differentia ponatur? 2674

Beſtialitas. Sic dicitur pollutio habita tactibus beſtiæ. An beſtiæ ſexus & uſus: an videlicet vir membrum induxerit in vulvam an in vas præpoſterum beſtiæ, mutent peccati ſpeciem? 2676

Dæmonialitas. Quid ipſa ſit? 2677

Inanimalitas. An ſit ſpecialis ſpecies. ibid.

De mente Doctoris Angelici. 2678

Authores, qui cum S.Thomâ diſtinctionem ſpecificam negant. 2684

Cur peccata contra naturam diſtinctè debeant in confeſſione exponi, licèt non diſtinguantur ſpecie? 2701

De ebrietate. Ad Luxuriem reducitur, & non ab omnibus fuit bene examinata. 2659

An, & cur Ebrietas grave peccatum ſit? An ad ſedandum ſitim ſemper bibere liceat?

Digitized by Google

An, ſicut de prurigine, ſic etiam de ſiti philoſophandum ſit? Vtri, Quintone, an Sexto Ebrietas Decalogi præcepto opponatur? 2659.2660.2661
Ebrij ſunt civiliter nulli. Vbi ſunt præſentes realiter, moraliter abſentes ſunt. 2659.l.c
De Materiâ parva. Licet hæc Quæſtio univerſalis ſit, & in omnem Controverſiam ſe inſinuet, habet locum ſpecialiſſimum in Sexto Præcepto Decalogi. 2707.*pag*.860
Quæritur ergo, An in Luxuriæ genere, præſcindendo à periculo, ſit admittenda materiæ parvitas? 2708
Propria ſententia. 2709
Authores pro parte Affirmativa. 2710
Rationes pro eadem ſententia. 2716
Literæ ad P. Antoninum Dianam. 2723
An in hoc ipſe ſæpe genere materiæ parvitatem admittat? 2724
An Diana materiam parvam ſeu venialia peccata admittat in accidentibus copulæ? 2748.*pag*.873.*b*
Nota. *De Luxuriæ ſacrilegâ*. Per omnes Luxuriæ ſpecies ſacrilegium decurrit. nam primo in illas ſe inſinuare poteſt Idololatria, ſi Idoli cultus in libidine & voluptate conſtituatur: nam immundiſſimis Ethnici ſordibus ſuos Deos colebant: unde cum apud Palæſtinas, *Deum adoras*, ſignificaret *Cuba mecum* non eſt cur miremur Iſraëlitas tam pronos fuiſſe in Idololatriam; quoniam illius Gentis Numina adulteriis & pollutionibus honorabantur. 1862
Secundò in eas ingrediuntur perjuria, quando voto Caſtitatis obſtricti audent libidinari. Auget crimen Temeritas, ſi poſt votum ſolemne, ut poſſint connubia exſecranda contrahere, vota frangunt, & Orthodoxam Religionem abiurant. 1863
Sunt Apoſtatæ Monaſteriis, quæ deſeruere, honori, & non dedecori, ut opinatur vulgus: ſi enim in eis permiſſi fuiſſent libidinosè vivere, nunquam ad Lutheranos aut Calviniſtas transfugiſſent. 1864

Præceptum VII.

De *Dominio*. Quomodo adquiratur? An & cur homo ſit rerum dominus. *pag*. 488. *r.ſ.t*. 1381
De adæquato & inadæquato rerum dominio. De dominio contracto. 1382
Eſt Quæſtio curioſa & ſubtilis, quæ interrogat, An unîus rei eſſe poſſint duo ſimul domini in ſolidum? Agimus de adæquato & in particulari, quoniam hæredes ante diviſionem habent jus in totam hæreditatem inadæquatum, & Monachi in bonis Monaſterij habent dominium in communi. *à n*.1885. ad 1928
An ſaltem in uno & eodem inſtanti plures debeant habere eiuſdem rei poſſeſſionem in ſolidum. *à n*.1929 ad 1940
Furtum eſt ablatio iniuſta rei alienæ invito domino. Vbi, aut non eſt res aliena, quæ aufertur; aut non iniuſtè aufertur; aut non eſt invitus eius dominus, non committitur furtum. 2765.*a*
An in extremâ neceſſitate; an etiam in gravi, poſſit licitè pauper à divite neceſſaria ſubripere? 2766
Dominium rerum diviſionem ſupponit. Hæc cum hominibus incepit. 1383
Inter Abelem & Cainum ſub initium Mundi erant bona diviſa. 1420
Cainus habebat fructus, qui non erant Abelis, & hic pecudes, quæ non erant alterius. 1422.1540
An furta interdicat Ius Naturæ, an verò Ius Gentium, an utrumque. 1540
An illa ante rerum diviſionem ab aliquo committi potuerint? ibid.
An ubi omnia ſunt communia, adhuc furtum committi poſſit? 1541
Italia ſub Saturno qualis? Cur æraria publica fuerint conſecrata Saturno? ibid.
In primitivâ Eccleſiâ Chriſtiani vivebant in communi, & tamen Ananias & Saphira fures fuerunt. 1542
An, & cur Religioſi poſſint à ſuâ Communitate furari? An proprietatis peccatum ſit furtum. ibid.
Iuliani Imperatoris malevolentia. An potuerit ſpoliare Chriſtianos, quòd viverent in communi? Poteſt in rerum diviſionem, & in communionem peccari. 1543
An, ſi rerum diviſio eſſet ex ſolo Iure Gentium, adhuc furtum eſſet contra Ius Naturale? 1543.1544
An Monachi Benedictini, ſi res ſuas juſto pretio vendiderint, committant furtum? An poſſit quidpiam legari Capucinis? 1547
An ſervus, ſi fugerit, furtum committat? an, ſi ad ſuos redeat, debeat remitti? 1556
An venditor rei venditæ debeat imperfectiones manifeſtare? 1557
An Princeps poſſit in furto diſpenſare? 2765
An, qui mulum furatus fuerat, & multis illo annis uſus fuerat, illum reſtituendo ſatisfaciat? 2770
Quid de vaſis aureis? quid de veſtibus dicendum ſit? ibid.
An qui deambulans per civitatem crumenam pecuniâ ſurtam invenerit, & dominum reperire non poſſit, debeat illam erogare pauperibus, an poſſit ſibi appropriare, & in uſum proprium convertere? 2772
De Prodigalitate. An Eccleſiaſtici ſint bonorum adminiſtratores? an illa poſſint dilapidare? 2778.*pag*.881.*a*
De Invidiâ, *Mutuo*, & *Vſurâ*. Cur hæc tria coniungantur? 2780
Quid Mutuum ſit? Proponitur verus conceptus Mutui, in quo etiam docti allucinantur aliquando. 2781
Quid ſit Vſura? & an, & cur illicita cenſeatur? 2783
Quotuplex ipſa ſit? 2786
De ſortem perdendi periculo. Fusè exponitur, Quid ſit periculum? 2787
De damno emergente. 2789
De lucro ceſſante. 2790
De Canone permiſſo à Republicâ. 2795
Multa dubia reſolvit deciſio Quæſtionis, quæ inquirit, An parata pecunia ſit pretioſior illâ, quæ v.gr. poſt tot menſes ſolvetur? 427.*pag*.148.*b*
Aliqui tituli examinantur. An ad excuſandum

Digitized by Google

ſandum ab Vſurâ ſufficiant? 1796

An ex vi mutui poſſis recipere, quod tibi ex Iuſtitiâ debetur? an, quod ex Charitate? 1797

An, quando eſt bellum inter Chriſtianos Turcaſque, poſſimus uſuras à Turcis exigere? 1798

An, qui mutuat ruſtico pecunias ſub onere quod colat ſuos agros, ineat uſurarium contractum? 2810.*b*

An poſſis à mutuatario aliquid recipere, ſi ille id tibi ex merâ liberalitate donaverit? 2813

An in Mutuo aliquid recipi poſſit propter tempus. 2816

An Princeps poſſit in ſuo regno furta, extorſiones, & uſuras permittere? 2838

An id Licurgus fecerit? 2839. 2848. 2851

Examinatur Epiſcopi Marſicenſis opinio. 2856

An Hebræis Vſuræ divinitùs conceſſæ ſint? an cum illis diſpenſaverit Deus in Septimo Præcepto Decalogi? 2860

Proponitur ſententia affirmans. 2861

Additur negans. 2866

Quæſtio reſolvitur, & locus Deuteronomij explicatur. 2870

An ubi maior ſit abundantia pecuniæ, debeant recipi minores Canones? 2873.*pag.* 919.

Cur res viliori habeantur pretio ubi multi, qui vendunt, ſunt; pauci, qui emunt? 2875. §.*Sic.*

De Occultâ Compenſatione. An ſit licita? 2885

PRÆCEPTVM VIII.

QVID ſit mentiri. Aliud eſt *falſum dicere*, & alind diverſum *mentiri*. Poteſt homo, etiam ubi dicit veritatem, mentiri. 1390.§.*Sed hic. n.* & 1549

An mentiatur, qui loquitur contra mentem, quam deberet habere? 1549

An homo ſibi mentiri poſſit? ibid.

In tres claſſes dividuntur mendacia: hue enim Murmurationes, Detractiones, & Calumniæ ſpectant. Exponitur earumdem differentia. 1941

Tria in Mendacio debent conſiderari: *quis*, *quid*, & *cui*. Nam Perſona publica (Pontifex, Epiſcopus, &c. Imperator, Rex, Princeps, &c.) aliter tenetur fidem ſervare, quàm ruſticus. Et hoc ſufficit, ut circumſtantiæ *quis*, & *cui* intelligantur. Circumſtantia autem *quid* metitur gravitatem materiæ; non enim de rebus levibus inpræſentiarum diſputamus. Ergo, ſi in materiâ gravi aut Princeps quà Princeps privatum, aut privatus Principem quà Principem, aut denique Princeps quà talis Principem quà talem deceperit, omni etiam iuramento ſecluſo, peccabit mortaliter. 1797

[Et nota bene illas reduplicationes, nam ſi Princeps aut volebat furari, aut adulterium committere, & eius crimen interpoſito mendacio Titius impedit, non peccavit mortaliter, quia tunc alter non agebat quà Princeps.] Aliud eſt mentiri Principi, & alind mentiri de Principe. 1943

An ſit licitum, aut ſaltem non ſit contra Iuſtitiam, Invaſori, qui in tribunali falſis adductis teſtimoniis te per calumniâ opprimit, cum moderamine inculpatæ tutelæ, crimen falſum imponere? Et quid in hoc ſit Caſu cum moderamine inculpato procedere? 2588. & 2878. *pag.* 921

An innocens ad vitandos cruciatus poſſit ſibi falſum crimen imponere, etſi ob illud ſit poſteà ultimâ ſententiâ condemnandus? 2877. *pag.* 920.*a.*

De Reſtrictionibus mentalibus. An poſſint aut debeant admitti? 2880

[Edidi de hoc argumento Librum, qui *Haplotes* inſcribitur; &, ut puto, demonſtrat, eſſe Reſtrictiones huiuſmodi impoſſibiles, inutiles, & pernitioſas.]

De Promiſſione. An merè interna obliget; &, ſi obligat, etiam internâ voluntate reſcindatur? 2882

An ſolius Veracitatis, an verò Iuſtitiæ titulo externa acceptata impleri debeat?

PRÆCEPTVM IX.

INtendere ruinam proximi & facere ut alius concupiſcat, aut quomodocumque peccet, eſt peccatum. An & quomodo Nonum & Decimum Præceptum Decalogi inter ſe diſtinguantur? 2886.*pag.* 924

[Peccat homo Cogitatione, Verbo, & Opere. Sanè cogitatione (ſolo conſenſu) in Decimum: Verbo (hoc eſt, ſcandalo, inducendo alios, nam & peccata vocem habent) in Nonum: & Opere in alia octo Præcepta. 2886.]

De Puellarum ornatu. An illis recepta à iuvenibus imputentur ſcandala? 2657.*pag.* 842.*b.*

PRÆCEPTVM X.

NOn eſt ſemper malum concupiſcere; ſed concupiſcere iniuſta, aut iniuſtè. 2004

De Periculo Scita vox eſt, *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eſt duplex; Proximum & Remotum: aut Certum & Probabile. 515 *pag.* 175.*a*

Et eſt iterum duplex; nempe ſentiendi & conſentiendi. An, qui confabulando cum fœminis ſe exponit ſentiendi motus carnis non tamen conſentiendi periculo, peccet mortaliter? *n.* 2754.*pag.* 875.*a*

Quid autem dicendum eſt de conſentiendi periculo? An-ne illi ſe exponere, eſt peccatum mortale? 496.*pag.* 165.*b*

Non licet homini ſe exponere probabili periculo perdendi gratiam Dei. *n.* 512. *pag.* 168.*a.*

Qui poteſt realiter vitare probabile periculum etiam debet. 515

Qui non poteſt periculum vitare realiter & naturaliter, ſemper poteſt (ſemper debet) illud vitare moraliter & ſupernaturaliter. 515

Quando quis premitur Morali & Theologicâ neceſſitate (hoc eſt, quando locum in quo eſt periculum adire ex iuſtitiâ tenetur)

tur) non tenetur periculi locum vitare, ſed ipſum vitare periculum. Sed quomodo? 515. *Concl. III.* reſpondebit.

An ſit mortale ſe exponere æternæ damnationis periculo? *n.* 512. *pag.* 168. *a.* & *n.* 521. *pag.* 172 *b.*

An, qui in articulo mortis, etſi confeſſus ſit, contritionis actum non eliciat, ſe exponat æternæ damnationis periculo? 513

An ad expellendum ſemen corruptum, liceat fricare verenda cum periculo pollutionis, ſine conſensûs periculo? 1756

An audire Comœdias laſcivas mortale ſit? 1758

De fœminâ oppreſsâ. An teneatur clamare? An poſſit materialiter ſe habere? 1759

De oſculis & ſimilibus tactibus. An in illis ſit ſemper periculum, & an ſemper peccatum mortale committatur? 1760

An, & quando ſe ſine mortali poſſit coniugatus tangere? 1761

ARTIC. IV.

De Ivre Gentivm.

Decalogus bifariam poteſt conſiderari; vel enim homines *Reales concernit*, vel Myſticos. Priori ſenſu *Lex Naturalis* dicitur, & Poſteriori *Ius Gentium*. Homo realis eſt ſubſtantia individua intellectualis, ut Petrus, Paulus: Homo autem Myſticus eſt Communitas ex multis hominibus coaleſcens, ut Civitas, Provincia, Regnum, quando multi homines ſimul unum myſticum corpus componunt. 1464. 1567. 1654. & 1759.

Habet Homo Myſticus (Imperium, Regnum, Reſpublica, & quæcumque providè inſtituta Communitas) ſuas potentias & ſenſus Civiles. Habet memoriam, intellectum, & voluntatem: &c. oculos, aures, manus, pedes, &c. 1796. & 1974

Ius Gentium duplex eſt: Primarium videlicet & ſecundarium. Vtrumque exponitur. 1596. & 1799.

Quo modo Reſpublicæ ſint Inſtitutæ? & quali inceperit Ius Gentium, 1366. 1567. & 1654.

Quo ſenſu multi homines ſint unus homo? 1516

Quo modo conſtituatur una gens, quo modo plures? 1568

Quod autem abſolutè Ivs Gentivm dicitur, non vnîus aut alterius, ſed Gentium omnium eſt, (1801. §. *Lactantius*) æternum, conſtans, & immutabile (1804.) non enim activè, ſed paſſivè Gentes ad illius exiſtentiam concurrunt: quoniam Ivs ipſum Gentivm, non eſt lex ab illis pronunciata & lata, ſed iis impoſita, Deus enim tulit, & indixit Rebuſpublicis omnibus univerſalem illam legem, quam Gentivm Ivs Iuriſconſulti appellant. 1799

Ago ſpecialiter de Iure-Gentium *à pag.* 588. & *num.* 1746.

An Servitus ab omnibus Gentibus admittatur? An aliquæ Gentes nolint habere Teſtamenta? 1747

De commutationis contractu. 1750. 1753

De Monetâ. 1752

Quodnam ius violet, qui ſervum furatur? 1753

An in Iure Gentium ſint omnia decem Præcepta Decalogi? 1755

Non omnia poteſt Homo Myſticus quæ Realis. Non enim poteſt Sacramenta recipere: nec vxorem ducere. An poſſit occidere? An mœchari? ibid.

Interim, quia, ſicut in genere adulterij, v. g. ſic etiam in aliis, poteſt connivendo, aut etiam cooperando delinquere, dicendus eſt Homo Myſticus hoc vel illo modo peccare poſſe in omnia præcepta Decalogi. At Homo Myſticus, nec coronabitur æterna gloriâ, nec damnabitur pœnis æternis: ergo aut non peccat, aut deſignandus eſt, qui peccet, quando dicitur ille peccare. Reſpondetur, 1800

Præceptvm I. Etiam ad Ius Gentium pertinet vera Religio. 1750

Reſpublica Superior, ſi communitatem inferiorem, aut ſubditos aliquos cogat Falſam Religionem habere peccabit. ibid.

Præceptvm II. An Communitas poſſit Voto, aut Iuramento obligari? 1758

An Senatus Voto poſſit univerſos obſtringere? An hoc debeat votum ab illis acceptari? 1761

An, & quomodo Cives, qui nunc ſunt Iuramento, aut voto poſſint gravare ſucceſſores. ibid.

Præceptvm III. Poteſt Homo Myſticus per modum communitatis Feſta colere: Et hoc de facto facit, cùm Provincia vel Civitas talem aut talem Sanctum in Tutelarem aut Patronum admittit. 1765

Obligatio audiendi Miſſam, non ſingulos Chriſtianos, ſed familias tantùm obligare, eſt error. 1763

An, & quando Reſpublica debeat orare? 1766

Præceptvm IV. In Democratiâ ſingulos gubernat Communitas, & ſinguli Communitati obedire tenentur. In Ariſtocratia, ubi plures gubernant, omnes ſimul ſunt unum Caput Morale: unde poſſemus dicere illam eſſe ſuo Modo Monarchiam, quia in utrâque unus ſolus gubernat. Ille autem unus in Monarchiâ eſt una perſona realis, & in Ariſtocratiâ una moralis.

Poteſt una Civitas aliis imperare: nam hodie Venetiæ aliis Civitatibus ius dicunt, & ipſæ obedire tenentur. *n.* 1770. *§. Sicut homo.*

Civitas, quæ non cognoſcit Superiorem in terris, poteſt bellum indicere: &, ſi iniuſtum gerat, & vincatur, poteſt ſervitutem incurrere, ſpoliari, comburi. Et, ſi ex clementiâ ſervetur, vendi poteſt. 1771

Præceptvm V. Non licet Reipublicæ innocentem occidere. An, & cur poſſit reos?

Occidere poteſt hoſtes Reſpublica cum moderamine inculpatæ tutelæ. An omnes? 1774

Male gubernat Princeps, qui ſcelcratos non punit. An poſſit Iudex crimina condonare?

Digitized by Google

donare? n.1779.1780

An, & cur debeat Princeps aliorum Principum Oratores admittere? An eos occidere, ſi crimina committant, poſſit? 1775

Bella ſunt neceſſaria. Non niſi authoritate ſupremâ & ex neceſſitate indici poſſunt. 1776

An pro bello Imperij propagatio ratio ſufficiens ſit? 1790

A bello eſt orta ſervitus. Servitutes ſunt utiles. Mancipij & Servi differentia. An occidi poſſint? Servitutis contractus. An occidi poſſint ſervi? Romani & Græci videntur, habuiſſe Mancipia, & non ſervos. 1777. 1778. 1788

In agendo ſervus eſt civiliter nullus. Cur poſſit puniri, ſi peccet? 1778

An ſervus committat furtum, ſi fugiat? 1787

Componitur ſervus cum filio. 1791

De Chriſtianarum Gentium bellis. Ius harum poſtulat, ut bello iuſto captus, ſi ſervetur, poſteà (Hiſp. *à ſangre fria*) occidi non poſſit. Poſtquam fuit interceptus, vel vi detinetur, vel fide (vi, ſi in carcere habetur ſub cuſtodiâ; fide, ſi ſe non eſſe fugiturum promiſerit) ſi vi detentus fugerit, non peccat, ſed ab ingenio & fortunâ laudabitur, ſi fide obligatus evaſerit, eſt perfidus; &, ſi iure iurato ſit firmata promiſſio, erit periurus & ſacrilegus; erit fur lytri, illudque aut ſolvere, aut redire tenebitur. Vide *à n.1794. ad fin.*

Præceptum VI. Non poteſt Reſpublica libidinari. At contra hanc legem peccare poterit peccata ſine neceſſitate permittendo. 1781

De indicibili ſcelere. An poſſint lupanaria permitti? An aliquando ceſſet ratio propter quam licitè permitterentur? 1782

Præceptum VII. Contra hanc legem delinquitur, furando, rapiendo, detinendo. Quomodo differant inter ſe Furtum, Rapina, & Detentio? 1783

An his omnibus modis Reſpublica peccare poſſit? An ſine bonorum diviſione poſſit inter diverſos Populos amicitia ſervari? 1785

An rerum diviſio ad Ius Gentium ſpectet? 1784

An, ſi omnia eſſent communia, eſſent furta? 1785

De Ægyptiis. ibid.

An, & quæ furta Lycurgus permiſerit? Humanorum actuum honeſtas non pendet ab eventu futuro. ibid.

Præceptum VIII. Proderit recognoſcere, quæ in hoc eodem Indice, agens de Iure Naturali (*præcepto. VIII. §.tria*) notari volui. Porrò de rebus levibus non tractant Reſpublicæ inter ſe; &, ſi in re gravi altera decipiat alteram, à mortali excuſari non poterit. Peccat etiam mortaliter Legatus (Hiſp. *el Embaxador*) ſi conſcius ad perfidiam concurrit. 1797

Præceptum IX. Eſt de ſcandalo (nam illud verbum *Non concupiſces* ponitur in *Hiphil*, ut ſit, *Non facies concupiſcere*) & in illo Reſpublicæ peccare poterunt: una enim Civitas, ſi iugum excutit, & rebellat, aliis eſſe poteſt ſcandalo, ut in facinus ſimile præcipitentur? n.1798. §. *Sed & poteſt.*

Præceptum X. Actus purè internos concernit: & quia Reſpublica actus tales non elicit, videretur nón poſſe in hanc legem peccare. Sed dico, tunc hominem realem actum merè internum elicere, quando cogitationem aut intentionem ſuam extra ſe non prodit: ergo Senatus actum merè internum eliciet, quamdiu, quæ deliberat, aut reſolvit, extra Senatum nemini communicantur. n.1798. §. *Sed quomodo.*

ARTIC. V.

De Iure Humano.

Omnium legum (Eccleſiaſticarum, Civilium) poteſtas & authoritas à Deo eſt. A Quarto Decalogi Præcepto habent homines, quod ſub peccati pœnâ debeant obedire Prælatis. 1590

Quid præſtent Iura Humana? An in innocentiæ ſtatu fuiſſent leges? 1367. 1368

An Iuſtis ſit lex poſita? An qui Naturæ Iura obſervant, legibus Humanis indigeant? Negat Antiſthenes, affirmat Plato: & Nos *n.571. d. pag.190. b.* ſequentes tradidimus Reſolutiones.

Ratio Humana poſt Adami lapſum eſt ægrota, eſt læſa; adeoque non ſemper poteſt veram Honeſtatem cognoſcere. 571.e

Si eam ſemper cognoſceret, non ſemper eam amplecti poſſet. ibid.

Si eam ſemper cognoſceret & amplecti poſſet, non ſemper vellet. ibid.

Ergo, ut homines veram Honeſtatem doceantur, ut ab omnibus impedimentis eximantur, ut conſilio ducantur: &, ſi ſuaviter conduci nolint, morali aut pœnali propellantur præcepto, ſunt neceſſariæ leges. Indiget ergo Mundus Principibus (Pontifice, Epiſcopis, Prælatis, &c. Imperatore, Regibus, &c.) qui eas ſummâ Prudentiâ imponant, & ſummâ potentiâ defendant. *pag.191. n.572.*

An clauſis oculis obediendum ſit Summo Pontifici? An etiam Cardinalium præceptis. 572.b.c

Quid faciendum, ſi dentur Declarationes Cardinalium contrariæ? 572.g

An omnes, quæ paſſim adducuntur, ſint veræ? *pag.192 b*

An clauſis etiam oculis obediendum ſit aliis Prælatis? 576

De Summi Pontificis & aliorum omnium Epiſcoporum Ordinariâ, Extraordinariâ, & Privilegiatâ authoritate. 577

Habet Legis conceptus univerſim ſumptus attributa quædam tranſcendentalia. 627. *b. pag.207.a*

Lex materialiter & formliter conſideratur. 627.a

DE Lege formaliter ſumpta. SVBSTANTIA. Quæ ſit eius eſſentia? 628
An Ratio ſit de eſſentiâ legis? ibid.
De Principibus, qui authoritate diuinitus conceſsâ abutuntur. 619
An de Legum Humanarum eſſentiâ ſit, quod includant Diuinam? 629.b
QVANTITAS. Leges non poſſunt ſine graui causâ multiplicari. 630
Si Inferiores Prælati multas leges imponant, eorum debet Superior minùs neceſſarias decircinare. 631.b
An Legum pluralitas nociva ſit? num. 631.b
QVALITAS. Deus non poteſt iubere impoſſibilia. 634
Leges clariſſimis verbis debent concipi. An obligent dubiæ & obſcuræ. 634
RELATIO. 635
Quibuſnam leges & præcepta imponantur? ibid.b
An ceſſante adæquato Humanæ Legis fine in aliquo particulari, ceſſet etiam eiuſdem Legis obligatio in illo particulari? 636. pag. 214.b
Ob quem finem libri à Sacra Inquiſitione interdicuntur? An quando quis ſcit talium ſibi librorum lectionem non nocere, ceſſet interdictionis finis? &, An tunc libros interdictos legere poterit tutâ conſcientiâ? a n. 638. ad 666
An ſit mortale comedere carnes die Veneris? 667. pag. 228.b
ACTIO. Omnis leges ferendi authoritas à Deo eſt. 670
Lex Humana eſt imago Diuinæ. 671
An Lex debeat habere Prologum? 671.c
PASSIO. An leges debeant promulgari & acceptari? 672
An, & quando illæ ante acceptationem obligent? 676
An dentur peccata materialia? &, An Leges materialiter violari poſſint? ibid. b. pag. 232.a
An, ſi quis Legem à maiore Communitatis parte acceptatam, ſine ſcandalo frangat, peccet venialiter? 677
An ſi Communitatis maior pars non ſeruet Legem, ceſſet obligare ipſa Lex? 680
An Moralem à ſuperiori legitimo propoſitam Legem, poſſit acceptare Populus quoad forum exterius, & reiicere quoad interius. 681
Quid ab acceptatione Lex obtineat? 681.b
QVANDO. De Legum duratione. 682
An leges, quæ eſſe perpetuæ debent, ſint in ſcriptis pronunciandæ? ibid.
De Lege Salicâ. Quæ & qualis ſit? An ſcripta dicenda ſit? Ciſtercienſium Leges, ſi non ſcribantur, non obligant. pag. 235.b
De Legum natiuitate. An in illam Iudiciaria Aſtrologia ſe inſinuet? An à fauſta aut infauſtâ Cœli conſtitutione pependerit legum Romanarum fœlicitas? pag. 236.a
An caducæ & mortales Leges Humanæ ſint? pag. 236.b
Leges non temerè mutandas eſſe? pag. 237.a
VBI: An Principes & Legiſlatores ſint immenſi. Sæcularium Principum authoritatem definiunt ſuæ prouinciæ termini, Eccleſiaſticorum Prælatorum in ſuos ſubditos iuriſdictio per totum terrarum orbem extenditur. 683
De Senatore capto. An in alieno territorio poſſit Ius dicere? ibid.
De Camerâ ſpirenſi ſub Gallo. 683.b
Diuerſarum prouinciarum homines diuerſas inclinationes habent. Leges debent genio & ingenio ſubditorum attemperari. ibid.
SITVS. Legum Ordo. Humana poteſtas gradus habet. 674 pag. 238
An, & quando velit Superior, quod ſubditi leges obſeruent? ibid.
An tuus famulus, heri tui ſit famulus?
An Religioſi ſinguli Generali ſubdantur?
An Monaſterij non exempti Religioſi ſubſint Epiſcopo? Petri Regis tragædia. 676.b
An capitales leges cum mortis periculo obligent? 676.c
Mori præſtat, quàm legem Diuinam violare. 676.g. pag. 240.a

DE lege materialiter ſumptâ SVBSTANTIA. Ens diuiditur in ſubſtantiam, Accidens, & Modum. Accidens in intrinſecum & extrinſecum ſubdiuiditur. Termini explicantur. 718.b. pag. 254.a
Inæqualis eſt Superiorum authoritas. De præcepto directo & indirecto. 691. pag. 243
De actibus purè internis. An directè, aut ſaltem indirectè ab hominibus præcipi poſſint? 691. 692. 693.a
De actibus externis ſecretis. 701.
Aliquando præcepta violantur quoad ſubſtantiam, aliquando quoad modum. 712
An, qui die ſabbati comedat carnes in Hiſpaniâ peccet mortaliter. 713. pag. 251.b
Multa ſunt, quæ modaliter aut accidentaliter diſtinguuntur phyſicè conſiderata, quæ tamen conſiderata moraliter debent differre ſubſtantialiter. 714. pag. 252.b
Aliud eſt multa ſimul, & aliud eſt multa unico præcepto iuberi. Quid faciendum, ut ſciamus, an unicum: an verò plura præcepta ſint? 719
QVANTITAS. Peccati grauitas à materiæ quantitate deſumitur. 720. pag. 259
An rem leuem ſub culpâ graui, aut grauem ſub leui præcipere poſſit Superior? ibid. & n. 716
An pœnitens debeat in Confeſſione exponere, an actus fuerit completus aut incompletus? verbi gratiâ, ſi in fornicatione, uterque, alter, aut neuter ſemen deciderit. 720.b. §. Nullus 721
An fur, quantum fuerit furatus? 721
An quot horas Canonicas in lectione Officij Diuini omiſerit? 821
An, ſi pollutionem compleuerit? 824
De materiâ nullâ morali. Parum pro nihilo reputatur. 726.b

Quando

Digitized by Google

Quando violare legem in gravi materiâ eſt veniale, tunc illam violare in levi nullum erit peccatum. 726.pag.261.a

Qvalitas. Lex in Præceptivam, Interdictivam, Permiſſivam, & Conſultivam, ut in qualitates dividitur. 727

An ſubditus teneatur obedire in re probabiliter mala? ibid.

Relatio. Aliqua propter ſe, & aliqua propter aliud iubentur. 728.b

Finis aut generalis aut ſpecialis eſt. ibid.

Actio. An, qui unicâ voluntate (hoc eſt, uno & eodem voluntatis actu) plures voluit occidere, pluries ad unum, aut ad diverſas fœminas accedere, plúries furari, pluries mentiri, pluries Miſſam aut Canonicas Horas omittere, teneatur hanc circumſtantiam explicare? 730.pag.263.a

Eſt quæſtio graviſſima, & propter Suarij & Vaſquezij diſſenſiones celebris; poteſt attentè legi, nam multæ in illâ proſtant Reſolutiones. Passio. An fœmina, quæ opprimitur, poſſit ſe habere paſſivè, an teneatur vociferari? 746.pag.268

An, qui tacet, conſentire videatur? An in gravi tentatione, qui poſitivè non diſſentit, conſentire cenſendus ſit? 747

Qvando. An ſimul pluribus præceptis poſſimus ſatisfacere? 749

An etiam pluribus eiuſdem præcepti partibus. 750

An unica confeſſio duorum annorum obligationi ſatisfaciat? 751

An etiam apud Religioſos obligationi duorum menſium? 752

Impoſſibilis eſt caſus, in quo dubitetur, an homo adultus ſit. Si eſſet poſſibilis, & de facto daretur, deberet homo habens vitam dubiam abſolvi. Si reverà fuiſſet mortuus, & miraculosè ad vitam revocatus, in dubio deberet cenſeri non vivus. 3219

Poteſt aliquis probabiliter cenſeri mortuus. Homo probabiliter vivus (ſi aliunde non obſit diſpoſitionis defectus) abſolvi poteſt: immò & debet. 3220

Homo minùs probabiliter vivus poteſt & debet abſolvi: nempe, à ſuo ſuperiore ex Iuſtitiâ, & ex Charitate ab aliis Sacerdotibus. ibid.

Non eſt evidens, tunc mori hominem, cùm ultimò ſenſu privatur. ibid.

An poſſibile ſit Pœnitentiæ Sacramentum informe: nempe, validum, quod tamen nullam gratiam conferat? An poſſit poſt validam Confeſſionem & abſolutionem aliquis in æternum perire? 2254 *pag.*667.*b*

An Sacramentalis Abſolutio faciat ex attrito contritum? An id intelligatur moraliter & non realiter? An debeamus dicere Attritionem cùm Pœnitentiæ Sacramento æquivalere Contritioni: an verò illam Sacramentalis Abſolutionis vi realiter converti in Contritionem. Aſſerimus hoc ultimum: & manifeſtis argumentis probamus. 2257. *pag.*668.*b*

An Confeſſio eſſe debeat auricularis? An, &

Digitized by Google

& quando poſſit fieri in ſcriptis ? An poſſit abſens abſolvi,etiam poſt Clementis VIII. declarationem. 195.*pag.*112.*a*

De poteſtate abſolvendi à peccatis. *n.* 3943

An conſecrandi & abſolvendi poteſtates ſeparabiles ſint ? An poſſint ſimplices Sacerdotes Confeſſiones audire ? An dentur caſus reſervati ? An conſecrandi poteſtas reſervationi obnoxia ſit ? An abſolvendi poteſtas ab Epiſcopi liberâ voluntate dependeat ? An abſolutio actus iuriſdictionis ſit? 3944

An Religionum Prælati, Theologiæ Doctores, Profeſſores, &c. Sine licentiâ Epiſcopi, valeant confeſſiones excipere? 3945

An poſſit aliquis Sacerdos ſine examine ad audiendas confeſſiones admitti ? An liceat Epiſcopo præcipere examinatoribus, ut aliquem doctum & probum virum reprobent? 3946

An poſſit iuberi Vocalibus, ut alicui admiſſo ad concurſum vocem negent? 3947

QVANTITAS. An dentur termini magnitudinis ? An ſint aliqua peccata, vel mole tam gravia, vel numero tam multa, ut abſolvi non poſſint ? 3138

An complex ſit in confeſſione nominandus ? & quid,ſi ex hoc nullum ille detrimentum incurrat? 3139

Duplex eſt integritas:materialis, formalis. Quæ ſint ? An ſufficiat alterutra. 3140

De peccatis omiſſis. De his qui tacentur ex legitimâ cauſâ. 3140

De iterandâ confeſsione : de reincidentiâ: de conſuetudine, & periculis eidem adnexis. 3141

QVALITAS. Sunt diſpoſitiones & indiſpoſitiones in Pœnitente. 3142

Recenſentur Qualitates ad bonam Confeſsionem requiſitæ. 3154

An, & quando Confeſsio poſsit fieri in ſcriptis? ibid.

RELATIO. Peccata habent varias inter ſe habitudines ; ſunt enim, Genitiva, Illativa,Principalia,Capitalia,non Capitalia,&c. 3143

Vnde ſumatur Venialium & Mortalium diſtinctio? ibid.

QVANDO. An ſit præceptum de Confeſſione exhibendâ,alligatum tempori determinato?Quando Divinum,& quando Eccleſiaſticum obliget? 3144.3153

ACTIO. Quis ſit Miniſter ? eius poteſtas & iuriſdictio. Quomodo adquiratur ? An S.Theologiæ Doctores & Religionum Prælati ſine Epiſcoporum approbatione poſsint ubique Confeſsiones audire? 3153

Debet eſſe doctus & prudens Confeſſarius. An ſemper debeat cognoſcere, an peccatum, quod Pœnitens fatetur, ſit veniale, aut mortale? 3146

An excommunicatus, ſuſpenſus, &c. aut exiſtens in peccato mortali, poſſit Confeſſiones excipere? 3146

An pœnitenti bene diſpoſito poſſit licitè negare abſolutionem ? An poſſit plures ſimul abſolvere? 3160

An ſeipſum poſſit Confeſſarius abſolvere? 3161

Sigillum. Confeſſionis ſecretum eſt de Iure Divino. An concedere Pœnitens poſſit, ne Confeſſarius teneatur obſervare ſecretum? 3147

Non debent in hac materiâ laxæ ſententiæ tolerari. 3178

An teneatur aliquis confiteri cum ſecreti periculo? ibid.

Gerundenſis Epiſcopus ob ſecretum violatum condemnatur. 3179

Ioannes Silentiarius ob ſigillum occiditur. Eius ſepulchrum Pragæ in Bohemiâ honoratur. ibid.

Quàm ſtrictè obliget Confeſſionis ſigillum. Quot, & qualia peccata perpetret,qui illud violat ? Etſi excidium Reipublicæ immineat, frangi non poteſt.An ubi Chriſtus voluit, ut potiùs periret totus Mundus,quàm illud frangeretur, in Decalogo diſpenſarit de facto? 3431.*fusè.*

PASSIO. Quinam poſſint abſolvi, & qui non ? An unuſquiſque ab unoquoque? 3148

Effectus. Confert hoc Sacramentum gratiam peccati remiſſivam ; non autem ſemper remittentem : eam comitantur Virtutes Morales infuſæ. 3149

Opera, etiam bona moraliter, alia ſunt viva, & alia mortua. An una culpa poſſit remitti ſine aliâ ? An merita reviviſcant?An circumſtantia ingratitudinis debeat in Confeſſione explicari? ibid.

VBI. An audire poſſimus confeſſiones extra Eccleſiam ? An in locis exemptis ? An,ut approbatus ab Epiſcopo in Monaſterio ſœcularium confeſſiones excipiat, indigeat licentiâ Prælati? 3140

SITVS. An debeat in confeſſione genuflectere pœnitens? 3140.*b*

HABERE. An Sacerdos, ſi habitu ſæculari ex cauſâ indutus ſit, poſſit confeſſiones audire ? An debeat habere convenientia ornamenta ? & qualia in Abſolutione ſolemni ; An, & qualis concedatur à Parochis? 3140.*c*

Pœnitentium Inſtructio. Tradit brevem methodum præparandi Animam ad Confeſſionem. *à n.*3141. ad 71

Ea, quæ multis in libri locis fuſiùs diſſeruntur, ad σύνοψιν reducit. Diſcutit per omnia præcepta Decalogi, & erit illis utilis, qui doctrinas uberiores non lectitant.

Peccatorum Reſervatio. Multi in illâ committuntur abuſus. Adhibuerunt remedium Summi Eccleſiæ Rectores Prælatorum inferiorum authoritatem limitando. 3172

Quo debeat modo confiteri qui incidit in reſervata, ſi non habeat Confeſſarium, qui eum poſſit à reſervatis abſolvere, nec cito eum habiturus ſit ? An poſſit Sacerdoti ad alia peccata approbato, ſola non reſervata an omnia(tam reſervata,quàm non reſervata) confiteri ? an elicere actum contritionis, & ſine confeſſione aut miſſam legere, aut Euchariſtiam recipere? 3172

An in hoc genere, una nox cenſeatur tempus longum? 3174.3177

De Excommunicatione. Cur de illâ hîc voluerim agere? 3180

Peccatum mortale & contumacia in Excõmunicatio requirit. An-ne excommunicari pote

Digitized by Google

poterit, qui adhæret Opinioni probabili? Non eſt dicendus adhærere Opinioni probabili, quando certum eſt eum non poſſe illi adhærere Opinioni Probabili? *n.* 435. 453. nec non *n.* 3181

An ſit mortale innocentem excommunicare: nempe eum, qui excommunicari non poteſt? 3182. *& ſeqq.*

De Comminatoriâ Excommunicatione. Quid illa ſit? An prudenter feratur? *pag.* 286. *b. in marg.* De illâ, quæ ante Ordinum celebrationem ab Archidiacono publicatur. An Comminatoria ſit? *n.* 3665. Vide *inferius* §. *X. de Sacramento Ordinis. verſ. De proteſtatione.*

§. V.

De Indulgentiis.

HÆc quæ in ſeptimâ Diſputatione. à *n.* 3433

Perſtringuntur, uberius Lib. V. tradentur & dilucidabuntur. Supponit hæc doctrina dari Purgatorium in quo Animæ emaculatæ à culpis pœnas expient. Hoc Sacræ Scripturæ manifeſtè perſuadent. Vide *n.* 3447. §. *Ex dictis.*

Exiſtentia. An Indulgentiæ dentur? Cur dentur? & quid præſtent? An ſit in Eccleſiâ aliquis meritorum theſaurus? an ſit ſimplex, aut multiplex? quid contineat? An ex illo Veteres Pontifices conceſſerint Indulgentias? Chriſti ſanguis nullâ indiget elevatione, ut meritorius ſit: Sanctorum merita à Chriſti ſanguine valorem indipiſcuntur. 3433

An teneamur Indulgentias lucrari? & an illas negligere peccatum ſit? 3444

SUBSTANTIA. Quid ſint Indulgentiæ, *n.* 3333. §. *His doctrinis.* & *n.* 3334. §. *Multa.*

De illarum materiâ & formâ, & elevatione. 3435

QUANTITAS. An Indulgentiæ tantæ reverâ ſint, quantæ dicuntur? hoc eſt, An ipſæ valeant quantum ſonant? An poſſint ſine causâ concedi? Quanta hæc eſſe debeat? An debeat eſſe certa, & an ſufficiat merè probabilis? 3436

Quotuplex ſit Indulgentia? 3336

An omnes diligentiæ præſcriptæ in Bullâ ſint adhibendæ? an qui leviter deficiat Indulgentias lucretur? 3443

QUALITAS. An in conſequuturo Indulgentias aliquæ diſpoſitiones requirantur? An Confeſſio debeat, aut etiam Communio præmitti? Confeſsio aliquando ut conditio, aliquando conſulitur ut medium. 3438

Quomodo relaxentur culpæ? an per extrinſecam condonationem? ibid. & *n. ſeq.*

RELATIO. Variæ in Indulgentiis poſſunt Habitudines conſiderari. 3339

QUANDO. De ludis ſæcularibus. De anno Iubilæi. De anno centeſimo, quinquageſimo, vigeſimo-quinto. 3440

ACTIO. Quis concedat Indulgentias? An Summus in Purgatorij Animas Pontifex ordinariam habeat authoritatem? an illis Indulgentias per modum ſuffragij applicet. 3437. 3440

Quid debeat præſtare Summus Pontifex, ut validè concedat indulgentias? An illas poſsit ſine causâ impertiri? An ubi cauſam non certam, ſed probabilem habet, indubias & certas concedat? 3446

An lucrari illas poſsit, qui eſt in mortali? 3460

An omnes diligentiæ fieri debeant in gratiâ? an nulla? an ſaltem ultima? 3460

An remittantur peccata per extrinſecam condonationem? 3461

An in peccatorum remiſsione non ſolùm Miſericordia, ſed etiam Iuſtitia reluceat? ibid.

Quæ ſit Summi Pontificis in Indulgentiarum conceſsione voluntas? 3462

Aliud eſt in peccato, aliud cum peccato, & aliud propter peccatum operari. ibid.

Quænam opera præcedentia dicantur? An eleemoſyna propter malum finem erogata ſit mala totaliter? An opera facta ob finem, qui ſit peccatum mortale, ad lucrandas indulgentias deſerviant? 3463

An detur fictio in Indulgentiis? An, qui omnia fecit in mortali, recedente fictione lucretur Indulgentias poteſt Papa concedere Indulgentias, quas aliquis lucretur, cùm ſit capax? 3464

Diverſæ proponuntur ſententiæ 3465

De intentione Summi Pontificis. Quæ ſit, & quæ eſſe poſſit. 3465. 3466

Quid debeamus præſtare, ut indulgentias lucremur? 3441

An teneamur Indulgentias lucrari? An illas non indipiſci peccatum ſit? 3444

PASSIO. Quibuſnam proſint Indulgentiæ? 3441

Argumentum à pari, aut à fortiori in hac materiâ non valet. ibid.

UBI. Aliquæ Indulgentiæ loco determinato conceduntur: aliquæ tali grano, numiſmati, imagini, altari. Error & deceptio paſsiva inculpabilis eſt, at nemini licèt Indulgentias fingere aut nundinari. 3442

SITUS. An in diligentiis, quæ ad lucrandas Indulgentias præſcribuntur, Ordo aliquis neceſſariò ſervandus ſit? 3444

Ordo, vel eſt eſſentialis vel accidentarius: & huius inverſio non obeſt. 3444

Saltem ultima diligentia fieri debet in gratiâ. ibid.

HABERE. Multa privilegia ſortiuntur, qui lucrantur Indulgentias, An ne habet ad eas lucrandum ius, qui ex probabili opinione operatur? 3447. §. *Quæram.*

§. VI.

De Sacramento Euchariſtiæ.

EST omnium nobiliſſimum, & *Fundam. LXVII. à n.* 3468. dilucidatur.

Fuerunt, qui illud, antequam inſtitueretur, impoſſibile crederent. 3469

Sunt, qui etiamnum illud impoſſibile credant. ibid.

Fide debet, non autem ratione comprehendi. ibid.

SUBSTANTIA. Quid Euchariſtia ſit? An in illo [illegible], aut [illegible] commit

committatur? n.3469

An ſit cibus? Materialis & corporalis cibi analogia. 3471

De Euchariſtiæ attributis. De Veritate. An ſit metaphoricè intelligendum? 3472

De Bonitate. An probis & improbis detur? an & quibus noceat, aut proficiat? *n.*3469. *pag.*222. & *n.*3480. *pag.*225.*b.*

Materia in hoc Sacramento eſt duplex: proxima & remota. Vtraque exponitur. 3473 3474

Panis eſſe debet triticeus. Quid ſit triticum? Panis azymus aut fermentatus eſſe poteſt: Græci & Latini ritu differunt. Vter ſit melior? 3526

Vinum eſſe debet ex vite. Tantillum aquæ adiungitur ex Eccleſiæ præcepto. An aqua conſecrari poſſet? An poſſit lac loco vini ſubſtitui? An aqua immediatè convertatur in ſanguinem? An in vinum tranſire poſſit? 3527.3538.3539

An vinum congelatum validè conſecretur? An eſſentialiter, an verò accidentaliter tantùm vapores per congelationem abtentum? 3550

De vapore, qui ex vino conſecrato exhalatur An in illo ſit Chriſtus? 3551

An conſecrentur particulæ, quæ à cæteris ſunt ſeparatæ? An etiam guttæ vini, aut aquæ, quæ intra calicem ſunt, & lateribus à latice ſeparatæ adhærent. 3593

Quid, ſi ſint in exteriori parte calicis? 3594.3595

Qualem in caſu Sacerdos debeat intentionem habere. ibid.

De Euchariſtiæ Formâ. Illam conſtituunt verba. Quâ illa linguâ debeant proferri? An idioma qualecumque ſufficiat? 3528

De intentione Miniſtri. Tres proponuntur, & explicantur. 3529

An Sacerdos Romanus Græcè, & Græcus poſſit celebrare Latinè? 3530

De bleſis. An, qui naturæ vitio male profert, validè conſecret? Sacerdos in altari repræſentat Chriſtum. Verba Chriſti nomine profert. Vnde illam virtutem conſecrativam habeant? 3531

De prolatione & intentione Preſbyterorum ignorantium. An, & quando obſit Sacramenti valori? Vnde proveniat promoveri Parochos imperitos? 3532

Verba ſingula conſiderantur. De voculâ eſt. An, qui eam omittat, validè conſecret? Græci ob elegantiam ſæpe Verbum ſubſtantivum illæſo ſenſu ſubintelligunt: an & Latini? 3534

De Paraglosſâ. Quid illa ſit, An ad valorem conſecrationis ſufficiat? 3534

An particula *enim* ſit eſſentialis, An Sacramenti huius forma in æquivalentem verti poſſit? 3535

An, qui illud *enim* omitteret, peccaret mortaliter? 3536

Examinantur hæ formæ, *Hæc eſt patina corporis mei.* & *Hic eſt ſanguis meus.* An ſint validæ, aut licitæ? 3548

De pronomine *hic, hæc, hoc.* An in conſecratione adiectivè, an verò ſubſtantivè ſumatur? 3601

An ſicut in homine qui ad Scoti mentem duas formas habet (corporeitatem, & Animam rationalem) ſic in Sacramenti Euchariſtiæ duæ formæ ſint; tranſiens, permanens; verba videlicet, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus. 2215

An ſubſtantia panis aut vini poſt conſecrationem remaneat, An tanta hodie in Mundo ſit materia, quanta fuit ante Chriſtum? 3473

QVANTITAS. An in rebus corporeis admitti debeant magnitudinis & parvitatis termini? Quantam materiam conſecratio requirat? An conſecrari poſſit particula tam parva, quæ viſum fugiat? An communione ſumi? An poſſit eſſe tanta magnitudo aut multitudo, ut conſecrari non valeat? 3475.3651.3655

Quid ſint ſpecies. An omnes Qualitates Quantitati inhæreant? 3475

An hoc Sacramentum eodem, an diverſo modo, quàm cætera, conſtituatur? 3476

De Impenetrabilitate. Eſt Quantitatis proprietas. Eſt duplex: neceſſaria, & libera An hæc Chriſto in Euchariſtiâ & Beatis in Cœlo conveniat? 3495.*b*

An in ipſo numerus multiplicetur, An Panis & Vinum conſecrata duo diverſa Sacramenta conſtituant; an duo partialia, & unum totale, quomodo panis conſecratus & non conſecratus differant inter ſe? ſub alterutris ſpeciebus continetur totus & integer Chriſtus. 3477

Panis & Vinum conſecrata ſunt ſigna æquipollentia. Sunt vocibus ſynonymis ſimillima. An in ſolo pane conſecrato, aut in ſolo vino conſecrato reperiatur integra ratio convivij 3478

An poſſit eſſe panis tam magnus, ut conſecrari non poſſit An queat Sacerdos totum panem, qui eſt in magno foro, conſecrare? 3655

Materia conſecranda, debet eſſe moraliter præſens Presbytero. quid, ſi maris aqua in vinum divinitus converteretur, An poterit illud conſecrare? 3656

An in continuo (pane, aut vino) poſſit conſecrare unam partem altera non conſecrata? ibid.

QVALITAS. An poſt conſecrationem, panis & vini qualitates remaneant? quænam ad Euchariſtiam animæ & corporis diſpoſitio requiratur? 3479.3481

RELATIO. Chriſtus in Cœlo exiſtens & ſub ſpeciebus in Sacramento latens conſideratur. An per conſecrationem immutetur? Qualiter in Euchariſtia eius ſubſtantia, quantitas, qualitas, & cætera accidentia ſint? 3482

QVANDO. De inſtanti, quo incipit Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſub ſpeciebus eſſe: de illo, quo incipit non eſſe. 3483

Tamdiu Chriſtus ſub ſpeciebus manet, quamdiu panis & vini ſubſtantia, ſi non interceſſiſſet conſecratio, maneret. 3484

Impugnatur Lutheri error, qui in ſumptione, non autem in conſecratione converſionem admittit. Chriſtum *eſt*, & non *erit*, dixiſſe. 3543

Chriſtus poſt fractionem hoſtiæ ſub quâcumque

Digitized by Google

cumque particulâ remanet. 3653

Tamdiu ſubeſt Chriſtus ſpeciebus panis & vini, quamdiu illorum ſubſtantiæ permanſiſſent. 3653

Quid dicendum erit in eorum opinione, quæ aſſerit aquam in vinum non converti? An, ſi illa particula aquæ ſeparetur à vino, manebit conſecrata? An ſub puræ aquæ ſpeciebus manſurus ſit ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti? 3654

An, qui miſſam recitat, ut cum hoſtiâ veneficium conficiat, verè conſeciet? An conſecratio pendeat ab eventu futuro? 3655

An conſultum ſit diebus ſingulis communicare? 3475

De hominibus qui venialia, & de his, qui etiam mortalia committunt. 3487

An S. Auguſtinus quæſtionem hanc indecisam reliquerit? ibid 9. *Illam.*

Actio. An ſoli Sacerdotes poſſint conſecrare? An Prædicantes ſint Sacerdotes? Sacerdos, & illo abſente Diaconus poteſt Euchariſtiam diſtribuere. 3488

An, & quoties in anno teneatur celebrare Sacerdos ſub mortali? ibid.

An & quando poſſit plures legere miſſas? 3489

Quænam ex vi verborum, & quæ per concomitantiam in Sacramento ponantur? De Vnione effectivà. An accidentia in Sacramento conſerventur creativè? De unione affectivâ aut adtractiva. In quo adtractiva virtus conſtituatur? 349. *b*

An in hoc Sacramento panis & vini fiat tranſſubſtantiatio? Quid illa, & quotuplex ſit? 3541

An Conſecratio ſit tranſnaturalizatio? An Verbum Æternum naturam Panis & Vini hypoſtaticè ſumat? 3549

Passio. Quinam capaces ſint ut hoc Sacramentum recipiant? 3489

Effectus. Singula Sacramento ſpeciales conferunt gratias. An diſtinctas ſpecie? An Euchariſtia addat fervorem Charitati? an venialia remittat? an aliquando per accidens primam gratiam producat? 3490

An ſub utraque ſpecie fieri debeat Communio? An ſit præceptum de utraque ſpecie recipiendâ. Cur hodie detur ſub unicâ ſpecie Communio? An diſpenſare poſſit Pontifex, ut laici ſub utraque communicent? 3491

Vbi. Quid ſit locus & ubi? quo Chriſtus modo ſit in loco? Quid ſit eſſe alicubi definitivè: & quid circumſcriptivè? An Chriſtus in Sacramento ſit definitivè, & in Cœlo circumſcriptivè? 3492

An Chriſtus ſub ſpeciebus moveatur, & quomodo. An dari caſus poſſit, in quo, manente Chriſto ſub ſpeciebus, hæ moveantur, & ille non moveatur? 3493

Quid requiratur, ut aliquid ad motum alterius moveatur? 3495.*b*

An ſub ſpeciebus ſit Chriſtus moraliter tantùm, & non realiter? 3547

Situs. Quid ſit, & quomodo conſideretur. De Situ in ordine ad ſe, & in ordine ad locum, An Chriſtus in Sacramento mutet Situm? 3494

An eius partes integrales habeant Situm in ordine ad ſe? ibid.

Habere. An Sacramentales ſpecies Chriſto inhæreant. An illis reali unione ipſe uniatur. An inter eas Chriſtumque detur unio, quæ ad hoc Prædicamentum pertineat? 3494. & 3595. *pag.* .. *b*

An accidentia Euchariſtica ſint ſimilia veſtium. 3495. *pag.* 219. *a.b*

An Chriſtus Dominus uniatur ſpecierum ſpatio. 3495.*b*

An poſſit miſſa ſine ornamentis celebrari? 3495.*a*

§. VII.

De Sacrifitio Miſſæ.

De illo *pag.* 231. *à n.* 3496. differimus. Miſſam privatam ſub initium Martinus Lutherus, & ſolemnem etiam Ioannes. Calvinus condemnavit. Nos Catholici utramque ſanctè manutenemus.

Nomen. Antiquiſſimum eſt, in Patrum enim veteribus libris reperitur. 3496

Quid illud ſit? An ex Hebræis, Græcis, an verò è Latinis fontibus deducatur? quid ſit *Miſſam facere?* An Miſſa ſit Miſſio? *An* ... ? De Miſsâ Cathecumenorum. Cur in Occidente *Ite Miſſa eſt*, in fine; & in Oriente in principio dicatur? Oſtiariorum & Exorciſtarum Officium. De Catechumenorum Miſsâ. quæ illa ſit? 3496

De Miſſali. 3497

Svbstantia. quid ſit Miſſa. quid dicat pro materiali; quid pro formali. An verum Sacrificium ſit. Cum Agni Veteris immolatione comparatur. 3500

Quâ formulâ in conſecratione Chriſtus ſit uſus? 3500

Alia in Miſsâ eſſentialia, & alia accidentalia ſunt. Hæc, ſi fortè omiſſa, non debent reſumi. An fractio ſit accidentalis? An ante hoſtiæ ſumptionem neceſſariò conſecrandus ſit calix. quid D.N. Ieſus-Chriſtus fecerit? 3501

Qvantitas. quanta ſit Miſſæ virtus? An ſit infiniti valoris? an etiam præſtet infinitum effectum. An valor debeat ab effectu diſtingui? 3502

Fructus Miſſæ in tres partes dividitur. Cuinam applicentur ſingulæ? An Sacerdos, qui ſuam partem proximo applicat, duplex poſſit ſtipendium recipere? 3503

Semel tantùm quotidie poteſt Sacerdos celebrare. Conſultum, non autem præceptum eſt die Natalis Domini tres Miſſas legere. Non communicat bis, qui poſt ſumptionem calicis inventam particulam ſumit. 3637

An Epiſcopi vigore Tridentini Concilij poſſint ad minorem numerum Miſſas reducere in fundatione aliquâ poſitas? An ſaltem poſt illud relictas? An id etiam poſſint Ordinum Generales? An, ubi Miſſæ ſtipendium eſt ab Epiſcopo taxatum, ſi petens ſibi Miſſam dici, non dederit ſtipendium integrum, poſſit Sacerdos à diverſis tot parva ſtipendia recipere, quot inſtæ eleemoſynæ

æquivaleant? An & Preſbyter pauper pro unâ Miſsâ tot poſſit eleemoſynas recipere, quot ad diurnam eius ſuſtentationem ſufficiant? An die feſto duplum poſſit ſtipendium accipi? An Miſſæ celebrari pro eo poſſint, qui poſteà eleemoſynam daturus ſit? *n. 101. pag. 113*

Qvalitas. De diſpoſitione ad celebrandum. Quo & quali idiomate dicenda Miſſa ſit? 3504

Relatio. Multæ ſunt Habitudines, quæ in Miſsâ poſſunt conſiderari. 3505

Qvando. An ſemper ſit in mundo aliquis locus in quo nunc, quando hæc folia legis, Miſſa legatur? Horologium univerſale. Cùm ſemper ſit aliquis locus, in quo nunc ſit aurora, & alius, in quo nunc ſit Meridies: & Miſſæ ab aurorâ in Meridiem legantur; hodie (nam Sacerdotes ſunt per Orbem diſperſi) ſemper erit aliqua provincia vel regio, in quâ nunc Miſſa celebretur. 3506

Quantum tempus in illâ decenter legendâ impendatur? 3507

Actio. In Miſsâ Agens Principale Chriſtus eſt. Ipſe poſt cœnam ſacrificium Deo obtulit. 3508

Qualem intentionem debeat Sacerdos in conſecratione & oblatione miſſæ habere? 3596

Quænam ad veri ſacrificij rationem requirantur? 3508

An hoſtia ut offeratur occidatur? Quomodo ex vi verborum fiat immolatio. *num.* 3509

Quinam ſint, qui ſacrificium offerunt. Primus & Principalis Chriſtus eſt. Secundarius. Sacerdos. An omnes ſacrificare poſſint? An excommunicati validè conſecrent? An validè offerant? 3511

De communione & ſumptione. ibid.

An Sacerdos debeat ſumere? Solus Sacerdos ſacrificium peragit, ſed multi, cum illo offerunt. Non ſemper effectus exæquat cauſam. De ſacrificio quà Chriſti nomine oblato. Quantam impetrationem habeat? 3512

De eodem ſacrificio quà oblato à perſonâ privatâ. An forma & potentia ſint tota ratio agendi? An, & cur intellectus in homine vivo & lumen gloriæ in beato, ſit tota ratio agendi? 3513

[*Qui dicit verb. gr. lumen gloriæ eſſe totam rationem agendi (& nota id bene) non aſſerit, intellectum materialiter ſe habere, & ſolam qualitatem luminis operari, ſed intellectum per ſolam qualitatem luminis operari. Et volui hic id Lectores monere, video enim in hac Quæſtione multos etiam doctos, graviter adlucinari.*]

An intellectus nobilior per lumen gloriæ æquale, clariùs intueatur Deum? 3513

An metallum ſolidius cum æquali calore paſſim intenſiùs calefaciat? An pretioſioris pilei depoſitio ſit maior reverentia? An plus valeat chirographum, ſi chartæ nobiliori inſcribatur? 3514

An peccati mortalis malitia ſit infinita ſimpliciter in genere mali? An, ſi finita ſit, habeat paſſiones & proprietates finitas? Cur Chriſti ſanguis in Miſsâ, etſi infiniti valoris ſit, operetur finitè? 3514. 3521

Finitus eſt effectus Miſſæ. Minuitur, quando inter multos diſtribuitur. An huius ſacrificij virtus, ſit infinita ſyncategorematicè? De proportione devotionis & fructûs: an Arithmetica, an verò Geometrica ſit? 3515

Paſſio. Hæc illi pertinent, qui Miſſæ beneficium recipiunt; &, quia eadem eſt contrariorum ratio, priùs de illis, quibus Miſſa non prodeſt, & poſteà de illis, quibus prodeſt, agemus. Porrò Qui habet obligationem celebrandi Miſſam in tali, aut tali loco cum ſolâ præſentiâ, poteſt illam applicare, cui volet; & pro hac ipsâ applicatione eleemoſynam ordinariam recipere. *n. 416. pag. 145. b*

Miſſa ad maiorem, eamque accidentariam Beatorum gloriam dicitur, non tamen pro illis offertur. An pro Dæmonibus, aut condemnatis offerri poſſit? An pœnæ eorumdem poſſint imminui? An pœnæ peccatis venialibus, aut pro mortalibus iam remiſſis debitæ in inferno per ſatiſpaſſionem finiantur? An pro illis poſſimus ſaltem ſatiſpaſſiones offerre? 3517

An ſint gratiæ incapaces. ibid.

An poſſit Miſſa offerri pro excommunicatis? An pro non baptizatis? Oportet Chriſtum, qui offertur, ab Orationibus, quibus ipſe offertur diſtinguere. An, & quo modo opus Operatum & Operantis in hoc ſacrificio inveniatur? *num.* 3519. 3511

An Miſſæ valor alius ſit, ſi Miſſa gratis, & alius ſit, ſi propter ſtipendium dicatur? An Miſſa ſit infiniti valoris? An oblata pro multis, ita proſit ſingulis, ac ſi pro uno ſolo offerretur? An unicâ quis poſſit Miſsâ ſatisfacere pro multis, ſi ſinguli non tantum dederint, quantum pro Miſſæ ſtipendio adſignatur? 3520

An, qui gratis promiſit ſe lecturum Miſſam, ex Iuſtitiâ, an verò ex Veracitate teneatur? 3521

Effectus. Proximum habet & remotum Favores plurimi conceduntur in Miſsa. Sacerdotis & aliorum orationes rei oblatæ dignitate elevantur. 3522

Vbi. An poſſint Miſſæ in ædibus privatis celebrari? An etiam in navibus legi? 3523

Materiæ ſimilitudo poſtulat, ut poſtquam de loco, in quo confici debet Euchariſtia diſſerimus, de rebus, quæ in ipsâ ſunt, diſſeramus. Ex vi verborum ſub ſpeciebus panis eſt corpus Chriſti, ſub ſpeciebus vini eſt Chriſti ſanguis: per concomitantiam, ibi eſt ſanguis, & hîc corpus. Chriſtus eſt ſub ſingulis accidentium partibus. *num.* 3565

Eſt in hoſtiâ & calice tota Trinitas per concomitantiam. ibid.

Sitvs. Sederene, an verò ſtare debeat, qui Miſſam legit? An, & quando genuflectere, aut ſtare, qui interſunt? 3523

Qualia

Digitized by Google

Qualia eſſe debeant ornamenta. An maiori hodie pompâ, quàm olim Miſſæ, & Officia Divina peragantur. ibid.

Habere. In Miſsâ requiruntur neceſſariò ornamenta: & eſſet grave peccatum ſine illis celebrare. 3524

Et hic obiter monendus eſt Devotus & ſincerus Lector de Miſſæ cæremoniis & ſpirituali eorum ſignificatione Illuſtriſſimum D. D. Carolum Septalium, Dertonenſium Epiſcopum, meum in Chriſto Amicum & Dominum Obſervandiſſimum, doctiſſimum Librum, qui inſcribitur, *Myſterij e Senſi Miſtici della Miſſa*, Dertone anno 1672. edidiſſe, in quo ingenioſè & copioſè edisſeritur hoc argumentum.

§. VIII.

De Communione.

AN Euchariſtiæ ſumptio de neceſſitate medij ſit? 3561.b

Eſt triplex: in re, in voto expreſſo, & in voto implicito. Græci hodie illam parvulis dant, & Latini olim dabant. In re non eſt neceſſaria. An ſaltem in voto requiratur? 3563

De Euchariſtiæ recipiendæ præcepto. An adultos non baptizatos obliget? Proponuntur diſſentientium Theologorum ſententiæ. 3564

Quid propriè ſit comedere? *num.* 3573. 3577

An, qui tranſglutit aliquid non comeſtibile, (puta, plumbum, cretam, terram, carbones, ligna, &c.) comediſſe dicendus ſit? 3573. 3577. 3581

De ieiunio. Quid ſit? In Naturale & Eccleſiaſticum dividitur. Vtrum ad Euchariſtiæ ſumptionem requiratur. Frangitur comedendo, aut bibendo: & non aliter. 3576

Quomodo *comedere*, & *bibere*, & *ſumere per modum ſalivæ* diſtinguantur. An hoc ultimum ſumptionem Euchariſtiæ impediat? 3568 3578

Nec comeduntur, nec bibuntur, quæ ſumuntur per nares, etſi deſcendant in ſtomachum. 3578. 3589

An ille, cui per vulnus & fiſtulam liquor aliquis in ſtomachum infunderetur, ieiunium naturale violaret? ibid.

Quid *ſumere per modum medicinæ* ſit? 3577 3578. 3579

An *ſugere*, & *bibere* differant inter ſe? 3581

De muſcâ, ſi inadvertenter tranſglutiatur? 3582

An ciborum reliquiæ, quæ adhærent dentibus, communionem impediant, ſi die ſequenti tranſglutiantur? 3566

An inter illum, qui has reliquias advertenter, & illum qui ſine advertentiâ eas comedit, ſit diſtinguendum? 3568

An ad comeſtionem, maſticatio requiratur? 3568

An, qui ex ignorantiâ, aut inadvertentiâ carnes comedat, ieiunium Eccleſiaſticum frangat? quid debeat facere, ubi errorem cognoverit? 3589

Quid ſalivare ſit? *n.* 3571. *in marg. ex Plinio.*

De Tabaco. quot modis ſumatur. An Eccleſiaſticum, aut Naturale ieiunium temeret? 3582 3583

An ſit irreverentia Tabacum ante Communionem, an etiam in Eccleſiâ ſumere. An ſit peccatum, & quale. An meritò, & ubi à prudentiſſimis Epiſcopis ſit interdictum? *n.* 358. *pag.* 261. *b.* & *n.* 3591

An ſumere tabacum ſit comedere, aut bibere? 3588

An liceat ſumere aromata? Quid, ſi illorum aliquid per modum ſalivæ tranſglutiatur? 3585

Medicinæ, quæ nec comeduntur, nec bibuntur, ieiunium naturale non violant. 3587

An ſit laudabilis & conſulenda laicis quotidiana Communio? *n.* 3626. *pag.* 275. *b.*

De Excommunicatione, egi paulò ante §. *IV. b.* ubi de Pœnitentiæ Sacramento.

§. IX.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

NEgant illud Hæretici An fuiſſe à Chriſto inſtitutum ex Sacrâ Scriptura ſufficienter probetur? De Marci, & Iacobi locis. An uterque de hoc Sacramento veniat intelligendus? 3603. 3605

Svbstantia. Quid Extrema Vnctio ſit. 3605

Conſtat Materiâ & Formâ Vtraque exponitur. 3606. 3607

An oleum debeat fuiſſe benedictum eodem anno? An in hac, & in aliis Sacramentorum formis verba illa omitti poſſint, quæ continentur in aliis, An ſingulorum ſenſuum nomina ſint neceſſariò exprimenda? Quâ formâ utantur Monachi? An Sanctiſſimæ Trinitatis invocatio eſſentialiter ſit requiſita? 3607. 3608

Quonam Modo (Indicativone, an ſubiunctivo) uti debeamus in hac formâ? 3610

An poſſimus utroque? 3611

An ſicut Extremam Vnctionem per Indicativum, ſic cætera Sacramenta per Optativum conficere poſſimus? 3611

Qvantitas. An una gutta, an unum indiviſibile olei ad unctionem ſufficiat? 3612

An maior materia ad Baptiſmum, quàm ad Vnctionem Extremam requiratur? *num.* 3613

An *baptizare*, *ungere*, & *tingere* idem ſint? ibid.

De Vnctionum numero. De homine bicipite. 3606

An unica Vnctio in hoc Sacramento ſufficiat? An ungendi ſint renes & pectus. Quomodo peſtis tempore poſſit hoc Sacramentum adminiſtrari? An poſſit Virgulâ? 3606. 3615

Qvalitas. Signum Crucis requiriturne tantum accidentaliter. 3616

Relatio. De Variis Extremæ Vnctionis habitudinibus. 3617

Quid requiratur, ut illa contemni dicatur 3618

QVANDO. An, & quamdiu differri debet? An poſſit repeti in eodem morbo. Quid ſit alius morbus? 3620

Quo inſtanti confert gratiam, an poſt primam an verò poſt ultimam Vnctionem? 3620

ACTIO. An debeat eſſe Sacerdos & Parochus, qui Extremam-Vnctionem adminiſtret? 3621

An ſub mortali teneatur? 3622

An hoc Sacramentum aliquando conferat primam gratiam per accidens. An poſſit dari moribundo ſenſibus deſtituto, qui illud non petiit? ibid.

An etiam, & quantum corporibus levamen conferat. An ante diem obierint aliqui, qui recurati fuiſſent, ſi debito tempore hoc Sacramentum recepiſſent? 2220

PASSIO. A quibusnam hoc Sacramentum ſuſcipiatur? An ab infantibus, amentibus, & inſanis? 3623

Quo inungi modo debeat cœcus, mancus, claudus, &c. qui videlicet, oculis manibus, pedibus &c. caret? 3623

An potuiſſe peccare ad Vnctionem ſufficiat? 3624

Effectus. Operatur Extrema Vnctio ſpiritualiter & corporaliter. Semper confert gratiam, &, ut paulò antè diximus, primam aliquando per accidens. 3622.3627

Semper morbum imminuit, & aliquando omninò tollit. Proponitur doctrina maximè conſideranda. 3625

An minus hanc Sanctam Vnctionem differre, ſit Deum tentare? ibid.

VBI. Neceſſitas poſtulat, ut in lecto, & domi ſuæ, hoc Sacramentum adminiſtretur ægrotis? 3627

An poſſit in loco interdicto? ibid.

SITVS. Vnctionum ordo præſcriptus ab Eccleſiâ eſt ſervandus. An illum variare ſit peccatum mortale? 3628

HABERE. Quæ ornamenta in hujus Sacramenti adminiſtratione requirantur. n. 3629

§. X.

De Sacramento Ordinis.

ETiam apud Gentiles fuerunt perſonæ ſacræ, dicatæ Deo, cujus muneris eſſet rem Divinam peragere. An hodie apud Hæreticos veri Sacerdotes, Diaconi, &c. ſint? 3630 3631

NOMEN. Quid ſit Ordo. Cur Sacer Perſonarum Status hoc nomine ſignificetur? 3631

SVBSTANTIA. Quid Sacramentum Ordinis ſit? An materiâ & formâ ſinguli Ordines in collatione conſtituantur? 3633

De Sacerdotum conſecratione apud Græcos. An per manuum impoſitionem ordinentur? Moventur & expediuntur Quæſtiones aliquæ maximè neceſſariæ. ibid.

Eccleſia Græca & Latina non ſunt duæ Eccleſiæ. Non habent Sacramenta, nec Ordines diverſos, quoad ſubſtantiam. 3634

An validè formâ Latinâ Græcus Epiſcopus in Ordinum collatione, & Græcâ Latinus uti poſſit? 3634

Eccleſia Græca utitur rerum traditione morali, Latina verò reali. 3635

De Sacerdotio. 3635.3869

An Epiſcopatus à Sacerdotio differat? 3869

An Epiſcopatus ſit Sacramentum? 3870

Omnia quæ in Preſbyteri conſecratione facit Græcus Epiſcopus, facit & Latinus: quid importet manuum impoſitio, per rerum realem traditionem explicat Latinus Epiſcopus, quod Græcus non facit. 3635

Sunt duæ manuum impoſitiones: per utram Ordo conferatur? An & hodie per manuum impoſitionem Sacerdotium in Eccleſiâ Latinâ conferatur? An patenæ cum hoſtiâ, & calicis cum vino traditiones ſint cœremoniæ? 3636

An duæ ſint in Sacerdotio poteſtates: altera conſecrandi, & altera abſolvendi à peccatis. An alterutra per ſpecialem materiam & formam conferatur? 3638

An Ordinatus maneat ille cui inſtrumenta (patena & calix) ſine alterâ, aut cum neutrâ ſpecie, tradantur? 3639

An debeat hoſtiam tangere, an ſatis ſit, ſicut calicem tangit, & non vinum, ſic patenam, & non hoſtiam tangere? 3647

De Epiſcopo, Sacerdote, Euchariſtiâ, Abſolutione, &c. probabilibus. An Sacerdos probabilis poſt hoſtiæ conſecrationem poſſit dictamen mutare & licitè omittere calicis conſecrationem? ibid.

In materiâ probabili non ſemper poteſt defectus Eccleſiæ clementia ſupplere. *num.* 3640

Periculoſiſſimæ ſunt omnes functiones Sacerdotis probabilis. 3646

An, & cur aqua in vinum infundenda ſit, quando celebratur Miſſa. An Chriſtus vinum lymphatum conſecraverit? 3926.3927

An aqua in vinum convertatur? 3918

Cur à Ciſtercienſibus, Dominicanis, aliiſque ante Miſſæ initium aqua vino immiſceatur? An immediatè illa in ſanguinem Chriſti convertatur? ibid.

An in ſolemni Miſſâ Presbyter ſatisfaciat audiendo Epiſtolam & Evangelium; an etiam illa debeat legere? 3939

An ſinguli cooperari debeant ne ad Sacerdotium promoveatur indignus? 3940

An ſit caſus poſſibilis, in quo in Prælatum eligatur minùs dignus? 3940

De Diaconatu. Sunt valdè neceſſarij in Eccleſia, qui poſt Preſbyteros miniſterio funguntur. Appellantur *Diaconi.* Sed quos illos modo ordinarunt Apoſtoli? Quo *modo* Græci, & quo Latini? In quonam eorum Ordinatio conſiſtit, 3641

Eorum poteſtas inter Sacerdotalem & Subdiaconalem eſt media. An eorum præcipuum munus ſit cantare Evangelium, quid libri traditio ſignificet? 3642

De manuum impoſitione. De traditione morali. Cur non patena cum hoſtiâ conſecrata, & calix cum vino conſecrato tradatur? 3643

Potuit facere, & de facto fecit Eccleſia

Digitized by Google

nt in libri traditione aggregatum omnium inſtrumentorum, quibus in ſuo miniſterio eſt vſurus Diaconus, ſignificetur? ibid.

De Hipodiaconatu. Cur manus Subdiaconis non imponantur? quæ ſit materia in eorum conſecratione. Exhibetur calix & patena. An debeant eſſe conſecrati? num? 3544.

An Epiſcopatus, Sacerdotium, Diaconatus,& Subdiaconatus ſint Sacramenta? 3644. & 3645.

Vide etiam *num.* 3871.

In collatione Ordinum multæ Cæremoniæ exhibentur. Ago de illis in quadam ad Illuſtriſſ. D. D. Carolum Septalam Epiſcopum Dertonenſem Epiſtola *à num.* 3912

Vnde illæ nomen ſortitæ fuerint? 3915

An ad merum Ornatum ſint inventæ: an verò præter decorem & authoritatem præſentem, quem ob oculos ponunt, rem notabilem aliquam præteritam, aut futuram ſignificent? ibid.

Quàm antiquus Cæremoniarum vſus ſit? ibid.

An omnium cæremoniarum detur ratio? 3917.

Quid ipſæ præſtent? ibid.

Quænam in Baptiſmo & Confirmatione exhibeantur? 3918.& 3919

De iis quæ ad ordines Minores ſpectant. *à num.* 3910. *ad* 3930.

De illis autem, quæ ad Maiores pertinent *à num.* 3930. *ad* 3950.

De Minoribus Ordinibus. Ant ſint Sacramenta? 3645.& 3924

Quænam materiæ in ſingulis tradantur? 3645.

In Primitiva Eccleſia fuerunt, ſex Minores Ordines; videlicet, Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorum, Oſtiariorum, Cantorum, & Sepulturariorum. 3868 *pag.* 391: *b*

Cantoratus & Sepulturatus videntur fuiſſe olim Ordines, ſed iam non ſunt. Prima tonſura non ſolùm non eſt Sacramentum,ſed neque res Sacramentalis magna, ordinis Sacramēto reſpondens.Eſt tamen aliqua diſpoſitio ad Minores Ordines; vnde, ſi hi non ſint Sacramenta, ſed Sacramentales, erit diſpoſitio ad res Sacramentales, adeóque non erit intrinſecè res Sacramentalis, ſed extrinſecè. 3872.& 3920

Vtra, Prima tonſura, an Aqua benedicta ſit res ſacratior? 3873

An claudi poſſint ad primam tonſuram adſumi? 3874.& 3875

Exponuntur ſignificationes Myſticæ cæremoniarum, quæ in ſingulis Minoribus ordinibus adhibentur. Videlicet, præter Primam Tonſuram, de quâ. 3920

Agitur: in Oſtiaratu, 3921

In Lectoratu. 3922

In Exorciſtatu. 3923

In Acolytatu. 3926

[An, & cur Exorciſtæ non ſemper Dæmones expellant?] 3923

De Contractu. Traditioni correſpondet receptio, & hæc contractum poſtulat: ſed qualem realémne, an moralem? 3646

De Forma. Omnium ordinum Formæ ſunt verba; & præſcribuntur in Pontificali, *num.* 3648.

De materiæ & formæ coëxiſtentia iam dixi: alij realem poſtulant, & alij ſunt contenti morali. ibid.

QVANTITAS. An omnes ordines ſint ſacri. 3649

An plures ſunt Minores ordines, quàm dicuntur, an prima tonſura ſit ordo, an Pſalmiſtatus à Lectoratu; an Epiſcopatus à Sacerdotio diſtinguantur? 3650

An Cardinalatus ſit Ordo; an ſit de iure Divino? 3651

QVALITAS. Ab Ariſtotele aſſertæ numerantur. 3657

De Miniſtri diſpoſitione An in gratia eſſe debeat Epiſcopus, cùm confert Ordines? an non ſolùm quando Maiores, ſed etiam quando Minores; an etiam, qui illos recipit; aliæ ex Iure Divino: & aliæ ex Canonico requiruntur diſpoſitiones. 3657

An poſſint incedere armati Sacerdotes, & alij Clerici? an regio à regione debeat neceſſario diſtingui; quid ſpecialiter hodie poſſit aut debeat fieri in regno Neapolitano? 3660.

Caret lege neceſſitas. ibid

RELATIO. De huius Sacramenti neceſſitate? an in Chriſtiana Republica ſint neceſſarij Sacerdotes, an & Epiſcopi, an Parochi. 3658

An Diaconi, & Subdiaconi, an & alij ad Ordines Minores promoti? De Pſalmiſtis, Cantorib, &c. 3659

QVANDO. De ætate ad ordines ſingulos requiſita. An annus in iure deſignatus eſſe debeat completus? Cur aliquando inceptus ſufficiat, & aliquando non? 3661

An in ætate admittenda ſit materia parva, an inteſtitia neceſſariò obſerventur, an ſuſpenſionem incurrat, qui ſine diſpenſatione inteſtitia non ſervet; an, qui duos Majores Ordines eodem recipiat die. 3662

QVANDO. Conferenda ſit in prima Tonſura. Quando Minores Ordines? Quando autem Majores? quando defectus, ſi quis commiſſus ſit, ſuppleri poſſit? 3663

Olim pueri ordinabantur; & hodie validè ordinarentur. 799. *pag.* 284. *a*

ACTIO. Quinam poſſint ordines Majores conferre, an Abbates noſtri poſſint Minores Ordines, an etiam Diaconatū & Hypodiaconatum? an Epiſcopus debeat eſſe proprius; an in aliena, diœceſi poſſit Ordines celebrare? 3664

PASSIO. Quinam ad Ordines promoveri poſſint? 3665

De proteſtatione, quæ Epiſcopi conſecraturi nomine legitur ab Archidiacono ante ordinum collationem, ibid. & *iterum.* 3948

Ibi diverſas Theologorum opiniones reperies. Et quia illuſtriſſimi D. Hidruntini meminerim, teſtor eum non ſine miniſtrorum contradictione hanc eamdem Proteſtationem aliquando intermitti iuſſiſſe. Et quia noſter Manrique eâ non obſtante valere Ordines tam certum indicat, ut oppoſitum improbabile cenſeat, hunc Caſum addo quo Veræ doctrinæ Deciſionem adfirmem. [*Titius Vir Nobilis modo proditorio cognatum quemdam ſuum Guadalaxara occidit. Fugit*

Digitized by Google

in Galliam : Pariſiiſque præſentatis literis dimiſſorialibus, quas ſibi finxerat, Presbyter ordinatur, & domum redit. Capitur à Regiis Miniſtris, Matritum ducitur, & in Regio carcere cuſtoditur. Ab Archiepiſcopo poſtulatur. Cauſa diſcutitur. Fuiſſe validè, tametſi illicitè ordinatum, reſolvitur : & remittitur ad carceres Archiepiſcopales, &c. Ita Illuſtriſſ.D. Hydruntinus in literis 4.Ianuar. 1572. ad me datis.] Hac occaſione à Theologis poſtulo, ut legant verba, quæ ab Archidiacono leguntur. Non enim in iis ſe non habere intentionem proteſtatur Epiſcopus ; ſed tantùm præceptum & excommunicationem, veram ſanè & non comminatorium imponit. Ergo, quando ordinat, intentionem habet, & validè ordinat. Si dicas [*Non poteſt licitè Epiſcopus ordinare excommunicatum. At non eſt cenſendus velle peccare. Ergo dicendus eſt non velle excommunicatos ordinare. At, qui contra præceptum Epiſcopi, ab Archidiacono omnibus intimatum accedunt, ſunt excommunicati ipſo facto. Ergo non habet Epiſcopus intentionem eos ordinandi. Ergo non manent Ordinati.*] Reſpondebo diſtinguendo Maiorem. Si ſciat concedo, ſi neſciat nego. Et conceſſà Minori, Conſequens eodem modo diſtinguo. Et veniens ad ſubſumptam eam eàdem diſtinctione dilucido ; illi enim, etſi ſint excommunicati, ſunt occulti & ignoti Epiſcopo. Vnde addo, quia criminis aſſertio, etiam conditionata infert proximo iniuriam, ubi non ſuccurrit ratio probabilis, quæ illius poſitionem cohoneſtet, non pòterit Epiſcopus dicere, *Ego te ordino, ſi nòn es infamis verb. gr. & aliàs non.* Niſi crimen gravis detractionis committat. Vel, ſi rationem hanc non capis, dic mihi, quid ſentires, ſi tibi domum ſuam venienti Petrus diceret. *Nullum Ego latronem in meam domum admitto: Ergo ſi ſis latro, recedas ; ſi autem probus & integer, ingrediaris ?* Diceres Petrum eſſe calumniatorem, temerè enim de te dubitat, cùm rationem dubitandi non habeat. Ergo idem de Epiſcopo dicito. Niſi dubitet, conditionem interponere nequit, & dubitando peccaret, & temeritatis eſſet reus, niſi dubitandi rationem ſufficientem haberet. Et hæc volui ediſſerere, quia frequenter fui hanc Quæſtionem rogatus.

Effectus. Inter notiſſimos eſt Canonicas horas recitandi, Caſtitatem obſervandi obligatio. Sed unde hæc provenit ? An ex voto, an verò ex præcepto ſolemni ? *3666. 3667*

Lege quæ, ibid. *pag. 287.a.* Adnotantur in margine. Vide præterea. 3930

An ſine verbis Hypodiaconi votum Caſtitatis emittant? ibid.

An illis in ordinatione ſolemne imponatur præceptum? 3931

An hæc Caſtitatis obſervandæ obligatio ſive à voto, ſive à præcepto proveniat) conditioni innitatur ? An ſi Deus negaverit auxilia, non obſtringat? 3930

Quo contra Caſtitatem modo peccet, & quo debeat modo ſuam conſcientiam expiare, qui ſimul eſt Religioſus & Presbyter? 3932

An Subdiaconi & Religioſi vota diſtinguantur ſpecie? ibid.

An Religioſus ad Ordines Maiores promotus voto ſimul & præcepto obſtringatur? ibid.

An, qui ob metum gravem & iniuſtè incuſſum ordinatur, teneatur Caſtitatem ſervare? 3668. §. *Secundam.*

An puer, qui ante rationis uſum ordinatur, hoc voto, aut præcepto obſtringatur? *n* 3669. §. *Tertiam.*

An Religioſus teneatur promoveri ad Ordines præcipiente Prælato ? 3669. §. *Malo.*

An Continentia eum obliget, qui ante ſextum-decimum ætatis annum fuit ordinatus ? Quà olim ætate ſolemnia vota emittebantur : quà autem nunc? 3670

An Religioſus Presbyter ſimul voto & præcepto obſtringatur ? An eodem modo de Religioſo, qui ad Sacerdotium promovetur, ac de Presbytero, qui induit Monachum, ſit philoſophandum? 3671

An ſimplex Epiſtolam, & Evangelium Clericus ſine manipulo, & ſine ſtolà cantare poſſit ? *num.* 3934. & *num.* 3938. §. *Hoc autem.*

Habet etiam Ordo nonnullos Effectus negativos. An Clericus poſſit eſſe Medicus, Chirurgus, Phyſicus? 3672

An has Facultates publicè in ſcholis audire. ibid.

Hoc tamen non obſtante poſſunt ſervire ægrotis, & illos in morbis non periculoſis, etiam medicinas adhibendo, iuvare. ibid.

Vbi. Quo loco Ordines conferantur ? An, & quando extra diœceſim? 3673

Sitvs. Poſtulant ſuum ordinem Ordines, & qui aliquo intermiſſo ſublimiorem recipiunt, dicuntur promoveri per ſaltum. Quas cenſuras incurrant? 3674

Habere. De Clericorum veſtibus. De earum colore. An pretioſas poſſint Sacerdotes habere ? An Abbates, & Monachi ? 3675

An & quando viles & laceræ ad honorem conducant ? Qui veſtes geſtat viles, ut habeat unde eleemoſynas eroget, honeſtiſſimè veſtitus eſt. 3676

Nota. *De Eccleſià Græcà.* Non duas, ſed unicam Eccleſiam inſtituit Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Quomodo ergo unicam, ſi tanta rituum & cæremoniarum inter Græcos & Latinos differentia obſervatur ? Pauci id bene intelligunt, & pauci id bene exponunt. At inter paucos, ſit mihi plurium loco R.P. Andreas Mendus ; eſt enim Vir doctiſſimus, & ſuis ſtudiis Orbem Literarium illuſtrat. Et *in Epitome Opinionum Moralium verb. Ordo, num.7.* Sic ſcribit. *Cùm ad praxim inter nos non interſit agere de Ordinatione Græcorum diverſa à noſtra, eam omitto. Et quidem Sacerdotes Græci diverſis cæremoniis utuntur ; in pane fermentato conſecrant : & licet poſt acceptum Ordinem Sacrum nequeant nuptias contrahere, at coniugati, dum non ſint bigami poſſunt Ordines Sacros recipere, & poſt receptos cohabitare cum uxoribus, à quibus debent abſtinere triduo ante celebrationem Miſſæ ; & alia huiuſmodi, quæ noſtri non ſunt inſtituti. Etenim Chriſtus Dominus inſtituit*

tuit Sacramentum Ordinis ita, ut collatam tali uſu alicuius rei ſignificaretur per formam poteſtas annexa; quænam autem eſſe deberet illa res, commiſit iudicio Eccleſiæ; quare in materia Ordinis eſt vini ſirmitas moralis, quatenus idem prorſus ſignificatur per illam.] Hæc ille. Vide *n.* 3635

§. XI.

De Sponſalibus.

SVnt futuri Matrimonij promiſſio, & fieri poſſunt tribus modis. 3682

Quid ſponſio ſeu Promiſſio ſit? An, & quo modo differat à propoſito? *num.* 3682. 3683

An negare Rex ſubditis poſſit officia promiſſa? Quæ ſunt rei promiſſæ accidentia, eſſe poſſunt de ſubſtantia Contractus. Nulla humana authoritas præſtare poteſt, ut ineat Matrimonium, qui non vult. 3682

Conditionata Promiſſio, non obligat, niſi conditio purificetur. Quatuor in Promiſſione modis poteſt Voluntas promittentis conſiderari. 3682

An interna Promiſſio obliget? 3683

An & quomodo Promiſſio differat à Pollicitatione? 3683

Quid ſit Promiſſio reciproca? quid recuſata? quid nondum acceptata? An indigeat acceptatione, quæ fuit facta Communitati? Quando obliget ad mortale? An excommunicari poſſit, qui promiſſa non ſervat? An ipſe in Iuſtitiam, aut in ſolam Veracitatem delinquat? Reipublicæ non obſervare fidem eſt mortale. 3683

An-ne realis, an verò perſonalis ex Promiſſione obligatio naſcatur? ibid.

Promiſſio de re vendendâ non eſt venditio. Et, quid ſi de re invendibili ſit? An detur ſine pretio venditio. Promiſſio verbis de futuro, & venditio verbis de præſenti concipitur. Renunciandi promiſſio non eſt renunciatio. Fideiubendi promiſſio non eſt fideiuſſio, nec renunciandi hæreditatem promiſſio eſt renunciatio. 3684

An, & quando mera promiſſio cenſeatur contractûs celebratio? An antefactum aut dotem conſtituat, qui promittit. Donandi promiſſio non eſt donatio. An Sponſalia ſemper à Matrimonio diſtinguantur? ibid.

Poteſt ſtatuere Reſpublica, ut ſub talibus, aut talibus circumſtantiis Promiſſio cenſeatur donatio. An id Ius Civile ſtatuerit? An in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſens intelligatur. ibid.

Vnde liceat colligere promittentem non habere animum promittendi? Eſt res diverſa non habere animum promittendi, & non habere ſatisfaciendi. 3685

An interdum promittere, ſit rem negare? An Promiſſio ſine animo promittendi facta, obliget in conſcientiâ? *pag.* 296. *a*

An iuramentum, ſi obligandi abſit animus obliget? ibid *b*

De illo, qui fictâ promiſſione aliquam defloravit. 3686

De ſolemni profeſſione animo ficto emiſsâ. 3686

Fiunt in illâ duo contractus: alter Deum reſpicit, & alter, qui oneroſus eſt, reſpicit Communitatem. An taliter profeſſus ſit liber per Iudicum ſententiam declarandus? 3686

De ſponſalibus invalidis. An reddantur valida, ſi iuramento firmentur? 3687

Variæ Iuramentorum formulæ in hac materiâ proponuntur, & dilucidantur. De promiſſione rei iniuſtæ. Hærodes, ne iuratæ promiſſioni deeſſet, caput S. Ioannes obtruncat. 3687

